
RERVM
JTALICARVM
SCRIPTORES
TOM. VI.



RERUM ITALICARUM
SCRIPTORES
TOMUS SEXTUS.

RERUM ITALICARUM
SCRIPTORES
TOMUS SEXTUS.

RERUM ITALICARUM
SCRIPTORES
TOMUS SEXTUS.



laſsucci Delin. Girolamo Frezza scul: Roma con lic de supe

RERUM ITALICARUM
SCRIPTORES

AB ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ QUINGENTESIMO
AD MILLESIMUMQUINGENTESIMUM,

QUORUM POTISSIMA PARS NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT

EX AMBROSIANÆ, ESTENSIS,
ALIARUMQUE INSIGNIUM
BIBLIOTHECARUM CODICIBUS.

LUDOVICUS ANTONIUS
MURATORIUS
SERENISSIMI DUCIS MUTINÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTUS

Collegit, ordinavit, & Præfationibus auxit,

NONNULLOS IPSE, ALIOS VERO

MEDIOLANENSES PALATINI SOCII

Ad MStorum Codicum fidem exactos, summoque labore, ac diligentia castigatos, variis Lectionibus, & Notis tam editis veterum Eruditorum, quàm novissimis auxere.

ADDITIS

Ad plenius Operis, & universæ Italicæ Historiæ ornamentum, novis Tabulis Geographicis, & variis Langobardorum Regum, Imperatorum, aliorumque Principum Diplomatibus, quæ ab ipsis autographis describere licuit, vel nunc primùm vulgatis, vel emendatis, necnon antiquo Characterum specimine, & Figuris Æneis.

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.

TOMUS SEXTUS.



Antonius Gregolini inv. et del. *Hieronymus Rossi sculp.*

MEDIOLANI, MDCCXXV.

EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS PALATINÆ
IN REGIA CURIA.
SUPERIORUM FACULTATE.



Hieron. Ferroni delin. M Francia inc. 1725.

EMIN.^{MO} AC. REV.^{MO}
PRINCIPI.

GIBERTO.


S. R. E. CARDINALI.

BORROMAEO.

EPISCOPO. NOVARIENSI.

MAJORUM. EXEMPLO.
AD. ECCLESIASTICAS. DIGNITATES. INSTITUTO.
MORUM. INNOCENTIA.
EFFUSA. IN. PAUPERES. LIBERALITATE.
ATQUE. AMORE. IN. LITERAS.
PROBATISSIMO.

PALATINI. SOCII. MEDIOLANENSES.
ACCEPTORUM. BENEFICIORUM. MEMORES.
TOMUM. HUNC. RERUM. ITALICARUM.
PERPETUUM. GRATI. ANIMI. PIGNUS.
D. D. D.



Barth. Bonvicinus sculp. Regij Lep. 1725

EMIN.^MO AC REV.^MO PRINCIPI

GIBERTO
BORROMÆO
S. R. E. CARDINALI
EPISCOPO NOVARIENSI.

PHILIPPUS ARGELATUS BONONIENSIS
S. P. D.

SI quos umquam acceptorum beneficiorum recordatio ad referendam pro viribus gratiam sollicitavit. Tua PRINCEPS EMINENTISSIME liberalitas in Palatinos Socios ita sibi debitum hoc officii genus vindicabat, ut cùm pares adhuc solvendo non essent, gravis propemodum facta esset, & animis dolorem incuteret eo acerbiorem, quo novo novissimus in

dies debendi titulus accederet. Sed licuit tandem, si non debitum solvere, saltem publicè profiteri, ut intelligas eo Tibi nomine perpetuò nexos, quos eximia beneficientia Tua devicisti. Accipe igitur PRINCEPS EMINENTISSIME VI. hunc Tomum Rerum Italicarum, quem Sociali nomine humiliter offero, quique Tibi veluti vicesimæ fructuum portionis loco erit, quam beneficiarii dominis persolvunt. BORROMÆÆ namque Familiæ debemus Palatini Socii quodcumque hoc rerum est, cùm uberrimum nobis illum literarum agrum excolendum tradideris, ex quo copiosissimam hanc messem in horrea nostra contulimus: Bibliothecam Ambrosianam intelligo, quam Federicus S. R. E. Cardinalis gentilis tuus regio animo ac sumptu commoditati publicæ dedicavit, eique tuendæ BORROMÆOS omnes, Sacerdotio insignitos, iisque non extantibus, patres familias, optimo sanè consilio in supremis tabulis præfecit: Noverat enim quæ sit Familiæ institutio, quantusque in literas amor. Ea de causa factum est, ut cùm ætate nostra munus amplissimum ad Te delatum fuerit, studia nostra maximum acceperint incrementum; MSStorum enim codicum omnium, ac typis impressorum copiam nobis fecisti, ita ut dum implendo vasto operi à doctissimo Muratorio instituto totis viribus insisteremus, in hoc latissimo campo amplam messem egerimus, tantusque creverit manipulorum acervus, ut sinè mendacio profiteamur: vix alibi

abun-

abundantiores segetes inveniri potuisse. Utinam quod in votis est Deus Optimus Maximus tribuat, & collectio nostra in vulgus integra quamprimùm exeat, re ipsa quisque comperiet à vero nos non abludere, si talia constanti animo pronunciamus. Signati namque Ambrosiano nomine tot codices enumerantur, ut in nostram ultro sententiam Literatos omnes viros cessuros esse non dubitemus. Sed ultro ipsi nos debitum cuique suum libenti animo persolvamus. Patuerunt etiam & aliæ amplissimæ Bibliothecæ, Principum & doctorum hominum beneficentiâ, & præcipuè Estensis, unde multa etiam & pretiosissima in collectionem nostram contulimus. Horum in numero sunt Caffarorum Annales, ne Magistrum Boncompagnum, & Radulphum Mediolanensem hîc memorem, quos in hoc tomo publici juris fecimus, Nominique Tuo dicatos voluimus, ut numerum Ambrosianorum Codicum augeant, & veluti exotici flores, agrum felicissimum Tuum exornent; Hos igitur, PRINCEPS EMINENTISSIME, *aliundę conquisitos non sinè animi jucunditate perleges; eximias enim Januensis inclytæ Reipublicæ fortunas continent, & fortia gesta illustrium virorum tam in finitimos Pisanos populos, quorum simul Annales recudimus, quàm in dissitas longè regiones & gentes, quousque Imperium suum armis & consilio protelarunt. Succedunt his patriæ Mediolanenses historiæ, quæ gesta Friderici Ænobarbi continent, &*

im-

immanem fœdamque hujus urbis cladem à variis eorum temporum Scriptoribus expressam. Epocha sanè, quam abhorreant memoria calamitatum Insubres Tui; sed non est sinè jucunditate mœror, cùm animadvertimus hinc fuisse lætiora, & veluti è suo rogo renascentem urbem in hanc demum amplitudinem venisse, ut Principum suorum gloria, civium fortitudine, atque industria, ædificiorum elegantia, & soliditate, plures alias post se reliquerit, ac avitum fermè decus post varios casus recuperaverit, unde sibi æternitatem eam juremerito polliceri possit, quam aliæ vel à præsenti fastu ac superbia, vel ab inanibus auguriis ominabantur. Ast ego cùm hæc mente contemplor, statim occurrit felix nobilissimæ Familiæ Tuæ in hanc urbem migratio, non exigua novarum fortunarum pars & ornamentum; cum ea siquidem virtutes omnes huc translatas, & felici germine propagatas nemo inficiabitur, cùm gesta Majorum Tuorum percurrat: nulla quippe laus domi forìsque comparata clariùs enituit, quàm quæ BORROMÆORUM nomina comitatur. Quòd si paulo altiùs historias repetamus, ex Patavina dominatione, ob quam Majores Tui constanti fama celebrantur, præclarum etiam renovatæ urbi decus accrescet, quæ viros inclytos Fortunæ impetu jactatos Ætruriæ invidit, allectosque in gremium accepit, & perpetuò fovit latitudine Dynastiarum, ad Verbanum præcipuè lacum, honestatos,

ut

ut partitam fuisse cum BORROMÆIS imperium propemodum videatur. Quid si Romam ipsam divinarum, atque humanarum rerum dominam à perpetuis in Tuos illecebris & largitionibus amantissimam BORROMÆI nominis argumenter? Quid si frequentes eximias cognationes cum Tuis in medium proferam, quibus tot Summi Pontifices, Sixtus nempe IV. Julius II. Pius IV. Urbanus VIII. Innocentius XI. & novissimè Clemens XI. vetera Familiæ Tuæ decora lucidiùs illustrarunt? Quid si singula Sacerdotia, Episcopales Infulas, & Cardinalitiam dignitatem enumerem, qua Tu quintus inter Tuos donatus es? Quid si civilia, & bellica munera, quæ BORROMÆI per universam ferè Europam feliciter gesserunt? Omnium vice sit amplissimum illud, quo Excellentissimus Comes CAROLUS Frater Tuus CÆSARIS *Procurator, sive Imperialis Vicarius, ut vocant, per universam Italiam inter S. R. I. beneficiarios jus dicit, ea prudentiæ ac justitiæ laude, qua Regnum Neapolitanum felicissimè rexit. Amplissimæ quidem hæ dignitates, quarum vix aliæ in privata fortuna eminentiores, id sibi, cùm in BORROMÆORUM Familiam concesserint, præcipuum nanciscuntur, ut fastui licèt obnoxiæ, cum gentilitia HUMILITATE conjungantur, per quam nemini periculosæ aut invidæ comperiuntur. Id namque tribuendum Sanctitatis ac morum disciplinæ præstantissimo exemplo à Familia Tua*

petito, D. ſcilicet CAROLO, *cujus ut ſortem in Cardinalitia & Archiepiſcopali æquiparas dignitate, ita Tu,* PRINCEPS EMINENTISSIME, *virtutes imitaris, largitione perpetua in pauperes, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ integritate, qua Novarienſem Eccleſiam bonorum omnium plauſu, atque admiratione regis, & exornas. Sed aliis hæc materia laudationum, vel nobis etiam in aliud tempus differatur; interim accipe devotum obſequii noſtri pignus, ac Palatinos Socios, meque Tibi addictiſſimum, qua ſoles humanitate proſequere: creſcent enim animus & vires adversùs opus mole magnum, & inter domeſticos lares Tuos obortum, quo ſit omnibus carius, nobiſque jucundius. Vale.*

Dabam Mediolani pridie Kalendas Auguſti MDCCXXV.

ELENCHUS
TOMI SEXTI.

PETRI DIACONI MONACHI

AC BIBLIOTHECARII SACRI CASINENSIS ARCHISTERII,

DE VIRIS ILLUSTRIBUS CASINENSIBUS,

OPUSCULUM

EX CELEBERRIMA BIBLIOTHECA BARBERINA DEPROMTUM,

Notisque illustratum,

STUDIO ET OPERA

JOANNIS BAPTISTÆ MARI ROMANI,

SANCTI ANGELI IN FORO PISCIUM CANONICI.

IN OPUSCULUM PETRI DIACONI DE VIRIS ILLUSTRIBUS CASINENSIBUS

MONITUM

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

PRimus, qui hunc Petri Diaconi Casinensis Monachi & Bibliothecarii Libellum e tenebris in publicam lucem deduxit, fuit Johannes Baptista Marus Romanus, S. Angeli in foro Piscium Canonicus, qui descriptum ex MSto Codice Bibliothecae Barberinae una cum supplemento Placidi Monachi Casinensis, suisque Notis, edidit Romae Anno 1655. Tum recusus est Liber in Bibliotheca Patrum Tom. XXI. pag. 345. Parisiis quoque Anno 1666., ac demum in Bibliotheca Ecclesiastica a Cl. Viro Johanne Alberto Fabricio Hamburgi Anno 1718. Auctoris nobile genus, acta, & scripta nihil est quod ego recenseam, quum praeter alios de Ecclesiasticis Scriptoribus agentes, Marus ipse in Notis multa de eo attulerit, ut actum agerem, si plura referrem.

Illustrissimo & Reverendissimo
D. JO. BAPTISTÆ BARSOTTO
DE PUCCINIS,

PRÆPOSITO ISNENSI, PROTONOTARIO APOSTOLICO, SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS CONSILIARIO, AC EMINENTISSIMI CARDINALIS AB HARRACH CUBILI PRÆFECTO.

Accedit ad te, ILLUSTRISSIME DOMINE, Libellus iste gemina de causa, sponte mea, & jure suo: Etenim tantam humanitatem, sapientiam, nobilitatemque in te omnes suspicimus, ut non minùs Orbis universus literatorum tibi per benevolentiam connectatur, quàm olim Catenâ Homericâ tellus cœlo conjuncta fuit; neque id mirum mihi, qui singularem tuam indolem perspexi, per quam instauratur apud nos Pythagoricus ille concentus, quem apud superos auditum Veteres memorant. Virtutibus scilicet ac nobilitate abundas, quæ tam jucundè, tam amabiliter, tam canorè penes homines accipiuntur, ut harmoniam plusquam terrestrem efficiant. Testatur genus, & proavos tuos non modò LUCENSIS patria, quæ agnoscit in tuis sanguinem suum, sed illa nobilium animarum parens & altrix Polonia, quæ Joannem Baptistam Puccinum avum tuum Italicorum secretorum apud Augustum Sigismundum conspexit & participem, & interpretem; quem in Germaniam ad Ferdinandum II. Cæsarem, aliosque complures Principes legavit Regiæ voluntatis administrum gratum omnibus, nec sinè ornamento, ac prærogativa ab ipso Cæsare, Principibusque dimissum. Tuas verò virtutes, si per modestiam licet, non sola Roma, non sola Germania, sed omnes penè Provinciæ, ad quas fama tuæ dexteritatis pervenit, laudant & probant. Bohemia certè debet tantum tuæ fidei ac prudentiæ, ut Eminentissimus Pragæ Archiepiscopus non alium delegerit, ac velit Romæ suarum rerum curatorem quàm te. Numquam orationis finem facerem si vellem reliqua & innata, vel collata tibi à Principibus ornamenta describere; & præterea tuæ modestiæ injuriam facerem, & fortasse feci; sed hæc fuere indicanda, ut constaret Libellum istum sponte sua ad te accedere: Magnes est virtus; non modò corda, sed etiam opuscula hoc magnete trahuntur.

Verùm non modò sponte sua, sed etiam jure suo ad te properat, tibique debetur. Quisnam ignorat quantum ames sacram Divi Benedicti familiam? quanta mediteris ad illius splendorem augendum? quanta pietate Sublacense Cœnobium frequentes, colas & venereris? Nec immeritò: Hìc enim summus ille Christianæ Sanctimoniæ Athleta & Magister per ingens miraculum venenata pocula elusit, Stygias insidias evasit, tam insignis deque Ecclesia optimè meriti Ordinis fundamenta jecit, quodque stupendum est, tot in dies è cœlo largitur fluenta gratiarum, ut videatur esse locus hujusmodi officina cœlestis liberalitatis; ut omittam Summorum Pontificum Paschalis II. Urbani V. Leonis IX. Clementis III. & VI. Eugenii IV. Joannis X. Benedicti VI. ac ipsius Sancti Gregorii Magni testimonia, quibus Sublacense Benedicti Sacrarium commendatur, tanquam & Ecclesiæ thesaurus, & Benedictinæ Familiæ Seminarium.

Porrò hic liber est scriptus à Petro Diacono Monacho, ac Bibliothecario Casinensi, nec aliud complectitur quàm notitiam lucubrationum, moresque Virorum Illustrium Casinensium, hoc est propria & immortalia ornamenta ejusdem Ordinis, cui tu tantum tribuis, adeòque ad te jure suo accedit, tuo etiam patrocinio & ære sublevandus. Vale.

Joannes Baptista Marus F.

LECTORI.

Dialogos Victoris Papæ Tertii (*), olim Desiderii Abbatis Casinensis, inter blattas & tineas conflictantes, annis præteritis è Vaticana Bibliotheca depromtos, cùm in lucem protraxerimus; quidam diobularis sciolus illis perlectis, virtutes Casinensium non nimis extollere conquestus est; critica fronte asserens, perpauca, aut nulla fuisse ea, ad quæ perscribenda, & pervulganda ingenium Casinenses contulerint; neminemque ferè se in gravioribus conscribendi laboribus exercuisse, honestissimæ gloriæ stimulis concitatum aliquid exarasse. Hactenus nimis profectò patienter hominem insulsiùs obtrectantem audivimus, cujusque etiamsi omnia dicta referre vellemus, planè esset otio nostro abuti, præsertim cùm scriptis prodigia se editurum elato supercilio promiserit.

O rem ridiculam, Cato, & jocosam,
Dignamque auribus, & tuo cachinno!

Licèt enim Ordo Monasticus semper obtrectatores suos habuerit, ut rectè prodiderunt SS. Hieronymus pluribus in locis, & Chrysostomus in illo præclaro vitæ Monasticæ Clypeo, & alii antiquiores: nunquam tamen audaciùs hoc nostro sæculo id factum est ab impudentibus Hæreticis, apud quos in tantam devênit detestationem idem Monasticus Ordo, ut nonnulli solo intuitu à librorum quamvis optimorum lectione abstineant, quòd Monachi nomine sint tantùm prænotati; locumque etiam proverbio plerumque faciant, *Monacho indoctior*, quæ risum quoque movere possent Heraclito obstinatè lugenti: imò nec defuit quidam misogramma, qui in detestationem, atque derogationem Monachorum scribere non erubuerit, verecundante charta, & ipso atramento in minium verso ad tantum impudentiæ promptuarium, nonnullos Sanctos Patres Monastico titulo designatos, ut opera eorum in dubium revocaret, numquam fuisse in Monachorum numerum adscitos; dementissimè existimans tam solidum, validumque esse hoc unicum, enerve, ac ficulneum argumentum, ut exolutus perinde fuerit onere cætera probandi. Et quamvis nimis falsa non sint refellenda, ne videantur posse esse credibilia, ut rectè dixit Sanctus Athanasius epistolâ ad Epictetum, approbante Sancto Epiphanio hæref. 77. Attamen nos ne in superbiam, vel ignorantiam silentium nostrum (licèt noscamus, quàm nobis sit curta suppellex) iste nugivendulus accepturus sit, haud ignorantes insuper multos homines esse judicii parum firmi, qui nihil audiunt, leguntve, quod non credunt, nisi refutatum sciant; nulla interposita mora, memores Ulpiani sententiæ de verb. signif. L. 12. §. 1. *Minus solvit, qui tardiùs solvit: nam & tempore minùs solvitur;* præclarique etiam magni auctoris dicti: *Barbaris cunctatio servilis: statim exequi, regium*. Opusculum istud pro re nata inter tenebras delitescens de Viris Illustribus Casinensibus à Clarissimo Viro *Petro* Diacono Monacho, ac Bibliothecario ejusdem Cœnobii conscriptum, hactenus ineditum, à pluribusque viris eruditis diu quoque expetitum, nobis è celeberrima Barberina Bibliotheca suppeditatum, singulari humanitate, ac beneficentia V. Clar. Caroli Moroni, ad maledicta istius obtrectatoris evertenda, ipsumque convincendum, tibi verò, benigne Lector, & bono publico promulgandum duximus; cui etiam ob argumenti similitudinem adjungimus Supplementum manu exaratum Virorum pariter Illustrium Casinensium, per *Placidum* Romanum Monachum, ac Diaconum ejusdem Archisterii conflatum. Parvum quidem, atque exiguum fatemur; (neque enim res tam numero & magnitudine, quàm pretio, & pondere, æstimandæ sunt) sed accuratè, cogitatèque scriptum à nostro Petro, qui anno MCXV. quo in vivis agebat, multa prodidit, quæ historiam Ecclesiæ illustrant, ut legere est apud Leonem Ostiensem in Chronico Casinensi, cujus tertium librum ipse supplevit, & quartum ei adjecit: pergratum, ac utilem futurum etiam iis, qui scientiarum studiis ducuntur, auctorum, librorumque cognitione capiuntur; multa sanè in hoc opusculo, maximèque in nostris indicantur notis, quæ publicam merentur lucem, dum è abditis diversorum educitur veterum Scriptorum notitia, quorum libri intercidisse credebantur; qua spreta librorum auctorum notione, in tenebris forsan perpetuò jacuissent; & ut tumulus corpus contegit, sic nomen eorum in omnem ferè ætatem obruisset, eorumque dein lucubrationes in privatis sepultæ Bibliothecis remansissent, magno certè rei literariæ damno; cùm hac tempestate magna doctrinæ pars existimanda sit, scire, qui libri Auctorum legendi, qui non legendi sint: Necessarium enim est haud ignorare, qui scripserint, & de qui-

(*) Hi Victoris III. Dialogi, de quibus infra, impressi sunt T. XVIII. Bibliothecæ Patrum, edit. Lugd.

quibus scripserint, fontesque nosse, unde hauriri possint ea, quæ vel ad scientias alendas, virtutes procreandas, vel detestanda vitia, magno usui sint futura; cùm absque Bibliothecis fermè inermis sit Religio, & inanis sapientia. Hæc autem consideratio, & per se jucunda, ac ingenuo homine digna est, cum ad delectum Auctorum, tum ad excitandos animos studiosorum plurimum faciat: quemadmodum Miltiadis trophæa Themistoclem dormientem excitabant: sic doctorum hominum volumina, quæ in hoc libello commemorantur, ad laborem, laudemque studiosorum animos inflammare debebunt: Et sicut omni solatio viri docti privari videntur, cùm illis lectio interdicitur, ut olim nonnullis irrogatum hoc pœnæ genus legitur à Tiberio apud Svetonium: *Quibusdam*, inquit, *custodia traditis, non modò studendi solatium ademptum; sed etiam sermonis, & colloquii usus*: sic omne solamen ex lectione recipiunt. Fassus est id Angelicus Doctor, qui sacrarum literarum monimenta tanti faciebat, ut de more diceret, *se unius B. Chrysostomi homilias, urbi Parisiensi divitiis omnibus refertissimæ, sed vel ipsis Imperiis, seriò anteponere*. Libri profectò veluti studiorum instrumenta medullitus delectant, colloquuntur, consulunt, & viva quadam nobis, atque arguta familiaritate junguntur. *Sola denique scripta sunt, quæ mortales quadam famæ immortalitate perpetuant, & actibus veterum, quos traducunt ad posteros, nullam permittunt obrepere vetustatem;* docet Petrus Blesensis epist. 77. Unde verè Martialis:

— Chartis, nec furta nocent, nec secula præsunt,
Solaque non norunt hæc monumenta mori.

Possidius namque in calce vitæ Sancti Augustini, ejus perpetuam fore memoriam ob libros conscriptos, haud falsus vates confirmavit; adducto etiam hoc secularis Poëtæ de se loquentis epitaphio, quod tumulo suo adscribi voluit:

Vivere post obitum vatem, vis nosse, viator?
Quod legis, ecce loquor: vox tua nempe mea est.

Præterea operæ pretium est nosse, non solùm innumerabiles ferè Monachos ex hac nobilissima Academia Casinensi prodiisse cujusvis doctrinæ genere refertos; verùm etiam assidua fuisse diligentia, pietate, ac intentione, Sanctorum Patrum, aliorumque Virorum doctorum volumina exscribendi; ut postea in rebus dubiis ad MSS. Codices, & antiquos impressos, ex quibus veræ lectiones restituuntur, tanquam ad oracula quædam tutissimè viri docti, ac eruditi confugere valerent; quod lege caverunt prudentissimi Imperatores Theodosius & Valentinianus lib. 1. C. Theodos. de responsis Prudentum: cùm non modò auctoribus plerisque deficimur, sed etiam hi, qui ad manus, non æquè omnes emendati sunt. Unde planè ridiculi censeri debent, qui emendato ne, an inemendato libro utantur, sua nihil putant interesse; cùm certè si depravatis utimur Codicibus, nil aliud superest, nisi, ut Ixioni similes umbram pro re, errorem pro scientia amplectamur. Præmissa hac igitur animadversione, subnectenda venit hæc observatio, tantam nempe diligentiam in accuratè exscribendo Fidelium illam prisci ævi pietatem adjunxisse; ut nec promiscuè omnibus Evangelium, Psalterium, aut Missale exscribere licitum fuerit; sed perfectæ ætatis homines huic muneri eligebantur, ut errores magìs caverent. Quod notatum legitur in capitulari Aquisgranensi cap. 72. *Si opus est Evangelium, vel Psalterium, & Missale scribere, perfectæ ætatis homines scribant cum omni diligentia*. Et quidem nullus labor, qui manibus exercetur, magìs Monachis convenit, quàm officium scribendi; cùm illud sit manu hominibus prædicare, digitis linguas aperire, salutem mortalibus tacitam dare. Vide quæ Gerson latè disputavit integro libro de laude Scriptorum, hoc est Exscriptorum, sive Amanuensium; ac Trithemium, qui pariter integrum de laudibus ipsorum conscripsit librum: adi Theophilum Raynaudum Societatis Jesu, alterum penè Didymum Chalcenterum de bonis, ac malis libris partit. 3. erotem. 4. fol. 309. Tantaque etiam industria, ac studio incredibili insuper usi esse traduntur; ut continuò velut uno opere eandem incudem diu, noctuque tundentes, scriptos Codices aliqui artificiosè conglutinarent, mira animi attentione corrigerent alii, rubro cæteri exornarent; Theodosii Imperatoris exemplum imitantes, qui cùm à publicis vacaret, libros sacros tanta elegantia scriberet, ut Calligraphi nomen inde acceperit; testis est Raderus in Aula sacra cap. 6. Imò illotis manibus sacros Codices contingere, piaculum ulterius existimaverint. Quod simile quidpiam etiam à Gentilibus factitatum reperimus, ita tamen, ut præter manus, etiam pedes, auresque lustrarent. Plutarchus orat. 2. de esu carnium ita loquitur: *Quamquam nos fortasse peccamus, qui libros istos attingimus non lustratis manibus, pedibus, auribus*. Quàm verò gratus Divinæ bonitati esset labor iste exscribendi, perspicuo, ac evidenti miraculo declaratus agnoscitur; dum Trithemius memorat de laudibus scriptor. man. cap 6. fuisse in quodam

dam Cœnobio Benedictinorum quendam Monachum, qui in scribendis ad ornatum Bibliothecæ voluminibus, sedulum, elaboratumque ponebat studium; ita ut quotiescunque à divino potuisset vacare officio, ad secreta cellæ se conferens huic sancto labori insisteret; unde & multa Sanctorum opuscula cum ingenti devotione descripserit. Hujus mortui ossa cùm post multos annos exhumarentur, tres digiti dextræ manus, quibus tot volumina scripserat, tam integri, & incorrupti inventi sunt, acsi eodem tempore sepulchro fuissent impositi; reliquum autem corpus, ut moris est, consumptum ad ossa fuerit. Simile etiam factum de Richardo Anglo Præmonstratensi legere est apud Cæsarium lib. 12. cap. 47. Hinc viri pietate ac eruditione insignes, Divinam providentiam tanti habere laborem istum exscribendi animadvertentes (ne multa Sanctorum Patrum, Ecclesiasticorumque Scriptorum monumenta perirent, quod facilè evenisset, nisi Monachorum operâ ad posteros fuissent transmissa) in florentissimam Academiam Casinensem, veluti literarum tunc temporis Seminarium, innumerabilem penè MSS. ac Impressorum copiam transtulerunt; ita ut hodie in tota Italia nulla sit paulò celebrior Bibliotheca, quæ non aliqua ex parte ipsorum nobilibus thesauris locupletetur. Vide quæ notavit noster Petrus in Auctario histor. Casinens. lib. 3. cap. 62. edit. Venetæ, de libris, quos solùm Desiderius Abbas, deinde Victor Papa Tertius, exscribi curavit; & tunc non immeritò fidem nobis dabis; velleque propterea sacrum Asceterium Casinense eruditionis merita laude spoliare, est rem manifestam negare, non secus atque olim Zeno motum è rerum natura sustulit, nivi candorem detraxit Anaxagoras; & Soli concessam ab omnibus Astronomis magnitudinem Epicurus. Facessant denique hæc ludicra risu potiùs despicanda, quàm disputatione seria confutanda; & producamus, post fabulam tantam istius polymythi sycophantæ, id, quod illustris ille Ecclesiasticæ antiquitatis præco Cardinalis Baronius tom. 9. anno 716. suis Annalibus de Casinensibus intexuit: *Sed & illud*, inquit, *absque trepidatione mendacii asseri jure potest: nullum unquam toto Christiano Orbe extitisse aliquando Monasterium, ex quo tot viri sanctitate conspicui, atque doctrina, tanta numerositate, ad regimen sanctæ Apostolicæ Sedis adsciti fuerint; ut planè dici possit, fuisse idem aliquando Seminarium sacrorum Antistitum, prout quæ suo loco dicturi sumus manifestè docebunt*. Vertat nunc igitur se in omnes formas Proteus iste, & Casinensium Academiam, ut libet, oppugnet simul cum iis, qui in ipsa fæce ignorantiæ volutati, omnibusque pudoris repagulis perfractis, otiosam appellarunt, omnisque rei literariæ expertem etiam crediderunt. Hæc tibi, benigne Lector, significare voluimus, umbraticos impugnatores, dentesque Theoninos Casinense Archisterium Cœnobitarum sanctitate, ac doctrina celeberrimum non metuere, cùm tantorum Doctorum refugium sibi ipsi patêre videat; totque ex se tanquam præclaros genuisse filios, qui ingenii sui monumentis, omnique bonarum literarum genere Christi Ecclesiam locupletarunt. Veritas defensore non eget, & mendacium plerumque cadere nullo impellente, ac se ipsum subvertere, dixisse Augustinum memor esto. Demum ne mireris obnixè precamur, si non cunctos noster Petrus scriptores Casinenses, & omnes eorum, quorum meminit, lucubrationes recensuerit; præsertim cùm pedem è navigio ponere animus ei non fuerit; quod facilè dignoscimus è scriptis ejus, uti è vestigio Hercules: sed pro certo habendum, multa diversorum Scriptorum monumenta, superstite Petro, adhuc in diversis privatis Bibliothecis latitasse, omniaque propterea legere, aut expiscari ex animi sententia non valuisse; maximè hominem publicis, privatisque negotiis districtum, commodiori tempore omnes annotaturum. Et si fortè, mi Lector, hæc minus ad gustum tuum; en patrocinium: scias quòd ab indiligentiæ crimine tueri eum possumus, non solùm exemplo, quòd neque Trithemius, aut Pantaleo, aut Cornelius Callidus, cùm de Germanis, neque Sammarthanus cùm de Gallis; neque Ferd. Matamorus, cùm de Hispanis; neque Folieta, cùm de Liguribus; neque Miræus, cùm de Flandris; neque Hebediesu, cùm de Chaldæis (beneficio Vir. Clar. Abrahami Ecchellensis ex tenebris, atque obscura caligine anno præterito eductus, eruditissimisque notis illustratus) neque alii, cùm de Civibus suis, aut sociis scriberent; omnes tunc simul complexi sunt; quos majori forsan adhibita diligentia, aut fortuna magìs propitia complecti potuissent: verùm etiam sententia Varronis, qui ajebat, neminem reprehensum esse, qui stipulam reliquisset ad spicilegium: quod confirmavit Columella de re rustica. *In magna sylva*, inquiens, *boni venatoris est, feras indagare: quamplurimas capere, neque cuiquam culpæ fuit, non omnes cepisse*, præsertim, cùm munere suo quisquis bene fungitur, si avido Lectori famem utcunque sedat, quamvis non penitùs eximat. Et ut rem dicamus; si olim Civem unum servanti civica donabatur, quamnam coronam plectere debebunt musici omnes κισσοφόροι nostro

quibus scripserint, fontesque nosse, unde hauriri possint ea, quæ vel ad scientias alendas, virtutes procreandas, vel detestanda vitia, magno usui sint futura; cùm absque Bibliothecis fermè inermis sit Religio, & inanis sapientia. Hæc autem consideratio, & per se jucunda, ac ingenuo homine digna est, cum ad delectum Auctorum, tum ad excitandos animos studiosorum plurimum faciat: quemadmodum Miltiadis trophæa Themistoclem dormientem excitabant: sic doctorum hominum volumina, quæ in hoc libello commemorantur, ad laborem, laudemque studiosorum animos inflammare debebunt: Et sicut omni solatio viri docti privari videntur, cùm illis lectio interdicitur, ut olim nonnullis irrogatum hoc pœnæ genus legitur à Tiberio apud Svetonium: *Quibusdam*, inquit, *custodia traditis, non modò studendi solatium ademptum; sed etiam sermonis, & colloquii usus:* sic omne solamen ex lectione recipiunt. Fassus est id Angelicus Doctor, qui sacrarum literarum monimenta tanti faciebat, ut de more diceret, *se unius B. Chrysostomi homilias, urbi Parisiensi divitiis omnibus refertissimæ, sed vel ipsis Imperiis, seriò anteponere.* Libri profectò veluti studiorum instrumenta medullitus delectant, colloquuntur, consulunt, & viva quadam nobis, atque arguta familiaritate junguntur. *Sola denique scripta sunt, quæ mortales quadam famæ immortalitate perpetuant, & actibus veterum, quos traducunt ad posteros, nullam permittunt obrepere vetustatem;* docet Petrus Blesensis epist. 77. Unde verè Martialis:

— Chartis, nec furta nocent, nec secula præsunt,
Solaque non norunt hæc monumenta mori.

Possidius namque in calce vitæ Sancti Augustini, ejus perpetuam fore memoriam ob libros conscriptos, haud falsus vates confirmavit; adducto etiam hoc secularis Poëtæ de se loquentis epitaphio, quod tumulo suo adscribi voluit:

Vivere post obitum vatem, vis nosse, viator?
Quod legis, ecce loquor: vox tua nempe mea est.

Præterea operæ pretium est nosse, non solùm innumerabiles ferè Monachos ex hac nobilissima Academia Casinensi prodiisse cujusvis doctrinæ genere refertos; verùm etiam assidua fuisse diligentia, pietate, ac intentione, Sanctorum Patrum, aliorumque Virorum doctorum volumina exscribendi; ut postea in rebus dubiis ad MSS. Codices, & antiquos impressos, ex quibus veræ lectiones restituuntur, tanquam ad oracula quædam tutissimè viri docti, ac eruditi confugere valerent; quod lege caverunt prudentissimi Imperatores Theodosius & Valentinianus lib. 1. C. Theodos. de responsis Prudentum: cùm non modò auctoribus plerisque deficimur, sed etiam hi, qui ad manus, non æquè omnes emendati sunt. Unde planè ridiculi censeri debent, qui emendato ne, an inemendato libro utantur, sua nihil putant interesse; cùm certè si depravatis utimur Codicibus, nil aliud supersit, nisi, ut Ixioni similes umbram pro re, errorem pro scientia amplectamur. Præmissa hac igitur animadversione, subnectenda venit hæc observatio, tantam nempe diligentiam in accuratè exscribendo Fidelium illam prisci ævi pietatem adjunxisse; ut nec promiscuè omnibus Evangelium, Psalterium, aut Missale exscribere licitum fuerit; sed perfectæ ætatis homines huic muneri eligebantur, ut errores magis caverent. Quod notatum legitur in capitulari Aquisgranensi cap. 72. *Si opus est Evangelium, vel Psalterium, & Missale scribere, perfectæ ætatis homines scribant cum omni diligentia.* Et quidem nullus labor, qui manibus exercetur, magis Monachis convenit, quàm officium scribendi; cùm illud sit manu hominibus prædicare, digitis linguas aperire, salutem mortalibus tacitam dare. Vide quæ Gerson latè disputavit integro libro de laude Scriptorum, hoc est Exscriptorum, sive Amanuensium; ac Trithemium, qui pariter integrum de laudibus ipsorum conscripsit librum: adi Theophilum Raynaudum Societatis Jesu, alterum penè Didymum Chalcenterum de bonis, ac malis libris partit. 3. erotem. 4. fol. 309. Tantaque etiam industria, ac studio incredibili insuper usi esse traduntur; ut continuò velut uno opere eandem incudem diu, noctuque tundentes, scriptos Codices aliqui artificiosè conglutinarent, mira animi attentione corrigerent alii, rubro cæteri exornarent; Theodosii Imperatoris exemplum imitantes, qui cùm à publicis vacaret, libros sacros tanta elegantia scriberet, ut Calligraphi nomen inde acceperit; testis est Raderus in Aula sacra cap. 6. Imò illotis manibus sacros Codices contingere, piaculum ulterius existimaverint. Quod simile quidpiam etiam à Gentilibus factitatum reperimus, ita tamen, ut præter manus, etiam pedes, auresque lustrarent. Plutarchus orat. 2. de esu carnium ita loquitur: *Quamquam nos fortasse peccamus, qui libros istos attingimus non lustratis manibus, pedibus, auribus.* Quàm verò gratus Divinæ bonitati esset labor iste exscribendi, perspicuo, ac evidenti miraculo declaratus agnoscitur; dum Trithemius memorat de laudibus scriptor. man. cap 6. fuisse in quodam

dam Cœnobio Benedictinorum quendam Monachum, qui in scribendis ad ornatum Bibliothecæ voluminibus, sedulum, elaboratumque ponebat studium; ita ut quotiescunque à divino potuisset vacare officio, ad secreta cellæ se conferens huic sancto labori insisteret; unde & multa Sanctorum opuscula cum ingenti devotione descripserit. Hujus mortui ossa cùm post multos annos exhumarentur, tres digiti dextræ manus, quibus tot volumina scripserat, tam integri, & incorrupti inventi sunt, acsi eodem tempore sepulchro fuissent impositi; reliquum autem corpus, ut moris est, consumptum ad ossa fuerit. Simile etiam factum de Richardo Anglo Præmonstratensi legere est apud Cæsarium lib. 12. cap. 47. Hinc viri pietate ac eruditione insignes, Divinam providentiam tanti habere laborem istum exscribendi animadvertentes (ne multa Sanctorum Patrum, Ecclesiasticorumque Scriptorum monumenta perirent, quod facilè evenisset, nisi Monachorum operâ ad posteros fuissent transmissa) in florentissimam Academiam Casinensem, veluti literarum tunc temporis Seminarium, innumerabilem penè MSS. ac Impressorum copiam transtulerunt; ita ut hodie in tota Italia nulla sit paulò celebrior Bibliotheca, quæ non aliqua ex parte ipsorum nobilibus thesauris locupletetur. Vide quæ notavit noster Petrus in Auctario histor. Casinens. lib. 3. cap. 62. edit. Venetæ, de libris, quos solùm Desiderius Abbas, deinde Victor Papa Tertius, exscribi curavit; & tunc non immeritò fidem nobis dabis; velleque propterea sacrum Asceterium Casinense eruditionis merita laude spoliare, est rem manifestam negare, non secus atque olim Zeno motum è rerum natura sustulit, nivi candorem detraxit Anaxagoras; & Soli concessam ab omnibus Astronomis magnitudinem Epicurus. Facessant denique hæc ludicra risu potiùs despicanda, quàm disputatione seria confutanda; & producamus, post fabulam tantam istius polymythi sycophantæ, id, quod illustris ille Ecclesiasticæ antiquitatis præco Cardinalis Baronius tom. 9. anno 716. suis Annalibus de Casinensibus intexuit: *Sed & illud*, inquit, *absque trepidatione mendacii asseri jure potest: nullum unquam toto Christiano Orbe extitisse aliquando Monasterium, ex quo tot viri sanctitate conspicui, atque doctrina, tanta numerositate, ad regimen sanctæ Apostolicæ Sedis adsciti fuerint; ut planè dici possit, fuisse idem aliquando Seminarium sacrorum Antistitum, prout quæ suo loco dicturi sumus manifestè docebunt*. Vertat nunc igitur se in omnes formas Proteus iste, & Casinensium Academiam, ut libet, oppugnet simul cum iis, qui in ipsa fæce ignorantiæ volutati, omnibusque pudoris repagulis perfractis, otiosam appellarunt, omnisque rei literariæ expertem etiam crediderunt. Hæc tibi, benigne Lector, significare voluimus, umbraticos impugnatores, dentesque Theoninos Casinense Archisterium Cœnobitarum sanctitate, ac doctrina celeberrimum non metuere, cùm tantorum Doctorum refugium sibi ipsi patêre videat; totque ex se tanquam præclaros genuisse filios, qui ingenii sui monumentis, omnique bonarum literarum genere Christi Ecclesiam locupletarunt. Veritas defensore non eget, & mendacium plerumque cadere nullo impellente, ac se ipsum subvertere, dixisse Augustinum memor esto. Demum ne mireris obnixè precamur, si non cunctos noster Petrus scriptores Casinenses, & omnes eorum, quorum meminit, lucubrationes recensuerit; præsertim cùm pedem è navigio ponere animus ei non fuerit; quod facilè dignoscimus è scriptis ejus, uti è vestigio Hercules: sed pro certo habendum, multa diversorum Scriptorum monumenta, superstite Petro, adhuc in diversis privatis Bibliothecis latitasse, omniaque propterea legere, aut expiscari ex animi sententia non valuisse; maximè hominem publicis, privatisque negotiis districtum, commodiori tempore omnes annotaturum. Et si fortè, mi Lector, hæc minus ad gustum tuum; en patrocinium: scias quòd ab indiligentiæ crimine tueri eum possumus, non solùm exemplo, quòd neque Trithemius, aut Pantaleo, aut Cornelius Callidus, cùm de Germanis, neque Sammarthanus cùm de Gallis; neque Ferd. Matamorus, cùm de Hispanis; neque Folieta, cùm de Liguribus; neque Miræus, cùm de Flandris; neque Hebediesu, cùm de Chaldæis (beneficio Vir. Clar. Abrahami Ecchellensis ex tenebris, atque obscura caligine anno præterito eductus, eruditissimisque notis illustratus) neque alii, cùm de Civibus suis, aut sociis scriberent; omnes tunc simul complexi sunt; quos majori forsan adhibita diligentia, aut fortuna magis propitia complecti potuissent: verùm etiam sententia Varronis, qui ajebat, neminem reprehensum esse, qui stipulam reliquisset ad spicilegium: quod confirmavit Columella de re rustica. *In magna sylva*, inquiens, *boni venatoris est, feras indagare: quamplurimas capere, neque cuiquam culpæ fuit, non omnes cepisse*, præsertim, cùm munere suo quisquis bene fungitur, si avido Lectori famem utcunque sedat, quamvis non penitùs eximat. Et ut rem dicamus; si olim Civem unum servanti civica donabatur, quamnam coronam plectere debebunt musici omnes κιονοφόροι nostro

ſtro Petro, dum non unius, ſed plurium illuſtrium virorum nomina ab interitu vindicavit, theſauroſque elucidavit inviſos? Uni ſapienti notum eſt, quanti res quæque taxanda ſit. Denique ſuperfluam rem etiam nos non agere, cùm jam de Scriptoribus Caſinenſibus Trithemius, Arnoldus Wion, aliique abundè quoque id præſtiterint, in eorum indice non tam ſollicitos fuiſſe, inſcius ne ſis, quin multos non agnoverint; & quos agnoviſſe ſe referunt, ſingula accuratè eorum poſtea non recitaſſe opuſcula. Fruere igitur, ſtudioſe Lector, Caſinenſium laboribus, tibique perſuadeas: quòd ſi amor, ſtudiumque literarum te incendit (licèt fateamur ingenuè, multos literarum cepiſſe tœdium, quia vident ea facta eſſe inimicorum retia, quæ honeſti erant animi inſtrumenta) ex polymathiæ Caſinenſis theſauris aliqua iſtorum Heroum literariorum ſcripta tranſcribere, vel excuſa cum MSS. conferre; ſcito noſtris temporibus librorum pretium te non remoraturum; ſicuti de Platone legitur, qui tres Philolai Pythagorici libros decem millibus denariûm, etiam in difficultate rei familiaris, eſt mercatus, ex quibus plura in ſuum deinde Timæum uſurpavit, ut auctor eſt Juriſconſultus Gallus Antiq. Roman. lib. 4. par. 2. cap. 16. & de Ariſtotele, qui creditur libros pauculos Speuſippi emiſſe tribus talentis Atticis, quorum ſumma ſit apud Romanos H.S. duo & ſeptuaginta millia, teſte A. Gellio lib. 3. cap. 17. Nec etiam animum tuum perturbatum, ignavumque reddere debebit exemplum Nicolai V. Summi Pontificis, qui ducatorum quinque millia ad ſe Evangelium Divi Matthæi Hebraïcum afferenti promiſerat, ut ſcribit Eckius homil. de Sancto Matthæo; cùm Caſinenſes non inducti pecunia, ſed ſtudio gloriæ divinæ, benevolentia, ac liberalitate paratos ſe offerunt tibi illa prodere; & tanquam te veterum ſcriniorum excuſſorem, manuſcriptorumque exemplarium conquiſitorem agnoſcentes, ad illa evulganda cohortabuntur, impellent, gratique animi calcaribus inſuper perurgebunt. Reminiſci quoque te volumus, favore, non odio, dignam hanc noſtram eſſe propenſiſſimam bene de Republica literaria merendi voluntatem: dum totum noſtrum ſtudium hiſce theſauris reperiendis, tuo, & bono publico impendimus. Ave mi Lector, & fave.

PETRI



Placido Romoli inv. et del. Gio. Batta Sintes Sculp. Rom.

PETRI DIACONI MONACHI ET BIBLIOTHECARII CASINENSIS DE VIRIS ILLUSTRIBUS EJUSDEM SACRI ARCHISTERII *OPUSCULUM.*

PROLOGUS.

COactus assiduis tuis imperiis, Pandulphe Præsul venerande, arduam, difficillimamque rem apicibus exarare sum orsus; Illustrium scilicet Virorum Casinensis Archisterii librum. Opusculum isto in tempore novum, oblivionique penè jam traditum; quod utinam qui perspexerint, cum quanta cordis id mœstitia scripserim, advertere valeant: Nam stupor, & hebetudo ingens nostri opplevit pectoris arcem, cur à sexcentis ferme jam annorum curriculis in Casinensi Gymnasio non extiterit, qui hunc vilibus saltem, mandaret schedulis librum, & hoc non causa inscitiæ, sed laborem, ac detrahentium linguas fugiendo accidit. Nunc enim illud Deiloqui est consummatum oraculum: in quo perspicimus homines semetipsos amantes, & quæ sua sunt quærentes, non quæ Jesu Christi, detractionique ardentissimè operam dantes. Et primò quidem a Tranquillo, Græcoque Apollonio cœptum, sed ab Illustrissimis Viris Hieronymo, Gennadio, atque Isidoro apud Romanos ad finem est usque perductum. Et quamvis ab aliis nihil est tam operosè actum, quod non Hieronymi eloquentia superet; post istorum tamen è mundo recessum, nullus inventus est, qui illud ad calcem perduceret. Guido præterea noster institutor, moribus vitaque præcipuus, ante hoc ferme septennium, Opusculum scribere aggressus est istud; sed laboriosum inibi videns jacere materias ea dimisit facilitate, qua cœperat: quòd si ille, longè me in sermone, sensuque præpollens, rem cœptam dimisit; ego qui acumine mentis iners, sermoneque impolitus, & variis rebus sum implicatus, quid acturus sum? Sed ad ea quæ imminent, stylus sequens vertatur.

CAPUT PRIMUM.

DE SANCTO BENEDICTO.

BEnedictus Monachorũ institutor, Vir egregius, ac post Apostolos singularis, Provinciæ Nursiæ extitit oriundus, ex patre Eupropio nomine, matre Abundantia, avo Justiniano, nutrice Cyrilla.

Postquam duodecim Monasteria Christo adjuvante construxit temporibus Justiniani Imperatoris, prædictas cellas sub Præpositis ordinans, divino ad se facto responso, duobus Angelis comitantibus, ad Evangelium prædicandum, Paganosque ad Christum convertendos, Casinum advênit; ubi templa idolorum destruens, Cœnobium construens, circummanentes Paganos ad Christum convertit. Scripsit autem jam senex in eodem Casinensi Cœnobio Monachorum Regulam, discretione præcipuam, sermone luculentam, epistolas verò duas; primam ad Remigium Rhemensem Archiepiscopum; secundam ad Maurum suum

suum discipulum, quem in Galliis ad prædicandum direxerat, elegantissimo sermone composuit. Fuit autem temporibus Anastasii, Zenonis, Justini, & Justiniani Imperatorum; sepultus verò est in Casino in Ecclesia Sancti Joannis Baptistæ ante altare, ubi à toto orbe venerabiliter honoratur.

ANNOTATIO.

NUrsiæ ex Patre Anicio Eupropio, & Abundantia matre, ex illustri Riguardatorum familia; unica Nursini Comitis filia, facultatumque ejus, ac cognominis hærede, Sanctus Benedictus Natione Romanus, Monachorum in Occidente antesignanus ac princeps, eodem cum sorore Scholastica partu nascitur Anno Domini CCCCLXXX. quibus editis, mortua est mater; quasi jam satis vixisset, cùm tantos talesque relinqueret posteros; nec alia videretur nupsisse causa, quàm ut talium Sanctorum fieret mater. Ejus res gestas non solùm Sanctus Gregorius Papa Magnus, omnium virtutum Magister, fusè prosequutus est libro II. Dialogorum (quem Gregorii librum Ingolstadienses græcolatinum annis superioribus publicarunt) verùm etiam ambitioso quasi præconio Alexander Secundus, Victor Secundus, Summi Pontifices: Joannes Trithemius, Cardinalis Baronius, ac Arnoldus Wion, qui Lignum vitæ duobus tomis complexus est, in quo propago tanti Patris accuratissimè conscripta est, copiosè tradiderunt. Videndus etiam Benedictus Hæftenius, Monasterii Afsligeniensis Præpositus lib. disquisit. Monast. prolegom. I. in Vita Sancti Benedicti, diffusè de eo agens.

Præter memorata à nostro Petro conscripsit etiam Patriarcha Benedictus *De Ordine Monasterii*, qualiter, inquit, à Fratribus religiosè ac studiosè conversari, ac Domino militare oportet, librum unum, qui incipit: *In primis nocturnis horis*. Hic verò liber, unà cum Regula excusus fuit apud Junctas Venetiis Anno MDLXXXXIII. in 16. procurante Arnoldo Wione, quamvis in hoc opusculo quædam occurrant verba, quæ suspicionem ingerunt, ut Sancto Benedicto non videatur hic liber tribuendus; pro qua re lege dictum Hæftenium fol. 1062. Literis etiam consignavit sermonem in discessu Sancti Mauri, cujus initium: *Si tristandum, dilectissimi*, qui integer habetur in Martyrologio Benedictinorum Arnoldi Wionis ad diem XIV. Januarii: Sermonem pariter in passione Sancti Placidi, & Sociorum his verbis: *Sicut patris est gaudere*. Hic verò excusus est in epistola Siculorum ad Sanctum Benedictum, quæ ad calcem Casinensis Chronici editionis Venetæ fuit adjecta. Supradicta opuscula simul colligata reperies in novissima Bibliotheca Sanctorum Patrum, & postremo loco in Theologia Regular. Cl. Viri Patris Caramuelis Ord. Cisterciensis, doctissimis etiam illustrata commentariis. Notandum verò, quòd licèt epistola ad Sanctum Remigium, quæ in fine dicti Chronic. Casin. & alibi legitur, in dubium à Cardin. Baronio Tom. VI. Annal. Anno DCCVII. unà cum tota historia revocetur; lapsumque ex nominum similitudine irrepsisse putet: attamen cùm eam veram Petrus Thiræus lib. singul. de Dæmoniacis agnoscat, nec post edita Baronii scripta quidquam insinuet dubitationis, defendendo etiam eam Antonius de Yepes in Chr. Ord. Balduinus Moreau in opusculis Sancti Benedicti, & Georgius Colvenerius in scholiis ad Flodoardi historiam; lectoris propterea judicio relinquimus, ut ipse suapte diligentia discernat, quid verè Sancto Benedicto tribuendum, quidve illi abjudicandum censeat. Non est autem hoc loco silentii tenebris involvendum, quod novissimè ad huic epistolæ fidem adstruendam dictus Hæftenius comment. ad vitam Sancti Benedicti Cap. XVI. disquisit. Monast. se invenisse refert, in antiquo videlicet MS. Cod. Bibl. Monast. Sancti Martini Tornaci, alteram epistolam Monachorum Rhemensium post quingentos Annos à Sancti Benedicti obitu ad Casinenses perscriptam, quam totam ibi integram reddit. Denique an verè cunctæ supradictæ lucubrationes genuini sint fœtus Sancti Benedicti, discutitur solita diligentia, eruditione, ac doctrina à præfato Caramuele in Theolog. Reg. p. II. ideo lectorem ad eum remittimus.

Vixit Sanctus Benedictus Annos LXIII. cùm habitasset Nursiæ annos septem, Romæ septem, Sublaci trigintaquinque, Casini quatuordecim; stans atque erectus in templo inter discipulorum manus (editis priùs perfectæ administrationis copiosis actibus, relictis pietatis præclaris monimentis, ac congestis innumeris meritorum manipulis) efflat animam, quæ illustri via Cœlum deduci visa est, Anno Domini DXLIII. die XXI. Martii, hora tertia matutina; & sepulchro appositum epitaphium, ut refert Sylvester Maurolicus lib. I. Hist. Sac. omnium relig. de Sancto Benedicto agens.

Nursia me genuit, specus obtulit alta Casini
Me rapuit vertex, aula beata tenet.

Cæterùm, de die & anno obitus Sancti Benedicti extat controversia, quam affert & dissolvit rei Chronologicæ peritissimus Vir Dionysius Petavius in Rationario temporum parte secunda libro quarto cap. XIV. illucque amandamus lectorem plenioris discussionis hujus puncti avidum.

CAPUT II.

DE FAUSTO.

FAustus ejusdem Patris Discipulus, septennis in Casino oblatus, & à Sanctissimo Benedicto cum Mauro Casinensi Præposito in Gallias directus, post suam reversionem, Beati Mauri vitam ex jussione Abbatis Theodori lucidissimè valde composuit. Claruit autem temporibus supradictorum Imperatorum, sepultus autem est in Monasterio Lateranensi.

ANNOTATIO.

SAnctus Faustus natione Italus, Divi Benedicti primarius assecla, ac symmysta, sensuum, affectionumque mortificatione fuit tanta, ut supra imitationem fuisse videretur. Cùm septem annorum esset, Divo Benedicto à parentibus suis fuit oblatus; à quo tandem post perfectam regularis propositi institutionem,

nem, cum Beato Mauro missus fuit in Gallias anno salutis CCCCCXLII. Arnoldi Wionis annorum calculo; at juxta computum Ecclesiæ, anno CCCCCXXXV. ad construendum Cœnobium, ubi in magna sanctitate multis annis conversatus, tandem ad Lateranense Monasterium est regressus. Testatur id etiam Martyrologium Gallicanum Cl. V. Andreæ Suassay in supplemento ad diem XV. Febr. his verbis: *Depositio S. Fausti Monachi Casinensis, Discipuli Sancti Benedicti, qui aliquamdiu in Cœnobio Glanofolii in Andegavensi præsulatu ad Lygerim, sub S. Mauri disciplina conversatus, postea redux in Italiam apud Casinum suum cursum finivit, &c.*

Is erat per hæc tempora calamitosissima Italiæ status, ut Langobardis crudeliter ubique grassantibus, nulla urbs tam munita, nullus locus tam remotus inveniretur, quò illi suis incursionibus non perrumperent. Neque Cœnobium Casinense cladis acerbissimam calamitatem effugere potuit; quam etiam S. Benedictus prænunciaverat: Itaque fugientes Monachi ex eodem Cœnobio Romam profecti sunt, & Pelagium secundum Pontificem adiverunt, ab eoque benignè accepti, juxta Lateranense Patriarchium, Monasterium in honorem SS. Joannis Apostoli, & Evangelistæ, ac Pancratii Martyris construxerunt, ibique spatio centum triginta annorum habitaverunt; in quo degens Sanctus Faustus vitam Sancti Mauri Abbatis in Gallia condiscipuli sui, qui septuagenario major in Cœlum migraverat anno Domini CCCCCLXXXIV. juxta verò Chronolog. Clar. V. Guesnay in vita Sancti Joannis Cassiani, anno CCCCCLXV. luculentissimè literis consignavit, sub Christi anno DCVI. quod colligitur ex præfatione, in qua sic loquitur ipse Faustus: *Hoc opusculum Beatissimo Papæ Bonifacio ostendi; quod ipse Sanctissimus Pontifex approbans laude dignum duxit, suaque sancta auctoritate roboravit.* Fuit is Bonifacius Papa III. ut Leo Ostiens. Chron. Casin. lib. I. cap. III. testatur, qui anno DCVI. sedere cœpit, & anno eodem decessit, succedente Bonifacio IV. Papa. Unde corrigendus Trithemius de script. Eccles. in verbo Faustus, qui ad Bonifacium II. scripsisse refert. Edita est ea vita à Lippomanno, & Surio ad diem XV. Januarii, & à Mombritio Tom. II. Vide Acta Sanctorum V. Cl. Bollandi ad hanc diem, in quibus vita, translatio, ac miracula Sancti Mauri accuratè descripta leguntur. Adi etiam notas V. Cl. Joannis Tamayo in Martyrolog. Hispan. ad diem XIV. Januarii. Observavit tamen Hugo Menardus in notis Mart. Bened. prædicta acta esse corrupta, tu tamen illum consule. Extare etiam in Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum Claromontensium in Arvernia vitam MS. Sancti Mauri metro, & prosa scriptam per Odonem: Libellum miraculorum ejusdem: sermonem de translatione ejusdem in Monasterium Fossatense, docet Vir Clar. Philippus Labbeus Societatis Jesu in nova Bibliotheca MSS. librorum edita Parisiis anno præt. pag. 206. De gestis Fausti agit Sigebertus cap. XXXII. de script. Eccles. Martyrol. Benedict. sub die XV. Febr. Galesinus, Maurolycus, & Trithemius de Vir. Illustr. Ordin. S. Bened. lib. II. cap. II. & lib. III. cap. III. Leo Ostiens. lib. I. cap. III. Histor. Casin. Vincent. in specul. histor. lib. XXI. cap. LXVIII. & LXIX. V. Cl. Gerardus Joan. Vossius de Historic. Lat. lib. II. cap. XXIV. Ad lucis æternæ præmia evocatus fuit S. Faustus circa annum Domini DCXX.

CAPUT III.

DE MARCO.

Marcus Patris Benedicti discipulus, & Casinensis Monachus, Vir egregius, & in Scripturis apprime eruditus. De Adventu Sanctissimi Benedicti ad Casinum; de situ loci, constructioneque Cœnobii, elegantissimos versus composuit.

ANNOTATIO.

Marcus à Sancto Benedicto familiarissimè dilectus, vir ad poëticam artem extollendam à natura progenitus, moribus & conversatione præclarus, ac in literis etiam sæcularibus peritissimus: Et ne Marci auctoritas à nonnullis parvi habeatur, tanquam obscuri alicujus Scriptoris, hìc producere de eo quorundam veterum Scriptorum testimonia non alienum duximus. Paulus Diaconus lib. I. c. XXVI. de gestis Langob. sic ait: *Hæc omnia ex Marci poëtæ carmine sumpsi, qui apud eundem Patrem* (Benedictum) *huc veniens aliquot versus in ejus laude composuit.* Eadem referuntur ab Aldrevaldo lib. I. cap. IV. de miracul. Sanct. Bened. Sanctus Petrus Damianus serm. 8. in vigilia Sancti Benedicti. *Hæc planè de Marci, ejusdem, videlicet D. Benedicti discipuli, venusto carmine jam defloravimus.* Vide etiam Sigebertum de Script. Eccles. capit. XXXIII. Præter recensita à nostro Petro, quæ inedita remanserunt, scripsit etiam versibus heroicis ejusdem Sancti Benedicti magistri sui nonnulla miracula à Divo Gregorio Papa primo omissa: quæ carmina cùm diu delituissent, excusa modò reperiuntur in tertio poëmatum volumine D. Prosperi Martinengii, Romæ anno MDXC. in 4. studio, & opera Arnoldi Wionis, ut ipse testatur lib. Lign. vitæ; quæque Mantuæ in Cœnobio Sancti Benedicti inventa etiam refert. Scripsit insuper Gnomas impressas Haganoæ anno MDXXXI. & alia quædam opuscula collecta per Joannem Picum, edita sunt Parisiis anno MDLXIII. in 8. Claruit eodem ferè tempore, quo Sanctus Faustus: idest, usque ad Imperium Heraclii Augusti anno Domini DCX.

CAPUT IV.

DE SEBASTIANO.

Sebastianus B. Benedicti Monachus, Hieronymi doctoris egregii vitam describens, legendam Ecclesiis tradidit: in qua, quæ ei à puero institutio, quale in juventute studium, quæ in senectute ei scientia fuerit, lucidissimè satis demonstrat.

ANNOTATIO.

Vita Sancti Hieronymi Ecclesiæ Doctoris maximi, pluribus referta mendaciis, quæ sinè auctore vagatur, teste Cardinali Baronio ad

ad annum CCCCXX. num. 49. non videtur tribuenda nostro Sebastiano, ut aliqui perperam arbitratu suo scriptis fecerunt; cùm tantùm ab ipso literis demandata fuerit vita æqualis sui Sancti Hieronymi discipuli Sancti Benedicti, non autem Ecclesiæ Doctoris; illamque deinde Cœnobiis Benedictinis legendam tradidisse scribit Arnoldus lib. Lign. vitæ. Vide Gerardum Joannem Vossium, diffusæ, reconditæque eruditionis virum, lib: de hist. Latinis in Sebastiano. Floruit circa annum Domini DLX.

CAPUT V.

DE SANCTO SIMPLICIO.

SImplicius Sanctissimi Benedicti discipulus, ac post eum in Casino Abbas effectus: Regulam, quam suus magister ediderat, publicè legendam omnibus Monachis tradidit: Versus quoque nonnullos de eadem re descripsit. Fuit verò temporibus Justini Junioris, sepultus autem in Casino juxta corpus B. Benedicti.

ANNOTATIO.

SAnctus Simplicius Abbas ab obitu Divi Benedicti tertius, ut docet S. Greg. lib. II. Dial. in princ. Vir cœlestibus charismatibus præditus, omnique testimonio sanctitatis illustris. Versus, quos in laudem Regulæ Sancti Benedicti descripsit, unà cum diversis aliis Sanctorum Monachorum Regulis, in lucem propediem dabit vir præcellentis doctrinæ, & summus Ecclesiasticæ antiquitatis assertor ac vindex Lucas Holstenius. Vide quæ annotarunt Hæftenius in tr. 6. disquif. 1. de regulæ Sancti Benedicti promulgatione in Simplicio, Matthæus Lauretus de existentia corporis Sancti Benedicti in Cœnobio Casin. cap. V. Hugo Menardus de origine & incremento Ordinis S. Benedict. pag. 870. ac Antonius de Yepes in Chron. Bened. fol. 337. de sera promulgatione dictæ Regulæ, ubi argumenta eruditissimi Antonii Gallonii in Apologia de Monachatu Sancti Gregorii adversùs Abbatem Constantinum Cajetanum enervant, ejusque diluunt objectionem. Ad auspicatissimum locum indeterminatæ Beatitudinis transivit Simplicius circa annum Domini DLXXVI. miraculis coruscans; sepultus est Casini unà cum Constantino Abbate suo prædecessore juxta sui magistri corpus. Horum corpora primùm à Desiderio Abbate, postea Victore Papa III. unà cum sacris cineribus Carolomani Regis, ac Monachi, inventa sunt anno Domini MLXXI. * ut ex nostro Petro Diacono serm. MS. de Octava Sancti Benedicti habetur. Vide V. Cl. Marcum Scipionem in Elog. Abb. Casin. in Simplicio; eum etiam commemorant Trithem. de vir. illustr. Ord. S. Bened. lib. III. cap. X. Leo Ostiens. lib. I. cap. II. histor. Casin. Anastas. Biblioth. Monachus in libello de translat. Sanct. Bened. & iterum noster Petrus lib. MS. de ortu & vita Justor. Casin. cap. X.

* *In editis omnibus quos vidimus legebatur MDCCI. manifesto errore, quem ita emendavimus.*

CAPUT VI.

DE LAURENTIO.

LAurentius ejusdem Cœnobii Monachus, scientia antecessorum suorum post Sanctissimum Benedictum nulli inferior, factus Episcopus, Beati Mauri vitam, ac Castrensis Episcopi passionem versibus adornavit: Historiam quoque Sancti Wenceslai, & sermonem de Beati Benedicti vigilia elegantem composuit.

ANNOTATIO.

OPuscula Laurentii Monachi Casinensis, deinceps Episcopi, incertæ tamen sedis, extare Casini MS. uti & alia quædam in sexto pluteo ad dextram Bibliothecæ, testatur Arnoldus Wion lib. Lign. vit. Historiæ Sancti Martyris Wenceslai Ducis Bohemorum, habitu Monachi Benedictini, sed non professione, auctore Laurentio, meminit Baron. in Martyrol. ad diem 28. Septembris, illamque etiam MS. in nostro exili. MSS. sacrorum penario asservamus tali lemmate: *Dominus, ac Redemptor noster humanis visibus, &c.* quam si vota & spes nostras Deus Opt. Max. fortunaverit, unà cum aliis Sanctorum vitis hactenus ineditis bono publico proferendam dabimus. Scripsisse præterea præfationem in doctrinas Dorothei, constareque in Bibl. SS. Patrum Tom. II. edit. II. auctor est Possevinus in Apparatu in verbo, Laurentius; sed Vossius de hist. Lat. fatetur, se non satis assequi mentem Possevini, vel mirificè eum rationem fugere; nam noster Petrus Diaconus, quem de hoc Laurentio Monacho scripsisse refert, vixit circa Annum Domini MCXLV. at ille Laurentius Monachus, qui auctor est præfationis Dorothei esse Hilarionem Monachum Casinensem: at Hilario ille floruit circa Annum Domini MDXVI. Annis quadringentis quinquaginta & ampliùs post Petrum Casinensem. De vita Sancti Castrensis Episcopi & Martyris, consule Cl. Vir. Michaëlem Monachum in Sanctuario Capuano. Floruit Laurentius circa Annum Domini DCCL.

CAPUT VII.

DE CYPRIANO.

CYprianus Presbyter sub Petronace Abbate in eodem Cœnobio Monachus factus, de B. Benedicti miraculis Hymnum in ejus festivitate cantandum descripsit. Claruit autem temporibus Leonis, Constantini, & Hirenes Imperatorum.

ANNOTATIO.

HYmnus, quem composuit Cyprianus de Beato Benedicto, in Bibl. Casinensi tali servatur exordio: *Aureo Solis radio perennis, &c.* teste Arnoldo Wione lib. Lign. vit. Scripsit & alia nonnulla. Vivebat Anno Domini DCCLX.

CA-

CAPUT VIII.
DE PAULO.

PAulus Aquilejensis Patriarchii Diaconus, Regisque Desiderii Notarius, sub Theodemario Abbate ad Casinum perveniens, Monasticumque schema suscipiens, sanctitate, gravitate suo tempore singularis, Philosophia quoque à pueritia eruditus. Composuit in laudem Beatissimi Benedicti versus elegiaco metro digestos: Hymnos quoque Sancti Joannis Baptistæ, Sanctique Benedicti: Versus ad Carolum Imperatorem, ad Arichis Beneventanum Principem; Sanctiq; Fortunati Episcopi vitam elegãter descripsit: Homilias quoque quinquaginta: Sancti Pontificis Gregorii vitam: in Regula Sancti Benedicti expositionem: ac de ingressu Langobardorum in Italiam, origine regnoque eorum, historiam valde luculentam edidit. In historia autem Eutropii quamplurima adjunxit. Universas etiam lectiunculas à principio mundi usque ad suam ætatem, unà cum annali computo rhythmicè composuit. Fuit autem temporibus Caroli Imperatoris. Sepultus est in eodem Cœnobio juxta Ecclesiam Sancti Benedicti ante Capitulum.

ANNOTATIO.

PAulus cognomento Warnefrid ex Langobardorum gente originem duxit, Warnefridi, ac Theodelindæ filius; Vir Apostolicus, ac Antistes doctissimus, appellatus à Gaspare Barthio meritò Polyhistor, qui penè innumera miræ ac exquisitæ eruditionis monimenta suo eximio ingenio, acri judicio, ac prudentia singulari prodidit: & ne quid à Lectore curioso de Paulo desiderari possit, verba damus Leonis Ost. in Chron. Casin. lib.I. cap.XV. *Iste siquidem ex Langobardorum gente originem duxit; ejus namque abavus Leupichis nomine, eo tempore quo primùm in Italiam Langobardi ingressi sunt cum eis venit. Cujus Pauli pater nomine Warnefrid, mater Theodelinda fuit. Qui à puero disciplinis liberalibus eruditus maximum in Curia Desiderii ultimi Regis Langobardorum ob suam industriam, familiaritatis locum obtinuit: Cancellarius dicti Regis, atque Aquilejensis Patriarchii Diaconus extitit:* (hinc Paulo Diaconi cognomen ab adepta dignitate inditum, perpetuò adhæsit, licèt hoc non attendat Raphaël Volaterranus, nam pro diversis habet nostrum Paulum historiæ Langobardicæ Scriptorem, & Paulum Diaconum Aquilejensem). *Hic post captam Papiam, cùm Regi quoque Carolo pro sua prudentia admodum carus, & familiaris effectus est, ac non multo post cùm accusatus apud eundem Regem fuisset à quibusdam invidis, quòd eum propter fidelitatem Desiderii Domini sui voluisset occidere, fecit eum idem Rex comprehendere, & coram se adduci: quem cùm interrogasset, utrum vera essent, quæ super morte sua de eo dicerentur, constanter respondit, se pro certo fidelissimum Domini sui fuisse, & in eadem se fidelitate cum vita perseverare: ad hæc Rex subitò ira succensus, præcepit eum manibus sinè mora privari; sed mox in se reversus, & reminiscens sagacitatis ejus, atque prudentiæ, suspirans ait: Et si ejus manus abscindimus; ubi tam elegantem Scriptorem reperiemus? & ait proceribus assistentibus sibi: Dicite quid super hoc vobis videtur: at illi: Jubete, inquiunt, ut eruantur ejus oculi, ne aliquando aliquas alicui contra vos literas dirigat. Et ubi, vel quando, ait Rex, tam insignem historiographum, aut poëtam invenire valebimus? illi verò videntes circa illum Regis compassionem, ac benevolentiam; suaserunt tandem, ut in Diomedis insulam, quæ hodie à tribus montibus Tremiti dicitur, eum exiliaret. Factumque est, ubi cùm per aliquot annos exul mansisset,* (*) *tandem ad Monasterium Casinense, celebri sanctitatis fama notissimum clam perrexit, ibique Monachus factus, piè & religiosè vitam duxit, ac diu superstes in senectute bona in pace quievit, cùm innocentiæ, humilitati, silentioque ultra humanum modum operam dedisset.* Sic dictus Leo Ostiensis.

Plura alia veneratione digna, insigniaque virtutum monumenta immortalitati consecrasse fertur, quæ ad notitiam nostri Petri non pervenerant: videlicet vitam Sancti Benedicti metricè scriptam, quam invenies apud eumdem Paulum lib. I. cap. XXVI. de gestis Langob. Arnoldus Wion mentionem facit cujusdam poëmatis de vita Sancti Benedicti à Paulo Diacono conscripti, cujus singuli distichi iisdem quibus incipiunt, desinunt verbis, quod integrum affert Aymoinus serm. de Sancto Benedicto, ubi etiam ejusdem Pauli Hymnum affert singula miracula Divi Benedicti continentem. Exaravit insuper Paulus vitam Sancti Mauri Abbatis miro quodam artificio descriptam: sic exorditur.

Dux, via, vita tuis, decus, & laus, gloria virtus,
Jesu, lux lucis, Dux, via, vita tuis.
Tu facis, omnipotens, animalia muta profari.
Quod tibi cumque placet, tu facis omnipotens.
Da precor ut referam Sancti magnalia Mauri,
Quæ per te gessit, da precor, ut referam, &c.

Vitamque etiam Sanctæ Scholasticæ Virginis, mandante Carolo Magno Imperatore, quæ integræ in tertio poëmatum libro habentur Prosperi Martinengii, lectorem propterea curiosum ad eum remittimus. Sicuti etiam jussu ejusdem Caroli (qui Anno DCCCXIV. V. Kalend. Febr. Aquisgrani diem clausit extremum, ætatis annorum LXXI.) ordinavit historias, & lectiones per totum Annum singulis festivitatibus Sanctorum congruentes: quæ ejus dispositio ab Ecclesia tota observata est, & usque ad hæc nostra tempora inviolabiliter custodita; servatur apud nos hæc etiam ordinationis nota MS. Vide epistolam Caroli Imperatoris de hac ordinatione scribentis, quæ homiliario Alcuini præponitur. Præterea de eadem Sancta Scholastica nonnullos composuit versus, qui habentur in Martyrologio Arnoldi Wionis ad diem X. Febr. Vitam etiam Sancti Arnulphi Metensis Episcopi, qui fuit primò

(*) Hinc varia lectio Codicis Leonis, quo usus est Marus, ab edito in collectione nostra. Is equidem si, ut in impressis hactenus ipsius annotationibus legebatur, ita se habebat, enormiter quidem vitiatus erat, & mancus. Nos ad veram lectionem hujus loci initium restituimus.

mò Præfectus domus Regis Francorum, postea Metensium Episcopus, quæ apud Surium Tomo IV. ad diem XVI. Augusti, & apud Bedam Tom. III. reperitur, licèt falsò ipsi Bedæ adscribatur. Librum de gestis Episcoporum Metensium editum per Marquardum Freherum in corpore histor. Franc. indicat ipsemet Paulus scripsisse lib. VI. de gestis Langob. cap. XVI. De gestis Episcoporum Papiensium librum unum, quem se vidisse testatur Galesinus. Ad Carolum Imperatorem epistolam unam, quæ MS. in Biblioth. Casin. ad dextram scamno 3. n. 179. servatur. Vitam Sancti Cypriani Episcopi, & Martyris, quæ habetur in prolegomenis Jacobi Pamelii ad S. Cypriani opera. Versus ad Arichem Principem Beneventanum generum Desiderii Regis typis modò cusi reperiuntur apud Virum Cl. Camillum Peregrinum rerum antiquarum indagatorem indefessum, historicumque insignem in hist. Principum Langob. pag. mihi 235. Divorum etiam aliquot facinora, laudesque luculentis versibus celebravit: Quo in genere carmen in S. Joannem Baptistam tutelarem suum, patronumque Regni Langobardorum maximè excellit, cujus pietate, ac numeris Romana Ecclesia delectata recitandum proposuit, estque inter sacratos hymnos elegantia, & venustate facilè princeps: sic exorditur.

Ut queant laxis resonare fibris, &c.

Composuit & hymnum de passione Sancti Mercurii ac etiam alterum in translatione corporis Beneventum: primum refert Petrus Pipernus Beneventanus Lib. V. Cap. XX. de effectibus magicis. Extat pariter hymnus Alcaicus Dactylicus è vet. MS. Lang. Eccles. Benevent. ritu in Festo Assumptæ Virginis Deiparæ decantari solitus, à nostro Paulo, ut asseritur, scriptus, incipit:

Quis possit amplo famine præpotens, &c.

Insuper aliqua fragmenta MSS. sub nomine Pauli Diaconi, mutila tamen, & hiulca nos custodimus; videlicet, vitam Germani Sanctissimi Constantinopolitani Patriarchæ per Paulum Diaconum historicum scriptam. In transitu Petri Damiani, de dimittendo Episcopatu orationem, in qua fit mentio de Sancto Arnulpho Metensi Episcopo. Vitam Sancti Petri Damasceni Episcopi, & Martyris nec non alterius Petri pariter Martyr. per Paulum Diaconum scriptam. Alia etiam opuscula nec dum prælo subjecta Casinatem Biblioth. exornant, videlicet Cod. MS. sign. num. 146. præfixus est sermo Pauli Diaconi in Evangel. *Nemo accendit lucernam*, &c. incipit. *His Sancti Evangelii verbis &c.* Item Cod. 145. pag. 198. Vita Sancti Gregorii Papæ I. tribus libris conscripta per Paulum Diaconum, incipit: *Gregorius Urbe Romulea patre Gordiano*, finit. *Iduum Martiarum regnante*, &c. Item Cod. 305. ejusdem Pauli Diaconi sermo de B. Virgine, incipit: *Licèt omnium Sanctorum*, &c. Ejusdem sermo in illud Evangelii, *Simile est Regnum Cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere*, &c. incipit: *Præsens Sancti Evangelii lectio*, &c. Hæc verò homilia inter opuscula Sanctorum aliquot Patrum per Thomam Galletum edita habetur Lugduni Anno MDCXV. pag. 450. Sicut etiam in celeberrima Bibliotheca Medicea plut. 17. extare inter octo volumina homiliarum diversorum authorum nonnullas Pauli Diaconi homilias refert Henricus Ernstius in Catal. Medic. Biblioth. In eodem Archivio Casin. adsunt commentaria MSS. in fol. Pauli Diaconi in Regulam Sancti Benedicti, ubi in fronte habetur pictura vetustissima Sancti Benedicti, & Joannis Abbatis cui Regulam tradit, licèt commentarium prædictum Hugo Menardus Ruthardo Monacho Rabani, & Strabi auditori tribuendum esse notarit. Vide disquisitiones Monasticas Hæfteni lib. 2. tract. 5. disquis. 4. Item epistola Pauli Diaconi ad Carolum Magnum, nomine Theodemari, & Casin. Congreg. scripta, de qua Ostiensis in Chron. Subjungitur etiam in eodem Codice MS. Sylloge quædam chronologica ejusdem, ut nonnulli putant, Pauli, quam simul cum quadam historiola sub titulo ignoti Casinensis Vir. Cl. Camillus Peregrin. Histor. Princip. Langobard. ultimo loco in lucem edidit. Epistolarum ad diversos librum unum scripsisse etiam fertur.

Observandum denique est, auctorem Miscellæ falsò dici Paulum Diaconum, Baron. Tom. V. Annal. & Bellarm. de Scriptor. Eccles. probant. Vide notas eruditissimi Auberti Miræi in Sigebertum de Scriptor. Eccles. Cap. LXXX. & præcipuè Vossium de histor. Latin. in Paulo, & de natali Anno Christi dissert. 7. pag. 5. Camillum Peregrin. histor. Princip. Langobard. qui Paulum callidè non produxisse historiam Langob. ad sua tempora observavit, sicut etiam nonnulla alia silentio obvelasse. Alphonsus Ciacon. in Vitis Pontificum in Leone. *Habet*, inquit, *auctor Miscellæ Paulus, vel potiùs Joannes Diaconus*. Sed utcunque sit de nomine Scriptoris, certè, quod in omnibus ferè MSS. Cod. nomen Pauli, non Joannis legitur.

Claruit Paulus Anno Domini DCCIV. cùm innocentiæ, humilitati, silentioque ultra humanum modum operam dedisset, atque in Casinensi Monasterio usque ad finem vitæ arduè satis, ac districtissimè vixisset; sepultus est Casini ante Capitulum, gloriosis emicans meritorum maximorum insigniis, testatur noster Petrus Lib. MS. de ortu, & vita Justor. Casin. Cap. XXV. Extant Caroli Magni literæ metro exaratæ nostro Paulo, in quibus de susceptæ vitæ ratione per ipsum, sacrique Cœnobii Casin. sanctitate mirificè gratulatur: quarum literarum partem hìc inserimus, ut clarissimi Imperatoris in eruditos homines singularis humanitas, deque Sacri Archisterii Casin. sanctitate præclara existimatio agnoscatur. Est hujusmodi.

Hinc celer egrediens, celeri mea charta volatu
Per sylvas, colles, valles quoque præpete cursu,
Alma Deo chari Benedicti tecta require;
Est nam certa quies fessis venientibus illuc.
Hìc olus hospitibus, piscis, hìc panis abundat,
Pax pia, mens humilis, pulchra & concordia Fratrum,
Laus, amor, & cultus Christi simul omnibus horis.
Dic Patri, & Sociis cunctis, salvete, valete.
Colla mei Pauli gaudendo amplecte benignè,
Dicito multoties, salve Pater optime, salve.

De Paulo mentionem habent Leo Ostiens. Chron. Casin. Lib. I. Cap. XVII. Sigebert. Cap. LXXX. Trith. de Viris Illustribus Ord. S. Bened. Lib. II. Cap. XXX. Arnold. Lib. V. Cap. XCI. Lig. vitæ. Th. Dempsterus in notis antiq. Roman. Ipse Paulus de se ipso multis in locis, & alii innumeri. In pervetusto Cod. MS.

MS. legimus, Paulum fuisse Diaconum S.R.E. Cardinalem, uti etiam dicto Lib. MS. nostri Petri de ortu, & vita Justorum Casinensium in Cap. XXV. inscriptione his verbis:

De Paulo Diacono, atque Cardinali, &c. Quem fucum exscriptores, sive amanuenses lectori facere voluisse existimamus, dum in nullis tabulis Ecclesiasticis in numerum Cardinalium adscitum colligimus. Vel potiùs scrupulum istum injectum fuisse credendum à Martino Polono in præfatione suæ Chronicæ, dum in opere de gestis Imperatorum & Pontificum nominat quendam Paulum Diaconum Romanum, & Cardinalem: iste tamen dissolvitur nodus, quòd noster Paulus fuit Diaconus Aquilejensis, & postea Monachus Casinensis; at iste, ex quo profecit Martinus, vocatur Romanus Diaconus, & Cardinalis. Vide Vossium de histor. Latin.

Extat Epitaphium Pauli Diaconi versibus exornatum ab Hilderico Monacho & Abbate Casinensi discipulo prædicti Pauli: quod tibi, singulari humanitate V. Cl. Caroli Borelli Cler. Regul. Minor. nobis suppeditatum, ex antiquo MS. Cod. sign. 256. Biblioth. Casinensi depromptum, nunc primùm in lucem damus.

EPITAPHIUM

PAULI DIACONI.

Perspicua clarum nimium tum fama per ævum.
Astra simul junctum pangant te cœtibus almis.
Veridicos Levita tuos quis summe triumphos
Lucifluis Paule potuit depromere dictis?
Vi tua, sed lector properans huc noscat, & hospes
Sacrato tumulo requiescere membra sub isto,
Laudis amande tuæ summatim carmine digno
Almificos actus dignum est reserare canendo.
Eximio dudum Bardorum stemmate gentis
Viribus atque armis, quæ tunc opibusque per Orbem
Insignis fuerat, sumpsisti generis ortum:
Tam digna est, postquam nitidos ubi sæpe Timavi
Amnis habet cursus, genitus tu prole fuisti:
Divino instinctu regalis protinus aula
Ob decus & lumen patriæ te sumpsit alendum;
Cùm tua post Tibridem populis & regibus altis
Tunc placida cunctis vita, studiumque maneret.
Omnia sophiæ cœpisti culmina sacræ,
Rege monente pio Ratchis, penetrare decenter
Plurima captasses dignè cùm dogmata, cujus
Resplendens cunctas, superis ut Phœbus ab astris
Arctoas rutilo decorasti lumine gentes;
Hæc sint jam nimium, fluidi cùm gloria sæcli
Condignis ditaret ovans te sedule gazis,
Lucis ob æternæ vitam sinè fine beatam
Audacter sprevisti hujus devotus honores:
Regis & immensi fretus pietate polorum
Vernanti huc Domino properasti pectore Christo
Subdita colla dare Benedicti ad septa beati;
Exemplis mox compta tuis ubi concio sacra
Tum jubar ut fulgens cœpit radiare coruscis,
In te nam pietas jugiter, dilectio dulcis,
Nectareus & pacis amor, patientia victrix,
Simplicitas solers nimium, concordia summa,
Omne simulque bonum semper venerande manebat:
Nunc ideo Cœli te gemmea regna retentant,
Sideream retinens pariter per secla coronam.
Hoc tibi posco, sacer, gratum sit carmen honoris,
Hilderic en cecini quod lacrymando tuus,
Quem requiem captare tuis fac quæso perennem
Sacratis precibus semper amande Pater.

CAPUT IX.

DE HILDERICO.

Hildericus ejusdem Pauli Diaconi auditor. De origine Præceptoris sui, vita, institutione, doctrina, religione, habitu, lucidissimos versus composuit.

ANNOTATIO.

Fuit deinde Abbas Casinen. Hildericus, & eodem mense, quo electus, obiit, scilicet Anno Domini DCCCXXXIV. cùm sedisset diebus decem & septem: versus, quos composuit de Paulo, supra retulimus.

CAPUT X.

DE THEOPHANIO.

Theophanius Diaconus, Vir eruditissimus, ac disertissimus; De constructione Cœnobii Domini Salvatoris: de adventu Sancti Benedicti ad Casinum, ac de miraculis per eum inibi factis: & in laudem Sanctæ Dei Genitricis, & de constructione Monasterii Sanctæ Mariæ in Plumbariola versus mirificos edidit.

Vixit sub Ludovico Pio Imperatore Anno Domini DCCCLV.

CAPUT XI.

DE BASSATIO.

Bassatius Casinensis Cœnobii Abbas, vir Scripturis Sanctis deditus, & notitia Ecclesiastici dogmatis sufficienter instructus; composuit nitido satìs & aperto sermone quosdam tractatus: fuit autem tempore Ludovici Imperatoris.

ANNOTATIO.

Opuscula, quæ Bassatius Abbas Benedictinus decimus octavus scripsisse exponitur, quænam contineant, non explicat Petrus; nisi intelligere velimus, quòd cùm suo tempore ordinem Monasticum aliqua jam ex parte corruptum in Liguria, Burgundia, Germania vidisset, sermonibus ac doctrinis correxisset. Naturæ concessit non sinè opinione sanctitatis, Casini, Anno Domini DCCCLVI. die XVI. Kalend. Aprilis, & in Capitulo Fratrum juxta ædem Divi Benedicti, quam magnifico ornatu decoraverat, sepultus est.

CA-

CAPUT XII.

DE S. BERTARIO.

Bertarius, supradicti Bassatii discipulus, ac post eum Abbas Casinensis effectus; vir genere, & literis nobilis, honestatis, religionis, ac martirii corona perspicuus. Scripsit non contemnenda opuscula, sed præcipua sunt illa, quæ Abbas jam constitutus edidit. De Sancto Luca Evangelista sermonem: de Beata Scholastica homiliam descripsit: librum quoque difficillimum sententiarum tam veteris, quàm novi testamenti patravit, ipsumque ANTICIMENON appellavit. De vita autem, & obitu, ac miraculis Sanctissimi Benedicti, necnon ad Angelbergam Augustam, aliosque suos amicos versus mirificos fecit. Sed cùm peccatis Christicolarum exigentibus, justo Dei judicio Italia ab Ismaëlitis devastaretur, solusque contra eorum sævitiam ob defensionem Christianorum per decem & septem annos & ...... acerrimè expugnaret, consilio Saraceni habito clam navem ascendunt, & ad monasterium Domini Salvatoris, quod situm est ad pedem Casini Montis, venientes, Ecclesiam intrant, ibique Bertharium Martyrem Christi reperiunt. Cùmque ad eum venissent, dixerunt: Tu es Bertharius, qui usque nunc Christianos defendisti, ac pro illorum liberatione ad Imperatorem bis ultra montes perrexisti? justum est ergo, ut pro eis mortem suscipias, ac pro fide Dei tui. Hæc cùm dixissent, ab eisdem Saracenis juxta altare Sancti Martini pro fide Christi capite truncatus est. Passus est autem temporibus Ludovici Imperatoris; sepultum verò est ejus sacratissimum corpus juxta Ecclesiam Sancti Joannis Baptistæ in Capitulo Casinensi.

ANNOTATIO.

Sanctus Bertharius, ab ipsis Francorum Regibus ortum ducens, vir tantæ sanctitatis, & inculpatæ vitæ laudibus conspicuus, clam suis, domo, ac patria digreditur, illud Poëtæ veteris animo semper agitans:

Qui vult esse pius, regalibus exeat aulis.

Religiosa peregrinatione inde usque è Galliis Casinum suscepta; quò simul ac pervênit, res suas seculum habere jussit, omniaque illius ornamenta, opes, dignitates (quæ propter summam Berthari nobilitatem, modestiam, ingenium, ipsi non dubia spe proponebantur) tanquam stercus arbitratus, nudus ad Christi nudi crucem confugit, & Benedictinis addictus est Casini: deinde verò Bassatio Abbate demortuo, communi Patrum consensu Abbas eligitur anno Domini DCCCLVI. Per hæc enim tempora Bertharius à Saracenis, qui Italiam invaserant, plures est perpessus injurias; nempe quòd auxilia adversùs illos ex Gallia, & aliunde advocasset, frequenterque in eos egressus, ac impetum faciens, à finibus illis avertisset; unde in se odium immane concitatum fuit. Quadam igitur die Lyri amne advecti Saraceni, Bertharium in majori æde Cœnobii Sancti Germani celebrantem repentè adorti, cum aliquot Monachis obtruncant XI. Kalend. Novembris anno Domini DCCCLXXXIII. sedente Ludovico Imperatore Arnulphi Imperatoris Quarti filio, quum annis XXVIII. non exactis, Monasterio Casinensi, impleto cumulo meritorum, præfuisset. Consule Leonem Ostiens. lib. 1. cap. 45. Chron. Casin. Carolum Sigonium de Regno Italiæ lib. 6. & Camillum Peregr. histor. Princip. Langob. in serie Abb. Casin. in Berthario. Ejus martyrii acta ab Ignatio Prangensi Monast. Casin. Priore conscripta hactenus inedita apud nos servantur tali exordio: *Tempore, quo sacrum imperium ad tuendas res Ecclesiæ Romanæ, &c.* Ejusdem Sancti Berthari vitæ per dictum Ignatium exaratæ, notisque Constantini Cajetani illustratæ meminit etiam Labbeus in nova Bibliot. MSS. librorum pag. 365. Martyrol. Gallicanum sub die XXII. Octobris, Sancti Berthari etiam mentionem facit. De vita, & translatione Reliquiarum Sancti Berthari ad Montem Casinum, vide Martyrol. Wionis ad diem XXII. Octobris & II. Decembris.

Scripsit Sanctus Bertharius Philosophus, ac Medicus insignis, ante conversionem suam multa versibus, & soluta oratione: nempe de Medicina, & Grammatica, videlicet de innumeris morbis hinc inde collecta volumina duo. De Grammatica libros aliquot.

Sed postea studium mutans, animarumque Medicus constitutus, fecit Sermonum, & Homiliarum librum unum, qui adest MS. in Biblioth. Casinen. Cod. sign. num. 107. De S. Matthia Apostolo sermonem unum, cujus initium: *Inclytam, & gloriosam festivitatem*. Vide tamen notas Michaëlis Monachi ad Kalendarium quintum sub die vigesima quarta Februarii sanctuarii Capuani.

De Sancto Romano Abbate sermonem unum, exordium est: *Adest nobis dies, &c.* cujus etiam mentionem facit Arnoldus Wion ad Martyrol. Bened. sub die XXII. Maji: quæ supradicta opuscula ac tractatus ad notitiam Petri non venerant.

Sermo de S. Luca Evangelista, quem noster Petrus indicavit, habetur in Breviario Ord. S. Benedicti, ac etiam in Biblioth. Vallicellana, testatur Card. Baron. in Martyrol. ad diem XVIII. Octobris.

Versus ad Angelbergam Augustam, uti etiam de vita, & obitu Sanctissimi Benedicti, excusi sunt Romæ anno Dom. MDXC. & in tertio poëmatum volumine Prosperi Martinengii simul cum duobus aliis poëtis, qui nondum erant impressi reperiuntur; habenturque etiam in notis Martyrolog. Benedict. Arnoldi Wionis ad diem XXI. Martii.

Liber, cui nomen fecit AntiKeimenon id est contrariorum, sive contrapositorum libri utriusque testamenti, extat impressus Coloniæ anno Domini MDXXXIII. in 8. incerto auctore: ignotum enim tunc erat nomen nostri S. Berthari iis, qui in lucem dictum librum prodi-

de-

derunt, exorditur: *Cùm in Genesi septem primi dies legantur*. Meminere hujus Libri Leo Ostiens. lib. 1. c. 32. his verbis: *Hic* (videlicet Bertharius) *apprime literatus, nonnullos tractatus, atque sermones, necnon & versus in Sanctorum laude composuit. Cujus & Anticimenon de plurimis tam veteris, quàm novi testamenti quæstionibus hic habetur*: Et Fabianus Justinianus in suo indice universali litera A. fol. 30. inscio tamen nomine auctoris. Custoditur etiam liber iste manu exaratus literis Langob. sub nomine nostri S. Berpharii in Bibliot. Aniciana. Ejus opuscula penes Abb. Constantinum Cajetanum extitisse, scribit V. Clar. Leo Allatius omnigena eruditione egregiè, doctèque instructus, librorumque helluo lib. de Viris Illustribus, cui titulum fecit Apes urbanæ, in verbo Constantinus.

Agunt de S. Berthario Ostiensis loco cit. Trith. de Viris Illustribus, Sigonius de Regno Italiæ lib. 6. aliique.

CAPUT XIII.

DE AUTHPERTO.

Authpertus ejusdem Cœnobii Abbas Vir disertus, & valde eruditus, inter multa, & præclara ingenii sui monumenta in laudem S. Matthiæ Apostoli, necnon de Purificatione Sanctæ Dei Genitricis, aliorumque Sanctorum, homilias valde pulchras composuit. Fuit autem temporibus Lotharii Imperatoris.

ANNOTATIO.

Authpertus Abbas decimus septimus Ord. S. Benedicti creatus die XVI. Octobris anno DCCCXXXIV. præfuit annis tribus: subductus est è mortalium cœtu X. Kalend. Martii anno DCCCXXXVII. & Casini sepultus, regnante Lothario Imperatore. Vir fuit moribus compositus; religione præstans, ingenio non infelix, literaturæ non ignobilis, teste Leone Ostien. in Chron. lib. 1. cap. 25. edit. Venet. Bibliothecam quam habebat optimis cujusque generis libris instructam, cùm sarcinam mortalem exueret, Casinensibus legavit. Traduntur enim dono data, inter cetera, ab Authperto infrascripta raræ eruditionis monimenta, videlicet diversæ homiliæ MSS. S. Epiphanii Episcopi; extant in Cod. sign. n. 305. pariter in Cod. 232. adest liber S. Greg. Nysseni Episcopi de conditione hominis, ex versione Dionysii Abbatis. *Incipit epist. Dionysii ad Egipium Presbyt. Domino sanctissimo, & à me plurimum venerando*. Inhæret præterea eidem Cod. 232. liber de vita Christiana Fastidii Britannorum Episcopi, qui in Cod. Vatican. 551. vocatur Fastidiosus, incipit: *ut ego peccator, & ultimus, insipientior cæteris, &c.* sunt fol. 14. in 4. de quo Gennadius de Script. Ecclesf. cap. 56. Vide Vossium de hist. Lat. lib. 2. cap. 19. in Dionysio; Sicuti in scamno 5. ad sinistram Cod. sign. n. 29. Auxilii Presb. Etymologicum habetur, liber egregius vetustissimus. Et in eodem scamno Cod. sign. n. 30. sequuntur ejusdem Auxilii Presbyt. varia Theologica erudita: nempe primò quæst. 137. in Exameron. Secundò, aliæ quæstiones ferme omnes de Genesi. Tertiò, capitula differentiarum 36. Quartò, de distinctione quatuor vitiorum. Quintò, de Trinitate, per quæstiones, & responsiones, ubi deinde ferme omnia nomina explicat, quæ in rebus Ecclesiasticis versantur, ut quid Neophytus, quid Catechumenus, quid competens. Sextò de officiis divinis, per interrogationem & responsionem, ut unde dicta sit missa, &c. Unde statio, & quid inter stationem & jejunium intersit, quid abstinentia, &c. Quænam sit Xerophagia, & quæ reconciliatio, &c. Quæ supradicta MSS. opuscula, sicuti penè infinita alia, quæ hodie Bibliothecam Casinens. exornant, magnifico munere fuere à nostro Authperto donata, asserunt nonnulli; sunt enim Bibliothecæ in Monasteriis, velut Armamentaria militiæ spiritualis, & gazophylacia thesaurorum Religiosorum.

Scripsit Authpertus præter exposita à nostro Petro diversas insuper homilias, & sermones scilicet de Assumptione B. Mariæ, tali exordio: *Adest nobis dilectissimi*. De Nativitate ejusdem, sive sermonem communem in ejus festivitatibus, qui incipit: *Celebritas hodierna*. Sermonem in festo omnium Sanctorum, incipit: *Adest dilectissimi, &c.* Habentur hi sermones MSS. in Biblioth. Casin. Cod. signat. num. 305. Sermo verò in laudem S. Matthiæ Apostoli, ineditus adhuc creditur.

Circumferuntur sub nomine nostri Authperti Abbatis, sed perperam, infrascripta MSS. opuscula: videlicet, Sermo de Cupiditate viris secularibus valde utilis, habent scripturarum testimonia octoginta. Incipit: *Sanctorum Ecclesiam*. Sermo in Purificatione Beatæ Mariæ Virginis, qui extat impressus quoque in Alcuini Homiliario. *Si subtiliter à fidelibus*. Sermo in Dedicatione Ecclesiæ. *Vide Civitatem Sanctam Hierusalem*. Oratio contra septies septena vitia. *Summa & incomprehensibilis natura*. Homilia in illud Evangelii Sancti Marci. *Assumpsit Jesus Petrum & Jacobum, & Joannem*. Quæ in breviario Ecclesiæ Atinensis literis Langobard. in tres Lectiones distincta habetur sub die sexta Augusti. *Solet nonnunquam evenire*. Vita Sanctorum Patrum Paldonis, Tatonis, & Tasonis Monasterii Sancti Vincentii de Vulturno Abbatum. *Humani generis primus parens*. De qua vide catalog. Sanctor. Ferrarii ad diem XI. Octob. XI. Januar. XI. Decembris, & Bollandum sub die XI. Januar. Quæ præfata opuscula malè nostro Authperto attribuuntur, cùm suum agnoscant auctorem Ambrosium Autbertum aliàs Ansbertum Monachum & Abbatem S. Vincentii de Vulturno prope Capuam fluvio, qui claruit anno Domini DCCCXC. fuitque Magister in humanioribus Caroli Magni, de quo Sigebertus de script. Ecclesf. cap. XCI. & Aubertus Miræus in auct. de script. cap. CCLVII. cujusque etiam extant lucubrationes nonnullæ impressæ Coloniæ anno Domini MDXXXVI. in fol. Certè quoad supramemorata opuscula, quæ nos manu exarata, etiam asservamus, præferunt nomen Ambrosii Authperti Abbatis Sancti Vincentii, non Casinensis.

Porrò Authpertus iste in Bibliotheca philosophica, & alibi à nonnullis appellatur Rupertus, quem, inquiunt, vixisse anno MXL. sed duplex hic lapsus est, nimirum in nomine, & in annorum numero: quippe in Casinensium

Abbatum Catalogo nullus Rupertus invenitur, & anno MXL. Richerius Abbas Monasterio Casinensi præerat.

CAPUT XIV.

DE ERCHEMPERTO.

ERchempertus Diaconus, parvulus & ipse B. Benedicto oblatus, de destructione, & renovatione Casinensis Cœnobii, necnon de Ismaëlitarum incursione historiam necessariam satìs composuit. Fuit verò tempore Ludovici Imperatoris.

ANNOTATIO.

ERchempertus ab aliis Herempertus: seu Herembertus, è Langobardorum Illustri stirpe, genus sumens è Beneventanis Ducibus, Pater ejus Radelgarius, abavus Rodoalt, patruus Radolphus vocabatur. Vir fuit sanguinis splendore & doctrina non ignobilis, historiæque scientissimus; ad humanæ tamen vitæ incommoda solùm natus. Scripsit Chronicon, sive historiam Langobardorum, cujus prototypon putatur periisse; tempore tamen Desiderii Abbatis Casin. qui postea fuit Victor Papa III. exscriptum fuisse, ita ipso mandante, testatur noster Petrus in auctario Chron. Casin. lib. III. cap. LXII. edit. Venet. Fusioris enim hujus historiæ epitomen, seu potiùs auctarium ad histor. Pauli Diaconi de gestis Langobard. ann. DCCCLXXXVIII. ab ipsomet Erchemperto confectum, ut creditur, Vir Clar. Antonius Caracciolus ex Ord. Cler. Reg. primùm ex MS. Codice Vaticano edidit, notisque illustravit, & typis Neapoli anno 1626. in 4. publicavit unà cum Chron. Lupi Protospatæ, Falconis Beneventani, aliorumque. Verùm postremo loco eruditissimus Camillus Peregrinus suæ Langob. hist. prædictum Chron. seu Epitomen scholiis ornatum solita diligentia, ac eruditione attexuit: unde qui plura volet, apparatum, notasque ejusdem consulere poterit. Vide etiam Philippum Labbeum in nova Bibl. MSS. librorum part. I. pag. 10. & 366.

Scripsit insuper Erchempertus Carmen de vita Landulphi Episcopi Capuani, de quo vide Sanctuarium Capuan. Michaëlis Monachi, ac etiam prænotatum Peregrinum in præfat. ad dict. histor. pag. 15.

Ab eodem pariter Erchemperto literis consignata putantur Acta translationis Sancti Matthæi Apostoli, & ea fortasse censentur, quæ edidit Columna Archiepiscopus Salernitanus; verùm prædicta acta, quæ MSS. penès nos sunt, præferunt nomen Paulini Legionensis, sive Londinensis Episcopi in Britannia: initium est: *Matthæus Evangelista & Apostolus, cùm primùm in Judæam, &c.*

Observandum etiam est, non extare opuscula, quibus noster Petrus titulum fecit, de destructione & renovatione Casinensis Cœnobii; necnon de Ismaëlitarum incursione: nisi velimus dicere, in prædicto Chronico, sive historia, utramque descriptam fuisse cladem. Adi Vir. Clar. Vossium de hist. Lat. lib. 3. Denique Leo Ostiens. in Chron. Casinensi sæpè meminit Erchemperti, è quo plurima desumpsisse videtur, ut lib. 1. cap. 9. & 19. 46. Et Card. Baron. ex Erchemperti historia multa pariter hausisse, atque in suos annales inseruisse, facilè videre est. Lege ipsum ad ann. 871. 872. 874. & 912.

Quoto autem signatè anno Erchempertus mortalis corporis deposuerit pondus, ignoratur: licet quidem opinari ann. 889. dum exeuntem annum 888. viderat, descripseratque, nec ulteriùs historiam produxerat suam, quam se producturum promiserat; & sic nostrum Petrum non libasse historiam Erchemperti, suspicatur præfatus Peregrinus, dum claruisse refert sub Ludovico Imperatore, cùm illum vixisse sub Carolo M. compertum habeamus. Carolus enim imperavit ab anno 881. ad annum 898.

CAPUT XV.

DE JOANNE.

JOannes supradicti Casinensis Cœnobii Abbas, Vir nobilis carne, & spiritu. De persecutionibus ejusdem Cœnobii, & de miraculis inibi factis, Chronicam succinctam, sed valde necessariam loco descripsit. Sepultus verò est in Monasterio Capuano.

ANNOTATIO.

JOannes Abbas, Capuæ illustri loco natus, Principum Landulfi Primi, & Atenulfi Secundi consanguineus, vir animo infractus, literis eruditus, & ut eruditione, sic & sanctitate insignis, ex Archidiacono Capuano Monachus Casinensis: quo tempore, scilicet anno Dom. 915. Cœnobio Casinensi à Saracenis vastato, Monachi Capuæ habitabant, ob singularem morum maturitatem Abbas creatus est, Cœli limina petiit omni virtute prælucens, anno Domini 934. ac in Capuano Cœnobio tumulatus est, Sanctorumque dein Casinensium fastis sub pridie Kalendas Aprilis adscriptus legitur. Meminit Ferrarius in novo catalogo Sanctorum. De eo scribunt Leo Ostiens. Chron. lib. 1. cap. 56. 57. & 58. noster Petrus lib. MS. de ortu, & vita Just. Casinen. cap. 36. & Vossius de histor. Lat. lib. 3. Vide Sanctuar. Capuanum Michaëlis Monachi pag. 157. ubi diffusè de Joanne agit.

Chronicon, quod descripsit de persecutionibus Cœnobii Casin. & de miraculis inibi factis, ineditum adhuc remanet, illudque existimatur, quo in prologo sui Chron. usum se dixit Ostiensis his verbis: *Adhibui præcipuè Chronica Joannis Abbatis, qui primus in Capua nova Monasterium nostrum construxit.* Camillus Peregrinus histor. Princip. Langob. fol. 122. aliud Chronicon postremorum Comitum Capuæ hactenus ineditum in lucem evulgavit sub nomine nostri Joannis Abbatis, licèt autographum nomine ipsius Joannis careret, quod haud rarò antiquis Scriptoribus, & maximè Monachis, in more fuit, ut in editione librorum modestiæ ergo, nomen celarent suum; notarunt Viri Clarissimi Sixtus Senensis in sua Biblioth. lib. 4. in verbo, Mammotreptus, ac Theophilus Raynaudus in Raymundo Jordano, qui hactenus Idiotæ nomen præferebat.

CA-

CAPUT XVI.

DE THEODORICO.

THeodoricus Casinensis gymnasii Presbyter, Vir inter Scriptores Ecclesiasticos non immeritò prædicandus: Historiam Sancti Confessoris Christi Firmani, & hymnum in laudem Beatissimi Mauri venusto stylo descripsit.

ANNOTATIO.

QUisnam fuerit Sanctus Firmanus qui scire desiderat, consulat Card. Baron. in annal. Eccles. ad ann. DCCCCXCIII. qui citat etiam S. Petrum Damianum, ante cujus tempora vixit. Unde Ferrarius in catalogo Sanctorum sub die 11. Martii sic legit: *Firmanus, Firmii in Piceno natus, admirabili floruit sanctitate, qui inter sanctos Confessores, non solemni ritu, sed sola altaris, sacellive erectione relatus est.* Arnoldus Wion lib. 2. cap. 78. Lign. vit. in Theodorico hæc refert: *N. Theodoricus Monachus, & Sacerdos Monasterii Casinensis scripsit de vita Sancti Firmiani Episcopi lib. 1. De S. Mauro Abbate hymnum unum.* Vossius de histor. Lat. in Theodorico, nuncupat Firminum, & ait fuisse primum Ambianensem in Galliis Episcopum, qui temporibus Diocletiani martyrio decessit 7. Kalend. Octobris: utrique tamen decepti, ut credimus, ob solam nominis similitudinem, aut ob depravati forsitan codicis lectionem; Theodoricus enim noster Sancti Firmani Confessoris Ord. S. Benedicti vitam descripsit, non autem Firmiani Episcopi, aut Firmini pariter Episcopi. Fuit quidem Firmanus Monachus, & Abbas Monasterii Sancti Sabini in Firmana Civitate, at non Episcopus; decessitque ante Leonem Papam IX. Olim in Cathedrali Firmana huic Sancto dedicatum visebatur altare, & in Ecclesia Sancti Jacobi ad radices Montis Gerionis magno populorum concursu ejus festum celebrabatur, cui item visendum sanè altare consecraverunt. Legitur præterea Ubertus Episcopus Firmanus non solùm Ecclesiam Sancti Michaëlis Archangeli prope mare in fundo Rejano sitam anno Dom. MXVI. Abbati Firmano, & Monachis S. Benedicti concessisse: verùm etiam multa alia bona, prædiaque, anno MX. tradit Leo Ostiens. in Chron. lib. 2. cap. 26. Vide eruditissimum Ughellum, virtutibus omnibus perinsignem, ac in cumulandis Ecclesiasticis monumentis perpetuum cultorem, diligentissimumque indagatorem, tom. 2. Ital. sacr. in catal. Episc. Firmanorum in Uberto. Claruit Theodoricus circa annum Dom. MXII.

CAPUT XVII.

DE STEPHANO.

STephanus S. R. E. Pontifex, vir eruditissimus, ac singularis, priùs quidem S. R. E. Cancellarius ac dicti Casinensis Cœnobii Abbas effectus, post Richerii transitum carne simul & spiritu nobilissimus, dum causâ consecrationis suæ ad Urbem Romam pergeret, defuncto Victore Ecclesiæ Præsule à Cardinalibus, & Episcopis Romanus Pontifex eligitur. Scripsit apud Constantinopolim adversùs Michaëlem ejusdem Urbis abusivum Patriarcham unà cum Uberto librum de Corpore Domini, in quo omnia, quæ Græci adversùs Latinorum sacrificium delatrabant, destruxit. Alium etiam librum de eadem reedidit adversùs quendam Monachum Constantinopolitanum. Claruit verò temporibus Constantini, & Henrici Imperatorum; sepultusque est in Civitate Florentiæ, ubi multa signa, usque in hodiernum diem per eum Deus patrare non cessat.

ANNOTATIO.

STephanus Papa Decimus, antea Fridericus è nobilissima Familia Lotharingiæ, (aliqui nonum legunt, eo quia Pontificum catalogo Stephanum hujus nominis secundum Zachariæ Pontificis successorem non adscribunt, cùm dies tres solummodo in Pontificatu transegerit: quæ ratio non debet certè illum ab albo Summorum Pontificum expungere.) Fuit itaque frater magni Gotthifredi Regis Hierosolymitani: Vir quidem nobilitate sanguinis satis notus, sed animi splendore, & doctrina multò magis clarus. À Leone Papa IX. ejus consanguineo, Cardinalis Diaconus Sanctæ Mariæ in Dominica anno Dom. ML. ac etiam S. R. E. Cancellarius, & Bibliothecarius creatus legitur: Constantinopolim mittitur, Græcam Ecclesiam cum Latina conciliaturus; Michaëlem Cærularium Patriarcham ejusdem urbis deposuit, & anathematis vinculo innodavit; inde rediens, seculique tædio affectus, verùm pro certo habens illud Philosophi à Plutarcho singulari commentario celebratum, *Latens vive*, Casinum petit, ubi positis honorum insigniis ad exactam religiosæ humilitatis legem se totum composuit: Et post biennium communibus Monachorum suffragiis creatur Abbas in locum Richerii anno MLVII. IV. Kalend. Junii die Veneris post Pentecosten; deposito Petro, qui præproperè fuerat intrusus. Quare delati muneris confirmationem petiturus (nec enim fas erat Casinatem Præfecturam Romani Pontificis injussu adire) Florentiam, ubi per eos dies Victor Papa II. degebat, se contulit, à quo non solùm Abbas (quod quærebatur) sed iterum etiam Cardinalis tit. Sancti Chrisogoni, ex Archidiacono S. Mariæ in Dominica, factus Presbyter secunda promotione, isque solus, præter opinionem & votum renunciatur Anno MLVII. In reditu igitur è Tuscia, dum Romæ etiam subsisteret, nunciato Victoris obitu, per Bonifacium Episcopum Albanensem, mirifica Sacri Senatus conspiratione in demortui Pontificis locum sublegitur, adeò invitus ac reluctans, ut per vim ex hospitio ad Basilicam S. Petri ad vincula educendus fuerit, Pontificatumque ipsi procurantibus ajebat mœrens: *De me non potestis agere, nisi quod permiserit Deus, & absque illius nutu, nec mihi dare, nec auferre istud potestis.* Po-

ſtridie ingenti omnium ordinum acclamatione, ac lætitia in Vaticano conſecratus, Stephani decimi appellatione inſignitur Anno Domini MLVII. die Sabbathi II. Auguſti, quoniam Feſtum Sancti Stephani Papæ & Mart. eo die celebrabatur. Ita Fridericus nondum quadriennio Monachus, hoc Anno intra unum propemodum menſem, & Abbas Caſinenſis, & Card. S. R. E. ac tandem Summus Pontifex renunciatur. Rem illico Chriſtianam, quam perinvitus ſuſceperat, prudentiſſimè temperavit; ſiquidem adjecto animo ad veteris diſciplinæ inſtaurationem, multa piè, prudenterque conſtituit, & præcipuè contra concubinatum, aliaque plurima Cleri vitia, unde omnes Clericos Romæ degentes, qui poſt interdictum Papæ Leonis incontinentes extiterant, de conventu Clericorum & choro Eccleſiæ præcepit exire; & qui inobedientes ejus ſanctiſſimæ ordinationi reſiſtebant, Deus ultionum in eos ſigna demonſtrabat, ut notavit noſter Petrus Lib. MS. de ortu & vit. Juſtor. Caſin. Cap. LVIII. de quodam Presbytero, qui juxta Canonicam B. Cæciliæ Transtyberim habitans, fœminam abjicere non acquieſcebat, vana & frivola hæc judicans ſtatuta. *Dum itaque incolumis*, inquit Petrus, *vegetus, ac ſanus exiſteret, veſpertinis horis ad quieſcendum ſe in lecto compoſuit, ſed repentina divinæ ultionis animadverſione percuſſus ſubitanea morte mortuus eſt*. Falſorum Monachorum item ac Sanctimonialium vitam idem Pontifex reprehendit, & correxit. Simoniacam hæreſim in æternum damnavit. Mediolanenſem Eccleſiam, quæ per ducentos ferè annos à ſubjectione Romanæ Eccleſiæ inſolenter ſe ſubtraxerat, eidem obtemperantem fecit. Denique dum ſe totum in depravatis moribus corrigendis accommodaſſet, infirmæ tamen ſemper valetudinis, Florentiæ ſingulari omnium dolore ac luctu vitam cum morte, vel Cœlo potiùs commutavit Anno MLVIII. die XXVIII. Aprilis, ibique ſepultus in Cathedrali Eccleſia S. Reparatæ, abſque ulla inſcriptione, cùm ſediſſet decem menſes, totoque etiam vitæ ſpatio Abbatia Caſinenſi ſibi reſervata; conſtituto tamen illic ejuſdem Cœnobii Monacho Deſiderio Vicesgerente, qui poſtea Victor Papa III. eſt appellatus, exemplo Leonis Papæ IX. qui ſibi Epiſcopatum Tullenſem quoad vixit retinuerat, dato Suffraganeo. Sanctum Petrum Damianum Sabbatho quatuor temporum Martii in Collegium Cardinalium renitentem cooptavit, ac in Epiſcopum Oſtienſem etiam conſecravit, ut proinde ipſe Damianus in Epiſtola ad Nicolaum II. *Suum* vocaverit *perſecutorem Stephanum*. Ut etiam Hildebrandum S. R. E. Archidiaconum, *Sanctum Satanam*, utpote bona intentione adverſarium, nimirum, quòd votis de repetenda eremo conceptis pertinaciter obſtitiſſet, datis literis ad Alexandrum Papam II.

Res geſtas Stephani ſcripſerunt Sigebertus in Chron. ad Annum MLVIII. Leo Oſtienſ. in Chron. Lib. II. Cap. LXXVII. XCVI. C. & CI. qui ſuo tempore multa patrata fuiſſe ad ejus ſepulchrum miracula ſcribit. Ejus ſanctitas memoratur in Martyrologiis Arnoldi Wionis, Hugonis Menardi, & Andreæ Suaſſay. Vide etiam Lambertum Schafnaburgenſem in hiſt. Germ. ad Ann. MLVIII. Frizonem in Gallia purpurata, Sigonium de Regno Ital. Lib. IX. alioſque.

Scripſit præter memorata à Petro; epiſtolam ad Gervaſium Barbet Archiepiſcopum XLIII. Rhemenſem, habetur Tom. III. Biblioth. Patrum, & Tom. VII. Concil. apud Baron. ad Annum MLVII. num. 33. ac Papyrium Maſſonum: ſed malè ad Wilhelmum pro Gervaſio dicitur, cùm nullus reperiatur hoc nomine toto illo ſeculo Rhemenſis Archiepiſcopus.

Diplomata varia Pontificia fertur ſcripſiſſe, dum Bibliothecarii, ac Cancellarii S. R. E. officio fungeretur. Ejus decreta leguntur Coloniæ excuſa cum aliis, teſte Poſſevino in Apparatu. Si plura de ſcriptis Stephani videre optas, adeas Rupipozeum Epiſcopum Pictavienſem in nomenclatura. Card. Poſſevinum in dict. Apparat. & Claudium Robertum in Gervaſio Barbet.

CAPUT XVIII.

DE VICTORE.

Victor, & ipſe Apoſtolicæ Sedis Pontifex, Caſinenſis Abbas, compunctione timoris Dei plenus, caſtitate ſingulari, profeſſione & opere Monachus, in nuptiis ſponſam ſuam relinquens, eremum petiit, ibique ſanctæ religionis habitum ſumſit: cujus fugam rabido furore inſequentes parentes, eum repertum veſte monaſtica exuunt, militaribuſque illum tegminibus induentes, ad ejus genetricis domum Samnium uſque deducunt. Inde igitur, nacta quadam hora aufugiens, Sanctæ Trinitatis Cœnobium petiit. Inde igitur Magellæ eremum, ac dein Montem Caſinum adveniens, monaſticam iſthic conſecrationem accepit. Factus deinde Abbas, totum Caſinum Cœnobium renovavit. De miraculis præterea, quæ à B. Benedicto, & à Monachis Caſinenſibus geſta ſunt, unà cum Theophilo Diacono libros edidit quatuor. Cantum etiam B. Mauri compoſuit, in quibus qui vult artis Grammaticæ tramitem, & Monochordi ſonori Magade reperiet notas. Factus dehinc Sedis Apoſtolicæ Pontifex ſcripſit ad Philippum Regem Francorum, ad Ugonem Cluniacenſem Abbatem quamplures epiſtolas. Claruit autem temporibus Imperatorum Michaëlis, Conſtantini, Alexii, atque Henrici. Sepultus verò eſt in abſyda Capituli Caſinenſis.

ANNOTATIO.

Victor Papa Tertius, in ſeculo Dauferius, deinde Monachus, Deſiderius vocatus, Samnio Beneventani Principis unica proles originem trahens, ex familia Epiphania natus Anno Domini MXXVII. à primis annis amores ſuos, ac delicias in cœlo collocans, in ere-

eremum clam secedit (erat enim seculi rigidus aspernator) deinde inter Casinates opera Romani Pontificis admissus fuit, nihil aliud in votis habens quàm latêre, & nesciri: unde de illo verè dici poterat, quod hodie in effigie Thomæ Kempensis legitur: *In omnibus requiem quæsivi, sed non inveni, nisi in abditis recessibus, & libellis*. Non multò post igitur, videlicet Ann. MLVI. ætatis suæ XXX. Abbas Casinensis eligitur, (qui ante electionem S. Benedictum sibi hilari vultu, manu porrecta innuentem, & juxta se considere jubentem per visum aspexit: quæ visio Casinensis Cœnobii eum Abbatem futurum indicabat) & à Romano Pontifice in procurandis magni momenti negotiis ad Michaëlem Imperatorem Legatus mittitur, è qua legatione postea regressus, administrationem denuo Cœnobii Casinensis suscepit & à Nicolao Papa II. Anno Domini MLIX. inter Cardinales, tit. S. Cæciliæ cooptatur. Extincto apud Salernum Gregorio VII. Desiderius omnium consensu, Christianæ Reipublicæ præficitur, quo, ille, accepto nuncio, tanquam repentinæ calamitatis inopinato casu perculsus, nunquam persuaderi potuit, ut electioni assentiretur, disertè contestans, se Pontificem esse nolle, & deposita cruce, chlamyde coccinea, cæterisque Pontificiis ornamentis, præter albam, quam renitenti non potuerunt imponere, Casinum, generosa seculi fuga, ad suos remigrat; sed quia deliberatum erat, neminem alium, ipso superstite, ac vivo, ad illud dignitatis culmen evehere, importunis Cleri, Principumque precibus victus Pontificatum admittit Anno Domini MLXXXVI. IX. Kalend. Junii, qui minimè postea consecrari passus est, usque ad XIII. Kalendas Aprilis die Dominico in Ramis palmarum, in Diaconia Sanctæ Luciæ ad Septisolium Ann. MLXXXVII. Quo tempore, dum Victor rem divinam faciebat in Monasterio Casinensi, ad gloriæ immortalis conscendit sublimitatem Anno ætatis suæ LX. XVI. Kalend. Octobris (veneno in calicem infuso, Henrici IV. Imp. Pseudopapæ insidiis suspicantur nonnulli. Vide Genebr. Lib. IV. Chron.) dignus vivere annorum seriem innumerabilem, cùm præfuisset in Sede Apostolica ab ipso suæ electionis exordio annum unum, à consecratione menses quatuor, dies septem, & in Martyrologio Benedictino sub die XVI. Septemb. adscriptus hoc elogio. *In Monasterio Casinensi obitus Beati Victoris Papæ Tertii, sanctitate vitæ, & miraculorum gloria clarissimi*. Michaël Constantinopolitanus Imperator Victorem nostrum fama notissimum venerabatur, eique nuntios, & plura munera misit: postulans, ut pro se, filiis & Imperii statu Deum exoraret. Leo Ostiens. in prologo Lib. III. Chron. Casin. admirabilem, & singularem sui Ordinis virum Desiderium appellavit, & Sanctus Petrus Damiani Archangelum Monachorum. Ejus sepulchrum visitur in Capella Sancti Bertharii Abbatis, & Martyris ad sinistrum Altaris cornu, hoc ornatum epitaphio:

Qui fuerim, vel quid, qualis, quantusque doceri
Si quis fortè velit, aurea scripta docent.
Stirps mihi magnatum, Beneventus patria, nomen
Est Desiderius, tuque Casine decus.
Intactam sponsam, matrem, patriamque, propinquos
Spernens, huc propero, Monachus efficior.
Abbas dehinc factus, studui pro tempore totum
(Ut nunc aspicitur) hunc renovare locum.
Interea fueram Romana clarus in Urbe
Presbyter Ecclesiæ, Petre Beate, tuæ.
Hoc senis lustris, minùs anno, functus honore
Victor, Apostolicum scando dehinc solium.
Quatuor, & semis, vix mensibus inde peractis,
Bis sex lustra gerens, mortuus hic tumulor,
Solis virgineo stabat lux ultima Signo,
Cùm me Sol verus hinc tulit ipse Deus.

Multa dum vixit scripsisse fertur, inter quæ adsunt tantùm Dialogi sub hoc programmate evulgati. *Victoris Tertii Rom. Pontif. olim Desiderii Abbatis Casinensis Dialogi.* Diversa enim miracula in eis à S. Benedicto, aliisve Monachis in Casinensi Cœnobio, & alibi patrata leguntur, quos annis superioribus Romæ in 8. forma in lucem è Vatic. Biblioth. depromptos edidimus, notisque illustravimus.

Cantus, quem de Sancto Mauro composuit (erat enim Musices & Medicæ artis peritissimus) in Odeo Monasterii Casin. legitur: nota tamen, quòd Magadium in dicto cantu indicatum, ea pars est lyræ, in qua plectrum illiditur, ubi scilicet percussio chordarum fit manu dextra, ut Budæus notavit. Vide Librum de Harmonia psallentis Ecclesiæ Cap. XVII. §. III. num.V. circa finem, Dom. Joannis Bona Cong. Sancti Bernardi Ord. Cisterc. Abbatis dignissimi, viri omnigena literarum eruditione instructissimi, validisque præsidiis disciplinarum omnium tam metro, quàm prosa nobiliter instructi.

De rebus gestis Victoris agunt Leo Ostiens. Lib. III. per totum. Bimius in VII. Tom. Concil. Sigonius Lib. III. de Regno Italiæ, Arnoldus Wion Lib. V. pag. 633. Lign. vitæ: Albertus Crantzius, Baron. ad An. MLXXXVII. Camil. Peregr. histor. Princ. Langob. in serie Abb. Casin. in Desiderio, aliique.

CAPUT XIX.

DE ALPHANO.

Alphanus Salernitanus Archiepiscopus, & Casinensis Cœnobii Monachus, vir in Scripturis Sanctis eruditus, & notitia Ecclesiasticorum dogmatum ad plenum instructus. Composuit nudo, & lucidissimo sermone passionem Sanctæ Christinæ, Hymnos præterea de eadem Virgine duos. De Sancto Benedicto versus ad Pandulphum Marsorum Episcopum. Cantus S. Sabinæ. Versus Sanctæ Christinæ. S. Petri Apostoli. In laudem Monachorum Casinensium. De Situ constructione ac renovatione ejusdem Cœnobii: metrum saphicum hendecasyllabum de S. Mauro; item ejusdem Hymnos; de Sancto Matthæo Hymnos tres: de Sancto Fortunato duos: de Sancto Nicolao: ad Attonem Episcopum Theatinum; ad Gisulphum Principem Salernitanum; ad Sigismundum Monachum Casinensem; ad Guilielmum ejusdem loci Grammaticum;

ad

ad Guidonem fratrem Principis Salernitani; ad Goffridum Aversanum Episcopum, ad Hildebrandum Archidiaconum Romanum; ad Romualdum Causidicum Salernitanum; ad Roffridum Monachum Casinensem: metrum heroicum in honorem Sanctorum duodecim Fratrum; Confessionem metricam ejus; Versus de Ecclesia Sancti Joannis Baptistæ in Casino, Epitaphia quamplurima virorum insignium, & alia, quæ in nostram notitiam non venerunt. Fuit autem temporibus supradictorum Imperatorum; sepultus verò est apud Salernum.

ANNOTATIO.

Alphanus Salernitanus, primò Monachus Casinensis, deinde postulatione Gisulfi Principis, Abbas Monasterii Sancti Benedicti Salerni, & postremò ejusdem Civitatis Archiepiscopus renunciatur Anno Domini MLVII. interfuisse enim legitur Concilio Romano sub Nicolao II. scientiæ tanto lumine cum sanctitate conjuncto prædictus dicitur, ut illius seculi hominibus pro miraculo fuerit: Philosophus, Theologus, ac Orator celeberrimæ opinionis, Poëticæque artis disertissimus; Neque verò alienum ab Episcopi dignitate existimandum, quòd in Dei laudibus Poëticam maximè adhibuisset, cùm & Paulus Gentium Doctor hymnis & canticis Deum celebrari jubeat; nec jam inde ab initio nascentis Ecclesiæ exempla desuerunt. Quo in numero familiam ducunt Damasus Pontifex, Nazianzenus, Damascenus, Paulinus, Fortunatus, Prosper, Sidonius, cæterique Præsules. Lucubrationes, quas notavit noster Petrus, editæ habentur apud V. Cl. Ughellum in calce Tom. II. Italiæ Sacræ, demptis versibus, quos scripsit in laudem Romualdi Causidici, & Sigismundi Monachi Casinens. quos MSS. servamus.

Insuper exaravit Alphanus præter recensita, quædam insignia profundi sensus opuscula, videlicet. De unione verbi Dei & hominis librum unum. De unione Corporis & Animæ librum unum. De quatuor humoribus corporis librum unum. Extabant prædicta doctrinæ consummatissimæ monimenta in Casin. Biblioth. MSS. in pluteo 8. ad sinistram; num verò hodie, nondum comperimus, quamvis illa cum diligentia ab antiquitatum Eccles. indagatoribus perquisierimus. Passio Sanctorum Martyrum duodecim Fratrum Beneventanorum, licèt non una die sint passi, quam metro heroico in honorem dictorum Sanctorum scripsit ad Fratrem Roffridum Casinensem Monachum, legitur apud Lippomanum Tom. IV. & Sur. Tom. VII. sub die prima Septembris, cujus etiam mentionem facit Galesinus in not. ad Mart. servaturque etiam MS. in nostro tenui literario penu.

Notandum tamen est, quòd non solùm ex isto nostro MS. exemplari versus editi emendantur; verùm etiam ex aliis centum versibus hactenus ineditis metrum heroicum suppletur, sequitur enim:

Sic sacra temporibus Sanctorum corpora multis &c.

Terminatur sic:

Jam sistat opus milleno carmine clausum.

Historiam prædictam ad fidem dicti MS. Cod. correctam, omnibusque numeris absolutam Deo dante evulgabimus. Commentatus quoque est de aliis Sanctis, quæ à Trithemio prætерita Possevinus recenset.

Aliorum hymnorum, & carminum libri unà cum epitaphiis, partim excusi sunt in tertio Tom. poëmatum Prosperi Martinengii in 4. Romæ MDLXXXIX. & in Annal. Card. Baron. Tom. XII. partim verò in calce Tom. II. Italiæ sacræ. Inter opuscula Guaiferii Salernitani Monachi Casinens. Cod. sign. num. 280. Biblioth. Casin. cuncta Alphani poëmata intexta nunc habentur.

Claruit Alphanus velut Sol cunctis fulgidus, virtutis exempla, felicitatisque tramitem subditis præmonstrans, ultimis Henrici Tertii, ac primis Henrici Quarti temporibus, Anno scilicet Dom. MLVII. usque ad Annum MLXXXVI. post vigesimum nonum Annum sui præsulatus; mense Maji: qui etiam fuit inter Sanctos relatus; inquit Arnoldus Wion. Hinc corrigendum Falconis Chronicon editum à Viro Clar. Antonio Caracciolo, in cujus indice hæc leguntur. *Alphanus Archiepiscopus Salernitanus obiit ann. 1121. Succedente sibi Romualdo Chronici Scriptore. Falco 220. Fuit Auctor Poëmatum, quæ servat Bibliotheca Vaticana, ut testatur Baron. Tom. 12. ad annum 1111. Diversus est ab Alphano illo seniori, qui consecratus est Archiepiscopus anno 1058. de quo Leo Ostiens. lib. 2. cap. 99. 100.* Noster enim Alphanus, qui auctor est poëmatum, fuit electus & consecratus Archiepiscopus Salernitanus à Stephano Papa X. anno 1057. non autem senior Alphanus, ut clarè docet Leo Ostiens. in Chron. lib. 2. cap. 97. ac etiam lib. 3. cap. 7. 8. & 35. Adi Vossium de histor. Lat. in Alphano.

CAPUT XX.

DE AMATO.

Amatus Episcopus, & Casinensis Monachus, in Scripturis disertissimus, & versificator admirabilis. Scripsit ad Gregorium Papam versus de gestis Apostolorum Petri & Pauli, & hos in quatuor libros divisit: fecit & de laude ejusdem Pontificis, de duodecim lapidibus, & civitate cœlesti Hierusalem. Historiam quoque Nortmannorum edidit, eandemque in libros octo divisit. Fuit autem temporibus supradictorum Imperatorum.

ANNOTATIO.

Fuit Amatus Provincia Campania, scriptor sui temporis non contemnendus, ac deinceps Episcopus, incertæ tamen Sedis. Scripsit ad Gregorium VII. Papam de gestis Apostolorum Petri & Pauli. Historiam Nortmannorum dicavit Desiderio Abbati, qui fuit Victor Papa III. testis est noster Petrus in auctario Chron. Casin. lib. 3. cap. 35. illamque hodie non extare, nisi MS. in Casinensi Biblioth. affirmant aliqui, non exiguo sanè historiæ Ecclesiasticæ, ac prophanæ bono, cùm in ea mul-

multa scitu digna accuratèque descripta legantur, præcipuèque verò Nortmannorum ritus, ac res gestæ fideliter exaratæ explicentur. Animadverterunt enim curiosi exteros ferè accuratiùs, quàm incolas, gentis cujusque mores, ritus, antiquitatem & observasse, & literis mandasse. Non longè abierimus. Græci, Dionysius Halicarnassæus, Plutarchus Chæroneus, Dio Cassius, & Herodianus copiosiùs, quàm Latini, Livius, & Paterculus cæterique in suo quisque genere res Romanas. Vivebat Amatus anno Domini 1070. sicuti per ea tempora inter Casinates sanctitate, & literis etiam florebant Albericus, Constantinus, Guaiferius, & Alphanus.

CAPUT XXI.

DE ALBERICO.

Albericus Diaconus, vir illis temporibus singularis. Scripsit librum dictaminum, & salutationum. Hymnos in Sancti Nicolai, in Musica Dialogum. Librum de virginitate Sanctæ Mariæ: contra Henricum Imperatorem de electione Romani Pontificis. De Astronomia. Hymnos in S. Crucis, in Ascensionis, in Sancti Pauli, in Sancti Apollinaris: vitam S. Scholasticæ, Homiliam ejus, & hymnos, in Assumptionis S. Mariæ hymnos tres, in Sancti Petri hymnos: vitam S. Dominici: passionem S. Modesti, & S. Cæsarii: Librum de Dialectica. Temporibus verò ejus facta est Synodus in Urbe Roma adversùs Berengarium Diaconum Ecclesiæ Andegavensis, qui inter multa, quæ astruere nitebatur, dicebat, sacrificium Corporis & Sanguinis Domini figuram esse: cùmque ei nullus resistere valeret, idem Albericus evocatur ad Synodum: quò dum venisset, post varia conflictationum genera, cùm pars parti non cederet, idem Albericus, acceptâ hebdomadæ unius licentiâ librum adversùs eundem Diaconum de Corpore Domini edidit Sanctorum Patrum testimoniis roboratum, in quo omnes assertiones ejus destruxit, æternæque oblivioni tradidit. Fecit & versus in vitam S. Scholasticæ, Rhythmum in Pascha, de die Judicii, & de pœnis Inferni. Rhythmum de Gaudio Paradisi. Epistolas quoque quamplurimas ad Petrum Ostiensem Episcopum. De die mortis. De Monachis. Composuit & alia, quæ in nostram notitiam non venerunt. Fuit autem temporibus supradictorum Imperatorum. Sepultus verò est in Urbe Roma juxta Ecclesiam Sanctorum Quatuor Coronatorum.

ANNOTATIO.

Albericus Monachus Casinensis & S.R.E. Diaconus Cardinalis Sanctorum Quatuor Coronatorum à Stephano Papa X. creatus, alii ab Alexandro II. Papa legunt; vir disertissimus, multisque virtutibus suo tempore clarus, quem iterum honorifico satìs elogio idem noster Petrus Diaconus in auctario ad Ostiens. Chron. Lib. III. Cap. XXXV. commemorat. Librum integræ vix hebdomadæ interjectu elaboratum adversùs Berengarium Hæresiarcham de Corpore Domini, Patrum testimoniis roboratum edidit, quo ejus omnes assertiones omnino evertit, ipsumque devicit, ac profligavit secunda vice sub Gregorio VII. Ann. MLXXIX. in Synodo Romana; ut tanti proinde Sacramenti defensor dici promeruerit; unde postea Berengarius rationibus potissimùm Alberici superatus ac victus, pœnitentia ductus, errorem suum confitens, susceptа peregrinatione toto tempore vitæ suæ satisfecit peccato, & Anno Domini MLXXXVIII. die Epiphaniæ obiit nonagenarius, in templo S. Cosmæ apud Turones sepultus. Scribit Claudius Robertus in sua Gallia Christiana, ubi de Episcopis Andegavensibus agit. Vide notas Viri Clar. Auberti Miræi in Sigebertum Cap. CLIV. Berengarii abjurationem habes cap. Ego Berengarius, de consecr. dist. 2. Aliam in regest. Gregorii VII. lib. 3. & 6. in Synodo: cui repetitioni, quid causam dederit, exponitur in Scholiis Conciliorum, quæ Coloniæ quatuor Tomis sunt impressa. Vide Bellarminum lib. 3. de Euchar. cap. 8. col. 3. Blondum decad. 2. lib. 3. Lanfrancum, & Guitmundum contra Bereng. Notat Card. Baron. Tom. 11. Ann. 1059. Leonem Ostiensem nimis glorianter, ac valde mendaciter loquutum de Alberico, dum plus quàm par est, de reportata gloriosa victoria in Synodo, contra Berengarium, eidem Alberico tribuat: cujus objectionem refellit Matthæus Lauretus de exist. Corp. S. Benedict. cap. 42. pag. 204. Plus etiam refert animadvertere, non esse Leonis ea, quæ notavit Baron. sed ejusdem nostri Petri Diaconi, qui post Leonem incipiens à renovatione Ecclesiæ Sancti Martini, idest, lib. 3. cap. 34. edit. Neapol. Chronicon Casinense continuavit; in qua parte, videlicet cap. 35. laudes & elogia Alberici à Petro describuntur, sive denuo repetuntur.

Meminit Alberici noster Petrus lib. MS. de vita Just. Casin. cap. 48. in Guaiferio his verbis: *Cùmque jam remunerationes laborum, perennemque coronam æternus dare ei* (Guaiferio) *Arbiter decrevisset, languore deprimitur: qui in lectulo jacens extremum vitæ spatium jam jam ad Dominum reversurus trahebat: nonnulli è fratribus circa lectum ipsius excubantes obitum ejus orationum precibus munire cœperunt. Cùmque in hujus ministerio rei diei maximam partem pertransissent, surgens in medium Albericus Diaconus per Jesu Christi Domini nomen obtestari eundem Guaiferium cœpit, ut post suum è mundo recessum qualiter susceptus, quove in loco deputatus esset, eidem apparens revelare curaret: quo dicto, prædictus frater ex hoc mundo recessit. Post non multos autem dies idem Guaiferius eidem Alberico per visionem apparens dixit ad eum: In veritate scias, me ad vitam transisse æternam.* Hæc Petrus.

Cun-

Cunctæ lucubrationes Alberici habentur MSS. in Biblioth. Cœnobii Sanctæ Crucis Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci Civitatis Florentiæ. Vita S. Scholasticæ habetur quoque MS. in Biblioth. Casin. Cod. sign. num. 146. pag. 253. post quam sequitur ejusdem Alberici quædam homilia, Incipit: *Audistis, fratres charissimi*.

In vita Sancti Dominici innumerabilium patratoris miraculorum, Monachi Casinensis ac Abbatis juxta Soram in Italia (licèt habitu Cistercensium pingatur, quem constat, diu ante Cisterciensem reformationem vixisse Casinensibus Benedictinorum institutis) per nostrum Albericum descripta, apud Vir. Clar. Bollandum Tom. 2. sub die 22. Januarii, nonnulla desiderantur, quæ ex nostro MS. exemplari suppleri possent. Meminit Baron. Sancti Dominici Anno 1031. & Ferrarius in Catalogo Sanctorum.

Cæterùm verò notandum, quòd alius ab eo est Albericus, Monachus pariter Casinensis, qui scripsit de visione sua librum, natus Anno 1101. circiter; legitur enim apud nostrum Petrum in auctario Chronici Leonis Ostiensis lib. 4. cap. 66. Casinense Cœnobium petiisse annum tunc agens ætatis suæ decimum, sub Gerardo Abbate, qui sedit ab Ann. 1111. usque ad Annum 1123. Stephanus verò Papa X. à quo in cœtum Cardinalium fuit cooptatus noster Albericus, obiit Anno 1058. Unde diversus manifestè dignoscitur, & corrigendus Bollandus in prolegom. supradictæ vitæ Sancti Dominici, unum & eundem esse opinans. Insuper observandum nostrum Albericum Card. non scripsisse de visione sua librum, ut incogitatè notarunt Arnoldus Wion, Possevinus, Torrigius, aliique, quem utique indicasset noster Petrus in Elencho lucubrationum Alberici, si literis demandasset; cùm visionem habuerit illam Albericus puer natione Campanus ex Oppido Septemfratrum, qui postea Cœnobium Casinense petiit sub Girardo Abbate, ut dicemus infra in Guidone & notavit supradicta noster Petrus in auctario ad Chron. Casin. Pariterque corrigendus venit Alphonsus Ciaconius cæterique etiam, qui de Cardinalium gestis conscripserunt, notantes Albericum Cardinalem esse natione Campanum ex Oppido Septemfratrum, dum putant Albericum Diaconum Monachum Casinensem, dein Card. & Albericum puerum, unum & eundem esse, ex nominis similitudine, ut credimus, decepti.

Extant epistolæ S. Petri Damiani ad nostrum Albericum Tom. 1. lib. 2. epist. 20. 21. in quibus quæstiones quasdam ab Alberico sibi propositas discutit: laudat & Platina in Nicolao II. vocans eum virum doctissimum.

Florebat Albericus Ann. Dom. 1084. & ætas ex eo satis cognoscitur, quòd pro Gregorio Papa VII. calamum strinxerit adversùs Henricum IV.

CAPUT XXII.

DE ARIALDO.

ARialdus Casinensis Presbyter scripsit eleganti sermone quosdam tractatus; Fuit autem eo tempore quo & Albericus.

Claruit Anno MLXXX.

CAPUT XXIII.

DE CONSTANTINO.

COnstantinus Africanus, ejusdem Cœnobii Monachus, Philosophicis studiis plenissimè eruditus, Orientis, & Occidentis magister, novusque effulgens Hippocrates. De Carthagine, è qua ipse oriundus erat, egrediens, Babyloniam petiit, in qua Grammaticam, Dialecticam, Physicam, Geometriam, Arithmeticam, Mathematicam, Astronomiam, Necromantiam, Musicam, Physicamque Chaldæorum, Arabum, Persarum, Saracenorum plenissimè edoctus est: inde discedens Indiam adiit, eorumque se studiis erudiendum tradidit: & dum Indorum artes ad plenum edoctus fuisset Æthiopiam petiit, ibique rursus Æthiopicis disciplinis eruditur. Cùmque affatim eorum studiis repletus fuisset, Ægyptum profectus est, ibique omnibus Ægyptiorum artibus ad plenum instruitur. Completis igitur in ediscendis hujusmodi studiis triginta & novem annorum curriculis, Africam reversus est, quem cùm vidissent ita ad plenum omnibus gentium studiis eruditum, cogitaverunt occidere eum: quod Constantinus agnoscens clam navem ingressus Salernum advênit, ibique sub specie inopis aliquamdiu latuit: deinde à Fratre Regis Babyloniorum, qui tunc ibidem advenerat, agnitus, ac in magna honorificentia apud Robertum Ducem habitus est. Exinde verò Constantinus egrediens, Casinense Cœnobium petiit, atque à Desiderio Abbate libentissimè susceptus Monachus factus est. In eodem verò Cœnobio positus, transtulit de diversis gentium linguis libros quamplurimos, in quibus præcipuè sunt Pantegnum, quod divisit in libros duodecim, in quo exposuit: quid medicum scire oporteat. Practicam, in qua posuit qualiter medicus custodiat sanitatem, & curet infirmitatem, quam divisit in libros duodecim. Librum duodecim graduum. Diætam ciborum. Librum febrium, quem de Arabica lingua transtulit. Librum de urina. De interioribus membris. De coitu. Viaticum, quem in septem divisit partes, primò de morbis in capite nascentibus: dehinc de morbis faciei: de instrumentis: de stomachi & intestinorum infirmitatibus: de infirmitatibus epatis, renum, vesicæ, splenis, & fellis. De his quæ in generativis membris nascuntur: de omnibus quæ in exteriori cute nascuntur, exponens aphorismi librum: Te-

Tegni, Megategni, Micotegni, Antidotarium: disputationes Platonis, & Hippocratis in sententiis. De simplici medicamine. De Gynæcia, idest de membris ac corporibus fœminarum. De pulsibus. Prognostica. De experimentis. Glossas herbarum & specierum. Chirurgiam. Librum de medicamine oculorum. Hic vir quadraginta annis in ediscendis diversarum gentium studiis explevit, novissimè verò senex, & plenus dierum in Casino obiit. Fuit autem temporibus supradictorum Imperatorum.

ANNOTATIO.

Constantinus ad eorum morem, qui à Dipsade morsi sunt, plenis faucibus avidè, & sinè interspiratione cunctas physicas disciplinas haurire constituit, ut omnes dein faterentur novum Hippocratem Orbi effulsisse; eamque ob causam Hebræam, Syram, Chaldaicam, Græcam, Latinam, Italicam, Persicam, Arabicam, Ægyptiacam, Æthiopicam, & Indicam linguam discere curavit. Vir quidem suapte natura ad res difficiles, obscurasque in antiquorum libris pervestigandas valde propensus, ut nemo illum in ætate sua vicerit, paucissimi æquarint, linguarumque omnium exacta notitia, quæ ad homines illustrandos una ferè sufficere semper existimata est, exiguam partem in hujus Viri, verè polyglossi laudibus occupaverit, sed profectò pro tanti Viri laudibus, jejunè, aridèque. Ejus opera conquisita magno studio Basileæ apud Henr. Petri ann. 1536. in folio excusa reperiuntur: Extare etiam MSS. in Biblioth. Sancti Germani de Pratis Cod. sign. num. 439. scribit Labbeus in nova Biblioth. MSS. libr. p. 50. uti etiam nonnulla in diversis Biblioth. Patavinis memorat V. Cl. Thomasinus Episcopus Æmonensis in Bibliotheca Patavina. Claruit Constantinus temporibus Imperatorum Michaëlis, Constantini, Alexii, atque Henrici anno 1072. circiter. Vide nostrum Petrum Diaconum in auctario Chron. Casin. lib. 3. cap. 35. Trithem. de Script. Eccles. & de Vir. Illustr. Ord. S. Bened. lib. 2. cap. 70. & Arnoldum Wionem lib. 5. cap. 98. Lign. vitæ.

CAPUT XXIV.

DE ATTONE.

Atto Constantini Africani auditor, & Agnetis Imperatricis Capellanus, ea, quæ supradictus Constantinus de diversis linguis transtulerat, cothurnato sermone in Romanam linguam descripsit.

ANNOTATIO.

Atto, sive Haito, vel Hetto: Variè enim id nomen scribitur, floruit anno 1070.

CAPUT XXV.

DE PANDULPHO.

Pandulphus Ostiensis Episcopus; parvulus & ipse in Casino B. Benedicto oblatus, scripsit sermones de totius anni festivitatibus: Rhythmum quoque in laudem Sanctæ Mariæ composuit, & alia nonnulla, quæ nostris in manibus nec dum venerunt. Fuit verò temporibus Alexii, Joannis, Henrici, Lotharii que Imperatorum.

ANNOTATIO.

Pandulphus Monachus Casinensis primùm à Paschale Papa II. Presbyt. Cardinalis, deinde ab Innocentio Papa Secundo Episcopus Ostiensis creatus anno 1131. obiit an. 1134. ut scribit Arnoldus Wion lib. 2. cap. 9. pag. mihi 190. Lign. vitæ, subdens hunc esse, cui noster Petrus Diaconus opusculum istud de Vir. Illustr. Casin. dedicarit; sed memoria ille quidem excidit, cùm ille fuerit Episcopus Theanensis, ut ex Catalogo librorum ab eodemmet Petro prætexto in auctario histor. Casin. lib. 4. cap. 65. legitur; ex supramemorata temporis supputatione, alisque difficultatibus labi forsan nostrum Petrum circa titulum Episcopatus observavit Vir Clar. Ughellus in Ital. sacr. in Catalog. Episcop. Ostiens. Adi, si lubet, ipsum.

CAPUT XXVI.

DE PANDULPHO.

Pandulphus Capuanus Presb. in Casino sub Desiderio Abb. Monachus factus, divina, sæcularique literatura eruditus scripsit ad Petrum Salernitanum Abbatem librum de calculatione, Versus de termino Paschæ Hebræorum; de circulo solari ad concurrentes inveniendos; de Cyclo lunari, de feria Paschæ Hebræorum invenienda; ad annos Domini inveniendos: qualiter sint inveniendæ indictiones. De Luna cujusque diei invenienda absque Embolismorum contrarietate: Quomodo fallunt qui se scire putant, quot horis, vel punctis Luna in unaquaque nocte luceat. Quibus modis cursus Solis dividatur: quomodo efficiatur bisextus; ad ferias Kalendarum inveniendas: Qualiter vel unde regulæ ad ferias mensium inveniendas præcedant. Quomodo regula terminorum Hebræorum ex cursu Solis inveniatur: ad feriam uniuscujusque diei inveniendam. De quatuor temporibus, in quibus datariis solstitia veraciter esse debeant: ubi æquinoctia veraciter credantur esse. Quomodo Adven-

ventus Domini sit inveniendus. Ut litera hebdomadarum per totum annum memoriter inveniatur. Quomodo Christus sit passus in tertio Kalendas Aprilis. Quomodo anni ab origine mundi omnes fallunt. Qualiter Luna quintadecima non potest ad illam diem, qua facta fuit; pertinere. De Assumptione Sanctæ Mariæ. De Agnete Imperatrice. Fuit autem temporibus Michaëlis, & Alexii Imperatorum.

ANNOTATIO.

EX præfatis luculentis eruditionis, ac doctrinæ monimentis nonnulla asservari in Biblioth. Casinensi Cod. sign. num. 3. sub hoc Lemmate, *Canones Mathematici*, Camillus Peregrinus virtute, doctrinaque ornatissimus nobis humanissimis literis communicavit. Floruit Pandulphus anno Dom. 1060.

CAPUT XXVII.

DE LANDENULPHO.

LAndenulphus Capuanus sub Desiderio Abbate Monachus factus est. Scripsit sermone simplici librum, qui appellatur...... in quo introduxit Dominum, & Virginem Mariam, ac Sanctissimum Benedictum justis ac peccatoribus loquentes. Fuit eo tempore quo & Alphanus.

Claruit Anno Domini MCL.

CAPUT XXVIII.

DE ODERISIO.

ODerisius primus Casinensis Abbas, humilitate summus, castitate pudicus, spirituali lumine præditus, versificatorque mirabilis. Scripsit nonnulla, quæ, quia præ manibus habentur, omitto referre. Fuit autem temporibus supradictorum Imperatorum.

ANNOTATIO.

ODerisius Oderisii Comitis Marsorum filius Campanus ex Diac. Card. Sanctæ Agathæ, Nicolai II. Papæ Presbyt. Cardinalis tit. Sancti Cyriaci in Thermis, & Abbas Casin. ab Urbano II. ordinatus est ann. 1087. 16. Kalend. Octobris, sanctitatis & doctrinæ meritis nobilitatus abiit ad præmium 4. nonas Decembris 1105. & Casini sepultus in Ecclesia Sancti Benedicti. Meminit Martyrolog. Benedict. ad diem 2. Decembris, & Ferrar. in Catalog. Sanctorum. Ejus in antiquo lapide mentio fit in Ecclesia Sancti Joannis in Venere in agro Lancianensi. Oderisii maxima per literas usus est amicitia Alexius Comnenus Constantinopolitanus Imperator. Henricum IV. Cæsarem, quamvis Ecclesiæ hostem, sui tamen Monasterii amicum & fautorem habuit. De gestis ejus vide Ostiens. lib. 3. cap. 15. hist. Casin. & Camill. Peregrin. in serie Abb. Casinens. in Oderisio. Extat epistola Oderisii ad Monachos Floriacenses, quam refert Lauretus de exist. corp. S. Benedicti in Monast. Casin. cap. 26. pag. 122.

CAPUT XXIX.

DE BENEDICTO.

BEnedictus qui & Guaiferius, Salernitanus, sanctitate & religione conspicuus, suavis eloquio, ingenio magnus, sermone facundus. Scripsit ad Trojanum Episcopum vitam Sancti Secundini, & cantum ejus. Versus in laudem Psalterii. De miraculo illius, qui se ipsum occidit, & per Beatum Jacobum vitæ redditus est. De conversione quorundam Salernitanorum. De laude Sancti Martini. In laudem Sancti Secundini. Hymnos de eodem. Homiliam de Adventu. Sermones de Nativitate Domini. De Epiphania. De Cœna Domini. De Septuagesima. De Ramis Palmarum. Passionem Sancti Lucii Papæ. Claruit autem temporibus Alexii & Henrici Imperatorum, ac Desiderii Abbatis.

ANNOTATIO.

OPuscula MSS. Guaiferii seu Gauferii, charactere Langobardico in priscis membranis exarata habentur in Bibliotheca Casinensi sub num. 280. hoc titulo præsignata. Gauferii Monachi Casinensis homiliæ. In Adventu Domini incipit: *Verba Sancti Evangelii*. In Nativitate Domini. *Ex Patre Majestatis*. In Epiphania. *Sempiterni pudoris*. In Septuagesima. *Per parabolam conductoris*. In Ramis Palmarum. *Singularem, & famosissimam*. In Cœna Domini. *Ad gloriosissimam Redemptoris*. Passio Sancti Lucii Papæ. *Fortissima & præclara virtutum studia*. Historia Sancti Secundini Episcopi Trojani. *De bono dilectionis*, quam in Catalogo Sanctorum Ferrarii sub die 11. Febr. compendio descriptam etiam reperies. Sequuntur in eodem Cod. MS. carmina Gauferii, videlicet. In laudem Psalterii, incipit:

Verba fero vitæ, quæ verbum vita notavit.

De miraculo ejus, qui se ipsum occidit.

Mortis in immanem te mersit culpa ruinam.

De conversione quorundam Salernitanorum.

Res nova magna satis perhibetur facta Salerni.

In laudem Sancti Martini Episcopi.

Gemma Sacerdotum votis assiste tuorum.

In laudem Sancti Secundini Trojani Episcopi.

Adsis tota tuis festis festiva diebus.

Hymnum de eodem Sancto Secundino.

Christe Rex Regum, pretium piorum.

Cuncta præfata opuscula & carmina nos etiam manu exarata asservamus, bono publico proferenda.

De obitu Gauferii, vide quæ notavimus supra in Alberico, consule etiam nostrum Petrum in auct. Chron. Casin. lib. 3. cap. 61. edit. Ven. claruit Anno Domini 1060.

CA-

CAPUT XXX.

DE LEONE.

LEo Ostiensis Episcopus & Bibliothecarius à pueritia in Casino oblatus, sanctitate, & Monasticis disciplinis ad plenum imbutus, & in divinis Scripturis apprime eruditus. Fecit sermones de Pascha. De Nativitate. Historiam Peregrinorum. Historiam Casinensis Archisterii divisam in libros quatuor. Vitam Sancti Mennatis, & alia quamplurima, quæ in nostram non venere notitiam. Fuit autem temporibus supradictorum Imperatorum.

ANNOTATIO.

LEo Marsicanus Campanus, à puero in Monte Casino Monachum induit, ubi tùm ob vitæ sanctimoniam, tum ob eximiam sapientiæ literaturam celebris evasit: cùmque ejusdem Monasterii Bibliothecarius ac Decanus esset, cooptatus est dein in Episcopum, & Cardinalem Ostiensem à Paschali Papa II. Anno Domini 1101. Hic ingentis animi fuit; vidensque Imperatorem Henricum IV. ex odio retinere Paschalem, populum contra illum in seditionem vertit. Concilio Vastellensi interfuit, majusque Altare S. Laurentii in Lucina consecravit, reconditis multorum Sanctorum Reliquiis, & præcipuè de craticula S. Laurentii cum ejusdem Martyris duabus sanguinis ampullis Anno Domini 1112. die 15. Octobris, ut ex antiquissima inscriptione ejusdem Ecclesiæ colligitur, quam postea in suos Annales retulit Card. Baron. inveniturque etiam nostrum Leonem subscripsisse acta Concilii Laterani sub Paschali II. 5. Kalendas Aprilis. Vide quæ notavit Lauretus de nostro Leone in Chron. Casin. pag. 79. Scripsit jubente Oderisio Casin. Abbate Chronicon sui Monasterii Casinensis, libris tribus, à temporibus S. Benedicti usque ad Desiderium Abbatem, qui postea Victor Papa Tertius fuit, qui dati sunt prælo Venetiis Anno 1513. & Parisiis: postremò Neapoli Anno 1616. opera & notis Matthæi Laureti Hispani Monachi Casinensis, quas quidem editiones collatas cum antiquissimo exemplari MS. in Casin. Biblioth. servato, quod Chronicon Casinense appellatur, fuisse ab integritatis suæ deturbatas gradu, mendisque oblitas, facilè cognoscere per se sedulus lector valebit. Accidere enim sæpe videmus, & magno Reipublicæ literariæ incommodo experimur, ut inter imprimendum quædam vel omittantur, vel addantur, vel in pejus mutentur, librariorum vel incuria, vel audacia, vel malitia, & animi perversitate: extat penes Vir. Clar. Lucam Olstenium Chronicon Leonis, in quo variantes lectiones ad fidem plurium MSS. Exemplarium sua manu ad oram editi libri adnotatas vidimus. Tu tamen consule (si res te sollicitat) ea, quæ notarunt Matthæus Lauretus de exist. Corp. S. Benedicti in Monast. Casin. cap. 41. pag. 148. Camillus Peregr. in histor. Princip. Langobard. in serie Abb. Casin. in Petronace: & tunc sanè proferes, in eruditorum symposio limam ulteriorem etiam non esse desperandam.

Animadvertendum est, Baronium Tom. 10. Annal. sub Anno Christi 891. observasse, haud rectè in dicto Chron. collocatum Formosum Pontificem Max. post Hadrianum ante Stephanum, quem non præcessisse, sed ei successisse exploratissimum est: deinde quod patraverat sacrilegium Sergius Papa schismaticus, id Leo tribuat laudatissimo Pontifici Stephano, &c. Quem tamen errorem ex depravato Codice facilè irrepsisse arbitramur; vide dictum Lauretum in not. ad lib. 1. cap. 45. Chron. Casin. & de exist. Corp. Sancti Benedicti cap. 41. à calumniis nonnullorum nostrum Leonem vindicantem. Baronius certè Anno 1059. vocat Leonem, scriptorem sui temporis integerrimum: & Anno 1077. sinceræ fidei scriptorem.

Vita S. Mennatis, seu Mennæ Confessoris, quam Leonem imperio Oderisii Abbatis scripsisse testatur Petrus, manu exarata, & typis nondum cusa penes nos servatur unà cum translatione Reliquiarum ipsius ad urbem Cajatiam, addita insuper exacta miraculorum ejus narratione, quam tibi bono publico cum aliis Sanctorum actis, Deo dante, evulgandam dabimus, incipit: *Vitam & conversationem egregii Confessoris Christi Mennatis, &c.* De ejus sanctitate agit S. Gregor. lib. 3. Dialog. cap. 26. Martyrolog. Rom. sub die 11. Novembris. Sigebert. in Chron. Anno 579.

Scripsisse insuper Leonem vitam S. Januarii Monachi Casin. testatur Arnoldus Wion Lign. vit. lib. 2. cap. 9. fol. 188. quam etiam descriptam à nostro Petro Diacono lib. MS. de ortu & vita just. Casin. cap. 31. in vita Sancti Guinizonis, cujus fuit discipulus, invenies: vide etiam elogia Abb. Casin. M. Ant. Scipionis pag. 322. cæteræ verò lucubrationes ineditæ adhuc remanent.

Decessit Leo vir eximius, præclarèque de studiis meritus sacrique Senatus ornamentum 11. Kalend. Aprilis Anno 1115. ut planè perspici potest ex illo tempore, quo in vivis agebat; invenitur enim subscriptus Bullæ Paschalis II. Ecclesiæ Marsorum concessæ anno Dom. MCXV. *Ego Fr. Leo Episcopus Ostiensis.*

CAPUT XXXI.

DE LEONE.

LEo S. R. E. Cardinalis Diaconus, & Casinensis Cœnobii Monachus, insignis studio, ac eloquentia, scripsit ex nomine Urbani Papæ quamplures Epistolas, fecit & Registrum ejus.

ANNOTATIO.

CReatum anno Dom. MCV. à Paschali Papa II. scribit Wion lib. 2. Lign. vitæ cap. 9. Ciacconius verò ab Urbano Secundo. Quamplures exaravit epistolas, quæ MSS. in Vaticana asservantur Bibliotheca, ex quibus viginti reperiuntur sub nomine Urbani II. scriptæ à nostro Leone. Earum meminit Card. Baron. tom. 11. anno Dom. MLXXXVIII. sub nomine tamen Leonis Ostiensis: extantque modò prædictæ epistolæ tom. 7. Concil. Binii: fecit

fecit & ejus Regestum, sed caremus eo. Notandum tandem est hic obiter, Cardin. Baronium supra cit. loco, Possevinum in suo Apparatu, aliosque mente lapsos fuisse putantes Leonem Marsicanum Cardinalem & Episcopum Ostiensem, eundem esse cum Leone nostro Cardinale Diacono; dum Regestum Urbani, ejusque epistolas, quas scriptis prodidit, attribuunt Leoni Ostiensi, sicque ex duobus unum faciunt, decepti, ut arbitramur, ex ejusdem nominis nuncupatione, ferèque eodem tempore promotione duorum Monachorum Casinensium in cœtum S. R. E. Cardinalium, indeque fuerit natus error.

CAPUT XXXII.

DE GREGORIO.

GRegorius Tarracinensis Episcopus parvulus & ipse in Casino oblatus, memoria tenax, ingenio vivax, tantæ fuit gravitatis, suavitatis, ac eloquentiæ, ut à nonnullis Columna Ecclesiæ diceretur. Scripsit passionem Sanctorum Casti & Cassii: Passionem Sanctæ Virginis Restitutæ: vitam S. Confessoris Christi Gerardi: Homiliam de Assumptione Sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ: Cantus Sanctorum Casti & Cassii; hymnos eorum: Versus de transitu peregrinorum ad sepulchrum Domini, & captione Hierosolymitanæ urbis rogatu Berardi Valvensis pulcherrimos fecit. Historiam Jonæ: Versus de Dedicationibus Ecclesiarum, festivitateque Paschali: De Sancto Andrea. Homilias de totius anni festivitatibus. Fuit autem temporibus Alexii, Henrici, ac Joannis Imperatorum: sepultus verò est apud Pipernensem Ecclesiam.

ANNOTATIO.

ECclesiæ Tarracinensi Præpositus elegitur à Paschali Papa II. in quam postea noster Gregorius eximia admodum doctrina refertus, omnique scientia exornatus, virtutum semina inseruit, vitiorum elementa erasit, optimis præceptis moribusque subditos præcipuè imbuens, & quo denique radii solis *meliorem nullum illuxere alterum*, ut ex ejus operibus, quæ MSS. passim in multorum manibus versantur, dignoscitur. Interfuit Concilio Vastellensi Anno 1106. Idem Bullam quandam subscripsit Pisanæ Ecclesiæ indultam Anno 1126. Ipsum iterum commemorat noster Petrus in auctario Chron. Casin. lib. 4. cap. 42.

Acta Sanctorum Casti & Cassii, qui Episcopi habentur, & coluntur à Soranis, scripta fuisse à nostro Gregorio, dum Monasticum habitum gerebat, testatur Card. Baron. in Martyrolog. Roman. ad diem primam Julii. Acta verò S. Restitutæ Virginis, & Martyr. Romanæ, cujus festum pariter Soræ celebratur sub die 27. Maji, pariter à Gregorio conscripta, summatim in Catalogo Sanctorum Ferrarii leguntur.

In Bibliotheca Casinensi extat Codex MS. signat. n. 300. in quo describitur historia de via Hierosolymis; qualiter recuperata sit, qualiterque etiam Antiochia, & eadem Hierusalem ab invasione Gentilium per fideles Christi liberatæ fuerint, incipit: *Tempore quo Alexius Imperii Constantinopolitani regebat habenas, quo & beatæ recordationis Urbanus Papa II. Romanæ Sedis Pontificium administrabat, fuit quidam eremi accola in Galliarum regione Petrus nomine, &c.* Perducit historiam usque ad Regnum Balduini. Putant nonnulli prædictam historiam esse Gregorii, qui rogatu Berardi Valvensis, etiam versus de transitu peregrinorum ad Sepulchrum Domini, & captione Hierosolym. Urbis ediderat.

Notandum, nostrum Gregorium longè diversum esse ab altero Gregorio pariter Casinensi, & Episcopo Sinuessano, de quo in sequenti: unde nonnulli ex ejusdem pariter nominis nuncupatione decepti ex duobus unum faciunt: dum opuscula, quæ literis consignavit noster Gregorius, sequenti Gregorio attribuunt; sed lapsus utique talis primo condonandus est Possevino in Apparat. in verb. Gregorius, deinde verò iis, qui de Scriptoribus post Possevinum conscripserunt.

CAPUT XXXIII.

DE GREGORIO.

GRegorius Sinuessanus Episcopus, & Casinensis Monachus, magnus ingenio, præclarus eloquentia. De captione Casinensis Cœnobii versus descripsit mirificos, in quibus introduxit B. Benedictum ad Monachos Casinenses loquentem. Composuit & multa alia, quæ in nostras manus minimè venerunt. Fuit verò supradictis Imperatoribus: sepultus est in Episcopatu suo.

ANNOTATIO.

HIc fuit Episcopus Sinuessanus, sic legendum putamus, non Limessanus, ut perperam in aliquibus Cod. MSS. scriptum notavimus. Floruit Anno Domini 1120. circiter; vir in sacris literis doctus, ac Poëticæ artis disertissimus: ejus opuscula MSS. in Casin. Biblioth. asservantur.

CAPUT XXXIV.

DE BRUNONE.

BRuno Signiensis Episcopus, & Casinensis Abbas, insignissimus, & splendidissimus Ecclesiæ defensor, & Doctor, inter multa & præclara ingenii sui monumenta scripsit rogatu Signiensium Canonicorum expositionem super Psalterium, super Genesim, super Exodum, super Leviticum, super Numerum, super Deuteronomium, super Can-

Cantica Canticorum, super Judicum. Fecit & sermones hos; de laudibus Ecclesiæ in Dedicatione templi, de Paradiso, de Arca Noë, de Tabernaculo Fœderis, de Templo Salomonis; & de muliere, per quam Ecclesia significatur. De Civitate Sancta Hierusalem; de Basilicis, quæ ab Episcopis dedicantur. Item de Evangeliis: de ornamentis Ecclesiæ, de Fide, de Spe, de Charitate, de quatuor virtutibus, de Humilitate, de Misericordia, de Pace, de Patientia, de Castitate, de Obedientia, de Abstinentia: Ubi Ecclesia ornatur, de novo Mundo, de Cœlis novis, de nubibus novis, de montibus novis, de arboribus novis, de potestatibus novis, de mari & piscatoribus novis, de avibus novis, de fluminibus novis, de animalibus novis: De festivitatibus festivitatum, idest de Sancta Trinitate sermones tres; de Nativitate Domini, de Circumcisione, de Epiphania, de octava Epiphaniæ, de Palmis, de Cœna Domini, de Pascha, de Ascensione Domini, de Pentecoste, de Nativitate Sanctæ Mariæ, de Annunciatione, de Purificatione, de Assumptione ejus, de Virginibus sermones tres, de Martyribus sermones septem: homiliam in festivitatibus Confessorum, aliam in festivitate Sancti Benedicti, cum sermonibus duobus de Pontificibus; quatuor de Sancto Angelo: de Apostolis homilias quinque, de pluribus Martyribus tres, de uno Martyre duas, de dedicatione Ecclesiæ, in Adventu Domini, Dominica secunda de Adventu, Dominica tertia, de Annunciatione Beatæ Mariæ homilias duas: de Dominica quarta de Adventu: In Vigilia Nativitatis Domini, in Die homilias tres: in Sancti Stephani, in Sancti Joannis Evangelistæ, in festivitate Innocentium, Dominica prima post Natalem Domini, in octava Domini, in Epiphania: Dominica prima post Epiphaniam, Dominica tertia, quarta & quinta. In Purificatione Sanctæ Mariæ, in Septuagesima, in Sexagesima, in Quinquagesima, in cinere & cilicio. Feria sexta & Sabbatho in capite Quadragesimæ usque in cœnam Domini homilias quadraginta. In cœna Domini, Sabbatho Sancto, in festivitate Paschali, in feria secunda, tertia, quarta, quinta, & sexta, & Sabbatho in octavis Paschalibus, in Dominica prima, secunda, tertia, & quarta post octavas Paschæ, in processione majori; in festivitate Apostolorum Philippi & Jacobi, in Inventione Sanctæ Crucis, in Sancto Angelo, in Ascensione Domini, in Dominica prima post Ascensionem Domini, in Pentecoste, Dominica prima post octavam Pentecosten. Dominica secunda, tertia, & quarta. In S. Joannis Baptistæ, in vigilia Apostolorum Petri & Pauli, & in die eorum, in Dominica prima post Natalem Apostolorum cum homiliis viginti quatuor. In S. Laurentio, in Assumptione Sanctæ Mariæ. S. Matthæi, vigilia S. Andreæ, & in die ejusdem: sermonem de Sancta Scholastica; sermonem de translatione S. Stephani è Civitate Constantinopolitana ad Arcem Romanam: versus in laudem Sanctæ Mariæ; homiliam in decollatione Sancti Joannis Baptistæ, in Nativitate Sanctæ Mariæ. Fuit autem temporibus supradictorum Imperatorum. Sepultus est in Episcopatu suo apud Civitatem Signinam.

ANNOTATIO.

Sanctus Bruno Aste natus est ex familia Soleria nobilissima, à Gregorio Septimo Episcopus Signinus creatur, in virtutum, ac doctrinæ præmium, quòd Berengarium impiè de Sacramento Altaris sentientem in publico Romano Concilio disputando profligasset: deinde desiderio vitæ contemplatricis tactus abdicato onere Episcopali Monachum Casinensem professus est Anno 1104. ubi postea omnium Monachorum suffragio Abbas Casinas electus Anno 1107. Idibus Novembris, ibique præfuit Annis tribus & mensibus 10. quibus exactis, ad Ecclesiam Signinam, quam perinvitus acceperat, rediit, Pontificis reverentia victus. Nos verò ne tanti Doctoris laudes culpa deteramus ingenii, calamique parum felicis, illum aliis mittimus laudandum. Opuscula Brunonis duobus distincta tomis in lucem prodierunt Anno 1651. Venetiis studio & opera D. Mauri Marchesii Casinensis Decani scholiisque etiam illustrata: & licèt non omnes lucubrationes, quæ in nostri Petri Elencho descriptæ sunt, inibi legantur; multæ tamen, quas Petrus præteriit, ibi habentur: nonnullæ verò MSS. extant Taurini in nobilissima ac celeberrima Bibliotheca Serenissimi Sabaudiæ Ducis, præsertim verò Commentarius in cuncta quatuor Evangelia, uti etiam aliqua in Biblioth. Illustrissimi D. Caroli de Montchal Archiepiscopi Tholosani, scribit Philippus Labbeus in nova Biblioth. MSS. librorum pag. 199. Forsan tempus, quod publica abscondit, & occulta manifestat, Dei miseratione orbem tantis ditabit continuò thesauris. Consule auctarium de script. Eccles. Auberti Miræi in Brunone, ac Vir. Clar. Theophilum Raynaudum Societatis Jesu, de malis ac bonis libris partit. 1. erot. 10. in Eusebio Emisseno, & in Brunone Chartus. fol. 131. & 138. E valle miseriarum in montes æternitatis ascendit Bruno Anno 1125. 15. Kal. Augusti, cùm multis tam in vita, quàm in morte claruisset miraculis, relatus postea inter Sanctos à Lucio III. ut videre est in subjecta inscriptione marmorea, quæ in Signina Cathedrali spectatur. *Memoriæ æternæ, Beati Brunonis, quem Lucius III. Pontif. Max. Card. & Episco-*

scopum Civitatis Signiæ in Ecclesia Beatæ Mariæ, ubi defunctum corpus quiescebat, inter Sanctos jussit adscribi anno ab ejus abscessu 58. *S. P. Q. S.* Meminit Martyrolog. Rom. sub die 18. Julii, plura de eo noster Petrus in auctario Chron. Casin. lib. 4. cap. 33. Vide etiam apparatum ad præfata edita opuscula Sancti Brunonis.

CAPUT XXXV.

DE JOHANNE.

JOhannes Medicus, supradicti Constantini Africani discipulus & Casinensis Monachus, vir in physica arte disertissimus ac eruditissimus: post Constantini sui magistri transitum aphorismum edidit Physicis satìs necessarium. Fuit autem supradictis Imperatoribus. Obiit autem apud Neapolim, ubi omnes libros Constantini sui magistri reliquit.

Claruit Anno Domini MLXXII.

CAPUT XXXVI.

DE PAULO.

PAulus è Liguria Romanorum provincia ortus, & ab ipsa infantia occulto Dei judicio lumine privatus, & ob hanc rem literis, & philosophicis studiis ignarus, tantum usque in hodiernum diem de se miraculum præbuit, ut ab omnibus alter Didymus appelletur. Hic postquam scripsit altercationem Romanorum, & Græcorum, quæ facta est in Civitate Constantinopolitana sub Oderisio Abbate, Casinense Cœnobium adiit temporibus Paschalis II. Papæ, & Alexii Imperatoris: Super Esaiam, super Hieremiam, & super reliquos Prophetas: super Psalterium, super Matthæum, super Marcum, super Lucam, super Joannem, super epistolas Pauli, super Apocalypsim. Non solùm autem Grammaticam, verùm & reliquas artes auditu tantùm plenissimè cordetenus didicit. Scripsit etiam Vitam S. Ebizzonis Monachi Casinensis, qui Hilarioni similis fuit. Extant & alia ejus librorum volumina, quæ in nostras manus nondum venerunt. Obiit autem apud Tiburtinam Civitatem.

ANNOTATIO.

ULtimis Henrici III. ac primis Henrici IV. temporibus scilicet anno 1100. claruit Paulus Genuensis, ab eodemque nostro Petro in auctario hist. Casin. lib. 3. cap. 47. Paulus Grammaticus etiam vocitatus; qui etsi oculorum lumine esset orbatus, tanto tamen ingenii acumine fuit excultus, tantaque perspicuitate cæterorum sensuum extitit decoratus, ut ab omnibus venerari promeruerit, deque illo verè poterat dici: *Dominus illuminat cæcos*.

Sanctus Ebizo seu Gebizo, cujus Vitam descripsit noster Paulus, Colonia oriundus fuit, & Monachus Casinens. sub Desiderio Abbate; inter præclara ejus gesta refertur, quòd animam Adonis amici, quam Dæmones ad supplicium trahebant, precibus liberavit: notavit id etiam noster Petrus lib. MS. de ortu, & vita Justor. Casin. cap. 51. & in auctario histor. Casin. lib. 3. cap. 47. Vide Hugonem Menardum in Martyrolog. Bened. ad diem 20. Octobris, ac lib. 1. Dialog. Victoris Papæ III. pag. 20. Cætera opuscula, tempora nobis, ut credimus, inviderunt; sed quid tum, cùm hisce temporibus inveniantur viri, qui pro eruendis antiquitatum prophanarum quisquiliis non solùm in viscera terræ penetrant, verùm etiam viscera opum profundunt, thesauros verò invisos sacrorum monumentorum, quæ animos beant, ita nauseant, ut obolo potiùs parcere velint, quàm hasce literarias exquirere divitias.

CAPUT XXXVII.

DE BERNARDO.

BErnardus Casinensis Monachus liberalibus studiis optimè eruditus descripsit miracula S. Confessoris Christi Amici Casinensis Monachi: fecit & alia multa, quæ recensere superfluum duximus. Obiit autem nostro penè sub tempore.

ANNOTATIO.

VIta Sancti Amici Confessoris, quam Bernardus scripsit, inter nostra sacrorum monumenta MS. hactenus inedita servatur, incipit: *Beatus Amicus genere nobili ortus in finibus Comitatus Camerini, &c.* Locus, in quo natus, Arabona in Piceno (nomen est Abbatiæ) apud Montem Melonem, nuncupatur. Ejus meminit Sanctus Petrus Damiani, ut Baron. annotavit ad ann. 993. ubi Amicum canonizatum esse, absque tamen solemni ritu Ecclesiæ, scribit. Agitur dies festus die 3. Novembris, multisque clarus miraculis fuit. Vide quæ observavit Lauretus in notis ad Chron. Casin. in calce libri tertii, & Arnoldus Wion in notis ad Martyrol. Bened. Claruit Bernardus anno Dom. 1120.

CAPUT XXXVIII.

DE JOANNE.

JOannes Diaconus divina, & humana scriptura peritissimus, fecit versus in laudem Sanctæ Dei Genitricis & Virginis Mariæ, & alia quamplurima, quæ ad nostros obtutus nondum venere.

AN-

ANNOTATIO.

DIversus est noster Joannes ab altero Joanne S. R. E. Diacono, qui à Sigeberto in Catal. cap. 106. laudatur, & Anastasio S.R.E. Bibliothecario familiaris fuit, qui etiam sub anno 874. Libros quatuor de Vita S. Gregorii Magni Papæ edidit, gestaque Clementis Papæ scripsit, quæ MSS. habentur in Casin. Biblioth. Vide Vossium de hist. Lat. in Joanne Diacono, malèque propterea nonnulli opuscula eorum confundunt inter se, dum ex duobus unum faciunt.

CAPUT XXXIX.

DE PETRO.

PEtrus Diaconus institutor meus declamator insignis, è Civitate Theanensi, de qua oriundus erat, egrediens, Casinum advênit, abque Oderisio Abbate Monachus factus est. Scripsit prætera in eodem Cœnobio positus, sermonem de Septuagesima: de Dedicatione Ecclesiæ: de Nativitate Domini: de Epiphania, & alios quamplurimos.

Claruit circa annum Domini MLXXX.

CAPUT XL.

DE LANDENULPHO.

LAndenulphus parvulus in Casino sub Desiderio Abbate Beato Benedicto oblatus: ac in divinis scripturis plenissimè doctus, & in earum sensibus subtilissima exercitatione limatus, de renovatione Casinensis Cœnobii, seu Archisterii, ac regimine Desiderii versus mirificos fecit, quos idem Desiderius Abbas in circuitu Capituli, & Claustri describi præcepit.

Vivebat Anno MLX.

CAPUT XLI.

DE GUIDONE.

GUido Casinensis Presbyter, vir in humana eruditione clarissimus, religione, & vita probatissimus, scripsit historiam Henrici Imperatoris, visionem Alberici Monachi Casinensis; versus de fortuna ejusdem ..... præterea quæ in historia Casinensi deerant, à temporibus scilicet Oderisii primi usque ad hunc diem, adjunxit.

ANNOTATIO.

VIvebat Guido tempore Girardi Abbatis Casinensis anno Domini 1111. inter elegantissimos scriptores sua tempestate præcipuus. Visio Alberici, de qua supra in Alberico Diacon. Cardin. penes nos extat MS. tali lemmate: *Quia nonnulli veritatem mendacio obumbrare consueverunt.* Summatim verò descripta à nostro Petro legitur in Chron. Casin. lib. 4. cap. 68. edit. Venetæ his verbis: *Hujus tempore* (idest Girardi Abbatis, qui sedit ab anno 1111. usque ad 1123.) *in Campaniæ provincia insigne miraculum & antiquis per omnia simile contigit. Namque in castro Sanctorum septem Fratrum, Albericus quidam nobilis puer cùm decimum ageret ætatis annum, morbo correptus ad extrema perductus est. Quo tempore diebus novem, & totidem noctibus immobilis, ac sinè sensu quasi mortuus jacuit.; hoc autem intervallo à Beato Petro Apostolo, duobusque Angelis per loca pœnarum deductus ad infernale barathrum devênit. Demum ad Paradisi amœna delatus, vidit Sanctorum mansiones, atque in Cœlum sublevatus aëreum, & à Beato Petro Apostolo sufficienter edoctus de veteri testamento, de peccatorum pœnis, gloriaque Sanctorum, vidit arcana quædam, quæ loqui prohibitus est: sicque per septuaginta duas provincias ab eodem Apostolo deductus, vitæ redditus est. Hujus visionem qui cupit agnoscere, à Guidone hujus Monasterii Monacho descriptam, legat. Nos eam, quia per ora omnium vertitur, hic scribere omisimus. Ex hinc Albericus ipse, relictis seculi pompis, Casinense Cœnobium petiit, atque à Patre Girardo gratissimo affectu susceptus, accepto sanctæ conversationis habitu, Christo Regi militiam professus. Tanta verò* (*hodieque*) *abstinentia, tanta pollet gravitate morum, ut & peccatorum inspexisse pœnas, & Sanctorum gloriam vidisse nemo est qui dubitet. Nam ex illo tempore neque carnes aliquando gustavit, neque vinum bibit: nudisque semper incessit pedibus: atque in hac afflictione corporis, cordisque contritione, & humilitate nunc usque* (anno 1115.) *in Casinensi hoc Monasterio permanet, ut multa illa, quæ alios lateant, vel metuenda, vel desideranda vidisse, etiamsi lingua taceat, vita loquatur.* Hucusque Petrus. Historia Henrici nescio quo infortunio nondum lucem viderit, dum hi, qui de rebus Henrici IV. & V. conscripserunt, de Guidone silentium altum habuerunt.

CAPUT XLII.

DE ROBOA.

ROboas Diaconus, parvulus in Casino à Girardo Abbate susceptus, scripsit rogatu quorundam amicorum suorum sermones de totius anni festivitatibus, ac Vitam S. Confessoris Christi Leonardi.

Claruit Roboas, sive Noboas Anno MCXX.

CA-

CAPUT XLIII.

DE PETRO.

PEtrus Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus, & Casinensis Monachus, parvulus & ipse in Casino susceptus, rogatu Petri Diaconi, ac Bibliothecarii, passionem Beati Marci versibus adornavit.

ANNOTATIO.

PEtrus S. R. E. Subdiaconus Cardinalis appellatur ab Arnoldo Wione lib. 2. cap. 9. Lign. vit. à quo autem Pontifice promotus, ignoratur, verùm ab Arnoldo perperam nuncupatur S. R. E. Subdiaconus Cardinalis, cùm in tabulis Ecclesiasticis, Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Cardinales in Ecclesia Romana tantummodo legantur. Vivebat anno Domini MCXX.

CAPUT XLIV.

DE RAYNALDO.

RAynaldus Casinensis Subdiaconus parvulus Beato Benedicto oblatus, vir valde eruditus, & versificandi scientia antiquis per omnia comparandus, scripsit ad Petrum Diaconum ac Bibliothecarium Sanctissimi Severi Casinatis Episcopi in laudem versus: Versus quoque de vita Beati Benedicti, ac Beati Mauri. Hymnos in laudem Sancti Confessoris Christi, atque Pontificis Severi.

ANNOTATIO.

HYmni excusi sunt in Breviariis Casinensibus anno MDLXVIII. & MDLXXII. Vide quæ de Raynaldo notarunt Arnoldus libro 2. cap. 9. Lign. vitæ. Vossius de histor. Latin. lib. 3. cap. 7. pag. 713. & Camill. Peregrin. histor. Princip. Langobard. in serie Abbatum Casin. in Raynaldo.

Ex Supplemento Petri Diaconi de Viris Illustribus.

CAPUT XLV.

DE GELASIO.

GElasius Sedis Apostolicæ Pontifex, parvulus in Casino sub Desiderio Abbate Beato Benedicto oblatus, & ab Alberico Philosopho edoctus. Scripsit in eodem Cœnobio positus passionem Sancti Erasmi, Sanctæque Anatoliæ: passionem quoq; S. Cæsarii versibus adornavit. Factus dehinc S. R. E. Cancellarius descripsit Registrum Paschalis Papæ II. Demum verò in Apostolica Sede Pontifex factus, Henricum Imperatorem propter investituram Ecclesiarum excommunicavit, atque pro ordinandis Ecclesiasticis negotiis Galliam ingressus, apud Cluniacense Cœnobium obiit.

ANNOTATIO.

ANtea Joannes Cajetanus, natione Campanus, Crescentii filius, nobili genere ortus, ex S. R. E. Subdiacono, & præsignatore Urbani II. Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Cosmedin, & S. R. E. Cancellarius, ac Biblioth. Paschali Papæ II. gratissimus extitit, cujus senectutis baculus vocabatur; demum Pontifex sub Gelasii II. nomine creatur ann. 1118. die 22. Januar. justitiæ pater acclamatus. Post annum, & dies aliquot Pontificatus, agens Matiscone, in plevresim incidit, jussitque se lectica ferri in Cluniacense Cœnobium, ubi mortem oppetiit 4. Kalend. Febr. anno 1119. meritis inclytus, ac sanctitate insignis: strato humi corpore cinere ac cilicio cooperto, postea sepulto in monumento marmoreo opere Tusco, & lapide candido, cui Petrus Pictaviensis cognomento Venerabilis Abbas Cluniacensis, ac coætaneus nostri Gelasii sequens epitaphium posuit:

Vir gravis & sapiens, actu, verboque Joannes,
Cùm priùs ex Monacho, pro multa strenuitate
Archilevita foret, & Cancellarius Urbis,
Præsule Paschali meritis ad sydera rapto,
Promeruit tandem sacram conscendere sedem,
Dignus post primum Gelasius esse secundus.
Sed, quia Rege fuit non præcipiente levatus,
Horrendum fremuit Princeps: Et filia dulcis,
More suo, profugum suscepit Gallia Patrem,
Si licuisset ei (pro certo crede) sub ipso
Virtus, & pietas, & honestas cresceret omnis,
Et pax Ecclesiæ toto floreret in Orbe.
Nam rapuit mors atra virum, cùm Pontificatus
Vix ageret primum Pastor Venerabilis annum;
Bina dies jam restabat, cùm Cluniacensi
Dormiit in proprio Romani Juris Asylo.
Hic igitur positus dilectos inter alumnos,
Cum Patribus sanctis requiescit, & optat ut orbis
Conditor, & Judex veniat quandoque potenter,
Et cineres lapsos in pristina membra reformet.
Felix inde nimis semper Cluniace manebis,
Quòd Pater Orbis Apostolicus summusq; Sacerdos
Ecclesiæ, matrisque tuæ specialis, apud te
Transiit ad superos, in te requiescit humatus.
Nec minùs hic etiam felicem credimus illum,
Cui dedit ipse pius magno pro munere Christus
Ut Monachi Monachum Patrem quoque pignora cara
Jugiter aspicerent lachrymisque rigando sepulchrum,
Sacris in precibus specialem semper haberent.

De laudibus Gelasii hæc notavit Card. Baronius anno 1119. *Post Martyres, qui fuso sanguine martyrium consummarunt, haud facilè inter Romanos Pontifices aliquem quis invenerit, qui breviori vitæ tempore majora sit passus: ob idque præclariori corona donandus, atque celebrioribus fuerit præconiis celebrandus.* Gelasium Sanctum Joannettus nuncupat, virum San-

Sanctissimum Genebrardus: Abbas Ursperġensis virum prudentem, venerandum, Apostolicæ Sedi semper irreprehensibiliter collaborantem. Vide Gelasii vitam à Pandulpho Pisano ejus synchrono conscriptam, studio & opera Constantini Cajetani editam: Martyrolog. Gallicanum ad diem 29. Januar. Martyrolog. Wionis ad dictam diem, Sigonium de Regno Italiæ libro 10. & Hugonem Menardum in not. ad Mart. Bened. sub die 27. Jan. qui à calumniis Orderici Vitalis Cœnobii Uticensis, seu Sancti Ebrulfi Monachi, libro 12. circa initium historiæ Ecclesiasticæ Normannorum Theopompino scriptionis genere exaratæ; Gelasium Sanctissimum vindicat.

Passio Sancti Erasmi Episcopi & Martyr. typis excusa est Romæ 1639. studio & opera præfati Cajetani. Actorum SS. Anatoliæ ac Cæsarii rhythmicè à Gelasio literis consignatorum meminit Baron. in Martyrolog. ad 9. Julii, quæ temporum injuria intercidisse existimamus.

Ex epistolis, quas scripsit, quinque refert Binius tom. 7. Concil. Vide Baron. tom. 12. annal. anno 1118. & 1119. Regestum Paschalis II. Papæ ejus prædecessoris composuit, quod non extat, nisi MS.

CAPUT XLVI.

DE JOANNE.

JOannes Tiburtinus à Girardo Abb. in Casino susceptus, scripsit sermone simplici sermones de totius anni festivitatibus, fecit & alia nonnulla, quæ in nostram notitiam non venerunt. Obiit autem temporibus Lotharii Imperatoris.

Claruit Anno Domini MCXX.

CAPUT XLVII.

DE PETRO.

PEtrus Diaconus Casinensis Chartularius, ac Bibliothecarius, quinquennis sub Girardo Abbate Beato Benedicto oblatus à patre Ægidio, natione Romano, atque sub eodem Abbate per octo fermè annos eruditus est. Anno verò Incarnat. Dominicæ MCXXVIII. ætatis autem ejus XXI. cùm Oderisius Girardi Abbatis successor Abbatiam reliquisset, ad exilium, æmulorum suorum faciente invidia, directus est. In ipso autem dum esset exilio, rogatus ab Adenulpho ejusdem Urbis Comite, descripsit ad Oderisium Abbatem passionem Beati Marci, & Sociorum ejus. Vitam egregii Confessoris Falconis. Vitam Sancti Placidi discipuli Sancti Benedicti. Vitam Sancti Apollinaris Abbatis. Vitam Sanctorum Guinizonis, & Januarii. Rhythmum de novissimis diebus, in quo juxta literam videtur sequutus esse Apostolum Joannem, cùm idem Petrus sciret juxta quod ibidem scriptum est, finitum pro infinito. Destructionem & restaurationem Atinæ Urbis in Beati Marci adjunxit historiam. Scripsit etiam sermones hos. De festivitate B. Marci sermones octo, sermonem in vigiliam ejus. De vigilia SS. Nicandri, & Marciani. Sermonem de Cœna Domini. Duos in Parasceve, in Sabbatho Sancto. Homiliam de Sancto Benedicto. In Pascha, in Ascensione, in Octava Sancti Benedicti, in Pentecoste, in festivitate Sancti Joannis Baptistæ, de Sancto Petro & Paulo, de Sancto Laurentio: in vigilia Sanctæ Mariæ. Librum Illustrium virorum Cœnobii Casinensis. Miracula Casinens. Monachorum, quæ scripta adhuc minimè erant, descripsit. Historiam de eversione, seu restauratione Cœnobii Beati Mauri ex jussione Abbatis Senioretti emendavit, in qua & prologum scripsit. Fecit & prologum in libro privilegiorum ex rogatu Raynaldi Subdiaconi Casinensis. De S. Nicandro sermonem. De translatione Sancti Stephani Protomart. à Civitate Constantinopolitana ad Urbem Romam. De ortu & vita Justorum Cœnobii Casin. In festivitate omnium Sanctorum. De Nativitate Domini sermones duos. De Sancto Stephano. Chronica Cœnobii Casin. à renovatione Ecclesiæ Beati Martini à Desiderio facta, usque ad hunc diem. Astronomiam ex veteribus libris collegit. Solinum de miraculis breviavit. De generibus lapidum pretiosorum librum exaravit. Expositionem Regulæ in quatuor libros divisit. Scholia in veteri testamento. Epistolas duas ad Lotharium Imperatorem. Ad Richizam Imperatricem. Librum notarum ex parvo ampliorem fecit. Vitruvium de Architectura Mundi abbreviavit. Librum Heve (*) Regis Arabum de lapidibus transtulit. Hymnum de Sancta Christina. Vitam Sancti Constantii Episcopi. Epistolam ad Conradum Imperatorem. Visionem Alberici Monachi Casin. corruptam emendavit. Scripsit & vitam Sancti Severi Episcopi, & Confess. ex rogatu Raynaldi Subdiaconi Casin. De Sancto Nicandro, & Marciano sermonem de translatione, & Chronicam Consulum, Dictatorum, & Imperatorum composuit. Translationem Beati Marci in Civitate Atina, & ejus miracula exaravit. Cantus Beati Marci composuit, & Sanctorum Nicandri, & Marciani. Obiit autem in Casino & ibi sepultus est.

AN-

(*) Evacis.

ANNOTATIO.

PEtrus Casinensis Diaconus, Chartularius, Scriniarius, ac Bibliothecarius Casinensis, qui hunc de Viris Illustribus Casinensibus librum literis consignavit, ex Patre Ægidio natione Romano, Gregorii, Romanorum Patritii & Consulis filio, ex Comitibus Tusculanis, vir fuit in sacris, humanisque literis taliter eruditus, ut inter elegantissimos scriptores sua tempestate præcipuus sit habitus; Excessit è vivis post annum 1140. innumeros penè fœtus sui ingenii ad Reipubl. literariæ commodum relinquens, quorum ob temporis injuriam hominumque negligentiam nonnulli collapsi, ac dispersi sunt, eorum tamen indicem ipsemet Petrus lib. 4. Chron. Casinens. cap. 68. edit. Venet. pertexuit; *Vah! quàm multa tempus atrox falce metit.* Nil aliud typis cusum modò legitur præter supplementum ad 3. lib. Chron. Casin. Leonis Ost. totus liber 4. eidem Chron. attextus: exorsus noster Petrus, ubi Leo desierat, ab anno scilicet 1086. prosecutus usque ad annum 1138. Et insuper liber de notis literarum more Romano ad Conradum Imperatorem editus Venet. anno 1525. studio Nicolai Erythræi, novissimè verò Hanoviæ unà cum Auctoribus antiquis Grammaticæ Latinæ opera Heliæ Putschii. Nonnullæ lucubrationes, quæ prælo hactenus non sunt traditæ, in nostro sacrorum penario MSS. asservantur, quas commemorare hìc non diffugimus, & sunt:

De ortu & vita Justorum Casinensium, incipit: *Benedictus signifer*.

Scholia in diversas sententias: *Veni Verbum Dei*.

Scholia in quæstiones veteris testamenti. *Mos est Sanctæ Scripturæ tempora mutare*.

Exhortatorium ad Monachos, in quo ostendit, quid custodire, quid cavere debeant, & de septem vitiis, & virtutibus. De Patriarchis: de Rege Ozia, & de Moyse. *Omnibus, qui secundum Sancti Benedicti Regulam*.

Rhythmus de novissimis diebus. *Anno Christi passionis finito millesimo Satanas Averni Princeps solvetur à vinculis*.

Altercatio pro Cœnobio Casinensi. *Igitur dum in conspectu Imperatoris Lotharii*.

Catalogus Regum, Consulum, Dictatorum, Tribunorum, Patriciorum, ac Imperatorum gentis Trojanæ. *Saturnus Uranius*.

Epistola ad Lotharium Imperatorem Abbatis Casinensis nomine Guibaldi missa. *Post innumeras sollicitudines*.

Epistola secunda ad eundem Imperatorem. *In variis, multiplicibus, ac diversis tribulationibus constitutus*.

Epistola consolatoria ad Richizam Romanam Imperatricem. *Multoties Imperatrix invicta*.

Epistola consolatoria ad Richizam Imperatricem de obitu Lotharii Tertii Imperatoris. *Licèt nervus incisus doleat*.

Epistola consolatoria ad Conradum Imperatorem Secundum de electione sua. *Benedictio, & claritas, & sapientia*.

Sermo in Cœna Domini. *Scripturus venerabilem Domini passionem*.

Sermo in Parasceve. *Hodie quadrifida fabrica Orbis innovatur*.

Sermo in Sabbatho Sancto. *Sicut fuit Jonas in ventre ceti*.

Sermo in Resurrect. Domini. *Resultet hodie Cœlum*.

Sermo in Ascensione Domini. *Hodie terrenis cœlestia sociantur*.

Sermo in festo Pentecostes. *Redemptoris nostri festivum diem*.

Sermo in Nativitate Sancti Joannis Baptistæ. *Hodie Evangelica tuba fulsit in Orbe*.

Sermo in Natali Apostolorum Petri & Pauli. *Sanctissimus, ac felicissimus dies*.

Sermo de Sancto Laurentio Martyr. *Divini muneris sacratissimum hodie*.

Sermo in vigilia Assumptionis Beatissimæ Virginis. *Sacratissimæ, ac intemeratæ Genitricis*.

Sermo in festivitate omnium Sanctorum. *Hodie æterni Imperatoris claritas*.

Sermo in Nativitate Domini. *Hodie mundo salus redditur*.

Alter sermo in Nativitate Domini. *Hodie nobis pax vera refulsit*.

Sermo singularis in octava S. Patris Benedicti, ubi de miraculorum abundantia. *Egregii, atque pretiosissimi Confessoris Benedicti*.

Vita S. Placidi discipuli S. Benedicti, sive Regestum ejus compilatum à nostro Petro circa annum 1130. ubi prolixæ narrationes variorum de vita, & martyrio S. Placidi, de oblationibus Tertullii, Justiniani Imperatoris, & Vitaliani Papæ habentur.

Vita S. Severi Episcopi Casinensis ad Senioretturn Abbatem. *Quia vestra injussus potestate*.

Vita Sancti Apollinaris Abbatis ad Raynaldum Casinensis Cœnobii Diaconum. *Nimium admiranda*.

Vita Sanctorum Guinizonis, & Januarii ad Richardum Monachum. *Guinizonis ortum, vitam, obitumque descripturus*.

Sermo in vigilia Sancti Marci Atinensis Episcopi. *Vigilias pretiosissimi Martyris & Pontificis Marci*.

De Sanctis Atinatibus, scilicet Marco Episcopo, Nicandro, & Marciano, eorumque miraculis. *Domitiano Imperatore Ecclesiam persequente*.

Sermo in eorundem Martyrum festivitate. *Sanctam Venerandamque fratres charissimi*.

De Beato Marco Atinensi Episcopo seorsim à Nicandro, & Marciano sermones. Primus incipit: *Unius idem est initium, celebritas, & gaudium*, alter verò: *Maximus Prophetarum*.

Hæc supra memorata opuscula, quæ MSS. servamus, communi orbis bono in lucem exitura speramus.

Exaravit insuper noster Petrus vitam Sancti Leonis Papæ ad Innocentium Papam Secundum: librum etiam de locis sanctis, sive Itinerarium Terræ Sanctæ, continet septem folia. Librum pariter, in quo descripti sunt fasti consulares, & series Imperatorum, Pontificum, atque Abbatum Casinensium. Præterea expositionem in Regulam Sancti Benedicti, opus satis magnum; Cujus unicum fragmentum refertur à Viro Clar. Joanne Bona lib. de Harmonia Psallentis Ecclesiæ cap. 12. §. 2. de Officio parvo Beatæ Virginis Mariæ pag. 244. Item Regestum pervetustum sign. num. 86. characteribus Langobardis in membranis scriptum ex mandato Senioretti Abbatis, habens folia 259. in quo continentur mul-

ta

ta diplomata Monasterio Casinensi à Romanis Pontificibus Imperatoribus, Regibus, Principibus concessa. Custodiuntur supradicta opuscula MSS. in Casinensi Biblioth. scamno primo ad lævam ingredientibus.

De scriptis, laudibus, & vita nostri Petri Diaconi, qui diversus est ab alio Petro Diacono pariter Casinensi, qui vitam S. Athanasii Neapolitani descripsit; agunt Leo Ostiens. hist. A Casin. Trithemius, Card. Baron. Possevinus in suo Apparatu, Arnoldus Wion lib. Ligni vitæ, Camill. Peregrin. in histor. Princip. Langobard. pluribus in locis, aliique quamplures. Vide etiam dictum lib. de Harmonia Psallentis Ecclesiæ in verbo Petrus, cui præfixa est rara, & exquisita notitia multorum auctorum cum librorum censura.

Explicit Liber de Viris Illustribus Casinensibus.

SUPPLEMENTUM VIRORUM ILLUSTRIUM MONASTERII CASINENSIS CONFLATUM PER DOMNUM PLACIDUM ROMANUM MONACHUM, ET DIACONUM CASINENSEM.

CAPUT PRIMUM.

DE RICHARDO.

Richardus Casinensis Abbas & Cardinalis scripsit expositionem super Regulam Sanctissimi Patris nostri Benedicti. Claruit anno Dom. 1256. & sepultus est Casini, cùm sedisset annis septem.

ANNOTATIO.

Sepulchrum marmoreum Richardi Hannibaldensis de Molaria Domini Arcis Molariæ in Latio infra Montes Tusculanos, nobilis Romani, Diaconi Cardinalis S. Angeli hodie visitur in Basilica Lateranensi, cum hac veteri inscriptione. *Memoriæ Richardi Hannibaldensis de Molaria S. R. E. Archidiaconi Cardinalis Sancti Angeli, qui à Gregorio Papa Nono creatus Romæ ann.* 1240. *obiit Lugduni in Concilio Generali ann. Domini* 1274. Extat in Biblioth. Casinensi præfata expositio super Regulam S. Benedicti.

CAPUT II.

DE BERNARDO.

Bernardus Gallus Abbas Casinensis: Scripsit & ipse super Regulam Sancti Benedicti. Edidit quoque speculum Monachorum. Fecit etiam regesta duo, unum collationum beneficiorum, & officiorum: Alterum, omnium inquisitionum jurium, & bonorum in Castris, & Villis Monasterii Casinensis. Floruit anno 1272. Sepultus verò est in Casino, cùm sedisset annis viginti duobus.

ANNOTATIO.

Bernardus Ayglerius Gallus Monachus Cœnobii Saviniacensis, Diœcesis Lugdunensis, Innocentii Papæ IV. extitit Capellanus, & A anno 1256. Abbas Sancti Honorati Insulæ Lirinensis, deinde jussu Urbani IV. anno 1263. electus Abbas Casinensis, postmodum in cœtum Cardinalium adlectus ab eodem Urbano asserunt nonnulli, alii verò, quod probabilius, à Clemente Papa IV. Vide notam Abbatis Ughelli ad Ciac. in Clement. IV. Frizonem in Gallia Purpurata, & Arnoldum Wionem lib. 2. cap. 9. Lign. vitæ pag. 217. Hunc certè Carolus Primus Rex Franciæ illustri prudentiæ ac virtutis fama notissimum plurimi fecit, cùmque iter in Italiam susciperet, eundem voluit & itineris comitem, & suorum participem ac moderatorem consiliorum. Quanti etiam habuerit Urbanus Papa IV. nostrum B Bernardum, ex literis ejusdem Urbani ad ipsum, cognoscere est; ex pluribus unam refert eruditissimus Marcus Antonius Scipio in elog. Abbat. Casinens. in Bernardo. Inter opuscula, quæ scripsit, solùm extat typis cusum Speculum Monachorum, in tres partes divisum; Venetiis, & Coloniæ anno 1520. in 16. Liber super Regulam Sancti Benedicti habetur MS. Casini, & in Cœnobio Sancti Benedicti Mantuano: reliquæ verò lucubrationes in Archivo Casin. MSS. reperiuntur. Obiit Bernardus Casini pridie Nonas Aprilis anno 1282. ibidemque sepultus.

Unum verò notandum est, quòd noster C Bernardus Ayglerius fuit à Ciacconio, & Panvino in Elencho Cardinalium prætermissus, nec inter Purpuratos nominatus, eo quòd ipsi putaverint Clementem Papam IV. nullum creavisse Cardinalem, ut asserit eruditissimus Petrus Coretinus in Chronologia Episcoporum Viterbiensium, ideoque in Sede vacante Clementis IV. Ciacconius decem & septem Cardinales numeravit, ac propriis nominibus expressit non recensito nostro Ayglerio, cùm re vera decem & octo fuerint, quod colligit idem Coretinus ex quodam diplomate asservato in Archivio Civitatis Viterbiensis, quod tibi damus ex originali transcriptum singulari humanitate Vir. Clar. Dominici Magri D Melitensis, Canonici Viterbiensis Cathedralis, in quo Henrico Cardinali Ostiensi (qui summam in jure Canonico edidit, quamque vulgo ob excellentiam Ostiensem vocamus) conceditur facultas exeundi è Conclavi à cæteris Collegis, qui præter dictum Henricum sunt decem & septem, ut clarè habetur ex decem & septem sigillis ex cera rubra pendentibus cum Sanctorum imaginibus, temporum inju-

ria consumptis in infrascripto diplomate. Ex his infert dictus Coretinus omnes in Conclavi fuisse decem & octo, inter quos erat noster Bernardus creatus unica promotione à Clemente IV. cùm sigillum Henrici non extitisse credendum sit, qui facultatem exeundi è Conclavi petebat, assensum verò non præstabat, pro cujus signo sigillum in diplomate apponebatur. Ex tunc enim Conclavis usus invaluit, qui usque ad hæc nostra tempora perseverat; nam antea Cardinales conveniebant summo mane in Cathedrali Ecclesia, ibique suffragia pro eligendo Summo Pontifice ferebant, quibus peractis ad eorum domicilia revertebantur. Viterbienses autem hortatu Sancti Bonaventuræ, qui tunc ibi degebat, Duce Raynerio Gatto, Civitatis portis obseratis, & Cardinalibus ipsis in Episcopale Palatium prope Cathedralem constructum, adductis, omnes ibidem die Pentecostes incluserunt: sicque Conclavis originem traxit, ut Panvinus etiam cum Ciacconio affirmat. Sed quia pervicaces ac obstinati nihilominus ad electionem se demonstrabant, Raynerius Gattus tunc Civitatis Viterbiensis Capitaneus, ac Conclavis custos, quique alimenta necessaria Patribus quotidie subministrabat, discoopertâ aulâ Palatii, ut legitur in præinserto diplomate his verbis: *Datum Viterbii in Palatio discooperto*, Cardinales ad Pontificis electionem ineundam aëris injuria rerumque penuria compulit, edoctus à Card. Johanne Anglo cognomento de Toleto, Monacho Ordin. Cisterc. Episcopo Portuensi, quem aliqui perperam de Franciogia nuncupant, qui ad Sociorum discordiam exprobrandam Palatium supradictum, in quo electio fieri debebat, tecto & lateribus nudandum, quibusdam salibus facetis jactis, prædicabat; ut Papirius Massonius, Panvinus, Ughellus Tom. I. Ital. Sacr. in Elencho Episcoporum Portuensium in Joanne fol. 162. Odoricus Raynaldus ad Annum Domini 1271. num. 12. referunt, adeò ut perrupta animorum duritie, prævio compromisso inter eos inito, Thealdum de Vicecomitibus Placentinum Archidiaconum Leodiensem extra eorundem Patrum numerum, & tunc in Syria pro Christi fide commorantem die prima Septembris 1271. Pontificem creaverint sub nomine Gregorii X. post longam duorum annorum, novem mensium, ac unius diei, Sedis vacationem.

Exemplum præfati diplomatis est hujusmodi.

„ Nos miseratione divina Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales. Infirmitati Venerabilis Fratris nostri H. Ostiensis, & Velletrensis Episcopi fraterno compatientes affectu, vobis Alberto de Monte Bono Potestati, & Raynerio Gatto, qui pro Capitaneo Viterbiensi te geris, & Communi Viterbiensi, tenore præsentium sub debito fidelitatis, quo nobis Ecclesiæ Romanæ tenemini, districtè præcipiendo mandamus, quatenus cùm idem Episcopus juri, & voto sibi competentibus in electione Romani Pontificis renunciaverit coram nobis quantum ad præsentem vacationem duntaxat, volens, ut non obstante ejus absentia, sinè ipso hac vice liberè procedamus ad providendum Romanæ Ecclesiæ de Pastore, ratam habiturus & gratam electionem, seu provisionem, quam de Romano Pontifice absque ipso, & ejus requisitione duxerimus faciendam, ac instanter petierit vobis mandari, ut de Palatio, in quo sumus inclusi, ipsum permitteretis exire, eundem Episcopum de ipso Palatio statim egredi liberè permittatis, nec ipsum de cætero aliquatenus detineatis invitum. Datum Viterbii in Palatio discooperto Episcopatus Viterbiensis 6. Idus Junii Anno Domini 1270. Apostolica Sede Vacante.

Loco † † † † † † † † † † † † † † † † † sigillorum pendentium ex cera rubra numero decem & septem.

CAPUT III.

DE IGNATIO.

Ignatius Florentinus, Monachus Monasterii Florentiæ, & Abbas Casinensis, nobilitate insignis, & in Divinis, & humanis scientiis apprimè eruditus. Scripsit sermonem pulcherrimum in honorem Sanctissimi Benedicti eumque coram magno Monasterii, & populi cœtu habuit, quando solemniter capta est possessio Monasterii Casinensis sub Eusebio Mutinensi ejusdem Cœnobii Abbate, Anno Domini 1505. Scripsit & carmen Saphicum in honorem & laudem Sanctissimæ Trinitatis. Edidit quoque hymnos in honorem Sancti Bertharii Martyris, & Abbatis Casinensis. Claruit temporibus Leonis X. cujus dicebatur affinis. Sepultus verò est in Abbatia Civitatis Florentiæ, cùm sedisset annos novem in hac Casinensi Abbatia.

ANNOTATIO.

De Ignatio filio Manfredi ex nobilissima Squarcialuporum Familia oriundo, viro doctissimo, ac divini cultus zelantissimo, hæc scribit Michaël Pocciantius in Catalogo Scriptorum Florentinorum. *Ignatius Squarcialupus Monachus Benedictinus ejusdem Congregationis Generalis Abb. amplissimus, vir vitæ sanctitate, & bonarum literarum scientia clarus, atque poëta illustris, cujus ingenium omnibus jugiter admirandum extitit: elaboravit tam metro, quàm prosa, opuscula quædam, quibus memoriam sui posteritati commendavit, è quibus ista feruntur.*

De Virginitate hymnus carminibus exametris.

Epistola Divi Benedicti ad Scholasticam hetruscis versibus exarata. Orationes multis in locis suæ Congregationis in solatium Patrum habitæ.

Rursus hymni nonnulli, inter quos præcipuus extat ille in honorem Sanctissimæ Trinitatis, quem Patres Casinenses suis in Ecclesiis concinunt: & quædam alia.

Mors eum ex humanis abstulit Florentiæ 1520. cujus ossa in Abbatia Florentina conquiescunt.

Hæc

Hæc de Ignatio Pocciantius. Præter memorata, conscripsit etiam Ignatius, teste Arnoldo Wione lib. 1. cap. 16. Ligni vitæ pag. 29. & 30. infrascripta opuscula. De visione Illustr. Principis Ferrandi Consalvi compendium lib. 1. *Divinam Illustris Ferrandi*. De aggregatione Monasteriorum Siciliæ ad Congregationem Casinensem Sermon. 1. *Superat vires moles*. Extabant his proximis Annis penes Abbatem Constantinum Cajetanum. Carmen Saphicum in honorem Sanctissimæ Trinitatis, & de Sancto Berthario hymni habentur MSS. in Biblioth. Casinens. De eo agunt Arnoldus lib. 1. cap. 15. 16. lib. 5. cap. 8. Covaccius lib. 6. Petrus Recordatus dial. 4. pag. 457. Diplomata Leonis X. sub datum Romæ Anno 1314. Anno II. sui Pontific. Scipio in elog. Abbat. Casinens. fol. 215.

CAPUT IV.

DE BENEDICTO.

Benedictus de Sancto Severino Monachus Casinensis, in Philosophia & divinis Scripturis apprime eruditus. Fuit temporibus Caroli V. & sepultus est in Casino.

Claruit Anno Domini MDXX.

CAPUT V.

DE JUSTINO.

Justinus Hispanus Monachus professus Monasterii S. Justinæ, & hujus Cœnobii Abbas nonagesimus septimus, vir in Philosophia, & divinis scientiis doctissimus, ac historiæ amator. Fuit temporibus Caroli V. Imperatoris, sepultus est in Monasterio Sanctæ Justinæ, cùm sedisset Anno uno in hoc Cœnobio.

Claruit Anno Domini MDXXII.

CAPUT VI.

DE AUGUSTINO.

Augustinus Paduanus Monachus professus Monasterii S. Justinæ, & Abbas Casinensis nonagesimus nonus, vir in Philosophia, ac divinis scientiis doctissimus. Floruit temporibus supradicti Imperatoris. Obiit Brixiæ, & sepultus est in Monasterio Sancti Faustini, cùm sedisset in Abbatia Casinensi Annis tribus.

ANNOTATIO.

Abbas Casinensis nonagesimus octavus, originem ducens ex familia Bonfiliorum claruit Anno 1530. Vide elog. Marc. Ant. Scipionis pag. 225.

CAPUT VII.

DE INNOCENTIO.

Innocentius de Novaria, professus Monachus Monasterii Florentiæ, & hujus Monasterii Abbas centesimus quartus, vir disertus & valde eruditus in divinis Scripturis: Verùm in Philosophia & Mathesi versatissimus. Claruit temporibus Caroli V. & Maximiliani Imperatorum. Obiit Venetiis, & sepultus est in Monasterio S. Georgii, cùm sedisset in hoc Monasterio Annis tribus.

ANNOTATIO.

Innocentius filius Nicolai Novariensis, vir linguis Græcis, Hebraicis, Chaldæis, ac Latinis versatus, & in omnibus scientiis eruditus. Decessit Anno 1557. Agunt de eo Wion libro 1. cap. 16. libro 5. cap. 8. Ulmus, atque Marcus Antonius Scipio in elog. Abbatum Casinensium.

CAPUT VIII.

DE ANGELO.

Angelus Sangrinus Abbas & restaurator Cœnobii Casinensis sub Vincentio Neapolitano Abbate hujus Monasterii: Monachus ab adolescentia in Casino factus est, vir reverendus & omni bonitate, & sanctitate redimitus, religione, & vita probatus, & in divinis scripturis versatissimus, Poëta insignis & admirabilis. Scripsit innumera penè opera, inter quæ hæc tantùm brevitati consulens referam: Carmen heroïcum de ineffabili Jesu nomine. Meditationes septem in septem novissima verba Jesu Christi, eodem genere carminis exaratas: similiter de misericordia, amore & bonitate Dei erga peccatores: De spe peccatoris in Deum: Speculum peccatoris: Paræneses sex in hebdomada sancta: De nominibus Jesu. De contemptu divitiarum, & vanitate humanæ vitæ. Elegias duodecim de Jesu pietate, & amore in peccatores. Triumphum divini amoris. Carmen saphicum in Nativitate Domini, & in omnes alias ejusdem festivitates. Epicædium in mortem Domini. De Jesu beneficiis in homines. Scripsit & librum unum diverso carminum genere de laudibus Beatæ Mariæ Virginis. Extant quoque libri duo, in quibus celeberrima nonnulla Sanctorum & Sanctarum sacra vario describuntur metro; eorumque gesta hymnidicis proferuntur modulis. Aureas etiam, divinasque

nasque sententias ex Davidis Psalmis excerptas elegiaco carmine conscripsit. Insuper vitam Sanctissimi Patris nostri Benedicti, carmine heroico conscripsit. Elegias duodecim de Passione Domini: Paraphrasim vario metri genere excultam in Psalterium Davidis Regis. De martyrio Monachi: Vitam B. Guillelmi Anachoretæ carmine sapphico: Vitam S. Patris Benedicti, Sanctorum Mauri, Placidi, & Joannis Baptistæ carmine heroico. Vitam aliam S. Benedicti carmine sapphico, & soluta oratione moralem expositionem continentem. Tractatum orationis quadraginta horarum: & Psalterium gloriosæ Virginis Mariæ carmine sapphico: Scripsit etiam quamplura alia poëtica, quæ longum esset singula enarrare. Edidit etiam dialogos, homilias, & sermones multos soluta oratione. Vivit usque hodie & septuagesimum octavum excessit annum.

ANNOTATIO.

AB oppido Sangri, familia de Faggis ortus est Angelus, qui, (si Platonis illud verum est, nomina rebus plerumque convenire) Angeli instar fuit, priscæ quidem virtutis, ac sanctitatis exemplar, temporis avarissimus, & diligens, horarumque pervigil distributor, poëtica facultate usque adeò pollebat, ut quidquid libuisset, facilè atque ubertim penè extemporaneo carmine enunciaret. Opuscula quæ edidit, teruntur passim eruditorum manibus, impressa Coloniæ Agrippinæ. Psalmos Davia mira Paraphrasis arte colligavit imitatione Hebræorum, quos numeris decurrere auctor est Hieronymus, ut & Jobi pleraque, & Hieremiæ Threnos: extat impressa paraphrasis ista Venetiis 1540. & Basileæ 1551. Romæ verò 1587. in 4. excusa est vita Sancti Benedicti carmine heroico. Tractatus quadraginta horarum habetur impressus Florentiæ 1587. in 12. & Tridenti in 16. Obiit Casini ann. 1593. ætatis suæ 93. cujus corpus anno octavo post quam terræ mandatum fuerat, integrum illæsumque se vidisse in sepulchro testati sunt nonnulli.

CAPUT IX.

DE HONORATO.

HOnoratus Hiserniensis, ex familia Fascitella, in Casino Monachus susceptus est sub Vincentio Neapolitano. Postea verò creatus est Episcopus de Insula in Calabria, Vir in Græcis, humanis, & divinis literis versatissimus. Poëta insignis. Scripsit quamplurima opera, quæ temporum calamitate ad manus nostras non devenerunt. Floruit temporibus Caroli V. & Maximiliani Imperatorum.

(*) Ranutius Gerus, hoc est Janus Gruterus, qui delicias Poëtarum collegit.

ANNOTATIO.

MArci filius natus Anno MDII. laudatus à Bembo, Joanne Casa, Flaminio, aliisque doctissimis viris; cujus etiam poëmata lepidissima leguntur apud Jovium in elog. Suntque impressa quoque in delitiis Poëtarum Italorum. Insigne edidit opus de factis Alphonsi Avoli Marchionis Vasti. Anno Domini 1551. die 30. Januar. à Julio Papa III. ornatus Infulâ Episcopali; præceptor datus Innocentio Montio Cardinali ejusdem Pontificis Nepoti adoptivo. Meminere Ranutius Gerus (*) lib. 1. Poëtarum Illustr. Italiæ, & Caramellâ in suo Musæo Illustriorum Poëtarum hoc disticho:

Lacteus est vates. Cur lacteus? undeque lactis
Nomen habet? versu est candidus atque tener.

Interfuit Concilio Tridentino. Romæ obiit mense Martii 1564. ibidemque sepultus postquam Episcopatum resignaverat anno 1562.

CAPUT X.

DE GREGORIO.

GRegorius de Viterbio, Monachus Casinensis, utriusque Juris doctissimus. Floruit temporibus dictorum Imperatorum, & sepultus est in Casino.

ANNOTATIO.

MEminit Arnoldus lib. 2. Ligni vitæ, de Scriptor. Ecclef. litera G. hoc lemmate. *D. Gregorius Viterbiensis J. U. D. & Monachus Congregationis Casinensis, alias S. Justinæ de Padua, qui claruit anno Domini 1540. Scripsit tam piè, quàm doctè, super Evangelium Joannis: In principio erat verbum homilias, sive sermones tres, qui sic incipiunt. I. Dicibilis sermo de indicibili Verbo in verbis dicibilibus. II. In principio erat Verbum. III. Non licet filiis veritatis. Sunt MSS. apud D. Constantinum Syracusanum Monachum Cathanensem*. Ita Arnoldus.

CAPUT XI.

DE BENEDICTO.

BEnedictus Canophilus Sangrinus, Monachus in Casino factus est sub Ignatio Florentino, Abbate Casinensi, vir utriusque Juris doctissimus. Scripsit quamplurimos libros in Jure Canonico. Edidit quoque Repertorium quoddam in Jure Civili, & extractum de foro fori, & foro poli, qui quidem est impressus. Claruit temporibus Caroli V. & sepultus est in Casino.

ANNOTATIO.

BEnedictus Canophilus de Castro Sangri fecit Compendium Juris Civilis, ac Canonici, & summam rerum. Scripsit etiam Repeti-

petitionem super primum Decretalium de Constitut. fori & poli, qui tractatus excusus est Venetiis Anno 1542. in 8. quem Bernardinus Bonfius J. U. D. Lector ordinarius, ac Decanus Patavinus testatur à doctissimo Marco Mantua, aliisque clarissimis viris in Patavina Academia examinatum, approbatum, commendatumque meritò fuisse. Scripsit etiam de privilegiis Ecclesiæ, & Ecclesiasticarum personarum. De criminibus in Deum, & proximum, & pœnis eorum. Floruit Anno Domini 1550.

CAPUT XII.

DE CHRYSOSTOMO.

CHrysostomus de S. Gemiliano Calaber, Monachus Casinensis factus sub Chrysostomo Neapolitano Abbate, postea Archiepiscopus Ragusinus creatus est; vir sanctitate insignis, reformator Monasteriorum Insulæ Melitæ prope Ragusium, in scientiis doctissimus: sed & in græca lingua valde eruditus. Transtulit diversos tractatus à græco in latinum sermonem. Claruit temporibus supradicti Imperatoris. Obiit Ragusii temporibus nostris, & sepultus est in suo Archiepiscopatu.

ANNOTATIO.

CHrysostomus fuit electus Archiepiscopus, sedente Ludovico Beccatello Bononiensi die 21. Octobris 1564. ut ex actis Consistor.

CAPUT XIII.

DE FLAVIO.

FLavius de Ferraria, Monachus Casinensis, & postea Episcopus Ravellensis, græca & latina lingua validè instructus, à Papa Julio III. plurimum dilectus, atque ob hoc ab eodem Episcopus creatus est. Floruit temporibus Maximiliani Imperatoris.

ANNOTATIO.

HUnc non benè Flavium vocat noster Placidus, uti etiam Arnoldus Wion lib. 2. Ligni vit. cùm Hercules Tombesius in Catalogo Ravellensium Episcoporum nominetur. Episcopali dignitate insignitus legitur Anno Domini 1555. die 18. Septembris. Ferrariæ, obiit Anno 1570. ibique sepultus in Ecclesia Sancti Francisci. Testatur Marcus Antonius Guarinus in Compend. histor. Ecclesiarum Ferrariens. lib. 4. pag. 247. & Vir. Clar. Ughellus in Episcopis Ravellensibus se legisse meminit insculpta in ejus tumulo hæc verba vernacula lingua. *Hercole Tambusi Vescovo 1570.*

CAPUT XIV.

DE SEVERO.

SEverus Aversanus, in Casino Monachus sub Chrysostomo Abbate susceptus, vir in Philosophia versatissimus, & in Divinis Scripturis studiosissimus. Floruit temporibus supradicti Imperatoris, & sepultus est in Casino in Cœmeterio S. Annæ.

Claruit Anno Domini MDLXX.

CAPUT XV.

DE LUCA.

LUcas Fratensis Monachus in Casino sub Chrysostomo Abbate factus est. Vir acer ingenio, & in divinis scripturis, & in Philosophia doctissimus. Claruit temporibus Maximiliani Imperatoris, & sepultus est in Monasterio Sancti Benedicti Mantuanæ Diœcesis, in quo Philosophiam publicè docuit.

Floruit anno MDLXX.

CAPUT XVI.

DE HIERONYMO.

HIeronymus patria Neapolitanus, ex Nobili & Illustri Caracciolorum familia oriundus, Monachus ab adolescentia factus est sub Hieronymo de Monte Rubeo. Vir humilitate summus, castitate pudicus, prudentia, animi magnitudine, morum gravitate, ac religionis conversatione insignis: nobilis carne, sed nobilior spiritu, humanis & divinis literis sufficienter instructus. Floruit temporibus nostris, & adhuc vivit, Abbasque titularis existit.

Anno MDLXX. clarescebat.

CAPUT XVII.

DE PAULO.

PAulus de Alta-Villa, Monachus in Casino susceptus sub Hieronymo de Placentia Abbate: vir in Græcis, Hebraicis, & Latinis literis doctissimus, memoria tenax, ingenio vivax. Fuit temporibus nostris, & sepultus est in Casino, in Cœmeterio S. Annæ.

Claruit anno MDLXXX.

CA-

CAPUT XVIII.

DE MATTHIA.

MAtthias de Bergamo Casinensis Monachus, vir in divinis literis versatus, & memoria adeò pollebat, ut plures novi, & veteris Testamenti libros memoriter recitaret. Obiit temporibus nostris, & sepultus est in Casino, in Cœmeterio S. Annæ.

Claruit anno MDLXXVII.

CAPUT XIX.

DE BENEDICTO.

BEnedictus de Sancto Germano, in Casino sub Hieronymo de Placentia Abbate Monachus factus est. Vir egregius, & ingenio magnus: in Latinis, Græcis & Hebraicis literis valde eruditus; in Philosophia autem & Theologia doctissimus, adeò ut suis temporibus in nostra Congregatione nemini fuerit secundus. Scripsit Commentaria in Psalterium Hebraicum, in epistolam Pauli ad Romanos. Tractatum de usuris: edidit quoque expositiones super Psalmos. Scripsit præterea super libros Perihermenias, Priorum & Posteriorum Aristotelis, super libros de anima ejusdem: Est quoque in lucem editus, & impressioni traditus ipsius tractatus de imitatione Ciceronis. Extant disputationes in libros Prædicamentorum Aristotelis, & pulcherrimum illud opus, quod inscribitur Proverbia animalium. Scripsit etiam Apologiam contra calumniantes ejus opera. Claruit nostris temporibus, & adhuc vivit.

Anno Domini MDLXX.

CAPUT XX.

DE BERNARDO.

BErnardus de Janua, Monachus Casinensis factus est sub Hieronymo de Placentia hujus Monasterii Abbate: Vir disertus & eruditus in Philosphia, & divinis Scripturis. Fuit temporibus Maximiliani Imperatoris, & sepultus in Casino.

Claruit anno Domini MDLXX.

CAPUT XXI.

DE ANTONIO.

ANtonius Frachensis Monachus in Casino, sub Lauro de Mantua

A hujus Cœnobii Abbate susceptus est. Vir acri, & magno ingenio, in Græcis & humanis literis versatissimus, in jure etiam Pontificio valde instructus, Scripsit quoddam Repertorium Polyanthea dictum, alphabeti ordine distinctum pro Archivio Casinensi: in quo quidem opusculo & jurisdictiones, & dignitates, & quæcunque bona fuerint vel sint Monasterii Casinensis, facile est invenire. Edidit quoque librum quendam confinium bonorum Casinensis Cœnobii, sed morte præventus, imperfectum B reliquit: qui postea à me Placido Romano Monacho Casinensi repurgatus, & perfectus fuit. Floruit temporibus Maximiliani Imperatoris, & sepultus est in Monasterio Sancti Liberatoris de Majella.

Floruit Anno Domini MDLXXV.

CAPUT XXII.

DE LUCA.

C LUcas Antonius de Firmo, in Casino sub Hieronymo de Placentia Abbate Monachus factus est, vir in Philosophia, & Medicina doctissimus. Floruit temporibus supradicti Imperatoris. Obiit Cajetæ temporibus nostris, & sepultus est in Monasterio Sancti Angeli.

Anno MDLXX.

CAPUT XXIII.

DE PIO.

D PIus Patria Neapolitanus, ex nobili, & antiqua Familia Lottheriorum Civitatis Florentiæ ducens originem, Monachus in Casino factus est, sub Innocentio de Novaria hujus Cœnobii Abbate. Vir religione, & bonitate perspicuus, in divinis Scripturis doctus, & notitia Juris Civilis, & Ecclesiasticorum dogmatum sufficienter instructus: Qui cùm XXV. annis religiosè, & laudabiliter vixisset in nostra Congregatione Casinensi, existens Prior S. Severini in E Civitate Neapolis à Papa Gregorio XIII. Episcopus Fundanus creatus est, de quo, quia adhuc vivit, meum judicium subtraham, ne in alterutram partem aut adulatio in me reprehendatur, aut veritas.

ANNOTATIO.

CReatus Episcopus Ann. 1576. 30. Jan. Vir religione & bonitate perspicuus, acerrimus Ecclesiast. libertatis defensor. Decessit Casini 1592. ibique tumulatus quiescit.

CAPUT XXIV.

DE THEOPHILO.

THeophilus Senensis in Casino sub Angelo Sangrino Abbate Monachus factus est, vir ingenio perspicax, in scientiis valde eruditus, verùm in Philosophia, Mathematica, & Theologia doctissimus, adeò ut suis temporibus in Congregatione nostra Casinensi admirabilis haberetur. Floruit temporibus nostris, & adhuc vivit. Hic bis vocatus à Romano Pontifice fuit, ut ejus opera in quibusdam Ecclesiasticis negotiis uteretur. Edidit tractatum de nova restitutione Kalendarii.

ANNOTATIO.

THeophili Martii nobilis Senensis meminit Petrus Recordatus hist. Monasticæ. Romæ in Basilica S. Pauli Pœnitentiæ ministris Pontificiis à Gregorio XIII. adscriptus legitur. De ejus laudibus scripsit Fr. Isidorus Ugurgierius Azolinus Ord. Præd. lib. cui nomen præfixit: Pompe Sanesi tit. 21. pag. 667. Extat apud nos tractatus MS. de Reformatione Kalendarii, incipit: *Magna quidem aggredi laudabile est*. Obiit Casini Anno 1586.

CAPUT XXV.

DE BENEDICTO.

BEnedictus Capuanus in Casino sub Angelo Sangrino Abbate Monachus susceptus est, vir discretus, & valde eruditus in divinis & humanis literis. Verùm in scribendis carminibus in materna lingua Poëta insignis, & nostris temporibus admirabilis. Edidit librum unum carminum materna lingua, in quo martyrium D. Agnetis, Agathæ, Luciæ, Justinæ, & Catharinæ decantat. Scripsit quoque eadem lingua & metro tractatum de cogitatione mortis: Triumphum Martyrum, Confessorum, & Virginum: librum unum piorum carminum diverso metri genere. Extat etiam ejusdem Tragœdia Jephtæ Ducis Israëlitici populi. Scripsit & Commentaria in Dantem Poëtam. Edidit quoque librum unum epistolarum materna lingua. Floruit temporibus nostris, & adhuc vivit.

ANNOTATIO.

CLaruit Benedictus Anno Dom. 1570. Originem ducens ex nobili familia de Uva. Passiones Sanctarum Agnetis, Agathæ, Justinæ, & Catharinæ typis cusæ sunt Florentiæ Anno 1587. in 4. sicuti Jephtæ Tragœdia.

CAPUT XXVI.

DE JOHANNE.

JOhannes Evangelista patria Neapolitanus, & nobili Mormiliorum familia oriundus, Monachus in Casino ab Ignatio Neapolitano susceptus est. Vir ingenio perspicax, & divina, & humana eruditione valde instructus. Verùm in versificandi scientia antiquis per omnia comparandus. Scripsit quamplurimos tractatus. Librum scilicet, in quo continentur præcipuæ Domini festivitates, vario metri genere illustratæ. Librum de laude Gloriosæ Virginis Mariæ, in cujus calce ejus Psalterium elegiaco carmine concinitur. Librum, qui nonnullorum Sanctorum vitas, hymnosque vario carminum genere continet. Extat & alius ejusdem liber carminum, in quo illa præsertim opuscula continentur; De insigni Christianorum victoria contra Turcas temporibus Maximiliani Imperatoris, & Pii V. Pontificis Max. De laudibus Casinensis Juventutis: Ibidemque liber Odarum appenditur, & in fine continetur liber Tristium, ubi suas, & amicorum ærumnas elegiacè decantat: sunt & quatuor ejusdem Eclogæ. Scripsit præterea innumera Epigrammata. Edidit quoque declamationes & sermones aliquot, homilias duas prosa oratione. Item expositionem in epistolam Divi Pauli ad Romanos: & in librum Perihermenias Aristotelis. Materna autem lingua quamplurima pia carmina de laudibus Gloriosæ Virginis Mariæ, & usque in præsentem diem scribit.

ANNOTATIO.

SCripsit etiam de Sancta Febronia Virg. & Martyr. versus, qui habentur impressi Romæ 1589. unà cum operibus Prosperi Martinengii. Memorata opuscula MSS. uti etiam multa alia, se legisse testatur lib. 2. Lign. vit. pag. 430. Arnoldus Wion, dum Casini morabatur. Meminit & Possevinus in suo Apparatu, Clarescebat Anno 1590.

CAPUT XXVII.

DE THOMA.

THomas ab Ebulo, Casinensis Monachus, sub Angelo Sangrino Abbate factus est. Vir prudentia & ingenio insignis: In Philosophia, & divinis Scripturis doctissimus. Scripsit librum Synodalium: Librum examinis Confessorum, & promovendorum ad fa-

sacros ordines, & eorum, qui mittendi sunt ad Parochiales Ecclesias. Edidit quoque materna lingua Conciones quinquaginta. Floruit temporibus nostris, & adhuc vivit, & Vicarius Generalis in tota Diœcesi Casinensi existit.

Obiit post Annum MDLXXIV. Casini.

CAPUT XXVIII.

DE HIERONYMO.

Hieronymus ex nobili Sersalium familia Civitatis Cosentiæ originem ducens, in Casino sub Hieronymo de Placentia hujus Sacri Cœnobii Abbate Monachus effectus est. Vir callido quidem, & subtili ingenio, in humanis & divinis literis mediocriter eruditus; verùm in rerum humanarum experientia, & in peragendis negotiis insignis, & admirabilis. Floruit temporibus nostris, & hujus Casinensis Cœnobii Abbas extitit. Sepultus verò est Parmæ in Monasterio Sancti Joannis Evangelistæ, ubi Capitulum generale nostræ Congregationis celebratur. In Anno Domini 1577.

CAPUT XXIX.

DE APOLLINARE.

Apollinaris à Bauco ab adolescentia sub Lauro de Mantua Abbate in Casino Monachalem vestem induit, ubi per triginta fermè annos angelicam potiùs, quàm humanam vitam duxit. Hic vir vitæ integerrimæ, humanis & divinis literis satìs instructus, adeò in Scripturis Sacris deditus erat, ut exercitationis causa, atque ne otio torpesceret, ex veteri, & novo Testamento, atque ex diversis Catholicis, orthodoxisque Patribus innumeras aureas sententias excerpserit & scripserit. Decanus præterea in hoc Casinensi Monasterio existens, novitiorum curam invitus, ac renitens suscepit. Tali igitur fungens officio, me, licèt indignum, Casinensium Monachorum cœtui adscripsit, sub Domino Matthia de Lignano hujus Cœnobii Abbate, cùm viginti essem annorum, in Anno Domini 1570. De hoc magistro meo illud silentio non prætereundum esse judicavi, quod ad vitæ integritatem & puritatem pertinet. Nam talis ejus vita fuit, ut mortis suæ tempore, in vigilia scilicet Nativitatis S. Joannis Baptistæ, cùm in Missa, Gloria in excelsis Deo cantaretur in Ecclesia, ejus anima ab ergastulo corporis egrediens in Cœlum

ab Angelis deferri cerneretur. Sepultus verò est in Cœmeterio S. Annæ, Anno Domini 1581.

CAPUT XXX.

DE ANDREA.

Andreas à Suessa, Juvenis præclaræ indolis, & vivacis ingenii, de civitate Neapolitana, ubi à parentibus studiis literarum erudiendus traditus fuerat, egrediens, Casinum advênit, atque ab Isidoro de Placentia hujus Sacri Cœnobii Abbate Monachus factus est. Hic exiguus quidem corpore, sed ingenio magnus, ab ipso ferè suæ conversationis initio, ob sui ingenii vivacitatem, & rerum mundanarum experientiam, cum singulari quadam prudentia, ac solertia conjunctam, multis annis hujus nostri Monasterii negotiis operam dedit. Inter multa præclara ingenii sui monumenta, existens in regimine terræ nostræ Citrarii scripsit Regesta duo omnium Jurium, & bonorum, quæ in præsentiarum in eadem Terra à nostro Monasterio possidentur. Humanis insuper, & divinis literis apprimè eruditus, magnam suî apud omnes adhuc vivens expectationem concitavit. Vivit etiam & temporibus nostris hujus Casinensis Monasterii Præpositus existit.

Floruit Anno Domini MDLXXVIII.

CAPUT XXXI.

DE GREGORIO.

Gregorius Cortesius Mutinensis, Abbas primùm Sancti Petri de Perusio, deinde Sancti Benedicti de Mantua, & S. R. E. Cardinalis à Papa Paulo Tertio creatus, Anno Dom. 1542. Vir utriusque Juris Doctor, & in Divinis Scripturis valde instructus. Scripsit quamplurima carmina in laudem D. Petri, quæ impressa reperiuntur. Obiit Romæ, & sepultus est in Ecclesia Sanctorum Apostolorum Anno Dom. 1584.

ANNOTATIO.

Nobilissima Familia Cortesiorum ortum suum habuit à quodam Imperiali Vicario cui nomine Ludovicus Cortes, inter Gallos nobilissimus; qui cùm esset à consiliis Pipini Regis Italiæ, Caroli filii, Civitatem Mutinam inhabitaverat. Ex ea Gregorius noster natus est; vir quidem græcis, latinisque literis instructissimus. Severum Varinum Placentinum Monachum Cisterciensem, raræ & exquisitæ eruditionis virum, præceptorem habuit. Ab ineunte ætate, Civili Canonicoque Juri ope-

nam dedit, & apud Joannem Mediceum Cardinalem, postea Leonem Papam Decimum audiendarum Causarum munus exercuit. Demum cùm Romanæ aulæ pertæsus ad sua pristina studia rediisset, ex divino etiam instinctu, Casinensibus Monachis nomen dedit. Ejus postea virtutis, probitatis, ac scientiæ fama inductus Paulus Papa Tertius, in Collegium Cardinalium adscivit, incredibili totius Senatus consensu, Anno Domini 1542. die 11. Junii tit. S. Cyriaci in Thermis, & Urbinatensium Præsul est etiam dictus: privilegio insuper concesso, ut purpureo cultu sibi uti liceret, tametsi Monachus Benedictinus esset, quod etiam concesserat Card. Philippo à Camera Gallo pariter Benedictino. Plurima hujus viri clarissimi monumenta relicta sunt, videlicet:

Quòd Sanctus Petrus Romæ fuerit, ad Hadrianum Sextum lib. 1.

Epistolarum Familiarium lib. 1.

Hi duo impressi sunt Venetiis apud Franciscum Franciscium Senens. An. Dom. 1573. in 4.

De Theologica Institutione lib.

Hymnorum diverso metro lib. 1.

Carmen saphicum de vita S. Honorati Archiepiscopi Arelatensis.

Hymnus in Deiparam Virginem.

In Divum Honoratum Carmen.

In Lerinam Insulam Carmen.

De potestate Ecclesiastica tract.

De peccato originali.

De direptione urbis Genuensis.

De Theologia, & Philosophia multa.

Lerinensis Insulæ, & Cœnobii laudes.

Poëmata quædam ad imitationem Catulli.

Prodierunt ex Aldi officina cum Sanazari de Partu Virginis lib.

S. Basilii de Virginitate liber è græco in latinum idioma, ejus opera perlegitur.

De Viris Illustribus Ordinis Monastici lib. 1. qui furto sublatus ideo non habetur, refert Arnoldus Wion lib. 2. Lign. vit. pag. 216. Et alia multa scripsisse fertur, quæ temporum injuriâ, hominumque negligentiâ perierunt.

Libri quatuor in sententias Petri Lombardi perperam à Nomenclatore Card. à Torrigio lib. de Script. S. R. Card. & ab aliis attribuuntur nostro Gregorio, cùm suum agnoscant auctorem Paulum Cortesium Protonotarium Apostolicum.

Extant diversæ epist. Dionysii Faucherii Monachi Lerin. in laudem nostri Gregorii in Chron. Lerin. Quanti autem integritatem ejus, doctrinam, ac prudentiam incomparabilem supradictus Paulus Pontifex fecerit, ex miris laudibus, quibus eum cohonestavit quando in cœtum Cardinalium adlegit, agnosces: audi ipsum cum eo loquentem. *Hodie in his sacris jejuniis, atque in Consistorio nostro secreto, inducti singulari tua probitate, religione, integritate, ac doctrina, te S. R. E. Cardinalem, cum Dei nomine, de Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium Consilio, creavimus, &c.* Meminere Cortesii Sadoletus, & Bembus; quorum alter doctissimum, alter excellentis doctrinæ virum appellat, ingeniique prope divini. Vide etiam quæ notavit eruditissimus d'Auberi in histor. generali Cardinalium Gallico idiomate conscripta part. 4. edita Parisiis 1647. Obiit Romæ Anno Domini 1548. 11. Kalendas Octobris, sepultusque est apud Ecclesiam Sanctorum Apostolorum ante Altare Sanctæ Eugeniæ.

Explicit Supplementum Domni Placidi Romani & Diaconi, de Viris Illustribus Cœnobii Casinensis.

INDEX

INDEX ALPHABETICUS SCRIPTORUM,

QUORUM MEMINIT

PETRUS DIACONUS,

VEL SUPPLEMENTI AUCTOR,

PLACIDUS ROMANUS.

Numeri columnas denotant.

Fe-

R

S

T

V

F I N I S.



ACTA
TRANSLATIONIS
CORPORIS S. GEMINIANI
EPISCOPI MUTINENSIS,
QUÆ FACTA EST ANNO MCVI.
AB AUCTORE SYNCHRONO
CONSCRIPTA,

Nunc primùm prodeunt ex MSS. Codicibus
BIBLIOTHECÆ ESTENSIS.

IN ACTA TRANSLATIONIS SANCTI GEMINIANI

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

AD Historiam temporum, ac praecipue Ecclesiasticam, spectant solemnia illa Christiani Populi Acta, quibus sacra Corpora Sanctorum de uno in alterum Templum, aut locum transferebantur. Ejusmodi Translationes ingenti Populorum concursu, & splendididissimo apparatu olim peragi consuevere, & etiamnum peraguntur; quare illarum descriptio literis plerumque consignabatur, ut rei magnificentissimae, & festivissimae diei memoria ad posteros quoque transmitteretur. Itaque gratissimum mihi accidit reperire, neque inutile Lectoribus fuerit accipere *Acta Translationis* unius, & quidem celeberrimae, quae Mutinae peracta est ante Annos sexcentos & ultra. Anno, inquam, 1106. Mutinensis Populus, eorumque Episcopus Dodo transferendum statuerunt Corpus Sancti Geminiani suae olim Civitatis Episcopi & Patroni, quem praecipua veneratione colebant & colunt. Inchoata jam fuerat in hunc finem Anno 1099. Basilica nova, hoc est eadem, quae adhuc spectandam se praebet ad Mutinense forum, ingenti marmorum congerie structa. Itaque ex antiqua Basilica, dudum minante ruinam, translata sunt in novam sacra Beati Viri Lipsana, incredibili Populorum confluente turba, finitimis Episcopis illuc accitis, ipsaque Comitissa Mathilde, celebri eorum temporum Heroina, praesentia sua pii spectaculi magnificentiam augente. Id actum pridie Kalendas Majas Anno, ut ajebam, 1106. quem diem Mutinenses festum voluerunt, & adhuc quotannis religiosa devotione celebrant, praetermisso tantum equorum cursu ac bravio postremis hisce annis. Restabat consecrandum Altare, sub quo recondendum erat sacrum pignus; exorta quoque est acris controversia, cupientibus Episcopis Arcam aperiri, Civibus vero contra obsistentibus. Consulta Mathildis respondit, adventurum Mutinam eodem Anno Paschalem II. Summum Pontificem, ejusque sententiam exspectandam. Promissis respondit effectus; nam quum Octobri Mense Paschalis Mutinam pervenisset, VIII. Idus ejus Mensis idem Pontifex solennissima pompa, immani Populo spectante, Altare dedicavit, & Sancti Geminiani Corpus omnibus conspiciendum exhibuit.

En ergo utriusque splendididissimi, simulque piissimi spectaculi narrationem, quam ex duobus MStis Codicibus Estensis Bibliothecae decerpsi. Ipsam quoque complectitur in membranis descriptam Archivum Capituli Canonicorum Mutinensium. Quod vero plurimi faciendum, Historiola haec Auctorem habet, Anonymum sane, sed qui rebus interfuit, & eodem tempore scripsit. Gratulor autem Patriae meae, quod tempestate illa Scriptorem haberet, non barbarum ac ferreum, quales plerique tunc erant, sed satis elegantem, & comta ac liberali oratione utentem, ita ut delectatione legentem facile afficiat. Animadvertas autem velim, ab eo scribi, *Sedem Apostolicam hoc in Anno venturam esse in Italiam*. Prima fronte haec videntur innuere Pontificem Romanum ex Galliis reversurum, quo revera Anno 1106. progressus est Paschalis II. Verum *Italiam* non alio sensu Auctor heic memoravit, quam quo post Augustum, & Constantinum Magnum Scriptores consueverunt strictiori significatione eam appellare Italiae partem, quae nunc fere comprehenditur appellatione *Langobardiae*, sed tunc latius excurrebat, & certe ab Urbe & Suburbicariis Regionibus distinguebatur. Donizo in Vita Mathildis Lib. 2. Cap. 17. describit *Adventum Papae Paschalis in Longobardiam*. Pro *Longobardia* Scriptor hujus Translationis usus est vocabulo *Italiae*. Fuit autem Mutinae idem Pontifex VIII. Idus Octobris Anno 1106. tum Guardastallum, sive Guastallam perrexit,

rexit, ubi XI. Kal. Novembris Synodum perquam celebrem habuit. *Inde*, hoc est e Guastalla:

Pius Papa discedens ad memoratam
Advenit Parmam, faciens ibi quaecumque rogarant:
Nam sacravit ibi Templum Christi Genitricis.

Haec Donizo loco supra laudato, qui Parmensis quidem Templi dedicationem recensuit; quae vero Mutinae gesta fuerant coram Comitissa Mathilde, prorsus neglexit. Atque hinc intelligas: emendatione aliqua indigere, quae Clariss. Mabillonius scripsit in Annal. Benedictin. ad Annum 1106. num. 1. *Paschalis Pontifex* (ita ille) *eo in itinere Parmae Bernardum Cardinalem in demortui Episcopi locum instituit. Mutinam inde profectus, Sancti Geminiani Episcopi solemni Translationi interfuit*. Prius Mutinam, quam Parmam Paschalis adivit; neque Translationi interfuit, sed quidem Dedicationi Arae Sancti Geminiani. Ignoscendum illi tamen, quod Sigonium sequutus fuerit, qui ne ipse quidem haec satis accurate commemoravit.

Narrationi Translationis hujus subdidi pauca quaedam Additamenta ad Mathildis Comitissae Vitam spectantia. Legebantur & ipsa in utroque Codice Estensi; neque contemnenda videntur, quamquam ego praestare nolim, certo fundamento niti quae Auctor ille, (quisquis fuerit, a praecedente tamen diversus) refert de loco, ubi postremum diem clausit Comitissa Mathildis. *In Comitatu Mutinensi in loco, qui vocatur Bondenum de Diacono* dicitur illa extremo fato sublata. Donizo *Bondenum* tantummodo appellat. Atqui is locus *Bondenum de Ronchore* appellatur in tabulis, quas adfert Bacchinius in Hist. Monasterii Padoliron. pag. 104. Append. Ceterum ex Historia Translationis Sancti Geminiani educi posse videtur, Mathildem titulo Comitissae Mutinensibus praefuisse. Saltem in hac Urbe ingens ejus auctoritas inde elucet.

TRANSLA-

TRANSLATIO CORPORIS S. GEMINIANI MUTINENSIUM EPISCOPI ET PATRONI,

ET DEDICATIO ILLIUS ALTARIS. ANNO MCVI.

CUm septingenti quinquaginta anni & amplius transiissent, quòd Pater noster Geminianus è vivis migravit, Ecclesia, in qua Corpus suum à Sancto Severo undecimo Ravennatis Ecclesiæ Archiepiscopo honorificè reconditum est, longo annorum situ, & multa ætate confecta, crebris scissuris, multisque rimis à fundamentis videbatur minitari ruinam. Quo terrore permoti Ordo Clericorum, & universus Populus, consulunt quid agendum. Tamdem universorum una vox, unus clamor tota Urbe personuit: jam reædificari, jam renovari, jam sublimari debere tanti talisque Patris nostri Ecclesiam. Quod quidem consilium postquam ad aures *Mathildis egregiæ Comitissæ* pervênit, quis fari possit, quanto exhilarata gaudio, quantaque in laude sit firmata. Anno itaque MXCIX. ab incolis præfatæ Urbis quæsitum est, ubi tanti operis designator, ubi talis structuræ ædificator inveniri possit; & tamdem, Dei gratiâ, inventus est vir quidam nomine Lanfranchus, mirabilis ædificator, cujus consilio inchoatum est à Populo Mutinensi ejus Basilicæ fundamentum ad laudem & gloriam Dei Patris Omnipotentis, & Unigeniti ejus Filii Domini nostri Jesu Christi, & Spiritus Sancti, & etiam Beatæ Mariæ semper Virginis, nec non & Sancti Patris nostri Geminiani sub die decimo Calendarum Junii, Indictione septima. Quod quidem fundamentum cæmentari cœptum est eodem Anno, eodemque Mense, ut supra dictum est, Quinto Idus Junii, octavo decimo die post inchoationem fossionis, in solemnitate Sanctorum Primi & Feliciani, cum laudibus, hymnis, & canticis, cum cereis & lampadibus, cum Euangeliorum Libris & Crucibus, cum multitudine virorum & mulierum, cum omni honore & laude reverendæ Processionis. Sic itaque divina succurrente dextera fundamentorum fabricâ jam usque ad superiora provectâ, dum tale opus in longum protenditur, Populus timere cœpit, ne defectu lapidum, quia modicus erat apparatus, talis Ecclesia remaneret imperfecta. Quis queat immensa tua, Deus, numerare beneficia? Ecce ubi numquam ab aliquo auditum fuerat, mentes hominum persuadens, terram facis effodi; miras marmorum lapidumque congeries ex multitudine misericordiarum tuarum dignaris ostendere, quæ ad perficiendum opus incœptum videntur posse sufficere. Erigitur itaque diversi operis machina: effodiuntur marmora insignia; sculpuntur arte mirifica: sublevantur & construuntur magno cum labore, & artificum industria. Crescunt ergo parietes, crescit ædificium. Et jam divina favente Clementia ad hoc perlatum est opus, Artificis studio & vigilantia, ut idem proponat, se nihil ampliùs facturum, nisi priùs Sanctissimi Patris nostri Geminiani Corpus de loco,

A in quo tunc aderat, transferretur. Oritur itaque magna mœstitia, diversa profertur quorumdam in commune sententia. Alii quidem clamant, hoc temerè non esse faciendum. Alii verò affirmant, non in posterum esse differendum. Tamdem illius vicit sententia, quem ad hoc proposuerat divina Providentia.

Anno igitur Dominicæ Incarnationis millesimo centesimosexto, gubernante *Domno Dodone Dei gratia venerabili Episcopo Mutinensium Ecclesiam*, datur hujus Translationis certissimus Calendarum Majarum terminus, omnium cordibus gratissimus. Mittitur itaque circum- B quaque, & per totam Parochiam fit apparatus maximus: fit inæstimabile gaudium. Mittitur autem non solùm ad comprovinciales Civitates, sed etiam ad adjacentes. Cogitur namque maximum Episcoporum Concilium, Clericorum, Abbatum, & Monachorum; fitque congregatio Militum; fit & conventus Populorum utriusque sexus, qualis nec nostris temporibus antea visus est, nec alicujus memoriæ priùs habetur insertum. Nullus enim locus, nulla platea, nulla domus, nulla porticus, nullum atrium saltem vel modicum à C conventu Populorum poterat inveniri vacuum. Adest etiam ad hoc spectaculum *Princeps Mathildis cum suo exercitu*, omnes unanimiter præstolantes tanti Patris Translationem & revelationem cum gaudio. Sed quia, ut diximus, infinita Populorum undique turba confluxerat, visum est difficile, & omnino impossibile, tanto operi manum imponere. Quæritur ergo spatiosus camporum locus, ubi turba conveniat, quatenus tantorum Præsulum monitis & doctrinis refecta, inde unusquisque cum gaudio & lætitia redeat. Pergunt itaque Pontifices, pergit & Populus ad divinæ propitiationis pocula suscipiendum devotissimus. D Disseminatur deinde inter astantes devotissima Episcoporum prædicatio, fitque ad laudem & honorem tanti Patris nostri Geminiani peccatorum remissio; fit & criminum absolutio. Sic quidem inde redeunt maximo cum tripudio. Jam verò quia diei hora excreverat, & tantarum turbarum affluentia eos circumsepserat, differtur in posterum præfati Patris nostri Translatio, quæ quidem gloriosissimè facta est Pridie Calendarum Majarum administrante Domino.

De Altaris quoque prælibati Sanctissimi Corporis consecratione inter Episcopos siquidem E & Mutinensium Cives non modica fit altercatio: quia Præsules ejus Reliquias revelare cupiunt; Cives autem, & omnis Populus hoc ex toto renuunt. Quæritur ergo *Principis Mathildis* sententia, quæ quidem, sicuti decuit, & ut prædestinatum fuerat, ipso quoque, ut credimus, jam disponente Deo, *Sedem* pronuntiavit exspectandam *Apostolicam*, denuntians hoc in Anno venturam esse in Italiam. Hoc ita-

itaque suscepto consilio, & Populorum quievit seditio, Præsulum quoque & Civium sedata est altercatio. Interea divina operante misericordia, *Sanctæ Romanæ Sedis Præsul* jam jam gradatim & obstinatè properat ad Italiam. Cujus quidem adventus dum inter nos verè innotuit, o quantæ lætitiæ, quantique gaudii motum nostris cordibus imposuit! Præparatur deinde apparatus copiosus, exspectatur Pastor gloriosus. Adest itaque cum Episcoporum, Cardinalium, Abbatum, Monachorum, ceterorumque Clericorum, seu Laicorum venerabilis *Sanctæ Romanæ Sedis Paschalis Episcopus* magno cum exercitu. Adest & *Princeps Mathildis* summa cum reverentia huic tantæ talique rei adhibens diligentiam. Confertur ergo ante Apostolicum inter Episcopos, Cardinales, & Clericos, seu Populum de Altaris dedicatione. Confertur & de Sancti Corporis revelatione. Quorum quidem sententia, pro ut voluntas est hominum, dividitur in plurima. Tamdem reperto consilio, de ordine Militum seu Civium, jurejurando poscunt plures affirmare, custodire, salvare, ne in revelatione aliquis temerarius tanti Patris Reliquias præsumat violare. Jurant ergo de ordine Militum sex Viri, jurant & de Civibus bis seni. Levatur ergo lapis, & mensa superposita magna cum reverentia. Invenitur & alia superposita multa cum diligentia: sic itaque multorum fuit una sententia, non ampliùs perscrutandas esse Reliquias. Sed ne alicui infido, aut cordis cœcitate obscurato aliqua remaneret dubitatio, divina quidem, ut credimus, operante Clementia, quorum priùs adversæ fuerunt voluntates, jam in unum conveniunt amorem, ad unum redeunt favorem. Quid multa? Faciente Domno Apostolico sermonem ad Populum, ac propinante divina Mysteria cordibus omnium, remissionemque faciente peccatorum, ac se benivolum reddente mentibus cunctorum, orantibus atque psallentibus Episcopis, Cardinalibus, Clericis, & Laicis, mira cum reverentia intuetur, & juratorum custodia detegitur, & revelatur Beatissimum Corpus Sanctissimi Patris nostri Geminiani per manus *Boni Senioris Regini Episcopi*, atque Lanfranchi Architectoris, multis cum lacrymis & precibus. O quanta exultatio, quantusque suavitatis odor! quanta fragrantia inde emanavit! Omnes enim manus protendunt ad Cœlum; omnes gratias referunt Salvatori, & Sanctorum omnium Conditori, qui tanti Patris nostri Reliquias usque ad nostrum tempus servare dignatus est conditas & inviolatas. Expleto itaque sermone Pontificis, venitur ad tumulum. Sanctum Corpus integrum & illibatum conspicitur. Summus Pontifex ut videt, lætus & gaudens efficitur. Cujus quidem visionis gratia exhilaratus, Altare, quod ipsa die consecrare decreverat, causâ videndi à Populo usque ad alium diem detectum, sed & diligenter custoditum, officiis diurnis & nocturnalibus frequentatum, servare collaudat. Frequentatur itaque ab innumerabili Populo. Videtur, laudatur, benedicitur, & ut pro ipsis apud Deum intercedat, deprecatur. Accessit autem & *Princeps Mathildis* dona ferens ingentia, aurum, & argentum, & pallia insignia. Sed & *Domnus Dodo venerabilis Pontifex Mutinensis* calicem argenteum cum patena ei obtulit optimum, aureis insigniis intus forisque mirabiliter decoratum, hoc præcipiens & dicens, ut nec sibi, nec alicui umquam liceat aliqua occasione ipsum ab ejus officio removere. Transactis denique jam die nocteque concessæ visionis, dedicatur atque consecratur Altare Beatissimi Geminiani à *Reverendissimo Sanctæ Romanæ Sedis Apostolico Paschali* cum frequentia Cardinalium, Episcoporum, Clericorum, Abbatum, Monachorum, Laicorum & Fœminarum, cum omni honore & reverentia, cum summa officiorum diligentia Octavo Idus Octobris MCVI. Fit præterea ibi magna peccatorum remissio, dilatatur & extenditur Apostolica Benedictio.

Sequebantur in Codicibus Estensibus pauca hæc Additamenta, nescio quo ab Auctore profecta, quæ uti minimè inutilia retinere placuit.


MIllesimo Centesimo Nono, Indictione Tertia, die VIII. Novembris fuit Domina Mathildis Nobilissima Comitissa in Castro Vignolæ, & ibi concordavit Domnum Johannem Priorem Monasterii Sancti Silvestri de Nonantula, cum Archipresbytero Johanne Sancti Michaëlis etiam de Nonantula, testificantibus proceribus & nobilibus viris Albricus, & Tebertus de Nonantula, & Magister Rubertus Grammaticus.

In sequenti Anno Henricus Rex Quintus intravit Italiam. Destruxit Civitatem Novariam. Accepit Longobardorum fidelitatem, & cum Mathilda Comitissa Nobilissima Mutinensi pacem habuit firmissimam, quæ patrem ejus Henrici Henricum devicerat, & firmata dicta pace; deinde transivit Alpes. Intravit Tusciam: ivit Lucam, & Florentiam.

Millesimo Centesimo Undecimo in mense Januarii supradictus Henricus Quintus Rex destruxit Aretium. Ivit Romam. Cepit Papam Paschalem cum Cardinalibus, & prope Urbem Romæ tenuit eos in captione; donec Papa permisit ei baculum & anulum, unde lis erat inter eos. Postea intra Ecclesiam Beati Petri coronavit. Inde reversus in Longobardiam, vênit ad supradictam Comitissam Mathildam apud Bibianellum. Ibi osculo pace firmata, lætatus, & loquutus cum ea plurimum, die Ascensionis Domini transpadavit, atque ultra montes remeavit. Illo autem egrediente de Italia, Mediolanenses destruxerunt urbem, quæ vocabatur Laude, dum adhuc esset citra montes: igni civitatem incenderunt, & muri lapides Mediolanum deportarunt, licèt Rex illis per suos Nuntios prohiberet.

Anno Domini Millesimo Centesimo Quintodecimo, IX. Cal. Augusti, obiit Comitissa Mathildis Nobilissima in Comitatu Mutinensi, in loco, qui vocatur Bondenum de Diacono, ubi ædificavit quamdam Ecclesiam, dum in infirmitate jaceret, ad honorem Sancti Jacobi Apostoli, juxta parietes cujus migravit de hoc seculo. Quamvis posteris nostris venturis incredibile videatur, paulisper de ejus moribus prælibare curamus. Filia fuit cujusdam Bonifacii Marchionis & Comitis in Longobardia, & Beatricis Nobilissimæ Comitissæ de Terra Theotonica, & Regia stirpe. Quæ defunctis parentibus ultra quadraginta annos regnavit in Italia. Erat enim Dux Thusciæ, & Longobardiæ, & Marchiæ, & Spoleti, & Marchiæ Camerinæ, & totius Terræ, quæ est à mari Adriatico, ubi sunt Civitates Ravenna, & Venetia sitæ, usque ad aliud mare, ubi est Civitas, quæ vocatur Pisa, usque ad Civitatem, quæ dicitur Sutrium prope Romam. Hæc à juventute sua quotidie militiam deduxit. Pro Romana pugnavit Ecclesia contra Henricum Regem, quem Papa Gregorius, qui vulgò Eldebrandus dicitur, excommunicavit. Tamdem supradictum Regem de Italia militando expulsit, ablata sibi conjuge Regina, cum Corrado filio Regis. Præterea sermone erat facundissima, & in consiliis astutissima, affabilis ad omnes. Clericos, Religiosos oppidò valde honorabat. Latrones minimè servabat.......... Omnes Principes, Marchiones, Comites, Proceres ceteros, omnesque Milites tanta diligentia gubernabat, quòd genu flexo in consiliis ante illam avidissimè se prosternebant. Amicitiam habebat Constantinopolitani Imperatoris, & Apuliæ Principum, & Francigenarum, & Theotonicorum, Hungarici Regis, & Sardiniæ Judicum, & aliarum Insularum Principum, & ceterorum, quorum nomina impossibile esse videtur perscribere. In tempore autem, quo infirmata est, paululum antequam infirmaretur, in eodem Mense super omnes Longobardiæ Civitates pluit de Cœlo sanguis usque ad eum locum prope Mutinam, qui vocatur Civitas Nova. Deus dedit quoque ei spatium pœnitentiæ peragendæ per unius anni circulum, perseverans in gravissima infirmitate, amissa valetudine omnium membrorum, totiusque corporis. Sepulcrum illius, in quo est honorificè condita, manet apud venerabile Monasterium ad honorem Sancti Benedicti consecratum, quod est situm in quadam Insula Padi fluminis, ubi vulgò Padolirone vocatur.

F I N I S.



CHRONICA
VARIA PISANA
A FERDINANDO UGHELLO
JAM EVULGATA,

In præsenti autem editione à multis mendis expurgata.

ACCEDIT

BREVIARIUM PISANÆ HISTORIÆ,
AB EODEM EDITUM,

Nunc verò ope MSti Codicis Lucensis emaculatum & auctum.

IN CHRONICA PISANA
PRAEFATIO
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

NOrunt Eruditi, quam multa sint, quae nobis Etruscam Civitatem Pisarum commendent, natalium vetustas, amplitudo, ac potentia; & quamquam temporibus nostris non eum teneat splendoris ac fortunae locum, quem olim tenuit, rerum vicissitudini, non secus ac aliae splendidissimae Urbes, cedere coacta, nihilominus inter praeclaras celebresque Italiae Civitates adhuc numeratur. Ejus res gestas breviter post Annum Christi Millesimum, adnotatas a nonnullis antiquis Scriptoribus habebamus, iisque Respublica Literaria jam fruebatur beneficio Clariss. Viri Ferdinandi Ughellii, qui omnia congessit, ediditque Tom. III. Ital. Sacr. pag. 852. Edit. Rom. Eadem ut rursus aeneis typis traderentur, exposcebat institutum meum. Sed quid ego hac in re praestiterim, antea monendus est Lector. Habebamus Ughellii cura primo *Gesta triumphalia per Pisanos* ab Anno 1099. ad 1120. Auctore Anonymo. Secundo *Chronicon Pisanum* ab altero Anonymo itidem conscriptum, in quo referuntur gesta Pisanorum ab Anno 688. (apud Ughellium corrupte in titulo legebatur *MCLXXXVIII.*) usque ad Annum 1136. Tertio *Annales Pisanorum* ab Anno 971. ad 1178. pariter ab Anonymo Scriptore literis consignatos. Post haec, videlicet quarto loco, edidit alterum *Chronicon breve Pisanum* ab Anno 1004. ad Annum 1188. ab incerto Auctore concinnatum. Et heic in titulo apud Ughellium habebatur *MCLXXVIII.* non sine legentium fastidio, qui tam incuriose ab eodem intuentur exhibita nobis veterum monumenta. Quinto *Chronicon alterum breve Pisanum*, cujus Auctorem itidem ignoramus, ab Anno 1101. usque ad Annum 1268. Sexto Pisanae Historiae chorum tamdem claudebat ab Ughellio evulgatum *Carmen Laurentii Veronensis*, in libros septem divisum, ubi Majoricae Insulae expugnatio, aliaque Pisanorum gesta referuntur. Fuit hic Historicus simul & Poëta, Diaconus Petri II. Archiepiscopi Pisani: floruitque iis ipsis temporibus; quibus ea peracta fuere. Sed heic etiam aut Italiae Sacrae Typographos, aut ipsum Ughellium supinae negligentiae arguendos habeo. Scribit ille in Poëmatis hujus titulo, debellatam fuisse Majoricam à Pisanis *Anno MCIV.* quae tamen expeditio sine controversia, vel ipso Ughellio teste in Catalogo Archiepiscoporum Pisanorum, Anno MCXIV. & MCXV. suscepta & consummata est. Ughellius idem in Archiepisc. Pisan. pag. 428. & sequentibus non uno in loco *Boreales Insulas* a Pisanis expugnatas, ac Pisanae Reipublicae a Gelasio II. P. M. concessas scribit. *Baleares Insulas* scribendum illi fuit, ne his verbis Mediterranei Maris Insulas in Balticum miranda metamorphosi transferret. Adde, ne certo quidem resciri posse, an Laurentius ille (Poëta profecto pro aevi sui conditione magni faciendus) *Veronensis* fuerit, ut titulus praefert. Siquidem ille idem in supra memorata pag. 428. appellatur *Laurentius*, non *Veronensis*, sed quidem *Vernensis*, suspicione mihi non levi injecta, eum in aliquo Tusciae oppido aut pago, cui *Vernae*, seu *Verniae*, sive etiam *Vurni* nomen foret, natum potius fuisse, quam in Veronensi Urbe. Sed quis tam facile possit Italiam Sacram Ughellii ab innumeris id genus, immo gravioribus maculis purgare? Si ominari licet, veniet aliquando, qui denuo integrum illud Opus ad incudem revocabit, & ingenti beneficio Italiam universam sibi obstringet.

Quam ego medelam adhibere potuerim Pisanis hisce Chronicis, non uno in loco apud Ughellium deformatis, nunc Lector accipiat. Pisanae Historiae antigraphum significatum mihi fuit adservari a Nobili Viro Octavio Angelo de Abramo Primatialis Pisanae Ecclesiæ Canonico, ejus cura descriptum ex pervetusto Codice MSto *Michaëlis de Vico* Pisani Canonici, qui circiter Annum 1370. ac serius floruit, uti ex calce ipsius Chronici, & ex monumentis Pisani Canonicorum Collegii constat. Ut hocce exemplar mihi impetrarem, operam dedi; neque multis opus fuit: humanitate enim non vulgari praeditus ille continuo ad me misit. Monuit autem, MStum Codicem, unde Chronicon haustum fuerat, latere in Archivo secreto

Reipublicae Lucensis. Equidem animadverteram, a Francisco Maria Florentinio V. Cl. in Monument. Comitissae Mathildis Lib. I. pag. 10. atque alibi commemorata fuisse *Chronica Pisanorum de Anno* 1371. *Auctore Michaële de Vico Canonico Pisano, apud me servata*. Atque hoc ipsum Florentinii Chronicon non aliud arbitrabar ego, quam quod in supra laudato Lucensi Archivo nunc delitescit, ea praecipue de causa, quod Chronicon ab Octavio de Abramo ad me missum, ipsum quoque in fine dicitur scriptum *a Michaële de Vico* Anno 1371. Verum suspendere judicium coactus sum; nam pag. 19. Florentinius nonnulla ex suo Chronico Pisano adfert, quae re quidem cum textu Ughellii, & Canonici de Abramo conveniunt, sed verbis differunt. Rursus idem Florentinius pag. 315. ex eodem Chronico Pisano Epitaphium adfert militibus in bello Majoricano extinctis positum; quod tamen neque Ughellius, neque Abramus in suo exhibent. Quare Florentinii Chronicon Pisanum non idem prorsus esse atque Chronicon ab Abramo ad me missum veri mihi videtur simile. Istud autem complectitur, non secta in varios Libellos, sed in unum collecta quaedam ex Chronicis ab Ughellio editis, nempe Tertium, Quartum, & Quintum, redditis suo Anno singulis rebus. Anceps autem diu fui, num Ughellianam editionem heic repeterem, ac subinde in Notis superadderem, quae MStum exemplar meum suppeditabat tum ad emendandum, tum ad supplendum Ughellii textum, quamplurimis variisque erroribus pro more scatentem. Verum satius mihi tamdem visum est edere qualia sunt in meo exemplari tria haec Opuscula, unum ibidem constituentia, quando immanem silvam errorum in Ughelliana editione deprehenderam, quos tollere in Notis si singulos voluissem, mihi molestiam, Lectoribus vero non leve tœdium adtulissem. Ad haec in exemplari meo quaedam habentur, quae in textu Ughellii desiderantur, ita ut sine comparatione Ughellianae editioni trium ejusmodi Chronicorum nostra sit praeferenda. Itaque in subjectis Notis apposui, si quae Ughellius vicissim refert in meo textu desiderata; reliqua vero Chronica brevia Pisanorum, qualia in Italia Sacra leguntur, iterum excudenda curavi.

Omnia haec praecedet ex eodem MSto Codice Lucensi descriptus Libellus *de Origine Civitatis Pisanae*, cujus Auctor dicitur *Frater Bartholomaeus de Sancto Concordio* ille scilicet, a quo Summam Theologiae *Pisanellam* appellatam, & jamdiu editam habemus. Quamquam fabulis saturata sit ejusmodi opella, eam tamen adjicere placuit. Quod vero ibi in fine tempus conscripti Opusculi designetur his verbis: *A Christo ad hodiernum diem Anni* 1270. id numquam componas cum aetate Bartholomaei a Sancto Concordio. Traditur hic Anno 1347. e vivis excessisse, tunc natus quinque & octoginta annos, quorum circiter LXX. in Ordine Praedicatorum exegerat. Si sibi constant ejusmodi calculi, ergo is Anno 1270. octennis fuit, quo certe tempore Historias, quamquam fabulosas, scripsisse non est credendus. Sed quum heic de inani Opusculo agatur, ineptum foret diutius in ejus Auctorem inquirere. Postremo loco reminisci juvat, Pisani Chronici (quale a me nunc profertur) Auctorem putari a Florentinio *Michaëlem de Vico* Canonicum Pisanum. Et quidem in exemplari Lucensis Codicis, quo sum usus, legitur in calce: *Ego Michaël de Vico Pisanus Canonicus praedicta scripsi Anno Domini MCCCLXXI.* Attamen mihi veri videtur similius, Chronica Pisana ab Ughellio primum, & nunc a me evulgata, diversos & quidem antiquiores Auctores habuisse, ita ut quamquam cuncta in Chronico Michaëlis de Vico immixta legantur, is ea collegisse potius, quam lucubrasse existimandus sit.

GESTA



GESTA TRIUMPHALIA PER PISANOS FACTA

DE CAPTIONE HIERUSALEM, ET CIVITATIS MAJORICARUM, ET ALIARUM CIVITATUM.

EX VETUSTO CODICE MANUSCRIPTO PERGAMENO

BENEDICTI LEOLII PISANI,

Cujus exemplar, curâ, & diligentiâ Viviani Episcopi Insulani viri eruditissimi exscriptum est.

AD memoriam habendã curę fuit nobis ea scribere, quæ Deus Omnipotens per Pisanum populum dignatus est efficere. Anno igitur Dominicę Incarnat. Millesimo nonagesimonono Ecclesiæ Romanæ præsidente D. Papa Urbano II. Pisanus populus in navibus centum viginti ad liberandam Jerusalem de manibus Paganorum profectus est, quorum rector, & ductor Daibertus Pisanæ Urbis Archiepiscopus extitit, qui postea Jerosolymis factus Patriarcha remansit. Proficiscendo verò Leucatam, & Cefaloniam urbes fortissimas expugnantes expoliaverunt, quoniam Jerosolymitanum iter impedire consueverant. In eodem autem itinere Pisanus exercitus Maidam urbem fortissimam cepit, & Laudociam cum Boamundo, & Gibellum cum ipso, & Raymundo Comite S. Ægidii obsedit. Inde igitur digressi venerunt Jerosolymam, quæ anno millesimo centesimo à Christianis capta fuit, & retenta fuit; ibique Pisani morantes per aliquantum temporis, & inopem urbem reædificantes ad propria regressi sunt. Sed priusquam Christiani ad liberandam Jerusalem terra vel mari proficiscerentur, contigit ut à Deo hæc signa præmonstrarentur, videlicet ut cœlum stellas velut aquam plueret, & signum comatæ stellæ suos ignes monstraret, & cœlum in parte septentrionali velut ardere omnibus appareret. Terrestris autem Christianorum exercitus cùm ad liberandam Jerusalem proficisceretur, grandia, & innumera contra Paganos iniit certamina: quibus triumphatis & devictis omnibus, Christi milites Nicæam, & Antiochiam, etiam Lanceam, quæ Domini latus perforaverat, in Ecclesia B. Petri invenerunt, quam Raymundo Comiti S. Ægidii velut Christiani exercitus signifero commendaverunt. Ipsius autem Christiani exercitus Duces & Principes extiterunt, Episcopus Sanctæ Mariæ de Podio, vir prudens, & fortissimus, quamplurimis sui ordinis sibi cohærentibus, & prædictus Comes Raymundus cum Boamundo,

& Tancredo Comitibus, & Robertus Frescione inclytus Comes Flandriæ, simul etiam Comes Stephanus fortissimus, præterea Eustatius, & Gottefredus atque Balduinus nobilissimi Comites, & bellatores inclyti; quorum unus nomine Gottefredus, Rex Jerosolymis per Dei gratiam electus est ab omnibus. Cui successit frater ejus Balduinus, Christi miles strenuissimus, cujus ingenio, & virtute Paganorum urbes captæ sunt quamplurimæ, & quamplures factæ sunt sibi tributariæ.

Anno verò Dominicæ incarnationis millesimo centesimo duodecimo Rex Henricus IV. cum ingenti exercitu vênit in Italiam in Longobardiam, non vi sed fraude destruendo urbem Novariam, item & in Tuscia civitatem Aretinam. Multis autem promissis, præmissis obsidibus, Domino PP. Paschali II. sibique factis etiam apud Sutrium in præsentia Cardinalium multis securitatibus, ad gradus Ecclesiæ B. Petri Apostolorum principis ab ipso PP. & omni Romano Clero, & Populo magnificè recipitur, & Papali osculo satis honoratus, cum ipso Ecclesiam ingreditur. Nolens autem prædictus Rex, quæ sacramentis firmaverat ad effectum ducere, non dubitavit Dominum suum Paschalem Papam tradere, & indecentissimè capere; quem Papalibus (*) in Romanorum nobilium non est veritus turpiter per diversa loca deducere, multisque injuriis illatis eum non timuit afficere. Tandem verò ut Cardinales, & Romanos cives de manibus prædictus Papa posset eripere, & interposita, & promissa pace, placuit sibi de ipsa captura cum omnibus evadere.

Præterea anno millesimo centesimo decimoquarto, præsidente D. P. Paschale II. divinus ignis Pisanorum civium animos, & aliorum Tusciæ urbium populos contra Majoricam accendit: ipsius enim insulæ Rex, imò tyrannus crudelis, & pessimus, licèt Eunuchus, nomine Nazaredech, innumeram Christianorum multitudinem in vinculis, & carceribus captivam longo tempore cruciaverat. Quapropter Pisanus exercitus in trecentis navibus ad Christianos liberandos in die S. Sixti de Arni faucibus exivit, & cùm in Sardiniam devenisset, totus exercitus ad portum Capalbi applicuit. Quo in loco ferè omnibus discordantibus ad pacem reductis, ducatus marini itineris Pedotis committitur, quorum signa omnis exercitus contra Majoricam consequitur. Sed illis tandem in Pelagus aberrantibus, & rectum iter ignorantibus, dimissâ Majoricâ, divisi, & dispersi in partes Barchinonæ tandem ad portum S. Felicis de Gerunda convenerunt. In hujus igitur exercitus adventu tota provincia maximo extollitur gaudio, & exclamat se cum Pisanis velle fieri participem Majoricæ triumphi. Quare Pisano exercitui Raymundus Barchinonæ Palatinus Comes, & ejusdem civitatis Pontifex, & Comes Ampuri, & Aymericus Narbonensis, & Guillelmus Pesulani Montis, Raymundus quoque de Balso, cum maxima suorum equitum, & peditum multitudine unanimiter, & festinanter se sociarunt, & ad portum de Salo simul applicuerunt, ubi diu demorantes, & frequenter contra Majoricam ire tentantes, ventis contrariis mare turbantibus, iter sæpe incœptum perficere non potuerunt. Quare Barchinonæ hyemare proposuerunt, qui de portu Salo Barchinonam regredientes, multarum navium in litore Barchinonæ sunt perpessi naufragium. Inde igitur aliis Pisanis inibi hyemantibus, atque rates ruptas reficientibus de virtute divina factum est, ut & qui Pisam redierant, & qui Barchinonæ remanserant, in natalitio die Sancti Joannis Baptistæ ad portum Salo convenirent, & iidem contra Majoricam iter optatum cum Petro Pisanorum Archiepiscopo, atque cum Bosone Cardinali Romanæ sedis legato, & prædictis principibus, aura prospera flante, aggrederentur. Sed divina disponente gratia priùs ad Insulam Evisam applicuerunt. In ipsa enim insula erat ejusdem nominis civitas in arduo sita, muris, turribus excelsis, vallo, fossa, locis paludestribus, mari undique munita; præter hæc autem armis innumeris, bellatoribus fortissimis elata fervebat. Quapropter spem nobis omnem posse capi repellebat. Quæ tamen per mensem obsessa, faciente Dei omnipotentis potentia, cum immani Saracenorum interfectione capta est illa in S. Laurentii festo urbs crudelis, & fortissima. Ejus itaque mœnibus undique dirutis, ejusque Cassaro destructo, suisque spoliis oneratis navibus, cum ejusdem urbis Guido pessimo, & impiissimo catenis adstricto, in festo sancti Bartholomæi Apostoli ad insulam Majoricam divina dispensatione applicuerunt. Altera ergo die communi colloquio habito, & sapienti consilio inito, ut de parte Orientis urbem populosam, & mœnibus, & antemuralibus, maximisque fossatis circumdatam sapienter, atque viriliter aggrederentur. Tertia verò die ad urbem appropinquantes fortissimum cum Saracenis inierunt prælium, & eos persequendo, & plures interficiendo intra mœnia gentem illam pessimam reduxerunt. In eadem itaque die juxta urbem castrametati sunt, unde frequenter à Paganis ad certamen provocati, frequenter eos persequendo, & quamplurimos occidendo, in urbem viriliter recludebant. Compositis autem ab ingeniosis Pisanorum artificibus manganis, gattis, atque ligneis castellis, urbem fortiter expugnabant, & cum his machinis urbis mœnia, & mœnium turres potentissimè rumpebant. Factâ tamen maximâ murorum & turrium ruinâ, Pisanos urbem ingredi non sinebant, quia maxima in fortium Saracenorum *, atque ligneis castellis intus habitis, eis immanissimè resistebatur, sicque factum est, ut Christianorum castellis à Paganorum manganis quamplurimis confractis, & ab urbis mœnibus Christianorum virtute delongatis, Saraceni manganis se tuendo muros reficerent, & Christianorum exercitum vix timerent. Sed quoniam Dominus suos ultra posse tentari non patitur, Paganorum ruinis, & insultationi resumptis viribus, & reformatis Christianis omnibus sapientissimè resistitur. Alii namque Christianorum hyeme imminente domos ligneas ædificare, alii castella lignea duo alia perficere, atque duo priora reficere indesinenter laborabant, atque alii Christianorum insulam terra, marique circuire, & bonis omnibus expoliare, totumque exercitum victualibus sustentare accuratissimè insistebant. Omnibus itaque Christianorum machinis perfectè constructis, confestim cum his omnibus instrumentis ad urbis mœnia acceditur, ibique Christianorum castella contraponuntur ligneis castellis Saracenorum: factum est ut de ingenio Pisanorum ignis pennatius de castello Christianorum per antennam porrigeretur in castellum, & comburitur, & di-

(*) *Locus corruptus; fortasse legendum*: Quem Papalibus vestibus indutum cum multis Rom. &c.

divina virtute faciente, & intercessione B. Mariæ Virginis interveniente, cujus Purificatio tunc erat celebris Christiano populo, ignis ab ipso, quod comburebatur castello, ad aliud ejusdem urbis castellum divinitus transfertur, & similiter comburitur. Unde Pisani cives, totus Christianus exercitus, nimis alacres effecti, & Deo, & Beatæ Mariæ Virgini laudes magnificas reddentes sua castella muro novæ urbis, quem ruperant, propinquiora faciunt, atque octavo Idus Februarii novam urbem præliando capiunt, facta multa Saracenorum strage. Præsumentes igitur de Domini virtute sua castella domos frangendo, per urbem captam magnificæ urbi veteri, quæ turribus, & muris, & fossis erat circumdata, propinqua reddiderunt, & manganis similiter ad urbem factis vicinis, cum machinis, & totis viribus urbem expugnare, & muros frangere fortiter cœperunt. Tandem autem factum est, ut conventus, & pacti consilia Comitis Barchinonensis, & Saracenorum Regis de Domini inspiratione, & Pisanorum Archiepiscopi, & Romani Legati, Ecclesiæque Pisanæ Canonicorum probitate, atque prudentia dissiparentur, & penitùs fierent irrita. Cùm enim Archiepiscopus & Romanus Legatus cum Clero, & Barchinonensi Comite, aliisque Principibus ad prædicta consilia audienda convenissent, Petrus Albithonis nobilis Pisanus miles armatus celer advênit, & Pisanos urbem expugnare acclamans conventum diremit, Cleroque, atque aliis, qui convenerant ad bellum festinantibus, prædictus Comes tristis remansit, & quia suo consilio creditum non fuerat, se præliaturum negavit, suosque pugnare prohibuit. Sed divina potentia providens fervorem Pisanorum, & volens misereri miseriæ captivorum, urbem magnificam in solemnitate Cathedræ Apostolorum Principis per manus Pisanorum civium capi concessit, multis millibus Saracenorum utriusque sexus interfectis, atque plurimis in captione retentis, ibique Saracenorum thesaurorum maximas copias invenientes, & eas quique recolligentes, ad carcerem perveniunt captivorum, & inde eos extrahentes, maximis cum fletibus dissolvunt vincula, & catenas eorum. Post multa verò gaudia, quæ in Deo habuerunt, de captivorum, pro quibus venerant, absolutione, ad tertiam civitatem, quæ Regis Mortadæ fuerat, veniunt, & eam murum rumpendo, & portas ferreas frangendo capiunt, quarto Nonas Martii, capta ibi Regis Mortadæ sorore cum filiis, & filiabus, & nepotibus, cum maxima copia auri, & argenti atque palliorum. Sed quoniam ipsa in captivos, eis testantibus, omnemque Christianum illuc pervenientem misericordissima fuerat, cum sua progenie est reddita libertati, factumque est ut ipsa in insula Majoricæ remanente filia sua regina, cum fratre, suoque filio, cum Pisano exercitu Pisam sponte veniret, ibique abrenuntians Paganismo, Christianum nomen cum suo parvulo filio suscepit. Quarta verò civitatula, quæ circa regiam Sudam, quæ Cassarum dicitur, erat constructa, per manus Pisanorum capta est, sexto Idus Martii. Præter Cassarum autem duæ remanserunt turres, de quibus contra Christianos pugnabant quamplurimi Saracenorum fortissimi bellatores, quod Pisani sufferre nolentes, ignem in unam turrium submiserunt, & eam capiendo alios effugaverunt, & qui remanserant Saraceni, contra quos expugnandos unus Pisanorum fortis, & audacissimus, per scalam ascendit, & ei altero Christianorum succurrente, qui de intus ascenderat, quinque Saracenos interficientes, conspiciente, & admirante toto Christianorum exercitu, turrim obtinuerunt quartodecimo Kalendas Aprilis. Videns igitur Rex Burabe, quem Saraceni defuncto Rege Nazaredech sibi dominum fecerant, solum Cassarum remansisse, & diffidens, & desperans se Pisanorum fortitudini, & ingeniis posse resistere, per marinam fugam cum paucis Saracenorum, & regiis thesauris tentavit evadere. Sed sicut Deo placuerat, Pisanorum custodias non potuit fallere. Ingrediens etenim in naviculam à Pisanis illico captus est, & in vinculis detentus. Tandem in gloriam Pisanorum Pisam captivus ductus est. Auditâ itaque Majoricani Regis capturâ, Christianus exercitus exultans, & Deum laudans, castella duo, & mangana conducit ad Cassarum. Juxta quod erant barbacanæ magnæ latitudinis, & profundæ altitudinis, quas lignis impleverunt, & castella superduxerunt. Ex castellis ergo supereminentibus Cassari magnis turribus Christiani contra fortissimos Saracenorum recollectos in Cassaro acriter instare cœperunt, & fortiter eos expugnantes de suis castellis pontem super Cassarum posuerunt. De castellis autem, & de ponte Christiani contra Saracenos certantes, multitudine Christianorum eos pariter cum manganis affligente, per pontem Pisani transeunt in Cassarum, alios Saracenorum interficiendo, atque alios in præcipitium mittendo, pluresque intra Cassarum persequendo. Vexillum itaque Pisani exercitus super Cassarum elevatur, & de Saracenis, & munitionibus habitâ, & consummatâ victoriâ, ab omni exercitu Deum glorificando acclamatur. Ipsius autem Cassari captio, & tanti laboris, & certaminis consummatio peracta est tertio Nonas Aprilis. Intrant ergo Pisani cives in Cassarum, & regias domos, & cameras plenas inveniunt, innumera multitudine utriusque sexus nobilium Saracenorum, quorum alios præcipitando interficiunt, & quamplurimos in vinculis ponentes captivos ad propria ducunt. Quantos autem regios thesauros in palliis, & auro, & argento, atque regiis pretiosis vestibus, aliisque innumeris spoliis inibi repererunt, describi difficile est; quorum magna pars propter custodum incuriam ibidem combusta est; inventis ibi super hæc argenteis crucibus, atque divinis libris, aliisque Ecclesiasticis ornamentis, quæ ipsi pessimi Saraceni deprædati fuerant per provinciam, & alias Christianorum regiones. Destructo itaque Cassaro, omnique Majoricæ munitione in ruinam data, Pisani cives campum faciunt, & destructæ urbis grandia & innumera spolia inter se dividunt, præordinatis, & constitutis Ecclesiæ Pisanæ maximis & pretiosis muneribus, in palliis, & vestibus, & vasis argenteis, & eburneis quampluribus, atque crystallinis, adjunctis super hoc regalium ornamentorum insignibus. His itaque peractis omnibus, Pisani cives, & totus exercitus captis spoliis naves onerant, & in eas intrantes cum omni prosperitate ad sua loca remeant. Habitus est autem Majoricæ triumphus, & Christiani exercitus gloriosus regressus Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo decimosexto præsidente in urbe Roma bea-

beatæ memoriæ PP. Paschale II. qui vixit in Papatu annos decem & octo, menses quinque, dies sex, migravit autem ad Dominum anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo decimo octavo. Cui successit venerabilis Papa Gelasius Secundus, qui veniens Pisam, Pisanam Ecclesiam consecravit, & eam Metropolitanam constituens, Corsicanos Episcopos Archiepiscopo consecrando submisit.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo nonodecimo, sexto Kalendas Octob. Ab urbe autem Pisana recedens à Pisanis per mare usque ad Massiliam honorificè perductus est. Inde verò Cluniacum perveniens ibidem migravit ad Dominum. Vixit autem in honore, & dignitate Papali annum unum dies quatuor. Cui successit Viennensis Archiepiscopus à Romanis Episcopis, & Cardinalibus, & ab aliis Ecclesiastici ordinis quampluribus in Papam Callistum Secundum Cluniaci electus. Post discessum autem venerabilis Papæ Gelasii, Petrus Pisanorum Archiepiscopus cum Petro Cardinali Ecclesiæ Romanæ Legato, & cum Ecclesiæ Pisanæ Canonicis, atque cum Ildebrando Judice, & Pisanorum tunc Consule aliisque Pisanis civibus in Corsicam ivit, ibique honorificè receptus, in conspectu Cleri, & populi Corsicani, Maravensem electum, & ipsius Ecclesiam consecravit, aliorumque Corsicæ Pontificum obedientiam, & fidelitatem recepit. Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo decimonono.

Post eorum igitur honorabilem reditum velox fama Tusciam, & Longobardiam continuò replevit, resonans Ecclesiam Pisanam Metropolitanam dignitatem assecutam in Corsicam ivisse, ibique Episcoporum, & Ecclesiarum celebrata consecratione, & Episcoporum fidelitatibus receptis, Episcopos, & Corsicæ Ecclesias per Gelasii Romani Pontificis concessionem suo juri subdidisse. Unde factum est, ut invidia diaboli super alterius bonis semper dolens atque mœrens, immanissimè bruta corda Januensium inflaret, & eorum ora superbissima pessimè fœdaret. Audientes namque Ecclesiam Pisanam tanto honore exaltatam, & gloriosiorem habitam, velut amentes effecti, contra Pisanos fremebant illico feraliter, & dentibus frendebant dicentes, sicut homines insanientes, urbem Pisanam in tantum honorem non esse sublimandam, & ei satis sufficere si Patrum suorum honore contenti fuerint. His autem fatuis rumoribus Pisanorum sapientes auditum præbere nolebant, cogitantes Januensem Populum sapientum jure atque moderamine regi, & conduci. Sed de judicio Dei factum est, ut eorum exigentibus meritis Januensium vesania ducem & comitem haberet fatuitatem, & insaniam. Nam quoniam Deus, & Ecclesia Romana de proprio jure Romani Pontificis dignè ac magnificè sublimaverat Ecclesiam Pisanam, Januenses livore pessimo aspersi, & omni sensu perdito amentes effecti, Pisanis amicitiæ vinculum frangere vilipendunt, atque sacramenta pacis diu ad invicem habitæ frangere nullatenus renuunt. Cùm enim Pisanorum negotiatores securè, & ex antiqua consuetudine ad sua negotia navigarent, Januenses sinè offensa, vel occasione nulla rationabili, sola furia invecti, de insidiis exeuntes, velut piratæ nequissimi, in via Sardiniæ cum suis galêis eos aggrediuntur, & Pisanos inermes capiendo pecuniam omnem deprædantur, naves alias secum ad propria reducendo. His igitur auditis Pisani cives turbantur, & suos negotiatores ab Januensibus sinè offensa deprædatos esse valde mirantur. Pisanorum autem sapientes juxta inimicorum stultitiam, & inauditam superbiam se ulcisci nolentes, nuntios suos nobiles & peritos Januam dirigunt, Januensibus denuntiaturos urbem Pisanam eis velle satisfacere, si qua unquam accidisset offensa, & quæ injustè Januenses abstulerant, Pisanis placere recipere, & amicitiæ vinculum refirmare, pacisque fœdera restituere. Sed hæc insanis mentibus Januensium audiens vesania dedignata est ulla respondere pacifica; imò supradictis inferre pejora minatur. Cùm autem Pisani cives tam frequentibus nuntiis, quàm pacificis literis factam sibi prædam, & pacem exposcerent, nec ea consequi ullatenus valerent, brevi temporis spatio navalem præparant exercitum. Navigantes itaque contra Januam comburendo, & incendendo, inventasque naves submergendo, & Marcham fortissimè devastant. Cùmque omnium votum esset in urbem tendere & eam disperdere, factus est ventus contrarius Pisanos reducens ad Veneris portum. Hæc igitur Januensium populus audiens, ad Veneris portum navigat, cùmque Pisanorum galêæ de custodia Januensium galêas prospicerent, una ex decem, quæ fuerant in custodiis, velociter renuntiat Pisanorum exercitui Januenses appropinquasse. Novem autem galêæ, quæ in custodia remanserant, festinanter, & audacissimè omnes Januensium galêas aggredientes viriliter eos usque ad triginta millia prosequuntur, reliquo Pisanorum exercitu unanimiter subsequente. Sed vento eis obviante contrario, de Januensibus dilata est victoria. Pisanis igitur ad prædictum portum redeuntibus, & propter dulcis aquæ inopiam longiùs à castro se ponentibus, Januenses cum magno apparatu navium ad eundem portum sub castri tutela noctu perveniunt, Pisani verò recognoscentes omnem Januensium manum ad portus Veneris castrum convenisse, satis alacres efficiuntur, sperantes equidem à Deo suorum hostium, & castri victoriam obtinere. Cùm itaque in solemni die sancti Sixti millesimo centesimo vigesimo, à Pisano populo Missarum officia celebrarentur, quatuor Januensium galêæ de portu exeunt, & parvas naviculas Pisanis pueris plenas ad bella videnda euntibus capere festinant. Hoc autem Pisanis prævidentibus, & auxilium eis parare volentibus, Januenses omnes de portu progrediuntur, & in mare amplum proficiscuntur. Videns ergo Pisanus exercitus Januenses volentes bella expetere, unanimiter atque velociter præparatur contra eos contendere. Ad eos itaque Pisani appropinquantes, magnis viribus in eos decertant, persequuntur autem Januensem exercitum, & eorum naves capiunt, & alias submergunt, & suos hostes quamplurimos in naves Pisanas projiciunt, præter quos velox fuga ad sui castri tutelam reduxit satis opportunam. Januensium igitur quampluribus submersis, multisque interfectis, & sinè ulla Pisanorum, quod mirabile fuit, læsione, felici de Januensibus habito triumpho, Pisanus exercitus laudem, & gloriam reddit omnipotenti Deo, qui tantam victoriam concessit Pisano populo, &c.

CHRO-

CHRONICON PISANUM,
SEU
FRAGMENTUM
AUCTORIS INCERTI
Ab Anno DCLXXXVIII. usque ad Annum MCXXXVI.
EODEM MEMBRANACEO CODICE
BENEDICTI LEOLII.

DCLXXXVIII. Pipinus senior regnare cœpit.
DCCXLI. Carolus filius Pipini regnare cœpit.
DCCLI. Carolo defuncto, Carolus & Pipinus regnare cœperunt insimul.
DCCLVI. Carolus Magnus Romam perrexit.
DCCLXVIII. Pipinus Rex defunctus est VIII. Kalend. Octob.
DCCCX. Pipinus Rex Italiæ defunctus est.
DCCCXIV. V. Kalend. Febr. Carolus Imperator defunctus est. Lodovicus filius regnare cœpit.
DCCCLV. Lotharius Imperator obiit IV. Kalend. Octobris.
DCCCLXVII. Ludovicus Imperator intravit in regionem Beneventanam.
DCCCLXXI. Exierunt Agareni de Bari per Francos III. Non. Febr.
DCCCLXXV. Ludovicus Imperator Romanorum filius Lotharii Imperatoris obiit.
DCCCCXV. Etiam Græci de Benevento per Francos exierunt.
DCCCCXVII. Exierunt Saraceni de Gariliano.
DCCCCXXII. Intraverunt Ungari in Italiam mense Febr.
DCCCCXXXVI. Deprædata est Apulia à gente Græcorum V. Kal. Martii.
DCCCCXXXVII. Intraverunt Ungari in Capua.
DCCCCXXXIX. Eclipsis Solis facta est XIV. Kalend. Aug. VI. feria, in VI. hora diei usque in ultimas partes terræ.
DCCCCL. Berengarius cum Alberto filio suo regnare cœpit.
DCCCCLXIX. Fuerunt Pisani in Calabria.
DCCCCLXXIII. Otho magnus Imperator obiit.
DCCCCLXXXIII. Otho Secundus obiit.
MI. Ugo Marchio de Tuscia obiit.
MI. Otho Tertius obiit V. Kal. Febr.
MIV. Fecerunt bellum Pisani cum Lucensibus in Aqua-longa, & vicerunt illos.
MV. Fuit capta Pisa à Saracenis.
MVI. Fecerunt Pisani bellum cum Saracenis ad Regium Regnum, & gratiâ Dei vicerunt illos in die S. Sixti.
MXII. Stolus de Hispania vênit Pisam & destruxit eam.
MXVI. Fecerunt Pisani, & Januenses Bellum cum Mugeto, & vicerunt illum.
MXVII. Fuit Mugetus reversus in Sardiniam, & cœpit civitatem ædificare ibi, atque homines vivos in cruce murare; tunc Pisani, & Januenses illuc venere, & ille propter pavorem eorum fugit in Africam; Pisani verò, & Januenses reversi sunt, in quo insurrexerunt Januenses in Pisanos, & Pisani vicerunt illos.
MXXII. Obsedit Henricus Imperator Trojam.
MXXV. Henricus Imperator obiit.
MXXVII. Conradus cœpit regnare in Italia.
MXXX. In Nativitate Domini Pisa exusta est.
MXXXV. Pisani fecerunt stolum in Africa ad civitatem Bonam, gratiâ Dei vicerunt illam.
MXXXIX. Conradus Imperator obiit.
MLIV. Bonifacius Marchio obiit pridie Nonas Maji.
MLV. Fuit bellum inter Pisanos, & Lucenses ad Vaccule. Pisani verò vicerunt illos.
MLXV. Pisani profecti fuerunt Pannoniam, gratiâ Dei vicerunt illos in die S. Agapiti.
MLXVI. Venerunt Januenses cum stolo ad fauces Arni.
MLXX. Gottefredus Dux, & Marchio obiit.
MLXXII. Iverunt Pisani ad Portum Dalfini, & fuerunt in gravi periculo judicio Dei, non hominis.
MLXXVII. Guido Pisanus Episcopus, Papiensis genere obiit VI. Idus Aprilis. IV. Kal. Maji; Comitissa Beatrix eodem anno obiit.
MLXXVIII. Januensis stolus usque ad fauces Arni occultè devênit, tunc strenui Pisani in eos surrexerunt, & fugaverunt illos usque ad Venerem portum, hoc factum est in die S. Cassiani.
MLXXIX. Januensis populus per latrocinium ad Vadense castrum devênit. Tunc Pisani ad Rapallum viriliter perrexerunt, & castrum igne succenderunt, & plurimos eorum gladio interfecerunt, viros, ac mulieres manibus post tergum ligatis captivos tripudianter perduxerunt. Tunc hoc triumpho revertentibus Januensibus obviaverunt, & penè usque ad domos eorum fortiter illos insugaverunt, hoc fuit III. Id. Maji.
MLXXX. Landulphus Pisanus Episcopus Mediolanensis genere obiit VIII. Kal. Novemb.
MLXXXVI. Girardus genere Pisanus ejusdem Ecclesiæ Episcopus VIII. Idus Maji obiit, & eodem anno valida fames, maxima mortalitas

litas fuit ferè per totam Italiam, vendebatur enim sextarius tritici V. sol.

MLXXXVIII. Fecerunt Pisani, & Januenses stolum in Africa, & ceperunt duas munitissimas civitates, Dalmatiam, & Sibiliam in die S. Sixti, in quo bello Ugo Vicecomes filius Ugonis Vicecomitis mortuus est. Ex quibus civitatibus Saracenis ferè omnibus interfectis, maximam prædam auri, & argenti, palliorum & ornamentorum abstraxerunt. De qua præda thesauros Pisanæ Ecclesiæ, & diversis ornamentis mirabiliter amplificaverunt,& Ecclesiam B. Sixti in curte veteri ædificaverunt.

MXCIX. Concremata est penè tota Kinsica VI. Non. Julii, & stolus Pisanus in Hierusalem ivit cum navibus centum viginti; de quo stolo Daibertus ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopus fuit ductor & dominus, qui tunc temporis in Hierusalem Patriarcha remansit.

MC. Hierusalem à Christianis capta est XVIII. Kal. Augusti.

MCI. Tota Kinsica exusta est, de quo ignè flante vento penè ferrèa porta concremata est III. Nonas Julii.

MCVI. Daibertus venerabilis Ecclesiæ Pisanæ Archiepiscopus postea per gratiam Dei Patriarcha Hierosolymitanus in civitate Messana obiit in pace XVII. Kal. Julii.

MCXVI. Comitissa Mathilda obiit.

MCXX. Petrus Ven. Pisanorum Archiepiscopus obiit.

MCXXII. Atho Pisanus Archiepiscopus obiit.

MCXXXII. Roggerius Ven. Pisanorum Archiepiscopus, & Vulterrensis Ecclesiæ præsul obiit.

MCXXXVI. Fecerunt Pisani stolum mirabilem hominum multitudinem continentem contra Rogerium Siciliæ Comitem, qui faciebat se vocari in tota terra sua Regem Italiæ. Hic inquam exercitus Pisanorum cepit Amalfiam cum civitatibus circum se positis quatuor: sed civitatibus captis, de consilio eorumdem captivorum factum est, ut irent obsidere arcem, quæ dicitur Lefracte, ubi magna parte Pisani exercitus existente, vênit exercitus militum, & peditum præfati Comitis, & fugavit exercitum Pisanorum, qui erat ibi. Horum tamen alii salvi remearunt, alii in via capti, & occisi, alii ab ipsis militibus detenti fuerunt. Post biennium quoque fecerunt iidem Pisani exercitum non modicum contra eumdem Comitem, & ceperunt easdem civitates Amalfiam, Rivellum, Ascani, Scalam, & Scalectam, & multò magìs expoliaverunt eas quàm primùm, quibus triumphatis venerunt Salernum, & coëgerunt eum ad deditionem. Existentibus Domino PP. Innocentio, & Imperatore Lothar. in partibus eisdem. Dolosè tamen agebat Imperator cum Pisanis, unde ipsi turbati fœdus inierunt cum præfato Comite Siciliæ, &c.

LAURENTII VERONENSIS
(seu VERNENSIS)
PETRI SECUNDI ARCHIEPISCOPI PISANI DIACONI,

RERUM IN MAJORICA PISANORUM, AC DE EORUM TRIUMPHO PISIS HABITO ANNO SALUTIS MCIV. (*)

LIBRI SEPTEM

Ad fidem membranacei Codicis Viviani de Vivianis Insulani Episcopi viri clarissimi primùm editi.

LIBER PRIMUS.

Arma, rates, populum, vindictam cœlitus actam
Scribimus, ac duros terræ, pelagique labores,
Geryonea viros sese per rura terentes,
Maurorum stragem, spoliata, subactaque regna.
His igitur cœptis digneris Christe favere.
Terruit Hesperiam Latias revolutus in urbes,
Ruraque ubiq; frequens Gothis satis agnitus ille
Extitit, & Gallis, terrasque agitatus in omnes.
In populos etenim Majorica læva fideles
Bella cruenta gerens lethalia sumpserat arma,
Cujus pertulerat rabies, violentaque classis
Ausonias, Siculas, & Græcorum regiones.
Hæc postquam castella, rates, villasq; cremarat,
Cumque aris titulos templis violarat adustis,
Suadebat captis Christi mandata negare,
Et præcepta sui complecti vana resullæ.
Talia credentes, nimium reverenter amavit,
Contradicentes variis cruciatibus addens.
Hos compes, manicæque graves, carcerque domabant,
Hos inamata fames, densi, nimiique labores.
Et ceu testantur, quos ajunt vera referre,
Millia captorum plusquam terdena fuerunt,
Quos sævus Baleæ vinxit tenuitque tyrannus,
Præter ad ignotas quos per commercia crates
Transtulit, aut atrox obitus de carne resolvit.
Fama mali tanti per plures cognita terras
Commovet extemplo sitientes prœlia Pisas.
Concitat ira senes, qui Punica vincere regna,
Subdere quique suo gentem potuere tributo.
Hi memorant dū facta bona,& dū bella Panormi
Africa ceu capta est, & subdita facta tributis,
Victaque per varios quamplurima prælia casus,
Accendunt animos juvenū, quibus horrida facta
Et labor, & sudor, duri quoque gloria Martis,
Divitiis, & deliciis potiora fuerunt.
Moxque pius præsul Petrus virtute coruscus
Civibus hęc memorando suis,crucis inclyta signa
Sumpsit, & alterna motæ pietate catervæ
Sic ad signa crucis capienda fuere frequentes,
Utpote festinant solemni tempore Paschæ,
Cùm Christi gustant corpus,sanctumq;cruorem.
Inde duo & denos de culmine nobilitatis
Constituere viros, quibus est permissa potestas
Consulis atq; ducis, regerent ut graviter omnes,
Purus & istorum disponens singula sensus,
Congrua militiæ, ratibus quoque conficiendis
Quæque juvare queant homines, classemque pararent.
Et ne prætereant horum te nomina lector
Intentis animis apices scrutare sequentes:
Ex his Gerardus Gerardi filius auctus
Sensibus, orator laudabilis, atque facetus,
Natus & Ugonis, patrui de nomine dictus
Gerardus, patrui jam claro dignus honore,
Sicherioque satus, titulis decoratus eisdem,
Petrus, & Azo simul numero dictantur in isto.
His Ildebrandum Rolando junge creatum
Viribus, & factis, & nobilitate micantem.
HincHerithone satum,genitoris nomen habentē,
Necnon Henricū genus à Guinithone trahentem,
Lothariumq; simul, juvenemq; senemq;Dodonē.
Hos decorat Stephano genitusRodulphus,& ima
Filius Uberti Lambertus clarus in urbe,
Atque Robertinus Francardi splendida proles.
Horum consilio clari cum Præsule digno
Legati Romam vadunt, quos Papa colendus
Nomine Paschalis multo suscepit honore,
Pontifici tribuendo crucem, Romanaque signa
Militiæ ducibus, quæ præsens Azo recepit;
Qui postquam monuit pietatis dogma catervas,
Et quantum Scriptura pati pro fratribus optet,
Hortatus cunctos sanctis insistere cœptis,
Pro tanto facto peccamina cuncta relaxat,
Hancque potestatem Pisano contulit altam
Pontifici:redit hic propriam properanter ad urbē
Protinus à populo digna statione receptus,
Astantes turbas monitis papalibus implet.
Et ceu durescit nactum moderamina ferrum
Mulciberi, coctam dū temperat unda bipennem,
Pontificis pariter Pisani voce sacrata
Fervent Alphææ fortes ad bella phalanges.
Inde brevi valde numero labente dierum
Tertia vox Genuam placidos moderata rogatus
Præsulis invitat. Spondet solatia pugnæ;
Sed longas nimiasque moras, annalia donec
Tempora prætereant,fraudis sub tegmine poscit.
Pisani didicere patres fraudemque dolumque;
Et tandem patuere doli: retinacula solvens
Navita Pisanam sua vela retorsit ad urbem.
Tunc demum Pisæ tanto insonuere dolore,
Ut nec magna quidem sentire tonitrua posses.
Quicquid tunc habuit nemorosi Corsica ligni,
Aut picis, innumeros ratium defertur ad usus,
Lunensesque suo privantur robore sylvæ.
Arboribus cæsis remanet Curvaria rara.
An-

(*) Corrige MCXIV. & MCXV.

Antennas, quæ vela ferant, quod gestet easdem
Arboreum robur, celsæ tribuere Mucellæ.
Cæditur omne nemus, cæsum descendit ad undas.
Hoc variæ fiunt diverso robore naves,
Gatti, Drumanes, Garabi, celeresque galêæ,
Barcæ, currabii, lintres, grandesque saginæ,
Et plures aliæ variantes nomina naves.
His portantur equi; sunt quædam victibus aptæ,
Ingentes aliæ possunt portare catervas;
Servitiis norunt, possuntque subesse minores.
Hæ numquam metuunt vicinas tangere terras,
Adducunt latices, homines ad littora vectant.
Ima galearum juvenum sunt apta lacertis:
Harum quamque solent centũ propellere remi,
Ordine qua bino plana nituntur in unda,
Et freta findentes fugiunt sic atque sequuntur,
Ut celeres capreas, & aves superare volantes
Veloci valeant undosa per æquora cursu.
Ligni materies non solùm congrua classi;
Hinc etenim turres, pontes, scalæque geruntur,
Cum quibus excelsos invadant agmina muros.
Hinc quoq; quę magnas mittant in męnia moles,
Exagitent,rumpantq;domos,tormenta parantur.
Hinc ballista minax, aries, testudo petuntur.
Sicque per innumeros lignum distenditur usus.
Nec cessant fabri, ferrum consumitur Ilvæ.
Inde rates quod jũgat habẽt, hinc arma refulgẽt,
Thoraces, rigidi gladii, celeresque sagittæ,
Quod quia diversis rebus facit, officiisque
Mille, per artifices vario distinguitur actu.
Nec vacat officium, depingunt arma colores,
Resplendent galeæ, clypei, sellæque relucent,
Impositumq; super cum gemmis pręnitet aurum.
Interea veniunt quidam de gente remota,
Romaque cum Luca mittit solatia pugnæ.
Auxilium bello Genuensis sola negavit
Patria, quàmque potest Pisanos impedit actus.
O satis eximio felix Antonia patre.
Nempe tuæ regionis hero generaliter urbis
Cura datur patriæ, qui pellat, & arceat hostes.
Denique perfectæ naves mittuntur in undas.
Accipit has Sarnus Græco vocitatus ab amne
Alphæus, cui Pisa vetus nunc lapsa cohæsit,
Ex qua Pisanus, qui Pisas condidit istas,
Italiæ Fluvio nomen donavit, & Urbi.
Hinc propria puppes quæquę statione ligantur,
Implenturque cibis,& equis, armisque,virisque,
Et dantur ratibus certissima signa quibusque,
Ac vexilliferi per turmas atque cohortes.
Istorum virtus populis bene nota Latinis
Credidit ad bellum facili conducere cursu
Agmina. Decipiunt mortalia pectora curæ,
Quodq; putat quisquam, vix perficietur ab ipso;
Consiliis hominum quoniam fortuna repugnat,
Atque malis factis alicujus ponere finem
Ante suum tempus non vult divina voluntas.
Temporibus fata quæq; virent, & tẽporis albent
Articulo, cunctis data sunt sua tempora rebus.
Temporis ordo monet, naturæ postulat usus,
Ne nisi maturi rapiantur ab arbore fructus.
Sed Domino qui cũcta potest,sunt subdita quęq;
Et quodcunque bonum nutu distinguitur ejus,
Cujus amore suos cognatos, atque parentes,
Divitias, patriam Pisani deseruere,

Jamque dies aderat Sancti celeberrima Sixti,
In qua Pisani de Pœnis Marte subactis
Annales recolunt votiva laude triumphos,
Quando per Alphæi fluctus populosa natabat
Classis, & ad fauces limosi fluminis arctas
Convenere rates, sed cùm transire nequirent,
Tentantes aditus albentis more fluenti
Exornare suas escis armisque carinas
Cœperunt. Post hæc spatiosa per æquora nautæ
Direxere viam, terris post terga relictis
Cernentes placidam fixis obtutibus urbem,
Divinæ curæ sua mœnia, rura, penates,
Uxores, patriam, natorum pignora mandant.

Dumq; rates abeunt,plorant in littore matres;
Plorantum lacrymis bibulæ satiantur arenæ.
Pectus ad usq; parens vitreas descendit in undas,
Et verbis placidis benedicit in æquore natum.
Hæc pro patre rogat, pro fratribus, atq; maritis
Immensos aliæ fundunt in littore questus.
Non aliter Grajos flevisse feruntur Achivæ,
Pergama quãdo rates Danaæ violenta petebant,
Et non desistunt precibus miscere querelas,
Æolia ventus donec progressus ab aula
Visibus abreptos spatiosa per æquora vexit.

Stagnea planities à læva parte relicta,
Atq; Liburnus erant, dextrâ Gorgona remansit,
Monteq; cum nigro, vada, seu Populonica tellus
Effugiunt visus, dum ventus in æquore perflat.
Corsica sub velis, fuerat Capraria tergo,
Illa, & Planusio positis in parte sinistra.

Dumq; favent venti, Tauro post terga relicta
Adveniunt Langona rates, linguntque lebetes,
Et retinent portum dictum de nomine sanctæ,
Quã Reparata vocant,muros,templumq;vetustũ
Erecti lapides, scopulosaque littora monstrant.
Hosque sinus exire parant, pariterq; resumunt
Torrentes aditus, ubi Constantinus habebat
Sedes, Rex clarus multum celebratus ab omni
Sardorum populo, bis sex geminisque diebus
Opperiendo suos sibi gens Pisana moratur.
Inde finũ repetunt, quem vulgò fert Caput albũ,
Scilicet ob nullum trepidantia littora ventum.
Istic Dutibinus Pisanis associatur,
Qui quondam regnum censebat Calaritanum,
Et Constantino Saltarus judice natus;
Prævalet hic jaculo, præclaris sensibus ille.
More pari Danaos Hecateia suscipit Aulis,
Cùm fuerat Phrygios Menelaus iturus in hostes.
Civibus hic Præsul multum de pace loquutus
Plurima per paucos incassum semina fudit,
Sed tamen è multis fructum percepit eorum.

Tunc Passarino committunt Alpheroloque
Prævia signa mari patres communiter omnes,
Hosque sequi nautæ, sed & observare jubentur.
Jussa patrũ contempta jacent, convertitur ordo;
Quisquis enim potuit celeri transcurrere ligno
Ostendit sociis velis, & remige puppes.
Jam geminis lapsis gemina cum nocte diebus,
Tertia lux iverat, nox & jam cœperat esse
Tertia Septembris vicinior illa Kalendis
Non fuerat nisi postera quæ sibi forte secunda
Expectabatur, nec ea tenebrosior ulla
Circumquaq;tonat,sed & undiq;crebra coruscãt
Fulgura, turbari nautas, reliquosque videres,
Qui nondum rabidi bene norant æquoris usum.
Sydera nulla patent oculis, solosque micantes
Nautæ cernebant accensos puppibus ignes.
Non Laërte satus foret in terroribus istis
Intrepidus, Circes quamvis superaverit artes,
Si fortuna ducem fluctus duxisset in istos.
Arbitrium cujusque fuit miserabile tempus
In tempestatis transcurrere sæva pericla.
Sed Dominus solitus propriis succurrere servis,
Justitiæ semper qui salvat, & auget amantes,
Firmavit Boreæ placidos super æquora flatus,
Qui tota leni portarunt æquore nocte
Naves, mox pulsis tenebris subiere micantes
Stellæ, nox abiit, præclari forma diei
Subsequitur, celeri classis levitate cucurrit,
Ac crescente die cœperunt cernere terras
Hispanas, sed eas Baleares esse putabant,
Blandensi donec committitur anchora ripæ.

Has

Has postquam retinent Latio de littore vecti
Hastis suspendunt pugnam minitantia signa,
Atque tegunt fortes clypeis radiantibus artus,
Et stringunt rigidos totis conatibus enses.
Littora tota sonant ex rauca voce tubarum.
Indigenas quoscunq; vident, capiuntq; fugantq;
Hi se Christicolas, Catalanensesque fatentur.
Turbatos volvunt Pisani pectore sensus,
Et positis armis resident in littore tristes.
Inde Pyrena sibi postquam cognoscitur ora,
Mutant consilium diversa pericla timentes,
Quòd nec habetur ibi vento tutamen ab omni,
Transieratque simul vallata caloribus æstas.
Tunc ex consulibus Rolandi filius unus,
Cui genus,& sensus,clarum quoq; Curia nomen,
Et civilis amor cum divitiis tribuerunt,
Mittitur ad Comitē cui Barchinon,atq; Girunda
Subduntur, multasque regit pro viribus urbes,
Cui nomen Raymundus erat,qui laudis equestris
Fructus innumeros, clarosque patraverat actus.
Hispanos cujus terror commoverat hostes.
Rolando genitus postquam pervenit ad ipsum,
Atque salutavit; Comitum clarissime, dixit,
Pisanus populus Christi virtutibus auctus,
Ecce favente Deo partes devenit in istas,
Alterius verbis quod jam tibi fortè relatum est;
Quòd si causa monet, seu ditia castra videre
Te juvat, acceleres Pisanam visere classem,
Et sociare sibi belli sociumque, ducemque
Agmina nostra volūt,ferus & te provocat hostis;
Nam quem non moveat Balearis sæva tyranni
Fama, repercussi quæ fines concutit orbis,
Et Latii populos, cunctosque perurget Achivos.
Nec dum finierat Consul, cùm plura paranti
Ille refert grates; faciat quoque prospera, dixit,
Omnia vestra Deus, vobis & in omnibus adsit,
Inque manus vestras communes præbeat hostes
Orbis, & in sanctæ fortis nos congreget usus,
Ut faciamus ei quæ sunt gratissima semper.
Nam contra nullos ego justiùs arma movebo.
Hi Christi servos multis cruciatibus arcent,
Atque meum littus faciunt cultore vacare.
Nam quos Blandensi positos in littore muros,
Templa, videtis, erant miris radiantia signis,
Quorum summa tegunt hederæ,vel frondea vitis
Occulit, aut ficus, seu quælibet occupat arbor.
Pluribus in templis monachi cecidere per ipsos,
Atque sacerdotes, jugulis maculantibus aras.
At reliquos ætate viros, aut arte micantes,
Constituere suis duris servire catenis.
Vincla,labor,sitis,atq; fames hos sæpe necarunt,
Aut jus Machmetis, quos ponere triste coëgit
In cervice jugum. Quem non dolor excitat iste?
Quòd si fortè Deus vobis concesserit, ut vos
Tanto possitis finem præbere labori,
Militiæ Domini solatia quæque paramus.
Collatisque ferum superemus viribus hostem.
Nuncia dictorum mox charta futura notatur,
Qua se militibus Christi promittit amicum,
Atque Pyrenææ concedit singula terræ.
Tunc Ildeprandum donat, multumque precatur,
Ut sese Latiis socio conjungat amore.
Altera lux postquam cives conducit in unum,
Talibus alloquitur socios sermonibus Azo,
Quem gratæ populus celebrabat munere linguę:
Quod Domini nutu disponitur, à ratione
Funditus humana cognoscitur esse remotum.
Vidimus ingentes fluctus, tonitrusque coruscos,
Credidimus subitos minitari fulgura ventos.
Mox Domini pietas pacatas reddidit undas
Æquoreas nobis; vis est ea nempe Tonantis,
Nam pro velle suo mundanos destinat actus,
Arbitrioque pio causa dominatur in omni.

Hanc pedibus nostris tribuit contingere terram,
Ut socias relevet divina remissio turbas.
Ergo viri docti dum littore stamus in isto,
Nos augere decet cuneos, felicia dici
Ut verè valeant non casso nomine castra.
Jamque Pyrenæi Comitis solatia vobis
Auxiliante Deo possunt non parva parari.
Vos portare suos equites rogat ille ducentos,
Centum se propriis spondet gestare carinis.
Misit & hanc chartam; chartā porrexit,& addit;
Istuc nos Dominus duxit, non nostra voluntas,
Qui famulatur ei bene speret, & indubitatè
Quòd vera numquam fraudabitur utilitate.
Præsul abest, portumque tenet, qui distat ab isto
Per passus sex mille, reor: mittamus ad ipsum,
Et si dicta placent, tunc perveniamus ad actus.
Hisque peroratis placuerunt dicta quibusque.
Charta legi Comitis petitur, fractoque sigillo
Inspexit Lodoicus eam, legitque decenter.
Lecta placet cūctis, Comiti dant agmina laudes.
Sancti Felicis portum gens illa vocabat,
In quo Præsul erat: properans legatus ad ipsum
Vadit; sed Præsul recipit, firmatque loquelas.
Dimittunt blandas post hæc cum turbine naves,
Atq; petunt portum,sanctus quē Presul habebat,
Cujus ad ingressum ventus pugnabat iniquus.
Ut portum tenuere rates, & cœtus haberi
Cœpit, & herboso steterat jam concio prato,
Optimus Antistes sanctæ pietatis amator
Talibus Alphæos monuit memoranda loquelis:
Sanguine vos proprio quos Christus ab hoste redemit,
Ut veras spinas, veteres fugitote ruinas.
En sunt tres lapsus quibus extat Adā superatus.
Namque Deum perdit malè qui cupit, atque superbit.
Et malè lætatur cui gloria vana paratur:
Nascitur hinc odium, discordia, livor, & ira.
Ista movere queunt hominum præcordia dira.
Non valet esse bonus, vitiis qui subjacet istis.
Vincere nemo potest,quisquis superatur ab ipsis.
Pectora nam lacerant, sensusque trahunt, velut hostes
Diripiunt, capiunt; ipsis vos claudite postes.
Non Domini genitum pro se tormenta tulisse,
Ast homines propter debent homines meminisse.
Hic minuit nostros languores, atque reatus,
Tollit & hic pœnas, cunctosque fugat cruciatus.
Pace Deum debent, & mentis simplicitate
Quærere, non odiis homines, aut asperitate.
Qui pacem portant, cœlo possunt habitare.
Debetis fratres cum toto cordis amore,
Si nec amatis eos, quos vos modò fortè videtis,
De nondum visis mihi nunquam spem facietis;
Horum quisquis enim præsentes temnit amores,
Qualiter illorum poterit relevare dolores?
Pacis amatoris non est possessio parva,
Sydera namque tenet,pontumq; beatus & arva.
Postquam de Saulo Dominus sibi fecit amicum,
Sic nemo nostrum fratrem ducens inimicum,
Vera sit in nobis & non concordia falsa,
Si tuti vultis transire per æquora salsa.
Magna Dei virtus nostros ut terreat hostes,
Pax sua possideat nostros cum limite postes.
Interea vulgus pelagi terrore solutum
Murmurat, & patrias exoptat turpiter oras,
Inque duces stultas tentans agitare querelas
Hostibus omissis pariter remeare minatur.
His permotus ait Lucensis talia Fralmus:
Gaudet quisque Deum cui sunt cum prosperitate
Omnia, lætatur cui congrua quæque parantur;
Congrua namque reor socios & multiplicare,
Subsidioque viros proprii reperire laboris.

Qui

Qui socios augere potest, bene percutit hostes,
Quos satis egregios nobis divina paravit
Gratia, nec nostrûm teneat turbatio quenquam,
Cùm bello quisquam nec adhuc superaverit hostem
Ex quo cœpimus hoc, neq; sit superatus ab hoste.
Ut quid tanta tenet vestras turbatio mentes?
Pœnitet ignavos cœpti fortassis honoris,
Cùm vox istorum præclaras polluit aures;
Hosque piget venisse quidem, qui rura solebant
Vertere, qui curvis incumbere semper aratris,
Cunctaq; consumunt vertendo tempora glebas;
Et modò cùm nequeāt sua semina tradere sulcis,
Aut conculcato pedibus procumbere musto,
Nocte, dieque moras istas, casusque querantur,
Inque domos remeare suas fortasse minantur?
Hi viles homines, quorum miserabilis ætas
Præsenti populo nullam gerit utilitatem,
Semper agant, semperque gemant, agitentque querelas,
Quos mores retinere suos infamia non est.
Nos bonitas, clarumque decus sejungat ab illis,
Et maneat nostro concordia semper in actu,
Sitque carens odio, qui vult servire Tonanti:
Si decies prohibetur iter, decies repetatur,
Et via tentetur crebrò dum perficiatur.
Ut tenuit semper teneat reverentia nostras
Curas quod gerimus, quia totus conspicit orbis;
Si citò non aderit quod gestit nostra voluntas,
Tactus ob hanc causā maneat formidine nemo:
Quod prohibet mensis, reddunt tibi namque Kalendæ,
Cùm Deus oratur; quod ab ipso fortè vetatur
Tempore non modico citò præstat luce sub una.
His populus dictis avidas ut præbuit aures,
Gaudia succedunt, turbatio, cura recedunt.
Moxque sequente die Domini Raymundus ibidē
Berengarius adveniens, paucique suorum
Jungit amicitiam. Pisani fœdere gaudent,
Et socium factum præstanti munere donant.
Cùmque moras faciunt, morbosa peste fluente
Multi de populo fatis superantur iniquis.
Hicque Caim moriens mestos cum Presule cives
Dimisit, patrias non totus iturus ad oras.
Dumque premunt lacrymas, Pesulani montis alumnus
Cum sociis centum Guilelmus castra subintrat,
Armigeris ratibus vectis, turbaque pedestri,
Quos quasi viginti duxere per æquora naves.
Ast Aimericus generosa stirpe creatus,
Quē Narbona colit, dominū, patremq; ducemq;
Viginti vitreas fertur duxisse per undas
Naves, & celeri venisse per æquora cursu.
Hos quoq; Raymundus, cui Baltius extat origo,
Cui solitos Arelas impendere certat honores,
Atque secus Rhodanū castris reperitur, & arvis
Dives, consequitur laudato milite plenas
Ducens septenas undosa per æquora puppes;
Raymundus sacrista potens, & strenuus actu
Militiæ titulis, & qui fulgens Arelate,
Cum propriis totidem vitreas venere per undas.
Tales Rusilium proceres lateque Biterræ,
Et cum Nemausis Provincia tota sequuntur.
Quanta per Antonias transibant agmina terras,
Cùm Romam venturus erat terrendo senatum
Cæsar, qui domitos Gallos juga ferre coëgit,
Tanta Girundenses venisse feruntur in agros.

Explicit Liber Primus.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

Jamq; graves populis pelagū sulcare parabant
Classes, cùm rediit de navi castra subintrans
Albertus, qui rector erat venisse Pirenem,
Illæsamque ratem pariter præfatus, equosque
Vi sitis oppressos vini potasse liquorem,
Exanimesque simul ponti maduisse sub unda.
Non priùs ad Baleam pervenit prora minorem,
Rettulit & Mauros ad se venisse rogantes
Et qua sint patria, quas & gradiantur ad oras.
Bozeam petimus Januensis navita dixit,
Præcipuè vestrum quoniam retinemus amorem
Hanc formidantes, istud contingere litus
Cura fuit, factos pro vobis fugimus hostes.
Nam nec habere valent nostras in prælia vires.
Offēdunt quoscumq; queunt sinè crimine nostro.
Pervia Sarnigenis sunt æquora cuncta dolosis,
Turbanturque suo maris omnia regna furore.
Vidimus hos sulcare fretum nos, utque putamus,
Qualibet in vestra figent tentoria ripa,
Cædere sive volunt nos, aut bona tollere nostra,
Auxilium nobis celeres præbere rogamus.
Scimus eos venisse quidem, multumq; timemus.
Mox ajunt: vos fertis equos, qui fortè fremebant.
Rustica turba, refert, facit hoc irata frequenter
More suo fremitus agitans, faciensq; tumultus.
Hosticus inde globus fervens velociter alnos
Intrat, & intentis nos perturbare sagittis
Cogitat, & toto mentitos increpat ore.
Nostra manus confisa satis non segniùs arma
Sumpsit, & in steriles accenditur ira furores,
Namq; citus veniens ventus dum vela tetendit,
Majoris Baleæ tribuit contingere litus;
Egressique virum quendam per rura vagantem
Vidimus, & quantum locus ille remotus ab urbe
Sit, percunctamur: viginti millia dixit.
Hausimus & laticem, laticis data copia nobis
Et fuit, inque ratem vasisque, virisque receptis.
Æquora crispavit Zephyrus, Zephyroq; faventes
Fleximus adversùm Sardoas carbasa ripas.
Sulcantes igitur pelagus venientia vela
Aspicimus, dubitare priùs, sed in arma videres
Veloci cursu juvenum properare catervam.
Quoque modo properant quos terret aquaticus Auster,
Ob pluvias operire domos, malè tecta supellex
Imbris ne pereat pro mole cadentis in ædes,
Sic gladios, clypeosque suos sibi tollere quisque
Certat, & intentè sinuatos præparat arcus.
Taliter adveniunt pelagus sulcando carinæ,
Qualiter incedunt juncti Delphines in undis,
Quando natant aliquos non dando per æquora saltus.
Noscimus, accipiunt nostras referuntque salutes.
Gaudia præcipiti posita suscepimus ira.
Qui postquam didicere viam, quam fecimus ipsi,
Quidve laboris onus passi fueramus ubique,
Sardiniæ demum sese docuere relictos.
Prævaluit Boreas Zephyro: bis quinque diebus
Per mare nos vexit, ventoque cucurrimus illo.
Nemo tamen didicit, qua tunc foret insula parte.
Quove loco pelagi steterit Majorica post nos.
Interea ventus Libycis progressus ab oris,
Vela tenens possedit aquas salientibus undis,
Atque Pyrenæum nos ille reduxit ad amnem.
Talia dicentem populus circumstat, & omnes
Si valeant, quærunt, vel si patiantur amici
Incolumes. Postquam vir dictus rettulit, omnes
Murmure cum leto redeunt in castra catervæ.
Cùmq; dies geminus bis sex geminaverat horas,
Advenere decem Pesulano monte carinæ,
Quæ

Quæ Pisis fuerant Augusti tempore missæ
Ad quoscunque tenet latos Provincia fines.
His inerat clarus cum consule Guido Dodone,
Ordine Levita trivii ratione peritus,
Illius ut patriæ traherent ad prælia gentem.
Æthera carpebat solito molimine Phœbus,
Et splendor Solis nondum tenuaverat umbras,
Cùm data signa sonant jussos motura recessus.
Jusserat Antistes ponto dare verbera classem,
Et transire rates properatis cursibus illuc,
Barchinon excelsis ubi fulget in aëra muris.
Jussa probant omnes, nec inerti scandere passu
Naves incipiunt, quos non sua vota retardant.
Sed velut examen per apertas advolat auras,
Quando cupit patriam mutare, locumque domumque;
Sic Pisana manus rapidis Aquilonibus usa,
Remige quamceleri dictā properabat ad urbē.
Solis ab occasu modicum porrectus ad æquor,
Defessas solito qui frangit, & accipit undas,
Mons Judæus, ibi plana divisus ab urbe,
Non ventis puppes calidisve tuetur ab Austris,
Hujus ab Hispana facie ratis appulit omnis.
Ut terras subeunt Latiæ, reliquæque carinæ,
Litus ad usque tuas agmen navale tenebat
Lubricaris aquas. Ripæ cecidisse feruntur,
Tanta premebat eas magnæ violentia classis.
Hîc ubi mutavit lites concordia pace,
Adveniunt Sancti celeberrima festa Mathæi.
Tota nocte sonant tunc tintinnabula cuncta,
Vota vovent omnes, precibus votisq; Tonantem
Sollicitant, cujusque colunt solemnia Sanctum,
Candelas tunc quique suas in cuspide ponunt
Aut ubi lux clarè populo videatur ab omni.
Tertia lux aderat, cùm planum possidet æquor
Ventus,quem Boream nequeas Eurumq;notare,
His medius fuerat, tundunt sua pectora nautæ,
Totque dies vacuos cum noctibus ire queruntur,
Ergo die medio sublimis in æthere Titan
De medio cursu terras spectabat, & undas,
Cùm Catelanensi de litore classis abibat.
Quos fremitus præbere solent stridentibus alis
Threiciæ volucres resonantes cantibus altis,
Agmine cùm facto repetunt alias regiones;
Non alios Pisana manus clamore sequente
Exagitando suos, & candida vela parando,
Solvendoque rates, summis cum vocibus edit.
Quatuor insignes tunc præcessere carinæ.
Signiferi Francardus erant, Rectorque Pyrenes,
Ordine consequitur renovato cætera classis.
Lux abiit, nox atra subit, qua denique lapsa
Vel media, vel plus media, contraria retro
Flamina vela dabant, qua causa prævius heros
Ad Tramaricis sua flexit carbasa litus.
Inde Terogonam petit, ac deserta Salodi.
Hîc Zephyrus perfringit aquas, & fluctuat Auster;
Pervia sed Zephyro plus sunt sinuantia saxa:
Partibus unda tribus circumdat pontica rupem,
Arbustis tegitur brevibus quæ spectat ad Eurum
Planities altæ rupis de parte levata.
Regis in hac Caroli dicuntur castra fuisse,
Dum duro quondam certamine stravit Iberos.
Hîc hyemes Franci tolerasse feruntur, & æstus,
Quando præstanti ceperunt robore terram.
Post lapsæ noctis spatium, lucisque sequentis
Tempore consumpto, qui primus adhæsit in illis
Conscia signa dedit, vigiles quos gesserat ignes,
Ne foret incertus locus hic, dubiusve carinis.
Hîc postquam cunctis fuerat lux reddita terris,
Et latices hausere, viri conscendere pontum
Incipiunt, vitreas velis remisque procellas
Mota secat classis, jam terra relicta videri
Non clarè poterat cum montibus abdita celsis.
Cùm & labente die subiere crepuscula noctis,
A recto cursu non recta retorserat aura
Vela. Laborantes turbantur in æquore nautæ,
Et se conclamant invitos ire Dianam.
Interea noctis tenebris aurora remotis
Clara refulgebat, cùm turbida nubila venti
Ducere cœperunt ab ea qua labitur ora
Publica lux mundi; mox flectere vela Salodon
Plangentes satagunt, tantus vehit impetus ipsos.
Huc simul ac venere rates jam nocte propinqua
Prosiluere viri latices haurire recentes.
Ecce Moabitæ pedibus vectantur equinis,
Ut solet à nervo dimissa venire sagitta,
Quando suum Parthus sinuat violentiùs arcum.
Qui captos pariter capientes fluminis undas
Ad proprios longo duxerunt calle penates,
Sed timor Alphææ gentis de nexibus ipsos
Eripuit, rigidos qui concutiebat Iberos.
Ergo per eventum quoniam malè contigit illis,
Jussio fit reliquis, ne progrediantur inermes.
Dumq;moram faciunt,vacuisq;vagantur in agris
Agmina, murmur erat. Lucenses denique turbæ
Dum Pelagus tolerare minùs, fluctusq; valerent,
Et nimium vellent sociis famulantibus uti,
Unaquaque die populum replere querela,
Ugo Pisanus venerabilis Archisacerdos
Cum dextra pariter tunc ardua protulit ora,
Qui tali populis sermone silentibus inquit:
Sola Dei bonitas,qui cuncta gubernat habetq;
Pisanos cives tantos animavit ad actus,
Expertique suos nullos ad bella vocabant.
Nullus ad ista fuit toleranda venire coactus,
Sponte petebatis nobis, gratisque dabamus
Quæsitas nobis, non vilia munera, naves,
Et ratibus vecti socii veniendo fuistis.
Dicite Lucenses, si quis vos fortè coëgit,
Quippe nec inviti voluistis ad ista venire,
Unde nec invitos quisquam retinere valebit.
Pisanos solos discedere nempe vetamus,
Non aliis prohibentur equi, non victus & arma;
Accipiant ea quando volunt, sanique recedant,
Securosque petant ductores, hique dabuntur
Cum quibus Italicos poterunt pertingere fines.
Et memoratus herus post talia dicta resedit.
Taliter incœpit Guido supra memoratus:
Cùm Deus in cunctis præponi debeat actis,
Nec pietas, nec amor pietatis habetur in ullo,
Qui pro mundano tantùm contendit honore.
Certet honor mundi, certet sapientia, quænam
In mundi rebus Domini simulavit amorem,
Prætulit atque dedit perituros semper honores,
Unde Dei nostras cernendo potentia mentes,
Contra quem vastum toto fuit agmine murmur,
Hunc dignum vobis largitur temporis usum.
Hebræis populis murmur fuit instar ad hujus,
Quando repletas memorabant carnibus ollas,
Et condita simul, dilectaque grataque multùm
Fercula, Niliacis quibus utebantur in oris.
Nam cuperent sævi potiùs juga ferre tyranni,
Servilique magis sub conditione manere,
Quàm prohibere gulæ vitium dapibusve carere.
Ille vetus populus residet sub pectore vestro,
Illius & mores, animosque, viasque tenetis.
Vulnere de tanto qui gestit habere salutem
Pœniteat voluisse malum properanter iniquum.
Desipuit, quicumque fuit, ceciditque retrorsum;
Magnum nempe scelus nostro commisit in ævo.
Quod teneamus eum quisquā fortasse queretur,
Præter Pisanos quicumque recedere quærit
Quando libebit eat, sua tollere non prohibetur
Nulla recedenti sanè violentia fiet.
Ad patrios igitur cùm venerit ille penates,
Et

Et medius turbæ claros narraverit actus,
Hoc de se verè poterit sermone referre:
Quòd numquā vidit quos tantùm fugerit hostes.
Nos mare, nos ventos, pondusque feremus
aquarum,
In Domini factis nec habebimus inferiores
Militiæ socios, quos Gallia tota sequetur,
Jamque favente Deo venient multo meliores
Unà nobiscum belli superare labores.
Tunc Gulielmus ait dominus montis Pesulani:
Hos discedentes numquam doleatis abire.
Pro quocumque viro, qui nunc fortasse recedit,
Quatuor ob pugnam dabimus non deteriores,
Qui pro sex horum poterunt tolerare labores.
Surgens Henricus post hæc Guinithone creatus
Hortatur cives bellum firmare, priusquam
Unà cum patribus sese jurare fatetur.
Dicta fides sequitur, jurant æqualiter omnes.
Jam secus occasum Phœbi clarissima lampas
Candentes vitreo tangebat in æquore flammas.
Nox ea consiliis est postquam tota peracta,
Et Phœbo radiante dies jam clara refulget,
Ecce recedentes equitū peditumque phalanges
Dimissis ratibus proprias certantur ad ædes.
Italicæ redeunt, dimittentisque Salodon,
Immeritis referunt convicia plurima nautis.
Præterea factos habiles ad carbasa cantus,
Et quoscumque solet sociis in puppe referre
Navita sermones deridet rustica turba.
Interea quòd hyems variaret sæpiùs auras,
Illeque perpaucis ratibus tutamina portus
Præstat, & ignotæ non est fiducia genti,
Barchinon heu petitur, classemque reducere
cunctam
Constituunt hyemare simul, mediantur ibidem.
Festa dies aderat Domini de nomine sumpta,
Præbebatque leves flatus levissimus auras,
Qua Latiæ puppes usæ cum remige ventis
Urbem navigio celeri tenuere Pisanam.
Post ubi Pisanis fuerat jam copia terræ,
Exonerare rates properant, pars maxima classis
Sistitur in terris, trahitur quoque luce sub illa.
Nox quascumque sequens liquidis invenit in
undis,
Intoleranda feri ponti facit ira solutas,
Nec potuit requies priùs æquoris esse procellis
Quàm sexagenas vis fregit pontica naves.
Hinc turmæ flebant, Præsul, Patresque dolebant,
Et pro posse suo non fractis subveniebant
Navibus, in siccam donec traherentur arenam.
Non alio luctu vidui gemuere Sabini,
Cùm sibi dilectas detraxit Roma puellas.
Inter tristitias autem quas fortè ferebat
Alphæus populus, improvisosque dolores,
Non oblitus erat quicquam de rebus agendis,
Nec potuit claræ mentis postponere sensus.
Ligna legi jussit quæ congrua navibus essent,
Ac tabulas, quas dira maris projecerat unda.
Ingenium docti populi mox tecta ratesque
Nocte dieque parat, complere videlicet illas
Omnimodis satagit, quas fregerat æquoris ira,
Atq; modis paribus turres tormenta per omnem
Constituunt Campum Baleam factura ruinam,
Terque decem Pisas statuuntur adire biremes,
Per quas incœpto reparentur robora bello,
Nisibus ut totis classem clarosque replerent
Militiæ numeros notæ per secula Pisæ.
Tunc quòd cara nimis fuerant alimenta Pyrenæ
Se diviserunt per plures agmina terras.
Pars campum retinet, pars altera venit ad illos,
Quos habuisse datur supra Provincia fines;
Mons Pesulane tuas claras pervenit ad arces
Gerardus validus, dominusq; Comesq; Livanti.

Hic quoq; bellorū Gualandidus splendidus actu
Filius Ugonis Petrus, & Rolandia proles
Baruiique vigor, necnon Vivianus & Abbas
Dogmata militiæ monstrant incognita Gothis.
Multi Nemausas, plures veniunt Arelatem,
Inveniuntq; piam,gratamque per omnia gentem,
Pisanas acies magno quæ fovit amore.
Hic Holebrandus populos transire volebat
Dum scapha Rhodanum, sed equo dum fortè
sederet,
Oblectavit eum puerorum cernere ludos,
Et cùm quæsitum lapidem misisset in illos
Calcar equum tetigit, qui dans in flumina saltum
Lucensem juvenem rapidis submersit in undis.
Non lacrymæ fusæque preces valuere cadenti.
Mortuus hujus equus cū tractus ab amne fuisset,
Pisani juvenes equitem traxere necatum,
Qui socium postquam largis flevere querelis,
Antistes, Clerus, populusque valens Arelatis
Intumulare virum summo curavit honore.
At vice qui Comitis Pisana præsidet urbe
Ugo, militiæ cui præbent singula laudem,
Agmine qui toto vitam servavit honestam
Hastarum ludis, & cursibus usus equorum,
Ac præponendo vincenti præmia cursus
Pisanos equites tractabat, more Quiritis,
Egregiumque virū Catalaunia tota frequentans,
Sardiniæque Comes celso celebrabat honore.
Consulis Henrici bonitas, necnon reliquorum
Jurgia, sive scelus non impunita relinquens
Justitiæ normam servavit in agmine toto;
Quippe sibi gnari socii dum fortè faverent,
Omnibus æqua dabant placidi moderamina juris,
Constituuntque viros totum vigilare per agmen,
Qui servare queant nocturno tempore naves.
Bisque decem servant Balearica regna carinæ,
Paganam rabiem validis quæ viribus urgent,
Et titubare feri faciunt fera corda tyranni,
Si bene belligeras pensent nova sæcula Pisas
Per mare, per terras geminas extendere vires.
Hoc Pisæ faciunt, Romā quod utramq;placeret;
Quarum signa ferus populus dum spectat Iberus,
Ingemit, atque metu visi consumitur hostis,
Castraque custodit Pesulani montis amator.
Ille priùs patrias remeare refutat ad ædes,
Quā sciat an ob rem, seu frustra sumpserit arma.
Hoc Catalanenses concussit media terras
Tempore Pisani solitis nil strictiùs usi
Sumptibus inventos gestantes undique victus,
Argenti pretio varia quoque merce parabant,
Unde Pyrenæos larga bonitate favebant,
Et solabantur inopes mercamine fines.
At Præsul custos sinceræ relligionis,
Ne sibi commissi celent vigilanter agebat.
Ergo diem nactus gratum, tempusque loquendi:
Arboreas, dixit, postquam perceperat escas
Lethalis pomi, cùm sumpsit ab hoste saporem
Ille vetus genitor, paradisi mœnibus illum
Jussit abire Deus, cujus sententia voti
Hoc exosa nefas, pepulit damnando superbum.
Omne genus vitii vitio processit ab hujus;
Scilicet invadens hoc ordine posteritatem.
Intrat in has tenebras mundanæ gentis origo.
Primus homo natos, & quos sibi fuderat Eva,
Livor agit, fratris ferit impia dextera fratrem,
Qui cadit, ante Deum clamat vox sanguinis ejus,
Solivagus densas silvas, agrosque pererrat.
Ast subit astrigeras sedes justissimus Enoch.
Justus post illum Noë cùm fecerat arcam,
Diluit omne solum nimiarum pondus aquarum.
Undæ cessarunt . . . . . . prodit ab arca
Tunc solus justus; sunt gentes multiplicatæ.
Post Patriarcharum fuit ordo, deinde Prophetæ,
Et

Et tamen infernas nemo vitaverat ædes,
Unde Dei pietas hominum fera funera cernens,
Ut salvaret eos emisit ab æthere Natum,
Et ne vana forent ea quæ sacrata canebant
Ora prophetarum, cœli rex est homo factus.
Sic hominum factor sumens de Virgine carnem
Serviles habitus hominum portavit ad usus,
Perque suam mortem cum crimine morte necata
Captivas animas de gurgite traxit averni.
Hac serie Domini salvavit gratia gentes,
Venit & in cunctam benedictio posteritatem.
Cujus Apostolico dum præsidet agmine Petrus,
Ob fidei sacræ confessam credulitatem
Esse pius meruit cœlestis claviger aulæ.
Ille tenet claves qui rexit in æquore naves.
Vos in nave sua mundana per æquora portet
Incolumes, puppisque suæ vos esse ministros
Remigio dignos imploret cunctipotentem,
Ut possitis eos tutos ductare per æquor,
Gurgite quos sacrosanctum Baptisma piavit.
Ergo docete viros chari pia dogmata fratres,
Ac monitis sanctis à criminibus prohibete,
Ut valeatis eos ad cœlica ducere regna,
Deficiat vobis ut numquam cœlica merces,
Quam Dominus solis concessit habere beatis.
Exemplo Christi, cujus regit omnia virtus,
Captivos fratres, quos barbarus opprimit hostis
Liberet à sævo fratrum pia cura tyranno.
Fratribus, & domino quantum debetis amoris
Præmonuit Petrus cum præcessore magistro.
Pro Petro Christus, cunctisque fidelibus extat
In Cruce cōfixus, pro quo Petrus in cruce tensus;
Fratribus unde suis succurrere nemo recuset.
Fratres quippe suos Judas: Patriarcha nepotem
Abraham dilectum de nexibus eruit hostis.
Hi quibus est licitū feriant mucronibus hostem;
Hos hominum factor sævo defendat ab hoste.
Quæ modo sunt scripta sunt pontificalia dicta.
Nunc levitarum vir nobilis, & bene charus
Ista satis meliùs quærenti narret Ubertus.

Explicit Liber Secundus.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

Quem colit interea tellus Balearica Regem
Hærare Declus Burabe perterritus istis
Contususque in centum.. convocat omnes
Causas majores per quos tractare solebat:
Consilium quorum plano sermone requirit,
Sive Moabitis optarent tradere terram,
An cum Pisanis aliquod conjungere fœdus.
Respondere viri soliti majora referre,
Et qui noscuntur aliis præcedere sensu:
Turba sumus, famulique tui, quodcumq; videtur
In ratione tibi constantius eximiumque,
Nos sinè lite sequi confestim disce paratos.
Respice nulla minùs populū quæ bella volentem
Sedula velle suo tua gens in pace maneret.
Hæc nā culpa gravis dedit horrida scandala no-
Undique gauderent Baleari subdita regno, (bis.
Si cum Pisanis nos fœdus habere daretur.
Inque Moabitis nobis fiducia clara
Non bona sperat, tantùm convicia prosunt
Quos tolerare gemunt Hispanæ gaudia terræ.
Respice Dertare quid agant, quantaque Dianam
Clade premant, nostras miseratus mēte querelas
Accipe: captivos omnes perquirere serva
Et meliùs tracta, quia pax, & vita per illos,
Ac regnum pariter tibi concedetur, honorque.
Actis non habitis nunquam sedabitur hostis,
Christicolis quoniam qui pro pietate laborant
Cara magis essent captorum corpora fratrum,
Quàm videatur eis regnorum copia centum.
His habitis verbis regis præcordia diri
Contremuere metu: captivos protinus omnes
Præcipit inquiri sparsim, veteresque, novosque
Tunc de bono rate quos sors, ventus, & unda
Vexerat invitos curat tractare decenter.
Pisanis etiam chartam pro tempore scripsit,
In qua Pontificem, patres, populumque salutat.
Qui quamvis prorsus diversum mente retractet,
Ditia verba tamen mittens nil supplicat hostis;
Se se constantem sinè proditione fatetur.
Ampuriæ Comitem testem narrantibus addit,
A Jerusalem dicens peregrino dum petit actu
Conspicuæ famæ motus Comes Ampuriensis
Illius illæsam servavi fœdere terram:
Nullum quippe virum bello seu pace fefelli.
Si Pisana manus mecum vult pacis habere
Fœdera, continuò captivos reddo, measque
Dono paratus opes, linquat mea regna, suasque
Impensas reddam pariter, pretiumque laboris.
At si fortè suis armis contendere mavult,
Bellandoque meam putat armis vincere gentem,
Ubi communi cum se defendat ab urbe
Urbs, nihilum faciunt ejus mea regna labores.
His intellectis chartam Pisana recepit
Et respondetur brevibus sermonibus illis,
Qui tales apices, & talia scripta tulerunt
Nil tolerare mali portantes nuntia lex est.
Communis viris debemus moribus uti.
Non possunt jungi cum vestro fœdera rege,
Nec fas est nobis ullam sibi reddere pacem,
Ni priùs in vestras conduxerit agmina terras.
Rex qui cuncta videns Judex cognoscitur æquus
Illuc decernat Judex pius ille patenter
Internos cunctos hominum qui judicat actus.
Præter eas alias fertur misisse lituras,
Quæque suis notis mitissima verba reportent:
Privatis etiam multum promittit in illis;
Albitione satum verbis commendat amicis,
Atque memor maneat peracti fœderis ejus,
Quod cum Mugeto genitor retinebat, avusque
Junxit, & ex multo tenuit jam tempore Petrus.
Rex fuerat Baleæ Mugetus rexque Dianæ,
Invasit Sardos rapida præstantior ira.
His igitur properè violento marte subactis
Omnia cùm plena tenuit montana tyrannus,
Huius Alphæus populus mox concitus actis
Conscendit celeres sulcantes æquora naves.
Tunc non erubuit quisquam de nobilitate
Viribus æquoreas remos urgere per undas
Si levis extiterat; vel tota remanserat aura,
Optatos cursus robur commune replebat.
Qualiter accipitres pavidas petiere columbas,
Et sicut Libyci poscunt armenta leones,
Tunc cùm longa fames & viscera serpit eorum,
Sic sic accelerant, sic poscunt bella frementes,
Quos Pisana manus sævos ductabat in hostes.
Sardineæ postquam poterant de littore cerni
Eximias ratibus gestantia vela phalanges,
Rex cum gente sua terras fugiendo reliquit.
Heroës igitur suscepta laude triumphi
Victores redeunt, fines intrantque paternos.
Post illum verò Mugetus concitus annum
Perduxit Mauros in Regnum Caralitanum,
Et numero primos excedunt posteriores
Robora Maurorum quo scilicet ædificante
Subsidiabantur Sardorum corpora muris,
Quique die tota latices, & sata ferebat
Impositus muro, murum pro caute replebat.
Multi Sardorum, quos presserat ira tyranni,
Tam sævæ mortis pœnas habuisse putantur.
Hinc Pisanus honor vires, animosque resumens
Non

Non dubitat vitreas iterum transire per undas.
Post ubi belligeri terras, camposque tenebant,
Rex fugisse datur multis jam Marte peremptis
Barbarus abscessit, capto cum conjuge nato.
Erepti Sardi jugulis, tutique fuerunt,
Indeque tota manent Pisanis subdita regna
Sardiniæ: docuere senes quæcumque retexo.
Quæsitis Sardis non hæc tibi vera negabunt.
Hunc regis puerum, captus qui dicitur esse,
Pisæ victrices regi misere Lemanno.
Hujus avum Petri princeps generosus amabat,
Qui dedit Alphæo quæsitum munus Alanta.
Reddidit hic patri charissima munera natum,
Albicio quare successoresque vocantur
Mugeti fratres successoresque suorum.
Ergo quisquis habet Regum Balearica sceptra,
Ex hoc affirmat se fratrem seminis hujus.
Albicione satus Petrus viget ejus origo
Pisanos ornans probitatis imagine cives.
Talia cur memorem? Petrus & Balearicus auctor
Causa fuit, sed nunc ad propositum redeamus.
Instabant Martis redeuntis tempora mensis,
Cùm fines Eburi missæ subiere carinæ.
Mox avidi de plebe viri prædæque, cibique
Intravere casas, nec scuta, nec arma ferentes;
Dumque Saraceno satiant sua corpora musto,
Dum passas uvas, dum gaudent mandere ficus,
Mota per arva loci veniunt equites Ebusini.
Incautos homines per devia rura vagantes
Detruncant gladiis, vario quoq; vulnere perdunt.
Hunc Petrus Ascensus gestans sibi credita signa
Audaces socios in dirum concitat hostem.
Ante rates certamen adest, pugnant Ebusini,
Invictosque viros totis conatibus urgent,
Et non permittunt pedibus contingere littus.
Insula parva jacet, non longè solis ab ortu,
Quę brevibus scopulis Ebusinam respicit urbem;
Ille revertentes recipit de Marte galêas.
Sed recreante parum juvenilia membra quiete
Indubitata viri repetunt sinuamina portus,
Inventasq; rates, capiuntque, fugantq;, trahuntq;
Captos inde viros, Ebusina plebe vidente,
Ad sociosque ferunt manibus post terga ligatis.
Insula stat pelago, partes ea respicit Austri
Adversùm Libycos, cui Frumentaria nomen.
Hanc Latii petiere viri, properantia & illic
Ceperunt victus placidæ solatia prædæ,
Perpinguesque boves, quibus & vesci potuissent,
Ni pia Christicolis prohiberent tempora carnes.
Lustrantesque locum quo gens inamata latebat,
Abstractos caveis Ebusum duxere ligatos.
Hîc tunc Lamberto, necnon Guinithone jubente
De duodenorum numero qui præmemorantur,
Ascensus Petrus naves divisit & arma.
Solis ab occasu cœpit committere pugnam,
Ex his senagenis igitur comitantibus illum
Signifer Ascensus properans exire carinam
Hostiles cuneos multo cum robore poscit.
Tunc Arduinus generosus Lucuniensis
Exhortans socios in prima fronte resistit.
Ast Ebusitanus jaculatus signifer hastam
Hosti terga dedit, socios fugiendo relinquens,
Nec læsit quemquam jaculum tellure relictum.
Lucuniensis eum saxosa per arva secutus
Hunc cum Bavaro jugulavit protinus ense.
Rursus & accedunt equites, aciesque pedestris
Altera, quæ furtim post grandia saxa latebat.
Tunc Guinitho Consul sociis adjutus in hostes
Fertur, & obstantes telo, gladioque repellit.
Parte caret portus, pars altera classis ad ipsum
Tendit, & accensis animis invadere terras
Incipit, & Mauros ardente vigore reposcens
Præterit, iaculis sævisque Alphæa repellunt
Agmina, mox acies Latialis turba requirit,
Pugnantesque premit simul atque viriliter angit.
Sic perturbati cuncti fugiunt Ebusini,
Quos fera bella gerens victor Lamberte fugasti,
Ut fugiunt aquilas celeri levitate columbæ,
Et sicut pavidi fugiunt hastilia pisces.
Cùmque tuum validis curvares viribus arcum,
Per Mauri pectus missam transire sagittam,
In faciem ille cadit per rura fluente cruore.
Ducitur in longum tendens à littore collis,
Quà Petrus Ascensus Maurorũ terga premebat.
Passibus haud lętis capit hũc gens barbara collẽ,
Cui plusquam deceat via longa videtur ad urbẽ.
Sed dum Pisanos cœtus, & vulnera sentit,
Saucia cristati transcurrit robora montis.
Pisani cunei dum totis viribus instant
Innumeros Mauros diverso funere sternunt.
Jam quoq; turba sequens ad portã venerat arcis,
Quã locus ille gravis tepido demõstrat ab Austro.
. . loquendam, quem Lucuniensis alumnus
Straverat adstantem nudo transverberat ense.
Armiger hic Guinithonis fortiter hostibus instans
Occubuit moriens saxi prostratus in ictu.
Inde Saraceni, postquam cum turribus altis
Muros conscendunt, & grandia saxa remittunt,
Agmina tuta petunt, quæ sunt sita tecta sub urbe
Solis ab occasu qua plebs residebat inermis;
Inde viros, pueros[q]; trahunt, matresq; nurusque,
Pannos & vestes de captis eruta tectis,
Ruriculasque domi tuta statione morantes,
Et de captiva modicum, vel nil meditantes,
More gregis pecudum, captos ad littora ducunt.
Martius ex toto cursum compleverat, atque
Aprilis fuerat media jam parte peractus,
Cùm tepidis zephyris sævum volventibus ęquor,
Carbasa convertunt nautæ quò vota ferebant,
Quos dum præcipites vitreæ vehit impetus undæ
Ventus anhelantes Baleæ perduxit ad oras,
Suspenduntque leves remis super æquora naves.
Interea Baleam geminas misere galêas,
Uberto genitus Lambertus consul in illis,
Quæ celeres adeunt portum de nomine Picci,
Semimaremq; vident servantem littora Regem
Qua veniant causa muliebri voce rogantem.
Ast equites peditesque manent ad littus, & arcus
Incassum tensos toto conamine flectunt.
Ipse jubet cessare suos, & lædere nullum,
Alphæosque rogat tutas exire carinas.
Consul ad hæc; est vera fides malè credula nobis,
Possumus unde minùs nudis confidere verbis.
Nos damus ecce fidẽ, quam nõ retinemus inanẽ,
Quaque data nostram si vult intrare carinam
Rex poterit sua verba loquens, sanusque redire.
Justius, ille refert, est Regi credere victis,
Cui si quem jubeat solo sermone venire
Tutior ire potest, cùm constantissima Regum
Singula verba fluant: dictis incredula vestris
Cernitur esse fides, quorum tentavimus arces.
Si tamen è rebus quidquam vos sumere nostris
Vultis, in hoc portu tuta statione manete,
Quæque dari vobis mox regia cura jubebit.
Ista suum, dixit Consul, vocat insula Regem
Te, plures nostri stant sub moderamine juris,
Et Balea melior quæ vis consistit earum,
Vestra fides nihil est, Machamatus ebrius ipsam
Edidit, at nostram sanctorum gloria Christus.
Unde satis melius nostris se credere posset
Simplicibus dictis, queis enim sanctissima mẽs est
Quàm juramentis valeamus credere vestris.
Rector ad hæc Baleæ: nimis dubitare videris,
Et trepidas vano te concutiente timore;
Sed ne turbentur bona quæ tractanda videntur
Et timor absistat, saltem per scripta loquamur,
Ut

Ut notum postquam fuerit quod poscitis ipsi
Hoc cōplere queam, quod gestit nostra volūtas,
Quatenus esse boni semper valeamus amici.
Consul ait: socius scriptor quoque longiūs absit.
Ibimus, & nostros trutinantes pectore sensus
Ambo notis dabimus quodcūq;decebit utrūque.
Mox efferre rates, & in ordine ducere remos
Præcepit nautis, validasque ferire procellas,
Sicut aves quas penna levis portare per auras
Concessa levitate solet, sic accelerantes
Ad reliquas certant geminæ remeare carinas.
Quas postquam pelagi solitus labor egit in unū
Intravere tuos tutos Capraria portus,
Inque Polentinos lux evehit altera fines
Heroës Latios: vallis didicere coloni,
Qui fugiendo suas spoliarunt victibus ædes
Linquentes vacuum gregibus pascētibus arvum.
Hinc Latios juvenes invicta Minorica quamvis
Suscepit; prædam sparsi per rura gerebant.
Hos contra veniunt equitum peditumq; catervæ
Inque fugam versos ad naves usque regirant,
Et mittunt lapides in eos densasque sagittas,
Quos neque permittunt portu remanere quietos.
Defuit esca viris Latiis, pastumque dederunt
Hæc, quas rus habuit, vulsæ radicitus herbæ.
Utque . . . . . nequeunt heroes ferre marini
Dimittunt paleas, statuuntque redire Pyrenem.
Nam suspectus erat de proditione tyrannus,
Quare mens ad eum redeundi nulla manebat.
Æolus interea dirum de carcere ventum
Solvit, & immiti nomen fuit Africus illi
Albentes faciens has quas crispaverat undas,
Intumuitq; fretum, turbaverat aura profundum,
Divisitque duas tempestas ipsa galeas.
Quassata in toto fleverunt agmina campo.
Ascendit Petrus, Nuclerius extitit isti
Filius Alberti: fuit Ugo prædictus illi,
Quà mare manducans vulgo fuerat vocitatum,
Cujus præsculptum gestabat prora draconem.
Portibus ast alias susceperat insula puppes.
Tempus ut admonuit venti residente furore
Pertentant iterum vitreas sulcare procellas;
Jam transire fretum communia vota manebant.
Postquam orta dies illos ad litora duxit
Narrantes casus, tantique pericla laboris
Nuntia victrices mittunt felicia Pisæ,
Quæ cursu propero binæ duxere galeæ,
Tripudiare quibus lætæ cœpere phalanges,
Unam, ni fallor, tecum Marcelline gubernat
Consocius Guido, qui presbyter est vocitatus.
Rexerat ast aliam laudati cura Baronis.
Ad Catalanenses postquam ratis utraque ripas
Venerat, & belli narrantur utrimque paratus,
Venturosque citò socios dixere lituræ,
Romana missus venit legatus ab urbe
Boso pater sancta reverendus religione,
Et Domino Papæ virtutum culmine charus.
Tunc & Apostolici postquam benedictio cunctis
Dicta fuit populis, tendunt ad sydera palmas,
Et Dominum cœli pleno cum pectore laudant,
Ut dignetur eis tantum salvare Magistrum
Militiæ, per quem benedictio cœlica fertur,
Ac conjungit eis socios sancti famulatus.
Non aliis votis patres populusque Quiritum
Aspexere suos civilia jura ferentes,
Lata decem tabulis cùm sunt primodia legis.
Frigoribus lapsis redeunt ad læta caloris
Tempora, lene fretum placida distringitur aura,
Et validæ classis pars Arni ducta per undas
Advehitur, properos trāscurrēs nimbus in Austros
Atque resistentes superans cum fluctibus auras.
Urbs igitur Januæ celeres mirata paratus
Livida demisso spectabat carbasa vultu.

Massiliæ tandem levibus comitantibus auris
Intravere sinus, missæ post terga Lirino
Bis quadraginta sulcantes æquora proræ.
Jam quas præcipites Rhodā vehit impetus undas
Scandere festinat multo cum robore classis.
Divitiis Arelas pollens hanc sumptibus implet
Usq; Magalonam rapidus quam protulit Eurus.
Æoliis Boreas tandem procedit ab antris,
Et famulatur ei totus cum nubibus aër.
Arripit unda rates, ventoque ferente secundo
In Catalanensi consistunt litore puppes.
Fratris frater habet positos in colla lacertos,
Amplexuque dato, dans oscula juncta vicissim,
Quid chari faciant vitæ solatia quærit.
Gaudia non fuerant nationis tanta Sabinæ
Cùm præcesserunt coram genitoribus olim
Natos Romulea gestantes gente creatos,
Vota patrum natos quanta pietate tenebant,
Et nati quantum placidos strinxere parentes,
Et quantum fratrum tenuerunt colla lacerti.
Visibus Alphæi carorum lætificati
Ducere robusto cœperunt gaudia motu.
Cùmque suo cursu Majus vel Junius essent,
Ecce Dodo Consul castris accessit & Atho,
Quos cum tripudio cunctæ videre cohortes:
Sedis Apostolicæ missas à patre salutes
Constanti tum voce ferunt, seriemque laborum,
Quòd tardi veniant dicunt ex ordine causas.
Tum centum tenuere patres papalia jussa
Boso pater peragens præcepit ab omnipotentis
Invictique Dei, qui condidit omnia, parte,
Proque pii Petri sacrosanctos famulatus,
Et Domini Papæ Paschalis in Urbe Secundi,
Ut Christi famulos, per quos pia signa tulerunt,
Quos Baptisma facit Domini quoque regula fratres,
Eruat à sævis fratrum pia cura catenis.
Talia cunctorum cœtus turmæque probantes
Intravere rates pelagum sulcare paratæ,
Quas tūc quingētas numerarunt scripta carinas.
Præsul Pisanus, quem maxima cura trahebat
Mox ad captivas acies perducere fratres,
Vela dedit pelago primus, transitque Saladon.
Hinc ad Dertosæ fluvium pervenit Iberum.
Hujus militiæ primus quia signa levavit,
Pisanosque duces tantos animavit in actus,
Tota sequendo patrē classis comitatur euntem,
Nongentos equites undosa per æquora portans.
Replet Iberus aquis classem, solatia pacta
Cum ducibus proceres firmant, firmataq; jurant.
Lapsaque jam fuerat paucorum meta dierum,
Cùm dare vela parant ventis Aquilonis obortis.
Ardua sed postquam sudantes æquora pulsant,
Lenior ingressas pontum vehit aura carinas,
Nocte quibus tota cursus dedit illa secundos.
Sol erat incipiens per iter conscendere cœli,
Quando Colubrarem viderunt agmina montem
Cui, quibus est plenus, nomen tribuere Colubrę.
Accelerant, latet hîc cùm mox saxosa videtur
Insula, Tyrrhenis quæ circumcingitur undis
Spectans Hesperium lapidoso vertice litus:
Huic Ebusū, memorant, urbi dedit insula nomen.
Portus in hoc magnus, Magnum vicinia dicit,
Qui valet innumeras spatiis servare carinas:
Cernitur Hispanæ de partibus esse Dianæ.
Hinc tenet illa caput, quò fert sua plaustra Bootes,
Pandit in occiduum dextrum latus insula solem,
Atque latus reliquum surgentis solis ab axe,
Quiq; nec occasum, nec prorsus spectat ad Austrū
Occiduas finem non rectè gestat in oras,
Cunctaque saxosi cingunt campestria montes.
Germinat innumeras herbas cū fructibus arvum

Vel satis, & dulces fluctant è fontibus haustus.
Hordea multa gerit, vites quoque terra feraces.
Finis ad occiduas qui non bene respicit oras
Mille quater passus Ebusina distat ab urbe.
Eximii colles plani spectacula campi,
Intrepidas arces, & mœnia tuta dederunt.
Unda sinum grandem, gelidam quæ spectat ad Arcton,
Quęque superstat ei duplex dedit insula portum.
Circumquaque fluunt latices è fontibus orti
Dulcibus, herba viret, calami junciq; palustres.
Celsior à medio porrectus in aëra collis
Eximias altis habuit cum turribus arces.
Ardua sed triplices circumdant mœnia muri;
Subsistunt muris foveæ de monte cavatæ;
Lata duodenas habuerunt mœnia turres.
Arcus ab his quantum poterit portare sagittam
Turrigeri stabant montano robore muri.
Difficiles aditus præbebant invia saxa.
Hinc quantum forti bis missile mittitur arcu
Cernitur exterior descriptæ circulus urbis,
Turribus & forti circumdata mœnia muro,
Cujus fossa triplex immania robora lingit;
Fossa redundat aquis, quas attribuere paludes
Urbis, & in summo fuit arx à partibus Austri.
Mons foris æquoreæ pulsatus viribus undæ,
Juxta quem dederant longos sinuamina portus.
Altera pars montis, quæ nempe recisa videtur,
Solis ab occasu foveas descendit ad imas,
Inde suburbanas descendens aspicit ædes;
Sed triplices foveæ gelida non prorsus ab Arcto
Usque tenent pontem, pontoq; tuentur & Euro
Mœnia cum grandi posito super æquora saxo;
Erectum paries saxum secernit ab urbe;
Incipit à portu, protensus definit illic,
Quò mons pręruptus subjectas spectat in undas.
Turriger hinc murus summas ascendit ad arces
Duplex, & triplici tutus munimine fossæ.
Bogææ flores, & flores gentis Iberæ
Tutantur validis Ebusinam viribus urbem.
Hujus militiæ princeps à Rege secundus
Fertur Abulmunzor, fuerat cui tradita terra.
Vir fuit ille ferox captivus ab urbe Gerunda,
Qui postquam verũ Christi Baptisma negavit,
Verna fuit Sathanæ, quo non crudelior ullus.

Explicit Liber Tertius.

INCIPIT LIBER QUARTUS.

Nox erat incipiens, præcesserat Hesperus astra:
Alphææ venere rates: Ebusina juventus
Inter conseptos stabat densissima muros.
Buccina repletur flatu, lituique, tubæque;
Tota sonat classis, conclamant civis, & hospes,
Sed Latia superat clamor de gente levatus.
Spicula crebra ferunt missos à mœnibus ignes.
Phębus ab æquorea postquam processerat unda,
Clarueratque dies populis pugnantibus aptus,
Circumstant acies, ponuntur in ordine castra.
Plurima vallis habet tentoria, plurima collis,
Transcurrit campos celeris Pisana juventus,
Invaditque suos non pigris gressibus hostes.
Saxa volant ritu pluviæ de turribus altis,
Tela, sudesq; terunt propiores mœnibus hostes.
Difficiles aditus per dura pericula fossæ
Pisanæ subeunt acies, portisque sub ipsis
Non trepidant gladiis duros concidere muros.
Ardescunt animi; pugnantes cominus instant;
Ictibus assiduis, clypei, galeæque teruntur,
Nec prohibere valet thorax penetrantia tela;
Vulnus, & interitus passim, sanguisq; redundat.
Nox postquam veniens ferventia bella diremit,
In sua Pisani redeunt tentoria fessi.
Sed remeante die, turmisque petentibus arma,
Machina construitur sapientum viribus acta
Artificum, turres feriens quæ dissipat altas.
Tunc aries, cratesque simul sunt addita muris,
Plena viris etiam per vallum vinea serpit,
Qui vario nisu perstringere robora tentant.
Obsita stat garabis protectis pontica ripa,
E quibus armatæ properant ad bella cohortes.
Dant animi vires, media Mars sævit in unda,
Nec tenet unda viros, medio stant agmina fluctu,
Innumerisque patent hominum discrimina telis.
Lis geritur gladiis, pugnæ furit anxius ardor,
Turrigeræque petunt muralia robora naves.
Bartolus Ansossusque simul rapiuntur in undas,
Nec vitant ictus, sed plana per æquora muris
Duriter abstantes jaculata cuspide sternunt.
Huc Opitho virtute potens mox flectit habenas,
Et Maurum peditem media transfigit in unda.
Altus Parlasii Petrus, atque Bono generosus
Guido satus jaciunt hastas, mucronibus inde
Concidunt Mauros; densantur ab urbe sagittæ,
Arcitenensque sagax per visus figit utrumque,
Et de classe viri positum super æquora murum
Poscunt, & celsas invadunt agmina turres.
Transiliunt fossas, alii properantiùs addunt
Ad conscendendum muri super ardua scalas:
Projiciunt lapides jaculantes, tela, sudesque
De muris Mauri, Pisanaque robora pellunt,
Et instant acies, donec sol fervidus ipsas
Æstibus accensas cogit sua castra subire.
Interea turrim faciunt, solitasque per artes,
Unaquaque die muros, & mœnia frangunt,
Arripit Alphæos belli violenta cupido,
Et latas intrant pugnantes undique fossas.
Tunc demum juvenes subeuntes męnia quinque,
Maurorum cuneos violentis viribus urgent:
Hi contra jaciunt lapides, ac tela: fugaces
Quatuor ex illis facti transcurrere saltu
Non dubitant aditus, quintusque remansit in illis
Pipini natus, socii quem deseruerunt.
Quid faceret? vel cujus opem pugnando rogaret?
Projiciunt lapides in eum de turribus altis;
A scapulis murus, contra quem plurimus hostis:
Figitur innumeris telis, variisque sagittis;
More viri pugnat quindenis natus ab annis,
In se conversos sternitque viriliter hostes.
Cùm tamen illorum nimius petit impetus ipsum,
Corruit, & pariter fundit cum sanguine vitam.
Innumeri subeunt membris puerilibus enses,
Mauri lætantur, socii stant cæde dolentes.
Exercetque suos dum gens Pisana labores,
Tormentum mirum labentis solis ab axe,
Quod longo tractu muralia robora poscat,
Fecit Oriciades, simul & testudinis artem:
Lætus in hac aries murales sternere cursus
Nititur, & penetrat impulsu præpete muros.
Ast Ebusitanis non est ad prælia dispar
Ingenium, totas dant in certamina vires,
Cùmque suas faciunt non æquis viribus artes,
Pisanos tentant penitùs confringere nisus.
Dum magni lapides, quos ardua machina portat,
Immensam certant muris inferre ruinam,
Protegitur murus pannis, latisque tapetis,
Et turres habuere sui munimina vestes,
Fulcraque collatæ luserunt sæpiùs ictus
Molis, & appositæ texerunt cætera crates.
Sicut aves reparant nidos, quos destruit aura
Cùm tremulos venti vis concutit aëre ramos,
Sic Ebusitani muros, ac mœnia cuncta
Solliciti reparare student, præsentia quorum
Assi-

Assiduè vigili tenuat sua robora cura.
Fecerat in muro plures testudo fenestras,
Cujus Oriciadæ formam construxerat astus.
Jam quoque casuram credebant agmina turrim.
Cùm cessare jubent patres testudinis ictus,
Electi donec juvenes mittantur in illam,
Qui captam teneant summis cum viribus urbem.
Sancte tuum festum Victor laudabile multùm
Fortè celebrabat mundus, Pianes super astra
Quando levata fuit martyr, virgoque decora;
Luce sub hac cursus medios jam Phebus agebat,
Æstus erat grandis, tecum rogitasse putatur
Cœlica turba Deum, Pisanus Præsul, & omnis
Firmiter orabat Sancto cum Præsule Clerus,
Quatenus ipse suis pugnantibus auxilietur.
Divinus . . tantos audisse rogatus
Creditur,& fusas lacrymas monuisse Tonantem.
Deviat esse Dei quisquis tales negat actus,
Et pro posse suo non laudat cunctipotentem.
Extemplo medius dum carperet æthera Titan
Mota fuit turris graviter, ceciditque patenter.
Intremuit locus, & pulvis vicina replevit.
Inconsumpta jacent mensis convivia: tentant,
Protinus introitum Latius seu Gallicus hospes:
Ugo qui Pisis comitum vice præditus extat,
Et Dodo Teperti clarus per prælia natus
Ac Cunithoniades animis decoratus, & actis,
Et Catalanensis quidam bene promptus in armis
A portu pariter per portas ingredientes
Invadunt Ebusum, sternunt, feriuntque feroces
Viribus, & perimunt lætis successibus hostes.
Qualiter armentum tygres per rura sequuntur,
Quando potenter eas jejunia longa coërcent;
Haud secus heroum gladiis Pagana fugantur
Agmina: tunc reliquis succurrunt undiq; turmæ
Nulli parcentes, sexus jugulantur, & ætas.
Hinc aditum quendam retinebant Ismahelitæ;
Maurus ibi pugnabat atrox metuendus in armis,
Et ferus accessum cunctis prohibere putabat.
Erigit Ildeprandus in hunc Enfraxius ensem
Cædentem mirum mirando recidit in ictu.
Qui per rupturas intrarunt denique muri
Barbara concidunt fugientum corpora ferro.
Tunc percussa cadit gladiis Ebusina juventus:
Hìc caput, atque manus, illic sunt crura pedesq;
Quàq; pedes facies hominum projecta jacebat
Eruta corporibus morientum millia calcant
Belligeri cunei, sed qui de cæde supersunt
Ascendunt medios inter duo robora muros.
Altera turba ruens fugit ad sublimia saxa,
Quæ suprafati spectantia diximus æquor.
Inde ruunt partim, partim truncantur, & illinc
Rupibus è summis salsas jaciuntur in undas.
Hic malus est saltus, quem Mauri tunc didicere.
Qui non fugerunt, saxosis ictibus & non
Continuere manus, de muris præcipitati
Undique confracti media jacuere platea.
Declinat medios dum Titan in æquore cursus,
Pugnantesque viros & fervidus æstus agebat,
Urbs ubi prima fuit divino victa vigore.
Altera victores veniunt ad mœnia, portas,
Et superos aditus perfringere Marte laborant.
Multisoni resonant variis rambonibus usus;
Saxa volant, missæque pluunt utrimque sagittæ.
Hortantur proceres pugnantes fortiter alas.
Utraq; turba fremit, penetrant ad sydera voces.
Ascendunt geminas dum pugnant agmina turres,
Et superare putant reliquam velociùs urbem,
Accurrens Ebusina cohors violentiùs hostem
Impetit, & saxis, telis, sudibusque repellit,
Perque cohærentes cogit descendere scalas.
Postquam bella viris in nullo commoda præstant
Mox sua castra movent, & barbara tecta subintrant.

A Sed, defunctorum ne corrumpantur odore,
Traditur extinctus flammis crepitantibus hostis.
Postera lux oritur, consurgentesque catervæ
Tendunt in reliquam studiis ardentibus urbem.
Nocte dieque suas exercent fortiter artes.
Lux octava redit, turres feriendo reclinat
Machina, testudo perfringit sedula muros.
Cùm nox transierat vicinæ proxima luci
Auroræ patuere fores, Phœbusque redibat;
Protinus ascendunt super altas agmina turres.
Barbara turba pavet, cessatq; recurrit ad arces.
Alphæus populus defuncta cadavera calcans
Hostiles cuneos gladio prosternit, & hasta:
Dumque satis properant super ardua ducere castrum

B Mœnia, Dominici solers quod cura paravit,
Telorum nimbi summa mittuntur ab arce,
Sarnicolasque super volitant ingentia . . .
Sed Christi pietas, divinaque gratia quantum
In se sperantes semper sustentat, & auget,
Humanæ nequeunt ad plenum dicere linguæ.
Nam Christi facto, qui noscitur omnia posse,
Victoris festo, qui primam vicerat urbem,
Hujus in octava meruit superare secundam
Pisanus populus semper confisus in ipso.
Victores tandem captos retinere laborant,
Et servare locum; patres deducere castra
Circumquaque jubent: parent, ast obsidionem
Mœnibus inclusis omnes viciniùs addunt.
Nulla quies cuiquam tenebris vel luce dabatur;

C Turres tormentis altas, murosque petebant,
Quæque graves longè dimittit machina moles,
Mœnia celsa petens, portabat ad usque fenestras
Cautes, internas sternendo sæpiùs ædes;
Vicinusque malus cui non erat agmine compar
Sublimem tractus crebrò fervebat in aulam,
Nunc ultra turres lapides portabat, & infra,
Et de sacrilegis faciebat sæpe ruinam.
Talibus & reliquis populus Pisanus agebat
Artibus, & duros tentabat vincere casus;
Tum Guido Rubeus, simul & Catalanicus heros
Incassum missas non direxere sagittas.
Econtra Mauri bellantia sæpe petebant
Agmina, non parili facientes prælia dextra.
Sævus Abulmunzor super ardua mœnia demum

D Assistens, fractam defixo lumine turrim
Spectabat tristis: casu sinuaverat arcum
Villano genitus, qui mittens spicula contra
Spectantem medio defixit gutture Maurum.
Juravitque pridem per jura Machamatis ille
Incolumem cuiquam se nunquam reddere terrã.
Tunc sibi subjecti suaserunt talia cives:
De juramento nulla ratione teneri,
De nuper facto fusi docuere cruores;
Sanus enim non est, cui figunt spicula guttur.
Ergo tui compos citiùs fac deditionem,
Et te nobiscum pariter de funere serva.
Motus erat Princeps dictis, precibusq; suorum.
Mittitur Alphæis ducibus qui nuntiet ista.

E Forma placet pacti Pisanis, protinus illi
Nil dubitando viri sinè conditione dederunt
Omnia, se pariter, mortis terrore remoto.
Tunc pie Laurenti, mundus tua festa colebat.
Te venerande Deum placido movisse rogatu,
Autumat Ecclesiæ populus, creduntque fideles.
Cùm vexilla super posuerunt agmina turres,
Ter Domino laudes totum cantaverat agmen,
Cornicinumque dabant voces lituique tubæque,
Tinnitusque pios resonantia signa tulerunt.
Conscendunt proceres summas properantiùs arces.

At cõmune jubent spolium properanter in unum
Accumulare locum; turres, & mœnia cuncta
Certatim sternunt avidi turresque coæquant.

Transierant bis sex rapida vertigine menses,
Et celer actus erat variis sudoribus annus;
Tempus erat, quo ferre soles Auguste racemos,
Cùm citiùs solito portarunt agmina mustum,
Declarantque patres cœptas cum litibus iras,
Quas prædatorum tumidi movere furores.
Vulgus ab introitu captæ regionis, & ante
Quàm populus quicquā superaret bellicus urbis,
Collectam passim prædam de rure trahebat,
Dumque viri fortes muris tormenta pararent,
Ignarum vulgus studium fornacis agebat.
O quantis studiis panes venduntur, & illud,
Unde monetati replent marsupia nummi!
Post hæc ex spoliis, quæ comportarat in unum
Alphæus populus, movet anxia turba susurros,
Et repetit partes, partiri capta recusat;
Hi quibus interiùs lacerat Majorica mentes,
Neve moram facerent spoliis retinentibus illis,
Partibus in tutis prædam posuere carinæ.
Solvuntur classes, freta remis eruta spumant,
Vela tument Zephyris, liquidas rapit aura procellas;
Adveniunt Baleam Latii comitatus, & illi,
Qui propter Baleam cœlestia signa tulerunt.
Est sinus haud modicus Baleæ de partibus Austri,
Portus instar habens, ubi cornua bina videntur,
Per bis mille decem quæ sunt distantia passus.
Replet utrumque latus Libyco de litore raptus
Pontus, & Arctoas finem distendit in oras.
Quòque ponit finem sinus, hîc de parte sinistra
Urbs antiqua fuit raris habitata colonis,
Unde feræ gentes ab Iberis finibus actæ,
Navigio celeri duce præcedente Moalfac
Christicolis pulsis plures posuere penates.
Hîc ubi lata stetit celsis Majorica muris,
Insula distat ab hac brevis,& per millia quinque,
Quæ complexa sinu lævæ stat proxima terræ.
Portus ad hanc latus, Rhodum vicinia dicit,
Urbis ab hoc possunt sublimia mœnia cerni,
Ob quam Pisani tantos habuere labores.
Illa dies lætis populis octava refulsit,
In qua felicem Matrem super astra recepit
Virgineus partus, de qua Deus est homo factus,
Parva venientes quà congregat insula puppes,
Luxque sequens fuit hæc, qua Christus morte resurgens
In mundo genitis vitam dedit, atque salutem.
Hac de plebe viri latices haurire volendo,
Navibus egressi per rus gradiuntur inermes;
Ast equites regionis erant in valle latentes,
Qui peditum plures incautos aggredientes
Truncarunt gladio, quosdam cepere, suisque
Duriter adstrictos secum duxere capistris.
Hinc cum Consulibus proceres tristantur, & omnes.
Tum Petrus Antistes populos hortatur ad ista:
Tartareos aditus properavit vestra voluntas,
Dixit, & ostendit Balearica mœnia dextra.
Captus ibi fateor vester pius atque Creator,
Dicitur in membris; quis non pugnabit, ut ipsum
Eruat, ipsa licèt mortem sibi bella minentur?
Vos tamen in bello lethum nolite timere,
Nonnisi pro bello vitæ quia poscitur auctor,
Atque dator vitæ, cunctis qui præparat usum,
Et qui pro nobis Crucis est in stipite fixus,
Cum captis captus nunc permanet, atq; ligatus,
Ut det opem vinctis, trahat & de nexibus ipsos.
Qui captum Dominum pugnamve relinquit agentem
Justè damnatur, dignè privatur honore,
Et manet infamis semotus ab urbe, foroque.
Hoc & Boso pater, præsul quoque Caralitanus,
Comparibus verbis, lachrymisque fluentibus addunt.

His dictis sedet in transtris festina juventus,
Et placidas molitur aquas, in carbasa ventus
Perflat, & amotis sulcatur navibus æquor.
Non volucres tanta pennæ levitate feruntur,
Quanta rates levitas pacata per æquora vectat.
Miratur Baleæ Populus candentia vela,
Et defixa tenens in classem torva tyrannus
Lumina, dat lachrymas magno cogente dolore.
Inde metum reprimens quotquot rexisse putatur
Permixti sexus educit ab urbe catervas,
Ut latè visus venientes terreat hostes.
Totque licèt turmas sparsas per rura viderent
Audaces quorum commoverat insula mentes,
Haud trepidare valent, quos spes præclara fovebat.
Pinea sylva fuit quà lata patebat arena,
A muris Baleæ seu per sex millia distans,
Ex qua parte suo Titan petit æthera curru,
Cui palus & Pontus geminum arguit unda recessum
Ortus, & Occasus: nemoralia rura petenti
Tutum dant aditum, loca Ramora commemorantur,
Sive Forenna quidem, plures dixere Catinos.
Hîc ubi plana citæ tenuerunt æquora proræ,
Educunt properanter equos, properantiùs arma
Sumit, & ignotæ lustrat loca cernua terræ
Bellator Populus, quem justior ira movebat.
Qui sibi commissas aliquas habuere cohortes,
Dispositas ipsas sectari signa jubebant.
Post hæc Regis eques rarus progressus ab urbe,
Jam castris positum vidit de collibus agmen,
Quem Pisanorum rapidus comitatus equestris
Ipsum dulcis aquæ fugat usque secutus arenas,
Qui torrens Luidis solet in regione vocari.
Nox redit: excubias faciunt vigilantia castra,
Eximiamque satis fulgentia sydera noctem,
Reddunt, signa Polus demonstrat nocte sub illa:
Stella cadens divisa comas per mille videtur,
Dispersum Baleæ signat divisio Regnum.
Ad Baleam, clamat Populus, nos sidus ad illam
Crinitum properare monet, properare, potenter
Est superare datum nobis Balearica Regna;
Syderis in Baleam radios cecidisse videtis.
Lux rediens fuerat, qua Sancti Bartholomæi
Festa celebrabat lati devotio Mundi,
Purpureus Titan radiis fulgebat, & aura
Nulla fuit, quasi lac placidi maris unda jacebat,
Admonet Alphæus ductor, rectorque Pyrenes
Ordinibus factis aliquantùm castra movere:
Quemque sequi sua signa monet, sit promptus in armis
Qui cupit alterius, dixit, conquirere fines.
Paruit haud monitis istis avidissima belli
Gens, & torrentis modò dicti transiit oras
Classis, & ad campos vicinos mœnibus urbis
Pleniùs egressæ fixerunt castra cohortes.

Explicit Liber Quartus.

INCIPIT LIBER QUINTUS.

Spectabant acies avidæ certamina Martis,
Unde suum quisquis pugnans concurrat in hostem.
Barbaricus campus Mauris, dirisque Nigellis
Densus erat, clypeos alii tenuere rotundos,
Pars adoperta fuit captis Latialibus armis,
Tunc cùm Pisanas quondam piratica cepit
Turba rates, monstratq; suos gens torva vigores.
Hinc tunc procedens natus Bellonius Ugo
Mauretusque simul, gyro rapiuntur equestri,
Pri-

Primaque Maurorum cuneos ad bella lacessunt.
Hinc Bisoctoni Pisana gente creati
Heroës comitis sectantes signa Lemanni
Hostibus incurrunt mediis, densasque catervas
Sternere non cessant, Libycorum more Leonum;
Dant quibus introitum Baleares protinus alæ,
Et circumfuso velociter agmine claudunt,
Ac retinere putant, quos spes satis improba fallit.
Ipsa pericla parant animos, viresque ministrant
His quibus internæ torquent præcordia curæ.
Sternunt quique suum perimuntque sagaciter hostem,
Et quacunque ruunt, campus patet amplior ipsis
Et veluti Rhodii sternunt perimuntque volucres,
Quando relucenti scindentes aëra penna
Aggrediuntur aves, laniantque patentibus arvis;
Sanguinea pariter miles Pisanus in hasta
Viribus infractis Baleæ terit acriter agmen,
Et redit illæsus cunctis mirantibus actum.
Post hæc in geminas Baleæ milesque pedesque
Dividitur partes: campos alii tenuere:
At juxta fluctus quidam venere marinos,
Oppositumque petunt Pisanum durius agmen,
Erectisque premunt rarissima cornua signis.
Alphææ cedunt sed lentis passibus alæ,
Et contra posito nunquam flectuntur ab hoste.
Ex Arelatensi numero Guilielmus ad ista
Prælia Bernardus Mildace Daneta creatum
Sternit, & in strati dimissa cuspide ventre
Aggreditur, Mauri socium de cæde reportant.
Tunc vexilla gerens Pisanæ signifer urbis
Valandus cuneos in campum ducit apertum.
Hinc Ildebrandus Sanctæ vexilla Mariæ
Consul habens dextra sævos incurrit in hostes.
Sedis Apostolicæ vexillum detulit Atho,
Et diras petiit violento milite turmas.
Hos dum Pisani belli fervore sequuntur,
Inter condensos rapiuntur protinus hostes,
Inde Pyreneæ gentis generosa potestas
Clara sequebatur, cujus vexilla cohortis
Pulverulenta petunt galeato milite rura.
Hujus signa Ducis Gerardi cura Lemanni
Gestat, & ad lævam procedunt agmina portam,
Quæ patet ad claram surgentis lampada solis,
Ac salsæ vicina magis cognoscitur undæ.
Hancque senex aciem sequitur comes Ampuriensis,
Cui satis extiterat rector Balearis amicus,
Et subiit pugnam vallatus milite forti.
Procedunt acies, & vi certatur utrimque.
Eminus obstantes decertant Ismaëlitæ.
Hi jaciunt lapides, jaculis pars appetit hostem,
Telorum tegitur tenebrosis nubibus aër.
Hinc diræ veniunt in equos, hominesque sagittæ,
Mars furit, & magnis resonat clamoribus æther.
Tunc Latiæ turmæ mortis terrore remoto
Incurrunt Mauris, & pugnæ cominus instant.
Exeritur gladius, cessatque volatile ferrum,
Terra cruore madens morientū substat acervis,
Toto mixta sonant gemitus certamina campo.
Ugo Parlasii tectis nutritus & ortus
Aurea quæ gessit quatiens venabula dextra
Pugnantis contra per pectora misit Alantis.
Ille cadit properanter equo, fusoque cruore
Tartareas flatum citiùs transmittit ad umbras.
Occurrens Cytharon casu commotus amici
Ugonis penetrat durata cuspide scutum.
Ille quòd hasta brevis contingere non valet hostem,
Ense vicem reddit, pugnoque reliquit adempto.
Hunc & Perciades Dodo, Bernardusque secuti
Ferratas feriunt minitanti cuspide portas;
Utq; redire parant, duo qui redeuntibus obsunt,
Occumbunt pariter Bachimas Hispanus, & Ander.
Guttur in unius Dodo postquàm miserat hastam,
Cæde cruentatum traxit cum cuspide pannum.
Sed quod ferre potest Bernardi dextera telum
In latus Ander habes: manes ad tartara raptos
Accipiunt, stygiæque patent properantibus aulę.
Viderat urbanæ pulsantis limina portæ
Rex Baleæ.... reditum prohibere nequisse.
Quæ tutabantur Balearica robora turmas
Rebar, & hos homines, ait, & jam credo leones.
Dux Catalanensis sævum Moldonea poscens:
Primus, ait, nostris quoniam te viribus offers
Integer haud poteris nostros evadere visus.
Protinus urget equum, teneras nec flectit habenas,
Thoracem clypeumque viri, lævamq; papillam
Telo transfodiens, per dextrum præterit armum.
Ille supinus equo ruit, hastaque frangitur ictu
Aurea, sed Comitis cuspis datur altera dextræ,
Quæ vibrata feros prosterneret Ismaëlitas.
Gerardus Porion prostravit cuspide vasta,
Inque viri pectus vexillum misit & hastam.
Davidis Umberti penetravit lancea costas,
Ildeprandini Danius transfoditur hasta,
Rodulpho geniti Garsias sternitur ense,
Rolandi sævum ruit in Dareta Recuccus,
Et velut hasta fugit de dorso pellit equino;
Gerardusq; comes rector dominusq; Lemanni,
Dum furit in Mauros miles per bella probatus
Frascinea Lelaphum pugnantem perculit hasta,
Atque viri scapulas ictu penetravit eodem.
Stratus utraque ruit tanto dejectus in ictu,
Cui sonipes violentus erat, violentiùs actus
Pulvereum campum cum corpore pressit herili,
Seque regentis heri fregit labendo lacertum.
Rainerius cum Tegrino Raineria proles
In coacervatos ibat promptissimus hostes.
Sternit & hic Lephaton Tegrinus Alance creatum,
Cajetanus ibi Gerardus cuspidis ictu
Cerbereas Rachium transfixum misit ad oras,
Guiscardus Hilion lethali vulnere sternit.
Hinc Albertinus claro Bellonime natus
Per fauces medias ingentem fixit Anetem,
Atrocem Lavim venientem Guido Butensis
Excipit, & victum Stygialibus aggregat umbris.
Saucius ipse tamen graviter certamine cedit.
Ildebrandinus Julistæ filius hasta
Fundit Ilerdensem generosum stirpe Gairum.
Ingentem Gualandus agens Gualandica proles
Hastam, quam validus vibrabat uterq; lacertus,
Immanem Libycum duro resupinat in agro.
Terga Rachis penetrat Gualandi frater in ictu
Cuspidis Albertus, misso per pectora ferro.
Hasta virum fortem stravit Molsena Dodonis
Consulis, hujus equum celeri penetrante sagitta.
Gausmaro genitus fama decoratus equestri
Ugo Dianensem telo penetravit acuto,
Mortiferum fecit transfixo gutture vulnus.
Sicherius frater Gualandi perculit Idam.
Hinc Mucharellus ruit Ildebrandia proles,
Et fudit Gurion, quem Corduba misit ad arma.
Ugonis proles Albertus impulit Ermon,
Anticum Libycum Lanfredi dextra peremit,
Stravit Ilerdænum Mathildæ filius Ugo.
Inde Sapibonides campo dejecit Aristen,
Atque Sofredutius transfodit cuspide Maulam.
Popiliensis equum velocem rusticus urgens
Per lumbare Tanes hastam transmisit acerbam:
Mittit in hunc jaculū magno conamine Nelops,
Perque viri corpus lethalis lancea transit.
Acrior hic Maurum telo transfigit eodem,
Tres-

Treſque necans alios horrendum mandat ad Orcum.
Aſt ubi membra viri ſunt evacuata cruore
Felicem moriens tranſmittit ad æthera flatum.
Occubuit Garathas Rubei Guidonis in haſta,
Indiguitque ſui Cliton Suberanus amoris,
Cui latus Abbatis transjecit lancea dextrum,
Cervicemque viri mucrone reſolvit, & agri
Pulvere projectum pedibus ſubmiſit equorum.
Extincti ſocius ferventi concitus ira
Te Viviane petit violentus ob arma Galindus,
Et jugulare cupit pro morte libenter amici;
Non fugis audacem venientis militis ictum,
Præſentemq;virum properantem ſternis in haſta,
Conſortemque necis vitæ conjungis amico.
Albicione ſatus clarus Lanfrancus ob arma
Filius obſtantem Dedum feriendo peremit.
Hinc Arabis fugientis agens cum cuſpide lúbos
Compulit hunc læva ſellæ de parte labare.
Rarus eques, denſuſque pedes de parte marina
Barbaricos cuneos pugnæ ſtridore coarctat,
Pugnatemque terit ſummis conatibus hoſtem.
Alphæi pedites Domino præſtante vigorem
Hic plures faciunt enſis ſeu cuſpidis ictus.
Ictibus attritæ cùm jam tolerare nequirent
Prælia barbaricæ redeunt ad tecta phalanges,
Et firmant duro ferratas obice valvas.
Mœnibus incluſis diſcurrens undique Rector
Anxius imperitat maneant, ne, cardine clauſo,
In campum redeant, & prælia dura repoſcant,
Ac repetant duros patriis pro legibus hoſtes
Et nec deficiant, nec vinci ſe patiantur,
Proponens laudis quantum victoria præſtet,
Et quantum tribuat victoribus utilitatis,
Quantaq; cum damnis fędent opprobria victos,
Quos fugit omne decus, quos deſerit omnis honeſtas
Servitium,dolor... hinc triſtia quæq;ſequuntur;
Et lachrymans adjurat eos per delubra regni,
Ne metuant populos,quos lex Machamatis odit,
Sed ſic decertent devincere, quatenus ipſos,
Et ſub perpetuis valeant retinere catenis,
Qui ſe,nec ne ſuum cupiunt diſperdere regnum.
Hæc ait, & cunctis animos vireſque reducit.
Hortantur Proceres regem,prohibentq; timere,
Atq; mori ſpondent potiùs quàm cedere bello,
Signa capit Burabe; reſeratur dextera porta,
Proſiliunt turmæ, properant ab bella manipli.
Diſpoſitis ſignis Burabe jam ſtabat in agro;
Durus agebat alas dextræ vexilla cohortis,
In lævo cornu torvo curante Corace.
Plena dabant voces humano claſſica flatu,
Nec tuba bella movens,nec buccina defuit ulla.
Cùm ſic diſpoſitos ſanctæ videre cohortes,
Directis igitur properant in prælia ſignis,
Et dextram pariter ſatagunt invadere portam.
Denſus & innumerus fuerat qua barbarus hoſtis,
Quę quoq;Phębe tuos claros ſpectabat ad ortus.
Jam Guilielmus adeſt dominus montis Peſulani,
Qui rata ſigna dabat clara comitante caterva;
Et velox tantis ſeſe conflictibus offert.
Dux Herbonenſis de nomine dictus avito
Fulgentes acies decoratas milite forti
Præcipit ante ſuos properanter ſiſtere vultus.
Nominat ille ſuos, largos quoque ſpondet honores,
Quos videt audaces geminato robore firmat,
Signiferumque monet nullo trepidare timore,
Anteq; fraternas promptum contendere turmas.
Juxta Raymundus pugnam feſtinus adibat
Cui ſedes Arelas, cui Balcia tellus origo.
Hic Arelatenſes promptos in prælia firmans
Admonet ut nolint de poſterioribus eſſe.
Petrus ad hanc litem Groſſus non ſegniùs ibat,
Hortaturque ſuos equites poſt cuſpidis ictus
Ne ſint immemores inimicos enſe ferire.
Concurrunt partes, miſcentur utrimque manipli;
Saxa ruunt, volitant denſiſſima pila per auras,
Martia ſigna canunt, ſubeunt ad ſydera voces,
Ira, furor mixtos inter ſe concitat hoſtes,
Telorum nimbis clypei, galeæque teruntur,
Arma ſonant armis,micat ictibus horridus enſis,
Vulneribus miſſo ſatiatur ſanguine tellus,
Labentumq; tegunt extincta cadavera campos.
Henricum Milgdas poſcunt Neriuſque, ſed ejus
Prædurus clypeus jaculum propellit utrumque.
Hos validos equites Dertoſæ finibus ortos
Cum Sigonundiade Guinithone creatus utroque
Transfodiens ambos de tergis ſternit equinis,
Atque ferus Perithon ſocius necis eſſet eorum,
Subſidiatorem Baleæ quem Corduba miſit,
Cum centum ſociis Hiſpana per æquora vectum,
Ni faciendo fugam citiùs flexiſſet habenas.
Tunc Erithone ſatus Danaën, Gerardus Aronti,
Viribus inſignes proſtrarunt conſul uterque.
Diſſecat obſtantes cuneos tunc Balcius heros
Proſternens Arabem perimitque terendo Coſellum.
Beltraminus fratrem ſtravit Nilgdona Coracis,
Ugo de Landa penetravit cuſpide Tagum,
Et tulit enſe caput: poſt hæc juvenilibus actus
Viribus Umberti cadit Alcimionius Imon.
Sed Petri fratris dejecit dextra Nicalem.
Urget equum Sacriſta potens Ramundus, & haſtæ
Neliobem valido percuſſum foditat ictu,
Sonipedemque rapit pretii non vilis habendum,
Armigeroque ſuo geminatas tradit habenas.
Tunc Ildeprandus conſul dirum Niceronta
Transfodiens ferro per pectus dirigit haſtam,
Vexillumq; trahit madefactum ſanguine Mauri.
Petuma Parlaſii bello quem miſerat ora
Aggreditur Balager, grandi retro pellitur ictu
Militis Alphæi acuta percuſſus ab haſta,
Ad ſocios igitur fugiendo retorquet habenas,
Transfigit haſta Dodon Puſii vibrata lacertis.
Ocius enſe cadit, quem Gelli filius Oddo
Viribus aſſumptis ictu tranſverberat imo.
Inſignes equites Peſulani montis ad iſtos
Adveniunt ictus, Guilielmi ſigna ſequentes.
Dalmaticus caſtrenſis ibi Molphænida letho
Suppoſitum fecit per acutæ cuſpidis ictum,
Et muti vetuli... Sichardus Emonem
Petrus Amunta petens, Bernardus Amuate creatum
Projiciunt, perimuntque ſimul Froccardia proles
De villa Balei Machumata vaſta Guidelmi
Lancea tranſierit, tum Berengarius Oran
Verunæ miles perimit ſociatque gehennæ
Tu Raymunde Midan, cui præbet Eradius ortū,
Dertoſane cavas foveas penetrare Vilelmi
Cuſpide cui ſedes fuerat Pinianica tellus.
Dux Aimelricus ſpecioſis clarus in armis
Occupat obſtantes fervente vigore catervas,
Cui ferus Alcimio fatis properando ſiniſtris
Occurrit cupiens ulciſci funera nati.
Prævenit hunc Atacis ductor, nec deviat ictus;
Per pectus volat haſta tenax umbone forato,
Occidit, & moriens præmordet dentibus herbā.
Fraxinus Henrici te pectoris Atila fixit
In medio, ferrum vitalia cuncta retraxit.
Et Puſii frater Lambertus Agranta peremit,
Minolo ab Eſculea dictus Rainutius ora
Horrendum nimium fixit Ricapecora Carbea,
Inque

Inque Valentinum Glegonem Poarutius haſtam
Per ſcapulas miſit lævam feriendo papillam,
Trajectumque virum medio proſtravit in agro.
Pharion Hiſpanus Guinacelli ſternitur ictu
Dum cadit . . . ruit inter loca fugacis
Cujus Saltarus trajecerat ilia virga,
Quando duos pariter fixit jaculando nigellos.
Gerardi proles Opizo cum pube ſuorum
Invadens aciem, ſatagit proſternere Mauros.
Gaufredus Parthum, Raynerus proterit Afrum,
Conſorteſque necis fecit germanus uterque.
Marinialnus hic Bernardus Ilonea letho
Donat, transfigens cædenti cuſpide coſtas.
Cuſpide Silleti dirus proſternitur Olphes,
Guirnius Alcheon, ſternit Mauretus Edonem.
Undique diſcurrens rector Catalanicus hoſtes
Diſſipat, & ſocios hortatu divite firmans.
Ampuriæ fortes equites, & Ruſilienſes
Subſidiando duci, dant plurima funera Mauris.
At Petri Groſſi dejecerat haſta Coracem,
Cujus promptus equus multos patraverat actus;
Sed jugulare virum cùm jam mucrone paraſſet,
Currentes Mauri ſocium de cæde tulerunt.
Signifer Alphæus medios violentus in hoſtes
Currit, & exacuens fortes in bella ſodales,
Ut reliquas proſternit aves Regina volucrum,
Sic ſic hoſtiles terit inſiſtendo phalanges.
Barbarici ſtatim cunei turbantur, & inde
Converſi fugiunt, Piſani terga ſequentes
Urbanas inter propellunt agmina portas.
Innumeri capiuntur equi, capiuntur & arma,
Et fuſi per rura lacus jacuere cruoris.
Altius aſcendens Phœbus contraxerat umbras,
Ad ſua victrices redeunt tentoria turmæ.
Bellica per campos Baleæ jam facta patebant,
Extinctoſque viros fuſos ſpectare per herbam
Barbaricus populus ſimul & Piſana volebant
Agmina, legati veniebant atque redibant.
Accipitres, veſtes, privataque dona dabantur
His,quibus Ampuriæ Comes hæc tribuenda monebat.
Vendita fit pietas, tunc multum devius heros
Regi tranſmittit chartas, recipitque latenter
Hujus ſcripturas, quæ reſcribuntur ad ipſum.
Peſtifer interea dum fœdera quæreret hoſtis,
Quos divinus amor, non præda,nec ulla ſimultas,
Sed Chriſti pietas ad juſta vocaverat arma,
Captivos omnes ſub conditione volebant.
Nazacedeolus certa ſinè lege paratus
Reddere non fuerat, nexuque, ſameque coactos
Carceribus diſtentos attenuando necabat,
Ac Pharaonæos retinens in mente ſurores,
Quæ ſpondebat heri, cras inficiando vetabat:
Utque doloſa vident patres colludia Regis
Solantur populum, populus ſolamine gaudet.
Dum trutinare novos nituntur pectore ſenſus,
Mox recolitque dies, nam præterit unus & alter,
Caſtraque paulatim mutata propinquiùs extant
Mœnibus, ac creber procedit ab urbe tumultus,
Optime Dalmati, quem tu non lentus adibas;
Nam crebrò factæ pugnæ non tardus adeſse
Cerneris, in tantum pugnæ tibi ſuppetit ardor.
Ergo die quadam paucis comitantibus hoſtes
Corde volente petens, ſociis abſiſtere juſſis,
Cum geminis ſolus vadis contendere Mauris.
Viribus ergo tuis proſtratus corruit unus,
Alterius mox dextra tibi penetrabile ſcutum
Transfigit, mediam penetrat queq; lancea coxã
Qua patet, & miles non loricatus, inermis,
Stratus equo pugnare paras, ſed vulnere factus
Debilis, innumeros equites ſinè lege ruentes
Decidis excipiens, feriens te barbarus enſis
Decapitat, felix tranſmigrat ad æthera flatus:
Talia bellipotens ut concipit aure Vilelmus,
Dat lacrymas, triſteſque viri de funere queſtus
Profundit, nec ad iſta vacat,ſed clamat ad arma,
Ulciſcique necem jugulati currit amici.
Heroëm centum ſectantur ob arma micantes,
Qui promptos geſtare ſolent ad bella vigores.
Accelerat, campumque petit, ſua mœnia Mauri
Iſta meditantes properatis greſſibus intrant.
Militis acquirit, vindex modò cum nequit eſſe,
Gothica turba caput. Mutato denique Mauro
Ante diem Domini ſemper quæ proxima fulget
Lux rediit, qua tempus erat ſinè turbine clarum,
Jamque ſui curſus nonam perfecerat horam
Phœbus, cùm fortes redeunt ad prælia Mauri,
Chriſticolaſque putant ad caſtra requirere tantũ
In numero fidorum equitum peditumq; potentes;
At cauti pedites currunt lætanter ad arma
Piſani, viſoſque petunt non ſegniter hoſtes.
Spicula, tela ſimul, lapideſque venire per agros,
Et pluviæ ritu poteras ſpectare ſagittas.
Pugnæ ſævit amor, Piſanis robur abundat,
Dumque ferunt ictus, dum totis viribus inſtant,
Iſmaëlitarum cuneos in mœnia mittunt,
Et certant ſummum robur proſternere valli.
Calcatos equites ſubeuntes limina portæ
Transfodiunt, & equos fortes durantibus haſtis,
Summaque projiciunt murorum, nec ſecus ipſas
Concutiunt portas, funduntque viriliter hoſtes.
Denique conſpiciunt geminæ fundamina foſſæ
Mirantes muros, & defenſacula circum
(Diſcrepat à viſu quicquid pervênit ad aures)
Urbis, multorum ſubit in præcordia terror.
Diffidunt igitur multi, tremulumque revolvunt
Ore ſilente caput, tanto pro robore fortes
Ipſi deſperant urbem ſuperare potentem.
Tres fuerant urbes, unum quæ nomen habebant.
Sed diverſa tamen ſi nomina quæris earum,
Nomine diverſo poteris quamcunque notare.
Arabathalgidit murus fabricatus ab ipſa
Incipiens urbis corpus circumdat, & undas
Æquoris attingens: mare juxta volvitur illuc,
Quò denſat celſas urbs Elmodenia turres.
Dividit has murus, circumdatur una duabus,
Quas circum decies cubitorum millia cingunt.
Hoc numero demptis ter ternis atque duobus
In numero certo turres ſunt forte volenti
Quatuor & decies ſeptem centumque notandæ.
Hæ tres una queunt urbs famoſiſſima dici.
Eſt commune tribus poſitum Majorica nomen,
Inter quas etiam torrens placidiſſimus ivit,
Et per quinque queunt torrentis viſcera pontes
Tranſiri, liquidæ cùm plus fluit impetus undæ,
Ezechinque vocant: quæ pleniùs affluit amnem
Dicitur Enelamur prædućta canalibus unda,
Quæ potanda viris dulces dabat omnibus hauſtus
Indigenis populis; & ob auctas fortiter artes
Mœnia tuta forent, ſi contemnenda malorum
Tam ſceleratorum Deus agmina vellet amare.
In populi numero non debet fidere quiſquam,
Qui Dominum contra ſublimes erigit arces.
Hincque Boabitas rector Balearis ad arma,
Et Getulos,Arabes, Parthos, Libycoſq;Medoſq;
Nec non Hiſpanos multo conduxerat auro,
Et dedit immenſum, non intentata relinquens
Per quæ tota dari patriæ ſolatia poſſent.
Ergo pugnantum tractare viriliter arma
Qui poterant, ſibi ſexaginta millia, vel plus
Eſt; equites perhibentur ei ter mille fuiſſe,
Et centena dabat prægrandes machina moles;
Mille quater ductus numerus fuit arcitenentum,
Figere qui poterant miſſis loca certa ſagittis.
Fundibulatorum præ multitudine certus
Non fuerat numerus, ſic nec lapides jacientum.

Explicit Liber Quintus.

IN-

INCIPIT LIBER SEXTUS.

NOscunt tãta Patres citò robora nõ superari;
Hortantur socios, & contra robora robur
Accelerare parant, naves priùs esse trahendas
Constituunt, & perficiunt hæc jussa libenter
Agmina cuncta: solum tractæ tenuere carinæ.
Inde duces Latii viciniùs addere castra
Festinando jubent, jussis paretur eorum.
Præsulis hospitium Petri de parte marina,
Non humilis, non alta nimis domus affuit, unde
Sæpiùs incœptum bellum spectare valebat.
Signoretus eam stridentibus inde Pyrenis
Ingressus tenuit prompta bonitate Sacerdos,
Hinc Vicedonne tuos armis,Gratiane,potentes,
Hinc quicumque manu pedibusve paratior esset,
Et crebros ictus tecum aspiciebat Obertus.
Juxta Pontificis tectum tentoria patrum,
Ut citiùs veniant ad eum, cùm sæpe vocentur.
Nobilitatis honor non longè densus habebat
Hospitium; fortes steterunt à fronte catervæ
Pisani populi, qui vitam duxit in armis
Totam, perpetuos solitus tolerare labores.
Huic non algor erat, non formidabilis æstus;
Hunc nõ grãdo ferox, nõ nix,imberq;movebant,
Hostes, & muros violentiùs aggredientem.
Hæc erat ingeniis spectanda juventus & armis,
Ingluviem ventris nimiamque perosa quietem,
Noverat & brevibus submittere lumina somnis.
Ast equitũ robusta manus nõ sparsa per agmen,
Sed juxta lævam fixit tentoria portam.
Talis ab æquorea facie porrectus utramque
Observat portam populus Catalanicus heros.
Illius in medio murus tutissimus extat,
Namque vigor Latius dextra lævaque sedebat,
Hospitiumque ducis retro vallabat, & ante.
Stat post Pisanos Cardunæ rector, & illinc
Plurima post illum quæ misit Gothica tellus
Agmina,quę prędas potiùs quàm bella gerebant.
Ante duces reliquos sibi fecit castra Guidelmus,
Et dextra vicina magìs quàm cætera portæ,
Juxta quem pariter sua cepit Balcius heros;
Atque Herbonensis domini post ista steterunt
Fulgentes acies, quas juxta Rusilienses:
Ampuriæ rector post omnes castra tenebat,
Et vallatus erat sola de gente suorum.
Hi silvas & rura petunt, armentaque multa
Direptosque greges, & quicquid germinat arvũ,
Ad socias acies, converso tramite ducunt.
Lignea tecta trahunt, paleas ubi comperiuntur,
Arboreasque simul vulsas cum stipite frondes
Gothorum pedites, vel quos Provincia misit
Mercibus ablatis discurrunt agmine toto,
Et venale facit quicquid dabat insula vulgo.
Pisani summis arcent conatibus hostes,
Hique colendorum patrum præcepta secuti
Ædificant geminas superantes omnia turres,
Mœnia de lignis, vulgo castella vocantur.
Altum surgit opus, sublimia culmina quarum
Aërias subeunt summis cum nubibus auras,
Offenduntque satìs ducentes frigora ventos,
Astutusque magìs nil fecit Dædalus arte.
Vimineæ crates ductæ de rure propinquo,
Multaque terga boum lateralia quæq; tegebant.
Suppositis igitur postquam residere paratis,
Impulsi graviter celeri molimine currunt.
Ut nubes quas fortè Notus violentior auctas,
Imbribus ad cœlum pluvioso turbine venit,
Quarum rura pedes cœlos agitare cacumen,
Sæpiùs aspiciens, qua currere quippe videntur.
Adstantes igitur multi mirantur euntes,
Qui similes numquam potuerunt viribus arces
Subdere, mox gemina subeunt testudine muros;
Et dum Martis erat creber, variusque tumultus,
Sæpe Moabitæ violenti mœnibus urbis
Egrediebantur: trahit impetus egredientes,
Casus,& hos potiùs, quàm bellicus instruit ordo.
Utque Robertus eos audaci strenuitate
Motus vidit, ait, pro se certantibus auctor
Est Deus, & robur pro se pugnantibus auget.
Dixerat, & plures solus properavit in hostes,
Et partitur eos, simul & fugientibus instans
Inter murales aditum pugnando reclusit.
Corruit hujus equus fovea, proh casus iniquus!
Protinus è sella se compulit ire regentem,
Hic clypeo, jaculoque priùs, mucrone deinceps
Pugnat, & Hectoreo decertans robore consul!
Sustinet innumeros damnosis jactibus ictus
In se collatos, nudo quoque fortiter ense
Dimicat, & solus multorum robora sentit;
Dumq; pluunt lapides, & tela cadunt super illũ,
En lævam super cita figitur hasta papillam.
Non clypeus, non obstiterat lorica ruentem
Incarnare virum, facilem dimiserat hastam:
Accelerant raptumq;ferunt de Marte propinqui,
Jam castella super defossi robora valli,
Implebant latas gemina testudine fossas,
Erigit antennam Balearis in arbore cura,
Castellis etiam quæ cernitur esse duobus
Altior, in summo cujus bellator habebat
Excelsum tutumque locum, velamina parvis
Plurima sublimem septenaque terga tenebant.
Qualiter excelsæ spatiosa per æquora naves,
Sæpiùs ire solent piratica bella timentes.
Loricam tutam retinet, clypeumque rotundum,
Et protectus erat cristata casside vertex,
Per triplices funes antennæ callidus usus
Vesanum Mantum vacuas porrexit in auras,
Inque subiectas turres projicere cautes,
Et lapidare viros, & mittere tela valebat.
Ardet in antennam pugnantum fortiter astus,
Atque duos funes cum falce recidit acuta,
Tertius antennam retinebat in aëre funis,
Pertimuit Maurus ne falx si cæderet illum,
Invitus rueret, vel protraheretur ab unco.
Ergo velut moles de summis eruta saxis,
Per funem labens, dedit intra mœnia saltum.
Grandia labentis senserunt pondera palmæ.
Christicolę gaudent,alacres dant agmina plausus
Admirata virum per inanes currere ventos.
Nutabant turres Baleæ, murique cadebant,
Quos fodiebat ovans toto molimine fossor,
Cui per quemq; diem fulvum numisma dabatur.
Hos aries duplex de testudinibus actus
Et de castellis ictu graviore petebant.
E quibus artifices mittunt super ardua pontes
Mœnia,cùmque volunt, turres invadere possunt.
Per quadragenos passus & apertus & amplus
Introitus fuerat, centum fecere cohortes.
Cardinibus Boso de primis taliter unus
Inquit,& hęc monuit,monitis & verba notantur:
Qui fines patrios, qui deseruere parentes,
Uxores, natos, & quicquid dulce videtur
Sensibus humanis, vos pro pietate fuistis.
Si pietatis amor vos cum mercede vocavit
Cur pietatis honor non contra viscera fortes
Impietatis habet? Baleæ spectate Leonem
Qui male tractat oves, & Christi dissipat agnos.
Spectat ab excelsis muris molimina nostra;
Incassum factas turres quoque credit & arces,
Et nos, & pariter subsannat cunctipotentem
Agminis auctorem, qui se se prætulit hujus
Ut vos informet: vos Ægyptum spoliate.
En Pharaonæis fratres servire catenis
Cernitis, ultrices fragant hæc impia dextræ
Tar-

Tartara, de pœnis fratresquè trahantur eorum,
Sitque beatus homo, qui pro conflictibus istis
Occumbet, pœnas nequeat sentire gehennæ;
Non aliquis dæmon de crimine sive reatu
Audeat ante Deum sibi conflictum generare.
Gaudia dentur ei, quæ fini subdita non sunt,
Quæ servare solet, vel quæ præbere beatis
Splendor Sanctorum, pia lux, & gloria Jesus.
Non dubitent hi quos fuerit regina polorum
Cum Nato comitata suo pugnare; Deus nam
Qui pia causa fuit, pro qua vos arma tulistis,
Adjutor fiet vobis, terrebit & hostes,
Et conculcabit divina potentia vestros.
Hæc ad certamen vos spes invitet euntes,
Signifer & Michaël vobis præcedat, agatque
Cum sociis hæc bella suis Baptista Joannes,
Et Patriarcharum chorus arduus, atq; Prophetæ.
Ne trepidate: duces vobis in prælia fient
Ecclesiæ Petrus cum Paulo tuta columna,
Necnon Matthæus, Lucas, Marcusque, Joannes,
Et reliqui vestræ facient solatia pugnæ,
Auxiliumque dabit vobis certè Protomartyr
Cum sociis Stephanus, Silvester cum Nicolao,
Virgineusque chorus vobis succurret, opemque
Agmina sancta dabunt, hanc spē retinete fidelē.
Dixerat, & lachrymæ fluxere per ora loquentis
Ex oculis. Deflent quia cernunt agmina flentem,
Quæ votis pariter promittunt prælia totis.
Denique castra petunt, cū jam subit ęquora Titā.
Nox abit, auroræ Phœbus de parte resurgit.
Bellica signa sonant, toto properatque vigore
Urbis ad introitum Pisanum robur, & omnes
Gothorum populi, vel quos Provincia misit.
Intus Agareni perstant, valloque supersunt.
Densa ruinosas jacit undique machina moles.
Pisanæ bellant acies, aditque resistunt.
Urbanas inter summis cum viribus ædes
Hostiles pellunt pugnantes fortiter alas.
Post pedites equites veniunt sed duriùs instant.
Difficilis congressus equis, reditus nimis asper
Cùm remeare volunt; miles Balearis ubique
Cogit ad arma suos, vires adhibet, reficitque.
Alphæi litem telis gladiisque gerentes,
Obstantes cohibent collatis viribus hostes.
Telorum super hos nimbi, lapidesque ruentes
Adveniunt, vallique terunt in margine ductos.
Vertere terga parant, retro flectuntur habenæ,
Quas Baleæ faciunt nimium properare vigores.
Sed Pisana cohors per plurima vulnera lapsa
In sua castra redit, muri munimina linquens.
Turres quàm citiùs Baleares inde phalanges
Lætanter plaudendo petunt, & tympana lætis
Ictibus incipiunt ob gaudia summa ferire,
In quibus & Furiæ poterant, Bacchusque notari.
Tollunt astra diem; non præterit ira, dolorque.
Ut redit altera lux, certatim mœnia poscunt
Pisani cunei, quibus hæc sunt jurgia curæ,
Amplaque dupliciter via fit, tentatur, & intus
Cunctorum parat ire vigor: cùm Phœbus agebat
In sublime suam progressus ab æquore lucem
Per factos aditus patulam pedes intrat in urbem,
Inque resistentem turbam non leniter actus
Barbaricis cuneis terrorem mortis agebat.
Ast equiti nimis arctus erat pro margine trames.
Invitant pedites equites intrare, reductis
Qui convertuntur contra tentoria frænis,
Quos vulnus trepidare facit, seu funus equorum.
Tunc equitum cernens intrinseca turba pavorem
A fractis muris collapso robore cessat.
Ista Moabitæ cernunt, animisque resumptis
Per cunctas veniunt equites peditesque plateas.
Dat tergum Pisana manus, quæ mœnia dudum
Invasisse datur, clypeisque extemplo relictis

Diffugiunt plures; remanet Raynerus ibidem
Qui Male-commentum cognomento vocitatur:
Quem socii postquam fugientes deseruere,
Inter Agarenos nudo mucrone cucurrit.
At quoties fecere locum fugiisse valeret,
Si fuga tuta foret; gladio stetit ille minaci,
Et quemcunque super violentia concidit hujus
Cerbereos rictus, & tartara nigra petivit,
Vel sinè lethali dum vixerit ille dolore
Non erit; hunc solum jussu petiere Coracis,
Et circumseptum jaculis fixere cohortes.
Occubuit postquam sibi vulnera mille fuerunt,
Exanimique viro post vulnera tanta jacenti
Ablatum caput est: petiit pia sydera flatus.
Ira patres populumq; tenet, sociosq; peremptos,
Ægrotosque simul multa pietate requirunt.
Agmina nam postquam latices, nō vina bibebāt,
Conciderant morbis; mutatio nempe ciborum
Laxatos ventres in multa pericula traxit.
Inde manus non parva malis oppressa cadebat.
Innumeris igitur multi cecidere potentum,
Qui titulis claris caput in sublime gerebant,
Et plures, quibus æqua stetit cum funere fama.
Jamque viam tumuli pariter cum rure tegebant,
Nobiliumque simul positas in littore capsas
In reliquisque locis aliquis spectare valebat.
Inter tot lacrymas natorum sive parentum,
Tot licèt ac tantos ferat inclyta turba dolores,
Non tamen à pugna cessat, reliquoque labore.
Decernunt pugnare patres, iterumque resumptis
Viribus audaces animant in bella catervas.
Dumq; diem Domini celebrarēt secula cuncta,
Bertraminus Mauros petiit per prælia clarus,
Cujus opes Arelate nitent, & origo parentum
Nobilibus titulis viget illic clara suorum.
Hic accinctus erat gladio, fundæque magister
Hostiles acies lapides jaciendo petivit.
Atque quòd egregios fecisset sæpiùs actus,
Utpote qui sese cunctis conflictibus ultro
Obtulerat, cuneos nihilum, modicumve timebat
Adversos hostis, qui muris stabat in altis.
Sæpe velut volucer, quem grādinis appetit ictus,
Post frondem foliumve caput velociter abdens
Projectos lapides vitabat tegmine quoquo.
Hinc Balearis in hunc tectus septemplice tergo
Intrepidus juvenum quidam properantiùs ibat.
Hic igitur clypeum peditis post se venientis
Accipiens, hostemque sequens in mœnia, sævos
Provocat ad bellum Mauros de margine valli.
Tunc Parthus, cui prompta satis mens, promptior arcus,
Atq; sagitta fuit, postquam contenderat arcum,
Transfodit fauces; penetravit missile guttur.
Audacem mors atra virum de nobilitate
Tollit, quem socii deflent, cælique coronant.
Rore carebat humus Phœbi præstante calore,
Jam matutinis algoribus attenuatis,
Cùm turmæ dapibus sumptis bacchique liquore
In Baleæ muros promptis non segniter ibant
Gressibus, atq; tubæ plusquam vicina replerant
Cantibus, inque suis acies equitum peditumque
Ordinibus steterant, hastis vexilla micabant.
Signiferi ducunt acies, at clamor euntes
Concitat, & patulos invadunt agmina muros.
Concurrunt hostes contra molimine toto,
Alphæosque petunt, & quàm robustiùs instant:
Saxa ruunt, & tela pluunt, & spicula ritu
Grandinis instantes populos utrinque petitos
Concutiunt prorsus, sternuntq; teruntque, premuntque.
Vimineas crates moles lacerare videntur.
Vulneribusque ruunt alii, moriuntur utrimque
Multi, conspicitur sanguis perfusus ubique.

Jam remeare parant fessæ per bella catervæ,
Difficilemq; nimis nequeunt plus ferre laborem.
Signifer Alphæus prompto per bella vigore
Discurrit, reficitque suas hortando cohortes.
Adveniens super hunc magno cū turbine saxum
Vexillum lanians, hastam, lævumque lacertum
Comminuit; de mortis eum rapuere periclis
Quamceleres socii: cura subiere medentum,
Nempe Boni proles Petrus Gerardus, & Ugo
Ipsum Pæoniis curarunt protinus herbis.
Casibus hîc variis discrimina Martis aguntur.
Occumbunt plures, redeunt sinè vulnere nulli.
Qualis ab Idæis populus remeabat Achivus
Mœnibus, & quales fuerant per prælia Troës,
Dum bonus incolumes Hector Priamusque manebant.
Protinus à pugna redeunt, sed barbara turba
Funeribus variis plures habuisse querelas
Creditur, & multò plures habuisse dolores.
Cura patres Latios non parva, dolorque premebant,
Quòd bene pugnatum sibi nullos attulit usus;
Nam perfecta suis nec erat victoria dextris.
Hostis bella magis quàm curam pacis agebat;
Et Comes Ampuriæ, nec non Catalanicus heros
Ad patrios remeare lares properando petebant.
Causa recedendi quænam, vel qualiter esset,
Nuntia charta fuit Baleam transmissa Diana.
Illa Moabitam molitum prælia regem,
Et vastata satìs narraverat optima terræ,
Omnibus inq; locis Mauros referebat & ignem:
Rura, domos, segetes, fructus pariter populatos
Post multum damni quod gens vesana peregit,
Et Tramaricam captam dixere lituræ.
Fidus erat Comiti qui chartam duxerat istam;
Et tamē hæc fuerant aliter quàm fama tulisset:
Nempe Pyrenæam pervenerat hostis ad urbem,
Et sita Judæo fixit tentoria colle.
Urgelli Comitem, Comitem quoque Sardiniæq;
Dicunt,& reliquos regionis ab usque Girunda
Electos equites, quibus adsunt prælia, ductos
Agmine collecto crudeles Ismaëlitas
Mirando pepulisse modo. Domino faciente,
Innumeras acies pauci pugnando fugarunt,
Inque fugam versi multi cecidere, venirent
Ad supradicti donec deserta Salodi.
Captos constat equos plures,prędamq;potentem
Eripuisse ferunt equites, peditesque Pyrenes,
Nec Tramaricam captam, ceu dixerat ille.
Damna quidem fuerant, sed commoda plura fuerunt.
Hanc Comitis causam,qua posceret ille recessus
Diximus: ad reliquos nos ordo convocat actus.
At Comitem patres miti monuere relatu,
Ut desistat ab his: communia pacta per ipsum
Intemerata rogant & juramenta manere.
Ille licèt causam, quam Patres dicere veram
Noverat, à lucro sese non subtrahit, & mox
Pacta reformantur, terræ jactura Pyrenæ
Ut reparata foret, dictis statuere supremis.
Condere tecta patres gravidis hyemalibus apta
Temporibus, retroque jubent castella trahenda.
Incrementa parant belli, nova postulat hostis
Fœdera, fœderibus non audet credere multum,
Qui sibi tam sævos vi subdere nititur hostes.
Incustoditis etiam custodia non est
Committenda viris; juvenum laudabilis ætas,
Sed non omnis adest laudandus ob omnia sensus
Florentum juvenum, quos vinū, fercula, somnus
Fallere sæpe solent, nec possunt affore quæque
Tuta juventuti, nimium quæ diligit ista.
Ergo soporifero satiati corpora vino
Pisani juvenes testudine nocte quiescunt,

A Hi quibus hostis erat somnus depulsus ab ipsis
Noctibus innumeris Baleares edocet ergo
Ut Pisana petant nocturno tempore castra,
Et properate precor, sunt in testudine, dixit,
Quos retinere queo, teneo vinoque, quiete.
Talia dicentem Balearis turba sequuta
Nocte silente fuit, cujus custodia prima
Transierat, veniunt milleni castra petentes
Armati, piceasque ferunt cum sulfure flammas
Permixtas. Aliquis piceum præsensit odorem,
Admonet ut vigilēt, sed jam vigilare nequibant,
Quos somnus facilis titubanti texerat ala.
Auscultant quid agant hi de testudine, sternunt,
Immittuntq; focum, nihil est nisi somnus in illis,
Per tabulas flammis diffusis tecta cremantur.
B Persentit strepitus somno decepta juventus,
Accrepitante citò solvuntur somnia flamma.
Protinus arma viri capiunt, clamare potenter
Incipiunt, unà clamorem fecit & hostis,
Vocibus & summis totum circumtonat agmen.
Undique concepti moverunt castra tumultus.
In Baleæ muros populus circumfluus ibat.
Postquam cuncta rogus consumpsit, robora flammæ
Perdiderāt,Mauri vocitant sua numina, Sanctos,
Reginamque poli blasphemant crebrò Mariam.
Ut tenebris lapsis produxit ab æquore Phœbus
Luciferos radios, populi fervente querela,
Colloquii patres promptissima signa dederunt.
Omnibus ad cœtum venit de partibus agmen.
C Incipit Azo queri, sed concio tota querentem
Attendit brevibus narrantem singula dictis,
Ignavos quosdam, seu despectos vocitantem,
Et defraudantes sacramentum pietatis.
Hæc reliqui Patres, unà populus, Comitesque,
Vocibus hæc crebris,nō bisve semelve petebant.
Continuò castella trahunt retro bina, simulque
Altera bina parant velociter ædificare.
Et mox ligna rates scripserunt cuncta daturas.
Nec mora,ligna,boves,& mulus,equusq;tulerūt.
Mulus, equus, vel homo de Regnis attulit hostis
Innumerum vimen, vites, malosque, nucesque
Et glaucæ salices, si quæ poteratis in ullo
Rure recognosci, vos horum vincla fuistis.
D Quatuor aëreas castella videre per auras
Surgere Pisana dudum poteramus ab arce,
Massilia quondam Romæ violenta potestas,
Cui mare, cui tellus, & plurima regna petebant,
Ut superaret eam. Sanè non celsius ullum
Ædificavit opus Rector Balearis: ab ipsis
Nocte dieque suos nescit convertere visus
Turribus, & similes operi fecere Latini
Artifices totidem subita velociter arte,
Ac duplex aries quos crebro straverat ictu
Ædificare parant celeri molimine muros,
Inde Dianensem signatam mittit ad urbem
Rex Baleæ chartam,pontum brevis incipit armis
Scindere, terra brevi spatio, litusque petita,
Subsidium, socii simul alta Diana fuerunt.
Cœperat & populus tales audire lituras.
E Nazaredolus Balearis Rector & auctor
Regni mille suo felicia dona Buthali,
Atque Dianensi populo non parva salutis
Gaudia, velle meo vos quondam promeruissem,
Ut quorum tuto solatia vestra rogarem,
Sed tamen illa modò vobis solatia posco,
Quæ nullo regi cognosco jure neganda.
Adversantur enim cunctis communiter hostes,
Qui Machamaticū celebrandū numen adorant.
Hi leges, moresque vetant retinere paternos;
Observare monent stat cōtra dogmata quicquid,
Et vitanda docent nostri præcepta Rasullæ,
Captivosque petunt,quos latus pontus ab usque
Ocea-

Oceano servire meæ Baleæque paravit,
Cuncta petunt etiam rerum discrimine nullo
Captivis habitis, etenim sinè conditione
Poscunt, ut regni nulla mihi parte relicta
Vita contentus, regiones solus, & urbes,
Quas placet, ingrediar, vernis, sociisque relictis.
Vos modò per nostras dante Machamata leges,
Perq; meum vos oro bonum, dandumq; datumq;
Christicolis Baleę populandum credite nunquam
Cōspicuum regimen, quod vestro pollet honore,
Nam vestras replent ejus bona plurima terras.
At si non vultis nostras audire querelas,
Nec vestræ mentes sola pietate moventur,
En trado vobis, Baleæ defendite Regnum,
Ne subeant hostes vestræ præcordia terræ.
Straverunt Ebusum, Baleæ spectate quid instet:
Per menses binos jam cuncta pericula passa,
Belligeros stravere viros ad prælia fortes,
Qui superare queant rari mihi nempe supersunt.
Vires atque viros cupio per bella potentes.
En renovo muros, quos stravit plurimus hostis,
Pugnacis Baleæ turres reparantur, & arces:
Confractas reparat turres sævissimus hostis,
Nisibus & summis alias adjungere certat.
Ad mentem Regis, cujus vos nempe sub ala
Tutos non dubito pacis gaudere quiete,
Quas invitus ago per me deferte querelas:
Suscipiat Baleæ non temnendos famulatus,
Atq; tributa precor; per eum retinere coronam,
Et regimen cupio; nostrum Machamata testem,
Et data jura voco, quæ nos retinemus ab illo,
Vel juramentis, quæ certiùs addere possum,
Legatis faciam venientibus omnia vestris,
Vos modò detis opem Baleæ vestræ regioni,
Ut qui cogit eam citiùs solvatur ab hoste.
Cognita sunt postquam, quæ narrat epistola Regis,
Legatis Regis mittuntur scripta Buthalis:
Rectori Baleæ, populisque tuentibus ipsam,
Sub duce tuta suo generosa Diana salutem.
Quòd Latii vestras invaserunt regiones
Nos gravat, & certè cōmunia damna putamus,
Si Baleare bonum nostro tollatur honori.
Quod vos fortè volunt dimittere jura paterna,
Invitis nobis numquam scimus faciendum.
Christicolæ semper sunt contra dogmata nostra,
Nos propriæ legi si possent subdere vellent,
Et servire suis optarent cuncta tributis,
Gentiles populos sibi subdere quippe laborant,
Nos, & vosque simul parili discrimine servos,
Quorum, quis dubitet, si vos violentia vincat?
Nos habeamus opes, nos defendamus honores,
Et regimen Baleæ, qui misimus omnia Maroch
Scripta ferenda probo domino nostro Moabitæ,
Quæ transmisistis; qui motus quippe suorum
Dilectis precibus comitatum mittet equestrem,
Quamcitius nobis, classemq; virosq; paramus,
Ut sistamus eos tutos in littore vestro.
Signaque cùm venient factos spectabitis ignes
Montibus in vestris, vestros attendite montes.
Cymba redit Baleam, verū putat esse tyrannus
Quicquid charta refert, & multum sperat in illis
Promissis hominum: quæ mortua tergora cingunt
Cymbala pulsantur, & tympana quæq; per urbē,
Nec tuba, nec lituus devotis cessat ab istis;
Lætitiæ etenim Baleæ sunt talia ludus.
Comperit interea cur gaudia duceret ista
Barbaricus populus magnus Catalanicus heros,
Et vocat in cœtum proceres, cunctasq; cohortes,
Ac verbis terret, si terreri potuissent:
Quando Moabitas ex summo robore dicit,
In patuloque docet fugientes ducere bellum,
Nec fore pascendos nisi conducantur in arctum,
Moreq; Parthorum fugiendo ferire sequentem,
Cum solo solum gladio contendere dixit,
Atque graves faciunt ictus, si suppetit ensis,
Qui non novit eos, poterit satis ergo timere,
At nos qui variis bellis cognovimus illos,
Si venient, auctore Deo, tutè repetemus.
Sic comes. Ast Ebusum currentes mittere naves
Viginti patres communiter accelerabant,
Ac sex ex illis, quæ præcessere, per altum
Transivere fretum cursu propero venientes
Quo superest pelago de duris insula saxis:
Præbuerat portus urbs desolata Buthali,
Qui tenet auditu Latias venisse carinas,
Et cepisse duas ratium, quas duxerat ipse;
Pectore sed dubio tandem meliora revolvens,
Cogitat Alphæos quamtutos ire, nec unquam
Adventum sentire suum, sparsosque per arvum
Tendere pro præda, tutave manere quiete.
Vera revolventem, nec inanis opinio fallit.
Ergo decem ratibus reliquis consistere jussis
Hic ubi portus erat tutus vicinior urbi,
Remige quamceleri salsos invadere fluctus
Præcipit, ac portus, aditusque requirit, & ambit,
Anticipatque sinus Latios ubi noverat esse.
A somno surgunt isti pugnare parantes:
Marinianus habens triginta scilicet ex his,
Quos secum duxit, festiniùs ire parabat,
Et pugnaturum fugiturum seque putabat,
Cumq; decem ratibus robur juvenile per undas
Pugnam committit, sed vulnere Marinianus
Afficitur: dare vela parant, fugisse valeret,
Impedit hunc velū, quod tunc abeundo tetendit.
At Mauri super hunc properos fecere tumultus,
Et cepere virum pariter, sociosque, ratemque,
Debilitando priùs variis vulneribus omnes,
Tresque rates alias paucorum nomine tutas
Devictas tandem secum duxere per undas.
Plures quæ fuerant loca per longinqua remotæ,
Ad castrum veniunt, quod Rex Norguenius olim
Tradiderat flammis, cùm centū Hispana carinis
Æquora sulcabat, spolioque ex hostibus acto,
Jerusalem victor sanctas properabat ad arces.
Istud Pisani retinent villas repetentes,
Carneque viventes, siliquis, & agrestibus herbis,
Radicibus, plures etiam modicisque steterunt
Impensis, in eo discrimina plura ferentes,
Sæpeque perpingues his esca fuistis aselli,
Hosque Saraceni pugnantes crebrò petebant.
Castrum tutamen Latiis erat, hospitiumque.
Interea geminæ de sex rediere carinæ,
Amissis reliquis, prædamq; ratemque reducunt,
Quam Baleæ rector fertur misisse Dianam.
Sarcina cartarum, quam vir tellure levare
Vix posset, patribus data, legatique fuerunt.
Inter quos pariles scripturæ comperiuntur.
Nazaredolus retinens sua signa sinistris
Auspiciis, caro per cuncta valere Buthali
Scripta sibi, populoque suo transmissa recepta
Non dubito, legique suas cupiendo figuras,
Quando rates poterant fluctus sulcare secundos,
Te mea prompta fides credebat fluctibus uti,
Nec de te mea spes mentem bene nota fefellit.
Cœptum stabat iter, nobis dabat insula portus,
Quæ prior est per me subitæ subjecta ruinæ,
Gratulor audito vestro super hoste triumpho,
Acta foret tamquam propria victoria dextra.
Non tamen inde mea plenissima gaudia menti
Sunt, etenim vestros narrat mihi fama recessus,
Sæpiùs & sublimi de strue cernere flammas
Promissas cupio, sed eas spectare volenti
Si fierent prohibent mihi cum caligine nubes.
Illis iratus, citiùs discedite dico;
Non valeo per vos mea grandia vota videre.

Discedunt, totoque patet cum monte cacumen.
Prospicio, nusquam dictus viget ignis in illo.
Ignis at ille meus, qui tot tot noctibus ardet,
In sublime sua dat grandia lumina flamma.
Credere non possum vestras remanere carinas
Quin veniant, dabit ora locum, quo nempe venire
Intrepidus poteris Baleæ solatia præstans.
Si qua mei tibi cura subit dilecte fidelis,
Non regimen, portusque meos, nec munera sperne,
Hoc propter ridens mihi quatenus hoste fugato
Et victo pariter, mecum communia regna
Et commune bonum possis constanter habere.
His etiam lectis quamplurima scripta leguntur,
Quæque neci missos, & eorum nomina narrant.
Designant etiam quibus ictibus occubuerunt,
Et languore famis gentem, gladioque coactam
Velocis citiùs passuram damna ruinæ.
Interea reliquæ servantes æquora naves
Contempto patrum jussu prædamque sequutæ
Vicinas ponto villas, & castra pererrant.
His vecti Mauros sparsos per rura sequentes
Gaudebant cunei propero cohibere tumultu,
Et victos pariter præstante vigore necare.
His inerat Salomon flava de gente creatus
Cum ratibus geminis Pisanis associatus,
Viribus, & membris ingens, specieque decorus.
Hic intra quædam validi campestria castri
Collectis spoliis navem properando petebat.
Multus eques, multusque pedes contendit in ipsum,
Inque resistentem collatis viribus ivit.
Hunc Paganorum straverunt agmina postquam
A sociis homini caput abscidere relicto,
Vexillumque sibi, vitam pariterque tulerunt.
Hæc nova facta volant, dum multos omina terrent,
Appropiatque dies adventus Omnipotentis
Invictique Dei, de Virgine quando parente
Christus nostra salus carnem nascendo recepit.
Languor in urbe gravis Baleari, dura famesque
Barbaricum populum non leviter attenuarant.
Hinc præter carnes hyemanti cara fuerunt
Omnia militiæ, nec vino carius ullum.
Insula vastatur Baleæ, Rex fœdera poscit.
Fama refert comites Regi de pace loquutos
Venales factos, privataque dona rogare,
Et propter reditum Baleæ naves habituros,
Cum quibus ad patrios portus remeare valerent,
Si modò Pisani jungi sibi fœdere nollent.
Alphæis igitur Ducibus quasi relligionis
Sermones faciunt, fraternas affore curas
Pectoribus referunt, captivos esse petendos
Obsidibus sumptis citiusque rogant redeundum,
Et cunctis coram sunt talia verba loquuti.
Quod petimus rex omne facit, vos laudis honorem
Quæritis & bellum tantùm pro laude movetis
Seu pro divitiis? Vos, & Majorica vestros
Sat parvipendit tantos illæsa labores,
Creditis & cleris, qui vos pugnare jubentes
Agmina conspiciunt tot jam fluctantia campo.
Bella videre volunt, gaudent de sanguine nostro,
Quorum doctrinam, monitus, & jussa refutent
Hi, qui victores cupiunt ex marte reverti.
Nos igitur nullus jubeat pugnare sacerdos.
Quàm cædat mucro nescit, quàm lancea pungat:
Incipiat, faciat, qui diligit ista jubere.
Dicta quidem à factis multum distare videntur.
Nos qui sentimus crebrosque rependimus ictus,
Arbitrio pugnare decet, non jussibus horum.
Contra justitiam justè committere pugnam
Nemo potest, justi justam cognoscite causam.
Sunt pro captivis qui se venisse fatentur,
Sed pro mundano nimis altercantur honore.
Captivis habitis aliud linquatur, & ultra
Nec laus orbis, honor, nec inanis pompa, petantur.
Sex vexilla super pateant communia turres.
His habitis majora quidem quicumque requirit
Aspicit haud recto Balearica mœnia visu.
Adde Moabitas quos expectare feruntur,
Qui quantum gladiis, & quantũ cuspide possunt,
Quippe viri Martis, docuit vos bellicus usus.
Si veniant ergo prædam de rure feretis?
Felices sanè nimium si castra tenere
Vos quoque tutari promptè valeatis ab ipsis;
Spes prædæ nec erit. Qua gens in lege valebis
Vivere, vitalis quando tibi decidet usus:
Indubitanter equis, nobisque cibaria desunt.
Nec tam prolixa magìs est ambage morandum.
Dicite quapropter: si regia fœdera vultis,
Et facitis, patrias unà tendamus ad ædes;
Sive refutatis vos, incunctanter abimus.
His respondere occurrunt Henricus, & Azo.
Quisquis ad has partes aliud fortasse requirat,
Nos pro captivis ad eas venisse fatemur,
Non ob eos tantùm quos detinet insula captos,
Ast ob eos etiam quos defensare fuisset.
Extirpare malum, domino faciente, putamus,
Nec volumus post nos tantum remanere barathrum.
Non quia Pisani plures teneantur ab ejus
Pestiferis vinclis, plures de nomine vestro
Perpetuis pœnis hostilis turba trucidat,
Nobis vestra fides, socialia fœdera spondens
Sub juramento sese conjunxit, & ultra
Quàm juravistis non obsecrare nequimus.
Non timor hoc faciet jusjurandum revocari,
Velleque pro nostro nos non revocabimus unquam.
Facta semel justè stat turpe resolvere sæpe.
Paremus Clericis, quia venit ab ordine sacro
Jussio pugnandi, nam jussit prælia Papa
Sedis Apostolicæ, cujus præcepta sequuti
Tantum propositum nusquam mutare valemus.
Ne discedatis non fecimus, haud faciemus.
Hic neque discessus vobis videatur honestus,
Si desunt vestes, desuntque cibaria vobis,
Vobis, & vestris quod convenit omne paramus.
Auditis Comites his verbis conticuerunt,
A patribus sumptus qui largos sæpe petentes
In proprios usus communia quæque trahebant.
Gothorum procerum postquam siluere furores
A pelago redeunt custodia publica proræ,
Allatis scriptis Baleam quæ cymba ferebat,
Inter quæ fuerat memorati charta Buthalis.
Impensas multas ab amico nomine factas
Commemorando refert, curet persolvere quicquid
Pro se largiri rex obsecraret amicum.
Subsidium reliquum si quod jubet ille parari
Immensos sumptus festinus mittere curet,
Venturum sese maturè præmonet ante
Quàm geminare queat binaria cornua luna.
At Pisana manus solitas non deserit artes,
Quæ sibi proficiant festinans ædificare.
Providus obsessam Narolus legatus in urbem
Progreditur regi parili sermone loquutus.
Jussio Pisarum, rex, nullis territa factis
Ad te me jussit concordi voce venire.
Huc missus Patribus sociisque faventibus adsum,
Inque meo sensu posuerunt publica facta.
Prospice quod docti debent ad cuncta videre,
Et regimen retinere tuum cum pace labora,

Non

Non quia Pisani multùm tua fœdera curent,
Aut sinè perfectis Baleæ remeare triumphis
Optent, ista tuæ sunt constantissima menti
Verba, nec obtuso memorabis singula sensu.
Quicquid dico notans, tibi jam perpende quid instet,
Es sapiens habitus, proprio sic consule regno,
Ut valeas salvos tibi conservare fideles.
Dixerat, & regis recipit mitissima verba:
Thesauros cunctos, spolium promittit & urbis,
Velleque pro Sancto Petro se regna tenere,
Et pro Pisanis patulo sermone fatetur.
Hincque citò sese spondet responsa daturum.
Inde redit Narolus, Pisanæ verba cohortes
Accipiunt, & amant pacem, laudantque, voluntque.
Obsidibus post hæc quæsitis pacta secundùm
Nobilium natis, mutavit verba tyrannus.
Nam legis non esse suæ præbere tributa
Christicolis dixit, vel ab his regimen retinere,
Firmat & hæc veterum consulta fuisse suorum:
Albitione fati veterem miratus amorem,
Absque sui culpa, vitioque fuisse remotum
A se scire virum, cupidèque videre precatur.
Hic regem quæsitus adit, secumque nepotem
Ducit, & alterno regi convinctus amore
Admonet ut populi Pisani compleat omnem
Ipse voluntatem: rex spondet, nec sinè fraude.
Interea Pisana super pia lumina flectens
Astripotens rector respexit ab æthere castra,
Et quæ languerunt, mox convaluere cohortes.
Sed requies est nulla viris; in luce labores,
Nocte repentino ferventia castra tumultu
Crebro sollicitant stridentes Ismaëlitæ,
Cùmque die quadam nonæ succederet horæ
Oceanique maris peteret confinia Titan,
Stat vice qui Comitum campum petit inclytus Ugo
Cui Tempexedes comites sunt atque Recuccus.
Inter condensos cuneos memorabilis heros
Signiferum petiit jaculi penetrabile ferrum
Pectore subnixum fixit tellure ruentem.
Hinc Libycus quidam ruit ictu stratus ab ejus,
Ferrum gleba tenet prætentaque frangitur hasta.
At pedes heroëm Maurus jaculando requirit
Atque frementis equi transfigit viscera ferro.
Iratus jugulare parat Mavortius Ugo
Barbaricum juvenem, medios quoque currit in hostes.
Debilitatus equus tenera cùm consedit herba
Infremit, & Mauros ardenti lumine spectans
Pugnat, & ense ferit, se circumquaque petentes
Multorumque simul conflictus excipit unus,
Cui dum subveniunt Perlasius Ugo, Dodoque
Dat properanter equum bene promptus ad arma Recuccus.
Jussa Patres renovant, hoc nam prædantibus addunt,
Ut non desistant regionis tecta cremare
Et jugulare viros, si quos reperire valerent,
Ac solidos spondent equitis de vertice quinque,
Pro jugulo peditis binos dare constituentes.
Sic Baleæ regnum gladius populatur, & ignis,
Inde viris nummi veniunt, Baleæque ruina.
Pisanos equites cunctos jugulare, simulque
Constitit in totis circumdare noctibus agmen,
Tresque cruces, noctis quibus alternare labores
Continuos possent, & se recreare quiete,
Sub tribus egregiè generosis distribuerunt.
Ergo crucis primæ curam Gualandus habebat
Gualando genitus, fuit Ildebrande secundæ
Tradita cura tibi Gotti pulcherrima proles,
Præsidet extremæ Leo clara propago Leonis.

Hi loricati sociis comitantibus ibant
Murales aditus crebro terrore petentes,
Inque die castella super facienda murari,
Ligna trahi, crates fieri properando jubebant.
Dux Catalanensis cui plurimus adfuit astus
Ad loca sive vias, per quas iter esset ad urbem,
Intentus spoliis multo cum milite stabat,
Inque Saracenos præda jugulisque potitus
Lethales studuit crebrò conferre ruinas.
Hoc & idem studium præ cunctis Balcius heros
Militiæ ducibus clarus bellator agebat,
Qui si quem prompto poterat superare vigore
Decapitabat eum, nec ei parcebat ob aurum.
Per solitos mores gelido mediante Decembri
Frigora multa dabant venti, canæque pruinæ,
Albebant Baleæ nivibus tum grandine montes.
Arctabant Mauros curæ de frigore natæ,
Nempe notabantur cum cantibus edere fletus,
Quos proferre solent vigiles super ardua curæ
Mœnia. Pisani frigus gelidasque pruinas
Et gentes aliæ lætanti corde ferebant.
Viribus at multis memorantes singula patres
Colloquiis crebris bellum properare jubebant,
Armatasque rates Ebusi misere relictis,
Cœperuntque leves pelagus sulcare carinæ.
Sed priùs à Balea puppis non magna recessit,
Quæ veniens Ebusum fines poscebat Iberos.
In rate jam dicta fuerat clarissima quædam
In patriam rediens cum parvo fœmina nato.
Sulcantem pelagus castris vidisse morati
Et latuere priùs ne conspicerentur ab ullo,
Moxque sinus adiit castello prora propinquos,
Ac prodire viri festinavere carina.
Dum loca scrutantes æquatis gressibus irent
Exiliens Pisana phalanx promptissima Mauros
Primitus obstantes jaculis gladiisque necavit,
Sed servatur ab his cum nato fœmina parvo.
Intrantes igitur navem sulcare parabant
Pontum cum totis aptabant carbasa remis.
Cùm subitò videre duas freta scindere puppes,
Neque cito cursu remis, & fluctibus usæ
Littora contigerant vicino proxima castro.
Interea Petrum Rex advocat: ille vocatus
Festinanter adit Regem, placidèque salutat,
Astutoque viro cautis sermonibus inquit:
Ut bene cognovi rector carissime verum
Sub primis verbis, conjungent fœdera tecum
Pisæ, te memorem verborum credo priorum,
Cum quibus acceleres firmã conjungere pacem,
Dum potes, & citiùs facias quodcunq; requirunt.
Sum quia Pisanus, nec ob hoc mihi credere sperne,
Consiliisque meis si tu modò credere vitas,
Adveniet tempus, quo Rex mihi credere velles,
Et dictis parere meis, si posse daretur.
At Petro Baleæ respondit talia rector:
Petre volunt omnes thesauros tollere nobis,
Nec quicquam penitùs vestri dimittere cives,
Divitiis pauci nostra ditantur in urbe.
Æs tam grande dari non est etiam leve; paucis
Ultra posse meum dare me quid vestra requirunt
Agmina, quod possum largiri quærere curent.
Captivatorum, si reddo, sufficit, agmen,
Et cum perpetuo linquant mea fœdere regna;
Unde viri vestri si non flectantur ad ista,
Inter nos & eos fiet pro velle Tonantis.
Sic ait, auditis istis discessit uterque,
Cùmque dies fluerent, festinavere paratus
Heroës Latii cogendo viriliter hostem;
Hi villas, & rura petunt, pars obsidet urbem,
Cædibus, & flammis regnum vastatur ubique.
Tunc Arelatensis lustrans loca singula rector,
Castra refutabat facta sinè strage videre,
Nem-

Nempe Saracenos truncos sinè vertice plures
Assiduus fecit, cujus sinè sanguine fuso
Non rediit mucro, nec acutæ cuspidis hasta,
Et sic Tartarei Regni per inania nigri
Compulit ire via multos inferna petentes.
Cerberus obstupuit tenebrosæ portitor aulæ,
Latratusque dedit simul atraque regna tenentem
Reddidit umbrarum pavidũ vox garrulaRegem.
Ille suo famulo: cur latras Cerbere? dixit,
Jam jam pande quid est, cur sic mea jura resolvis
Pestifero clamore tuo torvoque latratu?
Infelix tantam vocem, sonitumque repone,
Vel dicas citiùs, quæ gens mea regna subintrat,
Quis populos tantos tenebras sinè luce petentes
Sic sperare facit? pandas quoq; Cerbere causam.
Ille suo Regi triplici sic ore locutus:
O tenebrose Pater, Pisanæ robora gentis
Bella tuæ Baleæ fecisse feruntur in ora,
Si pars existis Regni Majorica nostri
Roma quidem monuit, dimisit Papa reatus
Pro captivatis Populo certare volenti,
Plurima damna facit: vos hæc tolerare potestis?
Tartara nulla timent monitis ejus morientes;
At nostros Pisana cohors, & Balcius heros,
Tartareis Regnis, & opes transmisit eorum.
Nunc veniunt multi, plures mihi crede futuri
Cùm Latiæ turmæ gladiis populantibus urbem
Intrabunt nostram, tu mox fabricare catenas,
Me suadente jube, meruit tua turba ligari,
Ne fugiat pœnas, quas jam meruisse putatur,
Quæ Baleæ Regem latè veniendo sequetur,
Secũ quippe tuis feret agmina plurima Regnis.
Dixit, & infremuit furiosus rector Averni,
Terruit & Manes querulo clamore tyrannus,
Exululant animæ misera de carne solutæ,
Voce frémente Ducis mox vallis ad ima recurrunt.
Occupat hinc languor Regem, faciente timore:
Ille dolere caput queritur, pectusque teneri.
Hinc thalamos intrare parans minuisse cruorem
Dicitur, & post hæc paucis vixisse diebus.
Ante tamen Burabe regimen cessisse putatur,
Illeque tunc patris persundens balsama corpus
Condidit, & flevit multùm posuisse sepulchro.
Cerberus hunc, postquam descendit ad antra gehennæ,
Perque tenebrosam duxit Machamatus urbem,
Stipitibus petitur, concurrunt undique Manes.
Ad me ferte meum conclamat sessor Averni,
Æacus adstiterat dextra, læva Rhadamanthus,
Et medias inter dixerunt talia flammas.
In toto genitus cui non est agmine compar
Ante tuos Baleæ Rex est acerrime vultus,
Qui fecit plures homines occumbere ferro,
Compulit & multos Christi dimittere legem,
Et quoniam nobis socios portavit amores,
Da sibi flammifera consistere semper in aula,
Condignasque suis meritis mox exhibe pœnas,
Huius æternis de flammis affore gentem,
Perpetuasque jube socios portare catenas.
Turba ferum Baleæ Regem convicta querelas
Præbuit ad varios subitò distracta dolores.
Ille tridente suo ferventes concitat ignes,
Exustumque facit tectum penetrare favillas
Equè venenosa faciens convivia carne:
Vos fidusque meus mecum discumbite, dixit.
Paruerat jussis, veniunt ad prandia Manes,
Ipsorum pedibus lapides præbentur adusti,
Exurens penitùs consumit flamma sedentes.
Primi ferventes gustus venere colubri,
Ignea qui vivi gustantum viscera torquent.
Arida convivis sitis est, sanguisque draconum,
Felle niger multo tribuit potantibus haustum.
Has epulas busso primas sectatur adustus,
Innumerusque fuit, lernæa venena, simulque
Persusum supra fortem tribuere liquorem.
Pocula succedunt variis immixta venenis.
Gustantũ postquam ferventia viscera torquent,
Spirituum rector nigrorum taliter inquit:
O mea turba meis Balearem discite Regem
Sedibus, & quoniam cunctorum viscera fervent,
Unà Tantaleas vobiscum tendat ad undas.
Sed vestrum super hoc priùs exigo cernere ludũ.
Ut lapidem Baleæ mutum consistere Regem
Conspiceres, tuleratque suos oblivio sensus,
Obstupuit, quoniam rapuit terror sibi mentem.
Convivæ tandem, post talia jussa tyranni
Exiliunt, raptumq; trahunt per mœnia Regem.
Tartara dilaniant, undis glacialibus addunt
Exustum torrem, sitis est algore soluta.
Mittitur in flammas, dolor est, algorq; calorque.
In quibus à motu senserunt viscera postquam
Pestiferam siccata sitim, properavit ad amnem;
Sed nequit accensos ob aquã removere calores.
Nam latices postquam voluit contingere labris,
Adstantem fugiunt umbram tunc margine ripæ,
Ut lapis immotus prorsus stupefactus adhæret,
Deglutit miserum variarum forma ferarum,
Sicque ferum Regem tenebrosus dissipat Orcus.

Explicit Liber Sextus.

INCIPIT LIBER SEPTIMUS.

IN solio Regni Burabe post ista levatus,
Non permansuros citiùs conscendit honores;
Usus enim Regni fuit haud sibi tempore longo.
Cui Pisanorum captivos turba requirens,
A Duce crudeli non congrua verba recepit.
Jam natalis erat, quo Christus Virgine natus,
Obscurum mundum divina luce replevit,
Dumque pii festi summi celebrantur honores,
Luxque pio populo postquam bis quarta refulsit,
Maimonem, sociosque datos novus ire Dianam
Rex jussit, fluctus intravit prora marinos.
Pisani videre ratem citiùs properantem.
Tunc festinanter puppes intrare parantes,
Sumptibus auxerunt præbentes singula patres,
Et dum fortè viris alimenta darentur, & arma,
Maimo pergit iter, sed quà trahit impetus illum
Non servando vias, illuc sua vela relaxat.
Spes erat hunc citò posse capi, si signa viderent
Qualiacunque ratis, sed ventus carbasa perflans
Luminibus puppem citiùs subtraxit eorum.
Maimo viam fecit, Latii rediere volentes
In Baleæ Regnum studiosas ponere curas,
Et dum nituntur cœptos superare labores,
Alterutro referunt: multi si viribus, aut si
Ingeniis nequeant ex hoste tenere triumphum,
Ad proprias remeare domos, ultraque morari
Sese posse negant: pro morbo sive calore
Extinctos memorant (heu) ægritudine plures,
Seu gladio socios paucos quoque vivere dicunt:
Pro Balea pariter destructas affore Pisas,
Urbe satis stultum, sinè re, sinè mente videri.
Ergo rates omnes celeri reparare laborant
Auxilio, captos nec deseruere paratus.
Interea belli Catalanicus æstuat heros
Pro studio, magnaque ducem comitante caterva,
Qua locus insidiis est, valle reponitur una.
Sol fuerat, prima radiarant omnia luce
Sarcula porta patet, de mœnibus egredientes
Per loca tuta meant solito gestamine Mauri.
At Comes in sævos audacter prosilit hostes,
Urbanam juxta committens prælia portam,
Quæ

Quæ portum spectat, qui Pineus est vocitatus.
Utque Moabitam viridi prostravit in herba,
Hasta viri dextrum de muris acta lacertum
Transiit, exultant Mauri lethale putantes
Hoc Comiti vulnus, post hæc properando per urbem
Nomina falsa ferunt Comitis de funere ficta.
Hinc reliquæ gaudent servantes mœnia turmæ,
Extinctumque canunt Comitem, jugulare minantur
Alphæos, seu perpetuis macerare catenis,
Ac pœnis variis alto clamore fatentur.
Haud secus Alphæos factos sinè Principe clamant,
Suadentes ipsis etiam, si vivere curant,
Ut properent ad eos sub deditione venire.
Pisani contra: convicia vestra, minæque
Nos sub Rege poli non cogunt ulla timere;
Venimus à patria summo sub Principe Christo.
Ob Crucis auxilium Baleæ superabimus urbem,
Qui servos Sathanæ gravibus vincire catenis,
Et gladiis nostris penitùs dabit ipse necandos,
Illæsumque, canes, Comitem scitote Pyrenum,
Et vestræ vicina satis fore tempora cladis.
Post hæc contendunt ad mœnia ducere turres,
Gens divisa locis, patres, divisaque bella,
Mox solidæ terræ fossas velociter æquant
Ligna, lapis, vegetes glebæ, projectaque moles:
In muris Mauri nec progrediuntur ab urbe.
Hinc vigor Alphæus turres ad mœnia ducit,
Assistunt acies, perfringunt agmina muros.
Interea Pisis matronæ, sive puellæ
Deponunt cultus, ac templis semper adhærent,
Vota parant,& thura ferunt celeberrima Sanctis,
Sæpeque nudatis pedibus sacra templa petentes,
Profundunt lachrymas, duræ dant oscula terræ,
Pro charis orant plenum pietate Tonantem,
Victoresque petunt, sanosque videre maritos.
Volscorum meriti Præsul Rogerius alti,
Laurigeras Pisas comites spoliare volentes
Territat,atq; minas cohibet,prohibetq;rapinam.
Per Latium totum jejunia sancta, precesque
Papa jubet fieri, monet hinc & epistola Gallos.
Annuit oranti divina potentia turbæ,
Et flentum gemitum divinas commovet aures.
Quadragena dies seclis celebranda quibusque
Virginis à partu Populis festiva redibat,
Qua pia cum nato Virgo sacra templa petivit,
Infantemque pium Simeon gestavit in ulnis:
Nox fuerat celebris festivæ proxima luci,
Accendunt Latii civilia robora flammis
Noctu, de castrisque cremant velociter unum,
Inventa nuper Danais prudentibus arte,
Quæ miranda viros ceu nusquam jussa latebat.
Inde volant turres passim, facilesque favillæ,
Acta per alterius castri scintilla subintrat
Castrum, quod flammis crescentibus ocyus ardet,
Et candela velut siccis bene proxima lignis,
Siccam materiem tenus convertit in ignes,
Et ceu paulatim grandis citò candet acervus,
Sic castrum reliquum subitò candere videres,
Virgine cum sanctis natum genetrice regente,
Qui propria solus replet omnia secula luce.
Nox ea lætitia repletur, luce secuta,
Præveniunt Populos non parvula gaudia sanctos.
Annua dum redeunt Agathes solemnia sanctæ,
De sub castello, quod porta marina peregit,
Per triplices aditus Pisanum robur in urbem
Pugnacis Baleæ robustis viribus intrat.
At Latii cunei subierunt mœnia rari,
Plurimus intus eques dextra lævaque potenti
Subvenit auxilio trepidanti protinus alæ,
Perque satis latas agmen Latiale plateas
Insequitur. Cecidere duo de gente Latina,
Persistunt aditu reliqui, tolerantque ruinas,
Quos jacti lapides, transmissaque tela reportant.
Post ubi telorum densi superant jaculatus,
Nec locus est gladiis,fugiunt velociter extra.
Impositum foveæ succendit barbara pontem
Flamma, sed Alphæi pavidi successibus instant,
Et nituntur aquis extinguere cominus ignem.
Ad primos aditus, in quos Provincia bella
Misit, inire parant rigidæ certamina pugnæ,
Contemnuntque sibi socios præferre Latinos.
Hos brevibus tectos clypeis Balearica turba
Aspicit, innumerisque caput, seu crura sagittis
Fudit, turpiter & tota propellitur urbe.
Presbyter Henricus plebanus luce sub ista
Lætitiæ didicit præsagia cuncta futuræ.
Talis facta viro vox auribus: accipe, dixit,
Astra volunt hodie Pisanos urbe repelli,
Cras vespertinis horis intrabit in urbem
Plurima passa manus,vincens pro velle Tonantis;
Hoc & idem Naroli defuncti spiritus inquit
Fratri: ne timeas, venient ad prælia Sancti,
Innumerique aderunt subeuntes mœnia tecum,
Telaq; non poterunt tibi me comitante vibrare.
Urbem posse capi jam desperaverat agmen.
Per tres ergo vices committere prælia manè
Patres atque duces communi voce jubebant.
Nec clarũ prorsus, nec erat sinè turbine tempus,
Cùm peditum cunei pugnam dubitanter adirent
Moliti decies aditus intrare patentes,
Ejecti vicibus totidem murisque repulsi.
Prætereunte die committere prælia septem
Qui turrem Baleæ nuper captam retinebant,
Cœperunt; aditu turris fuit insita primo
Dura recompensans Bruno qua facta sacrorum
Innixos scopulos muro processerat, & dum
Jam luteum tentabat opus subvertere, Maura
Turba petit, propero quoque tela volatu
Missa resistentes clypeum fixere tenacem,
Istius & robur dum Maurus cerneret ingens,
Protinus aggrediens robusta cuspide fixit
Septemplex tegmen sed telo protinus ejus
Duriùs affixus de muris concidit altis,
Corruit Ugonis gladio percussus & alter.
Maurorum cunei super ardua robora muri
Pleniùs accedunt, septem superare putantes
Et de præsenti superatos tollere vita.
Desuper adveniens divinus spiritus illic
Accendit socios, quorum vox trina sonantem
Factorem rerum Dominum confisa rogavit.
Hi gravibus clypeis texerunt corpora postquam,
Obstantes poscunt rigidis mucronibus hostes,
Et faciunt plures collatis viribus ictus,
Et multò plures sævo sibi dantur ab hoste.
Tum Deus Alphæis largitus prosperitatem
Successus pandit lætos, optataque vota
Barbaricæ gentis mutans cum casibus omen,
Voceque terribili Mauros, gladioque poposcit
Parvula turba ferox cœlesti facta vigore.
Bruno Peransei caput ingens ense resolvit,
Excepitque feri Beroëntis pectore telum,
Petrus in Eugubium jaculũ fudit, Ugo Tebaldi
Filius Alphænæ caput ense rotundat acuto.
Proterit Arphiponem Pathus Ildeprandia proles,
Inde quod Henricus jaculum jacit inguina Lubæ
Perfodit, Uguiccio germanus scilicet hujus
Marutia gladio pedibus prostravit ademptis,
Marchion Uguiccio non ficta propago Verardi.
Et velut armentum tygres, sævæque leænæ
Poscunt, quando fames ipsas acerrima cogit,
Pestiferoque boum conscindunt viscera dente,
Tundentes jaculis, simul & mucronibus ipsos.
Barbara turba fugit, Latii clamore levato
Per

Per patulos aditus socios intrare precantur.
Præveniunt omnes alios Sicheria proles
Raynerius socios, & Teperteius heros:
Unà Guiscardi comites, & Grunnius ipsis
Extiterant prope, qui barbara terga sequuti
Cedentem turbam jaculis feriendo trucidant,
Introitum donec fugientibus edit alumnis
Robustas pandens vetus Elmodenia valvas.
Hac de parte maris pugnax Eufraxius urbem
Intrat cum nato, stat Maura caterva platea,
Inque viros properata ruit stridentibus armis,
Quos poterant terrere satis volutantia saxa.
Intrepidus cum patre manet Bernardus, & Alcen
Contra se positum durata cuspide sternit.
Tunc Ildebrandus: ferias, precor, optime fili,
Nec cuiquam parcas gladio si deficit hasta.
Pro patria pugnare decet, veneranda vetustas,
Et nostri quondam micuere per arma parentes.
Dixit, & Agilion jaculo prosternit, & ense
Brusæi feriens caput à cervice resolvit.
Diffugiunt statim reliqui, fugientibus instant,
Cum genitore satus pertundit barbara terga.
Undique currentes equites, mixti peditesque
Audaces animo compressis gressibus intrant.
Per solitas veluti subeunt examina sedes,
Sic vigor Alphæus latam progressus in urbem
Dispersas fundit jaculis, gladiisque catervas.
Hic caput abscissus, pectus transfossus & alter,
Visceribus fusis alius tellure jacebat,
Humanoque nimis terram maduisse cruore,
Et fluxisse putes commotos sanguine rivos.
Sicut cùm primo dimisso flumina cursu
Expatiant campis, quando revocātur in amnem
Efficiunt rivos plures densasque lacunas.
At rabidos postquam gladius deleverat hostes,
Mœnia cum tectis retinent, urbanaque templa
Christicolæ, longus quos jam labor attenuarat,
Et servant ipsam studiis vigilantibus urbem,
Ac solito belli numquam removentur ab usu.
Artibus intendunt, peragunt, vincuntq; labores.
Destructis tectis via fit, castella trahuntur.
Namque Bebolgedit portis sunt abdita bina,
Emodenorum totidem sunt abdita muris.
Denique turritos Latialis machina muros
Sternit, adæquantur propero munimine fossæ,
Hæque cadaveribus multis lignisque replentur.
Barbara gens grandi nimiùm concussa timore
Castra Pyrenæi Comitis tremebunda subintrat
Ad quodcumque velit cupiens se jungere fœdus
Si bellatores indemnes atque soluti,
Incolumes etiam cum libertate sinantur.
Talia dum referunt, cœtum properanter in unū
Accitus populus pacis de fœdere tractat.
Fulgebatque dies, qua plenus dogmate sancto
Ecclesiæ Pastor suscepit jura cathedræ:
Clerus adest, proceresq; simul, contentio crescit
Maxima, divisæ pandunt certamina mentes.
Pars trahit ad pactum, pars diligit altera pugnā.
Collaudat Clerus partem pugnare volentem,
Sanctus & Antistes cum cardine prælia censet
Hisque favent acies. Contra Catalanicus heros
Ampuriæque senex, contendunt atque Guidelmus,
Et sancti Cleri firmas convertere mentes
Muneribus largis, precibus, pretioque laborant.
Hæc pius ut renuit convitia sustinet ordo.
Tunc cum Bernardo verbis Gratianus honestis
Verba refert avidis Gothorum congrua dictis.
Profundens lachrymas mœstus cum cardine Præsul
Sic genibus fusis numen cœleste precatur:
Conditor omnipotens cœli, terræque creator,
Cujus perpetuo sunt condita sæcula jussu,
Et quodcumq; viget, quodcumq; videtur in illis,
Clamantum petimus lugubres intende precatus,
Et confidentes in te pater optime serva,
Ecclesiæque tuæ pro te certare volenti
Auxilio succurre pio, da vincere gentem
Sacrilegam multa sanctorum cæde madentem,
Et pietate sua rogitantes respice servos,
Qui te factorem cunctorum semper adorant,
Et tu Sancta Dei Genitrix Regina polorum
Unà cum Sanctis nostros supplete rogatus.
Æstuat interea castris Pisana juventus.
Protinus incipiunt pugnam Brunicardia proles
Promptus Oliverius vada quem misistis ad arma.
Rolandusque valens Rodulpho patre creatus,
Arma petunt Latii, renuit dux bella Pyrænes:
Accedunt muris, & poscunt Ismaëlitas,
Anticipant aditus, & portis cominus instant.
Paganæ contra miscent fera bella phalanges
Tutantes fractos invicto robore muros.
Acriùs Alphæi subeunt, armisque coruscis
Duros irrumpunt aditus virtute coacta.
Hos lapides, & tela petunt, missæque sagittæ,
Et quas interior jaciebat machina moles.
Tutantur clypeis tectos thoracibus artus,
Et jaculis missis poscunt mucronibus hostes,
Immotique loco bellum renovantque feruntque.
Mixta manus post hos perpessa frequentia tela
Ardet in obstantem properanter currere turbā.
Unde graves missi veniunt in scuta molares.
Hinc de plebe viri conversi terga videntur
De fractis muris turpi cecidisse ruina.
At qui bella queunt animi tolerare vigore
Obstantes arcent infracto robore turmas,
Quamvis tres fuerant socii de marte repulsi:
Tum vice qui Comitū stat pollens viribus Ugo,
Militibus paucis intrat comitantibus urbem,
Impetit & Mauros, & cuspide turbat acuta,
Ut celeres damas pardus per devia rura.
Nisibus herois cùm duriter inguina fossus
Tenderet ad manes immanis viribus Alchas,
Accurrunt acies reliquæ, ferroque micanti
Perlustrant urbem, multum tamen ante cruoris
Excepit tellus, quàm vertere terga coacti
Desererent, qua tunc steterāt pugnādo, plateam.
Vexillum peditum tunc Ansualdica proles
Francardus gestans hostes aliunde petivit.
Ast Ugonis eum comitantur, & Uguicionis
Aurificum validè Pagana per agmina vires,
Sibyllaque satus, multa comitante caterva;
Hique vigorosi certatim bella volentes
Pugnando Dertana petunt, pugnataque letho
Agmina dant Baleæ, poscunt velociter arcem,
Et quacumque ruunt bellum lethale videres.
Interfecta jacent per cuncta cadavera templa.
Vulnera corporibus stillant, rivique cruoris
Undique diffusi Latias tenuere plateas.
Pars gladio percussa cadit, pars capta tenetur,
At reliquam gentem vetus Elmodenia servat.
Hinc Comes accelerans alia de parte Pyrænus
Judæos omnes hîc sub ditione receptat;
Circuiens properat captam gens sancta per urbē
Ferrea captorum dissolvens vincula fratrum,
Cui fuerant ostrum, byssus, seu purpura, vestes,
Aurum cum gemmis, Hispanaque pallia prædæ.
Pars restabat adhuc, fuerat pars acta laborum:
Vallatur populis urbs Elmodenia, cujus
Obsidet assiduè cultus gens provida muros.
Ut castella trahant Pisani mœnia sternunt,
Urbeque de capta planant obstantia quæque.
Qui præsunt muris mutantes fœdera poscunt
Et fore non poterat variis concordia victis.
Angulus hanc habuit, quam frangunt agmina turrim,

Et

Et subeunt aditus pugnantum robore factos.
Vi capitur turris, labor ast immensus in illa
Crevit, & artificum citò fit molimine major.
Signa super ponunt, & clamant mœnia capta.
Undiq; concurrunt, passim properatur ad arma:
Tutantur Mauri jaculis gladiisque fenestras
A Latiis factas, quorum promptissimus acri
Dum perstat pugna, caput emittitque fenestra,
Tensum ab Alphæo profertur crinibus extra
Absciditurque caput, nil proficiente Rasulla.
Jam patet introitus, pubes Alphæa subintrat
Læta, fugit moribunda phalanx, repetitq; coacta
Urbem, quæ regis sat parvula circuit arcem.
Occubuere tamen plures ferro, quibus extra
Latè perfusus cruor extitit experimento.
Circumstans Pisana manus muralia frangit
Robora cum tectis, binasque ad mœnia turres
Festinando trahit, formidine barbara turba
Concutitur, poscunt vitæ tutamina pauci.
Alphæi nec concedunt, nec pacta refutant.
Pars scalis innixa subit, pars funibus acta
Excelsas scandit nec inerti robore turres.
Barbara gens faciendo fugam conscendit in arcem:
Arx invicta stetit bellis superanda cruentis,
Septem protensas protraxit in aëra turres
Sat plus sublimes quàm celsa theatra Quiritum.
Pontica vis latè præruptis subdita saxis
In tuto positæ latus unda proluit arcis,
Partibus à reliquis fossa circundatur alta.
Hanc tutabantur fortes per prælia mille,
Et Dartana super positas duo robora turres
Audaces pariter nitebantur retinere,
Monstrabantque suos validos in bella furores.
Dum dant assaltus crebros, dum vulnera miscent,
Dum perimunt plures, multos fundendo cruores
Turribus insistens geminis Alphæa juventus
Mœnia tutantes duros deterret Iberos.
Tormenti jactu muri sternuntur, & hostes,
Quas arces pulsat, quatit & densissima moles.
Maura manus murum per quē testudo trahenda
Obstantem turrem juvenilibus acta petebat
Viribus in celerem mox compulit ire ruinam.
Angulus impulsus turris ruit; improba turba
Protinus inde fugit, scala Raymundus in ipsam
Scandit, terque decem Mauros pugnando fugavit;
Hinc audax quendam prosternit cuspide vasta,
Insistens gladio multos perimit feriendo.
His reliquos sequitur lætis successibus hostes.
Diffugiunt alia dimissa barbara turri
Agmina præcipiti saltu, sed quinque superstant.
Hi trabe percutiunt pugnantem, fortiùs ille
Perstat; tunc validi saxi confringitur ictu,
Oraque cum mediis moles projecta resolvit
Faucibus. Hinc lapsus de muro concidit alto.
Belligerator obit, cœli de carne solutam
Accipiunt animam, socii deflentur amores.
Notus, & ignotus lacrymas dant, atq; querelas,
Et gemitus pariter mittunt communiter altos.
Accedunt acies, turri supponitur ignis,
Perque gradus Ugo scalæ fastigia scandit.
Quinque superstantes adversis viribus hostes,
Conantem juvenem multo stridore coarctant.
Denique conanti poterat succurrere nemo,
Millenos ictus clypeo, galeaque ferenti,
Longa laboris erant nimium toleranda pericla.
A prima solis subit hic certamina luce,
Quæ nonam sanè durare jubentur in horam.
Accensis animis tandem quidam sociorum,
Ingreditur turrim prudenter, summaque scandit,
Et dum quinq; petunt nudis mucronibus ipsum,
Ugo subit turrim, binique subinde sequuntur,

Primus & hinc gladio mox privat vertice Maurum,
Atque rota posita clypeum velociter hujus
Accipit, ac binos stricto mucrone recidit.
Ast alios binos bini stravere sodales.
Arx sinè profuso numquam superanda cruore
Restabat, sed eam Pisana potentia circum
Observatque simul, venatrix utpote turba
Horrendos ursos servat, cohibetque caverna.
Rex novus interea factis perterritus istis,
Postquam Cometa vidit Pisano robore vinci,
Vivus ut evadat timidas se flectit ad artes,
Expertosque satis promissis implet amicos,
Et rate vectus abit, septem comitantibus illum,
Qui Baleare solum dudum rexere priores.
Hunc Dodo, qui vigili servaverat æquora cura,
Sulcantem pelagus cupiens ad castra reduxit.
Christicolas nuper duris macerare catenis,
Compedibus tentus rex ferrea vincla subivit.
Hinc Baleæ populus Regem sibi fecit Alanta
Hispanum, cujus nec erat durabile Regnum,
Qui de Dalmatii letho perterritus extans,
Cui caput arripuit, nulli se credidit unquam.
Hæc timidus memorans binos sibi reperit utres,
Et vacuas inflans multo sufflamine pelles,
Intro commissis cohibet spiramina filis:
Sic Hispanus Alas pro navi pellibus usus,
Per freta longa natat, credas delphina natantem,
Æquore diffugium facit hic, sociosque reliquit.
Perstringunt muros urbis Pisana domosque
Agmina, per factos aditus castella trahuntur
Artibus, ingeniis, augmenta per aëra crescunt
Artificum studio, cujusque laborat & hospes
Alterutri parti nimiæ dare damna ruinæ.
Saxa, lapis, cespes latæ fundamina fossæ,
Intus jacta replent, muris castella propinqua
Consistunt, durus paries berbece foratur,
Turres alterno conduntur in arce labore,
Fulcra superponunt, pretiosaque pallia, telas,
Quæ sua non faceret multo mercator in auro.
At sub castello positi de mœnibus ignes,
Sulphureas mittunt per aperta foramina flammas,
Quas haustæ puteis poscunt, & fontibus undæ.
Extinctas Latii flammas, torresque putabant,
Clam vigiles sed erant: tunc alta palatia moles,
Et tormenta petunt, certant cum turribus unci,
Funibus & tractæ ducuntur ad infima turres.
Postque dies aliquot furtivæ robora flammæ,
Creverunt subtus, fumus quoq; qualis ab Æthna
Progreditur, tetro quando Vulcanus in antro
Concitat ignifera plenas caligine nubes.
Tunc properè poscuntur aquæ, superadditur unda,
Sed projecta nequit tectas extinguere flammas.
Castellum mox retro trahunt, dum desinat ignis.
A proprio postquam cessavit flamma calore,
Ingeniosa cohors castella reducit ad arcem.
Percutiens aries impulsu præpete turrim,
Robora celsa quatit, labuntur ad infima cautes.
Interea Sachi cum binis cessit ab arce
Militibus, pueris comitantibus, atque puellis,
Et dedit Alphæis pretium sinè nomine multum;
At reliqui flammis sese donare minantur
Quidquid habent pretii, nisi libertate potiti,
Ad quæcumque velint loca permittuntur abire.
Alphæi contra referunt: vos perdat, & aurum
Cunctipotens vestrum, qui tam perversa putatis.
Carius est etiam vos tali morte resolvi
Nobis, quàm Baleæ pretiosa, vel optima quæque.
Gerionæa manus non talia percipit aure.
Tormentis Alphæa cohors circumpetit arcem,
Constituitque duos mirando robore pontes,

Mœnibus impoſitum conſtructis robur in unum
Protinus aſcendit lentè dum ponitur alter,
Dum pugnant Mauri, tantiſque laboribus adſunt
Alphæi properant, procedit Grunius ante,
Oppoſitumque ſibi violentum proterit hoſtem,
Juxta quem reliqui mox progrediuntur in arcem.
Maurorum quidam ſtatim deſcendere ſcalas
Incipiunt, multi ſeſe præferre periclis
Mortis non dubitant, ne confodiantur inulti,
Sed velut accipitres celeri properare volatu
Pennarum levitate ſolent, ubi plurimus anſer
Aëre ſuſpenſus fluvialia deſerit arva,
Et proſecuta velut promptos laniata per ungues,
Cum plumis diſtracta jacent, ſic cernere poſſes
Piſanos properare, & barbara membra jacere.
Inde Pyreneæ regionis rector in arcem
Aſcendens lætus ſuperatos increpat hoſtes.
Plures enſe cadunt, multi cecidere feneſtris,
Hic certat jugulare mares, trahit ille puellas,

Et facta præda muri ſternuntur, & ædes,
Hinc ignis caſas, & lignea tecta perurit,
Depopulans agros terræ loca circuit hoſpes.
Inde viri veniunt, cum natis denique matres,
Inde boves, pecudumque greges, & multa ſupellex.

Paſcha celebratur, Batales de nexibus exit,
Cujus dat nato Piſana potentia Regnum.
Denique victores, felici claſſe parata,
Ad ſua quique meant, hos & de litore ſpectant,
Et miranda canunt Chriſti magnalia gentes.
Piſanam tandem Burabe traductus in urbem,
Præbuit Italiæ ſeſe ſpectabile monſtrum.

Laurentii Veronenſis liber de bello Majoricano explicit.

Tunc fuit à Chriſto tecto velamine carnis
Centenus quintus decimus milleſimus annus.

BRE-

BREVIARIUM PISANÆ HISTORIÆ

Auctius & emendatius nunc primùm prodit ex MSto Lucensi.

Inclyta Pisanæ pandens primordia Terræ,
Hæc tibi jam planè, breviter quoque curo referre,
Auctorum dictis firmando singula verè,
Ut possit scriptis quisquis velit illa videre.

FUit quondam apud Græcos quidam nomine Pelops, pater Atrei, & avus Agamennonis, & Menelai Regum Græcorum. Hic igitur Pelops civitatem in Græcia condidit, quam ex suo nomine Pelopensem vocavit, ut patet ex Isidoro in XVI. Ethymolog.. Iste etiam Pelops civitatem Pisanam in Thuscia ædificavit, ut clarè refert Solinus de Mirabilibus Mundi cap. de Italia & Partibus ejus; siquidem Græci, duce prædicto Pelope, de Arcadia venientes, & ad litora Pisanorum applicantes, invenientes portum, & flumina, balnea, & lapidicinas, cœperunt habitacula in diversis partibus construere; quædam, ubi hodie dicitur Catallum, quasi inter duo flumina, & prope navigia ipsorum; quædam, ubi hodie dicitur Marmor; quædam apud Balnea Montis Pisani. Et demum dictus Rex Pelops cum multitudine Græcorum veniens ædificavit civitatem prope fluvium; & quia secundùm quod ait Servius super Virgilium, dicti Græci venerunt à quadam Arcadiæ Civitate, quæ dicebatur Pisæ, juxta quam fluvius erat, qui Alphæus dictus est, ideo Pisæ in Thuscia primò quidem Alphæa, ut Papias ait, ab illo scilicet fluvio denominata fuit.

De tempore autem, quo ædificata fuit, certum est, longo tempore ante Urbem Romanam conditam, adeò quòd vix reputo aliquam civitatem reperiri posse, quæ magis ab antiquo constructa fuerit. Quod sic patet, sicut dicit Beatus Augustinus XVIII. Lib. de Civit. Dei. *Æneas Trojanus cum XX. navibus in Italiam venit*, & ibi Regno acquisito tribus Annis regnavit apud civitatem Albanensem, quam idem Æneas & Ascanius ejus filius construxerant. Iste autem Æneæ adventus fuit multùm ante Urbem conditam, quod patet per tres vias.

Quarum prima sumitur ex Regibus Italiæ; nam ab Ænea usque ad Romulum Urbis Romæ fundatorem plures in Italia regnaverunt. Unde Augustinus eos describens in prædicto Libro, subdit, quòd Aventinus quidam XII. post Æneam regnavit, deinde Procax, deinde Amulius, deinde Numitor, qui fuit avus Romuli, cujus Numitoris Anno primo Regni condita est Roma; ac per hoc cum Romulo suo deinceps Nepote regnavit. Hæc Augustinus. Et sic patet, quòd inter Æneam & Romulum XIV. in Italia regnaverunt Reges.

Secundò ex Historiis Bibliæ; nam sicut idem Sanctus Doctor in dicto Libro dicit, adventus Æneæ fuit eo tempore, quo Abdon erat Judex in Israël, & regnavit circa tempora Sansonis. Roma autem secundùm eumdem condita est tempore Achaz Regis. Vide inde, quomodo de tempore ipsorum Regum defluxerant Anni CCCLXII. ut idem ait, & per Sacram Scripturam clariùs liquet, eo quòd priùs fuerit tempus Judicum, quàm Regum. Patet per hæc, ipsum Æneam venisse ante Urbem conditam Anno 362. & tanto plus, quantum processerat de tempore Judicum.

Tertiò sumitur ex tempore destructionis Trojæ, nam ab ejus destructione usque ad Urbem conditam fuere, sicut dicit Orosius, Anni CCCCLIV., & post destructionem ipsam Anno tertio, vel parum plus, secundùm quosdam, Æneas Regnum Latinorum tenuit, sicut dicitur in Historiis Ecclesiasticis super Libro Judicum, & sic Regnum adeptus est ante Urbem conditam circiter Annis CCCCL.

Hoc autem ostenso, sciendum est, quòd eo tempore civitas Pisana propter gentium multiplicitatem & commoditatem situs, in multum creverat, in tantum quòd ipsi Æneæ, antequam Regnum prædictum sibi acquireret, mille bellatores in societatem dedit. Et hoc clarè probatur testimonio Virgilii, qui loquitur de prædicto Ænea, ut in ejus Libro Æneidos. Sed quia quidam dubitare possent, utrum de Pisis Thusciæ, an de Pisis Græciæ loquatur, ideo ejus dicta per ordinem referamus, in quibus se loqui dicit de comitantibus Æneam ab oris, sive à Regnis Thuscis, & Thusciæ Loca nominat, sicut Clusium, & Cosa, de qua plenè perhibet Servius, quòd fuit civitas Thusciæ, Populonium, cujus ruinæ, & nomen in litoribus Pisanorum sunt; & demum nominat Pisas, de quibus dicit *Urbs Ethrusca*, quod est idem, quòd Pisæ in Thuscia, ut Isidorus clarè ponit in XV. Ethymolog. Versus ergo Virgilii hi sunt in X. Æneid.

Pandite nunc Elicona Deæ, cantusq; movete,
Quæ manus interea Thuscis comitetur ab oris
Æneam &c. & inferiùs.
Sexcentum illi dederat Populonia Mater &c.
& tamdem.
Mille rapit densos acie atq; horrentibus hastis,
Hos parêre jubent Alphææ ab origine Pisæ
Urbs Ethrusca solo &c.

Hoc auxilium Thusciæ datum Æneæ altiùs repetamus.

Cùm Æneas ab Evandro discessisset, cogitans

tans cœpit requirere opportuna sibi belli auxilia, quæ plurima ipse à Thuscis recepit, cui Massicus Princeps mille viros cum navibus dedit, quorum pars Clusium, pars Cosas habitabant. Horum etiam alii sagittarii, alii verò optimi erant bellatores. Venerabilis Pallas, cujus agmen optimum, & pulcherrimum, & decoris armis fulgebat, & in ejus navi Apollo auro depictus erat.

Populonia verò Mater sexcentos fortissimos dedit viros, ut ait Virgilius:

Sexcentos illi dederat Populonia Mater
Expertos bello juvenes, ast Ilba trecentos.

Quæ Insula Ilba præ ceteris metallis abundat.

Pisa autem Thusciæ Civitas nobilissima dedit ei milites numero mille expertissimos, densos acie, atque horrentibus hastis, quibus Asfilias Astronomicus, & Augur, futurorumque præscius princeps constitutus est. Quæ Civitas in Thuscia à Pelopide Tantali filio constructa est.

Si summariè tempora colligere volumus, ponamus primò, quòd à Pelope Civitatis conditore usque ad destructionem Trojæ per ejus nepotem factam, potuerunt esse Anni circa CCL., & à destructione Trojæ usque ad Urbem conditam fuerunt Anni CCCCLIV. ut superiùs dictum est. Ab Urbe autem condita usque ad Christum Anni 752., ut ait Paulus Diaconus in Historiis Romanorum. Addamus Annos Domini secundùm quod currunt, & tantum tempus erit quòd Civitas Pisana condita est ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

***Explicit** Liber de Origine Civitatis Pisanæ compositus à Fratre Bartholomæo de Sancto Concordio Ordinis Prædicatorum.*

Ab Adam usque ad Diluvium fuerunt An.	1242.
A Diluvio usque ad Abraham Anni	1174.
Ab Abraham usque ad Moysem Anni	450.
A Moyse usque ad Christum Anni	1639.
A Christo ad hodiernum diem	1270.

Ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum. Cùm Venerabilis D. Ugo de Pisis Dei gratiâ Nicosiensis Archiepiscopus in Romana Curia tempore D. Clementis Papæ IV. pro jure & libertate suæ Ecclesiæ conservandis adesset, inter alia scire cupiens veritatem adventus B. Petri Apostoli de Antiochia ad Urbem, in quo loco primò applicuerit citra Mare, cùm de hoc ab hominibus veritas ferè ignoretur: comperto, per quos veritas sciri poterat, fecit inquirere à Thesaurariis Domini Papæ in Thesaurario secreto dicti negotii veritatem; & sic quemdam librum repererunt, qui dicitur *Pantheon*, idest totum continens. Et verè totum universum, namque vetus & novum Testamentum in summa connectit, & à principio Mundi Patriarcharum, Prophetarum, Regum, Principum, Virorum Illustrium, Doctorum, & Auctorum Ecclesiasticorum, & Auctores, quos etiam secuti fuerant, scilicet Eusebium, Clementem Papam Primum, Dionysium Areopagitam, Origenem, Hieronymum, Augustinum, Orosium, Egesippum, Strabonem, Plinium, & Solinum de Mirabilibus, & Suetonium de Vita Imperatorum, & alios multos etiam Persarum, Assyriorum, Græcorum, Magni Alexandri, Romanorum Imperatorum genealogiam, processus, & fines omnium, mutationes temporum, & Provinciarum usque ad tempora D. Papæ Gregorii, & Friderici Romanorum Imperatoris Primi, Chronicam Romanorum Pontificum, & Imperatorum contemporaneorum ipsorum à tempore Christi usque ad dictum tempus. Inter alia, quæ continentur in eodem Libro, qui *Pantheon* appellatur, inventum est in trigesima prima parte in Rubrica *de Consecrationibus Altarium* circa medium sic scriptum.

Beatus Petrus Apostolus primum Altare lapideum in Italia erexit, statim cùm transfretavit, circa litora Pisanorum, ubi hodie est Ecclesia Sancti Petri ad Gradus, quod Papa Clemens Primus consecravit, qui dum illud Chrismate illiniret, tunc de ipsius Papæ naribus aliquæ guttæ sanguinis distillaverunt super ipsam Altaris Mensam marmoream; & ille sanguis in eodem marmore usque hodie ita recens apparet, sicut nobis videntibus ibi cecidisset, & habetur in magna veneratione. Hanc Scripturam supradictus Dominus Archiepiscopus exemplavit, & exemplatam secum detulit sui sigilli munimine in testimonium roboratam Anno Dominicæ Incarnationis 1267. (1) Mense Januarii.

Sermo S. Isidori de S. Petro Apostolo.

Simon Petrus filius Johannis, frater Andreæ ortus Vico Bethsaida Provinciæ Galileæ, quæ est juxta Stagnum Genezareth, cujus prima vocatio Bar--iona, directa generatione Petrus in Christo Ecclesiæ fundamentum est, Cephas Corporis Christi & Princeps, & caput est. Simon Johannis Virginitatis generatio incorrupta est, qui eligitur Primus, nec immeritò, quia Apostolorum Princeps est, Confessor Filii Dei, primus Discipulus, Pastor humani generis, Ecclesiæ Clavicularius Regni, Amator Domini, atque negator, confitendo laudatus, præsumendo elatus, negando lapsus, lachrymando purificatus, confessione probatus, & passione coronatus. Cujus nomen ex opere datur, titulus ex merito potestatis imponitur. Hic in Galatia, Ponto, Cappadocia, Bithynia, Asia, atque Italia eum prædicavit, atque harum virtutum signis effulsit. Pendulo gressu fervidum Mare calcavit: præteriens umbra sua mortuos suscitavit, claudis pristinum reiteravit officium, Paraliticis arida membra in proprium reformavit statum, in Ecclesia defunctam viduam suscitavit, Ananiam, & Saphiram reos perfidos mortis animadversione damnavit, Simonem etiam Magicis artibus Cœlum aëreum ascendentem ad terram elisit. Hic, postquam Antiochenam Ecclesiam fundavit, sub Claudio Cæsare contra eumdem Simonem Magum Romam, Domino sibi jubente, perrexit; sed divina cooperante gratia devenit Pisas, priùs tamen in Arni flumine; & quia hyems imminebat, ibi hyemare disposuit, in quo loco cùm per sex menses moram fecisset, ad gradus maris Ecclesiam construxit, quæ postea in ejus nomine à Clemente Episcopo est dedicata. Deinde multis comitantibus Discipulis,

(1) Pantheon continuatur per varios usque ad tempora Gregor. VIII. Ugo Historiam prædictam ex eodem depromsit tempore Clem. Pap. IV. circ. Ann. 1257. vel, ut aliis placet, 1267. uti ex MS. Codice Pisani Senatus colligitur in principio ejusdem paulò post.

lis, scilicet Marco, Apollinare, Martiale, atque Dionysio, aliisque quampluribus Romam perrexit, ibique prædicans Christum, XXV. Annis ejusdem Urbis tenuit Pontificatum. Sexto autem & Trigesimo Anno post Passionem Domini à Nerone Cæsare in Urbe Roma deorsum capite, ut ipse voluit, crucifixus est, sicque post Apostolicum meritum etiam martyrio coronatus est, commendans Discipulis Ecclesiam, quam Pisis fundaverat, ut continuis obsequiis eam visitarent. Sepultus est Romæ in Vaticano secus viam triumphalem tertio lapide ad Urbe ad Orientalem plagam.

Anno Domini 971. Fuerunt Pisani in Calabria.

Anno 1002. Pisani vicerunt Lucenses in Aqua-longa. Contigit quòd Saraceni ceperunt Kallari, & invasâ Insulâ Sardiniæ iverunt in partes Pisanorum, & usque ad gradus Romæ, & quamplures captivaverunt, & habebant quingentos in catenis. Pisani contra eos iverunt. Et tunc Lucani ceperunt de Comitatu Pisano magnam partem; & Pisani redeuntes, contra Lucanos moverunt bellum, & eos vicerunt ad Aquam-longam, ut supra.

Anno 1004. Lucani cum magno exercitu Lombardorum venerunt usque ad Pappianam, & Pisani eos fugaverunt usque ad Ripam Fractam.

Anno 1005. Fuit capta Pisa à Saracenis.

Anno 1006. Pisani devicerunt Saracenos ad Regium die S. Sixti.

Anno 1012. Stolus Saracenorum de Hispania vênit Pisas, & destruxit eas.

Anno 1016. Pisani, & Januenses devicerunt Sardineam.

Anno 1017. Rex Mugettus, & Saraceni venere Sardineam. Venerabilis Benedictus Papa Legatum Episcopum Ostiensem ad Civitatem Pisanam misit; ut Mugettum de Sardinea expelleret, quam totam cum Privilegio, & Vexillo S. Petri Pisanæ Civitati firmavit. Quapropter Consules unà cum Episcopo Lamberto cum concordia Populi ad invicem concordaverunt, & facere promiserunt, & Vexillum S. Petri ita cum Privilegio ceperunt.

Et eodem Anno Pisani, & Januenses cùm in Turritano Judicatu essent, Januenses voluerunt Pisanos de Sardinea expellere, & sibi eam retinere; sed quamvis ipsi bellum incœperint, tamen devicti à Pisanis fuerunt, ita quòd Pisani de tota Sardinea Januenses expulerunt.

Anno 1020. Mugettus cepit Castrum Johannis, quod sub Mediolanensi Episcopo erat; & in alio Anno in Sardineam est reversus, & Pisani iterum cum Januensibus illum fugaverunt; & thesaurum, quem secum tulerat, habuerunt, & totum ex conventione Januensibus concesserunt: aliter verò venire noluerunt.

Anno 1030. Pisa combusta est die Nativitatis Domini.

Anno 1035. Pisani fecerunt stolum maximum, & vicerunt Civitatem dictam Bonam, & coronam Regis Imperatori dederunt.

Pisani ceperunt Carthaginem, & Regem, ejusque coronam miserunt Imperatori.

Anno 1050. Rex Mugettus cum magno exercitu reversus est in Sardineam, & ædificavit civitates, & coronatus est ibi. Pisani verò cum Romana Sede firmatâ concordiâ, cum Privilegio, & cum Vexillo S. Petri accepto invaserunt Regem, & ceperunt illum, & totam Terram, & coronam Imperatori dederunt, & Pisa fuit firmata de tota Sardinea à Romana Sede.

Anno 1055. Pisani post grande bellum vicerunt Lucanos prope Lucam in loco dicto Vahule.

Anno 1063. Pisani fuerunt Panormum, & fractis catenis Portus, Civitatem ipsam ceperunt, ibique sex Naves ditissimas ceperunt, Saracenis plurimis interfectis; & combusserunt Naves quinque, unam Pisas duxerunt mirabili thesauro plenam, de quo thesauro eodem Anno majorem Pisanam Ecclesiam incœperunt.

Anno 1064. Magnus terræmotus fuit.

Anno 1070. Magna guerra fuit orta inter Pisanos, & Januenses.

Anno 1075. In festivitate S. Sixti Pisani ceperunt Almadiam civitatem, & Firminum Regem, qui unoquoque Anno tributum Pisanis dare suo juramento firmavit, & civitatem ad honorem Pisanæ Reipublicæ tenêre. Et ita Regi statim firmaverunt Terram, & coronam Romano Imperatori assignaverunt.

Anno 1077. Comitissa Beatrix obiit quarto Kalendas Maji, & in magnifica Tumba apud Majorem Ecclesiam Pisis honorificè sepulta est, ob cujus reverentiam Comitissa Matilda ejus filia, quæ obiit Anno Domini MCXVI. Ecclesiam Pisanam in Thuscia & Lombardia dotavit possessionibus plurimis, & honoribus Regalibus satis plenè.

Anno 1078. Pisani, & Januenses guerram habentes, plura sibi damna invicem contulerunt. Deinde concordiâ factâ Anno 1088. simul stolum fecerunt in Africam, & ceperunt duas magnificas civitates Almadiam, & Sibiliam die S. Sixti, ex quibus civitatibus, Saracenis ferè omnibus interfectis, maximam prædam auri, argenti, palliorum, & ornamentorum abstulerunt; de qua præda thesauros Pisanæ Ecclesiæ in diversis ornamentis amplificaverunt, & Ecclesiam S. Sixti in Curia veteri ædificaverunt. Guido Vicecomes Guidonis filius in prœlio obiit.

Anno 1100. Hierusalem, ac Cæsarea à Christianis capta est decimooctavo Calendas Augusti, cujus victoriæ Pisanus Populus fuit & caput, & causa. Nam jussu Papæ Urbani Secundi Daibertus Pisanæ urbis Episcopus, deinde Archiepiscopus, exstitit Dominator & Rector exercitus Pisanorum scilicet 120. Navium. Qui Daibertus jam declaratus Pisanus Archiepiscopus, factus deinde Patriarcha in Hierosolima remansit; & postea ceperunt civitatem Sistri, & in reditu ceperunt multas civitates Græcorum. Unde Imperator Calojannes suum Legatum Pisas misit, & Pisanis domos & Ecclesias dedit. Proficiscendo verò, Leucatam, & Cefaloniam urbes fortissimas, quia Hierosolimitanum iter impedire solebant, expugnaverunt, & expoliaverunt. Pisanus etiam tunc Populus Maidam urbem munitissimam cepit, & Laodiceam, & Ghibellum obsedit. Anno verò 1101. tota ferè Kinsica exusta est vento flante. Eodemque Anno Pisani ceperunt Licejam sive Licajam, & elevaverunt Yaffam.

Anno 1105. Reincœpta est lis inter Pisanos & Lucenses.

Anno 1111. Rex Henricus Quartus cum magno exercitu in Italiam, & Pisas vênit, & fecit pacem inter Pisanos, & Lucenses. In guerra Pisani devicerunt Lucanos tribus vicibus in campo, & Castellum de Ripa Fracta recu-

recuperaverunt, & Ripam, unde lis fuit, retinuerunt.

Anno 1114. Pisanus Populus jussu D. Paschalis Papæ Secundi perrexit Majoricam cum 300. diversorum nominum navibus, & die S. Sixti de Arno exivit cum immenso ploratu senum, parvulorum, & mulierum; & devenientes priùs ad Insulam Evisam, civitatem ibi fortissimam sitam, & dictam similiter Evisam, per mensem obsederunt, & pluribus & damnosis hinc inde præmissis prœliis eam ceperunt, innumerabili Saracenorum multitudine detruncata, scilicet die Sancti Laurentii. Et præterea die Sancti Bartholomæi ad Insulam Majoricæ applicuerunt, & eam per sex Menses obsederunt, & tamdem usque per totum mensem Aprilis eam devicerunt non modò, sed Insulam Minoricæ etiam, Regemque occiderunt, & per gratiam Dei omnipotentis suus filius nomine Lambertus, postea Canonicus Sanctæ Mariæ factus, & sua Mater Regina Christiana devota Sanctæ Mariæ permansit, ibique obiit. Pisani ultra quinquaginta Saracenorum millia occiderunt, & Christianos ibi captos per diversa tempora ipso die de carceribus liberaverunt, qui numero inventi sunt triginta millia. Ante tamen quàm Pisani ad Evisam devenirent, quando eam ceperunt, in Litore Barchinonensi passi sunt navium multarum jacturam ac naufragium. Sed quis enumerare posset dispendia, pericula, & mortalitatem, quam Pisani passi sunt ibi? In ipso quippe itinere per viginti sex menses steterunt, quòd obliti sunt totaliter omnium copiosarum pœnarum ac dolorum; sed tamdem tantam exaltationem victoriæ reduxerunt.

Anno 1116. Comitissa Matilda obiit.

Anno 1118. Magnus terræmotus fuit, & quamplures turres ceciderunt.

Anno 1119. Gelasius Secundus Papa in retributionem tanti doni, quod Pisani Romanæ Ecclesiæ, & toti Mundo de Majoricana victoria fecerant, Pisas vênit; & consecravit novam majorem Ecclesiam Pisanorum; & concessit, & dedit Archiepiscopum Pisanæ civitati, quia usque tunc tantùm Episcopus erat, excepto Daiberto, qui quamvis declaratus non potuit residere, quia eodem tempore fuit creatus Patriarcha (2) Civitatis Sanctæ Hierusalem. Et nota, quòd Pontifex supradictus, quando Pisani iverunt Majoricam, suis manibus Pisanis dedit Vexillum vermileum; unde ex tunc Pisana Civitas vermileo utitur ubique Vexillo.

Anno 1119. Januenses invidia moti de honore, & de tanta temporali & spirituali exaltatione Pisanorum, guerram subitò incœperunt, damna Pisanis, quæ poterant, inferentes, unde Deo, & Gloriosa Virgine Maria eis propitiantibus,

Anno sequenti 1120. die Sancti Sixti in Portu Veneris Pisani Januenses vicerunt. Eodem Anno Petrus Archiepiscopus Pisanus, & Daiberti successor, qui dux fuit supradictæ Pisanæ classis unà cum multis ex suis Canonicis, diem clausit extremum cum magno totius civitatis mœrore.

Anno 1122. Januenses irati de prædicta victoria, quam Pisani de se habuerunt, ad fauces Arni cum galêis XXII. venerunt; & tunc Pisani apud Majorem Ecclesiam erant cum Papa, qui consecrabat quædam Altaria. Et sic, Deo volente, accidit, ut Pisani illuc accurrentes vicerint, & fugaverint Januenses, & galêas sex ex ipsis ceperint, unde & Altarium consecrationem Januensium protervia exaltavit, & Pisanorum honorem.

Anno 1134. Incœpta est lis à Pisanis contra Regem Siciliæ nomine Rogerium inimicum Ecclesiæ Romanæ.

Anno 1135. Tertio Calendas Junii Pisis est celebratum Generale Concilium per Papam Innocentium, & alios Prælatos, in quo Concilio Ingilibertus de Marchia Thusciæ investitus est, qui postea defensus est à Pisanis, & à Lucanis. Anno sequenti devictus apud Fucecchium in campo, Pisas fugiens, lachrymasque plures effundens, à Pisanis vindicatus est.

Anno 1136. De mandato Summi Pontificis Pisani XLVI. galêas armaverunt, & in Siciliam transfretaverunt, & pugnando, & prœliando audaciter, civitates Amalfitanam, Ravelli, Scalam, & Scalellam majorem & minorem ceperunt. Sed cùm tertia die post prædictam victoriam Pisanorum pars obsideret Fractos Castri Rivelli cum ædificiis & gattis, Rogerius supradictus, qui apud Salernum tunc erat, cum septem millibus militum, & LX. galêis, & multo alio Populo, Pisanos obsidentes dictum Castrum devicit, & fugavit, usque ad mare, & ex eis 596. cepit. Post dies autem 23. devastata Yschia majori, Pisani Sexto Idus Septembris Pisas reversi sunt.

Anno 1138. Pisani iterum fecerunt stolum contra suprascriptum Rogerium, & devicerunt, sibique tributarias fecerunt civitates Amalfi, Trani, Scalæ, Scalellæ, & Fractæ Rochæ, & Pugrelæ, & totum Amalfitanum Ducatum, ipsasque jurare fecerunt ex tunc D. Papæ Innocentio, & Imperatori Loctario obedire, ut dominis, contra prædictum Rogerium. Postmodum Pisani IX. Cal. Augusti Salernum iverunt, ipsumque per XV. dies obsessum tenuerunt. Et sic post hæc Rogerius prædictus cum Pisanis pacem fecit, & reversus est Pisanorum felix stolus XIII. Cal. Octobris.

Anno 1140. Pisani habuerunt guerram cum Rege Siciliæ, & tenuerunt Neapolim per Annos septem, aliaque digna fecerunt.

Anno 1144. Incœpta est guerra inter Pisanos, & Lucenses; nam Pisani propter injuriam de Castello Aginolfi eis à Lucanis illatam, fecerunt contra Lucenses exercitum contra ipsum Castrum; quod erat Pisanorum ab Anno Domini 1128. Et propter injuriam similiter de strata Francorum, & Arni, Castellum de Vurno à filio Suffredi acquisiverunt, ipsumque per Annos sex viriliter tenuerunt, quamvis Lucenses ipsum annuatim acriter obsiderent. Post sextum quippe Annum idem Castrum à Nepotibus suprascripti Suffredi rehabuerunt, datis eis libris Lucanæ monetæ 500. ipsumque funditus diruerunt. Ante tamen quàm ipsum castrum rehaberent, quoniam ipsum annuatim obsidebant, Pisani districtum Lucanum quasi undique concremabant. Et tunc ceperunt Pisani Castellum de Insula Padulis

(2) Advertendum est, Daibertum etiam post prædictam victoriam Pisis Archiepiscopum resedisse aliquantulum ante Patriarchatus Investituram, ut colligitur ex Indulgentiarum Diplomate per eumdem Fabrorum Universitati Pisarum concessum Anno 1095. sub num. 1219. &c.

dulis cum CCC. Civibus Lucanis (quod castrum erat prope Blentinam) de quibus postea Pisani rehabuerunt omnes suos carceratos, qui erant Lucæ. Ad quod castrum vincendum Pisani fuerunt cum quinquaginta navibus, plattis, & schafis, & cum XII. manganis ordinatis in plattis, cujus castri habitio fuit Anno Domini 1148 nono Calend. Aprilis in die Lunæ Sancto. Et cum carceratis & spoliis exercitus rediit Pisam. Tunc etiam Pisani sub Anno Domini 1149. stantibus Lucensibus & Pistoriensibus ad obsidionem dicti castri de Vurno, devicerunt castrum de Monte di Castello, & S. Gervasii, & omnia alia castra de Valle Heræ tunc habuerunt. Et in festo S. Matthæi per magnum priùs præhabitum bellum ac prœlium castrum de Planissuli devicerunt, ipsumque diruentes funditus, homines Pisas & spolia cum gaudio reduxerunt. Et in summa dicendo, immanissima & damnosissima, antequam Lucenses Vurnum recuperarent, & continua guerra fuit; & quamvis utraque pars plurima inde damna subierit, Pisani tamen gavisi sunt, quia in vindictam hoc fecerunt de Castello Aginulfi.

Anno 1146. Balduinus fuit electus Archiepiscopus Pisanus.

Anno 1150. Lucenses apud flumen Cascinæ à Pisanis capti fuerunt, & magna pars eorum mortua. Anno verò sequenti, tempore Domini Eugenii Papæ III. Romani confirmaverunt pacem cum Pisanis.

Anno 1153. XII. Calendas Novembris de nocte major pars Kinsicæ fuit combusta, & eodem Anno fuit omnium victualium maxima carestia. Tempore Eugenii Senatus renovatur in alma Urbe.

Anno 1154. Fundatus est primus gyrus Ecclesiæ Sancti Johannis, Cionetto Cionetti, & Enrico Cancellario operariis existentibus. Qui Cionettus in Sardiniam pluries ivit, & reduxit de S. Reparata columnas.

Anno 1155. Fredericus Imperator die S. Michaëlis de Septembrio fuit in Roncalia, & misit pro Nunciis omnium civitatum Imperii. Et ipso Anno Tortonam obsedit, & destruxit; & sequenti Anno in mense Junio Romam vênit, & Coronam Imperii ab Adriano recepit. Et prœliatus est in Porticu Sancti Petri cum Romanis, ubi eos devicit, occîdit, & in flumine multos demersit, & plures vinculis mancipavit. Exinde civitatem Spoletinam devicit, & expoliavit; & regratians multùm Pisanos, qui cum eo fuerunt, de mense Septembris in Alemanniam est reversus.

Anno 1156. Guilielmus Rex Siciliæ in magnam infirmitatem cadens, per tres menses ita aggravatus est, ut mortuus ab omnibus crederetur, & totum Regnum perdidit; sed liberatus, in tribus mensibus revicit totam Siciliæ Insulam. Postea in mense Maji cum maximo exercitu ivit in Apuliam, quam Barones tenebant, inter quos Barones erat Dominus Robertus Princeps Capuanus; qui Barones Apuliam recuperaverunt contra ipsum Regem Guilielmum cum auxilio Constantinopolitani Imperatoris, qui eis miserat galêas XXX. hominibus & thesauro bene armatas. Et sic ipse Rex Guilielmus ipsos postea Barones devicit, & recuperavit Apuliam, & destruxit Barim, & Robertum Principem supradictum cepit. Unde victoriam de tota Apulia complevit in mensibus Maji, & Junii triumphanter.

Eodem Anno in Consulatu Cocchi in mense Julio & Augusto Pisani fecerunt Barbacanes circa Civitatem, & Kinsicam muraverunt à Turre, ubi posuerunt Leonem marmoreum, usque ad Turrim supra Pontem Ausenis. In subsequenti verò Anno, mensibus Februario, & Martio, & Aprile circumierunt Civitatem Castellis, & Turribus ligneis, & Berteschis pro timore Frederici Regis Romam venientis.

Anno 1157. In Consulatu ejusdem Cocchi à Mense Aprilis incipientes Pisani usque ad S. Zenonem muraverunt Civitatem, & usque ad Portam Calcisanam, & fecerunt foveam à Monte Pisano usque Pisas; & omnia Civitatis negotia ipso Anno viriliter tractaverunt, & ex tunc annuatim muraverunt Civitatem.

Anno 1158. Sexto Calendas Aprilis. Natus est puer in Comitatu Bononiæ in Veneris die Sancto cum barba & dentibus, & pilosus totus. Eodem Anno pridie Calend. Augusti cecidit grando maxima super terram Bononiæ, quæ omnia destruxit, homines, & pecudes interfecit; quæ grando fuit varii generis, quadrata, rotunda, & cornuta in magnitudinem ovi anseris. Eodem Anno facta est Turris Meloriæ.

Anno 1158. Supradictus Coccus Consul in Portu Magnali duas Turres fecit; & Fontem ad Sanctum Stephanum pro navigantium utilitate construxit. Sed ipsæ duæ Turres non fuerunt completæ usque ad Annum 1165.

Eodem Anno 1158. Fuerunt Pisis combustæ Turres, à domo & via Guidonis quondam Tedicii usque ad Turres Petri Albitonis, & omnes ceciderunt, ubi mortui sunt Simon de Parlascio, Henricus Uguccionis Villani, Vecchius Bonacii, qui tunc erant Provisores, & alii. Unde de mandato Consulum omnia Ballatoria iuxta Arnum destructa sunt.

Anno eodem Guilielmus Rex Siciliæ quarto Cal. Octobris magnum fecit stolum CLX. Galearum, & XXIV. Dromonum, qui portaverunt 4000. milites. Quem stolum misit prædictus Rex de mense Junii contra Imperatorem Constantinopolitanum, & pervênit Negropontem, ibique invênit stolum Imperatoris, ipsumque devicit & cepit, & etiam cepit ipsam Civitatem de Negroponte, eamque destruxit; & stolum Imperatoris combussit. Mox etiam Civitatem Almiro cepit, & Sanctum Jacobum cum Turre Pisanorum & ipsum combussit, & magnam partem Romaniæ destruens, Imperatorem quoque ipsum tristem, & pavidum relinquens, de mense Septembris stolus prædictus cum maximo triumpho ad suum Regem Guilielmum in Siciliam reversus est.

Anno 1159. In quarto Consulatu Cocchi, Pisani se in murando semper intenti, fecerunt quinque galêas ad guardiam maris, & fossam magnam in Leporare à Cornia usque prope Petrariam de Tusi, quæ fuit perticas 1500. & tres columnas magnas pro Opera Sancti Johannis de Ylba ad dictam Ecclesiam portaverunt. Eodem Anno fecerunt treguam per decennium inter se, & Comitem Guidonem, & Senenses, & Pistorienses, & Comitem Albertum de Prata ex una parte, & Lucanos, Florentinos, Pratenses, & Capitaneos Garfagninos ex alia, pro XX. Annis. Ordinaverunt Pisani pacem inter prædictos suos Consocios, & Lucanos, cujus pacis sententia lata fuit per Pisanos & Lucanos die Assumtionis Sanctæ Mariæ. Unde, quia Pisani suos non dereli-que-

querunt amicos, famam magnæ laudis tunc de ipsa concordia per ipsam habuerunt. Eodem supradicto Anno 1159. Pisani miserunt Pelagium Consulem cum Gerardo Comite, & Curte Vecchia cum Nobilibus Pisanis militibus, & cum sagittariis, & ædificatoribus, XV. Cal. Septembris in auxilium Imperatoris Frederici ad obsidionem Mediolani, quod VI. Idus Septembris Imperator subdidit. Unde Pisani cum laude & honore, & bona Imperatoris gratia redierunt VI. Calen. Octobris. Et die, quo se Mediolanenses dediderunt, Imperator Mediolani coronam sibi posuit Imperii triumphanter. Eodem pariter Anno Mediolanum, Brixia, Placentia, & Cremona ab ipso Imperatore discordaverunt.

Anno 1160. Imperator prædictus reversus ad devastandam civitatem Mediolanensem, & alias sibi deditas destruxit, & combussit, ex quo tota Lombardia doluit, & non parum.

Anno 1161. Raynerius Scaccerius obiit XV. Cal. Julii, & fuit sepultus in Ecclesia S. Mariæ Majoris Pisis cum magna veneratione. Fuit sic Sanctus in terra, & in mari, quia marinarii de eo multa mirabilia videbant.

Anno 1162. Pisani miserunt ad Imperatorem Fredericum Legatos, scilicet Ildebrandinum Mele, tunc Consulem, Bulgarinum Bulgarelli, & Lambertum Grassum, qui cum ipso Imperatore satis tractaverunt ad honorem & augmentum Imperii, & Pisani Communis. Eodem Anno Cocchus Consul, & Boccacius Ambasciatores pro Communi Pisano ad Imperatorem Constantinopolitanum euntes, cum ipso per Annum steterunt, quia cum Pisanis se unire nolebat dictus Imperator, nisi Pisani promitterent de non adjuvando Imperatorem Fredericum. Tamdem sinè alia concordia Pisas reversi sunt; noluerunt enim Imperatorem Fredericum relinquere, ut veri & puri amici.

Anno 1163. Lambertus Consul, Villanus Richucchi, Boccius, Henricus Frederici, Opitho, & Sigerius Legis Doctores Ambasciatores Pisani Communis, ab Imperatore Frederico Vexillum receperunt, & Spatam pro Investitione Imperatoria super omnes civitates Thusciæ. Eodem Anno 60. galêas ad honorem ipsius Imperatoris Pisani fecerunt. Eodem pariter Anno Comes Ildebrandinus fidelitatem cum tota sua Terra & hominibus juravit Pisanis.

Item incœpta fuit magna domus juxta litus maris Portus Magnalis pro utilitate Marinariorum; & magnum fundatum Pharum cum turri & porta ferrea ex tunc incœptum post paucos Annos.

Item eodem Anno Imperator Fredericus post obsidionem quatuor annorum Mediolanum destruxit, & combussit, nihilo præter personas & pecuniam reservato: quod factum est Anno Regni ipsius Imperatoris X. & Imperii ejus VIII. Et ex tunc timore perculsæ omnes Terræ Lombardiæ ipsius Imperatoris subiere mandata.

Item Pisanis in pace manentibus, & nullum galearum apparatum habentibus, Januenses perjuri guerram incœperunt, XI. Kal. Julii, Caprariam comburentes, per mare subitò, & continuè huc & illuc discurrentes, diversa & gravia damna mercibus & personis Pisanorum navigantibus, & de guerra nihil scientibus, intulerunt, occidendo, & submergendo ligna, & homines. Ex quo Pisani irati X. galêas, & XI. saettias velociter ordinaverunt, & Caput Corsi vastaverunt, & duas naves Januensium ditissimas ceperunt prope Populonium, quarum una de Soria, & altera de Constantinopoli veniebat VIII. Idus Julii, ubi 62. Januenses occisi fuerunt. Postea pridie Idus Julii aliam navem de Sicilia redeuntem ceperunt in Ylba. Quo Pisis noto, Pisani ad illas alias miserunt saettias XIV. usque Populonium in succursum, & XII. galêas Januensium, quæ ad nostras adoriendas de Janua venerant, expulerunt; & sic cum navibus onustis, & LV. Januensibus captivis Pisas cum honore & lætitia XII. Cal. Augusti redierunt. Eodem Anno Pisani paraverunt XXIV. galêas, & XXX. saettias pro navali bello faciendo contra Januam ad Portum Veneris. Propter quod Januenses miserunt ad Imperatorem Fredericum, supplicantes, ut treguam vel pacem inter ipsos & Pisanos faceret. Pisani verò id audientes, ad ipsum Imperatorem solemnes Ambasciatores miserunt VII. Idus Augusti, opponentes contra Januenses, quomodo pacem & juramenta fregerant, & guerram crudeliter ex improviso incœperant. Et Imperator rogavit, quòd usque ad suum adventum Pisani guerram non facerent; ibat enim tunc Imperator ad Bellincionem pro discordia, quam Papa Victor, & Papa Alexander inter se habebant, judicanda. In qua via secum duxit Imperator duos de Pisanis Ambasciatoribus, scilicet Henricum Canis Consulem, & Rainerium Gaitani. Rex quidem Franciæ de concordia Victoris Papæ, quam Imperator fieri promisit, minimè observavit. Et tunc prædictos Pisanos Rex ipse allocutus est, promittens eis pro amore Pisani Communis amicitiam & conservitium gaudenter. Rex itaque cum indignatione Imperatoris, & cum Papa Alexandro reversus est in Franciam, & Imperator cum Papa Victore in Alemanniam.

Eodem Anno 1163. Guilielmus Rex Siciliæ pacem cum Pisanis habens, propter dilectionem, quam videbat inter Pisanos & prædictum Imperatorem Fredericum, timens de Pisanis, subitò ipsos Pisanos omnes, quos in Regno suo invênit, cepit, & in personis & rebus eos tenuit.

Anno 1164. XIII. Calendas Julii Pisani fuerunt cum magno exercitu contra castrum de Peccioli, quod erat multum infestum & damnosum eis, cum 400. militibus, & tribus millibus peditum. Et ipsum sibi deditum in Vigilia Sancti Johannis Baptistæ habuerunt; & ex tunc Roccham de Pava, & omnia alia castra usque Vulterram habuerunt; & sic cum magno triumpho Pisani Sex. Calend. Julii ad propria redierunt.

Eodem Anno plures galêas pro servitio Imperatoris Frederici fecerunt, & comitatu & honoribus creverunt. Eodem Anno ante Cal. Aprilis Rainaldus Coloniensis Archiepiscopus, & Italiæ Archicancellarius vênit Pisas; & Pisani cum eo miserunt per Thusciam Ambasciatores, ita quòd timore Pisanorum subitò tota Thuscia fidelitatē Imperatori Frederico juravit in manus ejusdem sui Archicancellarii. Qui rediens Pisas, Pisanis immensas retulit gratias, & in Alemanniam proficiscens, Imperatori publicè retulit, quòd Tusciam habebat gratiâ Pisanorum.

Eo-

Eodem Anno in Calendis Octobris incipiendo in XIII. diebus octo columnæ in Ecclesia Sancti Johannis erectæ sunt, de quibus unam una die in Porta Aurea......... erexit. Et tunc ordinatum est, quòd unaquæque Familia in singulis Calendis mensium unum denarium ipsi operæ daret, & fundata est Ecclesia Sancti Johannis Baptistæ.

Anno 1165. Sexto Calendas Januarii magna pars Kinficæ, scilicet ab Ecclesia Sancti Christophori usque ad domum Guidonis Boni exusta est. Eodem Anno cœpit murari castrum de Vada, & fuit muratum ab inde ad Annos XVI. & donec murabatur Vadenses omnibus debitis Datiis liberati sunt. Eodemque Anno Parasson quondam Bubbini de Callari expulit de Callari Domicellum Petrum Judicem, qui cum Uxore sua filia Judicis Constantini aufugit ad fratres suos. Pro qua injuria Parasson Judex Turritanus cum fratribus & avunculis suis, scilicet Barile, Gainello, Paulo, & Paganello quondam Ugonis Pagani de Pisis exercitum magnum fecit, & remisit in Callari Petrum Judicem fratrem suum, & illum Parassonem expulit.

Anno 1165. Pisani quatuor solemnes Ambasciatores ad Imperatorem Fredericum miserunt, & X. galêas, & quatuor dromones pro equis portandis ad ipsius Imperatoris servitium. Et fecerunt galêas XVI. pro guardia maris, & flumen Auxeris cavaverunt, & ampliaverunt, & in aliis commodis publicæ res in illo Anno honorificè se habuerunt.

Eodem Anno mortuus est Lucæ XII. Calend. Maji Octavianus, qui vocabatur Papa Victor. Et alia die electus est ibidem Papa Guidò Cremensis, qui postea vocatus est Papa Paschalis. Et Cancellarius Imperatoris, qui eum eligi fecerat, de Luca discedens, ad Burgum Sancti Ginesii ivit, ibique secum habuit Rectores Civitatum Thusciæ.

Eodem pariter Anno Rainerius Gaitani, & Lambertus Grassus Consules, & duo alii Nobiles Pisani iverunt per Maritimam usque Scarlinum, & Borianum, & undique per totam Maritimam, & per vallem Heræ; & subditis prædictis terris & contratis Pisano Communi, reversi sunt Agnanum castrum Vicecomitum; & in ipsum Consules miserunt: quod usque tunc fieri non poterat; nulli enim usque tunc Consules exierant de Pisis, qui tantum honorem Pisani Communis crevissent.

Item eodem Anno Parasson Judex Turritanus cum fratribus & avunculis suis Pisanis, Barile scilicet, Gaynello, Paganello, & Paulo, & Domicellus Petrus Judex de Callari, frater Judicis Parassonis de Turri, fecerunt magnum exercitum contra Parassonem Judicem Arboreæ pro multis injuriis, quas eis fecerat. Et mense Aprilis in Arboream intraverunt, palatia, & domos, & omnia bona comburentes, viros & mulieres, & spolia inde plurima abstulerunt. Parasson itaque Judex Arboreæ cum sua uxore fugit ad mansionem de Capre, & ad Imperatorem Fredericum; & ad Januenses nuntios misit, qui si eum vindicarent, & totam Sardineam ei darent, dare promisit eis multum aurum. Et Imperator misit in Arboream suos Legatos cum septem galêis Januensibus ad ipsum Judicem.

Item eodem Anno mense Maji Ildebrandinus quondam Ranuccii Janni Pisanorum Consul ivit in Sardineam, & fecit omnes Judices Sardineæ jurare præcepta Pisani Communis, & treguam præcepit esse usque ad reditum Judicis Arboreæ. Et quia Januenses in Sardineam 8. galêas miserunt, Pisani 8. alias miserunt; & sic Nuntii Imperatoris, & Januenses nullam vindictam facere potuerunt. Et sic Judex cum prædictis Legatis Imperatoris cum triginta millibus libris Januam navigavit, & ad Imperatorem Fredericum Papiam iverunt. Eodem Anno IV. Idus Augusti Imperator Fredericus apud Papiam Parassonem Judicem in Regem Arboreæ coronavit: ex quo Pisani valde irati, Consules suos & alios Ambasciatores ad Imperatorem miserunt; & Judex Arboreæ prædictus cum Januensibus, qui cum eo ad Imperatorem iverant, Januam rediit; & habitis à Januensibus libris triginta millibus navigavit in Sardineam, sperans cum suo exercitu non solùm Arboream revincere, verùm etiam totam sibi Sardineam subjugare. Unde alii Judices dolentes iverunt, & quasi totam Arboream destruxerunt, & habuerunt postea auxilium à Communi Pisano contra ipsum Judicem, scilicet Consules, & Sapientes plures de Pisanis in sex galêis.

Eodem Anno Christianus Cancellarius Domini Imperatoris vênit Pisas die Sancti Andreæ, & secum duxit Papam Paschalem, qui priùs vocabatur Guido Cremensis; & Pisani eum honorificè tenuerunt, quousque ipse Cancellarius duxit eum Viterbum. Cui Papæ quia Villanus Archiepiscopus obedire nolebat, secessit ad Gorgonam. Eodem Anno Pisani Consules, & alii plures Sapientes & Nobiles Viri, Ambasciatores in Alemanniam ad Imperatorem iverunt, & inter alia commoda, quæ pro Imperio, & Communi Pisano tractaverunt, Insulam totam Sardineam sibi privilegiari pro Communi Pisano ab ipso Imperatore fecerunt. Et Uguccionem (3) Consulem Imperator ipse, dando ei vexillum, investivit de ipsa Insula, & honoribus, hominibus, & bonis omnibus, præsentibus ad hæc Januensibus, & Parassone supradicto, quem coronaverat Papiæ de Judicatu Arboreæ ipse Imperator in Dominum.

Eodem Anno Januenses cum prædicto Judice Arboreæ in Sardineam iverunt cum magno exercitu; sed Pisani illuc currentes, de tota Sardinea & Januenses, & Judicem expulerunt, atque VII. Idus Februarii Januæ applicuerunt. Et quia dictus Judex pecuniam, quam Januensibus promiserat, dare non poterat, ipsum in carcerem posuerunt, & sic totam Sardineam sub

Hæc apud Ughellum ita narrantur.

(3) Anno Domini MCLXV. Sexto Kalend. Martii Imperator Fridericus in Alemannia Uguccioni Consuli Pisanæ Civitatis totam Insulam Sardiniæ in feudum dedit, & inde vexillum in ejus manus commisit. Eodem anno Pisani Consules, qui in Sardiniam cum exercitu ierant, milites & negotiatores Januenses ceperunt, qui illuc contra Pisanos venerant in auxilium Judicis Darzonis, & totam Sardiniam sub tributo & fidelitate, expulsis Januensibus, posuerunt. Sequenti verò anno, Parazon Judex Turritanus, & Petrus ejus filius, videlicet Caralitanus, & Judex de Galluri in Parlamento suprascripto Pisani in Burgo Sancti Michaëlis juraverunt fidelitatem Consulum Pisanorum, & terram pro Communi Pisano in feudum tenere, & libras sex millia dare, & censum libras 100. & falcones paria 12. pro quolibet anno.

ſub tributo poſuerunt Piſani.

Anno 1166. Piſani cum XI. galêis in portu de Turri erant, & quidem malè conſulti iverunt ad villas de Turri, eaſque turpiter devaſtabant, & prædabantur, Conſulibus Piſanis invitis: propter quod Sardi in villa de Octaſio interfecerunt LXXX. Piſanos.

Eodem Anno poſt mortem prædictorum Piſanorum Paraſſon Judex Turritanus, & Petrus ejus frater Gallurae Judex de Kallari venerunt Piſas, & ipſe Judex in Parlamento, quod factum fuit in dicta Civitate in Burgo Sancti Michaëlis, juravit quòd in dictorum Piſanorum morte culpam non habuit. Verumtamen, quia in ſuo Judicatu perierant, ipſe fidelitatem Piſano Communi juravit, & promiſit pro Piſanis Terram tenere, & ſex millia librarum dare, & pro cenſu libras centum, & paria Falconum XII. annuatim Piſanis; & ſic Piſani eum reduxerunt in Turrim.

Eodem Anno in Calendis Junii Piſani vicerunt Lucanos ad Montem Piſanum, & fugaverunt eos uſque ad Maſſam. Item eodem Anno menſe Julii Piſani ſeptem galêas ad capiendos Januenſes in Siciliam miſerunt, & ſex alias in Provinciam, quæ plures Januenſes & Ligna ceperunt; & galêæ Piſanæ, quæ in Siciliam iverant, XI. Calend. Auguſti reverſæ ſunt. Propter quod Januenſes galêas XIV. armaverunt, & inſequuti ſunt noſtras uſque ad Montem Peſſulanum, & Marſiliam, & Rhodanum; & ſic ceperunt quinque naves Piſanorum, ſed vacuas; & Januam redierunt. Poſtea tertio Idus Auguſti Piſani videntes, quòd Januenſes iviſſent in Provinciam, viriliter armaverunt XXXI. galêas, & combuſſerunt Capo Corſo. Et XII. Cal. Septembris Albingam pugnando ceperunt, & inde profecti ceperunt cum hominibus & habere XXXVIII. naves Januenſium venientes de Mercato de Frigioli; & per totam Riperiam Januæ plurima Ligna ceperunt. Ad Gradus quoque Mercuri[1] quinque magnas, quamvis vacuas, naves combuſſerunt, & unam bene caricatam de Garbo ceperunt. Revertentes itaque Piſani, domum, per fauces Capræ intraverunt, & incolumes uſque ad Albanum Sancti Ægidii die Calendis Septembris intraverunt, in quo eſt, & tunc erat magna Fiera, & innumeræ gentes convenerant. Januenſes verò vehementer turbati, eo quòd Piſani Albingam devicerant, repentè L. galêas armaverunt, & in Provinciam navigantes per Rhodanum, ad Ripam Sancti Ægidii ſe poſuerunt prope Piſanorum exercitum per milliaria duo, tertio Nonas Septembris; & ſic uterque galêarum ſtolus ſe per decem dies præparavit ad bellum. Civitas quippe Piſana de ſuis quid eſſet ignorans, & videns quòd Januenſes in Provinciam tam magnum ſtolum miſerant, XXV. galêas ad devaſtandam Riperiam Januenſium miſerunt, & devaſtaverunt Portum Veneris, & Levantem; & ſic Piſas reverſæ ſunt. Poſt hæc tres galêas cum Guidone Bella Conſule, & cum multis militibus in Provinciam miſerunt Piſani in auxilium Piſanorum, quas ventus contrarius projecit in Ylbam. Et die Sancti Michaëlis ibi unam navem Januenſium ceperunt de Alexandria venientem onuſtam; & Piſani Tertio Nonas Octobris redierunt. Supradicti verò Piſani Idibus Septembris, qui erant galêæ XXXI. cum Januenſibus, qui erant cum quinquaginta galêis juxta Rhodanum, in terra magnum bellum fecerunt; & gratiâ Dei Piſani vicerunt illos, ubi multi Januenſes capti & occiſi ſunt, & eorum caſtra deſtructa, & X. Calend. Novembris devicti Januenſes Januam reverſi ſunt, quamvis tres galêæ de Janua cum Conſule eis obviam irent, eaſque ad expectandos Piſanos in Arli cum magno furore per quindecim dies tenuerunt fruſtra. Prædictæ verò Piſanorum victrices galêæ redire volentes, ſuper Inſula Sancti Honorati, furore & ira maximi venti & terribilis, nocte IV. Calendas Novembris in altum pelagus abſtractæ ſunt; & tota nocte ipſa, & die ſequenti tanta fuit maris tempeſtas, & venti contrarii, ut ex XXXI. galêis XI. ſubmerſæ ſint, & quibuſdam ex aliis in Corſicam, quibuſdam in Sardiniam, quibuſdam in Bugeam diſtractis rapido curſu à mari. Una de Porta Aurea Cigeum applicuit, cujus homines ceperunt Piratæ, & Bugeam duxerunt, & omnes, præter quatuor parvulos, & XX. alios, truncati fuerunt. Aliæ verò XIX. evadentes de tanto Dei judicio, de aliis neſcientes quid eſſet, intra XI. dies Novembris Piſas cum triumpho de Inimicis habito redierunt.

Eodem Anno Coccus (4) ſupradictus Conſul ivit pridie Nonas Maji ad Miramolinum Mumini pro faciendo cum eo pacem, & pro inveniendis & recuperandis Piſanis in prædictis galêis periclitatis, qui pacem honorabilem pro Communi Piſano fecit; ſed prædictarum galêarum nullos invênit homines, niſi XXIV. quos recuperavit, & ſecum reduxit; evaſerunt enim, ut diximus, de manu gladii Saracenorum, quando alii truncati fuerunt. Et ſic III. Idus Novembris Piſani reverſi ſunt. Tantus quidem luctus virorum & mulierum de Piſanis perditis in prædictis galêis XII. fuit, ut omnes Cives à minimo ad majorem in propriis plangerent domibus. Conſules verò alio die ad domos ſingulorum mortuorum tantam laudem pro honore Piſanæ Reipublicæ contulerunt, quantam numquam vix aliquis audierit; & ſic juſſerunt, quòd planctus remaneret.

Alio quidem Anno, ſcilicet 1167. Piſani XLVII. galêas armaverunt. Eodem tempore Januenſes, credentes Piſanos non poſſe ſecum certare in mari propter ſupraſcriptas galêas XII. redeundo de Provincia perditas judicio Dei, unam magnam navem in Arboream miſerunt, in qua debebant portare merces, pro ſatisfaciendo ſibi de eo, quod Judex Arboreæ (quem ob id tenebant in vinculis) Januenſibus debebat. Ad quam capiendam ſubitò Piſani quinque galêas miſerunt, eamque capientes, quando cum ipſa redibant, aliam navem Januenſium de Garbo redeuntem ad Capalpi cepe-

Hæc in editione Ughelliana ita deſcribuntur.

(4) Anno Domini MCLXVI. Conectus Conſul Legatus 2. Non. Maji ivit cum una galêa Morelli ad Floriam Munini pro facienda pace cum eo, & inveniendis & recuperandis hominibus prædictarum duodecim galearum deperditarum, & pacem toto tempore vitæ ſuæ cum eo firmavit, & dona magna ei dedit. Et fundacum in Cubilia Piſis habere conceſſit, & alia ad honorem Piſanorum pertinentia per totam ſuam terram largitus eſt. Prædictarum verò 12. galearum homines nullos invênit præter 24. quos recuperavit, & ſecum reduxit, qui 3. Id. Novemb. Piſas reverſi ſunt. Tantus luctus virorum, & mulierum de hominibus in dictis 12. galêis peremtis eo die publicus fuit, ut omnes Cives à minimo, uſque ad majorem in propria plangerent domo.

perunt; & sic cum gaudio Pisas reversæ sunt. In qua captione fuit Coccus Pisanus Consul, qui in una galêa ibat pro Communi Pisano ad Miramolinum Mumini Regem Bugeæ.

Eodem Anno Januenses IX. armaverunt galêas pro vindicando naves, quas perdiderant, navigantes in Kallarim. Cum Judice Petro contra Pisanos certa pacta fecerunt; & Pisani XVII. armantes galêas, Januenses usque Januam fugaverunt. Eodem tempore, cùm Pisani à Januensibus pacem peterent, & eam habere non possent, armaverunt in cursum; & plura damna in diversis locis Januensibus intulerunt. Itaque V. Calend. Augusti Pisas cum duabus devictis galêis, & aliis Lignis præter combusta, & cum CCCXXX. Januensibus captis triumphanter redierunt, præter X. galêas Pisanorum, quarum quinque iverunt destruendo Riperiam Romanorum, & naves capiendo. Aliæ quinque in Provinciam navigantes, ultra quatuor Ligna ceperunt, quibus combustis cum quadraginta Januensibus Pisas reversæ sunt.

Eodem Anno volentes Januenses vindicare se, armaverunt galêas plures, & Pisani similiter; sed Dei gratiâ Pisani eisdem dederunt & duplicaverunt damnum.

Item eodem Anno Pisani XLVII. galêas miserunt contra LVII. Saracenorum galêas, quæ venerunt in hoc mare; sed non invenientes eas, iverunt ad Civitatem-Veterem, & prœliando per diem unum, castrum ceperunt, & usque Taracinam multa Saracenorum Ligna ceperunt; habebant enim cum Imperatore Frederico Romani tunc guerram.

Eodem Anno de mense Octobris Januenses propter dolorem guerræ, quam cum Pisanis perdiderant, cum Lucensibus contra Pisanos juraverunt, promittentes, quòd eos ut Januenses per mare portarent, & duas domos in Portu Veneris eis darent, & turrim de Motrone suis sumtibus facerent & donarent.

Anno 1168. Imperator Fredericus Rainaldum Cancellarium & Coloniensem Archiepiscopum Pisas misit, qui exercitum facere statuit in æstate futura in Siciliam, Apuliam, Calabriam, & contra Romanos; & in publico Pisanorum Parlamento juratum est per quemdam Domini Imperatoris Cappellanum, & per Consules Pisanorum. Præterea ibidem prædicti Consules juraverunt Papam Paschalem pro Catholico tenere, & ei tamquam Catholico obedire, & Clericos Pisanos jurare facere promiserunt. Similiter & Archiepiscopum Villanum, qui nullo modo ei obedire voluit, promiserunt non recipere, nisi ipsi Papæ obediret, nec Rolando, qui Papa Alexander dicebatur, obedire; & alium Archiepiscopum in Pisana Sede eligere, ipsumque conservandum ipsi Papæ Paschali præsentare, tactis Evangeliis promiserunt. Postea quidem octavo Calendas Aprilis Pisani volentes obedire præceptis prædictorum Imperatoris, & Papæ Paschalis, Benincasam Canonicum Sanctæ Mariæ Majoris Pisanæ in Archiepiscopum elegerunt, cui ipse Papa Sabbato Sancto Sacerdotium dedit, & die Lunæ Paschæ honorificè cum suis Cardinalibus in Archiepiscopum consecravit. Et sic Pisas cum Consulibus, qui cum eo iverant, reversus est X. Cal. Junii. (5).

Eodem Anno Rainaldus Cancellarius prædictus cum magno exercitu Civitatem-Veterem obsedit, & postea pro Pisanis misit, & civitatem ipsam illis venientibus devicit; & cepit ibi quadraginta Romanos, qui ibi erant cum Petro....... quibus vitam gratiâ Pisanorum donavit, & civitatem ipsam, & incolas ad serviendum Domino Imperatori retinens, Tusculanum petiit. Quod audientes Romani, de mense Maji iverunt Tusculanum potenter; fuerunt enim milites, & pedites quadraginta millia. Et cùm die Lunæ Pentecostes quarto Calendas Junii Tusculanum devastarent, cum Imperatoris exercitu prœliati fuerunt, & demum devicti, ita quòd ex eis in bello mortui sunt quatuor millia, & capti quinque millia.

Eodem Anno XI. Calendas Augusti Imperator suprascriptus cum Papa Paschali prædicto Romam vênit apud Ecclesiam Sancti Petri Apostoli, quam turribus mœniisque munitam invênit, eamque pugnando cum Romanis devicit. Et die Cal. Augusti Papa Paschalis in ipsa Ecclesia cum Imperatore, & copiosa Romanorum multitudine gloriosissimè celebravit. Quia tamen major pars Romanorum adhuc resistebat Imperatori, ipse Pisas pro auxilio misit. Quod audientes Pisani miserunt ad eum Romam octo galêas bene armatas, & duos Consules, & alios probos, & sapientes Viros; erant enim semper, & maximè tunc Pisani ad servitium ipsius Imperatoris parati cum quinquaginta galêis, & XXXV. sagittiis, atque aliis multis Lignis, & personis, & potentes victualibus, & armis. Quæ octo Pisanorum galeæ Romam intrantes, & per Tyberim navigantes, plura damna intulerunt Romanis in villis, & usque ad pontem Tyberis vexilla Pisana posuere. Quod videntes Romani, omnia Imperatoris subierunt præcepta, & CCCC. obsides ei dantes, quinquaginta Senatores, ut præcepit Imperator, constituerunt. Quo facto Imperator exultans, & Pisanos multum regratians, prædictis octo Pisanorum galêis licentiam tribuit redeundi, & XII. Calendas Septembris Pisas cum gaudio redierunt.

Eodem Anno Pisani miserunt Ambasciatores ad Regem Siciliæ pro facienda secum pace, sed non fecerunt; non enim convenerunt in pactis.

Eodem Anno. Ab antiquis temporibus non fuit tam deforme tempus visum, nec tanta abundantia aquarum, quanta fuit à medio Septembris, usque ad pridie Idus Novembris. Fuerunt enim illo tempore novem inundationes maximæ fluminis Arni, quæ villam de Putignano, & Arcus magni Pontis de Stagno destruxerunt, & Molas inclinaverunt ipsius Pontis. Et è converso non fuit visum tam glaciale tempus, & crudele, & aëris serenitas, & ariditas, quanta fuit à pridie Idus Novembris usque ad medium Januarii, quod tempus Astro-

In editione Ughelliana hæc ita narrantur.

(5) Anno Domini MCLXVIII. Pisani Consules cum octo galêis fuerunt cum Raynaldo Cancellario Imperatoris ad capiendam Urbem veterem. Eodem anno præceptis Imperatoris, & Papæ Paschalis obedientes, Benencasam Canonicum Sanctæ Mariæ Pisanorum majoris Ecclesiæ in Archiepiscopum 8. Kalend. April. honorificè elegerunt. Villanus Archiepiscopus, Pistoriensis origine, aufûgit Gorgonam. Eodem anno Topertus Dodonis, Bulgarinus Anfossi Consules, cum Sapientibus Marzucho, & Ramondo Gaitani, & quampluribus aliis, cum 8. galêis fuerunt cum Imperatore Frederico ad subjugandam Romam.

Astronomi secundùm cursum Planetarum fallax fuisse dixerunt.

Eodem supradicto Anno, Januario mense, tam fortissimè fuit glaciatus Arnus, quòd per XII. dies super glaciem à Carraria Gondulæ, usque ad Sanctum Masseum, mulieres, equi, equites, currus, & boves securè transibant, & commeabant; & quando disglaciari incœpit fuit Pisis ubique auditus tonitruus fortis, & tremendus maximo cum mugitu.

Eodem Anno Pisani miserunt Burgensem Consulem cum X. galêis, & probis Pisanis, & varias machinas ad obsidendam Alexandriam civitatem, quam tenebant Saraceni cum multitudine Saracenorum; quam obsidionem fecit Aimericus Rex Hierosolymitanus, qui misit XII. Calendas Februarii Pisas Sinibaldum Ambasciatorem suum significare Pisanis victoriam, quam de Alexandria habuerat, & regratiare de Pisanis, quos in ipsa obsidione sibi utiliores invênit super quoslibet alios, qui secum fuerant. Et quia Pisani tales ibi fuerunt, Rex Babyloniæ, cujus tunc agebatur negotium, Pisanis donavit dirictūram, quam dare solebant in Babylonia, & Alexandria: sicque ibi sunt liberi; & donavit ipsis Pisanis multas possessiones, & domos per totam suam Terram, & ipsos rogavit Pisanos, quòd pro honore totius Fidei Christianæ auxilium præpararent contra Saracenos, qui fremunt, & minantur venire, & obsidere Babyloniam, & Urbem Hierosolymam, & Alexandriam. Cui responderunt Pisani, quòd si pacem habere poterant cum multis & diversis inimicis suis, quos habebant, libenter ac potenter auxilium terrestre præberent.

Eodem Anno Pisani contra Januenses XX. galêas in mare miserunt, quarum IX. in Garbum, XI. in Provinciam pro capiendis Januensibus iverunt. Quo audito Januenses XV. galêas contra XI. quæ in Provinciam iverant, & eis damnum plurimum fecerunt. Senserunt etiam esse in faucibus Addi quatuor de XI. nostris galêis, quæ iverant ad præparandum & apportandum sibi & aliis necessaria, in quibus homines nostri dormiebant, nihilque sentiebant, & eas IX. Calendas Maji cum fremitu magno ceperunt, & Januam redierunt triumphantes.

Eodem Anno de duabus nostris galêis, quæ contra Januenses navigabant, capta est una Quarto Calendas Septembris.

Anno 1169. Lucenses Pisanis guerram Idibus Maji facere incœperunt, sicut Januensibus juraverant & promiserant; & eodem die majorem partem Quosæ combusserunt. Postea verò eodem mense Maji, scilicet medio, Lucenses bene parati ad castrum de Asciano venerunt, ipsumque pugnantes viriliter cœperunt. Sed Pisani increduli & inordinati illuc furiosè currentes devicerunt Lucenses, & verterunt in fugam. Sed Lucenses, se videntes à paucis & non ordinatis devictos, ad bellum viriliter conversi sunt, & ultra castrum illud eos fugaverunt, capientes Pisanos de Nobilioribus XX. de Popularibus IXL. & sic Lucam reversi sunt. Post hæc XVI. Calendas Augusti Lucenses de majoribus prædictis Pisanis, quos ceperant, miserunt Januam, istos scilicet XII. D. Lambertum Maccajonem, Sigerium Gualandi, Bulgarinum quondam Ugucionis Bocci, Gerardum Barattulam filium Ugonis Odiernæ, Bonacursum quondam Magnani .... Ugolinum Baldiccionis Digrignati, Lambertuccium Nepotem Battipaglia, Ubertum olim Sigerii Carbonis, Bonacursum de Via Majore, Silverium filium Petri Altiliæ, de quibus, quia in carcerem extra Provinciam Thusciæ ipsi Lucēses miserunt, ab omnibus gentibus infamati & odibiles extiterunt Lucenses.

Eodem Anno mense Octobris pro compagnia, quam Januenses cum Lucensibus fecerant, juraverunt amicitiam cum Vallecchiensibus, Versiliensibus, & cum maxima parte Garfagninorum pro guerra cum Lucensibus facienda, quibus dare promiserunt Pisani expensas, & libras quinque millia.

Hugo de Monte Magno (6) similiter contra Lucanos cum Pisanis amicitiam juravit Anno sequenti, cui Pisani debent expensas, & libras quingentas.

Eodem Anno Almericus prædictus Hierusalem Rex cepit .... civitatem ditissimam, in qua plures thesauros habuit, & in ipsa victoria fuerunt Pisanorum galêæ, & homines honorificè. Et hoc fuit, quando Saladinus Alexandriam rehabuit.

Eodem Anno (7) à temporibus Sodomæ & Gomorrhæ non fuerunt tam stupenda miracula, qualia in Insula evenerunt Siciliæ. Pridie namque IX. Februarii in Vigilia S. Agathæ Catania civitas à terræmotu subversa est usque ad fundamenta, & ex ea nec fœmina, nec masculus remansit; ipsa enim inter duos Montes repentè clausa est, & quædam pars Syracusæ de prædicto terræmotu periit. Et à prædicta Catania usque ad Plassa undecim inter Civitates, Castra, & Villas cum multis hominibus in viis & agris oppressi perierunt. Et portus Messanæ XX. palmis funditus est siccatus; postea verò cum fortuna in locum suum reversus est.

Eodem Anno Tancredus Vicecomes castrum de Agnano pecuniâ sibi à Lucensibus conventâ sceleratissimè Lucensibus ipsa die Calendarum Martii tradidit, ipsosque intromisit. Quod audientes Pisani, dolore magno commoti, sequenti die, qui fuit Dominicæ Carnevalis, ad ipsum castrum iverunt; & cùm castrum jam quasi vicissent, & muros destruere incœpissent, Lucani subitò invaserunt Pisanos, eosque usque ad stratam de Mezzana fugarunt, ubi XVII. milites, & XXVII. pedites Pisanos ceperunt. Pisani verò ex ipsis Lucanis XI. milites, & XV. pedites ceperant, & Pisas cum labore reversi sunt, & cum vituperio, & cum damno, unde Pisa dixit:

Heu

(6) Hic non loquitur de illo Monte Magno prope Pisas, sed de eo, qui est in Versilia.

Apud Ughellum hæc ita describuntur.

(7) Anno Domini MCLXIX. Secundo Non. Febr. Vigilia Sanctæ Agathæ, Catania Civitas ex terræmotu usque ad fundamenta eversa est, & non remansit ex ea neque masculus, neque fœmina. Lentinum inter duos montes repentè clausum est, & quædam pars Saragosæ prædicto terræmotu periit; & à prædicta Catania usque ad Plassa undecim inter Civitates, & Castella, & Villas cum multis hominibus in via & agro oppressis à dicto terræmotu perierunt. Et portus de Messina viginti palmis funditus siccatus est, postea verò in locum suum cum fortuna reversus est.

Heu doleo Pisa: de me stirps una recisa
Me sæpe dat pessum. Caput essem: vix ita pes sum.
Hoc genus in Matrem furit, urit viscera. Patrem
Obsecro cœlestem super id grandem dare pestem.

Anno 1170. Pisani propter dolorem, quem eis prædictus Tancredus Vicecomes traditor de castro Agnano dederat, duos fecere exercitus, unum ad obsidendum castrum de Corvaria, alium castrum de Agnano. Et videntes Lucani, quòd ipsa castra defendere non poterant, quamvis cum magno exercitu ad Corvariam defendendam ivissent, IX. Calend. Maji per Religiosos viros de Luca fecerunt de pace tractare; & pax jurata fuit per Consulem Pisanorum, Januensem, & Lucanum, & per duos bonos Viros de unoquoque Communi. Sed Lucenses, & Januenses pacem juratam noluerunt, quia eam non fecerant, nisi ad castra defendenda per fraudem.

Eodem Anno V. Calendas Julii Pisani cum Rege Siciliæ pacem fecerunt, quam honorificè in perpetuum firmaverunt.

Eodem Anno Pisani ceperunt civitatem Albengam cum galêis XXXII., & Januenses iverunt cum galêis LII. ad flumen Rhodani in Provinciam, ubi erant dictæ galêæ Pisanorum, & in terra prœliati sunt; & Pisani vicerunt eos, & quamplures ex eis ceperunt.

Anno 1171. Cùm Pisani mitterent in Sardineam Caronem Consulem, & alios tres Nobiles & prudentes Viros ad pacificandos Judices, & homines Sardineæ inter se, videntes prope Plumbinum unam galêam Januensium, quæ habebat secum unam Pisanorum navem, quam ceperant, pro succurrenda nostra Navi illam invaserunt. Et tunc duæ aliæ Januenses galêæ, quæ ibi prope in insidiis malitiosè stabant, exiverunt foràs, & nostram galêam ceperunt; ipsum Consulem & socios Januam duxerunt in carcerem.

Eodem Anno Pisani X. naves Januenses ceperunt, quarum quinque in vigilia Sancti Johannis Baptistæ combusserunt.

Eodem Anno à temporibus Dathan & Abiron non fuerunt tam miranda & stupenda prodigia, quàm ea, quæ hoc Anno in Terra Orientali evenerunt; civitas Tripoli cum magna Ecclesia dedicata ad honorem Beatæ Mariæ Virginis cum toto populo, & medietas civitatis Antiochiæ cum Ecclesia Beati Petri Apostoli, in qua Cathedra ejus fuit, & cum quibusdam aliis villis, & castellis prædictarum civitatum, ipsa solemnitate Sancti Petri, quæ tertio Calend. Julii est, à terræmotu subversæ sunt: de quo terræmotu tria millia Christianorum perierunt, & bestiæ multæ.

Eodem similiter die Alap, Cæsaria, Emma, civitates Saracenorum magnæ, cum parte villarum & castrorum earum, & Uringa castrum magnum ab eodem terræmotu subversæ sunt, ubi CC. millia Saracenorum, & ampliùs perierunt.

Eodem Anno mense Septembris prope Arboream Pisani unam Januensium navem ceperunt, & in mense Novembris aliam, quæ de Janua tunc veniebat. Et demum alteram, quæ de Sicilia pro Lucensibus veniebat. Pisani, qui erant in tribus galêis armatis, ceperunt.

Anno prædicto mense Novembris Pisani fecerunt exercitum magnum, ubi fuerunt quasi duo millia militum. Qui XV. Cal. Decembris iverunt contra castrum, quod Lucenses, & Januenses prope Motronem in litore maris tenebant, & contra ipsum Motronem castrametati fuerunt ultra Caput-Cavalli. Lucenses verò magno vigore ad turrim suam ligneam, quam habebant ad viam dictam Regiam, sinè mora iverunt, & ibi usque ad litus maris suum campum viriliter posuerunt. Et cùm ibi per quatuor dies Consules Florentini, & aliæ Religiosæ personæ de pace tractassent, & pax Lucensibus displicuisset, utpote qui de victoria confidebant, Pisani se paraverunt ad bellum, & in tres acies suum exercitum diviserunt. Et in prima acie omnes fuerunt pedites, & sagittarii, & milites octingenti, & sex castella lignea fortissima, quorum unumquodque quatuor curribus ferebatur; in qua acie Comes Ildebrandinus Signifer & Capitaneus exstitit, & Sigerius quondam Uguccionis Gualandi probatissimus miles, & Comes Albertus de Prata probatissimus. In secunda acie fuerunt milites septingenti, quorum fuit Vexillifer Ugo Bellæ miles egregius: quæ acies plurium erat Nobilium & probatorum insignita virorum. Fuerunt scilicet in ipsa Comites Gerardus, Rainerius, & Ugo, & Comes Teodinus de Bizerno, & Uguccio, & Tegrimus Comites de Cornino, & plures alii. In tertia acie fuerunt milites D. inter quos fuit nobilis militia Episcopi Vulterrani, quorum fuit Signifer Henricus Canis miles strenuissimus. Numquam usq; tunc Thusciæ Nobilium probitas meliùs numero convenerat. Uno itaque concursu utræque acies Pisanorum & Lucensium ingenti contentione dimicaverunt. Cùmque dubia forte utrinque prœliaretur, tamdem, virtute Dei, qui exaltat humiles, & deponit potentes, Pisani VI. Cal. Decembris, qui fuit dies Jovis, de Lucensibus & Januensibus gloriosam habuerunt, & consecuti sunt victoriam. Illos vicerunt, debellaverunt, & fugaverunt usque ad prædictam ligneam turrim, & ultra; & de Lucensibus ceperunt milites CCC., & pedites DCC., & plures cum tribus Consulibus Lucanorum. Multitudo maxima fuit occisa; multi in palude & alibi fugiendo diversimodè perierunt. Papiliones quidem, & tentoria, arma, equos, salmariam, & omnia Lucensium spolia victoriosi Pisani ceperunt. Nec dubium est, quòd ille ultimus Lucanæ civitatis dies fuisset, si Pisani non ad spolia, sed ad Lucenses devictos, & fugatos capiendos divertissent. Januenses verò, qui de mari videbant, recesserunt dolentes. Altera verò die Pisani prædictam turrim ligneam ceperunt, & mortuos Lucanos, & arma, & spolia multa de silvis & paludibus abstraxerunt. Tertia autem die, quæ fuit quarto Cal. Decembris, ad castrum de Motrone iverunt cum manganis, gattis, castellis ligneis, & petreriis, & illud in recinctu obsederunt; & per dies quatuor cum prædictis & aliis machinis ipsum viriliter oppugnaverunt. Quod castrum in litore maris erat fossa vallatum, & quadratum, & per unumquemque angulum turrim habebat tutissimam. In medio autem turris erat LX. cubitorum fortis, Pugnatores LXXX. in ea cum XX. balistris. Cùmque diu pugnatum esset, illi se non valentes tenere, videntes murum à gatto foratum, & à manganis turrim, IV. Nonas Decembris se reddiderunt Pisanis; & illud triduo usque ad fundamenta destruxerunt, & ita solo coæquaverunt.

runt. Januenses autem post bellum factum, ad castrum cum quinque galêis venerunt, & cernentes destructum castrum, cum duplicata tristitia recesserunt. Et redeuntes Pisani, turrim suprascriptam ligneam combusserunt. Numquam quippe ab annis centum & ultra visum est vel auditum tam campestre & ordinatum bellum, quale Pisani cum Lucensibus habuerunt; nec talis victoria visa fuit vel audita, quam bellicosi Pisani sunt de Januensibus & Lucensibus consecuti. Unde Pisas cum laude & gloria triumphanter pridie Nonas Decembris redierunt jubilantibus vocibus decantantes: *Non nobis Domine, non nobis, sed Nomini tuo sit gloria per infinita secula seculorum. Amen.*

Eodem Anno post prædictam victoriam Pisani, & Vallechienses, & Garfagnini per sex menses taliter obsederunt Roccham de Corvaria, quòd ad plus per dies octo se tenere non poterat. Quod videntes Lucenses & Januenses, quod id viribus facere non poterant, pecunia statuerunt providere. Verterunt namque per pecuniam animos tam Versiliensium, quàm Vallechiensium, quàm Garfagninorum, excepto Gerardo de Vallechia, qui fidelis perstitit, & Pisas habitare cum sua familia vênit, & Corso, & filiis Veltri, & quibusdam de Carsagnana. Rectè quidem Versilienses dicti sunt quasi vertibiles; omnia enim vertunt & pervertunt, & credunt pretio honesta fore. Hujus autem proditionis perjuriique scelesti conscii & capitanei fuerunt Raimundus quondam Guilielmi de Carfagnana Judex, Parente, & Bonone cum filiis de Vallechia. Tale namque siquidem à seculo non est auditum, quoniam ipsi vicerant, & se victos dederunt. Pisani autem post traditionem hujusmodi pridie Calendas Maji redierunt.

Anno 1172. Lucenses, & Januenses pro dolore castri Motronis unam turrim ligneam ad viam dictam Regiam facere cœperunt, & bilinguibus injuriis & verbis minabantur facere & congregare per mare & terram mirabilem exercitum contra Pisas, ubi se Januenses jactaverunt debere habere milites quatuor millia, & Lucani totidem, & castrum de Ripa-Fracta viriliter obsidere, & Pisanum destruere Comitatum. Propter quod faciendum Januenses à Barcellona usque in Lombardiam auxilium petierunt, & exercitum incœperunt; sed eorum vana spes abiit, & defecit. Videntes verò Januenses, & Lucenses, se omnium prædictorum destitutos auxilio, ad civitates Thusciæ se verterunt, & illas contra Pisas solemniter, eas corrumpendo pecuniis, invitaverunt. Quibus Comes Guido, Senenses, & Pistorienses contra Pisas venire & esse magnis securitatibus promiserunt. Et quia Comes Guido cum Florentinis malè stabat, Lucani Florentinos secum noluerunt habere, & quamvis priùs invitassent, postea refutaverunt. Quod sentientes Pisani compagniam cum Florentinis fecerunt per XL. Annos duraturam, & multa sibi promiserunt, & juraverunt invicem observare; & sic Pisanus districtus eo Anno mansit illæsus.

Eodem Anno tribus diversis vicibus Pisanum Commune, & societas de Crarunza armaverunt contra Januenses plures naves. Et naviculas, galêas, & galeones, havere, & homines diversa per loca maris ceperunt, & vivam guerram fecerunt.

Eodem quoque Anno pro Communi Pisano Albertus quondam Bulsi Consul, Burgundius Jurisperitissimus, atque Marcus Comes honorificè ad Imperatorem Constantinopolitanum iverunt, & honorificè cum Imperatore compleverunt, & firmaverunt amicitiam; & antiqua pacta, quæ inter ipsius Imperatoris patrem, & Commune Pisanum facta fuerant, refirmaverunt. Itaque Imperator ipsos Pisanos, quos de Constantinopoli expulerat, redire fecit; & scalas, quas ibi Pisani habuerant, reformatas in melius ipsis Pisanis restituit, & totum solvere quod Pisanis tenebatur per Annos XV. prædictis Ambasciatoribus restituit. Solvere autem solitus erat per Annum Byzantios D. pallia duo, & Byzantios XL. & pallium unum Archiepiscopo similiter omni Anno. Qui fuerunt inter omnes octo millia quadraginta Byzantii, & pallia XLV. Et sic cum tribus galêis Imperatoris, & Viris sapientibus Theodosio, & aliis duobus, cum magno honore redierunt, qui per Annos tres & dies tres steterunt, & in publico Parlamento Pisani cum jam dictis Imperatoris Legatis die Sanctæ Luciæ juraverunt & firmaverunt.

Eodem Anno mense Januarii Christianus Archiepiscopus Maguntinus Legatus Imperatoris Frederici in Italiam de Alemannia vênit, ex rogatu Januensium & Lucensium Januam & Lucam vênit, & postea tertio Nonas Februarii vênit Pisas, ubi magnificè receptus ad Burgum S. Ginesii perrexit; & convocatis ibi Januensium, Florentinorum, Pisanorum, & Lucensium Consulibus, petiit ab eis, ut totam, quam inter se habebant, discordiam ei præsenti committerent, & captivos, quos habebant, ei darent. Quod Lucenses, & Januenses illico acceptaverunt, & in eum totaliter compromiserunt, & juraverunt. Pisani verò de captivis non dandis consilium habuerunt, & ideo in generali Curia ipse Christianus exbannivit Pisanos, & diffidavit, & eos privilegiis privavit tam de moneta, quàm de Insula Sardineæ. Pisani autem bene dedissent captivos, sed ipsos absque pace nullatenus dare voluerunt; sed procuraverunt interim, quòd homines & Commune Sancti Miniatis cum Florentinis secum essent; & salva fidelitate Imperii juraverunt.

Eodem Anno Lucenses cum Januensibus levaverunt castrum Viaregii cum magnis ædificiis, & pro conventione pacis destruxerunt illud.

Anno 1173. Lucenses cum magno exercitu levaverunt castrum Mutronis cum ædificiis magnis, & Pisani iverunt illuc, & turpiter fugaverunt eos, & castrum destruxerunt, & quamplures ex eis ceperunt.

Eodem Anno mense Julii Pisani miserunt in auxilium Comitis Ildebrandini CXL. milites cum balistrariis, & ædificatoribus; & tunc obsedit, & cepit castrum dictum de Cirisano, quod tunc tenebat Bernardus Stratume; & sic postea mediantibus Pisanis ipsum habuit & tenuit dictus Comes Ildebrandinus.

Eodem Anno V. Calend. Julii. Archiepiscopus Maguntinus considerans, quòd malam famam incurrerat de processu, quem contra Pisanos fecerat, eos à banno absolvit, & in suam gratiam revocavit; & sic Pisani Consules de pace tuenda ipsi Archiepiscopo juraverunt.

Eo-

Eodem Anno. Prædictus Christianus (8) Archiepiscopus vênit Pisas ipso die Calendas Julii, & in magno Pisanorum Parlamento cum Consulibus Lucanorum & Januensium interfuit, & eorum Sapientibus, & similiter Pisanis, & Florentinis, qui ibi similiter magnificè aderant, præcepit, ut inter se, & suos Coadjutores firmam pacem tenerent; & si quæ tunc offensa hinc inde fieret, eam in XL. dies emendari præcepit: quod similiter inter se Consules ipsorum Communium juraverunt; & duos homines de qualibet civitate elegerunt, qui omnes discordias terminarent. Et ut pax illa meliùs compleretur & teneretur, de mandato ipsius Archiepiscopi factum est, quòd Pisani miserunt Florentiam milites captivos C. de carceratis Lucensibus, qui Pisis erant, & Lucenses miserunt Pistorium milites XV., & Pedites XL. Pisanos, qui erant carcerati in civitate Lucana. Quo facto prædictus Archiepiscopus præcepit Consulibus dictorum Communium, ut eum sequerentur ad Burgum Sancti Ginesii. Quibus ibi coadunatis, & de pace tractantibus, Archiepiscopus ipse fraudulenter & cum scelere, secundùm quod cum Lucensibus excogitaverat de pace facienda, & de captivis reddendis; & quia castrum Sancti Miniati ei multam pecuniam ad ejus voluntatem dare promiserat, Pisanos Consules, & Ambasciatores Florentinos similiter pridie Nonas Augusti cepit, & vinctos catenis ferreis in carcerem mancipavit, qui de mandato suo ad eum apud dictum Burgum iverant, quorum nomina sunt hæc:

Gualfredus quondam Ildebrandini Melæ Pisanorum Consul,
Sigerius Gualandi,
Petrus Albithi,
Stuffa Vernacci,
Guido Marignani,
Filius Vernacci,
Filius Buttari,
& Johannes Donati

Florentinorum Cōsules cum quatuor Sapientibus. Quod audientes Pisani, dolore vehementi commoti exiverunt ultra pontem Heræ potenter ad campum, & Florentini ad Castellum Florentinum. Erat enim Christianus Archiepiscopus præfatus cum Lucensibus, Senensibus, Pistoriensibus, & Comite Guidone pro destruendo Districtu Pisano; & quia timebat, ne Pisani subitò in eum irruerent pro suis captis civibus rehabendis, iverat dictus Christianus ad castrum dictum Ventrignanum, quod erat Comitis Gerardi, & ipsum XVI. Cal. Septembris fortiter pugnando cepit, & combussit. Illico contra Florentinos equitavit, & cum eis prœliari minatus est. Quod audientes Pisani ad Florentinos CCXXV. milites miserunt cum duobus Consulibus, scilicet Benetto, & Albitello, unde valde confirmati & gaudentes facti sunt Florentini; auxilia enim, quæ expectabant, eis aliunde promissa, habere non poterant. Cùmque Christianus & sui cum Florentinis postea dubitassent bellum facere, de Florentinorum consilio factum est, ut Pisani ad terras Lucanorum devastandas irent. Et sic Pisanis revertentibus, & Lucanorum terras undique usque ad pontem Sancti Petri devastantibus, & usque Lunatam omnia spolia & bestias prædantibus, Lucenses de sua civitate timentes, dimiserunt Christianum prædictum, & Lucam reversi sunt; Unde valde doluit Christianus prædictus. Audientes verò Pisani, quòd Lucani reversi essent, in duas se acies diviserunt, & ad pontem de Fresso insultum potenter fecerunt XIV. Calend. Septembris, ubi vicerunt Lucenses pugnando, & viriliter fugaverunt, eorum aliquos capiendo, & occidendo, atque in Sercli fluvio submergendo, unde Pisas cum victoria redierunt, propter quod Lucenses, & prædictus Christianus irati miserunt CC. milites cum Comite Guidone ad pontem Heræ ad rapiendum, & devastandum: quibus se viriliter opposuerunt Opezzinghi Nobiles, & Vicanenses, & Calcinarienses. Et cum eis prœliantes viriliter ipsos demum vicerunt V. Calend. Septembris, & eos usque ad castrum de Monte Calvoli fugaverunt, quamvis utrinque plures perierunt, antequam Lucani converterentur in fugam.

Eodem Anno Capitanei de Carfagnana Coadjutores Pisanorum cogitaverunt cum filiis Ubaldi de Montravante de dando Pisanis castra montis Granati, & Bozani, & turrim ligneam, quam Lucani ædificaverant ad viam Regiam, promissâ multâ pecuniâ ipsis Ubaldi filiis. Qui cùm in dicta castra ex voluntate prædictorum filiorum Ubaldi intrassent, pro Pisanis miserunt, ut ea castra accepturi, & priùs turrim ligneam prœliaturi subitò venirent. Cùmque Pisani illuc citò currerent, ac turrim habere non possent, quia Lucenses ad dictam turrim defendendam venerant: per totam diem Pisani & Lucani sunt invicem prœliati, & utrique certantes viriliter campum tenuerunt egregiè, & neutra pars succubuit, quamvis plures hinc inde occisi fuissent. Cujus Nobiles belli Vexilliferi

In editione Ughelliana hæc ita se habent.

(8) Anno Domini MCLXXIII. Christianus Archiepiscopus pacem fecit inter Lucanos, & Pisanos. Qui postea ad suggestionem Lucanorum cepit Gualfredum quondam Ildini Mele Pisis Consulem, & Joannem Donati Consulem Florentinum, cum Sapientibus, qui cum eis erant. Ex quo Pisani fecerunt magnum exercitum, & ultra pontem Heræ papiliones, & tentoria posuerunt, & auxilium Florentinorum miserunt cum duobus Consulibus Sancto Benedicto, & Albitello. Revertentibus itaque Pisanis cum exercitu, Lucanorum terras 15. Kalend. Septemb. intraverunt, & ex utraque parte fluminis Sercli totam terram Lucanam ab Aglata usque ad pontem Sancti Petri devastaverunt. Postea Pisani audientes Lucanos redire, se ad bellum præparaverunt, & in duas acies exercitum diviserunt. In prima acie Marzuchus Gaitani vexillifer fuit, & Bernardus filius Bonacursii de Buriana; in secunda Albertus Bulsi; & sic usque ad pontem Fressi insultum fecerunt, & super ipsum pontem bellum cum Lucanis 14. Kal. Septemb. fecerunt, & illos pugnando vicerunt. Illustres & nobiles milites Opethingi cum Vicacensibus, & illis de Calcinaria 5. Kalend. Septemb. usque ad castrum Montis Calvuli in sconfitam miserunt Comitem Guidonem, & Lucanos, qui venerunt ad devastandum Rapidam, & pontem Heræ. Eodem anno Januenses occultè cum octo galêis, & manganis iverunt Planuxiam, & obsederunt, ita quòd se eis reddidit 16. Kalend. Octobr., & castrum usque ad fundamenta destruxerunt. Eodem anno Pisani citissimè in auxilium Comitis Ildini miserunt contra Christianum Cancellarium 150. milites cum sagittariis, unde Pisani magnam laudem habuerunt. Eodem anno Pisani cum una galêa, & bussis Roccam Corvariæ obsessam à Lucanis cum ædificationibus surrexerunt, & sic eam viriliter tenuerunt, unde Lucani magnum dolorem habuerunt.

liferi fuerunt Henricus Canis, Marzuccus Gaitani, & Albertus Bulsi Nobiles cives Pisani. Postridie Pisanis Pisas revertentibus, Lucanis se, deinde castra dederunt,& Lucani Bozanum tenentes, Montemgranati combusserunt.

Eodem Anno XV. Calend. Octobris. Januenses post multum præhabitum prœlium, castrum Insulæ de Pianosa, salvis personis, havere, & terra, ex deditione habuerunt, quod non observantes castrum funditus destruxerunt.

Eodem Anno Pisani tres galêas armaverunt, quæ navigantes in Corsicam duas Januensium naviculas ceperunt: quo Januenses audito quinque miserunt galêas, & illas nostras tres de mense Octobris quadam nocte sinè aliquo homine in portu Sanctæ Luciæ vacuas habuerunt, & Januam cum gaudio redierunt.

Eodem Anno mense Decembris prædictus Christianus Cancellarius cum magno exercitu Senensium, & Comitis Guidi ivit ad devastandum Districtum Comitis Ildebrandini, & cepit ibi duo castra, in cujus Comitis auxilium Pisani CL. milites cum aliis balistrariis miserunt; & sic dictus Christianus citissimè de terra ipsius Comitis, de Pisanis timens, recessit, & ad partes Romanorum profectus est, ex quo Pisani non modicam per Thusciam laudem habuerunt.

Eodem Anno mense Octobris filii Veltri, & Jaferrus fecerunt pacem & securitatem cum Lucanis, & contra Pisanos juraverunt, pecuniâ à Lucanis sibi datâ; qui Lucani juraverunt cum promissione, quòd rocchas de Corvaria destruerent. Et cùm destruere cœpissent, Corradus Jaferri, & filii cum suis fidelibus satis ingeniosè & cautè Terram prædictarum Roccharum recuperavit Nonis Januarii, & in ipsam intravit, inde expulsis Lucanis. Pisani verò illuc currentes per mare, eam muniverunt & sucurrerunt, & viriliter tenuerunt, unde in magnum Lucani devenerunt dolorem.

Anno 1174. In Consulatu Roberti quondam Petri Pagani, & Gaitani Burgundionis, & Sociorum, novem sunt Pisis factæ pro guardia maris galêæ; & in eodem Consulatu quidam nobiles Cives Pisani galêas armaverunt viriliter, & sex magnas Januensium galêas, sinè aliis parvulis Lignis, cœperunt.

Eodem Anno. Consules prædicti Comitem Gerardum, & Magistrum Rombertum Sapientes Viros ad Imperatorem Fredericum miserunt pro injuria quam suprascriptus Archiepiscopus ejus Cancellarius Pisanis intulerat, & ne aliter nuntiatum Imperatori per ipsum Archiepiscopum, seu per alium de Pisis fuisset. Quos Imperator magnificè recepit, & ad propria cum sua bona voluntate remisit. Eodem Anno (9) præfati Consules Terpetiam Dodonis ad Regem Majoricę miserunt pro pace facienda cum eo. Rex verò, quia Legationem illam desiderabat, eum libenter recepit, & valde honoravit, & pacem, qualem petiit, ei fecit. Quo Pisas redeunte per Provinciam plures naves, & ligna Januensium invênit, eaque cœpit, & demersit in mare, & sic Pisas septimo Cal. Septembris cum laude reversus est.

Eodem Anno Christianus prædictus, qui multa mala Thuscis intulit, à Calendis Aprilis usque ad medium mensem Octobris civitatem Anconæ cum magno militum & peditum exercitu, & 40. galêis obsedit, in qua Legatus Imperatoris Constantinopolitani cum multa pecunia pro ejus auxilio erat; & ad tantam penuriam civitatem redegit, ut canes, & gattos, & coria animalium mortuorum comederent. Sed dicti Imperatoris Constantinopolitani Legatus videns, quòd civitas perdebatur, exinde exercitum congregavit, & obsidionem fugavit, & civitatem ipsam defendit.

Eodem Anno V. Idus Augusti. Campanile Sanctæ Mariæ de Pisis fundatum est.

Eodem Anno toto magna fames, & grandis penuria rerum omnium fuit.

Anno 1175. facta est pax (10) cum Comite Macario, & filiis ejus, & cum hominibus de Sancto Miniate; & Pisani, & Florentini, homines de S. Miniate, qui erant dispersi, in castrum Sancti Miniatis honorificè restituerunt: ex quo Lucani in magnam tristitiam devenerunt. Inter alios Consules Pisanos hujus Anni, quando fuit firmata dicta pax, erant Cerinus Judex, & Henricus Vicecomes.

Eodem Anno Pisani pro recuperanda Sardinea, cujus jam quasi medietatem Januenses invaserant, duas cum duobus Consulibus, scilicet Paneporro, & Carone, miserunt galêas, quæ Sardineam suo suppofuerunt Communi, & tam Judices, quàm alios homines stare præceptis Pisanorum jurare fecerunt. Quod audientes Januenses sex galêas contra illas nostras duas miserunt; & die Sancti Viti, qui est XVII. Calendas Julii, unam cum hominibus ceperunt; & alia cum Consulibus, & Sapientibus Pisas rediit.

Eo-

Apud Ughellum hæc ita describuntur.

(9) Anno Domini MCLXXIV. In Consulatu Roberti quondam Petri Pagani, & Gaitani quondam Burgundionis, & Sociorum, 6. Id. Jul. jam facti Consules miserunt Topertum Dodonis virum probum legatum in una galêa ad Regem Majoricæ pro faciendo pacem cum eo. Rex verò, qui hanc legationem desiderabat, honorificè eum cum suis recepit, & pacem ad ejus voluntatem, & Pisanorum fecit. Et eo per Provinciam revertente, magnas injurias Januensibus intulit, naves eorum capiendo, & in profundum maris demergendo. Et sic Pisani cum laude 17. Kal. Septemb. redierunt. Eodem anno Christianus Cancellarius Imperatoris Friderici, qui multa mala Thuscis intulit, à Kal. April. usque ad medium mensem Octobr. Anconam civitatem arctissimè obsedit; sed Imperatoris Constantini magnus exercitus eum ab obsidione expulit. Eodem anno 5. Id. Aug. Campanile Sanctæ Mariæ Rotundum fundatum est, & sequenti anno factus est gradus unus in circuitu.

Ughelliana editio hæc habet.

(10) Anno Domini MCLXXV. In Consulatu Cerini Judicis, & Amici Vicarii, & Sociorum facta est pax & securitas cum Comite Macario, & filiis ejus, & cum illis de Sancto Miniate. Et Pisani, & Florentini homines Sancti Miniatis, qui erant dispersi, castrum Sancti Miniatis restituerunt. Unde Lucani magnam habuerunt tristitiam. Eodem anno suprascripti Consules de mense Maji miserunt duas galêas in Sardiniam cum duobus Consulibus Paneporio, & Carone, & Sapientibus, pro ea recuperanda, quia Januenses partem Sardiniæ invaserant; & eam recuperaverunt. Judices omnes, & Sardi fidelitatem Pisanorum juraverunt. Eodem anno Romanorum Legati 10. Kal. Septemb. Pisas venerunt pro confirmanda pace cum Pisanis, quam Comites Gerardus, & Ugo Rolandi Legati Pisanorum cum eis amicabili conversatione composuerunt. Et sic pax firmata est.

Eodem Anno Romani Ambasciatores Pisas venerunt X. Calendas Septembris, & pacem, quam Comes Gerardus, & Ugo Rolandi Pisanorum Ambasciatores composuerant, firmaverunt.

Eodem Anno tribus diversis vicibus aliquæ diversæ tamen Pisanorum galeæ in partibus Provinciæ plura damna Januensibus intulerunt. Sed in die Sancti Johannis Baptistæ Marsilienses, & Januenses invenerunt quamdam galêam, quam quidam Pisanus Pirata armaverat in cursum, & eam ceperunt.

Eodem Anno Guilielmus Rex Siciliæ misit exercitum magnum in Ægyptum super Alexandriam in introitu Julii, qui exercitus fuit galêarum CL. & dromonum CCL. pro equis portandis, & milites mille cum balistrariis, & ædificatoribus, & alia gente multa, qui cùm ad portum Alexandriæ applicuissent, invenerunt in ipso portu quamdam Pisanorum navem de Venetiis venientem, ipsamque ceperunt.

Eodem Anno Lucenses cum Januensibus levaverunt castrum Viaregii, & per conventionem pacis illud destruere promiserunt, & facta pace destruxerunt.

Anno 1175. Villanus Pisanorum Archiepiscopus mortuus est.

Anno 1186. Papa Gregorius VIII. ingressus est urbem Pisanam IV. Idus Decembris, ab eisdem Pisanis magno honore receptus. Mortuus est Pisis XVI. Cal. Januarii, & sepultus in Ecclesia Majori. Et XIV. Calendas ejusdem mensis Cardinalis Paulus Prænestinus Episcopus in eadem Ecclesia Pontifex Summus est electus, levatus ab Hospitio Sancti Pauli de Ripa Arni; & largiente Domino, Clemens III. vocatus est. Pontifex iste in præfata Majori Ecclesia Pisana petiit, rogavit, (11) & exoratus est Pisanos, ut succurrerent ad recuperandam Hierusalem Sanctam; & propriis manibus dedit vexillum Sancti Petri Domno Ubaldo Pisano Archiepiscopo, ut esset Vexillifer exercitus, & omnium Christianorum, & Legatus Apostolicæ Sedis in omnes Christianos. Egressus est dictus Archiepiscopus, & Populus Pisanus in exercitu navium L. medio Septembris, hyemavit in Messana Siciliæ civitate, & octavo Idus Aprilis pervênit Tyrum. Tunc Antiochia robur accepit, ut ex pacto subjiceretur Saladino.

Anno 1200. Pisani fuerunt apud Vulturnum cum galêis XX. in servitio Imperatoris.

Anno 1204. Constantinopolis à Pisanis & Venetis capitur.

Anno 1210. Pisani fuerunt apud Procidam cum galêis XL. in servitio Imperatoris.

Anno 1215. Guilielmus Marchio, & Judex Callaritanus fuit.

Anno 1217. Pisani ædificaverunt castellum Castri in Kallari.

Anno 1220. Damiata capta est à Christianis octavo Idus Novembris.

Anno 1221. Coronatus est Fredericus in Imperatorem ab Honorio III. Pontifice X. Cal. Decembris.

Anno 1229. Pisani apud Vajanum miserunt in sconfictam Lucanos, & Florentinos.

Anno 1230. Quarto Idus Aprilis apud Bargam iverunt Pisani de mandato Domini Papæ Gregorii IX., & in sconfictam miserunt Lucanos, & Florentinos.

Anno 1248. Non. Julii Pisani ceperunt castrum Aginolfi. Postea tempore D. Jacobi Butticelli Pisanorum Potestatis 1264. Indictione sexta die Jovis V. Idus Augusti fuit perditum. Item postea tempore Domini Jacobi Bassuli fuit recuperatum.

Anno 1253. Pisani ceperunt Pontremulum, & liberaverunt Pistorienses captivos.

Anno 1258. Reconciliata fuit Pisana civitas sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Matri nostræ piissimæ, mediante Religioso Viro Fratre Mansueto de Ordine Minorum Pœnitentium Cappellano Domini Papæ Alexandri IV., ejusque Legato & Nuntio tempore Domini Bonifatii de Gorzano de Mutina Capitaneo Pisani Populi & Potestatis post obitum Domini Alamanni de Turre, in Antianatu Domini Petri Ingurdi, & Upethini del Campo.

Eodem Anno mense Julii. Facta est societas inter Venetos & Pisanos contra Januenses per X. Annos; & castellum Castri in Sardinea, quod per proditionem impii Marchionis Chianni, postea Pisanorum gladiis interemti, subtractum à Communi Januensi, per obsidionem arctissimam factam à Pisano Communi, cujus Capitaneus fuit probus & sapiens Vir D. Oddo Gualducci, pervênit denuo in dominium Pisanæ civitatis. Cujus etiam exercitus sub Capitaneo Generali Guilielmo Comite Caprariæ Judice Arboreæ, & Domino tertiæ partis Regni Kallaritani, ultramarinam victoriam habuit, & inauditum à seculo Januensium impiorum conflictum fecit in Accone, ubi fuerunt Siscinius de Sassetta honorabilis Consul, & Henricus Gaitani de Stateris Capitanei Pisanorum in Accone favore Fratrum & Sociorum nostrorum Venetorum, Magistri & Fratrum sanctæ Domus militiæ Templi Protectorum nostrorum, Regis, & Reginæ Cypri, Massiliensium, & Provincialium, & aliorum nostrorum Dominorum, & Amicorum in partibus ipsis. Et hoc sequutum est de tempore D. Ricciardi de Villa Mediolanensis Pisani Potestatis, & Domini Bonifacii de Gorzano Mutinensis Capitanei Pisani Populi. Anno superiùs jam dicto MCCLIX. Indictione prima in Festivitate B. Johannis Baptistæ VIII. Calend. Julii villa Sanctæ Giliæ Kallaritanæ Diœcesis per proditionem, & durante pace inter nos & Januenses, à Communi Januensium subtracta, per obsidionem arctissimam Pisani Communis, cujus fuerunt Capitanei Magnificus Vir præfatus Dominus Guilielmus Comes Caprariæ,

In Ugbelliana editione hæc ita efferuntur.

(11) Jerusalem capta est anno MCLXXXVIII. Vênit enim tunc Saladinus Rex Ægypti, & coangustans exercitum Regis Jerusalem fregit, & cepit ipsum Regem, & Crucem Domini. Unde ferè omnes Syriæ Civitates cepit, & Jerusalem captivavit, obsidens illam per dies 15. mense Octobris. Tunc Imperator Fredericus surrexit MCLXXXVIII. Dominus Papa Clemens per suam præsentiam in Pisana majori petiit, rogavit, & exhortatus est Pisanos, ut surgerent ad recuperandam terram Jerusalem. Et tunc dedit vexillum Sancti Petri D. Ubaldo Pisis Archiepiscopo, qui esset Vexillifer exercitus, & omnium Christianorum, & Legatus Apostolicæ Sedis in omnes Christianos. Egressus est Archiepiscopus Pisanorum, & populus Pisanus in exercitum navium quinquaginta medio Septembris ad recuperandam terram Jerusalem, hyemavit in Messana Siciliæ, & 8. Id. April. pervênit Tyrum. Tunc Antiochia robur accepit, ut ex pacto subjiceretur Saladino, dum ad terram succursus accessit.

riæ, Judex Arboreæ, & tertiæ partis Regni Kallaris, egregius Pisanus Civis, & D. Oddo Gualducci Reipublicæ Promotor, atque Auctor egregius, in pristinum dominium Pisanæ civitatis pervênit tempore prædicti Domini Ricciardi de Villa Pisani Potestatis, & Domini Bonifacii de Gorzano supradicti Capitanei Pisani Populi in Antianatu suprascriptorum scilicet, eodem Anno XIV. Calend. Augusti. In recuperatione verò supradicti castri, & villæ Sanctæ Giliæ, magnifici Viri Johannes Vicarius, & Judex Gallurensis, & Dominus tertiæ partis Regni Kallaritani, & Ugolinus, & Gerardus Comites de Donoratico, Domini itidem tertiæ partis dicti Regni Kallaritani, viriliter & magnanimiter se habuerunt, non dubitantes se exponere periculo personarum. Pisanorum, Venetorum, & Januensium pax paulò post facta fuit, mediante supradicto Sanctissimo Patre & Domino Nostro Summo Pontifice Alexandro.

Florentinorum & Lucensium conflictus in partibus Senarum habitus fuit per Senenses, & egregium Dominum Jordanum de Alviano, Dei & inclyti Domini Manfredi Regis Siciliæ gratiâ Comitem Sancti Severini, Regium in Thuscia Capitaneum Generalem, tempore Domini Athonis de Pirovano Mediolanensis Pisanorum Potestatis, & Domini Opithonis Gerardi, Alberti Rubei de Parma Capitanei Pisani Populi, in Antianatu Dominorum Aldigerii, & Bonajunctæ Uccelli Judicum & sociorum Anno 1261. Indictione tertia die Sabbati quarta Septembris; in quo quidem mortui fuerunt X. millia, & capti, & Senas ducti XX. millia.

Anno 1262. Recuperata est à Palæologo Imperatore civitas Constantinopolis.

Ripæ Fractæ castrum nequiter per Florentinos detentum, recuperatum fuit à Commune Pisano tempore suprascriptorum Potestatis, Capitanei, & Antianorum Anno jam dicto 1262. VIII. Cal. Octobris.

Anno supradicto 1262. Alexander Papa IV. obiit apud Viterbium VIII. Cal. Junii.

Societas facta est inter nos, & alia Communia Thusciæ contra perfidos Lucanos, & Guelfos receptatos ibidem, VI. Cal. Junii Anno eodem.

Pons Spinæ incœptus fuit eodem Anno die Lunæ XII. Calen. Julii in Antianatu Vertulii, & Rainerii de Sancto Cassiano Judicum, & sociorum.

Podio Bonizzo pro reædificatione murorum donavimus libras quingentas.

Montepulcianum fuit habitum à fratribus nostris Senensibus supradicto Anno, & Indictione, quinta die intrante Julio.

Sancta Maria ad Montem fuit habita à Communi Pisano tempore Ghiberti Parmensis, Pisani Potestatis, & Domni Rainerii Panciæ de Buccabadatis Mutinensis Capitanei Pisani Populi in Antianatu Montis de Vico Judicis, & Jacobi Arduini, & sociorum 1262. XII. Calend. Octobris in Vigilia Festivitatis Sancti Matthæi, existente in dicto exercitu egregio Comite Domno Jordano pro Excellentissimo Domino Rege Manfredo Siciliæ in Thuscia Vicario Generale.

Mons Carvuli fuit habitus à Commune Pisano suprascripto tempore V. Calend. Octobris.

Galleræ Burgus fuit captus ab exercitu Pisano, & incendio concrematus tempore D. Jacobi Botticellæ Papiensis Pisani Potestatis, & Domno Ugolino de Sexo, & Domno Rogerio Pisani Populi Capitaneis in Antianatu Tempanelli Judicis, & sociorum 1264. Ind. 6. decimosexto Cal. Julii existente in dicto exercitu egregio Domno Francisco Simplice Regio Vicario Generali in Thuscia.

Pons Cappiani & Turris fuerunt captæ à supradicto exercitu pridie Cal. Julii. Cappiani verò castrum sexto IX. Julii.

Montis-falconis castrū captum fuit die Mercurii V. Idus Julii, & postea funditus destructum. Qui exercitus feliciter rediit die Veneris quarto Idus Julii, & duravit hebdomadis quinque.

Anno 1264. Indictione VI. die Martis XI. Septembris, in quo fuit Festum Sanctorum Prothi, & Jacinti in Antianatu Ildebrandini Familiati, Deotifecis, Guilielmi Tianis de Sala, Guidonis de Parlascio, Orlanducci, & sociorum, dum quidam de nostris Roccham Castilionis Vallis Sercli intrassent præcedente die, illico cum militia & populo nostræ civitatis brachio potenti accincti, nondum veniente masnada regia, flumen Sercli nobis transeuntibus altum usque ad sellas equorum, peditibus nostris quasi per flumen natantibus, Lucenses, & Guelfi cum toto eorum exfortio circum circa ipsum castrum existentes, ex nimia temeritate per eos assumta, ex eo quòd dictam Roccham manè ipsius diei habuerunt, in nostros inscios efficaciter irruerunt. Nos autem cum eis prœlium inivimus, & postea Theutonicis ipsis supervenientibus, ipsos vertentes in fugam usque ad pontem Sancti Petri fugavimus. Ex quibus inter nos, & Theutonicos cepimus circa mille, præter infinitum numerum occisorum. In quo quidem captivorum numero fuerunt Rainerius Ricciardi, & quasi Capitanei omnes, & meliores partis adversæ Lucanorum, & Guelforum Florentinorum, Sancti Miniati, Theutonicorum, & Nobilium de Lombardia stipendiariorum suorum. Postea in eadem proxima die Lunæ, videlicet XV. Calend. Octobris, congregato nostro felici exercitu, ac potenti sociorum nostrorum de Thuscia, & masnada regia, nostris stipendiis munita, existente ibidem egregio Domino Francisco Simplice regio in Thuscia Generali Vicario, exivimus in campis, & die Lunæ sequenti, videlicet VIII. Calend. Octobris septimæ Indictionis, de Plano Ripæ-Fractæ moventes feliciter castra nostra, castrametati fuimus in Plano Castellaris de Contesora ad depopulationem dictæ Contratæ; & etiam usque ad Aquilatæ castrum, quod dirui fecimus, & etiam usque Quicosam, & Lacum Maciucculi procedentes. Et die Sabbati sequenti Vigilia Festivitatis Sancti Michaëlis mensis Septembris III. Calend. Octobris, ultra partes pontis Sancti Petri Valdæ, ab adversariis ibi tunc existentibus muniti, cùm fluvius vadum non haberet, ipsis adversariis videntibus, ad populationem Lucensium processimus; ubi tunc fuit moneta nostra nova duorum solidorum cum effigie victricis Aquilæ coronatæ cusa. Item cursus nostri honorabilis palii factus ab equis, & plures milites cingulo novæ militiæ decorati. Sequenti verò die, scilicet die Dominico, pridie Calendas Octobris, absque ulla alia comitiva Theutonicorum cum militibus Senensibus, & Pistoriensibus potenter flumen Sercli transeuntes, cepimus Fiessum, & ca-

castrum Montyoli de Fiesso, quod de novo constructum erat ibidem; & pontem, & burgum Sancti Petri ab adversariis cum obbrobrio derelictum; & turrim Ripæ, & pontem & castrum ipsum Fiessi; & pontem & burgum Sancti Petri V. Nonas Octobris die Mercurii fecimus dissipare. Quo quidem die ivimus depopulando Lucam quasi usque ad Pratum: Sequenti verò die ivimus usque ad portas & muros civitatis Lucanæ, ubi ad perpetuam rei memoriam, & laudis nostræ præconia, & adversariorum sempiternum obbrobrium, & ne nobis, vel posteritati de gravibus injuriis illatis nobis ab eis, qui totam Provinciam Thusciæ veneno infecerant, improperari posset ad superabundantiam ultionis, monetam nostram novam duorum solidorum cum impressione nostræ victricis Aquilæ coronatæ cudi fecimus, & quamplures novos milites cingulo novæ militiæ decorari; quadrellos, sagittamina, & virgas Sardorum in civitatem Lucanam projici fecimus (ex quibus supra muros, & in civitate ipsa plures fuerunt lethiferè sauciati); ludum ad Massa, scutum, & alia jucunda tripudia fieri.

Cerasummæ castrum die Dominico sequenti, scilicet Nonis Octobris, cepimus, & fecimus funditus demoliri; & die Lunæ Idibus Octobris Pisas cum exercitu feliciter,& cum tripudio reversi sumus in Antianatu Guidi, & Johannis Benincasæ, Nicolai Raynaldi, Jacobi Mori, Contis Pelliparii, Bernarducci Longhi, Jacobi Pacis, Vermilii Galtesii, Gerardi Provincialis, Orlandi de Navacchio, Matthæi Riccii Coriarii, Bandinacchi Garofoli, Gaddi Ricucchi, & Johannis Fatii.

Contronis castrum fuit habitum ab exercitu Pisano, in quo fuit egregius Comes Guido Novellus Thusciæ Palatinus, qui postea in eodem exercitu factus fuit regius in Thuscia Vicarius Generalis. Et Pistorienses carissimi fratres nostri, & alia Communia societatis nostræ in Thuscia adfuerunt die Mercurrii XIV. Calend. Julii, videlicet sequenti die post Festum Beati Raynerii. Ad ejus obsidionem nos posuimus die Lunæ post Festum Paschatis Pentecostes, videlicet V. Idus Junii, tempore Domini Gulielmi de Cornazzano Pisani Potestatis, & Domini Raynerii Teste de Mutina Capitanei Pisani Populi in Antianatu Dominici Scalensis, Ugolini Bottigliæ, Bartholomæi Blanci, Oddonis Gualducci, & sociorum 1265. Indictione VII. mense Junii.

Castilionis castrum & ejus Roccham per expugnationem mirabilem, caveas, ignem, ædificia, & alia instrumenta viriliter cepimus cum quinque de adversariis reclusis in eo, inter quos fuit Domnus Rustichellus de Montecatino Lucani Populi Capitaneus die Mercurii in Festo Beatorum Quirici & Julittæ, XVII. Calend. Augusti in supradicto Antianatu. Qui exercitus rediit feliciter in civitatem die Sabbati decimoquarto Calendas Augusti.

Motronem, Versiliam, & alias Terras acquisitas, quibus fueramus privati per falsas Guelforum sententias, recuperavimus tempore Nobilis Viri Domini Jacobi Baffuli de Parma laudabilis Potestatis, & Domini Inghirami de Gozzano Capitanei Pisani Populi in Antianatu Bastiani de Familiaris, Bonacursii, Johannis, & sociorum eorum 1266. Indictione octava die Sanctæ Restitutæ, quod nomen fuit Pisanæ Majori Ecclesiæ adjunctum die Jovis XII. Cal. Junii.

Ficecchium, Sancta Cruce, & Castelfrancum submissi sunt sua spontanea voluntate Pisano Communi tempore Nobilis Viri Domini Alberti de Torricella Pisanorum Potestatis, & Domini Citonis de Canova Capitanei Populi Pisani in Antianatu Guidonis Benincasæ, Johannis Peccii, Mesis de Vico, & sociorum 1267. Indictione IX. die Veneris in Festo Sanctæ Restitutæ XII. Calendas Junii. Roccha Ficecchii, castrum & Turres Pontis Cappiani venerunt in baliam Pisani Communis. Sancti Miniatis Arcem custodiendam pro Communi Pisano pars Ghibellina Sancti Miniatis dedit, & tradidit Ugoni Villanugi Judici Syndico Pisani Communis, & pro Pisano Communi recipienti, tempore Nobilis Viri Bartholomæi de Soppo Pisani Potestatis, & Domini Anselmi de Rivolo, seu Bartholino de Saxo-ferrato Capitanei Populi Pisani in Antianatu Nicolai Raynaldi Tholomæi de Massa, Vitalis Notarii, & sociorum 1268. Indictione X. XVIII. Calendas Februarii, & intraverunt etiam in societatem Pisani Communis, promittentes facere guerram inimicis Pisani Communis cum certis pactis, & conditionibus.

Carolus germanus Regis Franciæ, Andegavensis Provinciæ & Fulchaqueriæ Comes, vocatus à Romana Sede Anno Domini ab Incarnatione ejus 1266. de mense Maji furtivo quodam navigio profectus est ad urbem Romanam, ubi Senator Urbis tota æstate existens, coronatus est à Summo Pontifice in Regem Siciliæ. Qui sequenti Anno Indictione IX. die XXVIII. mensis Februarii cum exercitu maximo militum & equitum de Francia, & Provincia, & Piccardia in tempestate hyemis ab Urbe profectus, apud Beneventum Regem Manfredum filium quondam recolendæ memoriæ Domini Frederici Romanorum Imperatoris devicit, & ipsum Regem, & quasi ejus gentem totam occidit, sibique totum Regnum Siciliæ subjugavit per iniquam fidelium traditionem.

Pisanæ reconciliatio facta fuit civitatis de Excommunicatione, seu Interdicto, in quo erat, pro eo quòd dicebatur adhæsisse Manfredo Regi Siciliæ, & fecisse contra Lucanam civitatem existentem sub protectione Domini Papæ. Quæ reconciliatio facta fuit piæ Matri nostræ Ecclesiæ, & Sanctissimo Patri nostro Domino Clementi Quarto, & postea confirmata à Communi Pisano, Magistro Helyæ Cappellano Domini Papæ pro Sede Apostolica recipienti tempore Domini Alberti de Turricella Pisani Potestatis, & Citonis de Canova Capitanei Anno 1267. Indictione IX. XVII. Calend. Maji; Pro qua reconciliatione, & mandatis Ecclesiæ observandis firmiter, Commune Pisanum deposuit penes Romanam Sedem Apostolicam libras XXX. millia.

Conrado Secundo Rege Siciliæ adveniente ad civitatem Pisanam, Commune Pisanum ob gaudium inde perceptum literas suas Communi Castellifranchi, aliisque Communibus suæ partis per Thusciā destinavit per Gilionem Nuntium Pisani Communis, cui dictum Commune Castellifranchi nihil exhibuit, immo in contemtum prædicti Domini Conradi Regis Siciliæ homines ipsius Communis derisivè clamantes dicebant, quòd Pisani alium hominem fecerant venire in similitudinem dicti Regis Conradi. Excellentissimus dictus Rex Conradus Secundus quondam filius alterius Regis Conradi intravit civitatem Pisanam, cùm primò

mò vênit de Alemannia Anno 1269. Indictione XI. die Sabbati Sancti septima Aprilis, & vênit tunc per Portam Legathiæ tempore Domini Bartholomæi de Soppo secunda vice Pisani Potestatis.

Postea verò die secunda mensis Maji Dominus Fredericus Dux Austriæ Avunculus præfati Regis Conradi intravit per portam Leonis in civitatem Pisanam cum tota militia; & Pisani Cives cum magna militum & peditum multitudine & comitiva iverunt versùs eum usque ad Cacciarellam Mutronis, faciendo pontes super ipsam Cacciarellam; & per dictos pontes vênit militia prædicta, cùm castrum Mutronis esset tunc perditum secunda die Martii præcedentis. Deinde XVII. Calend. Julii die Sancti Viti magnificentissimus Rex prædictus exivit de civitate Pisana per portam de Gualungo pro eundo versùs Romam, Apuliam, atque Regnum. Tamen ante discessum cum exercitu Pisanorum ivit in Comitatum Lucanum ad depopulationem Lucanorum. Et tunc cepimus Campanile Sanctæ Mariæ del Giudice per expugnationem viriliter factam cum magna strage Lucanorum ibidem inclusorum, & ipsum funditus dissipari fecimus. Et etiam combussimus burgum Massæ, Vurnum, & alias multas villas, & loca Lucani districtus usque ad Pontemtectum.

Copiosissimus exercitus galearum XXX. & aliorum. Lignorum in maxima quantitate exivit de Fauce Arni pro eundo versùs Apuliam atque Regnum in servitium Regis prædicti, ad debellandum Carolum Provinciæ Comitem; & in dictum exercitum iverunt multitudines hominum Pisanorum, videlicet quinque millium & plurium XIV. Calend. Augusti. Et reversus fuit dictus exercitus pridie Calend. Octobris, qui multa mala contulit inimicis Regis prædicti, & castellum dictum à Mare, & alia multa castra & loca destruxit.

Rex Conradus supradictus, Fredericus Dux Austriæ, Comes Gerardus Pisanus, & quidam alii, qui capti fuerunt post conflictum datum supradicto Regi Conrado à prædicto Carolo, per fautores ipsius Caroli jugulati fuerunt de mandato dicti Domini Caroli Anno 1269. pridie Nonas Novembris.

Clemens Papa IV. obiit Anno 1269. Calendis Decembris.

Eodem Anno de mense Januario Rex Carolus vênit Liburnum, & eum combussit, & Pisanorum portum destruxit, & totam contratam devastavit, & stetit ibi diebus quindecim.

Ego Michaël de Vico Pisanus Canonicus prædicta scripsi Anno Domini 1371. & die Augusti X. complevi.

F I N I S.



VITÆ

QUATUOR PRIORUM ABBATUM CAVENSIUM ALPHERII, LEONIS, PETRI, ATQUE CONSTABILIS,

AUCTORE ANONYMO

ABBATE VENUSINO

FERE ÆQUALI;

Nunc primùm editæ.

IN VITAS PATRUM CAVENSIUM

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

SAcrum Cavense Monasterium in Italia, etsi non antiquitate originis, certe celebritate nominis cum praeclarissimis quibusque Italicis, si Casinense excipias, certare de praestantia possit, situm est in Salernitano Comitatu longe ab urbe vix millia quinque passuum, ad radices Fenestrae montis, qui terminus est inter Tramontanos, & Cavenses. Ibi in orientali parte inter montium angustas fauces Vallis Metelliana, *Cava* nuncupata, cernitur, ubi Crypta ingens (*Arsicia* est ei nomen) quam praeterfluit ex edito monte ruens fluvius Selanus. Illic in abrupto loco, quem Guaimarius Salernitanus Princeps elargitus est, Sanctus Alferius Abbas Primus Monasterium excitavit sub titulo Sanctissimae Trinitatis. Attamen ante illum Annum aliqua ejus vestigia erant, uti fatetur Clariss. Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad Annum 1025. num. 82. qui tamen contra Cavensium Monachorum sententiam, putantium referendam esse ad Annum 980. Coenobii fundationem, contendit, ante initium Seculi Undecimi minime construi coeptum illud Monasterium, imo *nec multo ante datum Diploma Waimariorum Principum*, hoc est ante Annum 1025. Adfert Mabillonius prima Diplomatis istius verba. Ego integrum evulgare statui, quando ejus exemplar habeo, descriptum olim ex archetypo per Clariss. Virum Benedictum Bacchinium.

Guaimarii Principis Salernitani ejusque filii Guaimarii Diploma, quo Adelferio Abbati donant Ecclesiam ad honorem Sanctissimae Trinitatis constructam, una cum Crypta in agro Mitilianense, ubi Monasterium Cavense excitatum est, atque alia Privilegia elargiuntur Anno 1025. *Ex archetypa pergamena existente in Archivo ejusdem Monasterii.*

„ IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Nos Guaimarius, & Guaimarius,
„ pater & filius dibina opitulante clementia Langobardorum gentis Princi-
„ pes, per postulationem Gaitelgrimae Serenissimae atque Gloriosae Principissae
„ dilectae conjugis & matris nostrae, quam & pro redemptionis animae, & pa-
„ triae nostrae salbationis, concedimus tibi Domno Adelferi venerabili Abbati &
„ spirituali Patri Oratori nostro totam & inclytam Ecclesiam illam cum inclyta
„ Crypta, in quo ipsa Ecclesia a nobo fundamine construere fecisti cum tuo expen-
„ dio in nomine Sanctae, & Indibiduae Trinitatis a foras hanc nostra Salernitana
„ cibitate in pertinentia Mitilianense, & Crypta ipsa vocatur Arsicza, cum rebus
„ a subter & a super jam dictas Crypta & Ecclesia, quae sunt terris & vineis &
„ arbustis & insitas & castanetis & pomis & bacum & ripis. Totum uno tenore
„ per has fines: de una parte quomodo descendit per medium ballonem, qui dici-
„ tur Juniulu, & conjungit se cum flubeo, qui Selano vocatur. De alia parte quo-
„ modo descendit per midio Ribus, qui Saffubibu dicitur, & conjungit se cum
„ praedicto flubeo Selanu, & sicut descendit ipso flubeo Selano, & conjungit se
„ cum supradicto ballone Juniolu desuper parte ad fine Ribus praedicti Ecclesiae
„ conjunctum est, qualiter vadit de suprana pars a medio praedicto ballone Ju-
„ niolu usque in medio prædicto Ribus, qui Saslubibu dicitur. As vero omnibus
„ supradictis rebus per supradictas fines cum omnia intro se habentibus & suis
„ pertinentiis, & cum vice de viis & anditiis suis, totum & inclytum illud tibi
„ supradicto Domno Adelferi Abbati concessimus, ut amodo & semper in tua &
„ de tuis Successoribus, qui in ipsa Ecclesia praefuerint, sint potestatis illud te-
„ nendi, dominandum, possidendum, & omnia exinde faciendi, quod volueritis,
„ & Congregationem Monachorum, quam in ipsa Ecclesia aggregare coepisti, si
„ volueris Congregationem ipsam augeri, potestatem habeatis eam ampliare, qua-

„ liter

„ liter volueritis. Item si volueris, bibente te, vel ad diem obitus tui, alium
„ Abbatem ibidem ordinare, ad tuam sit potestatem, qualiter volueris. Et sibe
„ te nolente vel negligente ante tuam defunctionem Abbas per te in prædictum
„ Monasterium Sanctæ Trinitatis ordinatus non fuerit, potestatem habead ipsam
„ Congregationem Monachorum, quae in ipso Monasterio fuerit, Abbatem inter
„ se eligere, & ordinare, qualiter voluerint alio; sic faciant semper per omnes
„ bices, quando Abbatem eorum mortuus fuerit. Ita ut amodo & semper Mo-
„ nasterium ipsum cum supradictam Congregationem & Abbates eorum cum om-
„ nibus supradictis rebus, & cum aliis rebus, quas in supradicto Monasterio quo-
„ modocumque datum, vel offertum fuerit, semper liberas absolutas permaneant
„ a pars Reipublicae, in sua potestate & arbitrio; & nos habeamus potestatem
„ nec nos nec successoribus nostris exinde tollere nec pensionem, nec censum, nec
„ Plateaticum, nec qualiscumque serbitium vel dationem. Iterum concedimus
„ tibi supradicto Domne Adelferi Abbati totis & integris albeis in praedicto flu-
„ bio, & de ipsis ribus & ballonibus, cum omnibus ripis, ex undique partibus
„ ibidem adjunctis, cum omnibus aliis albeis, fluminibus, & aquarum, quae ubi-
„ cumque ad aliis rebus praedicti Monasterii sunt & fuerint conjunctas, ut sem-
„ per potestates habeat pars praedicti Monasterii in ipsis albeis clusamina, & an-
„ tepositiones facere & habere, & in ripis earum fodere, & aquis ipsis lebare &
„ extorquere, & portare per ipsis rebus ipsius Monasterii, ubi aut qualiter vo-
„ luerint, & molina & omnes suas utilitates exinde facere, & habere, qualiter
„ pars praedicti Monasterii voluerint absque omnibus contrarietatibus nostra no-
„ strorumque successorum vel cuiquam hominum.
„ Item concedimus tibi jam dicto Domno Adelferi Abbati omnibus liberis illis
„ hominibus, qui in omnibus supradictis rebus sunt, vel fuerint habitantes, ut
„ semper sint liberi absoluti a pars Reipublicae; & non habeamus potestatem
„ nec nos nec Successores nostros eorum tollere aut facere tollere pensionem, nec
„ Plateaticum, nec qualiscumque censa, vel dationes, nec qualibet serbitium eo-
„ rum tollere aut imponere, vel exigere quaerantur, sed semper a partibus
„ Reispublicis securi & liberi persistant sub defensione & protectione tuaque
„ Domne Adelferi Abbati & de Successoribus tuis, qui in ipso Monasterio prae-
„ fuerint. Pariterque concedimus tibi supradicto Domno Adelferi Abbati, licen-
„ tias habeatis pro rebus nostri Palatii, vel Successorum nostrorum vos & Mona-
„ chos & ipsis aliis vestris hominibus per totis montaneis lignamina abscindere &
„ tollere & portare ubi volueritis pro utilitatibus, & quae congrue sunt praedicti
„ Monasterii faciendum qualiter voluerint.
„ Quam & concedimus tibi supradicto Domno Adelferi Abbati omnes res mor-
„ tuorum, & rebus nostri Palatii, quae infra & erga rebus ipsius Monasterii sunt,
„ vel fuerint, ut pars ipsius Monasterii securiter illud habeat faciendum quod
„ voluerit. Et si qualicumque tempore acciderit pars praedicti Monasterii sacra-
„ menta dare de quacumque re, non possiant vos vel successores vestros, nos aut
„ successores nostros, nec qualiscumque umana persona Abbates vel Monachos
„ ipsius Monasterii ad sacramenta ipsa dandum provocare aut cogere, aut illis mo-
„ lestare, set per omnes vices illis Laicis hominibus, qui in ipso Monasterio & in
„ rebus ipsius Monasterii sunt vel fuerint, quales ex illis pars ipsius Monasterii vo-
„ luerint sacramenta ipsa jurare faciant, qualiter eis per legem judicatum fuerit,
„ & semper firmum stabileque permaneant.
„ As omnibus supradictis concessionibus, qualiter supra legitur, tu supradictus
„ Domnus Adelferius & Successores tuos, qui in ipso Monasterio Sanctae Trinita-
„ tis praefuerint, ibi habendum, dominandum, possidendum, & omnia exinde fa-
„ ciendum quod volueritis; & a nullo ex nostris Judicibus, Comitibus, Sculdais,
„ Castaldeis, vel a quibuscumque Agentibus patiamini inde molestationes aut
„ contrarietates, set a modo & deinceps per unc nostrum roboreum Praeceptum
„ cunctas supradictas nostras concessiones securiter habeatis in praedicti ratione.
„ Quod vero Praeceptum concessionibus ex jussionibus supradictorum Glorio-
„ sorum Principum scripsi ego Aceprandis Clericus in Anno Trigesimo Septimo
„ Principatus supradicti Domini nostri Guaimarii, & Septimo Anno Principatus
„ Domini Guaimarii ejus Filio Gloriosis Principibus, de Mense Martius in Octaba
„ Indictione.

Adest Sigillum, in cujus una parte Manus aperta cum literis
GUAIMARIUS PRINCEPS,
Et in altera eaedem literae repetuntur.

Vi-

Viden heic *Ecclesiam a nobo*; hoc est *novo fundamine* constructam per ipsum Adelferium ? Memoratur etiam *Congregatio Monachorum*, *quam in ipsa Ecclesia aggregare coepisti:* Ergo ante Annum 1025. jacta quidem fuerant fundamenta celeberrimi Monasterii, coeptaque praeclarissima illa Monachorum Congregatio, sed non longe ante illum Annum. Adeo vero Monasterii Cavensis nomen ac fama longe lateque progressa est, ut ferme Ecclesias CD. sibi subjectas procedente tempore habuerit, inter quas Monasteria complura, sive Prioratus, sive Abbatiae, ut propterea Cavensis Abbas appellaretur *Abbas Magnus*, & Prior *Magnus Prior*. Atque inde *Congregatio Cavensis* invaluit, memorata in Diplomatis Petri Archiepiscopi Salernitani Anno 1147. & Caroli II. Siciliae Regis Anno 1304. Ipsum Cavae Oppidum Civitatis insignibus ac nomine decoratum fuit a Bonifacio IX. Papa, atque una cum multis Terris, Castris, & Casalibus Abbati Monasterii Cavensis subjectum tam in temporalibus quam in spiritualibus. Qui plura petit, Ughellum adeat Tom. VII. pag. 511. Italiae Sacrae, Margarinum in Bullario Casinensi, & Mabillonium in Annalibus Benedictinis.

Venio nunc ad *Vitas priorum IV. Abbatum Cavensium*, quas nunc primum, ut puto, tenebris ereptas dabo. Easdem memorat Clariss. Mabillonius in laudatis Annalibus, ad Annum 1050. utpote qui eas prae manibus habuit, sed an aliquando evulgaverit, nescio. *Librum* (ita ille scribit num. 107.) *de Sancti Alferii gestis, triumque ejus Successorum Leonis, Petri, atque Constabilis, scripsit Abbas quidam Venusinus, qui Alferii nonnulla miracula recitat*. Unde haec Mabillonius hauserit, incompertum mihi. Quod novi, in Praefatione Scriptor his utitur verbis, de se loquens: *ut qui de claustro illo, velut terra promissionis, egressus, in longinqua regione pascendos atque multiplicandos suscepi greges:* quae hominem prodere videntur in Cavensi Monasterio educatum, ac deinde ad alterum quodpiam Monasterium regendum jam diu missum. Rursus in Vita S. Petri ait: *Johannes ejusdem nostri Monasterii, qui etiam ad hoc Venusinum Monasterium mecum venit*. Quare sententiam Mabillonii recte consistere ediscimus, nisi quod pluribus in locis se in eodem Cavensi Monasterio haec literis consignasse idem Scriptor significat. Quo autem tempore is vixerit, ex iis elucere potest, quae in Vita S. Leonis Abbatis Cavensis Secundi habet: *Hic* (sunt ejus verba) *ut Discipuli ejus, qui usque ad nostra Tempora in Monasterio fuerunt, soliti sunt referre, in tantam cordis puritatem profecit* &c. Ab Anno 1050. usque ad Annum 1079. floruit Leo Abbas, quo vitam cum morte mutavit. Quum vero vel sexaginta post annis ejus Discipuli superstites Scriptori haec enarrasse potuerint, jure conjicias, Vitas hasce circiter Annum 1140. literis traditas fuisse. Rursus animadvertas velim quae in Vita Tertii Cavensis Abbatis, hoc est Sancti Petri, Historicus noster referat: *Senex*, inquit, *Venerabilis Petrus Spoletinus, & Petrus Trojanus, cujus religionis atque veritatis fuerint, nullus, qui eorum tempore in Monasterio mansit, ignoravit; ii mihi narrare consueverunt* &c. Anno 1123. Sanctus Vir Petrus Abbas postremo fato sublatus dicitur. Monachi duo laudati gestorum testes rursus & ipsi vitam produxerint ad Annum usque 1150. & quod excurrit. Ergo eo tempore Historicus noster floruisse credendus. Reliquos omitto testes a nostro commemoratos, qui quidem bene multi, dum is scriberet, vivebant, hoc tantum innuisse contentus, nominari ab ipso in Vita Sancti Petri *Venerabilem virum Abbatem meum Simeonem*. Ergo Vitarum Auctor sub isto Abbate Monachum egisse videtur. Simeon autem, Constabilis successor, inter Cavenses Abbates Quinctus ab Anno 1124. usque ad 1141. Monasterii curam vitamque produxit, ut videas confluere omnia in eamdem, quam proposui, sententiam, atque hinc facile Scriptoris hujus aetatem colligi.

Quod nunc velim, mecum adeat Lector Versus Cavensium Patrum Vitis subjectos. Ibi recensetur series Abbatum ab Alferio Primo usque ad Leonem II. Scriptum vero Carmen fuit, quo tempore is Leo adhuc in vivis erat, & jam XXVII. Annis & mensibus VII. Cavense Coenobium regebat.

Et post in Coelis Leo militet iste Secundus:

ita scribit Versificator ille, hunc Abbatem nondum e vivis ereptum innuens. Floruit autem Leo II. Abbas (si fides Catalogo eorum Abbatum edito ab Ughello, sed a recenti Scriptore congesto) ab Anno 1268. usque ad Annum 1294. Animadvertendum tamen, cum hisce Versibus pugnare Catalogum Abbatum Cavensium ab Ughello, ut supra innui, editum Tom. VII. pag. 519. Ital. Sacr. Nam ibi post *Leonardum* Abbatem recensentur *Thomas*, *Jacobus*, & *Amicus*, eisque subnectitur *Leo II.* At in his Versibus *Leonardum* nullo interposito subsequitur *Leo II.* ut dubitare cogamur, aut tres illos excidisse e Carmine nunc edito, aut Ughelli Catalogum (quod tamen difficile putem) rectam seriem illorum Abbatum minime exhibere. Ego unum affirmo, mendose in Ughelliano Catalogo appellari *Bassanum* Ab-

Abbatem Decimum; is enim recte vocatur *Balsamus* in Versibus modo memoratis, eoque nomine ipsum donavit Fridericus II. Anno 1221. ut constat ex Diplomate edito in Bullario Casinensi Constit. 239. Rursus in hisce Versibus legitur:

Hujus Scriptoris Capuani vita Johannis
Sit multis annis, quem ditet coelicus amnis.

Tum subduntur alii duo Versus:

Quod jussit fieri scrutatrix sedula veri
Plena Dei donis Abbatis cura Leonis.

Aspectu primo nata est mihi suspicio, designari his Versibus Auctorem Vitarum, quas nunc Lector accipit, nempe *Johannem Capuanum Monachum;* Leonem vero Abbatem hoc illi commendasse onus. Sed conjectura ejusmodi brevi evanuit; nam Johannes iste Monachus vivente ipso Leone II. florebat; Leo autem iste saltem post Annum Christi 1256. hoc est centum annis, posteaquam concinnatae fuerant Vitae ipsae, uti supra ostendimus, Cavensi Monasterio praefuit. Quare nihil aliud egisse videtur *Johannes Capuanus*, nisi amanuensem, suoque tempore descripsisse, quae jam diu scripta existebant.

Ceterum has Vitas Clarissimus olim Vir Benedictus Bacchinius Mutinensium Benedictinorum Abbas mihi suppeditavit, descriptas Anno 1644. ex antiquo Codice Langobardicis characteribus exarato, qui in Archivo sacri Monasterii Cavensis adservabatur. Eas oblivioni omnino eripiendas ego censui, tum quod ad celeberrimi Coenobii Historiam illustrandam apprime faciant, tum etiam quod ad eruditionem eorum temporum accedere hinc aliquid lucis possit. Levia quidem heic miracula legas, & quae accuratiores prodigiis accensere minime sustinuissent; sed ita composita erat rudium Seculorum pietas; & nihilominus alia heic occurrunt, quae procul dubio miranda apparent, & a divina tantum virtute profecta. Ceterum in hisce Abbatibus ea Religionis, probitatis, aliarumque Virtutum complexio elucet, ut nulla futura sit de eorum sanctitate dubitatio. Apposita est in fine *Historia Consecrationis Monasterii Cavensis*. Eamdem quoque protulit Ughellus in supralaudato loco. Ego repetitam volui ejus editionem, tum quod mihi videre videar narrationis Auctorem pervetustum, tum etiam quod plura heic contineantur, quam illic. **Utinam cetera quoque illustriora Monasteria suam nobis servassent Historiam.**

VITÆ

VITÆ SS. PATRUM CAVENSIUM ALPHERII, LEONIS, PETRI, ATQUE CONSTABILIS,

Abbatum ejusdem Sacri Monasterii.

Sanctus ALPHERIUS obiit die 12. Aprilis, Anno verò Millesimoquinquagesimo.

Sanctus LEO obiit die 12. Julii, Anno verò Millesimoseptuagesimonono.

Sanctus PETRUS obiit die 4. Martii, Anno verò Millesimocentesimovigesimotertio.

Sanctus CONSTABILIS obiit die 17. Februarii, Anno verò Millesimocentesimovigesimoquarto.

Incipit Prologus in Vitas Sanctorum Abbatum nostrorum Alpherii, Leonis, Petri, atque Constabilis.

SI juxta divinæ sententiam Veritatis lucerna ad hoc accenditur, ut super candelabrum posita, lumen domum intrantibus præbeat, bene prolatæ sententiæ virtutem exequimur, si Sanctorum Virorum exempla ad minorum formam altiùs sublevemus. Ex alto quidem suæ revelationis, ad instar ignis, quo longius lumen proferunt, invitare eos, quos illustrant, meliùs possunt. Magna quidem cùm fuerint, & nesciuntur, magnum quod habent lumen non proferunt, quia in imis locis & abditis occultantur. Et fortasse idcirco abscondi sub modio lucerna dicitur, quia ii, qui Sanctorum lucidam conversationem sciunt, pro perfecta mensura illorum, quam continent, modii nomine designantur. Ex inferiori verò parte exprimuntur, quando scita abscondunt, quia per meritum se in imo & abjecto loco constituunt.

Hinc etiam Scriptura Sacra denuntiat, dicens: *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis*. Quid enim frumentorum nomine, nisi Sanctorum exempla figurantur. Ex omnibus quidem granis excellentior cibus est. Excellentia ergo facta perfectorum frumenti nomine designantur, quia quo dulciùs hæc Fidelium mentes percipiunt, eo pleniùs velut de electiori cibo saturantur. Si ergo maledicitur qui frumenta abscondit, cautè vigilandum est, ut ad quemcumque Fidelem mira Sanctorum facta pervenerint, hæc prædicando proferat, ne maledictum incurrat, & occultando in imo sit, qui exponendo fieri luminis candelabrum sublime potest. Unde etiam in Evangelio Dominus dicit: *Si in alieno fideles non fuistis, quæ vestra sunt, quis dabit vobis?*

Ego igitur tam his & hujusmodi territus, quàm etiam audientium profectibus invitatus, Venerabilium Patrum, scilicet Alpherii, & Leonis, Petri, atque Constabilis Abbatum Cavensium, & item quorumdam Religiosorum Fratrum ejusdem Monasterii Vitas atque Miracula scribere proposui, ut quia auctore Deo idem Cavense Cœnobium magnæ Religionis est, jamque ejusdem Religionis Ordo longè latèque diffunditur, hi, qui eorum sequuntur institutionem, exemplis atque miraculis accendantur.

Quod profectò vobis, carissimi Fratres, specialiter convenit, quos, imposito pio Religionis onere, ad ordinis eorum normam redegimus; valde enim devotiùs post illorum vestigia curretis, si apertè cernetis, quia qui vos laborando præcesserant, de labore suo jam ad æterna gaudia pervenerunt.

Me quoque quin hoc deceat nulli vestrûm dubium est, ut qui de Claustro illo, velut terra promissionis egressus, in longinqua regione pascendos atque multiplicandos suscepi greges. Virgas exemplorum vario cortice instituendis proponam, quatenus ii, qui ex vobis per divinam gratiam fœcundantur in spirituali sobole, non solùm perpetua carnis incorruptione sint virides, sed omnimoda virtutum varietate fulgentes.

Sed quia in universalibus scriptis nostris verborum quibusdam obstaculis æmulorum accessus obstruere solemus: Opusculi hujus tenerum situm nullis responsionum spinis obducimus, quia cum domesticis nostris de rebus notis fraternis affectibus fabulamur.

Ad quod nimirum opus priorum nostrorum non modico rubore succendimur, qui de suis agere, quod alii fecerant, noluerunt. Victor namque Romanæ Ecclesiæ Summus Pontifex, cùm adhuc illi Monasterio, quod à Sanctissimo Patre nostro Benedicto in Casino Monte constructum est, in venerando habitu præesset, in Libro, quem de Sanctorum miraculis scripsit, Viri Venerabilis Alpherii mentionem fecit, ejus se familiarem fuisse asseruit, & ipsius quædam miracula, ita ut ab eo fuerant gesta, narravit. Vir quidem Sanctus dum subjectorum animas ad Cœlestem Patriam succendere per exempla meliorum satageret, ea, quæ ad eorum formam producere voluit, & prope & longiùs quæsivit.

Quid ergo nobis de nostris agendum est, si ab aliis jam & miris extolluntur laudibus, & Scriptorum memoriâ celebrantur?

Quia verò præfatus Pontifex quædam, non omnia hujus Viri Venerabilis Miracula scripsit,

psit, & pro ejus reverentia scripturæ ipsius auctoritatem operi nostro præmittimus, & pro ædificatione audientium, plura, quæ eum vel tunc latêre potuerunt, vel post ejus obitum sunt gesta, supplevimus.

Quia item nova scribentes tempora contemni solent, fidem dictorum relatoribus, non scriptis, Lector adscribat; quia etsi isto tempore scribimus, ea, quæ ab antiquis Monasterii senibus sunt nobis dicta, narramus.

Explicit Prologus.

DE SANCTO ALPHERIO

EJUSDEM COENOBII FUNDATORE ABBATE I.

VIr ergo Domini Alpherius ex Salernitana civitate oriundus fuit, in qua cùm bonis polleret moribus, & literarum scientia apprime eruditus enitesceret: Principi ejusdem civitatis in magna familiaritate conjunctus est, & inter primos Palatii sui ingenti cum honore susceptus. Quodam verò tempore cùm res exigeret, ut à præfato Principe ad Regem Germaniæ Nuntii mitterentur, probitatis ejus merito Vir Venerandus eligitur, & in Gallia pro perficiendis principalibus negotiis Apocrisarius destinatur: quod tamen non tam humano judicio decerni cœperat, quàm Divino, ut is videlicet, qui jam magnus in Cœlorum Regno censebatur, ad alia tenderet, & ad alia perveniret; aliud appeteret, sed aliud obtineret, dum qui terrenis innititur, spiritualibus atque cœlestibus sublimatur.

Nam ubi ad Ecclesiam Beati Michaëlis de Clausa vênit, gravem corporis valetudinem incurrit, qua impellente Legationem mutare placuit, & negotia hominum imperfecta relinquere, ut ad divina servitia perfectus & integer pertingere meruisset. Mortis ergo, ut putabat, festinatione perterritus, seculo renuntiare proposuit, & ibi quod restabat vitæ in Omnipotentis Dei servitio consummare.

Vir autem vitæ valde Venerabilis Odilo, Cluniacensis Abbas, fortè tunc ad idem Cœnobium venerat; quem cùm plurimùm rogaret, ut habitum sibi sanctæ Religionis imponeret, Cluniacum deductus, ibi quod piè postulavit, obtinere promeruit.

Vir ergo Sanctus, postquam Religionis habitum sumsit, omnem illam strenuitatem seculi ad divina studia convertit. Cœpit enim magnis desideriis superna quærere, qui solebat ingenti studio strenuus pro temporalibus apparere. Seculum igitur tota intentione fugiens, in brevi tempore adeò profecit, ut ad sanctæ conversationis arcem pertingeret, & culmen perfectionis magnis laborum meritis obtineret.

Qui cùm plurimùm temporis in secretiori Claustri conversatione perageret, licèt valde esset acceptus Fratribus, quamquam Patri Monasterii satìs carus, tamen memorato Salerni Principe obtinente remittitur, & ejusdem civitatis ferè omnia Monasteria ei regenda committuntur.

Sed Vir Sanctus internæ quietis splendoribus assuetus, exteriorum negotiorum tenebris diu præpediri noluit. Dimissa quippe civitate, longè in excelsi montis latere, cui Fenestræ vocabulum est, quietis suæ locum subiit, primusque præ omnibus Metelliani Cavam Monachorum mansionem fecit, &, ut apertè jam cernitur, omnis nostræ multitudinis seminarium fuit. Velut enim granum ex grano illo frumento Evangelii, dum perfecta contemplatione terræ viventium Mundi omnibus strepitibus obiit, multum imitantium se fructum dedit.

Ibi itaque ingentis & terribilis speluncæ secretis repositus, solus soli Deo vacans, solique placere desiderans; dum Mundi gloriam fugit, ad laudis suæ præconium vicinarum urbium ferè omnium linguam movit.

Cœpit itaque nomen sanctitatis ejus haberi celebre, & tantæ opinionis fama longè latèque dilatari. Et quia Sanctorum perfectio major est meritis, quàm ore hominum referri possit, Pater sanctus non solùm fortia exercuit, sed etiam miraculis coruscavit, ut quos fama alliceret, miracula solidarent.

Cœperunt ergo nonnulli Seculum relinquere, & ejus se magisterio subjugare, inter quos & Vir Venerabilis Leo Lucensis, & Desiderius Beneventi nobilis, qui ad æmulandum piè virtutis ejus studium se ejus magisterio subdiderunt. Quorum nimirum alter post eum Cavensi Monasterio præfuit, alter Sancti Benedicti Montis Casini Abbas constitutus, dehinc in totius Orbis culmen, videlicet Romanæ Ecclesiæ Pontificatum, sublimatus est.

Sed humani generis inimicus, Sancti Viri successibus invidens, cùm quadam die Salernum euntem cerneret, super excelsæ rupis verticem se obvium præbuit, & jumentum, cui insidebat, exterrens per immensum montis præruptum in præcipitium dedit. Dejectus itaque tantæ rupis vertice cum jumento, cui præsidebat, ad litus maris, quod eidem monti suberat, non sicut ruens cecidit, sed scandens quasi deambulando perveniens stetit, quia integer & illæsus apparuit. Qui autem comitabantur, cum multo fletu ad oram maris veniunt, sed incolumem læti conspiciunt, quem lugentes invenire mortuum crediderunt. Sicque factum est, ut antiquus hostis se tanta Viri Venerabilis virtute superatum erubesceret, quia ejus gloriam auxit, quem extinguere moliendo cogitavit.

Alio quoque tempore dum quidam Salernitanæ civitatis Viri irruentium latronum impetum fugerent, ad vicina Cellæ Viri Dei loca pervenerunt, ubi cùm pausare sub rupe quadam voluissent, ingens saxum de eadem rupe dissiluit, & quemdam ex eis, Burrellum nomine, conterens extinxit. Quem ut socii mortuum atque contritum cernerent, ad Viri Dei Monasterium jam inclinato vespere sepeliendum detulerunt; quibus Pater Venerabilis præcepit, ut nocte illa discederent, atque sequenti die ad sepeliendum, quem detulerant, redirent. In eodem verò specu Pater Sanctus jam

jam Oratorium construxerat, in quo poni pheretrum jussit, & assumto Leone discipulo suo, cujus superiùs mentionem feci, in oratione eadem nocte vigilavit. Manè igitur facto defuncti illius comites redeunt: sed mirabili stupore & gaudio, quem mortuum dimiserant, non solùm viventem, sed etiam incolumem receperunt.

Quadam item die septem Viri ad Monasterium venerunt, quos post ædificationis verba refici præcepit: quod dum Cellerarius perfici devotè voluisset, sola quinque ova in omni Cella reperit, ex quibus æqualis refectio septem Viris distribui non poterat, & Viro Dei nuntiavit. Hæc autem Pater Sanctus ad se afferri instanter jussit, allata benedixit, & quod valde stupendum est (nisi à Deo per tanti Viri ministerium fieret) ex quinque ovis septem Viris singulis singula præbuit. Quo nimirum Viri Dei opere, quanta sit etiam virtus caritatis agnoscitur, quæ à perfecto in caritate, velut condi incondita, & quæ non erant, esse potuerunt.

Cœpit etiam Vir Domini Prophetiæ spiritu pollere, ventura cognoscere, & cognita (ut rerum poscebat utilitas) nuntiare. Quidam namque de vicinioribus locis quemdam ad eum Energumenum vinctum ferro duxerunt, suppliciter deprecantes, ut ei manus imponeret, atque immundum ab eo Spiritum fugaret. Quibus Vir Venerabilis respondit, dicens: *Hic non me vivente, sed moriente sanabitur.* Quod profectò ita impletum testati sunt qui noverunt, nam ubi Pater Sanctus obiit, ab eodem obsesso ad sepulcrum ejus delato immundum Spiritum ejecit. Quod ab Omnipotente Deo dispositum, ut obsessum longiori pœna purgaret, & ut in ejus salute qualis fuerat servi sui vita clarescceret. Vir quoque duplici fulgore miraculi decorus apparuit, quia & futura prædixit, & curationem, quam promisit, exercuit.

Venerando etiam Viro Leoni discipulo suo, atque aliis condiscipulis præceperat, ut post ejus mortem in eodem Monasterio plusquam duodecim Fratres simul esse numquam debuissent, ne, si numerum prædictum excederent, substentari de rebus Monasterii nequaquam tunc possent. Nam facultates ejusdem Monasterii tantis solummodo Fratribus vix sufficere videbantur. Sed, cùm jam ferè ex hoc seculo esset profecturus ad Dominum, eisdem discipulis vocatis ad se ait: *Ego quod de numero Fratrum constitui, secundùm hominem dixi. Nam quod mihi Dominus revelare dignatus est, in hoc Monasterio innumerabilis multitudo ad ejus servitium colligenda est. Quæ de re futura Fratrum receptio non ex præsenti inopia, sed ex copia futura pensanda est; quia ille, qui eos ad Regnum suum congregat, temporales etiam sumtus largiter ministrat.* Hoc autem Vir Dei voce protulit. Nos stupemus in opere, quia omnipotens Deus in eodem Monasterio & multos constituit, & semper largiter procuravit.

Eis quoque discipulis, dum læta futura protulit, quæ etiam eos monerent adversa nuntiavit: *Post obitum meum quidem in hoc ovile Dominicum Lupus ingredietur, pacem communem turbare nitetur; sed turbati refugite, quia citiùs extinguetur*: quod profectò ita factum antiqui Monasterii senes referre soliti sunt. Quidam turbine secularium fultus, postquam Vir Sanctus obiit, Monasterium irrupit, ejus successorem expulit; sed Pastoralem locum, quem impunè usurpare se credidit, divina ultione percussus, ei, quem expulerat, liberum citò dereliquit.

Hæc ad nos de tanti Patris vita, atque miraculis pervenerunt, non quòd ista sola fuerint, sed quia Vir Sanctus plura exercuit, quæ humiliter occultavit.

Sic fortasse Vir Sanctus & ista occultasset, si talia essent, quæ latère qualitercumque potuissent. Nam quòd de excelsæ rupis vertice cadens lædi non potuit; quòd viventem sociis reddidit quem sepeliendum recepit; quòd eo benedicente numerus ovorum crevit: rerum quædam immensitas erat, quæ occultari non poterat.

Et fortasse Energumenum curare ideo vivens noluit, ut tunc magìs in ejus curatione claresceret, cùm illic jam receptus esset, ubi favor ei minuere operis meritum nequaquam posset. Ceterùm in quo latère potuit, ad futurorum notitiam non pervênit. Nam quo abstinentiæ rigore corpus attriverit, quibus vigiliis mentem extenuaverit, quibus lacrymis quotidie cœlestia flagitaverit, quàm fortis fuerit in adversis, quàm mitis in prosperis, quo vigore Mundum despexerit, ad Regnum cœleste quo desideriorum fervore flagraverit, horum & his similium, magnitudinis ejus mensura ad aliorum notitiam non pervênit.

Sed, si modum vitæ & continentiæ ejus scire non possumus, colligere ex ostensis evidentibus miraculis ejus possumus, quia in usu quotidianæ conversationis sibi valde improbus & austerus fuit. Nam pondus carnis quis in tanto præcipitio illæsum servaret, si quotidianis ferventibus atque igneis desideriis se non quotidie in cœlestis vitæ amore suspenderet? Et volare (ut ita dicam) desideriis totus igneus quando posset, nisi carnis gravedinem per vim magnæ abstinentiæ lævigaret? Rerum numerum quando declinaret, nisi sibi ipsi rerum usum potenter subtraheret? Postremò de expulsione Dæmonum ab ipsa veritate dicitur: *Hoc genus non ejicitur nisi in Oratione & Jejunio.*

Liquet ergo qua jejuniorum se austeritate contriverit, qua orationum instantia Deo importunus fuerit, qui quando vellet ejicere Dæmonia potestatem accepit. Item si vigiliarum, orationum, lectionum, & spiritualium meditationum instantia cordis puritatem consequimur: Vir Domini non solùm præsentia, sed etiam futura noverat. Horum donorum omnium mensuram non solùm bonam, confertam, & coagitatam, sed etiam supereffluentem habebat.

Sed quid in præscientia rerum, tantùm puritatem cordis ejus asserimus, qui ab his, quibus optimè notus, tantus asseritur, ut ipsum etiam humani generis Redemtorem in carne adhuc positus videre mereretur? Dicunt enim, quòd ante sextum sui exitus diem ei Dominus Jesus Christus apparuit, eique dixit: *Die cœnæ meæ venies ad me.*

Tunc Pater Venerandus quanta lætitia & gaudio exultaverit, quibus desideriis diem tantæ promissionis expectaverit, cogitando colligat qui potest, quia dici non prævalet.

Quo nimirum die veniente, implevisse fertur omnia, quæ ad tantæ solemnitatis ministerium debebantur. Nam Missarum solemnia cele-

celebravit, Fratrum pedes abluit, & pauperibus donativa distribuit; & constituto discipulis Patre, Leone videlicet Venerabili Viro, cujus superiùs mentionem feci, solam diei cœnam præteriit, cui suæ visionis epulas Redemtor promisit. Vel fortasse idcirco jejunus voluit de hoc Mundo transire, ut Regulari mandato se etiam moriendo subjiceret, quia directi in via de Monasterio Fratres jejuni redire præcipiuntur. Qui inclinato jam diei vespere jejunus ad Dominum transiit, ab istius vitæ decursu ad Domum cœlestem, quasi de via ad Cœlum vênit.

Tunc quidem, Fratribus cum statuto eis Patre ad refectionem dimissis, cellulam speluncæ, in qua manere consueverat, introivit, se in orationem dedit, atque inter orationum verba in Redemtoris manus ultimum tradidit spiritum. Dubium quippe non est, quòd ad eum deducendum accesserit, qui ante sextum diem hunc invitare dignatus est.

Cùm autem Fratres à refectione surgerent, cellulam ejus intrantes defunctum invenerunt, ita membris dispositum, ut orans, non mortuus, credi posset, nisi tactus quid de eo jam factum esset indicaret. Tunc qualis mœror & luctus fuerit simul omnium, quis, & quantus dolor & tristitia singulorum, dici linguâ nequaquam potest.

Pater quidem Sanctus absentes discipulos habere moriens voluit, ut eis mœrorem suæ mortis auferret. Verùm unde eis mitigare dolorem credidit, duplicavit; mœrentibus siquidem omnibus, non solùm quia tantus Pater obiit, sed etiam quia præsentes, quos nutrierat, habere recusavit. Sed fortasse eorum strepitus rectiùs vitasse cognoscitur, ut secretæ orationis quiete venientis Jesu Majestate liberiùs frueretur.

Tollentes autem discipuli corpus ejus in eodem specu circa Oratorium, quod idem Vir Dei construxerat, condiderunt. Obiit autem Vir vitæ valde Venerabilis senex & plenus dierum, cùm ferè centum viginti esset annorum. Quod sanè omnibus mirabile est: ita sanus & fortis usque ad extremam horam mortis extitit, ut nec pro ea decrepita ætate caligaret, nec aliqua debilitate deficeret. Nam usque ad extremum vitæ suæ tempus clarissimè & legit & scripsit, Missas celebravit, & omne Pastoralis sui Ordinis ministerium valenter exhibuit. Sicque (ut videre est) tam vivendo, quàm moriendo humanæ naturæ molestias vicit, senescens utique, vigoris sui defectum nesciens, moriens mortis ægritudinem non incurrens.

His ergo tantis donatus meritis talis aspicitur, ut illud ei quod de dilecto Johanne ab eodem Redemtore nostro dicitur, quomodolibet competere videatur. *Sic*, inquit, *cum volo manere, donec veniam*. Revera talis erat, ut haberet unde mercedis summæ bona reciperet; sed quod corrigendum esset, non haberet. Habuit siquidem quod ad æternitatem staret, sed non habuit quod cum humani lapsus fragilitate deficeret. Sic ergo eum Dominus manere voluit donec vênit, quia nimirum à suæ incœptionis initio talis fuit, qui egressionis suæ tempore ipsius Redemtoris præsentiam meruit.

Hæc autem de vita, & obitu Viri valde Venerabilis Alpherii Abbatis tam de scriptis Desiderii Abbatis Montis Casinensis, quàm de assertionibus senum Monasterii in parvum Libellum contulimus. Nunc ad ea, quæ post ejus obitum in eodem Monasterio sunt gesta, veniamus.

Supra retulisse me memini, quia Dæmoniacus ad sepulcrum ejus delatus ut vênit, à maligno Spiritu liberatus est, quem optimum pictorem fuisse asserunt; & ne tantis beneficiis ingratus existeret, Ecclesiam Sanctissimæ Trinitatis, quam Suffraganeam vocant, in signum liberationis suæ propriis manibus depinxit.

Quidam præterea Frater erat in Monasterio Nicolaus nomine, Vir quidem valde Religiosus, sed tamen malignis adhuc antiqui hostis bellis expositus. Nam quoties communicare disponebat, illud ei Diabolica illusione contingebat, quod qui patiuntur, ad Sacramenta Dominica accedere non præsumunt. Multis quoque jejuniis & orationibus, fletibus quoque, & confessionibus, prohibitionis suæ causas abscindere reputabat: & tamen liberari non poterat. Tamdem salubri reperto consilio ad tumulum Sancti Viri, sibi orandi consuetudinem fecit. Quadam verò die, dum illic tristis oraret, atque à Domino carnis suæ munditiam solitis mœroribus peteret, ut solet mœrentibus accidere, præ tristitia obdormivit. Cui in venerando habitu Pater idem Sanctus apparuit, & ab eo causas tanti doloris inquisivit. Cùm ille quod pateretur exponeret, fons vivus ante ejusdem Oratorii Altare visus est surgere, in quo eum senex veniens deposuit, lavit, & dixit ei: *Vade, quia amodo jam mundus eris*. Quod & ita factum est. Nam ex illo jam die immundi Spiritus solita impedimenta non pertulit.

Anniversaria Depositionis solemnitas in Monasterio agebatur, cùm vir vitæ valde venerabilis Abbas Petrus de Fratrum refectione sollicitus, per omnia ferè maris litora regioni proxima pisces quæsivit, & invenire non potuit. Reversi itaque sunt, qui missi fuerant, ab omnibus illis maritimis, nusquam pisces invenire se potuisse referentes. Tunc valde contristari Vir valde Venerabilis cœpit, quia diem Prædecessoris sui, qua cupiebat caritate, prosequi non valebat; sed quod defuerat in angustia temporis posito, ei cui jam Deus erat omnia in omnibus, deesse non potuit. Die etenim illa Fratrum cœnam Pater Sanctus Alpherius affluentem paravit. Egressus siquidem Petrus Venerabilis Abbas de Capitulo ante Claustri januam cophinum plenum magnis piscibus vidit, quem cùm instanter, quis deposuisset, inquireret, & invenire portitorem illius nullum potuisset: Miraculum, quo se vir Sanctus ostenderat, stupuit, & piscationem illam Patris Alpherii fuisse cognovit.

Et ut jam temporum nostrorum ad acta veniamus. Lucas Monachus adhuc superest, qui nobis in Monasterio referre solitus erat, quia quadam die ex more Monasterii extra Chorum residendi licentiam habuit. Ibi itaque sedens, cùm non in his, quæ in Choro canebantur intenderet, sed oppressus somno graviter dormiret: Senex quidam veneranda canitie fulgidus hunc per oram cucullæ tenuit, & violenter trahere ad Chorum cœpit. Tunc motus Lucas Monachus, cùm quis esset, qui trahere Monachos violenter auderet, inquireret, au-

audivit, quia Abbas Alpherius esset, cui omnia tamquam in proprio Monasterio licerent. Cùmque ille trahendo festinaret, hic autem tardiùs sequeretur, ante Altare ejusdem Suffraganeæ Ecclesiæ venire ei visus est. Evigilans autem ille se invênit, ubi se trahi per somnum viderat; vestimenta etiam, quæ homo Dei tenuit, exuta jam, & super humeros sibi posita reperit. Quod Vir Sanctus fecisse cognoscitur, ut loco illi, quem incolit, se præsentem ostenderet, & negligentium torporem ad divinæ laudis studium excitaret.

Neque illud silendum puto, quòd cicindela vitrea, quæ super Beati Viri tumulum lucere consueverat, plerumque lapsa, in ejusdem tumuli saxa vênit, & non solùm frangi non potuit, sed quandoque, ut erat plena, remansit.

Cioffus etiam Monachus de semetipso referre solitus est, quia discursione mali humoris maxilla ejus vehementer intumuit, & intolerabili dolore dentium cœpit cruciari; sed cùm quotidie languor ingravesceret, & arte Medicorum sanare remedia nulla potuissent, ante sepulcrum Sancti Viri projecit se in orationem; quo cùm prostratus levamen tanti doloris devotis precibus impetrasset, ab oratione surrexit; & statim gengivæ dolentis cutis crepuit, atque per illius vulnus crepidinis emissa putredine, & faciei tumorem perdidit, & dentium dolorem.

Adest etiam Petrus de Guardia Monachus, qui efficaci assertione, quod in se etiam gestum est testari solet. Eâ namque pestilentiâ, quæ ante annos ferè viginti in illis partibus vehementer populum vastavit, præfatus Monachus magnis febribus tentus est. Cùmque ardor nimius febrium vires ejus excelleret, horâ accensionis ad tumulum jam sæpiùs memorati Patris confûgit, firmiter credens, quòd tanti Patris refugio commendatum febris invadere nequaquam posset. In quo nimirum tutelæ ac confugii sui loco fructum fidei suæ ita consequutus est, ut ardentissima febris eum relinqueret, nec ultra Sancto Viro commendatum fatigare potuisset.

DE SANCTO LEONE ABBATE.

Secundus Cavensis Monasterii Pater Leo Vir valde Venerabilis fuit, viri Reverendissimi Alpherii discipulus institutione, sed socius virtute & spiritu, quia fructum ejus magisterii in perfectione protulit summè sanctæ conversationis.

Hic namque Thuscus genere, civis Lucensis, in Salerni partes veniens, ubi ejusdem Patris celebrem famam comperit, ei se protinus in sancta conversatione erudiendum dedit; in qua nimirum ita in brevi profecisse cognoscitur, ut non solùm æmulator laborum Magistri sui, sed etiam mirabilium operum cooperator existere videretur.

Siquidem cùm pro resuscitando mortuo Vir Venerandus Alpherius orare proposuit, hunc solum ex omnibus discipulis secum retinuit, cum quo pariter se in orationem dedit. Quod utique vir Sanctus non faceret, nisi ex vitæ ejus perfectione colligeret, quia ad obtinenda tam grandia adjutorium sibi præstare potuisset.

Qui licèt Magistri sui tempore magnus haberetur, tamen post ejus mortem magìs claruit; nam, ut discipuli ejus, qui usque ad nostra tempora in Monasterio fuerunt, soliti sunt referre, in tantam cordis puritatem profecit, ut Venerabilem Domini nostri Genitricem orationis tempore videre mereretur. Præterea tantæ humilitatis atque misericordiæ vir extitisse dicitur, ut ab adjacenti cellulæ suæ eremo lignorum sarcinas propriis humeris Salernum ferret, easque distrahens panes emeret, quos pauperibus erogaret. Haud secus utique se Matris Domini aspectum promereri noverat, quàm si magnis virtutibus polleret, & se magna humilitate dejiceret, ut despectus foris, intus nequaquam intumesceret, sed virtutum tenerum ædificium in summæ humilitatis petra solidaret.

Et fortasse Vir Sanctus se illi ministerio conjunxit, quia ad æternam vitam per labores temporales ire disposuit. Quod opus misericordiæ probatum cum corporei laboris sacrificio convenire cognovit, ut ex utroque velut pingue Omnipotentis Dei holocaustum fieret, amoris veri flamma sic totus effluens, ut corpus omne labori, & totam mentem pietati dedicaret.

Ferunt etiam, quia quadam die, cùm à prædicta civitate veniret, & lignorum suorum pretium pauperibus in panem divideret, Gisulpho quoque Salerni Principi sudoris sui panem porrexit. Qui cùm primò oblatum sibi panem despiceret, reprehensus à militibus, quòd non panem, sed in pane Dei hominem sperneret, confestim reversus est, de viri Dei manibus panem accepit, & comêdit, atque ex illo jam die tanto Patri familiaris fuit. Ex qua nimirum gratiæ ubertate accidit, ut in multam donorum messem panis ille, frustra (ut putabatur) diviti oblatus, cresceret, & quasi bonum semen fructus sui copiam abundanter effunderet.

Nam cùm idem Princeps seculari potentia tumidus, plura crudelia sævaque proponeret, hic solus audebat obsistere, solus pravis ejus dispositionibus libera auctoritate contraire: quem nimirum sæpe humilibus precibus liniens, sæpe comminationibus impetens, nonnumquam sibi subjectum & obedientem ita reddidit, ut obtineret quandoque quæ peteret; quandoque quæ impendere nollet, ab invito, auctoritate, non precibus, extorqueret. Nam scriptum est de hujusmodi Sanctæ Ecclesiæ potentibus: *Justus ut Leo confidit*. Et iterum sacra Scriptura loquitur dicens: *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum*.

Vir ergo Sanctus significatum sui nominis virtute magnæ constantiæ exigebat. Pauper siquidem rebus, sed cœlestis patrimonii desideriis dives, hujus mundi divitibus tanto liberiùs obsistere poterat, quanto in mundo quod non habebat perdere non metuebat.

Eodem namque tempore memoratus Princeps contra Amalfitanos bellum moverat, in quos ita sævire visus est, ut quoscumque ex eis caperet, magnis tormentorum cruciatibus deputaret. Quis verò explicare sufficit, Pater Venerabilis Leo quanta tunc captis auctoritate,

te, quanta liberalitate succurrerit; quàm largiter carceratos paverit, spoliatos induerit, vinctos absolverit, tortos eruerit, & à vicina membrorum amputatione liberaverit? Nam tanta libertate pro eis, qui ad pœnas ducebantur, eidem Principi obstitit, ut eos ab ipsis cruciatibus violenter auferret, atque non jussus absolveret.

Quadam namque die, dum ad mensam cum Fratribus sederet, tristis nuncius adfuit, qui Venerando Viro tres homines privari lumine jussos à Principe indicavit. Et ejulans atque exclamans subjunxit dicens: *Curre, Pater, curre, quia jam miseri producuntur.* Tunc Pater Venerabilis à mensa surgens, ac velut alter Tobias prandium deserens, Salernum concito gradu perrexit, & jam viros illos extra civitatem productos inveniens, tenuit, & absolvit, atque abire liberos jussit. Cùmque carnifices vehementer timerent, ipse pro eis Principi rationem reddere promisit. Quod profectò, ut promisit, exhibuit, quia se, ut dixit, vadem pro eis obtulit. Sed de crudelitate, quam in Christifideles exercebat, non ut vades pœnarum, sed ut tutor justitiæ, vehementer increpavit. Cui etiam aliquando indignanti, & superbiæ tumore salutis monita contemnenti, crudelitatis suæ meritum per Prophetiæ spiritum pronuntiavit dicens: *Pro crudelitate tua post parum temporis hujus terræ Dominus non eris.* Quod cùm Princeps audisset, timuit; sed tamen feritatem suam non reliquit. Unde non immeritò Viri Dei minas expertus est. Post non multum denique tempus, Salernitana civitate à Roberto Duce obsessa & capta, ut Vir Sanctus prædixerat, regimen, quod piè Princeps moderari noluit, amisit.

Qua in re trium Patrum gratia floruisse in Venerabili Patre cognoscitur; Tobiæ scilicet, qui ut mortuos reconderet, reliquit prandium; Nicolai, qui ut insontes eriperet, tenuit spiculatorum manum; Benedicti, qui Regi Totilæ futuram mortem nuntiavit, ut ejus feritatem, quam ex toto auferre nequivit, terrendo minueret. Istorum quippe fulgore enituit, qui more Sanctorum Paracliti Spiritus gratia plenus fuit.

Neque illud silendum arbitror, quod Gisulfus Princeps, quum Amalfitani cujusdam opes depositas Salerni apud obedientiam Monasterii, videlicet Sancti Nicolai de Palma, cognovisset, ad locum accessit, & depositum eruere tentavit. Quod quum Beato Viro innotesceret, Principem prævenire studuit, ut videlicet arcæ illi insideret, ne depositum, quod intus latebat, sinè sui injuria educi potuisset. Tunc Princeps, qui tanto Patri injurias inferre metuebat, quasi per jocum ad arcam manum tendere, & ut surgeret de eadem arca rogare cœpit. Sed Vir Dei exterioris calliditatis arte blandienti eadem voluit arte illudere, ut pravè ludentis intentio effectum habere minimè potuisset. Nam quoties ad arcam Princeps per jocum manum tendebat, Vir Domini, quasi item ludendo, manum Principis baculo ferire minabatur. Cùmque hoc sæpiùs fieret, & idem Princeps jam non joco, sed seriè & importunè res arcæ latentes exigeret, Vir Dei irato Principi non solùm non acquievit, sed etiam facti temeritatem vehementer increpavit. Tunc Princeps tam constantia, quàm solertia Sancti Viri superatus, recessit, & depositum hominis intactum reliquit.

Sed de tanti Viri auctoritate ista tetigisse sufficiat. Nam si quis per singula cuncta describeret, quoties scilicet se pro solvendis vinctis objecerit; quoties, ut alios eriperet, semetipsum obtulerit; quibus aut quantis precibus & blandimentis, quibus minis & terroribus, quot item viribus & artibus eumdem Principem aggressus fuerit, non paginam, sed enormem codicem impleret. Quod profectò Beati Viri propositum quantum Domino placeret, apertis rebus ostensum est.

Festum quippe Beatæ Virginis & Martyris Cæciliæ pro affectu, quem erga ejus meritum habebat, solemniter celebrare consueverat. Die autem illo, quo Festum ejusdem prædicandæ Virginis præibat, ita apud jam sæpedictum Principem fuit pro absolutione vinctorum occupatus, ut ad cellam nisi incumbentibus jam noctis tenebris redire nullatenus valeret. Tunc orta tempestate inter immensa ventorum flamina, atque ingentis pluviæ inundationem, ardentem cereum detulisse fertur, & ita sicca vestimenta, ac si sereno & tranquillo aëre, aut operta porticu venisset.

Spelunca etiam non valde erat longè à Monasterio, quam miræ magnitudinis serpens obtinuerat, quumque terrore illius bestiæ locum adire incolæ vehementer metuerent, Venerando Patri Leoni hoc intimare curaverunt. Quod ut cognovit, se homo Dei in orationem dedit; atque in loco illo, in quo erat, ita draco extinctus illius oratione est, ac si non hunc verbis impeteret, sed trabali telo viscerum ejus secreta percussisset. His ergo & hujusmodi virtutibus clarus, quum jam plena dierum senectute gravaretur, æternæ quietis levamine, pondere carnis deposito, susceptus est.

Cujus utique meritum, ut ipsa etiam ejus morte claresceret, sævioris elementi virtute subtracta, non sinè ingenti omnium mentium stupore monstratum est. Venerabile namque Sancti Viri corpus à flentibus & orantibus discipulis in Oratorio servabatur; quum unus ex cereis super pheretrum cecidit, & super pallium quo operiebatur, ut ardens erat, incubuit. Sed ut tanti Viri meritum panderet, vim luminis habuit sinè ardore combustionis. Nam quum ad eumdem lectum quidam Fratres oculos levarent, & ardentem in pannis ignem aspicerent, combustionis damnum accidisse crediderunt. Quumque festinanter eumdem cereum levarent, ita operimentum Sancti Corporis illæsum apparuit, ac si ignis in eo nullus cecidisset.

Tunc Fratres omnes ingenti miraculo, mirabilique lætitia stupere, atque simul exultare cœperunt, dum Sancti Patris merita, naturæ suæ cessatione, muta elementa predicarent.

Quod fortasse ideo foris ostensum est, ut spiritualis etiam Viri dignitas convenienti miraculo spiritualiter signaretur. Apertè quidem recolimus, quia rubus, in quo Deus in igne apparuit, illuminatus est, & non arsit; habuit lumen, ardore caruit; ut sedes Dei meritum habeat lucis, non habeat defectum diminutionis.

Pater ergo Venerabilis in insignibus & convenientibus miraculis ostensus est, quia hunc, ut locum proprium, divina lux semper incoluit, quem ut emeritum illustravit, & quæ in eo per ardorem punirentur, nequaquam invênit.

Cu-

Cujus etiam meritum si quis aliter velit hac ostensione cognoscere, facilè potest. Nam perfectioribus electis per semetipsam Veritas repromisit dicens: *Capillus de capite vestro non* A *peribit*. Illius ergo operimentum corrumpi igne non potuit, cujus nullus labor periit, sed fructum optimum meruit æternæ mercedis.

DE VITA
VENERABILIS ABBATIS PETRI.

Cavense Cœnobium ut apertè claresceret, quia profectus sui incrementa ex divina dispositione meruisset, hoc omnipotens Deus per Viros Venerabiles semper rexit, atque ad ejus ministrationem accedere Pastores reprobos non permisit.

Nam Reverendissimo valde Viro Alpherio Virum æquè Venerabilem Leonem substituit; huic autem Petrum subrogavit, qui Patres eximios sanctitate redderet, lucro superaret. Sed quia illorum quædam de virtutibus atque vita descripsimus, ordo exigit, ut ea etiam, quæ de hoc Venerabili Patre sunt nobis dicta, narremus. Illi quidem B. Heliæ typo desideriorum igneo curru cœlum penetrare meruerunt; iste dum ascendentes observare ardenter studuit, habere illorum spiritum duplicem meruit. Videlicet cœlestia fortiter amans, mirabiliter terrena despiciens, cœlum dives intravit. Illi quidem rebus pauperes, virtutibus divites, ad æterna gaudia pervenerunt. Hic & laborum suorum meritis dives fuit, & velut alter Joseph mundi hujus divitias ad Domini sui servitium sapienter traxit.

Fuit autem Salernitanus genere, Viri Venerabilis Alpherii nepos carne, heres consuetudine, ex qua nimirum sibi consuetudine accidit, ut adolescens illius conversationem memoraret, atque hanc totis affectibus imitari satageret. Ad Virum itaque Venerabilem Abbatem Leonem veniens, sanctæ conversationis habitum suscepit. Mox autem Religiosæ vitæ studium tam ferventer arripuit, ut rigoris proposito antiquis etiam Patribus æquari videretur. Nam tantæ abstinentiæ fuisse dicitur, ut quinque, aut sex panum refectione toto sacræ Quadragesimæ tempore contentus esse videretur. Sed & remotioris vitæ studium gerens, ejusdem sacræ Quadragesimæ dies in monte Sancti Eliæ agebat, ubi cellulam postea sibi ædificare fecit.

Per idem tempus cùm Cœnobii Cluniacensis religionem celebrem comperisset, odore tantæ famæ illectus, quamquam longè positus, illius Congregationis ordinem æmulari ardenter cœpit. Assumtis ergo secum quibusdam de Monasterio Fratribus, cùm jam navigio Januam venisset, census ferè omnis Dei pauperibus defecit. Cùmque in eodem defectu sumtuum, spes etiam itineris deficere cœpisset, pius adolescens se in orationem prostravit, ut sibi omnipotens Deus dignaretur tribuere unde id, quod ejus amore cœperat, consummare potuisset. Cùmque ab oratione surgeret, & per oram maris deambularet, aureum anulum invênit, cujus pretium ad totius viæ sumtus sufficiens habuit. Cluniacum ergo perveniens, à Viro Venerabili Hugone Abbate mira caritate susceptus est, vel quia adolescens magno Religionis ardore fragrabat, vel quia æmulandæ perfectionis causâ de tam longinquis Italiæ partibus venerat.

Seniores autem Monasterii Abbati suggerebant, ut eum in puerorum schola ponere erudiendum debuisset. Quibus Pater Monasterii magna discretionis verba respondit: *Hic nisi magna devotione ferveret, tam longè trahi opinione Religionis nequaquam posset. Virile ergo opus devotionis à debilitate eum absolvat ætatis.* Ex illo autem jam die receptus in conventum Fratrum, tanta obedientiæ virtute enituit, ut septem simul, sicut alii dicunt, ut alii verò asserunt, plura diversarum officinarum ministeria strenuè & honestè perficeret. Et quia longum est cuncta stilo percurrere, cùm in Claustro Cluniacensi quinquennium, atque in Cappella Abbatis triennium complevisset, atque intus obedire, & jussa exequi, foris verò disponere & ordinare didicisset, liberalitate Sancti Hugonis, suo, idest Cavensi Monasterio, restitutus est. Ubi jam cùm doctus scriba in Regno Cœlorum magnæ opinionis haberetur; petentibus Clero, & Populo, unà cum Gisulfo Salerni Principe in Ecclesia Policastrensi in Episcopum electus est. Qui cùm parum illic temporis expendisset, exterioris vitæ strepitum non ferens, ad Monasterium rediit, ac se interioris vitæ studio more solito totum dedit.

Tunc Pater Venerabilis Leo vehementer timens, ne Monasterium tanto viro privaretur, simul onus regiminis se jam præ senectute ferre non posse considerans, convocatis Fratribus, eum sibi successorem constituit; & ipse, ut Deo per quietem vacaret, ad Ecclesiam Sancti Leonis de Veteri, quam ipse construxerat, secessit. Petrus autem venerabilis Abbas Monasterii curam suscipiens, tanta malignorum spirituum invênit tentamenta, ut tum primùm Diabolus insurgere contra ejus acta videretur. Nam Fratres, quos in cella reperit, cùm Cluniacensis Ordinis normam perstringeret, tam duros & obstinatos invênit, ut murmurationis suæ susurra ad Virum Venerabilem Leonem deferrent, atque mentem ejus simplicem ad iram traherent. Quod cùm Petrus Abbas comperit, ea, quæ sunt concordiæ & pacis providens, ad Monasterium Sancti Archangeli, quod in Territorio Cilenti situm est, discessit, ibique collectis Fratribus primam normam ejus, quam didicerat, Ordinis posuit. Qui etiam non multo post tempore à Patre Leone, & Fratribus rogatus rediit; atque institutionem, quam priùs velut gravem contemserant, cum magna devotione susceperunt.

Cùmque fama Sanctitatis ejus se vehementer extenderet, cœperunt multi viri Nobiles, multi seculi divites ac potentes seculum deserere, eique se in supernæ conversationis magisterio subjugare. Sed sapientium atque simplicium tanta ad eum multitudo convênit, ut ei promissio illa divina facta fuisse videretur, qua dicitur: *Faciam te in gentem magnam*. Nam, ut quidam Religiosus Pater familias ab ejus

ejus ore se audivisse testatur, quadam die cùm Pater Venerabilis esset hilarior, quadam dilectionis necessitate coactus, plusquam tribus millibus virorum habitum sanctæ conversationis se imposuisse testatus est, licèt cùm postea supervixerit, plures in Monasterio receperit.

Tunc in hujus Viri Monasterio, etiam pii Patris Alpherii prophetia claruit, qua dixerat, quia de eadem cella maxima ad æternam vitam conversorum lucra essent colligenda. Viri quoque seculi potentes cœperunt magna liberalitate atque pietate ad sustentandos Dei famulos prædia & possessiones abundanter offerre. Omnipotens enim Deus ita eorum corda ad opus pietatis aperuit, ut tanta Monasterio ferrent, ut non solùm collecta illic Fratrum multitudo viveret, sed etiam ex eorum plenitudine pauperibus effundi multa potuissent. Quod & Pater Venerabilis nobiliter exhibuit, quia ex datis sibi copiis non solùm Fratres Monasterii regulariter procuravit, sed etiam innumerabilem censum inopibus erogavit. Sed quid eum erogasse tantùm dicimus, cùm etiam statuerit, unde semper erogetur? Nam nostris temporibus invenire difficile est qui in cura egenorum ei similis aut æqualis habeatur: quos nimirum catervatim pascere ac vestire consueverat, ac vestiendos & alendos tanto studio quærere, ut etiam pro inveniendis eis civitates exploraret. Revera, ut Scripturæ eum laudibus prosequamur, Pater Orphanorum, & *Viduarum* non *Judex*, sed procurator fuit. Quorum curam ita sapienter disposuit, ut clam eis unde substentarentur transmitteret, quatenus & illi sinè rubore perciperent, & ipse quod pro æterna vita impendebat, occultaret. Quare & divinæ misericordiæ largitatem ita promeruit, ut, cùm in substentatione pauperum tanta effunderet, semper sibi suppeteret unde semper dare abundanter potuisset. Propositum namque Sancti Viri, licèt omnino niteretur, occultari non potuit; atque ut tantæ gratiæ mererentur esse participes, non solùm viri, sed etiam mulieres, ut valebant, manus auxilium ministrabant.

Tunc Vir Domini ut se necessariis sumtibus ad perficiendum paratum vidit, dilatare Monasterium, atque tantæ multitudini aptum habitaculum parare disposuit. Quod, nimirum divina gratia cooperante, in quantum loci angustia passa est, tam decenter explevit, ut mirari ejusdem operis dispositio possit; ferè existimari non possit. Nam cùm ex uno latere scrupea rupe, ex alia pendula fluminis ripa clauderetur, intercluso illo medio parvo spatio, ædificia tanta fundata sunt, ut cùm foris locus cernitur, mirabile omnino fit perscrutantibus, quòd tanta intus spatia continuentur. In quo enim opere si illud, quod ad Moysen dictum est, librare volumus, quodammodo invenimus; nam cùm Tabernaculum Deo construere vellet, audivit: *Omnia fac, sicut ostensum est tibi in monte*. Volebat quidem omnipotens Deus, ut terrena domus fieret, sed quam forma cœlestium illustraret.

Pater igitur Venerandus omnem illum Tabernaculi decorem ad discipulorum ornatum traxit. Perfecta enim forma cœlestium illa est, de qua dicitur: *Non nubent*, *neque nubentur*; *sed sunt sicut Angeli Dei in Cœlo*. Illa etiam forma cœlestium est, quam nobis imprimit, ubi dicit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum*. Tanta quippe pudoris spe, tanto virtutum decore, ibi illam divinitus collectam multitudinem omnipotenti Deo servire fecit, ut dubitare nemo posset, quin cœlesti conversatione fulgeret.

Sed quia nunc de ædificii ordine agimus, illud ei, quod de æterna civitate legitur, convenire videamus: *Per omnes vicos ejus Alleluja cantabitur*; nam cellæ illius cuncta vestibula ita disposita sunt, ut singula ferè Orationis, Lectionis, Psalmodiæ propriis officiis deputentur; & quòcumque pergitur, orantes, psallentes, canentes, aut legentes occurrunt.

Perfecto igitur opere Monasterii, illic collecti Fratres cœperunt tanto liberiùs divina ministeria exhibere, quanto ad hæc eos non solùm fervor caritatis accenderat, sed etiam locus invitabat. Pater etiam venerabilis Petrus in tanta se conversationis districtione cohibuit; in tanta enim subditorum multitudine, cùm multi magna conversatione fulgerent, illius rigorem vitæ nullus ferre potuisset. Nam nec Orationis ejus instantiam, nec Vigiliarum prolixitatem, nec genuflexionum numerum, nec frigoris tolerantiam aliquis ferre potuit. Juxta dormitorii quidem sui cellam, aquæ piscinulam condere sibi fecit, ubi cùm hyemali tempore frequenter intraret, de nuditatis, & frigoris tolerantia gloriari cum Paulo potuisset.

Vinum ita omnino sprevit, ut etiam debilitato stomacho, & voce jam ferè amissa, vix à bonæ memoriæ Papa Urbano ad ejus, quamvis modicum, usum reduci potuisset. Loricam subtus ad carnem occultam induit quousque putresceret, & ab ejus corpore rupta cecidisset.

Sed quia longum est si singulis immoremur, hoc solum adhuc de ejus fama subjungimus, quia in omni ferè Orbe venerabilis habebatur. Sed ut secularis Auctoris verbis utar, *rigidi honesti tantus observator fuit*, ut eum videri ad ipsis etiam Imperatoribus, & hujus seculi potentibus longè positis optaretur, multaque huic Monasterio bona promitterent. Vir autem Sanctus renuit, nam pro temporalibus rebus à Deo providendum esse judicavit. Et quia à nonnullis qualis coram Deo sit non creditur; qualis sit ab eo ostensus, ad detractorum ejus confusionem proferamus. Nam ut Evangelistæ Johannis verbis utar: *Si non esset ex Deo, non posset facere quidquam*. Et quia, ut dixi, æmulos Sancti Viri confundere cupimus, ferè omnium miraculorum ejus testes optimos, Viros scilicet sanctos ac venerabiles producamus, quamquam necesse non esset ejus sanctitatem probare miraculis, cùm tantam operum ejus magnitudinem teneamus. Opera namque mira atque ingentia sunt, quæ testimonium perhibent de eo, tanti constructio Monasterii, tanta elegantia ab eo fundatæ ædes, & Virtutum cumulus, & norma ab eo propagata perfectæ Religionis. Nam si is, qui aliquem peccatorem converterit, multitudinem operit peccatorum; & qui calicem aquæ frigidæ sitienti dederit, mercedem in Cœlis habet: quanta lucra hujus, quantos meritorum cumulos esse dicimus, qui tam largus in pauperes, tam dives in misericordia, tam studiosus & frequens ad lucrandas animas declaratur, ut quamdiu vixit, nihil aliud egerit, & quamdiu Mundus volvitur, quia in eo convertere peccatores non definit, ejus meritum semper augeatur?

Sed ejus studia quanto vigore ferverint, quàm scilicet fuerit pravis rigidus, quàm mitibus hu-

militate subjectus, quia explicare longum est, omittentes, quàm mirabilis ab omnipotenti Deo potiùs ostensus sit videamus. Senex namque Venerabilis Petrus Spoletinus, & Petrus Trojanus, cujus religionis atque veritatis fuerint, nullus, qui eorum tempore in Monasterio mansit, ignoravit: ii mihi narrare consueverant, quia quadam die dum Monasteria circuiret, Telesinum cum eo venerunt. Ibi verò cùm in Ecclesia Sancti Johannis Missas celebraret, & quidam flabelli ministerium negligenter exhiberet, lampadem impulit, & oleum super Altare fudit; cùmque prandeum sparsus liquor infudisset, Vir Domini valde contristari cœpit, & hoc quod contigit, non negligentiæ ministri adscribere, sed suis meritis imputare. Post aliquantos verò dies, cùm ad Sancti Archangeli Ecclesiam venissent prædicti Fratres, & ceteri, qui Sancto Viro ministrabant, prandeum illud curaverunt producere, ut inde oleum educere lavando debuissent. Sed quod valde stupendum est, ita candidum & mundum inventum est ac si oleum in eo numquam cecidisset. Quod Fratres agnoscentes omnipotenti Deo gratias retulerunt, qui quosdam electos suos tam tenerè diligit, ut nec ad modicum patiatur contristari.

In eodem quoque Monasterio res æquè mirabilis accidit, sicut eodem Viro bonæ memoriæ Petro Trojano narrante cognovi: nam cùm floccum Domini Abbatis à Cappellanis negligenter fuisset repositum, mustela hoc juxta cavernulæ suæ foramen reperit, corrosit, ac scidit. Cùmque Viro Venerabili fuisset oblatum, ut corrosum vidit, indignans repulit, atque ait: *Ite, & ei, quæ scindere præsumsit, projicite*. Quod Fratres ita ut jusserat, unde tulerant, posuerunt. Alia verò die cùm per locum transissent, mustelam, quæ illud vestimentum corroserat, super illud jacentem mortuam invenerunt. Tunc nimis admirantes, quantæ virtutis Pater eorum esset, colligere cœperunt, quòd contra ejus voluntatem vivere animalia bruta nequivissent.

Sed divinum affectum erga Venerabilem Patrem cur in animalium brutorum interfectione astruimus, cùm eum sæpe nec rationalibus pepercisse sentiamus? Rogerius namque Castri-Severini dominus cùm rusticos Monasterii frequenter affligeret, & Venerabilis Viri mentem ad iracundiam provocaret, quadam die pravitatis suæ usum excessit, & hunc, ultra quàm consueverat, contristavit. Tunc quasi in præsentia summi illius Nuntii assisteret, dixit: *Eja, Sancte Michaël Archangele, sic nos protegis*: & baculo terram percutiens commotus, ait: *Recedimus, quia hic tanta ferre non possumus*. Erat tunc Cilenti in præfato Monasterio Sancti Michaëlis Archangeli. Cujus nimirum afflictionem mira & terribilis ultio divina sequuta est; quia cùm longè ab eodem Monasterio præfatus Rogerius maneret, solarium domus ejus cecidit, atque ejus filium parvulum extinxit. Et fortasse talis ultio pro servorum Dei injuria ab æterno Judice infligi debuit, ut ille moreretur, qui patrem dolore puniret, atque ad reprobam ejus imitationem non cresceret. Extinctus quidem puer innocens Paradiso receptus est; sed peremtus compunxit patrem. Nam idem Rogerius his & hujusmodi plagis sæpe percussus, tamdem resipuit, & in fine conversus in Monasterio habitum Religionis accepit. Cui tamen adhuc sævienti non uno semper modo restitit; nam eum quandoque terroribus impetiit, quandoque humilitate superavit.

Agrum namque Monasterii quemdam uberem concupierat, atque suis usibus vendicare disponebat; cùmque ab ejusdem agri opere seminantes rusticos violenter expellere minaretur, Venerando Patri innotuit. Sequenti verò die ad eumdem agrum operarios sequutus aliquantos Fratres secum duxit, cum quibus psallere instanter cœpit. Ille etiam minas suas pravitate vincere gestiens, cum armatorum manu ad locum venit, cogitans, quia is, qui minas suas seminando contemneret, ad eumdem agrum sinè armatorum præsidio venisset. Sed cùm propiùs accederet, contra se, non mucrones ensium, sed missile orationum vidit. Tunc illud saxeum pectus à feritatis suæ duritia emollitum est; sola enim Religionis contemplatione superatus, arma projecit, de caballo descendit, atque ad Sancti Viri vestigia projectus, suæ temeritatis veniam postulavit. Quod utique non minus mirabile fuit, quàm si ab ejus corpore magni languoris molestiam orando depulisset; quia cordis vulnera ad curandum valde sunt difficiliora, quàm carnis; in quo nimirum opere Psalmodiæ dignitas exhibetur, quæ malignorum Spirituum feritatem patenter effugare cognoscitur.

Et quia hæc Cilenti facta fuisse comperimus, debemus alia, quæ similiter illic sunt ostensa, narrare. Vir namque idem Venerabilis cùm Calabros Fratres vellet invisere, ad Ecclesiam Beati Apostoli & Evangelistæ Matthæi, quæ in Lucano litore circa vetus ejus sepulcrum sita est, declinare, & Missarum solemnia celebrare proposuit; cùmque prope jam navigando venisset, videns optimum ad navigandum tempus, nautas procedere jussit, & devotionis suæ munus in reditu suo eidem Apostolo exhibere deliberavit. Quod quidem ita factum est, non tam veritatis devotione, quàm virtute Apostoli. Nam cùm in reditu de fide maris dubitaret, & transire velut insalutato Apostolo voluisset, ubi ante ejus Ecclesiam vênit, subversa navicula in mari cecidit, & quod promiserat reddere compulsus est. Sed & mirabile spectaculum in hac Apostoli coactione subsequutum est: quia Pater Sanctus in mare dejectus, ad terram per aquas vênit, sed vestimenta ejus ita sicca reperta sunt, ac si hæc aqua nulla tetigisset. Quod miraculum Fratres plures noverunt; atque addere soliti sunt, quia Cappellæ mantica, libri, & panni, atque omnia vasa Altaris ita inventa sunt omni aquæ humore libera, ac si non in mari natassent, sed delata per terram forent.

Quo nimirum facto, quàm familiaris Apostoli esset, innotuit, quem ad sui ministerii usum tenens, & in mari labi pertulit, & illæsum quasi per terram traxit. Sicque factum est, ut Vir Sanctus, qui manere sponte in loco nollet, maneret invitus, & votum suum in memoria Apostoli tanto devotiùs redderet, quanto in se ejus voluntatem apertiùs didicisset.

Sed aquis prævaluisse quietis eum cur miremur, cùm invocatione meritorum ejus, maris tumentes & sævientes cumulos quievisse coram secularibus hominibus teneamus? Nam quidam nobiles Viri Neapolis, cùm per mare Ga-

Gajetam pergerent, ut nobilis cujusdam juvenis delatam illuc à parentibus sponsam deferrent, vehementibus ventis turbato mari nimium pavere cœperunt. Cùmque fluctus vehementer insurgerent, & evadendi spes jam deficere cœpisset, quidam illorum Nobilium Abbatis familiaris, orationem ad Dominum fudit, atque se cum sociis illius, & Fratrum ejus meritis de tanto periculo liberari postulavit. Post cujus nimirum vocem mirabiles elationes maris mirabiliter quieverunt, & quanta essent Sancti Viri merita ostendere visæ sunt, cui exemplo Salvatoris se obediendo submisere.

Et quia non solùm extraneis & indoctis, verùm etiam quibusdam negligentioribus Monachis pro fervore ordinis homo austerus visus est, illud narrando subsequar, unde quàm acceptus Deo fuerit de omni illa sua districtione apertiùs videatur. Quos etsi Sanctarum Scripturarum auctoritate facilè refellere possumus, tamen splendore miraculorum ostenso meliùs confutamus.

Quidam namque Frater erat in obedientia Sancti Fabiani Martyris, qui cùm se negligenter ageret, in somnis Dominum Abbatem vidit, à quo regulariter verberatus, de cetero studiosior fuit. Huic autem omnino simile aliquid in alio loco gestum Fratres Venerabiles retulerunt.

Quodam namque tempore cùm Frater quidam de cella quadam Calabriæ ad Monasterium veniret, cujusdam secularis hominis hospitio susceptus est. In eadem verò domo pro quadam solemnitate convivium parabatur, & cùm plures ad ejusdem convivii epulas vocarentur, Fratrem etiam illum rogare cœperunt, ut respectu Caritatis eodem die cibis communibus uti dignaretur. Quod utique Frater ille primùm renuit dicens: *Non possum, Fratres, quod dicitis, facere, quia Regula Monasterii talis est, ut cibos carnium nullus edere præsumat.* Cùmque secundò & tertiò rogarent, & suis precibus vehementer insisterent, flexus est homo, & eorum cibos se sumere promisit. Sed dum prandium pararetur, Monachus de labore itineris parum pausare volens, obdormivit. Cui Venerabilis Abbas Petrus in somnis apparuit, dicens: *Quid est, Frater, quòd seductori tuo tam citò assensum præbuisti? Talisne est Ordo Cavensis, ut in via directi Fratres carnibus vescantur?* Cùmque ille culpam cognosceret, & veniam precaretur, corporali judicio expoliari jussus est, atque flagellatus evigilavit. Tunc instantibus invitatoribus suis respondit dicens: *Ego, Fratres, cibos vestros nondum sumsi, & flagella promerui: jam si comedero, quid mihi erit?* Cùmque rei gestæ ordinem audirent, ultra ei molesti pro prandio non fuerunt.

Quibus nimirum indiciis claret quia affectum dilectionis, quem impendere præsentibus consueverat, absentium spiritibus impendere videbatur, ut apertè clarescceret, quia omnis ille rigor disciplinæ ex magnæ dilectionis fonte deflueret, & quod sæpe videbatur à negligentium pace discedere, cum summæ pacis bono conveniret. Quod meliùs ostendemus, si non solùm correpta corpora, sed etiam purgatarum animarum inditia disciplinæ illius vigore videamus.

Cioffus namque Monachus nobis referre solitus est, quia Federisius quidam Monachus fuit Amalphitanus genere, qui extra Monasterium in cella quadam manere jussus, negligenter vixit, atque Religionis splendorem, quem susceperat, infelicibus actibus deturpavit. Post aliquanta verò temporum spatia hic in Monasterio languore gravi correptus est, atque ad extrema perductus. Cùmque & mori se videret, & culpas suas confiteri erubesceret, mirabili pietate actum cum eo est, ut magnis cruciatibus hunc languor in mortem traheret, & tamen mori non posset, quatenus & eum pœnæ constringerent, & mors terreret, ut peccata sua expiare vivendo potuisset. Corpus etiam Dominicum, quo se indignum negligenter vivendo, atque indigniorem valde, culpas occultando, fecerat, sæpe sibi oblatum sumere non valebat. Cùmque eum Fratres sæpiùs admonerent, & ille se excusando tegeret: tamdem præfatus Monachus consiliis acquievit, culpas confitendo aperuit, atque ex more Monasterii Domino Abbati, qualem se vidit, ostendit. Cui Vir Dei nullum ad agendum pœnitentiam vitæ spatium superesse considerans, ne impurgatus obiret, faciem Domini prævenire disposuit. Nam prædictum Fratrem morientem corporali vindictæ subdi constituit, ut carnis compunctione purgaret, quem delectatione sordidum cognovisset. Sed & paternæ illius dilectionis verbera mira divinæ clementiæ signa subsequuta sunt; statim quippe ut meritorum suorum judicium patienter excepit, oblatum sibi Corpus Dominicum sumsit, & tanta pace statim obiit, ut in eo non solùm Patris sui affectus, sed etiam Domini promissio firmaretur, quia hora, qua peccator convertitur, vita vivet, & non morietur.

Frater quoque alius erat in Monasterio, qui Petrus cognomento Pitantius dicebatur, Vir sanè aliàs bonus, sed quodam nævulo avaritiæ infectus, qui cùm jam ad exitum languore tentus appropinquaret, ejusdem vitii Dæmonem sibi vidit assistere; quem cùm quid illic expeteret, exprobrando inquireret, malignus Spiritus respondit & ait: *Pro tareno illo, quem habes, mihi hodie tradendus es.* Tunc Monachus aliorum bonorum operum suorum labore confisus, cùm Dæmoni exprobraret, ac pro simplicitate eum percutere baculo minaretur, Dæmon abscessit, & non modico terrore Monachum turbatum reliquit. Fortè tunc senior quidam ex more Monasterii cùm circam faceret, Monachum illum à longè quasi cum alio loquentem audivit, & solum inveniens, cum quo fuisset loquutus, ab eo inquirere studuit. Cui signo æger Monachus dixit: *Manè dicam tibi.* Diluculo igitur ad circam rediens, ille ei omnia per ordinem enarravit, veniamque sui delicti humiliter postulans, ut Domino Abbati suggereret, rogavit. Quod ut Pater Venerabilis agnovit, eum sicut alium corporali vindicta expiatum solvit, atque eo die mori jam liberè dimisit. De quo nimirum constat, quia Vir bonus merito virtutis obtinuit, ut parvi, quod putabat, peccati meritum vivendo prænosceret, ut ejus pœnam post mortem sentire minimè debuisset.

Sed & cùm luce clarius sit quia maligni Spiritus merita peccatorum nobis in hoc seculo semper esse occulta velint, ne ea evadere pœnitendo curemus; Dæmon, qui peccati meritum morienti exposuit, patet nimirum quia

quia hoc non sponte, sed coactus dixit. Quod etiam Patris Monasterii studiis adscribi debet, quia illi est ad purgandum expositus, cujus erga filios pia correctio probabatur. Vidit ergo malignum Spiritum, ne videret, & illius sævitiam studio Reverendi Patris evaderet. Sed fugare Dæmonia in discipulorum transitu ei novum non erat.

Hugo etenim Monachus boni Viri Raynerii fabri filius, cum patre, & fratre suo alio, Mauro nomine, in Monasterio conversus est. Quorum alter frater, velut eruditus & prudens, Prior Monasterii fuit. Hic autem in communi ordine simpliciter vivendo usque ad mortem mansit, ad quem Pater Venerabilis jam transeuntem vênit, ejusque animam omnipotenti Deo commendare studuit; cui & moriens Frater dixit: *In fenestra illa, Pater, duæ aves sunt; una valde pulcherrima, alia horribilis valde & nigra: rogo igitur, ut horribilem illam ejicias*. Tunc admirari Fratres, qui aderant, cœperunt quod attentè monstraret, & quid monstrabat ipsi videre non poterant. Pius autem Pater intelligens, quòd moriens Frater videre aliud, quàm viventes, posset, aquam exorcisatam sibi afferri jussit, qua profectò dum orando aspergens fenestram tangeret, nigram illam avem protinus discedere idem moriens vidit. Cùmque Deo gratias ageret, sancta ejus anima carne soluta est. Tunc Fratres colligere cœperunt, quia ministerio Venerandi Patris in horrida ave malus Angelus recessit, bonus in pulchra ad ducatum præbendum electæ animæ remansit, qui, alia recedente, eam, statim ut de corpore est egressa, ad æterna gaudia deducendam suscepit. Nam idem Frater post aliquantos dies in veste fulgenti cuidam dormienti apparuit, & jam dubium non fuit quòd à bono Duce susceptus, ad æterna gaudia ab hoc exilio assumtus ascendit.

Sed neque illud silendum puto, quòd quidam secularis in cimiterio veteri juxta cameram Venerabilis Viri hujus sepultus, per noctes plurimas clamores atque ejulatus emiserit; cùmque sæpiùs fieret, & Venerando Patri non parùm molestus esset, nocte quadam cùm idem clamor & ejulatus circa miseri hominis illius sepulcrum fieret, Pater ab oratione surrexit, foràs exivit, non sine magna indignatione clamanti comminans; & ita ille obmutuit, ut penitùs clamare desineret, & Virum Dei molestare ulteriùs non auderet. Sicque apertè claruit, quia Vir Venerabilis, cùm voluit, etiam mortuis imperavit. Quòd si clamor ille non mortui hominis, sed maligni Spiritus extitit, Sancti Viri auctoritas in hoc etiam magna fuit, quo jubente malignus Spiritus siluit.

Sed quia mira facta ejus ostendimus, quædam etiam vitæ ejus exempla producere debemus, quamquam de forma ministerii sui dictum sufficere credimus: quia leo superbis, & irreligiosis religiosus, & mitibus agnus fuit. Nemo enim umquam immites & contumaces subditos fortiùs domuit; nemo humiles & sanctos benigniùs honoravit. In istis namque magisterii sui vigorem nesciebat, quos sæpe quasi minor patronos suos, pro se ut Dominum rogarent, rogare consueverat. Illos verò & verbis, & regularibus correptionibus comprimebat, ut negligentiarum suarum torporem desererent, atque in cœlesti conversatione ferventes deinceps esse debuissent obstinatis & improbis, post disciplinæ regularis morsus, mitigatoria illa suæ consuetudinis ingerere solebat, quibus & operis & intentionis suæ bonum luce clarius ostendebat: *Cum catena*, inquiens, *nolentem te ducam ad Cœlum*: quo verbo sapientibus satis indicabat districtionis suæ severitatem qua intentione sui, quo corrigendorum fructu, qua internæ pietatis dulcedine exhiberet. Verè Medicus animarum fuit, quarum lucris nihil præposuit. Sed hoc meliùs ostendemus, si ubi velut in luce positum quoddam ejus factum memorabile prædicetur.

Miles enim quidam Gallus genere in Monasterio conversus est, qui cùm plurimum temporis communi ordine religiosè vixisset, tamdem post tergum respiciens, mundi delicias, quas contemnendo fugerat, velut Ægypti ollas desideravit. Relicto igitur Monasterio se à culmine Religionis in præcipitium dedit, arma resumsit, & vivere seculariter cœpit. Qui cùm tam dementer erraret, & se dignum morte faceret, quandoque divina gratia Patris sui meritis respectus, ad Monasterium rediit, & multa, quæ conquisierat, quasi gratissima munera secum portavit. Pater autem Venerabilis cùm hunc rediisse cognosceret, cum magno gaudio recepit; ea verò omnia quæ attulit, contemsit; ingentem foveam fieri jussit, in qua delata omnia igne concremavit. Quod nimirum Vir Sanctus faciens, exemplum posteris dedit, ut Fratrum personas diligant, & animarum damna fieri nullius lucri dispensatione permittant.

In Synodo ei, more suo, nudo capite residenti sanctæ memoriæ Papa Urbanus Pontificalem Infulam misit, quam utique Vir Domini, & pro Summi Pontificis reverentia venerabiliter recepit, & officiosissimè salutavit; & tamen ejusdem Sacerdotalis Mitræ usum, etiam rogante Papa contemsit. Quod non ob aliud fecisse creditur, nisi ut quorumdam arrogantia humilitatis exemplo damnaretur, qui dum se inaniter extollunt, indebitos sibi Sanctæ Ecclesiæ honores usurpare non metuunt.

Multa sunt præterea, quæ de hoc Venerabili Patre Monasterii senes narrare consueverant; sed mihi de his, quæ relata sunt, hæc retulisse sufficiat.

Ut autem ad ejus felicem exitum veniamus, eodem anno, quo de hoc mundo erat profecturus ad Dominum, Johannes de Diano ejùs Cappellanus hujusmodi visionem vidit. Videbat siquidem, quia de loco suo montes tres maximi movebantur, qui motu suo non parvam mundo collisionem minabantur; à quorum motu clamor tantus fiebat, ac si mundus destrui videretur. Cùmque & ipse eodem terrore compulsus ad Ecclesiam vellet fugere, & quid esset, quod videbat, inquirere, audivit, quia illi tres montes tres Cluniacenses Abbates essent, videlicet Sanctus Oddilo, Sanctus Majolus, & Sanctus Oddilo, qui Dominum Petrum Abbatem, ut secum tollerent, venissent. Sed cùm tempus, quo tollendus erat, inquireret, item audivit, quia juxta Principis Apostolorum Festum venirent, & eum de Monasterio tollerent. Evigilans autem Frater ille, de Abbatis sui vicino obitu nimis contristari cœpit, quod tamen non eo Festo accidit, quo putabat: nam Pater Sanctus vicinum Apostolorum Festum vivendo transiit, sed circa Festum

ſtum, quod Cathedra Beati Petri Apoſtoli dicitur, ad gaudia æterna migravit.

Obiit ergo Senex Venerabilis maturus ævo, ſed probitate maturior, ſepultuſque eſt in ſpelunca, quæ de cella Venerandi Patris Alpherii, in Oratorium Beati Michaëlis Archangeli mutata eſt, in quo loco quæ meritis ejus reverentia debeatur, ſæpiùs demonſtravit.

Sergius namque Monachus, & Monaſterii Armarius, pro negligentiis ſuis ſæpe à Viro Dei argutus fuerat; quadam verò die, maligno ſpiritu inſtigante, cùm non ſua merita, ſed correctionis ſuæ amaritudinem memoraret, contra Viri Dei ſepulcrum expuit, & quem Fratres Monaſterii quaſi viventem pronis cervicibus in eodem loco ſalutare conſueverant, Judæorum more, conſpuere non expavit. Mos autem, cùm adhuc viveret, Viri Venerabilis fuit, ut ſubditorum culpas puniret, ne futuræ vindictæ eos negligendo ſervaret. Conſuetudinis ergo ſuæ dignitatem poſt mortem etiam ſervans, eumdem Monachum graviter percuſſit. Nam ubi contra ſepulcrum expuit, facies ejus intumuit, & os ita torſit, ut in maxilla diſpoſitum ex latere videretur. Percuſſus itaque tunc primùm cognoſcere Abbatis ſui magnitudinem cœpit, cùm eum, cui quaſi mortuo exprobavit, vivere meliùs poſt mortem, & dignitatis ſuæ vigorem tenere altiùs didicit. Sed cùm magnis doloribus, ingratus paternis beneficiis, torqueretur, liventi facie, tumentibus labiis, cinctus doloribus, ad Venerabilem Virum Abbatem meum Simeonem vênit, reatum ſuum confitendo aperuit, & meriti ſui dare ſibi pœnam tantæ audaciæ dignam poſtulavit. Cui Venerandus Abbas reſpondit dicens: *Si ab illo percuſſus es, curare te nullus alius poteſt.* Juſſus ergo Monachus rediit, & ante ſepulcrum Venerabilis Viri in oratione proſtratus, faciei & oris incolumitatem promeruit. Os namque, quod ad derogationem Sancti ſputum ejecit, percuſſum doluit, atque eo verba proferente pœnitentiæ, ſalutem recepit, ut Patris ſui juſtitiam & pietatem contra detractorum fallaciam probaret. Quia nimirum ut Magiſter bonus errantem percuſſit, & ut pius Pater quem percuſſerat ſanavit. Felix utique qui utrumque potuit, videlicet, & percutiendo corrigere, & ſanando mulcere. Hoc autem idem Sergius Monachus ſenex retulit; ſed me petente, relationis ſuæ miraculum Domini Abbatis Simeonis teſtimonio confirmavit.

Urſinus etiam Monachus non valde huic diſſimile ſolet narrare miraculum. Ait enim, quòd quadam die apud Eccleſiam Sancti Michaëlis Archangeli plures Monaſterii Fratres convenerant, inter quos erat Leo Bariſanus, & Urſus Ranarius. Tunc (ut fieri ſolet) confabulantibus ſermo incidit, ut Abbatum Monaſterii opera & religio conferretur. Sed cùm ad Abbatem Petrum omnem Monaſterii tam religionem, quàm exteriorum rerum collationem referrent, idem Urſinus Monachus laudatoribus Patris ſui reſiſtere vehementer cœpit; cùmque jam nec detractionibus parceret, Fratres eum monere cœperunt, ut à talibus verbis ſilere debuiſſet. Ille autem ſilere noluit; ſed quantum ſibi placuit, nequiter loquendo proceſſit. Eadem verò nocte ille, quem ſpreverat, ei in ſomnis apparuit, atque ab eo exquirere inſtanter cœpit, dicens: *Sic, Urſine, ſic debet Monachus loqui de Abbate ſuo?* Qui cùm ea, quæ vigilans dixerat, memoraret, & illum, cui quaſi abſenti detraxerat, non ſolùm præſentem, ſed etiam priſtina auctoritate præſtantem cerneret, cum magno timore ſui reatus ſibi dari veniam precabatur. Vir autem Sanctus ei indulgere noluit; ſed ante Altare Oratorii, eum ducens, regulari diſciplinæ ſubdidit, atque tam acriter verberare cœpit, ut inter dolores exclamaret, & quid dormiens pateretur, patenter vocibus indicaret. Cùmque Fratres accederent, & clamantem excitarent, ordinem flagellorum expoſuit, atque ad eorum veritatem, & ultoris præſentiam confirmandam ſcapularum livores teſtes produxit.

Quod profectò miraculum mihi Urſinus idem dixit, ſed certiùs rem ſcire volens, cùm ab Urſo Ranario quærerem, ſe clamantem inter verbera Urſinum audiſſe dixit, & in evigilante verberum ſigna vidiſſe. Quibus nimirum ſignis oſtenditur, quali Vir Sanctus æternæ dignitatis honore potiatur, qui eos, quos in hoc ſeculo nutrierat, & corrigere docendo poſſit, & caſtigationibus emendare.

Nam Vir vitæ Venerabilis Oddo Veſtararius quin magnæ veritatis & ſanctitatis fuerit, nemo, qui eum bene novit, ignorat. Hic ſæpiùs narrare conſueverat, quia frequenter ſibi appareret, & ejus, ſi in aliquo erraret, facta reprehenderet.

Præterea memorato Sergio Monacho cujuſdam malæ conſuetudinis uſus inoleverat, ut in uno loco diu fixus permanere non poſſet. Quadam verò nocte Venerabilis Pater ei apparuit, & de mobilitate ſua terribiliter objurgatus, ſe eum in proximo correpturum minatus eſt. Poſt non multos verò dies idem Sergius de ſolario cecidit, & coxam fregit, atque ex illo jam die Monaſterium circumcurſare non potuit. Hæc autem, & hujuſmodi jam (ut dixi) Pater Venerabilis in diſcipulorum correctione feciſſe cognoſcitur, ut ad horam ſuæ vocationis eorum nullus imparatus inveniretur. Quorum profectò nonnullos ſæpe præcognovit, & ut ſe ad vicinum exitum præpararent imperavit.

Johannes quidem Romanus Monachus ejuſdem noſtri Monaſterii, qui etiam ad hoc Venuſinum Monaſterium mecum vênit, quantæ ſimplicitatis & religionis vir fuerit, à multis cognoſcitur. Hic autem in caſtro Sancti Adjutoris cum ceteris Fratribus manere juſſus fuerat. Quadam verò die ad Monaſterium veniens, id, quod apud memoratum caſtrum noviter geſtum noverat, retulit dicens: Domno Leoni Barenſi Magiſtro ejuſdem caſtri heſterna nocte Domnus Abbas Petrus in ſomnis apparuit, eique dixit: *Frater Leo, quare tam negligenter agis, & debitam Pſalmodiam defunctis Fratribus nequaquam reddis? Feſtina, & præpara te, quia ſub magna eris celeritate moriturus.* Evigilans autem timore prænunciati ſibi obitus, pavere mirabiliter cœpit. Cui etiam ſequenti nocte Venerabilis Abbas Conſtabilis apparuit, & eadem dixit. Ex qua nimirum geminata viſione ita contriſtatus eſt, ut in Eccleſia pſallens, bis quotidie ex ordine Pſalterium repeteret, & ab omni illa jam ſua otioſitate quieſceret. Poſt aliquantos verò dies idem Leo Monachus languore correptus obiit, atque quòd veritatem vivendo dixerit, moriendo firmavit.

Hæc autem mihi Johannes Venerabilis Monachus, adhuc vivente eo, qui viſionem ſuæ mortis viderat, narravit; quæ cùm in ejus obitu impleta didici, credere ea etiam cœpi, quæ per metipſum non vidi.

IN-

INCIPIT VITA BEATI ABBATIS CONSTABILIS.

Quia Viri valde Venerabilis Abbatis Constabilis mentionem feci, ea etiam debemus scripturæ tradere, quæ de ejus vita atque miraculis Venerabiles Monasterii sui senes soliti sunt cum magna devotione narrare.

Hic itaque Lucania Provincia exortus, ab ipso pueritiæ suæ tempore Viro Dei Leoni Abbati erudiendus à parentibus traditus fuerat, qui licèt sub venerandi senis hujus institutione proficeret, tamen à Viro æquè laudabili Petro Abbate Monastici ordinis disciplina pleniùs instructus, ea perfectione claruit, ut conversationis fulgorem non simplicem gereret, sed honestæ suæ vitæ gloriam spiritualis doctrinæ radiis illustraret. Nam quod valde sublime Christianæ simplicitatis est, ferè ab ipso vitæ suæ initio jugum Domini leve suscepit, & carnis suæ integritatem cum immaculatæ mentis splendore conjunctam usque ad vitæ suæ exitum duxit. Quod verò doctrinæ nobilitatem decuit, Evangelicam simplicitatem in vitæ suæ rectitudine omnino puram & simplicem tenuit. Sed rectæ intentionis, & pii operis bonum tam decenter exhibuit, ut per simplicitatem optimè viveret, & per operis honestatem, quæ faciebat contubernalibus suaderet.

Hic ergo (ut palàm cernitur) quàm magnus in Regno Cœlorum sit, colligere facilè poterit, qui Evangelio repugnare non novit. In eo quippe Veritas dicit: *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Quæ profectò doctrina non tantùm verbo impenditur, sed exemplo, quia nonnulli perfecti Viri in Sancta Ecclesia etsi verba prædicationis non exhibent, ceteris Fidelibus per exempla eximiæ conversationis placent; tacendo loquuntur, quia ad imitationis suæ studium electos alios voce exemplorum trahunt. Nec mirum, si suggerere efficaciùs possunt, quia etsi una lingua tacent, quam habent carnis, tot linguis docent, quot proferunt exempla virtutum. Hinc namque est, quòd primis Sanctæ Ecclesiæ Doctoribus scientia omnium linguarum datur, ut succedaneum suum subsequutiva Ecclesia sortiretur, ut si linguas non habet omnium nationum, nulla vitæ ejus desint exempla Virtutum.

Sic nimirum Summus Pontifex Sancta Sanctorum ingredi, Domino jubente præcipitur, cùm docetur, ut in pulchritudine vestis extrema tintinnabulorum exhibeat magnitudo sonum. Sancta quippe Sanctorum secreta vita est novi Testamenti, quia dum Redemtoris exemplo Mundus perfectè despicitur, interiora Tabernaculi per ferventia cœlestis patriæ desideria jam tenentur. In hoc quippe Sanctuarium velut Summus Pontifex solus intrat, quicumque Redemtorem ferventer diligit; quia dum singulariter in illius amore substollitur, virtutum fulgore, velut Pontificali veste, in interioribus exornatur. Quæ si in exemplo aliorum prodeunt, quia Fidelium mentes ad piæ æmulationis studium provocant, quasi in vestis pulchritudine tintinnabula multa sonant, quia torporem nostrum tot voces excitant, quot coram nostris oculis exempla Virtutum clamant. Magnum ergo in Regno Cœlorum aliquem non verba, sed opera faciunt; quia qui summa doceant, multi sunt; qui autem summa, quæ sciunt, vivendo teneant, pauci. Et quia nonnulli sunt, qui bona, quæ faciunt, pro humilitatis teneritudine abscondunt, magni in Regno Cœlorum qui faciunt, & docent, dignè prædicantur, quia profectò ex immensa virtute habent, ut fortia agant, & ex perfecta caritate, ut acta ad exemplum proferant, & ex solida humilitate, ut ea, quæ proferunt, nulla humanæ laudis aura corrumpat.

Hæc autem latiùs diximus, quæ licèt Venerando Patri conveniant, quia videlicet sublimi conversatione enituit, laudabiliùs exemplis effulsit, favores hominum mirabili mentis sublimitate contemsit, tamen meritorum excellentiam non explemus. Nam summa perfectionis summorum virorum qualitercumque dici potest, ex toto describi non potest. Suam quippe, & eorum altitudinem, egregius Prædicator exponit dicens: *Nostra conversatio in Cœlis est.* Qui ergo Paulum, & eos, quos secum posuit, quàm acutè prævideril, ejus gaudia quàm ardenter amaverit, inveniat.

Qui autem Constabilis Abbatis nostri perfectionem noverunt, nullatenus ambigunt, quin cum Paulo, & perfectis omnibus, eam sententiam dicere poterat: *Nostra conversatio in Cœlis est.* Corpore ergo despectus, mente mundo major esse probabatur, quo quasi parvo includi non poterat, quem altitudine superabat, ut quod de eo eminebat, in Cœlum sublimis poneret, ibique suæ conversationis situm locaret.

Sed ut quædam jam specialia ejus edisseram, ita omnibus ambitionibus seculi, atque deliciis usque ad mortem extitit inimicus, ut illas oblatas, istas appositas, non parum doleret, atque à se magna cum indignatione repelleret. In istantia verò vigiliarum & orationum Fratribus suis omnibus incomparabilis fuit. Sed cùm tantus esset ac summus, illa tamen Virtutum ejus celsitudo Humilitatis atque Mansuetudinis excellentia vincebatur, qua Venerabilibus Patribus suis ita se subdidit, ut agere nulla præsumeret, nisi quæ eorum voluntati placita aut injuncta imperio cognovisset. Quem nimirum cùm non solùm magnis pollere Virtutibus, verùm etiam in eorum affectu solidum animæ habitum fixisse, Vir Venerabilis Petrus Abbas cognosceret, senio jam defectus, ævo maturus, consensu communi omnium Fratrum labores suos ei credidit, atque eum eisdem Fratribus loco suo præposuit.

In eodem verò prælationis suæ culmine tantæ Virtutis splendore claruit, ut cùm superior esset ordine, gestu & officio minor omnibus appareret. Sed & misericordiæ viscera illa habuit, quibus pro voto aliquem numquam læsit, nullum contristavit; & ut illud insigne Virtutis ejus extollam, justorum cultor, & pec-

peccatorum amicus fuit. Tanta quidem negligentibus Fratribus benevolentia jungebatur, ut ferè nullus ei conscientiæ reatus tegeret, nullus suas negligentias occultaret. Hunc quippe Venerabilem Patrem pro mirabili illo suæ caritatis affectu, quo tegere culpas delinquentium solebat, *Operimentum Fratrum* vocare consueverant. Revera occultans noxios erat, & celans reos, ut eos, quos pœnitudo purgaret, sinè alicujus famæ obscuritate semper venerabiles aliis monstrare potuisset.

Sic nimirum piæ matres filiarum nævos superductis coloribus occultare solent, ut earum, quas diligunt, fœda lateant, pulchra non lateant. In se quidem Apostolicæ illius affectionis virtutem transfuderat, qua etsi lingua taceret, ministerii obsequio diceret: *Omnibus omnia factus sum*. Cum Fratribus quidem valebat, sed fortitudinis suæ rigorem ad infirmorum roboranda membra solvebat. Cum ferventibus, ad æterna currebat; sed ut tardos & tepidos traheret, sæpe à cursus sui velocitate torpebat.

Sed inter tot & tanta Virtutum dona pristinæ Humilitatis & Mansuetudinis vigor ita duravit, ut ante subditus, & postea tantæ multitudini Prælatus, idem videretur; nam gradu tantùm superior, gestu æqualis aliis apparebat. Illam quippe, quæ ei ex ordine Monasterii reverentia debebatur, ita renuit, ut magis sibi indignaretur exhibitam, quam superbi & arrogantes dolere solent sibi penitùs abnegatam. Quam profectò virtutem tanto dilectionis sapore condiverat, ut numquam se Prælatum recoleret, nisi obstinatorum valde nimia improbitas compulisset. Et ne videamur Virum verbis majorem facere, multi adhuc in Monasterio supersunt, qui dum ejus conversationem recolunt, in ejus descriptione pauca omnino atque indigna me dixisse judicabunt.

Sed tantus ac talis Vir, post venerandi Viri Petri Abbatis obitum, vix anno integro Monasterium rexit, & consummato laboriosæ hujus vitæ cursu, ad gaudia æterna migravit. Quod certè ad æmulationem virtutum ejus pluribus atque apertis indiciis ostensum est; quia nimirum debita carnis morte subtractus est, sed virtute spiritus discipulorum necessitatibus frequenter exhibitus. Nam à quibusdam perfidæ mentis hominibus asserebatur, quia Monasterii non parvas opes repositas habuisset, quas vi mortis præventus indicare nequaquam posset. Locum quoque se posse ostendere mentientes, non solùm locum, sed loca plurima cellulæ ejus fodere cœperunt; cùmque jam satis defossum esset, & invenire nil possent, quadam nocte venerando Viro Abbati Simeoni apparuit, eique dixit: *Deo teste nihil amplius in cella fuit, nisi quantum invenistis*. Post hæc autem verba, eum vehementer redarguens, quòd stultis hominibus perperam credidisset, quærere invanum eum ultra prohibuit. Sicque satis ostensum est, quia pro solvendo carnis debito obiit, sed promisso munere Redemtoris vivit.

Johannes etiam Genusia magnum de eo solet narrare miraculum. Nam quodam die cùm extra Monasterium in quadam cella manere juberetur, devotionis fervore, quo in claustro manere cupiebat, Patris Monasterii præceptum molestè tulit, atque iter arripere murmurando cœpit. Non longè verò à Monasterio cùm descendere de caballo voluisset, cecidit, & costas fregit. Quod ergo plurimum voluit, ad Monasterium relatus est; sed quia nimis obstinatè voluit, non ut voluit sanus, sed ut valde doluit, attritus. Ex more autem Monasterii in infirmorum domo receptus, magnis doloribus cruciabatur. In sequenti verò nocte merita Beati Viri Constabilis retractanti in somnis apparuit, eumque de inobedientia atque murmuratione vehementer increpavit. Videbatur autem ei, quia ad se venientem Venerabilem Virum à superiori domo Stephanus Vir bonæ memoriæ ejus nuper Cappellanus cum unguenti vasculo sequebatur, cujus Vir Sanctus operculum relevans, unguentum eduxit, fractas Fratris illius costas linivit, eique dixit: *Ecce sanus factus es: vade, ut deinceps humiliter vivas, & te præcepto Majorum in omnibus subdas*. Mira dicturus sum. Evigilavit Monachus, non solùm salubri admonitione instructus, sed fugatis cunctis doloribus sanus. Tunc is, qui nisi alienis manibus ferri non poterat, cunctis stupentibus exilivit, & injunctam sibi obedientiam perficere festinavit. Pia enim Dei dispensatione actum in eo est, ut à parvis culpæ maculis purgaretur, & Sancti Viri merita proderentur. Nam prædictus Johannes Monachus aliter vir bonus & religiosus erat, Psalmistaque præcipuus; sed vincere iram, ac linguam perfectè cohibere non poterat. Itaque percussus à Domino est, sed curatus à Magistro, ut castigatio austera eum purgaret, & salus reddita virtutem & gloriam curantis ostenderet.

Illud quoque silendum non arbitror, quod vir venerabilis Rossemanus tunc Monasterii Prior, postea verò Pausitanensis Abbas, referre solitus est. Quodam namque tempore cùm petenti pauperi femorale lineum tribuisset, sequenti die, ut proposuerat, pro veneratione ejusdem Patris Missas celebrare non potuit, subitò tunc affuit qui ei sua femoralia detulit, atque tanti Patris obsequio aptum fecit.

In territorio Cilentino in monte, qui Licosæ præeminet, dum quidam Salernitani Judices possessionum quarumdam terminos quærerent, subitò tanta caligo nebulæ diffusa est, ut per nemus ejusdem montis errarent, & viam, qua redirent, nusquam invenire potuissent. Cùmque diu erratum esset, unus eorum Ursus Judex Venerabilis Viri Constabilis merita sibi adesse flagitavit. Ad verba precis ejus lux solita loco restituta est, ut viam cernerent, & ad hospitium non tam de inventione itineris, quàm de lucis miraculo læti remearent.

Pro necessitatibus Fratrum navis Monasterii navigabat ad Africam, cui Johannes, tunc Monachus, nunc etiam Abbas Sancti Benedicti, præerat, atque in ejus obsequio Petrus quidam famulus deputatus erat. Quæ profectò navis inter Siciliam & Africam gravissima tempestate correpta, & vicinam sui resolutionem, & omnium interitum minabatur. Jam quippe nautæ collaborando defecerant, & ingredientem aquam prohibere, ne intraret, aut quæ intraverat, ejicere præ lassitudine non valebant. Cùmque jam omnis spes salutis abesset, præ tœdio dormitanti Monacho Vir Sanctus apparuit; & qui Salvatoris exemplo mundum vicerat, ipsius etiam verba exhortationis protulit, dicens: *Confidite, & nolite timere*. Quem cùm Monachus cerneret, rogare

gare videbatur, ut navim sui Monasterii, & nautas de instantis naufragii periculo liberaret. Cui ille, ut erat benigni vultus, & habitus, respondit dicens: *Ego navem eripio, & Monasterium custodire non cesso. En jam tranquillitas temporis refundetur, venti silebunt, freta quiescent. Sed vade, dic Simeoni Abbati, ut corpus meum levet, atque in sepulcro meo, quod in Ecclesia mihi paraveram, collocet*. Eâdem horâ etiam prædicto Petro Monasterii famulo in prora navis, nec plenè dormienti, nec ex toto vigilanti, apparuit, & eadem dixit. Cùmque ad se pariter rediissent, mutuò quæ viderant, enarrabant. Cùm ecce quod facilè audiri poterat, credi difficile, pravum illud transeuntibus æquoris spatium, contrarius ventus siluit, mare quievit, & navis Monasterii secundis impulsa flatibus ad optatum Africæ Portum vênit.

In eadem verò Africana civitate res æquè mirabilis acta est, quæ quia Sancti Viri præconio convenit, silentio comprimi nequaquam debet. Rex quidem ejusdem civitatis, comperto, quòd ad expugnandam Africam navalis exercitus mitteretur, omnes Christianos, qui illic erant, retinuit, nec redire ad propria sinebantur. Præfatus igitur Frater Monasterii in magna angustia positus, quia, ut volebat, cum emtis mercibus redire non poterat, memorati Patris non dissimile auxilium sensit. Videbatur etenim sibi in somnis, quia in vinculis positus esset, à quibus Venerabilis Pater Constabilis veniens eum absolveret; cui etiam soluto præcipiebat, ut sinè cunctatione navem solveret, ad Monasterium rediret, quia impedire eum nullus potuisset. Evigilans autem Monachus de Patris præsentia securus, licèt magnæ videretur quod tentabat audaciæ, navem solvit, atque in ea secum nautas recepit. Quem profectò ausum pro solita feritate barbari Regis mira benignitas subsecuta est. Nam ut Cavensem navem solutam audivit, patienter tulit, ablata carbasa, & omnia ei armamenta restituit, atque ad propria redeundi liberam facultatem dedit. Sicque Sancto Viro parum fuit navem eripere, nisi majori virtute Barbarorum corda mutasset.

Circa finem verò operis hujus illud etiam memorandum puto, quod in eadem via maris cùm ad Africam navigaret Petrus Monachus sibi accidisse testatur. Ait enim, quòd in magno sole æstatis, omnibus quiescentibus ventis, ita alto pelago deprehensus cum navigio fuerat, ut non minus perlaboriosum putaret sic torreri, quàm tempestate circumferri. Tunc memor illius miraculi, quo vir Dei Constabilis Monasterii navem eripuerat, ejus meritis naviculæ suæ auram infundi postulavit, quæ & solis fervorem mitigaret, & ad desideratum portum perduceret. Cujus nimirum verba precis mira virtus rogati Patris sequuta est; nam statim suavis aura flare cœpit, quæ eamdem navem cum aliis pluribus usque ad Africæ portum duxit. Cùmque ex illis navibus transire locum aliæ cuperent, atque ad Italiam navigare, aura illa protinus siluit, ut apertè cognosceret Monachus, quia Viri Dei meritis navi suæ aura illa influeret, quam post illius portum habere naves reliquæ nequivissent.

Illud quoque silendum non arbitror, quod eidem miraculo idem Monachus addere solitus est. Ait enim, quia in eodem itinere duas piratarum naves offenderit, quæ primo impetu contra navem Monasterii concitatis æquoribus venientes, ubi parum processerunt, eadem festinatione, qua irruere cœperant, retro fugerunt. Ex quibus profectò piratis quemdam postea idem Frater agnovit, à quo etiam cùm quæreret, qua causa rediissent illo die, cùm Monasterii naviculam capere facilè potuissent, respondit, dicens: *Nos non ita vos vidimus, sed tanti ac tales à nobis visi estis, ut si accederemus, dubium non esset, quòd redire nobis sinè ingenti cæde minimè liceret*. Quod nimirum Viri Dei Constabilis meritis actum esse quis dubitet, ut cœlitus terrerentur, ne servorum Dei sumptus invaderent, si navis .... raperent, quam præsidia hominum non tutarentur.

Nec hoc quoque silentio prætereundum est, quod quidam Frater Petrus de Arce, cùm Sacristæ officium gereret, & funem Fratrum vellet ligare, ubi lucernæ ante Crucem solent ardere, posuit scalam, & cùm esset in summitate scalæ, cecidit. Sed cùm caderet, clamabat dicens: *Sancte Constabilis, adjuva me*; sicque meritis Beati Viri de tanto præcipitio cadens, nullam in suo corpore passus est læsionem.

Item cùm beatæ recordationis Arborius, hujus Monasterii Prior venerabilis, jacens in domo infirmorum, instantissimè & sinè intermissione dolore lateris cruciaretur, nec alicujus consilii vel suæ salutis remedium invenire potuisset, ad Beati Viri sepulcrum se deportari fecit, & cùm aliquantis ibi precibus orasset, meritis Beati Viri dolor lateris continuò ita ab eo discessit, ac si ipsum præfatus dolor nullatenus tetigisset.

Alius quoque Frater cùm quartanas febres pateretur, nec ullo modo aliquove consilio liberari posset, ad Beati Viri tumulum devotis precibus accessit, & paucis diebus interpositis Beati Viri meritis liberatus est.

Cicindela quoque, quæ ante Crucem, & Venerabile Beati Viri corpus quotidie ardet, de summo cecidit, nec vitrum fractum est, nec oleum diffusum.

Item urceum vitreum vino plenum sæpe & sæpiùs de sepulcro ejus in pavimentum cadens: nec vitrum fractum, nec vinum sparsum est.

Duo insuper hujus Monasterii servientes, cùm in Vigilia Anniversarii Beati Viri duas lagenas vino plenas à loco, qui dicitur Traconia, pro caritate Fratrum deferrent, altera earum in terram cecidit, nec lagena fracta, nec vinum sparsum est.

Nullo modo etiam prætereundum est, quòd meritis Sancti Viri senex quidam, Ursus nomine, qui de more & debito totius Monasterii officinas mundare consueverat, ad montem ivit, ut scopas incideret. Qui casu de quadam rupe corruens, brachium ejus fractum est. Cùmque dolore brachii nimiùm cruciaretur, ad sepulcrum Sancti Viri veniens, prostratus jacuit clamans, & dicens: *Pater Beate Constabilis & Domine, pro anima patris & matris tuæ adjuva me, & libera me de cruciatu isto*. Qui cùm tertiò eadem repeteret, non solùm à dolore, verùm etiam à brachii fractione liberatus est.

Johannes quoque cognomento Cicolinus gutta de capite ad oculum descendente, cùm gravissimo cruciaretur dolore, ad sepulcrum ejus vênit, rogans & suppliciter obsecrans, ut consuetâ misericordiâ à tanto cruciatus dolore ipsum eriperet; qui statim exauditus, & gutta simul,

simul, & dolor recessit.

Quidam quoque faber Petrus de Mari nomine, cùm simili dolore gravissimè torqueretur, ad sepulcrum ejus venit, & de quodam foramine sepulcri ejus pulvere accepto, oculum fricuit, & statim liberatus est.

Quidam insuper Diaconus, Dauferius nomine, cùm frequenter ad sepulcrum Beati Viri se appodians obdormiret, idem Sanctus in somnis apparuit ei dicens: *Quare, Frater, de sepulcro meo gambuttam facis? Moneo te, ut ampliùs non facias, & ab hoc facto desistas.* Qui timore correptus aliquantis diebus Beato Viro obedivit. Verùm ejus correctionis immemor existens, in idipsum rediit, & iterum se appodians obdormivit. Cui Sanctus iterum apparuit, eique dixit: *Nonne tibi prohibui, ut de sepulcro meo non faceres tibi gambuttam?* Qui timore perterritus à somno surgens, brachium ejus ita contractum est, ut nullo modo ipsum, nec plicare, nec extendere poterat. Qui effusis precibus Beatum Virum devota mente supplicans, rogavit, ut ipsum liberare dignaretur: qui mox exauditus meritis Beati Viri liberatus est.

In sancta præterea die Parasceven cùm de diversis partibus multitudo virorum & mulierum, sicut mos est Christianæ Religionis, Sanctum diem illum discalceatis pedibus, & cum lacrymis sacra loca visitando celebraret, contigit, quòd multi ad hunc sanctum locum venerunt, inter quos & quædam puella similiter venit. Et cùm nonnulli pulpitum, ubi Lectiones leguntur, ascenderent, puella similiter fortuitu cum eis ascendit, & de eodem pulpito cecidit, & cùm omnes clamarent: *Mortua est puella*, nutu Dei, & Beati Viri meritis super pedes suos se erigens, nihil mali habuit.

Hæc de tanto Viro, suisque Prædecessoribus ad præsens dicta sufficiant, licèt per eos multa & præclara mirabilia Deus frequenter operetur. Quorum etiam precibus & meritis honestatem & præclaram Religionem cum sanctitate in hoc Sancto Monasterio credimus hactenus conservatam, & ab omnium hostium incursione & offensione, Domino auctore, usque ad finem mundi liberam fore atque munitam.

Ergo Beatum Virum Constabilem humillimis precibus suppliciter exoremus, ut juxta nominis sui Etymologiam, tam præsentibus, quàm futuris hujus Monasterii Fratribus impetret à Domino suis orationibus constantiam in quotidiano labore certaminis, tribuatque stabilitatem in bonis moribus, ut per hæc aliaque opera & misericordiæ, & caritatis ad beatam & æternam gloriam, ubi ipse cum Deo regnat, pervenire mereamur, ipso Domino nostro Jesu Christo donante, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus in secula seculorum. Amen.

Laus tibi sit, Christe, quoniam Liber explicit iste.

CAVENSIUM ABBATUM NOMINA VERSIBUS COMPREHENSA.

Abbas *Alpherius* primus virtute coruscus,
Anno centeno bis deno vixit in Orbe.
Quem *Leo* subsequitur Vir providus atque benignus,
Qui laudabiliter ter denis præfuit annis.
Ordinis instructor post *Petrus* tertius Abbas,
Ipse quaterdenis est loris fortiùs usus.
Quartus *Constabilis* puer inclytus & venerãdus,
Ecclesiam rexit uno feliciter anno,
Dilectus cunctis, prudens, & mitis ut agnus.
Successit *Simeon* sexdecim qui præfuit annis.
Sextus adest *Falco* pulcro sermone refulgens:
Quinos hic Pastor fertur vixisse per annos.
Abbas *Marinus* Vir magno nomine pollens,
Præfuit Ecclesiæ vigintiquatuor annis.
Benincasa pius, prudens, & Pastor opimus,
Successit dignè, fovit, rexitque benignè,
Octavus residens vicenis & tribus annis,
Cœlica Regna petens, fruitur nunc sedibus almis.
Vir pius atque bonus successit in ordine nonus,
Lingua veridicus *Petrus* Abbas, mente pudicus:
Præfuit hic annis denis & quatuor, agnis
Ipse magis mitis, inimicus fuit utique litis.
Succedens decimus bene vixit in ordine dignè,
Balsamus in cunctis tractavit cuncta benignè,
Gemma Sacerdotum, Prælatorumque monile,
Lustris quinque Dei bene rexit & auxit ovile.
Ad bona non tardus surrexit post hos *Leonardus*,
Abbas undenus, virtutum dogmate plenus,
Hic meritis magnis bis denis & tribus annis,
Corde quidem docto, rexit cum mensibus octo.
Hinc *Leo* Vir mundus, bona rexit multa Secundus
Abbas, qui fixit hìc cor, cùm corpore vixit
Annis septenis simul annis bis quoque denis,
Mensibus his junctis septem, pateat fore cunctis.
Quem faciat Regno Dominus gaudere superno.
Semper fulgebit domus hæc, & nube carebit,
Quam *Leo* Vir mundus Abbas per lustra Secundus,
Quinque duobus in his junctis feliciter annis,
Et medio, rexit, curamque suam bene gessit.
Hujus Scriptoris *Capuani* vita *Johannis*
Sit multis annis, quem ditet cœlicus amnis.
Qui Monachus fidus lucet, quasi nobile sidus,
In Christo nitidus, virtutum cui placet ydus,
Quod jussit fieri scrutatrix sedula veri
Plena Dei donis Abbatis cura Leonis.
Cœnobio felix luat Abbas crimina mundus,
Et post in Cœlis Leo militet iste Secundus.

Histo-

Historia Consecrationis Sacri Monasterii Sanctissimæ Trinitatis Cavensis solemniter factæ à beatæ memoriæ Urbano Papa Secundo Anno Domini MXCII. die quinta Septembris.

ANno à salutifero Domini Jesu Christi ortu Millesimononagesimosecundo Pontifex Maximus Christique Jesu Vicarius præsidebat Urbanus hujus nominis Secundus, qui natione Gallus, professione Monachus, Oddo nomine, in Cluniacensi Cœnobio, Beati Petri, tertii hujus Sacri Monasterii Abbatis, discipulus antea fuerat, & ejusdem ad idem Cœnobium revertentis individuus comes, & vitæ socius, donec à Sanctissimo Gregorio VII. Romano Pontifice primorum Patrum Collegio ascriptus, & Ostiensis Episcopus effectus fuit. Tamdemque post Victoris Papæ Tertii obitum ad Apostolici ordinis culmen sublimatus, Henrici Imperatoris potentiam veritus, eo quòd Gregorii Septimi Prædecessoris sui partes & acta tueretur; ne quoque Romanorum seditionibus esset obnoxius, apud Normandos potiùs, quàm Romæ, morari voluit.

Salernum itaque à Serenissimo Duce Rogerio, Roberti Guiscardi filio, summo cum honore deductus, ibi cum eo aliquantulum est commoratus. Hanc autem occasionem nactus, qua & suæ ipsius devotioni satisfaceret, & dilectissimi Magistri sui Petri votum expleret, Cavensem Basilicam propriis manibus, Pontificia cæremonia, consecrare disposuit.

Cùmque ad perficiendum opus solemnis pompa, quæ tantum decebat Pontificem, pararetur, Alphanus Monachus Cavensis Sanctus Salerni Archiepiscopus, qui jam ad loci ipsius subjectionem modis omnibus adspirabat, ea re commotus, coram Summo Pontifice, suæ Ecclesiæ jura minui clamitans, conquestus est. Cui Pontifex de abundanti juris satisfactione concessit, ut infra quemdam statutum terminum actiones suas prosequeretur. Ille verò cùm ad obtentum terminum pervenisset, cœlitus (ut fama est) monitus, locique religione tactus atque perterritus, actionem ipsam aggredi refutavit.

Sic igitur præstante Domino Salernitani Præsulis contradictione sopita, ad solemnem Cavensis Basilicæ dedicationem Pontifex Urbanus accingitur. Cujus rei quantus fuerit apparatus, quàm celebris pompa, quantus undique confluxus gentium, lingua exprimi non potest. Nam præter illum numerosum sacrorum Antistitum Senatum, aliorumque Ecclesiatici Ordinis cœtum, præter innumeram Principum ac Ducum, Catholicorumque magnatum turbam, maxima, undique omnis conditionis & sexus, virorum ac mulierum multitudo confluxit: longè namque latèque se se antea gerendæ rei præconium divulgaverat.

Pridie igitur quàm statuta dies Consecrationis adesset, Urbanus Pontifex sexdecim Illustrissimorum Cardinalium Senatu circumdatus, unà cum Serenissimo Duce Rogerio, reliquorumque comitatu; è Salernitana civitate Cavense Monasterium petiturus egreditur. Cùmque sic pergens prope Cœnobium pervenisset, pio animo loci recogitans sanctitatem, Religionis singulare munus, Monachorum ibidem degentium mores Angelicos, Magistri sui ingens meritum, & itinera ipsa Sanctorum pedibus contrita, ad Rogerium Ducem, aliosque, qui secum aderant, Pontificia majestate conversus: *Indignum est*, inquit, *filii, locum illum, quem cœlitum vitam gerentes incolunt, quàque nudis plantis pergunt, nos peccatores aliter quàm pedestres adire*. His dictis in terram ex equo desiliens, Monasterium versùs cœpit pedester ire. Id ipsum Rogerius Dux, ceterique omnes maxima cum devotione fecerunt. Vixque per lapidis jactum inde processerat; cùm ei veneranda canitie decorus, Monachorum Cavensium corona stipatus, reverenter occurrit Beatus Petrus; moxque cum suis omnibus coram Summo Pontifice genuflectit. At ille eum à terra erigi jubens, flagranti corde complectitur; tum reliquos Fratres sereno vultu intuens, benedicit, blandèque salutat. Illi verò demissis aspectibus, totoque prostrati corpore, ipsum genuflexo humiliter adorant; admirandaque nascitur utrinque contentio, dum illi in pedum oscula ruunt, hic verò Fratrum suorum benevolentia motus, medios cupit amplecti.

Post hæc in hymnis & canticis devotè psallentes, ipsum ad Monasterium deducunt. Ubi priùs omnium Pontifex Templum ingreditur. Sacratissimæ Eucaristiæ reddito cultu, ad specum se confert; Sacratorum Patrum Alpherii & Leonis deosculatur monumenta, lacrymis rigat, diuque substitit, ac diei illius reliquum affabiliter cum Beato Petro, aliisque nonnullis Monachis, quos in Monastica conversatione degens antea noverat, in familiaribus colloquiis expendit. Sed & nocte ipsa cum eisdem Fratribus matutinas laudes solemniter persolventibus, devotus interfuit.

Sequenti verò mane necessariis de more paratis, Pontifex solemni pompa procedens, Sanctissimæ Trinitatis nomine invocato, adstantibus Fratribus suis Reverendissimis S. R. E. Episcopis Ubaldo Sabinensi, Odone Albanensi, Berardo Prænestino, Johanne Tusculanense, Brunone Signino, Rangerio Regitano, Gerardo Trojano, Johanne Rapollano; adstantibus quoque S. R. E. Presbyteris Cardinalibus Hermanno titulo quatuor Coronatorum, Gregorio titulo Sancti Vitalis, Benedicto titulo Sanctæ Susannæ; atque etiam Diaconibus Cardina-

dinalibus, Gregorio ex Diaconia Sanctæ Mariæ in Via-lata, Johanne ex Diaconia Sanctæ Mariæ in Schola Græca, Petro ex Diaconia in Sancto Adriano, Jacobo ex Diaconia Sancti Eustachii, & Teutione ex Diaconia Sancti Georgii ad Velum-aureum; præsente etiam Serenissimo Duce Rogerio, cum innumera illa Principum multitudine, Clericorum, Laicorumque copia, ad invocatæ Sanctissimæ Trinitatis honorem ipse Summus Pontifex Urbanus II. propriis manibus Cavensem Basilicam Pontificiis cæremoniis ac ritibus solennissimè dedicavit; apposuitque in signum marmoreum lapidem hac inscriptione notatum:

CRUCEM HOC IN LAPIDE SCULPTAM, QUAM CERNIS, SANCTISSIMUS URBANUS II. PONTIFEX MAXIMUS IN SACRA HUJUS ECCLESIÆ CONSECRATIONE PROPRIIS MANIBUS IN SACRÆ REI SIGNUM OLEO SANCTO LINIVIT ANNO SALUTIS MILLESIMONONAGESIMOSECUNDO, NONIS SEPTEMBRIS, INDICTIONE QUINTADECIMA.

Tam verò magnifica consecrationis pompa fuit, ut continuò suavissimi odores cremarentur, dulcissimi concentus exaudirentur, organorum ac tibiarum ad jucundissimum numerum modulationes, ut non aures modò audientium, sed & animos ad pietatem religionemque mira ratione accenderent. Præcipuè verò Serenissimus Dux Rogerius, his pietatis insigniis excitatus, coram Pontifice, & Cardinalibus, audientibus Principibus, & Populis, Cavensem omnem ditionem, imperium in universos Lucanos, à vectigalibus immunitatem, Marsique dominium donavit. Notarios publicos, ac Judices, Vassallosque creandi facultatem indulsit. Morti destinatos eripiendi, Duellorum rationem constituendi, Causarum controversias decidendi, Appellationes prosequendi tribuit potestatem. Atque ut ita dicam, cum summo potestatis Regalis jure reditus ac fructus ad summam multorum millium aureorum religiosa liberalitate contulit.

Eo autem illustrior Pontificis munificentia fuit, quo sunt cœlestes opes, Divinaque munera terrenis atque humanis illustriora. Etenim ad Ducem, ceterosque Prælatos, ac Principes, universumque Populum conversus, Christi Domini uberrimos thesauros proferens indulsit: Ut si quis Domino opitulante in pœnitentiæ statu existens, sacrosanctas ædes adierit, uno die ante ipsius Consecrationem, & per totum diem sequentem, hoc est quarta, & quinta Septembris; nec non in diebus Cœnæ Dominicæ, & Salvatoris Passionis, illam Indulgentiam consequatur, quam consequeretur in eundo & redeundo ad Sanctum Jacobum Compostellanum. Ceteris verò anni diebus ad dictam Basilicam causâ devotionis accedentibus, quatuor annorum, ac totidem quadragenarum contulit Indulgentiam. Effecit etiam, ut sacellum Abbatis eodem die ab Illustrissimo Brunone Episcopo Signino consecraretur, adjiciens Indulgentiam illud visitantibus his diebus festis, septem annorum & totidem quadragenarum. Ecclesiæ verò in proximo Oppido positæ, & eodem die consecratæ per Reverendissimum Rangerium Regitanum Episcopum, concessit ut iisdem diebus, necnon in omnibus Solemnitatibus Beatæ Mariæ Virginis illuc accedentes, septem annorum & totidem quadragenarum Indulgentiam consequantur.

Ipsos verò Monachos, sacrumque Cœnobium privilegiis suis ita munivit, libertateque donavit, ut quæ ipsi Monasterio compares, pauca reperias, anteponas autem nullum.

Tum verò pompâ finitâ ad claustrum se Pontifex cum Cardinalibus, ac Duce Rogerio, Beato Petro deducente, se conferunt, Monachisque in unum collectis: *Vidistis*, inquit, *dilectissimi, quot sacrarum unctionum delibutionibus, quot cæremoniarum ritibus, orationumque suffragiis usi sumus, dum Domus ista per nostræ humilitatis ministerium Domino dedicaretur? Quæ omnia sine dubio propter vos, & pro omnibus, quot quot usque ad finem seculi sunt futuri, facta fuere, in quibus spiritualiter implebuntur, quæ in his parietibus visibiliter hodie præcesserunt. Hæc quippe, quæ in hac visibili Domo nos fecimus, Christus Jesus in animabus fidelium quotidie operatur. Illæ enim verè & propriè Sancti Spiritus Templa esse noscuntur. Vos, o filii, estis Templum Dei vivi, sicut dicit Apostolus: Templum Dei Sanctum est quod estis vos. Agite igitur animo fratres, quanta dignitas sit Religiosi Monachi, quem Deus à seculi fluctibus emersum, in pacatissimum Religionis sinum deducit, ut mentis oculo Monastica disciplina purgato, quàm sint humana omnia angusta, mortalia, erroris & inanitatis plenissima, deprehendere facilè possit. Ac licèt in terris versetur, cœlitum tamen jura tenet, & jam quodammodo in Beatorum numero collocatus. Hæc enim ornamenta sunt vera, hæc admiranda insignia Monachorum. Quamobrem quod habetis, tenete, ut coronam vestram nemo accipiat; & onus nostrum, carissimi Fratres, quia auctoritate non licet, precibus vestris portate, pietatisque affectu vicem meam dolete.* His aliisque dictis, Fratribus ad pedum oscula admissis, benedictione indulta, cum Serenissimo Duce Rogerio, aliisque, qui secum venerant, Salernum repetiit.

FINIS.

CAFFARI
EJUSQUE
CONTINUATORUM
ANNALES GENUENSES
AB ANNO MC. AD ANNUM USQUE MCCXCIII.

E MANUSCRIPTIS CODICIBUS

Nunc primùm in lucem prodeunt.

IN ANNALES GENUENSES CAFFARI, EJUSQUE CONTINUATORUM PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

INclytam Urbem Genuam cum aedificiorum amplitudine ac magnificentia, tum clarorum Virorum frequentia nulli Italicarum secundam, jam diu suis Historiis ac laudibus exornarunt, & posteritati serae commendarunt Jacobus Bracellius, Augustinus, & Michaël Justiniani, Petrus Bizarrus, Ubertus Folieta, Jacobus Bonfadius, Petrus Burgus, Raphaël Sopranus, Paulus Interianus, & alii. Sed ii fere omnes recentes, atque ab instituti mei finibus exclusi. Interim mihi in votis erat, ut quae Civitas, ac Respublica praesertim post Annum a Christo nato Millesimum ac Centesimum, maritima potentia, rebus fortiter gestis, ac dilatato imperio eo usque crevit, ut nostris quoque temporibus splendidissimum inter Italiae Principes locum teneat, illustrem quoque in Collectione nostra locum obtineret. Periculum igitur feci, num vetusti aliquid exinde impetrare aut exculpere possem; Et quidem meis votis mirum in modum arrisit fortuna; nam qui hucusque injurias temporis evasere, *Caffari, ejusque Continuatorum Annales Genuenses*, manu tantum exarati, & paucis ex Eruditorum Populo noti, ecce nunc me adnitente in publicam lucem efferuntur. Cui autem debeam ego, & mecum debeant bonarum Literarum cultores beneficium hoc, sententia mea non leve, is est cum nobilitate generis, tum eruditionis omnigenae professione praestantissimus Vir S. R. I. Marchio Joseph Malaspina, ex Toparchis Sanctae Margaritae, & Abbas Commendatarius Sancti Martiani Terdonensis. Simul enim ac ille intellexit, me suscepto hoc Opere ad universae Italiae decus studia & consilia mea convertisse, ut est inter paucos liberalitate animi conspicuus, mihique arcta jamdudum amicitiae necessitudine conjunctus, eosdem *Annales* mihi describendos atque edendos rogatus lubentissime tradidit. Munus, inquam, magni faciendum. Si enim spectes argumentum Historiae, haec ab Anno 1100. perducitur ad Annum usque 1293. & negotia gestaque refert Urbis potentissimae, cui non cum finitimis tantum, sed & cum remotis Principibus eorum temporum res erat, ita ut multa heic congesta habeas ad aliarum quoque gentium Historiam illustrandam maxime opportuna.

Longe vero praerogativam hanc altera superat, nempe quod Historia ducentorum ferme Annorum a gravissimo & coaevo Scriptore coepta, a gravissimis identidem, iisque coaevis semper Scriptoribus mirabili successione continuata fuerit. Quam sit rarum apud veteres id Historiae genus, tot tempora complectentis, norunt Eruditi; & vix alterum ejusmodi exemplum ex antiquitate proferas, ut propterea gratulandum sit nobilissimae Genuensium Reipublicae, quod supra reliquas Italiae Urbes, si Romam excipias, Chronicon ostendere possit, decreto Majorum suorum tamdiu a synchronis productum, & luculentissimum antiquae suae auctoritatis & gloriae testem, cui par non exhibeant Civitates aliae vel majoris nominis atque potentiae. Atque haec sunt in causa, cur Ego quamquam tot alias Hi-

Historias hactenus ineditas ad hanc Collectionem ornandam atque implendam mihi pararim, & Reipublicae Literatorum spoponderim, attamen praesentem hanc facile palmam reliquis praeripere, aut saltem majori in pretio habendam mihi persuadeam. Utinam vero ceterae Urbes olim imitatae fuissent praeclarum hoc condendae, & continuandae Historiae suatis exemplum, aut saltem imitarentur in posterum. Sed nos aevum nostrum vixisse contenti, nihil pensi habemus, quid futura tempora, serosque nepotes respiciat, quibus, si eos amamus, consulendum foret, quando, ut notum est, documenta atque exempla nostra non eruditionem tantum, sed etiam lucem ad res gerendas reliquis praebere identidem possunt.

Primus ergo, qui Annales Genuenses scribere aggressus est, *Caffarus* fuit, vir sine dubitatione inter suae Civitatis primores numeratus, atque ad ardua negotia Patriae ob spectatam prudentiam adhibitus, & ob publica munera inter Cives suos praeclarus. Illum non uno anno inter Consules Genuae adlectum Historia ipsa prodet. Atque hoc illi conscribendae Historiae consilium, ut opinor, injecit, suscepta ab eodem peregrinatio in Palaestinam, quum adolescens esset; is enim celeberrimae sacrae expeditioni nomen dedit, quae post Hierosolymam captam tot alias Urbes Sarracenorum jugo ademit, non sine Genuensium gloria, qui & ipsi ea occasione fortia gesserunt in utilitatem Christianae Reipublicae, simulque suam. Nempe quae mira ac memoranda ibi contigere, incitamento fuere multis ac praecipue iis, qui coram inspexerunt, ut tanti eventus memoriam literis consignarent. *Caffarus* autem *de Taschifelloue*, sive *Caschifelone*, ut alter Codex habet, appellatur, quo nomine num ejus Patria, an vero Pater, aut Familia indicetur, mihi incertum est. Ad postremam quidem senectutem ipsum pervenisse certum est nobis, tum quod auctor sit ipse, Anno 1101. se in Orientem cum classe suorum Genuensium profectum, ac deinde narratione sua ad Annum usque 1163. perveniat, tum etiam quod Continuator Obertus Cancellarius haec de illo subdat Libro II. Annalium: *Tam aetate, quam scientia maturus, Anno ejusdem aetatis LXXXVI. sanae mentis occubuit*. Eumdem vero is appellat *Virum vita moribusque honeste compositum, satisque abunde claro nomine plenum*. Infra nominantur *Otto de Caffaro*, & *Anselmus de Caffara* (fortasse *de Caffaro*) in splendidis Reipublicae muneribus constituti. Hos Caffari nostri filios fuisse opinari non injuria possimus.

Annales igitur Genuenses morte primi hujus Scriptoris intercepti, novum cursum suscepere cura nuper memorati *Oberti*, Viri itidem egregii, utpote qui suae Reipublicae *Cancellarium* agebat. Continuatae ab ipso per decennium Historiae opem deinde tulit Anno 1174. *Ottobonus* Genuensis Populi *Scriba*, & post eum *Ogerius Panis*, tum *Marchisius Scriba*, & *Bartholomaeus Scriba*, quae nomina Cancellarium Reipublicae sonant. Ab his est propagatum Chronicon ad Annum usque 1263. Ac deinde ad illud continuandum publico decreto adsciti sunt quatuor Nobiles Viri *Lanfrancus Pignolus*, *Guilielmus de Multedo*, *Marinus Ususmaris*, & *Henricus Marchio Gavii*. Tum Anno 1266. quatuor alii Nobiles in idem opus incubuere, scilicet *Nicolaus Guercius*, *Henricus Drogus*, & *Bonusvassallus Ususmaris* una cum supralaudato *Guilielmo de Multedo*. Postea successerunt ad eumdem laborem simul juncti *Obertus Stanconus*, *Jacobus de Auria*, *Marchisius de Cassino*, & *Bartholomaeus Bonifacii*: ac tamdem unus *Jacobus de Auria* perducta Historia ad Annum usque 1294. nullum successorem habuit, qui ad eam statim continuandam decreto Reipublicae accesserit. Ceterum quamquam tot Nobiles Viri ad hosce Annales conficiendos confluxerint, adeo tamen nomen & auctoritas primi Historici invaluit, ut non alio nomine, quam *Caffari Annales*, commemorari consueverint apud posteriores rerum Genuensium Scriptores. Commemoravit autem illos circiter Annum Christi 1294. Jacobus de Varagine Archiepiscopus Genuensis in suo Chronico, quod heic primum evulgabimus; commemorarunt & Folieta, Justinianus, Sopranus, & Oldoinus, imo & ipsi nondum editi, quos prae ceteris nobis nominandus venit *Georgius Stella*, ut infra patebit, quum ejus quoque *Annales Genuenses* in lucem producemus.

Ad haec edenda praeter unum Codicem, quo sum usus beneficio supra memorati Marchionis Malaspinae, erat mihi ad manus & alter minime absolutus, utpote ad Annum tantummodo 1209. deductus. Neque modicum mihi fuit praesidium ex hoc altero. Varias enim ex ipso easque perquam utiles lectiones hausi, quae Historiae textum comitatae, aliquam ei interdum facem ministrabunt. Imo & nonnulla loca, quae in Malaspiniano exemplari male se habebant, ope alterius resti-

restitui ac supplevi. Quod si occurrent quaedam alia, rara tamen, in quibus inemendatum sit verbum aliquod, aut sensus videatur obscurus, in Amanuensium incuriam culpa rejicienda; neque enim mihi licuit antiquos Codices heic adhibere. Erat Genuensium Eruditorum ad hujusmodi spartam adornandam auxiliares manus mihi praebere; Quae tamen ita dicta velim, non ut cuiquam suspicio ingeratur, heic aliquid desiderari, quod ad Historiae nunc edendae integritatem pertineat. Hanc polliceri Lectoribus possum. Fortassis hominum locorumve nomina aliquot heic non satis castigate exhibeantur; sed nil ista legentem impedire poterunt, quo minus cum voluptate monumenta haec historica percurrat, atque inde fructum solidae eruditionis ac veritatis percipiat. Ubi vero Caffarus, ejusque Continuatores desinent, succedet suo loco Chronicon *Jacobi de Varagine*, ac post illum *Georgius Stella*, qui & ipsi Genuensis Populi acta suis scriptis illustrarunt, ita ut quae ni fallor meliora, sed abdita hactenus gens illa habuit, singula in hoc Opere tamdem me curante habiturus sit Lector.



Andr. Antó. Oratij in. et del. C. Grandis Sc.

CAFFARI
ANNALES GENUENSES
AB ANNO MCI.
LIBER PRIMUS.



And. Oratij inu. G. Marsi Sc.

QUicumque sua utilitate, vel aliena, præteritorum annorum à tempore stoli Cæsareæ usque nunc notitiam habere voluerit, hoc scriptum à memoria Caffari monumentum legat, & lecto veritatem cognoscat. Caffarus namque, quoniam à tempore prædicti stoli usque nunc partem Consulatuum Januensis civitatis rexit, & habuit, & alios Consules, qui intra prædictum terminum fuerunt, vidit, & agnovit, corde etiam meditando, nomina eorum, & tempora, & varietates personarum, Consulatuum, & compagniarum, & victorias, & mutationes monetarum eodem Consulatu factas, sicut subtus legitur, per semetipsum dictavit, & Consulibus quidem ejus temporis Tanclerio, & Rubaldo Bisaccia, & Ansaldo Spinula, & Consilio pleno, scriptum illud ostendit. Consulibus verò, audito consilio Consiliatorum, palàm coram Consiliatoribus, Guilelmo de Columba publico Scribano præceperunt, ut Librum à Caffaro compositum, & notatum scriberet, & in communi Chartulario poneret, ut deinceps cuncto tempore futuris hominibus Januensis Populi victoriæ cognoscantur. Quando iverunt MC., quando redierunt MCI.

„ Janua tuta quidem fuit illo Consule pridem,
„ Urbs ea, quæ novit quod sic ex ordine novit.
„ Nomen ei Cafarus, præsens quē signat imago.
„ Vivat in æternum ejus generosa propago.

Tempore enim stoli Cæsareæ, paulò ante, in civitate Januensium compagnia trium annorum & sex Consulum incœpta fuit, nomina quorum sunt hæc: Amicus Bruscus, Maurus de Platealonga, Guido de Rustico de Rizo, Paganus de Volta, Ansaldus de Braxile, Bonusmatus de Medolico, qui omnes fuerunt Consules de Communi, & de placitis de prædictis tribus annis. Anno uno, & dimidio transacto, galêæ XXVIII. naves VI. in Kalend. Augusti à Januensi urbe recedentes Hierosolymam perrexerunt, & ad portum Laodiceæ cum exercitu venerunt, ibique per hyemem totam steterunt; & Orientales partes Hierosolymitano Rege, & Antiocheno Principe carentes invenerunt; & prædictas partes tamdiu in guardia & tutela tenuerunt, donec Regem in Hierosolymam, & Principem in Antiochiam ordinatione Romanæ Curiæ Legati, & parte eorum taliter posuerunt. Statim namque cum Legato Romanæ Curiæ consilium fecerunt, & nuntios ad Balduinum in Rages, & ad Tanclerum in Tabariam ut venirent miserunt. Et Tanclerius sinè mora vênit, & in ordinatione Legati & Januensium, Antiochiæ Principatum suscepit. Postea verò Balduinus cum militibus CC. peditibus CCC. ad colloquium cum Januensibus ad portum Laodiceæ vênit, ibique à Legato, & à Januensibus monitus, & precatus, ut Regnum Hierosolymæ acciperet, ita promisit, & dixit: *Si auxilium ve-*

vestrum in hac æstate mihi dare promiseritis, ad duas scilicet capiendas civitates Saracenorum, quas voluero, ad capiendum Regnum ad præsens ire promittam. Januenses statim quod Rex petierat proculdubio facere promiserunt. Illico Balduinus Regnum accipere promisit, & dixit: *Ego pro fiducia Dei, & vestra ad capiendum Regnum iter incipiam*; & post tres dies cum prædictis militibus & peditibus ire incœpit. Postquam verò ad districtum Baruti appropinquasset, tribus millibus Turcorum militum supra districtum stantibus obviavit. Balduinus namque cùm cognovisset quòd districtum transire non posset, armatus equum ascendit, & finxit se retro redire. Turcorum autem multitudo statim districtum descendit, & in planitiem vênit. Balduinus enim postquam Turcos in campestri loco esse cognovit, faciem & arma cum omnibus suis militibus contra inimicos Dei viriliter volvit. Turcorum autem milites cùm viderunt Balduinum jam venire, volventes terga, arma dimiserunt, & cum equis ad districtum fugere cœperunt. At quidem Miles Dei Balduinus sequendo eos & interficiendo, antequam ad districtum venirent, mortuos ferè omnes in loco campestri dimisit; arma, & equos, & omnia, quæ secum portabant, habuit; & militibus suis & peditibus partem secundùm morem bellatorum dedit & distribuit; & Hierusalem cum prædicto triumpho ivit, ibique à Patriarcha Vamberto, & ab omnibus Hierusalem habitantibus cum gaudio receptus est, & in Regali cathedra positus Regiam coronam accepit; & deinceps Regnum per annos XVIII. viriliter habuit, & rexit. Januenses verò donec in civitate Laodiceæ per hyemem steterunt, multa loca Saracenorum, & castra circa illas partes destruxerunt. Et Quadragesima veniente, cum galêis, & navibus, ac toto exercitu inde recesserunt, & juxta maritimas civitates, quæ tunc temporis Saracenorum erant, usque ad civitatem Caiphas iverunt, & multos Saracenos de prædictis civitatibus mactari (1) fecerunt; ibique in plagia Caiphas galêas pro ira maris extraxerunt. Et quum ibi morabantur, exercitus Babyloniæ nocte una juxta civitatem Caiphas cum magna tempestate maris usque ad portum Acharontis velociter perrexit. Januenses tamen partem de galêis statim in illa nocte posuerunt in mari, & sequendo quamprimùm tempestate ab invicem separati fuerunt, & summo mane die Dominico de Ramis Palmarum officia Dei cum devotione celebrarunt, & die Lunæ cum omnibus galêis versùs Joppem ire cœperunt. Quum autem Joppem appropinquassent, ecce Rex Balduinus cum duabus sagitteis, & cum turbis, & vexillis multis longè à civitate per milliare Januensibus obviam vênit, salutando, & gratias referendo de hoc, quòd ad servitium Dei, & Regni Hierusalem venire, ut promiserant, non prolataverant. Et sic Januenses ad Joppem cum Rege venientes, galêas omnes sinè mora in terra posuerunt; & die Mercurii Sancti cum Rege Balduino ad Hierusalem perrexerunt, ibique, Sabbato Sancto veniente, ad Sepulcrum Domini iverunt; & jejunantes per diem & noctem, lumen Christi expectantes, ut veniret. Et die illa & nocte non vênit; & sic in Ecclesia Sepulcri sinè lumine stantes, sæpe & sæpe omnes una voce clamabant *Kyrie eleison, Kyrie eleison*. Et mane veniente in die Resurrectionis Domini Patriarcha Vambertus unà cum Mauritio Portuensi Episcopo, & Romanæ Curiæ Legato, sermonem super Populum fecit, & dixit: *Fratres, audite, si placet. Video vos mœstos de hoc, quòd Dominus non misit lumen de cœlo solito more; unde dolendum non est, imò lætandum, quia Dominus non facit miracula propter Fideles, sed propter Infideles. Et donec civitas ista sancta in potestate Infidelium erat, bonum, & æquum fuit, ut Dominus miracula faciendo, incredulos ad Fidem revocaret. Nunc ergo, quoniam in potestate Fidelium est, miracula non sunt necessaria. At quia inter vos multos Fidei Christianæ imbecilles, & incredulos esse credimus, Deum precemur, ut pro incredulitate infidelium, sicut solitus fuit, lumen ostendat. Quare ad Templum Domini cum devotione omnes pergamus, ibique si Dominus noster tardiùs nos exaudiverit, nos tamdiu preces precibus jungamus, donec quæ petimus impetremus. Scitote, Fratres, quoniam Deus tale donum servo suo Salomoni, postquam Templum Dei complevit, hoc modo promisit: Quicumque ad introitum templi aliquod spirituale donum mundo corde petierit, Deus hoc sibi dare promisit*. Sermone namque completo, Patriarcha simul cum Romanæ Curiæ Legato, & cum Rege Balduino, ceterisque Christianis sequentibus eos, discalceatis pedibus cum magna devotione ad Templum Domini perrexerunt, & ad introitum Templi omnes multis precibus & orationibus Deum humiliter deprecati fuerunt, ut lumen, quod tempore Infidelium quondam in unoquoque anno ad Sepulcrum venire solebat, nunc per misericordiam suam istud idem fidelibus suis hodie in die Resurrectionis suæ ostenderet. Oratione enim in Templo facta, ad Sepulcrum Domini cum devotione redierunt. Et statim Patriarcha cum Legato Romanæ Curiæ in domuncula Sepulcri lumen invênit, & sic omnes lætati *Te Deum laudamus* omnes una voce cecinerunt, & Missam Dominicam audierunt, & post Missam ad refocillanda corpora omnes ad hospitium perrexerunt. Iterum namque in circuitu Ecclesiæ de forìs Sepulcri in una de lampadibus lumen coram multis videntibus ardere incœpit. Quum verò tanti miraculi vox per civitatem sonuit, omnes velociter ad Sepulcrum cucurrerunt, ibique unusquisque aspiciens lampades, quæ de forìs in circulo Ecclesiæ erant, una post alteram vicissim taliter ardebant, ut fumus quidam igneus per aquam & oleum usque ad stopinum ascendebat, & à tribus favillis stopino percusso ardere incipiebat. Et sic in die Resurrectionis post Nonam palàm coram omnibus in lampadibus sexdecim lumen, ut dictum est, taliter vênit. Et Caffarus, qui hæc scribi fecit, interfuit, & vidit, & inde testimonium reddidit, & proculdubio ita verum esse affirmat.

Januenses verò in hebdomada ferialium ad flumen Jordanum fuerunt, & postea cum Rege ad Joppem redierunt, ibique consilium fecerunt, & ad Azotum inde perrexerunt, & eum bellando per dies tres ceperunt; & postea mense Madii (2) ad Cæsaream perrexerunt, & statim galêas in terram extraxerunt, & jardinos omnes usque ad muros civitatis destruxerunt; & castella, & machinas facere cœperunt.

(1) Alter Cod. MS. mutare.

(2) Alter Cod. MS. Martii.

runt. Interim verò Saraceni duo de civitate exierunt, & cum Patriarcha, & Romanæ Curiæ Legato ita loquuti fuerunt: *O Domini, vos qui estis Magistri, & Doctores Christianæ Legis, quare præcipitis vestratibus, ut nos interficiant, & terram nostram tollant, quum in Lege vestra scriptum sit, ut aliquis non interficiat aliquem, formam Dei vestri habentem, nec rem suam tollat? Et si verum est, quòd in Lege vestra scriptum sit hoc, & nos formam Dei vestri habemus; ergo contra Legem facitis.* Quibus, quum hæc & multa alia dixissent, Patriarcha talem responsionem fecit. *Verum est, quòd in Lege nostra scriptum est: aliena non rapere, & hominem non interficere, quod facere, vel præcipere nolumus. Civitas namque ista vestra non est, sed Beati Petri fuit, & esse debet, quem parentes vestri vi à civitate ista dejecerunt. Et sic nos, qui Vicarii Beati Petri sumus, terram suam recuperare volumus. Igitur vestra rapere nolumus. De interfectione autem sic respondemus: Interficiendus ille quidem per vindictam est, qui Legi Dei contrarius est, & Legem suam destruere pugnat. Si interfectus est, Legi Dei contrarium non est; quia Deus: mihi vindictam, & ego retribuam; percutiam, & ego sanabo, & non est qui de manu mea possit eruere. Ideoque petimus, ut terram Beati Petri nobis reddatis, & dimittemus vos incolumes cum personis, & rebus vestris recedere. Quod si non feceritis, Dominus interficiet vos suo gladio, & justè interfecti eritis. Quapropter ite, & Majoribus vestris quod vidistis renuntiate.* Et statim recesserunt, ac Miro domino bellatorum, & Arcadio domino Mercatorum omnia, sicut audiverant, per ordinem narraverunt. Arcadius quidem civitatem concedere voluit, Mirus verò dixit: *Civitatem non reddam, sed enses nostri cum ensibus Januensium probentur; &, Mahometo auxiliante, cum dedecore illorum à civitate recedere faciemus.* Saracenorum autem superbiâ à Christianis cognitâ, statim Patriarcha Consulibus dixit: *Facite parlamentum.* Et fecerunt; & in parlamento Patriarcha sermonem super Populum fecit: *Fratres, quoniam pro servitio Dei, & Sanctissimi Sepulcri ad has partes venistis, bonum, & æquum est, ut præceptis, ac mandatis Dei, & suorum fidelium fideliter obediatis. Mandat enim Deus, & per me præcipit vobis, ut summo mane die Veneris, die Passionis suæ, in qua pro redemtione vestra mortem suscepit temporalem, ut Corpus & Sanguinem Domini suscipiatis, & sinè castellis, & machinis, cum scalis galéarum tantùm, muros civitatis ascendere incipiatis. Quod si feceritis, & virtute Dei, & non vestra civitatem habere putaveritis, prophetizo vobis, quòd Deus dabit civitatem, viros, mulieres, & pecuniam, & omnia, quæ intus sunt ante horam sextam in potestate nostra.* Sermone completo, omnes una voce clamaverunt: *fiat, fiat.* Post hæc verò Guilelmus Caputmallii, Consul exercitus Januensis, surrexit, & dixit: *O Cives, & bellatores Dei, præcepta Dei, quæ per Patriarcham modò audistis, complere ne pigritemini. Quare præcipimus vobis sub debito sacramenti, ut manè post Missam confessione facta, & Corpore & Sanguine Domini suscepto, sinè castellis, & machinis, & cum scalis galéarum tantùm, ad muros civitatis, me præcedente sequendo, sinè mora tendatis. Ego enim, Deo concedente, muros ascendere priùs incipiam, & quum me ascendere videbitis, illud idem facere non tardetis.* Mane autem facto, omnia prædicta præcepta viriliter facere incœperunt. Omnibus namque scalis ad muros positis, Guilelmus Caputmalii Consul cum lorica, & lancea, & ense tantùm, multis eum sequentibus, per scalam usque ad summitatem muri ascendendo, solus in muro remansit, & scalâ fractâ, omnes eum sequentes in terram ceciderunt. Civitas enim per medium murata erat, & Saraceni omnes ad medium muri fugiebant, & intus se recolligebant. Consul verò postquam de sequentibus eum neminem vidit, Deum deprecari cœpit, ut melius consilium sibi ostenderet. Illico namque sinè mora turrem quamdam ascendere cœpit, & quum ascendisset, Saracenus quidam de turre descẽdens supra eum se projecit, & brachiis fortiter Consulem strinxit, & Consul eum; & sic ad invicem volvendo, Saracenus dixit: *Dimitte me, & bonum erit tibi, quia citiùs & securiùs turrim ascendere poteris.* Et statim eum dimisit, & velociter ascendit sursum. Quum autem in summitate turris fuit, circuentibus civitatem signum cum ense fecit, & alta voce clamavit: *ascendite, ascendite, & civitatem velociter compescite.* Illico namque omnes unanimiter super muros ascenderunt, & Saracenos ad murum medium fugientes, sequendo eos, interfecerunt multos. Alii verò Saraceni postquam intra alium murum civitatis recollecti fuerunt, Mahometum invocando in eorum auxilium, ne civitatem introirent, ensibus & telis Christianis resistere cœperunt. Januenses autem in humeris dextris Crucem portantes, & per arborem unam palmæ supra murum civitatis ascendendo, & Christum in eorum auxilium vocando, enses suos Saracenorum ensibus suis ad præsens junxerunt. Saraceni namque illico arma, & alia dimiserunt, & ad Muschetam eorum fugere incœperunt. Januenses verò, antequam Saraceni ad Muschetam venissent, omnes bellatores per muros, & per civitatem, & per angulos mortuos dimiserunt; & ad Muschetam omnes Christiani cum Patriarcha absque mora venerunt; & mille ex mercatoribus divitibus, qui sursum in turrem Muschetæ ascenderant, contra Patriarcham clamare cœperunt: *Domine, Domine da nobis fiduciam, ne moriamur, quia Christi Dei vestri formam habemus, & omnia, quæ habemus, vobis dabimus.* Patriarcha quidem licentiam dandi fiduciam Januensibus petivit. Januenses autem licentiam Patriarchæ dederunt, & datâ licentiâ, statim per civitatem iverunt, capiendo viros, & mulieres, & pecuniam magnam, & omnia, quæ intus erant, in potestate habuerunt; & omnia hujus diei incœpta usque ad horam sextam, sicuti Vambertus (3) Patriarcha Januensibus nuntiaverat, Deo opitulante peracta fuerunt. Præterea, paucis diebus transactis, Mauritius Portuensis Episcopus, & Romanæ Curiæ Legatus, principales Ecclesias in prædicta civitate consecravit; Majorem scilicet, ubi Muscheta erat, in honorem Beati Petri, & ubi modò Episcopalis est Sedes; aliam in honorem Beati Laurentii, in quibus Ecclesiis, & in civitate tota nomen Jesu Christi adoratur, & colitur, & diabolicum nomen Mahometi inde expulsum est, & non ampliùs adoratur.

Po-

(3) Alter Cod. MS. Lambertus.

Postea verò Januenses cum galêis, & toto exercitu juxta Sulinum in plagia Sancti Pailerii venerunt, & campum fecerunt, & de pecunia campi decimam & quintam galêarum primùm extraxerunt. Aliud verò quod remansit, inter viros de Tomilia diviserunt, & unicuique per partem solid. XLVIII. de pictaumis, & libr. II. piperis dederunt, præter honorem Consulis, & Naucleorum (4), qui magnus fuit. At postea in Vigilia S. Jacobi Apostoli iter cum galêis veniendi Januam incœperunt; & mense Octobris cum triumpho & gloria redierunt MCI. In primo exercitu Francorum versùs Antiochiam MXCVII. In exercitu Africæ MLXXXVIII. In primo exercitu Tortuosæ MXCIII. & quando civitas Hierusalem capta fuit MXCIX.

Proximis verò Kalend. Februarii venientibus, compagnia quatuor annorum, & quatuor Consulum incœpta fuit. Primo anno istius Consulatus moneta denariorum Papiensium finem habuit, & alia incœpta nova moneta Brunitorum fuit; & fuerunt Consules de Communi, & de placitis quatuor annorum, nomina quorum: Guilelmus Embriacus, Ido de Carmandino, Guido de Rustico de Rizo, Guido Spinula. Et tempore quorum galêæ XL. Januensium Hierosolymam perrexerunt, & Acharon, & Gibellum minorem prœliando cœperunt; multæque aliæ victoriæ Januensi urbi evenerunt, primo anno hujus compagniæ, Anno Domini MCIV. (5)

Expletis prædictis quatuor annis, incœpta fuit alia compagnia similiter quatuor annorum, & quatuor Consulum, qui Consulatum per istos quatuor annos de Communi, & de placitis tenuerunt. Consules verò fuerunt isti: Maurus de Platealonga, Guilelmus Malabitus, Iterius, Otto Fornarius. Tempore quorum galêæ LX. de Janua Hierosolymam perrexerunt, & Tripolim descenderunt cum castellis, & machinis multis, civitatem, & Gibellum majorem absque prœlio habuerunt, & ceperunt, & Ecclesias consecrarunt, & nomen Jesu Christi laudare fecerunt, & invocare. Et primo anno prædictæ compagniæ Bojamundus duxit uxorem suam de Francia in Januam, & Apuliam deportavit, ibique filium genuit, nomine Bojamontem, qui post mortem patris Antiochiam tenuit, & filiam genuit, & post mortem suam Antiochiam ei dimisit primo anno prædictæ compagniæ Anni Domini MCVI. secundo Anno MCVII. tertio Anno MCVIII. quarto MCIX.

Expletâ namque prædictâ compagniâ, incœpta fuit alia compagnia similiter quatuor annorum, & quatuor Consulum, nomina quorum sunt, Guilelmus Busseira major, Guido de Rustico de Rizo, Gandulphus Ruffus, Guido Spinula, & per ipsos quatuor annos Consulatum de Communi, & de placitis tenuerunt. Tempore quorum Barutum, & Mamistam Januenses ceperunt, & fuerunt galêæ XXII. & hoc fuit anno primo prædictæ compagniæ, & erat Anno Domini MCX. Adhuc verò in prædicta compagnia castra Lavaniæ, Pedenzucha, & cetera dictorum districtuum Januensibus resistebant, quæ postea Communi Januensium in perpetuum tradita fuerunt. Præterea prædicti Consules ad honorem civitatis Januæ castrum Portus Veneris ædificari fecerunt, & hoc fuit extremo anno prædictæ compagniæ, in quo Anni Domini currebant MCXIII. Primo Anno prædictæ compagniæ, Anni Domini MCX. secundo MCXI. tertio MCXII. quarto MCXIII.

Postea alia compagnia similiter incœpta fuit quatuor annorum, & quatuor Consulum, nomina quorum: Oglerius Capra, Lanfrancus Roza, Lambertus Guerzo, Obertus Malocellus, qui omnes per istos quatuor annos Consulatum de Communi, & de placitis tenuerunt. Primo Anno istius compagniæ Anni Domini MCXIV. secundo Anno MCXV. tertio Anno MCXVI. quarto Anno MCXVII. In secundo anno prædicti Consulatus denarii Bruni prioris novæ monetæ mense Decembri finem habuerunt, & alia moneta minorum Brunitorum incœpta fuit.

Præfatâ compagniâ peractâ, incœpta fuit alia quatuor annorum, & fuerunt Consules quatuor electi per annos duos, & alii quatuor per duos alios. Duobus verò primis annis Consules fuerunt Odo de Geraldo, Ido de Carmandino, Iterius, Otto Fornarius. De aliis verò duobus annis sequentibus Consules fuerunt Opizo Mussa, Gandulphus Ruffus, Lanfrancus Roza, & Guido Spinula, qui omnes prænominati fuerunt Consules de Communi, & de Placitis. Et primo anno prædictæ compagniæ, scilicet in Consulatu Odonis de Geraldo, Iterii, Idonis de Carmandio, Odonis Fornarii sacrata fuit Ecclesia B. Laurentii à Domno Gelasio Papa mense Octobris Anni Domini MCXVIII. Secundo Anno prefate compagniæ, & prænominatorum Consulum, incœpta fuit guerra Pisanorum, & capti fuerunt Pisani in Gaulocium magnâ pecuniâ à galêis XVI. Januensibus mense Madii MCXVIIII. Et in primo anno suscepti Consulatus Opizonis Mussi, & sociorum ejus, qui annus fuit primus de Consulatu, & tertius de compagnia, Januenses cum magno exercitu ad portum Pisarum tenderunt cum galêis LXXX., cum gattis XXXV., cum golabis XXVIII., & cum navibus magnis IV. portantibus machinas, ac omnia instrumenta, quæ ad bella sunt necessaria, necnon vigintiduo millia virorum bellatorum, militum, & peditum, inter quos bellatores quinquemillia cum loricis, & galeis ferreis, ut nix albis, induti erant. Taliter terruerunt exercitum Pisanorum juxta terram manentes, quòd Pisani ejusdem exercitus mense Septembris in festivitate SS. Cornelii, & Cypriani, & Exaltatione S. Crucis de lite Corsicæ pacem cum voluntate Januensium juraverunt, & parte galêarum stoli ab aliis separata Pisas perrexerunt, & Januenses in carcere captos de carcere extraxerunt, & in Januam eos cum galêis duxerunt Anno Domini MCXX. Secundo verò anno præfati Consulatus Opizonis Mussi, & sociorum ejus, Januenses cum magno exercitu militum & peditum ingenti transierunt, Falconemque, & Clapum, ac Mundasium, & Petrambechariam prœliando ceperunt, & castrum Vultabii cum introitu ejus pro libris CCCC. emerunt ab Alberto Marchione de Gavi Anno Domini MCXXI. Hujus anni Consulatus, Consulumque nomina, qui de Communi, & de placitis Consules fuere, & quomodo per diversa tempora placita tenuerunt, & quæ prospera in unoquoque anno contigerunt per hoc scriptum veritas cognoscatur.

Pri-

(4) Alter Cod. MS. Naucliorum, & meliorum &c.

(5) Alter Cod. MS. MCIV. quarto anno MCV.

Primo anno unius Consulatus fuerunt Consules Primus de Castro, Caffarus, Otto de Mari, Guilielmus Judex de Drubeco, & Consulatum de Communi, & de placitis tenuerunt, & prospera multa ipso anno guerrizando contra Pisanos Januensibus acciderunt. In partibus namque Pisanorum Januenses Pisanos multos prœliando ceperunt, & eorum Januam ultra mille captivando in carcerem posuerunt, & duas galêas cum aliis duabus viriliter debellando vicerunt, & galêas, & viros vinctos, vulneratosque, & pecuniam Januam detulerunt; in quibus galêis Januensium fuere Gandulphus de Mazo, Rubaldus Naplonus, Bonusvassallus Census, Guilelmus Ruffus de Curia, & multi alii viri prudentissimi. Clavarii, Scribani, Cancellarius pro utilitate Reipublicæ in hoc Consulatu primitus ordinati fuerunt; & ignis S. Ambrosii in hoc Consulatu fuit Anno Domini MCXXII.

Secundo verò anno Consulatus unius anni Oglerius Capra, Guilelmus de Mauro, Iterius, Guilelmus de Volta Consules fuerunt. Et in isto anno Callistus Papa II. Romæ in Lateranensi Ecclesia S. Johannis Synodum fecit, & Januenses, & Pisanos ad Synodum, propter discordiam eorum, vocavit, ibique pluribus diebus lite Corsicæ consecrationis à Cardinalibus, & ab Episcopis, & Archiepiscopis diu inter eos rationata, & non concordata. Tamdem Domnus Papa postquam vidit Cardinales, & Episcopos discordare, litis hujus consecrationis judices inde, qui litem justè definirent, posuit duodecim Archiepiscopos, & duodecim Episcopos, nomina quorum in privilegio Januensium scripta sunt, qui ab aliis se separantes, & in quadam parte Palatii semoti stantes, & multùm inter se de Corsicanis consecrationibus certando, antiquum Registrum Romanæ Ecclesiæ legere fecerunt, & ibi invenerunt, quòd Pisani Archiepiscopatum Corsicæ injustè tenebant; & sic omnibus vigintiquatuor concordatis coram Papa in Basilica Palatii, præsentibus Episcopis, & Abbatibus, & Archiepiscopis numero CCC. venerunt, & ibi Gualterius Ravennatensis Ecclesiæ Archiepiscopus, qui sententiam consilio ceterorum taliter dixit: *Domine, nos non sumus ausi dare sententiam coram Te, sed dabimus tibi consilium obtinens vim sententiæ. Consilium meum, & sociorum tale est, ut Archiepiscopus Pisanus deinceps Corsicanas consecrationes dimittat, & ulteriùs de illis non se intromittat*. Papa verò audito consilio surrexit, & dixit: *Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Cardinales, placet omnibus vobis hoc consilium?* Qui surrexerunt, & tribus vicibus dixerunt: *Placet: Placet: Placet*. Et Papa dixit: *& ego ex parte Dei, & B. Petri, & mea laudo, & confirmo, & manè pleno Concilio cum omnibus vobis iterum laudabo, & confirmabo*. Archiepiscopus verò Pisanus inter alios Episcopos sedens, hoc audito, mithram, & anulum ad pedes Domni Papæ projecit, & irato animo dixit: *Ulteriùs tuus Archiepiscopus, & Episcopus non ero*. Papa illico anulum & mithram cum pede longè projecit, & dixit. *Frater, malè fecisti, & deinde pœnitentiam proculdubio facies*. Mane autem veniente Papa in pleno Concilio Corsicanæ consecrationis sententiam dare præcepit, & Gregorius Diaconus S. Angeli, qui postea fuit Papa Innocentius, sententiam dedit, sicut scripta est in Privilegiis Januensium. Sententiâ latâ, statim Pisani à Romana Curia sinè licentia recesserunt. Januenses verò cum licentia Romanæ Curiæ, & cum triumpho & gloria, Januam venerunt, & parlamento pleno Privilegia, & omnia, quæ in Synodo gesta fuerant, per ordinem à Caffaro narrata fuerunt, sicut vidit, & audivit in Synodo; & ante Synodum, & post Synodum pro servitio civitatis suæ moratus fuit, & quæ gesta sunt, honestè, & sapienter tractavit. Et guerram cum Pisanis tamdiu viriliter fecerunt, donec pacem cum magno honore civitatis Januæ habuerunt, sicut scriptum est in Consulatu illorum, in quo pax facta fuit MCXXIII.

Tertio Consulatu unius anni fuerunt Consules Guilelmus de Bombello, Bellamutus, Rubaldus Vedulus, Raynaldus Sardena. Isti fuerunt Consules de Communi, & de placitis. Et in ipso Consulatu galêæ VII. Januensium in plagia de Castaneto supra Pisanos victoriam habuerunt contra naves XXII. ex magna pecunia ponderatas, de Sardinia venientes cum galêis IX. Pisanorum, qui pro tutela juxta naves veniebant. Postquam autem Pisani galêas Januensium viderunt, timuerunt, & Januensibus naves suas dimiserunt, & ad portum Vadis fugientes iverunt. Et sic Januenses prædictas naves Pisanorum oneratas ceperunt, & Januam duxerunt. Et isto anno castrum S. Angeli Januenses vi Pisanis abstulerunt, & multas alias victorias supra Pisanos habuerunt MCXXIIII.

In quarto Consulatu unius anni fuerunt Consules Ansaldus Basigattus (6), Caffarus, Otto de Gandulpho, & Guilelmus Piper; & isti fuerunt Consules de Communi, & de placitis, quorum Consulatu multas supra Pisanos Januenses victorias habuerunt, partes quarum ad præsens scribemus. In æstate hujus Consulatus Januenses cum galêis X. mare Corsicæ, & Sardiniæ, usque ad portum Pisanum ita tenuerunt, quòd multos Pisanos, & naves, & pecuniam ceperunt, & Januam multos in captionem duxerunt. Adhuc verò præfatæ galêæ navem unam majorem, & magna pecunia oneratam, & de CCCC. viris armatam, inter Corsicam, & Sardiniam invenerunt, & barcham abstulerunt, & multos viros interfecerunt, & per quatuor dies eam sequendo, & prœliando, & sic per iram maris separaverunt. Navis verò ad Arnum vênit, & ibi fracta fuit. Postquam verò galêæ Januam venerunt, Pisani cum VIII. galêis de Arno exiverunt, & in Provinciam pro capiendis Januensibus venire dixerunt. Hoc audito, Januenses statim galêas VII. armaverunt, in quibus Caffarus, qui Consul erat, cum multis nobilissimis viris, & cum Idone de Carmandino, & Marino de Porta, cum Marchione de Caffara, & aliis multis ivit; & sequuti sunt galêas Pisanorum per Provinciam, & per Sardiniam, & per Corsicam, & per Elbam, & eas non invenientes Plumbinum venerunt, ibique bellum magnum dederunt, & navi uni, quæ ibi sub castro in terra erat, pulcherrimæ, & magnæ, & ex magna pecunia ponderatæ, ignem imposuerunt, & castrum, & burgum, igne posito, bellando ceperunt. Viros, & mulieres, & pueros, & pecuniam ejusdem castri in galêis Januam deduxerunt, & hoc fuit in medio Sep-

(6) Alter Cod. MS. Arnaldus Batigatus.

Septembris. Postea verò in eodem Consulatu galêa una Pisanorum, quæ in Provinciam ivit, ad Aquilam scilicet, capta fuit à galêis Januensium, & postea nec inantea aliqua Pisanorum galêa infra guerram non fuit, nec vênit; multæq; aliæ victoriæ in eodem anno Januensibus evenerunt; & in ipso Consulatu publici testes, qui se scribunt, in Laudibus, & in Contractibus primitus inventi fuerunt MCXXV.

Quinto Consulatu unius anni Consules fuerunt Otto Contardus, Bellamutus, Guilelmus Porcus, (7) & Guilelmus Picamilius, & tenuerunt Consulatum de Communi, & de placitis. Et in isto anno Januenses cum stolo de galêis & gattis supra Pisanos iverunt, & ad Arnum vexilla & tentoria in terra posuerunt, & bellum cum militibus, & peditibus Pisanorum fecerunt. Deinde Vadum pergentes, totum ferè bellando destruxerunt, & castrum Plumbini, quod reædificatum erat, prœliando iterum cœperunt. Deinde in Corsicam transierunt, & castrum S. Angeli, quod recuperatum à Pisanis fuerat, & Pisanos CCC. bello habuerunt; multæque aliæ victoriæ supra Pisanos hoc anno factæ fuerunt. In isto Consulatu navis S. Andreæ fracta fuit MCXXVI.

In sexto Consulatu unius anni fuerunt Consules sex de Communi, & de placitis, Iterius, Caffarus, Marchio de Caffara, Otto de Mari, Guilelmus de Volta, Raymundus Sardena. Et isti Consules galêas XVI. in Corsicam miserunt, sequentes galêas IX. Pisanorum, fugientes invenerunt summa velocitate, & unam ex illis ceperunt, & Januam cum triumpho eam duxerunt Alamanam nomine; & multas alias victorias supra Pisanos in ipso anno habuerunt. Magnum enim ac mirabile fuit, quòd in toto tempore guerræ Januenses semper de partibus Pisanorum galêas, & naves, viros, & pecuniam capiebant. Pisani verò toto tempore guerræ de partibus Januensium non venerunt, nisi cum galêa una, quæ ab Januensibus capta fuit MCXXVII.

In septimo Consulatu unius anni fuerunt Consules Otto Contardus, Guissardus, Guilelmus Judex de Drubeto, & Guilelmus Piper, de Communi & de placitis. Et in isto Consulatu Montaltus (8) captus fuit à Januensibus, qui fuerunt ibi cum magno exercitu militum, & peditum anno MCXXVIII.

In octavo Consulatu unius anni fuerunt confirmati isti præfati Consules, scilicet Otto Contardus cum sociis suis, fueruntque Consules de Communi, & de placitis. Et in isto Consulatu Januenses cum galêis XVI. tenderunt supra Pisanos usque ad Messanam, ubi Pisani, qui in terra erant, simul cum burgensibus Messanæ cum Januensibus bellum incœperunt; & quia burgenses adjuvabant Pisanos, Januenses in bellando expulerunt Pisanos & burgenses extra burgum Messanæ usque ad palatium Regis, & burgum, & pecuniam in suam potestatem habuerunt; & amore Regis, & prece Legatorum Regis pecuniam burgensium reddiderunt hereditatem eorum. In Varigato navem unam Pisanorum ex magna pecunia oneratam prœliando ceperunt, & Januam duxerunt, & decem millia librarum valens de navi habuerunt MCXXIX.

In nono Consulatu unius anni fuerunt Consules tres de Communi, Rubaldus Vetulus, Guilelmus de Volta, Bellamutus, & quatuordecim de placitis: Guilelmus Picamilius, Genardus (9) de Vulpe, Guilelmus de Nigro, Henricus de Roza, Marinus de Porta, Caffarus, Otto de Gandulpho Rufo, Oglerius de Mari, Ansaldus Crespinus, Bonus de Iterio, Bonusvassallus de Odone, Guilelmus de Bombello, Oglerius Capra, Albertonus de Ansaldo. De quibus prædictis Consulibus duo taliter placitabant in unam compagniam, & duo in alteram, & sic per ceteras compagnias, scilicet in compagnia de Burgo Guilelmus Picamilius, & Genardus: (10) in compagnia de Suxilia Guilelmus de Nigro, & Henricus de Roza; in tertia, scilicet de Porta, Caffarus, & Marinus de Porta; in quarta, idest de S. Laurentio, Otto de Gandulpho, & Oglerius de Mari: in quinta, videlicet de Machagnana, Bonus de Iterio, Ansaldus Crespinus; in sexta de Platealonga Bonusvassallus de Odone, Guilelmus de Bombello; in septima compagnia de Palasolo Oglerius Capra, Albertonus de Ansaldo. Item & isti placitabant, ita ut, si aliquis de compagnia una faciebat lamentationem super aliquem aliarum, veniebat ad Consules actores ad placitandum; & illo tempore in Janua non erant nisi compagniæ septem. In isto Consulatu Januenses ad S. Romulum tenderunt, & turrim ibi ædificarunt, & homines illius loci, ac de Bajardo, & de Poipino, & communitatem Vintimiliensem Januam adduxerunt, quoniam Januensibus resistebant, & fidelitatem S. Syro, & Populo Januensi in perpetuum jurare fecerunt. In eodem Consulatu Episcopus Syrus in Januensi Archiepiscopatu electus fuit, præsente Papa Innocentio, qui tunc Januæ erat. In eodem anno ab eodem Papa apud Sanctum Ægidium consecratus fuit. Eo tempore Papa Innocentius fecit treugam inter Januenses & Pisanos per multa sacramenta ab utroque latere facta, donec à Francia Papa rediret, & Ecclesia Portusveneris ab eodem Papa consecrata fuit MCXXX.

In decimo Consulatu unius anni fuerunt Consules de Communi, & de placitis Guilelmus de Mauro, Obertus Ususmaris, Otto Contardus, Guilelmus Piper MCXXXI.

In undecimo Consulatu unius anni fuerunt Consules de Communi & de placitis Bonusvassallus de Ottone, Oglerius de Guidone, Guilelmus de Volta, Otto de Gandulpho Rufo, Guilelmus Picamilius. In isto verò Consulatu Januenses armaverunt galêas XVI. sequentes galêas Pisanorum per Corsicam, & per Sardiniam, ubi cœperunt navem unam de Pisanis ad Calarim. Et castrum Rivaroli factum fuit. Et in isto anno Lavanienses Januensibus guerram facere cœperunt. Consules Lavaniam cum exercitu tenderunt, bella, & devastationes multas ibi fecerunt MCXXXII.

In duodecimo Consulatu unius anni fuerunt Consules de Communi tres, Obertus Turris, Lanfrancus Vetulus, Otto Canella. Et de placitis tres, Guilelmus Bufferius, Bonusvassallus de Tetuica, (11) Obertus de Taschifelono. In isto Consulatu pax facta fuit inter Pisanos, & Januenses ad Cornetum; & ibi accepit dignitatem Archiepiscopatus, & Pallium, & Crucem Syrus Januensis Episcopus à Domno In-

(7) Alter Cod. MS. Portus.
(8) Alter Cod. MS. Monsalus.
(9) Alter Cod. MS. Getrardus.
(10) Alter Cod. MS. Getrardus.
(11) Alter Cod. MS. de Tunica.

Innocentio Papa. Adhuc in prædicto Consulatu Januenses cum VIII. galeis Romam tenderunt in servitio Domini Lotharii Regis, & Papæ Innocentii, & ceperunt turres plures, & bella multa fecerunt, donec Romani posuerunt se in mercedem Regis, & Papæ. Iterum in hoc anno Januenses castra Lavaniensium destruxerunt, & cum illis ita pacem fecerunt, quòd Lavanienses in mercede Consulum se posuerunt, & omni tempore in præcepta eorum stare juraverunt MCXXXIII.

In tertiodecimo Consulatu unius anni Consules fuerunt de Communi tres: Ansaldus Malonus, Ansaldus de Auria, Fabianus. Et de placitis octo. Boëmundus (12), & Ingo de Volta placitabant in duabus compagniis in Palazolo, & Platealonga. Helia, & Ingo Galeta in aliis duabus in Machagnana, & in S. Laurentio. Ansaldus Sardena, & Rubaldus Vicecomes in aliis duabus in Portanova, & in Burgo. Raynaldus Gaxonus, & Guilelmus Luxius in Porta, & in Suxilia. Et tunc temporis in Januensi civitate erant compagniæ factæ de septem octo MCXXXIV.

In quartodecimo Consulatu unius anni fuerunt Consules de Communi tres, Bonusvassallus de Tetuica, Ingo Contardus & Otto Camilla. Et de placitis sex, de quibus tres Consules placitabant in quatuor compagniis, & alii tres in aliis quatuor compagniis, scilicet in Palazolo, in Platealonga, in Machagnana, & in S. Laurentio. In istis quatuor compagniis placitabant Bonusvassallus de Bonomo, Jonathas Pedegla, Marchio Guarachus (13). In aliis quatuor compagniis, scilicet in compagnia de Porta, & de Suxilia, & de Portanova, & de Burgo, placitabant Obertus de Taschifellono, Jordanus de Porta, Bonusvassallus de Antiochia MCXXXV.

In quintodecimo Consulatu unius anni fuerunt Consules de Communi Ansaldus Malonus, Ido Porcellus, & de placitis Tanclerius de Mauro, Guilelmus Garrio, Guilelmus Niger, Lanfrancus de Oglerio de Rodulpho, Ingo Clericus, & Rubaldus Vicecomes. Et tres de istis placitabant in quatuor compagniis, & alii tres in aliis quatuor. Et in isto Consulatu galêæ duodecim tenderunt super Buceam, & ceperunt navem unam magnam & divitem, & Saracenos multos, Polphetum fratrem Mataraffi, & alios multos, quos Januam adduxerunt, & de pecunia navis unaquæque ex galêis habuit valens librarum decem .... MCXXXVI.

In sextodecimo Consulatu unius anni fuerunt Consules de Communi Bojamundus de Odone, Guilelmus Buronus, Henricus Guercius, Guilelmus Lutius; & de placitis quatuor, Helias, Guilelmus, Barcha, & Fabianus. Isti placitabant in quatuor compagniis. Guilelmus Bruxedus, Guilelmus Pezolus, Raymundus Gauxonus (14), Bonus-vicinus de Campo, Vassallus de Guisulpho; isti in aliis quatuor compagniis placitabant. Et in isto Consulatu galêæ XXII. iverunt in Garbum sequendo galêas Saracenorum XL. de Cayto Maimono Almeriæ, & non invenientes ceperunt plures naves Saracenorum cum pecunia magna, & cum victoria Januam redierunt MCXXXVII.

In septimodecimo Consulatu unius anni fuerunt Consules de Communi quatuor; Antonius Mallonus, Bonusvassallus de Odone, Bellamutus, Lanfrancus Piper. De Communi, & de placitis quatuor fuerunt Consules, Philippus de Lamberto, Guilelmus Niger, Antonius Crispinus, Obertus Usus-maris MCXXXVIII.

In octavodecimo Consulatu unius anni fuerunt Consules de Communi quatuor, Guilelmus de Bombello, Oglerius de Guidone, Guilelmus de Volta, Guilelmus Piper; & de placitis quatuor, Helias, Ingo de Volta, Bojamundus, Guilelmus Rufus. Et in isto Consulatu Bruniti finem habuerunt. Et in isto Consulatu moneta data fuit Januensibus à Conrado Theutonico Rege; & privilegia inde facta, & sigillo aureo sigillata Cancellarius Regis Januam duxit, & Consulibus dedit MCXXXIX.

In nonodecimo Consulatu unius anni fuerunt Consules de Communi quatuor, Obertus Turris, Guilelmus Barcha, Guiscardus, Guilelmus Malocellus, & de placitis quatuor, Bonusvassallus de Odone, Guilelmus Niger, Ansaldus de Auria, Bellamutus. Et in isto Consulatu Guilelmus de Columba Scribanus intravit. In isto autem Consulatu Januenses cum magno exercitu militum & peditum mari ac terra ad Vigintimiliensem civitatem perrexerunt, & ad honorem Dei, & civitatis Januæ, civitatem, & castra totius Comitatus prœliando ceperunt, & fidelitatem omnibus hominibus Civitatis, & Comitatus in perpetuum jurare fecerunt. Adhuc in eodem Consulatu galêæ II. Cajetanorum ad deprædandum Januenses in Provinciam venerant. Illico galêæ IX. Januensium armatæ fuerunt, quæ eas sequentes apud Arcentariam invenerunt, & unam prœliando ceperunt, & cum hominibus, & cum tota præda, quam fecerant, Januam adduxerunt MCXL.

In vigesimo Consulatu unius anni fuerunt Consules quatuor de Communi, Philippus de Lamberto, Guilelmus de Volta, Cassarus, & Lanfrancus Piper; & de placitis quatuor, Martinus de Mauro, Marinus de Porta, Guilelmus Luxius, Helias. Et isti Consules de Communi castrum Amelii emerunt, & Strucio, fratribusque, & consobrinis pro feudo dederunt, & fidelitatem ab eis in perpetuum acceperunt. Et in isto Consulatu Obertus Cancellarius intravit, & secundus ignis in civitate fuit, & hoc fuit in vigilia Beati Jacobi MCXLI.

In vigesimoprimo anni unius Consulatu fuerunt Consules de Communi Ansaldus Mallonus, Bonusvassallus de Tetucia (15), Oglerius de Guidone, Bellamutus; & de placitis quatuor, Otho Judex, Oglerius de Mari, Guilelmus Pezullus, Ceba. Et isti Consules miserunt galêam unam, & Legatos Obertum Turrem, & Guilelmum Barcham ad Imperatorem Calojannem, qui cum magno exercitu in Antiochenis partibus erat, ibique mortuus fuit, & filio suo Manueli Imperium dimisit MCXLII.

In vigesimosecundo Consulatu unius anni fuerunt Consules quatuor de Communi, Bonussenior Mallonus, Guilelmus Porcus, Guilelmus de Volta, Lanfrancus Piper, & de placitis quatuor, Ugo Judex, Bonusvassallus de Odone, Oglerius Ventus, & Guilelmus Lu-

(12) Alter Cod. MS. Baramundus.
(13) Alter Cod. MS. Gurachus.
(14) Alter Cod. MS. Quaxonus.
(15) Alter Cod. MS. Tetinea.

Luxius. In isto Consulatu tertiæ ablatæ fuerunt mulieribus, & galêæ IV. Januensium Montem-Pesulanum ceperunt, & Guilelmo de Monte-Pesulano reddiderunt, & mille marchas argenti hominibus galêarum reddiderunt, quas hominibus Januensium ipse abstulerat. Et insuper fundicum Bruni de Tolosia eis tradidit, & omnia vectigalia eis dimisit totius terræ suæ. Quando autem galêæ istæ revertebantur, ex prædatoribus quamdam galêam invenerunt, & illico illam ceperunt MCXLIII.

In vigesimotertio Consulatu unius anni fuerunt Consules de Communi quatuor, Tanclerius de Mauro, Philippus de Lamberto, Guilelmus Ventus, & Bellamutus; & de placitis quatuor: Helias, Guilelmus Judex de Novaria, Caffarus, & Obertus Spinula. In isto Consulatu galêa una ivit propter prædam, quam faciebat Comes Miglorii (16) frater Comitis Barcelloniæ supra Januenses; & bello incœpto à Comite cum galêa, interfectus est Comes à quodam Balistario galêæ. Iterum præfati Consules miserunt in Provinciam, & fecerunt isti Consules capere unam sagitteam ex prædatoribus, qui deprædabantur Januenses. Ideoque oculos eis extrahere fecerunt. Et isti Consules tempore Papæ Lucii miserunt Legatos ad Papam, qui multa petentes, tamdem hoc consequuti sunt. Qui Domnus Papa Lucius dimisit Januensibus libram unam auri pro unoquoque anno, quam Romanæ Curiæ dare debebant. Insuper privilegia Januensibus donavit, & confirmavit omne jus, quod Januenses in partibus Suriæ habuerunt, vel habere debent MCXLIV.

In vigesimoquarto Consulatu unius anni fuerunt Consules de Communi quatuor, Antonius Mallonus, Guilelmus Niger, Ido Gontardus, Oglerius de Guidone; & de placitis quatuor, Otto Judex, Rodoanus, Guilelmus Bufferius, Ceba. Et in isto Consulatu castrum Sigestri fuit ædificatum MCXLV.

In vigesimoquinto Consulatu unius anni fuerunt Consules de Communi quatuor, Ansaldus Mallonus, Guilelmus Niger, Caffarus, Lanfrancus Piper; & de placitis quatuor, Bojamundus, Marinus de Porta, Sismundus Musca (17), Raynaldus Gobus. Et in isto Consulatu prædicti Consules miserunt galêas XXII., & golabros (18) VI. cum multis machinis lignaminis, & castellis, & cum C. militibus cum equis supra Saracenos ad Minoricam, & alia loca usque in Almeriam, de quibus galêis Caffarus Consul fuit guida cum Oberto Turre, quem elegit sibi socium in hoc itinere. Postquam verò ad Minoricam venerunt, in terram descenderunt cum equis, & militibus, & cum bellatoribus viris, & sic cum loricis, & elmis, & aliis armis, dimissis galêis cum paucis in portu Fornelli, milites, & pedites multa vexilla deferentes, per totam insulam armati perrexerunt, & capientes Saracenos, & Raubam, devastando casales per quatuor dies ad galêas redierunt; ibique sub tentoriis quiescentes, ecce milites Saracenorum CCC. ferè usque ad tentoria armata manu latenter venerunt, multos pedites secum habentes. Januenses verò illico equos ascenderunt, & bellum statim cum Saracenis incœperunt. Et Saraceni terga vertentes sinè mora fugere cœperunt, & sic Januenses per octo milliaria eos sequentes duas partes militum, & peditum Saracenorum interfecerunt, & in campis mortuos dimiserunt. Postea verò ad civitatem ipsius Insulæ perrexerunt, & ceperunt, & eam destruxerunt, & pecuniam in galêis posuerunt. Præterea præfatæ galêæ omnes deinde Almeriam perrexerunt, & in portu Almeriæ multas naves oneratas ex multis magnis divitiis invenerunt, & pecuniam inde extraxerunt, & in galêis posuerunt. Et postea in terram descenderunt, & tentoria prope civitatem posuerunt, gattos, & machinas, & prædeiras ibi fecerunt. Interim verò Saraceni territi pacem & treguam Januensibus petierunt, & pro pace, si Januenses facerent, centum tresdecim millium marabotinorum valens promiserunt. Quibus Caffarus, & Obertus ceteris sic responderunt. *Non pacem, sed treguam usque ad reditum, quem Januam faciemus, si prædictos marabotinos ad præsens nobis dederitis.* Statim Saraceni timore commoti dixerunt: *Accipite ad præsens viginti quinque millia, & de aliis dabimus vobis ostagios octo, quum tempus* (19) *usque ad octo dies complebimus alios.* In præsenti nocte marabotinos viginti quinque millia dederunt, & donec marabotini numerabantur in nocte, & Comiti galêarum supra marabotinos dividendo stantes, infra hoc Rex Almeriæ clam cum duabus galêis, & cum innumerata pecunia nocte recessit. Mane veniente Saraceni alium Regem elegerunt, qui illico prædictos ostaticos ad galêas misit, & prædictam pecuniam dare promisit. At quia ad terminum octo dierum pecuniam non solvit, Januenses ira commoti terram descenderunt, & bella multa cum manganis (20), & gattis ad civitatem dederunt, & per viginti-duos dies in tentoriis galêarum in terra steterunt; & postea, superveniente hyeme, inde recesserunt, & Januam cum triumpho, & magna pecunia capta venerunt MCXLVI.

In vigesimoseptimo Consulatu unius anni Consules fuerunt de Communi sex, Philippus de Lamberto, Obertus de Turri, Oglerius de Guidone, Balduinus, Ansaldus de Auria, Guilelmus Picamilius; & de placitis quatuor, Ugo Judex, Ingo de Volta, Obertus Cancellarius, Ansaldus Pizo. In tempore istorum Consulum Januenses iverunt ad Almeriam cum magno stolo galêarum, & aliarum multarum navium, & ceperunt Almeriam bellando, & Saracenos vincendo, & interficiendo, sicut scriptum est in Libris, & Historiis Januensium à Sapientibus factis, qui viderunt, & interfuerunt. Unde quamvis omnia scribere non possumus, particulam tamen ad præsens scribemus MCXLVII.

In vigesimo octavo Consulatu unius anni fuerunt Consules de Communi sex, Guilelmus Buronus, Ansaldus Mallonus, Oglerius Ventus, Jordanus de Porta, Henricus Guercius, Lanfrancus Piper, & de placitis quatuor: Guilelmus Niger, Fredenzonus Gontardus, Marinus de Porta, Opizo Lecavellus. In isto Consulatu capta fuit Tortuosa, & in isto Consulatu castrum Palodii fuit acquisitum pretio librarum septingentarum MCXLVIII.

In vigesimonono Consulatu unius anni fuerunt Consules sex de Communi, Guilelmus Ven-

(16) Alter Cod. MS. Milgorii.
(17) Alter Cod. MS. Muschala.
(18) Alter Cod. MS. Golabios.
(19) Alter Cod. MS. addit cum termino.
(20) Alter Cod. MS. machinis.

Ventus, Guilelmus Pellis, Guilelmus Niger, Caffarus, Obertus Spinula, & Rubaldus Bisaccia; & de placitis quatuor, Guilelmus Busferius, Obertus Cancellarius, Guilelmus Stanconus, Sismundus Muscula MCXLIX.

In trigesimo Consulatu unius anni fuerunt Consules de Communi quatuor, Ansaldus Mallonus, Rodoanus, Guilelmus Lusius, Lanfrancus Piper; & de placitis quatuor, Bojamundus, Fredenzonus Gontardus, Ancellinus de Caffara, Antonius (21) Spinula MCL.

In trigesimoprimo Consulatu unius anni fuerunt Consules quatuor de Communi, Guilelmus de Bombello, Guilelmus Stralandus, Otto Ruffus, Botencus; & de placitis quatuor, Ugo de Helia, Otto Bercerto, (22) Obertus Cancellarius, Guilelmus de Nigro MCLI.

In trigesimosecundo Consulatu unius anni fuerunt Consules de Communi quatuor, Tanclerius de Platealonga, Rubaldus de Alberico, Rubaldus Bisaccia, Antonius Spinula; & de placitis quatuor, Guilielmus Busferius, Guilielmus Stanconus, Guilielmus Cicala, Conradus Ruffus; & in isto Consulatu macella fuerunt multa de civitate, unum ad Molum, & alterum in Suxilia MCLII.

In trigesimotertio Consulatu unius anni fuerunt Consules de Communi quatuor, Martinus de Mauro, Guilielmus Niger, Henricus Guercius, Guilielmus Lusius; & de placitis quatuor, Obertus Cancellarius, Johannes Malocellus, Ido Gontardus minor, Guilielmus de Ripa Judex MCLIII.

In trigesimoquarto Consulatu unius anni fuerunt Consules quatuor de Communi, Oglerius de Guidone, Antonius de Auria, Obertus Spinula, Lanfrancus Piper; & de placitis quatuor, Otho Judex, Janottus Crispinus, Fredenzonus Gontardus, Baldizonus Ususmaris. Isti namque Consules quando electi fuerunt, quoniam civitatem dormire, & lethargiam pati, & sicuti navem sinè gubernatore per mare pergentem cognoscebant, ad præsens Consulatum jurare nolebant. At quia ab Episcopo moniti in remissione eorum peccatorum, & à Populo coacti fuerunt, vix tamdem Consulatum per honorem civitatis juraverunt. Qui, postquam juraverant, statim multùm cogitando quomodo civitatem à somno eriperent, mox in initio eorum Consulatus galêas pro munimine civitatis fecere, quibus civitas omnino carebat, & pecuniam fœneratoribus civitatis ultra quindecim millia librarum solvere incœperunt. Unde Cives, qui dormierant, à somno aliquantulum surrexerunt, & in omnibus eorum præceptis obedire dixerunt. Caffarus verò, qui hunc Librum composuit, & præteritorum Consulatuum gesta narravit, ut istorum bonum initium ad memoriam futurorum scriberetur, noluit prolatare; & ut bonum initium finem sequatur, Caffarus quum in oratione moratur, Deum inde quotidie deprecatur. Postquam verò prædicti Consules ad finem eorum Consulatus venerunt, pecuniam quindecim millium librarum numero, quam in initio solvere incœperant, totam debitoribus solverunt, & Cives in pace tenuerunt; & multa consilia, quæ de utilitate civitatis invenerunt, Consulibus venturis infrascriptis dederunt, quoniam brevitate temporis, & solutionis pecuniæ impedimento, explere non potuerant. At quæ magna & multa utilitas est præteritarum rerum habere notitiam, præsentia discernere, futura providere; ideoque eorum, quæ prospera, & adversa fortuito casu in prædicto Consulatu acciderunt, Caffarus veritatem, prout cognovit, præsentibus & futuris hominibus notificare decrevit. Tempore enim prædictorum Consulum Fridericus Romanorum Rex & semper Augustus in Lombardiam vênit, ibiq; virorum omnium civitatum atq; locorum fidelitatem & forum (fortè *fodrum*) accepit; & multa alia, quæ longum est narrare, peregit. Prædicti verò Consules Legatos de melioribus, scilicet Ugonem Archidiaconum, & Caffarum hujus Libri Compositorem, ad prædictum Regem miserunt, quos honorificè suscepit, & multa secreta consilia de honore Regni, & Januensis civitatis Legatis aperuit; & ultra omnes civitates Italiæ honorem Januensi civitati facere promisit. Et sic Legatis licentiam revertendi, pro ut decuit, sinè mora honestissimè dedit. Consules verò secreta consilia, quæ Legati à Rege detulerant, electis Consulibus post eos venturis omnia per ordinem narraverunt, & in eorum arbitrio omnia peragere dimiserunt. Adhuc verò in prædicto Consulatu die Nativitatis Domini recedente, & nocte veniente, fortuito casu accidit in quadam domuncula burgi civitatis, quòd ignis accensus fuit, & juxta manentes super alias mansiones comburendo ascendit. Cives illico, qui in civitate erant ferocissimi bellatores, & contra omnia adversa fortissimi defensores, sinè mora ad ignem cucurrerunt, & mansiones destruendo, & aquam projiciendo, ignem ita extinxerunt, quòd postquam particula burgi combusta fuit, omnes aliæ mansiones burgi, & civitatis incolumes remanserunt. Interea cunctas res combustæ particulæ Cives in tuto loco posuerunt, præter ædificia, & vasa, quæ combusta fuerunt. Præterea prædicto anno quædam barbara gens, quæ vocabatur Mussemutorum, eo tempore pacem cum Januensibus firmaverat, quorum galêæ VIII. in Sardiniam venerunt, ibique navem unam Januensium de Alexandria venientem, & ex magna pecunia oneratam, invenerunt. Quæ postquam juxta navem venerunt, Viri galêarum unde navis esset interrogaverunt. Januenses verò, qui in navi erant, ira commoti, unde essent respondere noluerunt; sed armati cum loricis, & ensibus galêas audacissimè ascenderunt, Saracenos detruncando, & interficiendo pro eorum superbia, quare ferè omnes interfecti fuerunt. Mussemuti autem, postquam Januenses esse cognoverunt, mœsti multùm de eo, quod fecerant, statim fuerunt, & navem cum tota pecunia, quam ceperant, pro timore Januensium incolumem dimiserunt, ita quòd unius oboli valens non inde extraxerunt, & Calaritano Judici commiserunt, & ut Januam mitteret præceperunt. Calaritanus verò Judex amore Januensium navem eam suis expensis Januam misit; credendum namque est, quando in civitate talia accidunt, quòd Deus tangendo fideles suos corrigit, quoniam vult, ut fideles sui ab illicitis se abstineant, & quæ eveniunt, pro correctione eorum evenisse cognoscant. De Nabolensi verò castro, quod in eodem anno à Marchionibus de Loreto actum est, oblivioni tradendum non est. Ideoque viri præsentes & futuri cognoscant, quòd Henricus Marchio de Loreto habitaculum civitatis Ja-

(21) Alter Cod. MS. Anselmus.

(22) Alter Cod. MS. Bencertus.

Januæ, & sacramentum compagniæ, & de discordia Nabolensium in laude Consilii Januensium stare juraverat. Consules verò utrarumque partium auditâ discordiâ, inter eos concordiam posuerunt. Postea autem, sicut mos est Marchionum magìs velle rapere, quàm justè vivere, iterum discordare incœpit: quapropter Consules, ut prædictus Marchio, sicut juraverat de discordia in eorum laude stare, Legatos, ut veniret, miserunt, qui tamen ore promittebat, quæ in corde non habebat. Interim quadam die mense Augusti cum exercitu militum & peditum ad prædictum castrum clam ivit, & illud fraudulenter cum quibusdam proditoribus cepit. Unde prædicti Consules cum militibus, & balistariis, & sagittariis multis per totum eorum Consulatum, pro ut decuit, guerram fecerunt, devastando & comburendo omnia illius loca per terram, quoniam hyems erat, & ad capiendum castrum per mare ire non potuerunt MCLIV.

In trigesimoquinto Consulatu unius anni fuerunt Consules de Communi quatuor, Guilielmus Porcus, Obertus Cancellarius, Obertus Malocellus, Guilielmus Lusius, & de placitis sex, tres quorum placitabant in quatuor compagniis versùs Palazolum in uno de Palatiis Archiepiscopi, nomina quorum, Bonusvassallus de Castro, Bojamundus de Odone, Guilielmus Stanconus. Alii verò tres, scilicet Guilielmus Cigala, Nicolaus Roza, & Obertus Recalcatus, placitabant versùs burgum in aliis quatuor compagniis, & hoc in alio Palatio Archiepiscopi. Tempore quorum, quæ in civitate Januensi, & extra per diversa loca acciderunt, Caffarus bonæ memoriæ ad futurorum memoriam notificare decrevit. Notum igitur tam præsentibus, quàm futuris fiat, quòd prædicti Consules Rempublicam Januensium multùm augmentando, pro ut decuit, tractaverunt: omnia namque, quæ de omnibus rebus pignori subjiciebantur, videlicet castra, Ripæ, Scariorum, Cantarii, Rubi, Monetæ, omniumque aliorum eorum redituum à servitute pignoris liberaverunt. Præterea murum, & portas civitatis ex utroque ejus latere ædificare cœperunt. Pacem quidem non solùm in civitate, verumetiam extra per multa loca ad honorem civitatis fecerunt: Marchiones namque de Laureto, qui quondam pro Nabolensi castro guerram Januensibus fecerant, & de castro & de omnibus aliis rebus in præcepta istorum & futurorum Consulum stare juraverunt. Adhuc verò cum Legato Constantinopolitani Imperatoris pacem taliter firmaverunt, quòd deinceps in perpetuum per unumquemque annum ducentos perperos, & duo pallia à Curia Imperatoris Commune Januæ habere debet, & insuper Archiepiscopus per annum in perpetuum perperos sexaginta, & unum pallium habere, dictumque Commune unum fundicum, & Ecclesiam in Constantinopoli, & per totam terram suam commercium diminutum de deceno in viceno quinto. Iterum quippe Fridericus Rex Romanorum & semper Augustus in præterito Consulatu in Lombardiam vênit, & in isto Consulatu per hebdomadas novem Terdonam obsidendo, & prœliando medio Aprili cepit, & destruxit. Unde homines aliarum civitatum & locorum commoti terrore magno, immensam pecuniam Regi tribuerunt. Januenses verò Consules, quamvis à pluribus sæpe & sæpe excitati & moniti ut pecuniam Regi darent, tamen unius oboli valens dare, nec promittere voluerunt. At quidem in omnibus castris, quæ Communis extra civitatem erant, arma multa & viros bellatores sufficienter miserunt, & omnibus hominibus eorum districtus ut arma & omnia, quæ ad bella sunt necessaria, festinanter haberent, sub debito sacramenti præceperunt: & ut præceptum Consulum fuit, omnes homines sinè mora fecerunt. Rex autem, postquam audivit Januenses tam bene & viriliter præparatos esse, nuncios statim Consulibus misit, ut de illis ad ipsum irent: & unus de Consulibus Guilielmus Luxius cum quibusdam ex melioribus civitatis ad Regem perrexit, ibique multa de honore Regni, & civitatis adinvicem tractaverunt; & ultra omnes Italiæ civitates civitati Januæ Rex honorem se daturum promisit, & honestam licentiam revertendi sinè dilatione consilium habuit. Post hæc autem Romam perrexit, ibique in Ecclesia B. Petri cum benedictione Adriani Apostolici coronam suscepit, & postea ad Theotonicam terram reversus est. Quum ergo credibilium virorum credibilibus argumentis veracissimè apertum sit, ita de augumentatione Reipublicæ Januensium esse, uti præsens scriptura demonstrat, conveniens idem est, ut quidquid de honore civitatis in isto Consulatu actum est, veritas cognoscatur. Cognoscat ergo universitas Populorum, quòd isti Consules quemdam Legatum, S. Laurentii Canonicum, Manfredum scilicet, Virum nobilem & sapientem ad Romanam Curiam pro justitia Januensium petenda miserunt: ibique Patriarcham Hierosolymitanum, omnesque ferè Orientales Archiepiscopos, & Episcopos, & Raymundum Hospitalis Dominum invênit. Prædictus namque Legatus coram Orientalibus Pontificibus, qui tunc Romanæ Curiæ in Benevento erant, proclamationem, sicuti Consules ei præceperant, Domino Apostolico taliter fecit:

Reverendissime Pater, & Domine. Deo & Vobis ex parte Januensium Consulum conqueror de Hierosolymitano Rege, & Tripolitano Comite, atque Antiocheno Principe, qui justitiam Januensium, quam in Orientalibus plagis habere debent, quotidie auferunt, & diminuunt, quam quippe prædecessores eorum Januensibus dederunt, & sacramento, & privilegiis firmaverunt. Hoc ideo fecerunt, quia Januenses multis & magnis eorum machinis, & expensis, multaque sanguinis effusione civitates & loca Orientis obsidendo, & prœliando ceperunt, sicuti per præsentia scripta vobis notificatur. Insuper & proclamationem facio de hominibus Hierosolymitani Regis, qui cum galêis naves & pecuniam Januensium injustè abstulerunt. Adhuc verò de quibusdam Provincialibus Bernardo Attonis, & sociis ejus querimoniam talem facio: unde, Sanctissime Pater, & Domine, excellentiam vestram suppliciter exoro, ut baculus Apostolicæ Sedis cunctos justitiam Januensium vinculo anathematis percutiat auferentes.

Apostolicus autem audita lamentatione, & visis literis Januensium, præsentibus Orientalibus Pontificibus præceptum suum dedit. Præceptum verò quale fuerit, in hoc Libro ad præsens scribitur, & notatur, ut infra:

„ ADrianus Episcopus servus servorum Dei. „ Illustri Hierosolymitanorum Regi sa-„ lu-

„ lutem, & Apoſtolicam benedictionem. Ad „ hoc in eminenti Sedis Apoſtolicæ ſpecula, „ divina ſumus diſponente gratia, conſtituti, „ ut noſtræ conſiderationis oculum ad univer- „ ſas mundi partes extendere debeamus, & „ ut ea, quæ contra juſtitiæ tramitem, & or- „ dinis rationem commiſſa eſſe noſcuntur, nos „ oporteat attentiùs emendare. Dilecti autem „ filii noſtri Januenſes Cives directa nuper ad „ nos quæſtione monſtrarunt, quòd homines „ tui pecuniam & navem, in qua ipſa pecu- „ nia ferebatur, eis, nulla rationabili cauſa „ interveniente, per violentiam abſtulerint, „ & uſque in præſens, ſicut nobis dicitur, de- „ tinere præſumunt. Unde ſi tuæ nobilitatis „ induſtria provida conſideratione penſaſſet, „ quæ damna, quot incommoditates, quot „ etiam ſcandala terræ tuæ, & Regno tibi „ commiſſo hujus occaſione rapinæ valeant „ provenire, quum Januenſis civitas glorioſa, „ & inclyta in remotis mundi partibus po- „ tentiſſima habeatur, nobis etiam non admo- „ nentibus debueras effeciſſe quòd omnia „ quæ injuſtè & per rapinam ablata ſunt, „ prædictis Januenſibus eſſent in integrum re- „ ſtituta. Ne igitur iidem Januenſes, aliique „ versùs te, vel fideles tuos habeant ulteriùs „ materiam conquerendi, nobilitati tuæ per „ Apoſtolica ſcripta præcipientes mandamus, „ quatenus, ſicut benedictionem, & gratiam „ Sacroſanctæ Romanæ Matris tuæ Eccleſiæ „ deſideras retinere, pecuniam ſimiliter & na- „ vem memoratis Januenſibus facias abſque „ ulla diminutione reſtitui. Si enim ſuper eo- „ dem negotio ad aures noſtras querimonia „ ulla pervenerit iterata, facere non poteri- „ mus, quin in terram tuam pro ipſius deten- „ tione rapinæ graviùs vindicemus. Nihilo- „ minus etiam dilectioni tuæ præſentium au- „ ctoritate mandamus, ut Vicecomitatum „ Accaronis, & alia jura, quæ ad Januen- „ ſium jus pertinere noſcuntur, eos de cetero „ pacificè poſſidere, & ſinè ulla inquietatione „ permittas.

In eodem modo ſcriptum eſt Tripolitano Comiti Antiocheno Principi ſub excommunicationis pœna; Antiocheno Patriarchæ etiam per Apoſtolica ſcripta præcepit, ut Principem Antiochenum excommunicaret, niſi prædicta adimpleret. Scripſit etiam Epiſcopo Bituricenſi (23), Agathenſi, & Neumaſienſi, ut Bernardum Attonis, & Biterrenſes, & Agathenſes excommunicationis vinculo ferirent, ut pecuniam noſtris Januenſibus ablatam in integrum redderent. Et dum præfatus Legatus ab Apoſtolico poſtulabat licentiam, Apoſtolicus quemdam tradens anulum ſic dixit: *Iſtud ſit ſignum dilectionis, & gratiæ noſtræ, & Apoſtolicæ Sedis inter nos & Januenſes in perpetuum, & tibi Legato prædictum anulum tenenti ſit pignus Apoſtolicæ amicitiæ, & gratiæ.* Prædicta namque & alia multa, quæ non ſcribuntur, ad honorem fecerunt, & Conſules de melioribus, qui poſt eos civitatem regerent, eligere fecerunt, ideoque laudem & gloriam à cuncto Populo Januenſi receperunt MCLV.

In trigeſimoſexto Conſulatu unius anni fuerunt Conſules de Communi quatuor, Guilielmus Buronus, Oglerius Ventus, Henricus Auria, Lanfrancus Piper; & de placitis ſex, qui tres placitabant per quatuor compagnias versùs Palazolum in Palatio Archiepiſcopali, Simon Auriæ, Ido Contardus, Jonathas Criſpinus. Alii verò tres, videlicet Nicolaus de Rodulpho, Ugo de Baldizone, Opizo Sardena, qui poſiti fuerunt ad placitandum per quatuor compagnias versùs burgum in prædicto Palatio ſeparatim ab aliis tribus Conſulibus. Quoniam præſentia præſentibus aperta & nota ſunt, & quando præterita fuerunt futuris hominibus non nota habebuntur, ideo bonum & utile præſentium rerum veritatem deſcribere. Quapropter Caffarus felicis memoriæ, quæ ſuo tempore in civitate Januenſi & extra per diverſa loca acciderunt, ſicut ſcriptum eſt in hoc Libro, oblivioni notificare non tardavit. Igitur competens eſt, ut quomodo Conſules Januenſem Rempublicam in hoc anno & placita tractaverunt, per memoriam Caffari veritas cognoſcatur. Cognoſcat ergo ſapientia audientium, quoniam præſcripti Conſules Communis & cauſarum, pro ut decuit, Rempublicam, & placita rectâ lineâ tenuerunt. Omnibus namque hominibus eorum diſtrictus, divitibus, & pauperibus, viduis, & orphanis juſtitiam petentibus, pro ut ratio poſtulat, unicuique tribuerunt. Præterea Legatos de melioribus civitatis, Guilielmum Ventum ſcilicet, & Anſaldum Auriæ ad Guilielmum Siculum Regem pro honore civitatis miſerunt, qui honorificè à Rege fuerunt recepti. Poſtea verò, quum multa diu & diu de honore Regni & Januenſis civitatis inſimul tractaviſſent, tamdem pacem & concordiam ex utroque latere taliter firmaverunt. Rex enim in toto ſuo diſtrictu Januenſes ſalvare, cuſtodire, & de injuriis juſtitiam facere, omneſque Provinciales & Francigenas mercatores à ſuo regno expellere, multaque alia, ſicuti ſcriptum eſt in Januenſi regiſtro, præſente ſua regali Curia & coram Januenſibus Legatis ſacramento firmavit. Legati autem poſtquam Januam venerunt concione facta cum CCC. hominibus juraverunt, quòd non debent mortem Regis vel captionem conſiliare, & quòd ſi in tota terra Regis in perſonis vel in pecunia deprædationem fecerint, Conſules inde ei facient rationem. Quam nempe promiſſionem non ſolùm Regi tantæ potentiæ, tantæque magnitudinis, verùm etiam ceteris hominibus pacem tenentibus Januenſes uſque modò abſque ſacramento firmiter tenuerunt, & tenent. Unde quidem multo majora & pulcriora Januenſes accepiſſe, quàm feciſſe longè lateque à ſapientibus per orbem dicitur, & tenetur. Rex namque à multis & magnis potentatibus & Civitatibus ſola promiſſione ſacramenta ſuſcepit, & recepit, & quod alicui ſacramentum feciſſet niſi Januenſibus ſolis mandatum eſt. Ergo Januenſes majora ſuſcepiſſe quàm feciſſe juſtiſſimè creditur & probatur MCLVI.

In trigeſimoſeptimo Conſulatu unius anni fuerunt Conſules de Communi quatuor, ſcilicet Rogeronus de Ita, Guilielmus Ventus, Obertus Spinula, & Gandulphus Piccamilius. De placitis octo, quorum quatuor pro quatuor compagniis civitatis, ſcilicet Boëmundus de Odone, Fredenzonus Gontardus, Guilielmus Stantonus, Marchio de Volta. Alii verò quatuor, ſcilicet Obertus Cancellarius, Guilielmus Cigala, Amicus Grillus, Vaſſallus de Guiſulpho pro quatuor compagniis de burgo pla-

(23) Alter Cod. MS. Biterrenſi.

placitabant. Quoniam bonum & utile est pro sua patria honestè pugnare, competens est, ut quomodo Consules de Communi pro Januensi patria hoc anno pugnavere, per præsentem scripturam Caffari veritas cognoscatur. Cognoscat ergo sapientia virorum, quòd prædicti Consules de Communi eorum tempore talia perpetraverint, scilicet Januensem civitatem & Populum in pace & concordia tenuerunt, & partem muri civitatis ædificare cœperunt, & Legatos plures in diversas partes pro honore civitatis miserunt, videlicet Guidonem Laudensem ad Romanam Curiam, Jonatham Crispinum ad Orientales partes, & Guilielmum Siculum Regem, & Amicum de Mirto Constantinopoli Legatum miserunt pro exigendis scalis & embolo promissis. Receperunt & in habitaculum Guidonem Guerram Comitem Vintimiliensem, qui & fidelitatem nostro Communi juravit, & castra sua, ut in Registro habetur, omnia Communi donavit, ea in feudo suscipiens per investituram. Insignia rubea ipsi in Parlamento à prædictis Consulibus tradita. Et compagniam novam juraverunt, & Consules Communium & Civium de melioribus civitatis eligere fecerunt. Pro Consulibus verò præsentibus & futuris Caffarus, qui hunc Librum composuit, in unoquoque die trinam facit orationem, ut Populum Januensem in pace & concordia regere, & in bonis operibus augmentare Deus eis semper concedat MCLVII.

In trigesimooctavo Consulatu unius anni fuerunt Consules de Communi quatuor, Ingo de Volta, Ido Gontardus, Balditio Vsusmaris, Johannes Malocellus (24), & de placitis octo, quorum quatuor versùs Palazolum in quatuor compagniis placitabant, scilicet Guilielmus Bufferius, Bonusvassallus de Castro, Ancellinus de Caffara, & Nuvelonus. In aliis verò compagniis versùs Burgum Otto Caffari, Nicolaus de Rodulpho, Henricus Malocellus, & Obertus Recalcatus. Tempore quorum multa & diversa atque inaudita per totum Regnum Italicum incœpta & facta fuere, de quibus namque quæ à Frederico Romanorum Imperatore per Liguriam, & maritimas partes acta sunt, competens est ut Caffarus secundùm posse scientiæ suæ notificet, ne oblivioni tradatur. Cognoscat ergo sapientia præsentium & futurorum, quòd prædictus Imperator cum magno exercitu Theutonicorum Lombardiam ad hoc venit, ut qui hactenus inobedientes fuerant, per Dei misericordiam & per adventum suum Imperio satisfacerent. Quapropter omnibus Marchionibus, Comitibus, & Consulibus civitatum, atque totius Lombardiæ & Thusciæ bellatoribus, ad bellum venire convocatis, ad obsidendum Mediolanum cum innumerabili populo bellatorum juxta Arcum Romanum Imperator tentoria posuit. Mediolanenses verò, quamvis per paucos dies Imperatori restitissent, tamen brevi tempore in voluntate & præcepto Domini Imperatoris stare juraverunt. Imperator autem pietate commotus, præteritæ inobedientiæ indulgentiam, & non judicium Mediolanensibus dedit; fidelitatem verò facere, & Regalia dimittere, & novem millia marchas argenti, & trecentos obsides dare ad constitutos terminos sacramento firmare coëgit. Unde totius Lombardiæ & Thusciæ habitatores timore commoti ad instar Mediolanensium voluntati Imperatoris satisfecerunt; quibus ex magna parte peractis in Runcalia Parlamentum fecit, multasque ibi sententias promulgavit de lamentationibus, quæ venerant coram ipso, & inter Italicas civitates pacem reformari, & teneri præcepit. Interea verò Januenses ad ejus Curiam multis vicibus & literis, ab ejus Principibus, & Curialibus lacessiti, plerumque miserunt ad eum de Nobilioribus suis, quibus instantiâ multâ petebant, ut sicut aliæ civitates Italiæ ei de fidelitate, obsidibus, & Regalibus dimittendis faciebant, penitùs & ipsi facerent; qui aliorum hujusmodi facta quævis laudarunt; cautè tamen ab hujuscemodi debitis se excipiebant, & monstrabant se excusandos. Nam ab antiquo concessum & confirmatum est per Romanos Imperatores, ut ab omni angaria, vel perangaria habitatores civitatis Januæ debeant perpetuò excusari, solamque fidelitatem Imperio debeant, & maritimarum contra Barbaros tuitionem, nec in aliis possint ullo modo cogi, ut Divinitate propitia Barbarorum impetus & insultus, quibus tota maritima à Roma usque Barchinonam quotidie vexabatur, procul dubio expellerent, & ut ab eis quisque securus dormiat, & quiescat (sub ficu & vite sua. Qui annuali dispendio decem millium marcharum argenti imperium fecisse non poterat, ulla ratione non possit indebita postulare) (*). Præterea juxta Italicorum aliorum debitum ad talia non possunt ullo modo evocari, quum de re Imperii non habeant unde vivere possint, vel se aliquo modo retinere, quumque aliunde afferant, unde Januæ vivant, & possint manutenere honorem Imperii. Quumque in extraneis terris, quibus committuntur, in mercationibus suis solvant innumeras Dacitas, & rerum suarum libertatem pretio mercentur & redimant, ideoque tributum non debent Imperio, quum antiquitus sit per Romanorum Imperatorem statutum, ut nemo, excepto Cæsare, tributum accipiat, ejusque intersit, si ab alio occupatur. Fidelitatem igitur solam debent habitatores Januæ, & non possunt de reliquo appellari.

Interim verò viri & mulieres, qui Januæ erant, petras & arenam ad murum die vel nocte trahere non cessantes, tantum muri civitatis infra octo dies construxerunt, quantum illaudabiliter non fecisset per annum aliqua civitatum Italiæ. Reliquas verò partes, quas muri ambitus non contexerant, & eas, quas muri altitudo non muniebat, altissimis castris, quæ fecerant de arboribus navium, & frequentibus betreschis, & spatiosis spaltis & robustissimis ita per triduum munierunt, quòd totius Italiæ, & Thusciæ, ac Alemannorum Imperium (non obstante Divinitate) independentes excepissent. Consules autem, civitatisque Silentiarii experti sæpiùs obsidentes quibus coërcentur obsessi, soldaderios, balisterios, & archiferos tot ad civitatem conduxerunt, ordinantes eos per castra montana, & alias partes civitatis, quorum pro solo cibo quotidie expendebant valens centum marcharum argenti. Imperator autem in ratione quæcumque disponens Januensium, & videns, quòd antiquam consuetudinem suam non paterentur imminui, eos ad Boscum, ubi cum exercitu venerat, convocavit. Iveruntque ad eum Ido Gontardus Consul Communis, & quidam alii Sapientes, Caffarus videlicet, Obertus Spinula, Guilielmus Cigala, Guido de Laude, Oglerius de Bo-

(24) Alter Cod. MS. Malusancellus.

(*) Parenthesibus comprehensa addita ex alt. Cod. MS.

Bocherone, Otto Judex, & Albericus; feceruntque talem cum eo concordiam, videlicet: quòd Imperator gratiam suam & suam bonam voluntatem Januensibus dedit, eosque in suam tutelam & defensionem recepit; addens, quòd nullam super eos lamentationem audiret, nec eos modo aliquo inquietaret de aliquo, quod tenerent vel possiderent indebitè vel injustè, excepto, si pecuniam auferrent alicui viatori, quòd non pateretur teneri: hocque servandum constituit usque ad Sanctum Johannem. Januenses verò ei fecerunt fidelitatem jurari à quadraginta hominibus, suscipientibus eam in Palatio Januensis Archiepiscopi Raynaldo Cancellario Imperii, & Comite Blandracense, sed ea conditione, ut per fidelitatem exercitum facere, vel pecuniam dare nullo modo tenerentur, & ab eo sibi proventura essent, quæ superiùs in narratione venerunt. Promiserunt etiam ei sub ipso tenore se dimissuros fore Regalia, quæ ipsemet ei per justitiam pertinere cognosceret. Dederunt insuper Imperatori & Curiæ marchas argenti mille ducentum. Hæc autem dum sic essent firmata, misit Imperator Nuncios Sagonam, & per totum Comitatum, quorum quum quidam Vintimilium advenisset iniqua occasione, actum est ut Vintimilienses, qui omnes, exceptis minoribus quatuordecim annorum, Communi Januæ fidelitatem juraverant contra omnes personas, quique juramento tenebantur proditionem castri illius nec pati, nec facere, & ad salvandum & retinendum, & recuperandum Communi Januæ, si perderetur, contra omnes homines conferre & auxiliari, nefanda proditione ceperunt illud, & prædicti Nuncii Imperatoris suasionibus diruerunt illud. Quare Januenses miserunt Legatos ad Imperatorem, restaurationem castri illius quærentes, quum ejus occasione videatur amissum, & de Imperialibus promissionibus ipsi habeant, quòd non debeant minui aliqua possessione, quam supradictæ pactionis tempore habuissent. Narraverunt ei, ut majori justitia abundarent, qua ratione castrum habuissent. Nam sub Imperatore Conrado dum indomita audacia Vintimiliensium in tantum crevisset, ut omnes, quos inveniebant tam divites, quàm pauperes, peregrinos, quàm alios, incarcerarent & prædarent, esset eorum sub integritate propositum in rapinis & in omnibus malis, nec scelera sua cognoscerent, quum non sentirent ultorem malitiæ ipsorum, tanta apud Imperatorem lamentatio crevit, ut Januensibus dederit in præceptis & precibus, quòd prædones illos & alios, qui per Comitatum moliebantur talia, comprehenderent, contererent, & suæ ditioni subjugarent: ad quod multis rationibus evocati, per literas scilicet & preces ipsius Imperatoris, supplicationibus etiam innumeris eorum, quos ipsi læserant, inimicis, congregaverunt Januenses magnum exercitum tam peditum quàm militum, & Vintimiliensem civitatem, ut sub scriptione anni illius notavimus, ceperunt, & à Vintimiliensibus accepta fidelitate in perpetuum castrum Vintimilii ædificaverunt, quod, ut prædictum est, memorati per vim destruxerunt. Unde ab eis cavendum est, ne satisdatio, quæ non mutat malevolum propositum, decipiat confidentes. Hoc etiam anno totus Orbis nimia siccitate exaruit, quia à Kalendis Madii usque ad ultimam hebdomadam Martii non pluit nisi parumper, semelque ad instar roris in mense; unde fontes & putei ita desiccati erant, quòd qui ubertate aquæ abundare solebant in profunda æstate, vix in hyeme sufficiebant ad unius situlæ replementum. Quod licèt ad opus incœptum non tangat, Caffari memoria ne oblivioni tradatur, conscripsit. MCLVIII.

In trigesimo nono Consulatu unius anni fuerunt Consules de Communi sex, scilicet Ansaldus Mallonus, Ogerius de Guidone, Rubaldus Bisaccia, Ansaldus Spinula, Jonathas (25) Crispinus, Lanfrancus Piper; & de placitis quatuor, Bojamundus de Odone, Corsus Serra, Guilielmus de Marino, Opizo Sardena; quatuor quorum providentiâ, & cautelâ Reipublicæ status, & singulorum negotia Januensium laudabili fuerunt administratione promota; & quidquid fuerat de muro civitatis inexpletum, eorum studium, & laborem imitantibus ceteris Civibus ad apparentem consummationem pervênit. Hoc autem quod incredibile nonnullis videtur, opibus totius civitatis, & plebium dierum quadraginta trium spatio in digito Dei peractum est. Quod per carthularios Johannis Scribæ colligitur, qui dies, & horas ipsius operis remunerandorum operariorum, quum egentes & magistri pretio laborarent in mercedibus absolutis, adscripsit. Ut autem de longitudine muri adaugeatur fama laboris, stadiorum octo, & pedum quingentorum viginti propagationem ejus, discretio præsentium & futurorum cognoscat; stadium quippe longitudo est passuum 125. videlicet pedum 625. quum passus sit quinque pedalium dimensio. Est igitur super totum pedes quinquemillia quingenti & viginti, cujus integræ quantitatis, ut prædictum est, factæ sunt ferè quatuor partes supradictis quinquaginta tribus diebus, collectis semper in unum opus, quod civitatis, & plebium homines secundùm quarteria, & alias suas distinctiones laborant per partem diei, vel sui aliquando divisionem. Fecerunt etiam in ipso muro merlos mille septuaginta, tam pro formositate & fortitudine muri, quàm pro commoditate, & tuitione civitatis & Civium. Præterea omnibus notum sit quòd tempore istorum Consulum septima die exeunte Januario Fridericus Romanorum Imperator Cremam cepit, & destruxit; atque in eodem anno discordia immensa de electione Romani Pontificis in orbe exorta est. Obeunte namque bonæ memoriæ Adriano Papa, Episcopi omnes, & Cardinales Romanæ Curiæ propter electionem Apostolici insimul convenerunt. Quomodo autem, & quam electionem fecerunt, & qualiter Diabolus discordiæ fomitem in Ecclesia seminavit, Alexander à Cardinalibus electus & de sua electione, & de seminata discordia per literas subsequentes Januensi Archiepiscopo, ejusque Suffraganeis, hoc modo aperuit, & mandavit.

„ ALexander Episcopus servus servorum „ Dei venerabilibus Fratribus, scilicet „ Januensi Archiepiscopo, ejusque Suffraga„ neis, salutem, & Apostolicam benedictio„ nem. Æterna & incómutabilis providentia „ Conditoris sanctam & immaculatam Eccle„ siam à suæ fundationis exordio ea ratione „ voluit & ordine gubernari, ut unus ei Pa„ stor

(25) Alter Cod. MS. Joannottus.

stor & Institutor existeret, cui universarum Ecclesiarum Prælati absque repugnantia subjaceant, & membra tamquam suo capiti adhærentia se quadam mirabili unitate conjungerent, & ab ipso nullatenus dissiderent. Qui verò Apostolis suis pro eorum fidei firmitate promisit, dicens; Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi, ille proculdubio Ecclesiam suam, cujus ipsi Apostoli magisterium assumserunt; sua promissione fraudari nullo modo patietur: sed eam in suo statu & ordine, licèt ad instar naviculæ Petri fluctuare aliquando videatur, perpetuò faciet permanere. Unde & quamvis hoc tempore tres falsi Fratres, qui à nobis exierunt, sed non fuerunt de nobis, transfigurantes se in Angelos lucis, quum sint Satanæ, inconsutilem Christi tunicam, quam utique ipse idem ex persona Psalmographi, à leonibus peti, & à framea eripi, & de manu canis orat ac postulat liberari, scindere & laniare laborent; Christus tamen auctor & caput Ecclesiæ eam veluti unicam Sponsam suam provida gubernatione tuetur, & navem egregii Piscatoris licèt sæpe & sæpiùs quatiatur à fluctibus, non permittet naufragium sustinere. Porrò quum antecessor noster bonæ memoriæ Adrianus Papa Kalend. Septembris, quum esset Anagniæ debitum naturæ solvisset, & de terris ad cœlum, de imis migrasset, vocante Domino, ad superna, eo Romam deducto, & pridie Nonas Septembris in Ecclesia B. Petri, præsentibus ferè omnibus Fratribus satis honorificè, sicut moris est, tumulato, cœperunt Fratres, & nos cum eis, secundùm Ecclesiæ consuetudinem de substituendo Pontifice in eadem Ecclesia studiosiùs cogitare; & tribus diebus inter se de ipsa electione tractantes, tamdem in personam nostram insufficientem huic oneri, & tantæ dignitatis fastigio minimè congruentem, omnes Fratres, quotquot fuerunt, tribus tantùm exceptis, Octaviano scilicet, Johanne de Sancto Martino, & Guidone Cremense, (Deo teste, quia mendacium non fingimus, sed meram, sicut est, loquimur veritatem) concorditer atque unanimiter convenerunt, & nos, assentiente Clero, & Populo, in Romanum Pontificem elegerunt. Duo verò, videlicet Johannes, & Guido Cremensis, quos prænotavimus, tertium Octavianum in tantam audaciam vesaniamque præruperunt, quòd mantum, quo nos renitentes & reluctantes, quia nostram insufficientiam videbamus, juxta morem Ecclesiæ Prior Diaconorum induerat, tamquam arreptivum à collo nostro propriis manibus violenter excussit, & secum inter tumultuosos strepitus vel fremitus asportavit. Ceterùm, quum quidam de Senatoribus tantum facinus inspexissent, unus ex eis spiritu divino succensus mantum ipsum de manu eripuit sævientis. Ipse verò ad quemdam Capellanum suum, qui ad hoc instructus venerat & paratus, illico flammeos oculos fremebundus inflexit, clamans, & concrepans, ut mantum, quem secum portaverat, festinanter afferret. Quo utique sinè mora delato, idem Octavianus, abstracto pileo, & capite inclinato, cunctis fratribus aut loco inde aut voluntate remotis mantum per manus ejusdem Capellani & cujusdam alterius Clerici sui ambitiosiùs assumsit, & ipse idem, quia non erat aliquis in hoc opere, Capellano & Clerico extitit coadjutor. Verùm ex divino judicio credimus contigisse, quòd ea pars manti, quæ tegere anteriora debuerat, multis videntibus & ridentibus posteriora tegebat, & sicuti tortæ mentis erat, & intentionis obliquæ, ita ex transverso & obliquo mantum fuit in testimonium suæ damnationis indutum. Quo facto portæ Ecclesiæ, quæ firmatæ erant, reserantur, & armatorum cunei, quos, sicut ex re apparuit, pecuniæ largitione conduxerat, cucurrerunt; & pestis illa mortifera, quia Cardinales & Episcopos non habebat, armatorum caterva militum vallabatur. Considerate itaque, Fratres in Christo venerabiles, tam piaculare flagitium; tam execrabile sacrilegium diligenter attendite, & videte si est dolor sicut dolor iste, & si ab exordio nascentis Ecclesiæ tanta vesania umquam fuerit à quolibet Schismatico, vel Hæretico attentata.

Fratres verò tam immensum facinus & à seculis inauditum ex insperato videntes, & formidantes, ne à conductitiis militibus truncarentur, sese in munitione Ecclesiæ nobiscum pariter receperunt; ibique novem diebus continuis, ne inde exiremus, fecit nos quorumdam Senatorum assensu, quos pecuniâ oblatâ corruperat, die noctuque armata manu cum omni diligentia custodiri. Sanè Populo incessante & jugiter acclamante, & in Senatores pro tanta impietate multa immanitate fremente, fuimus de custodia illius munitionis erepti; sed in arctiori & tutiori loco trans Tyberim nos iidem Senatores, receptâ inde pecuniâ, posuerunt. Quumque moram ibi fermè per triduum fecerimus, universo populo tantam proditionem atque malitiam de cetero nullatenus sustinente, Senatores cum Nobilibus, & populo venientes nos & fratres nostros per Urbem magnificè & honorificè cum immensis laudibus & præconiis, campanis etiam in transitu nostro ubique pulsantibus, conduxerunt. Et sic tamdem à violentia persecutionis erepti, & nostræ redditi libertati, sequenti die Dominico venerabilibus Fratribus nostris G. Sabinensi, Ostiensi, G. Portuensi, Albanensi, I. Signino, & B. Terracinensi Episcopis, Cardinalibus quoque, & Abbatibus, Prioribus, Judicibus, Advocatis, Scrivariis, Primicerio, & Scholæ Cantoribus, Nobilibus etiam ex quadam parte, Populo Urbis apud Nympham non longè ab Urbe insimul congregatis, munus consecrationis accepimus, & sicut in Romana Ecclesia consuetudinis est ibidem Pontificali regno magnificè fuimus ac solemniter coronati. Ceterùm prædictus Octavianus, quum pro consecratione, imò execratione sua, dum & in Urbe esset, & postquam latenter exivit Urbem, multos Episcopos convocasset, nullum præter unum ferè inter tantos habere potuit pro sua temeritate & vesania confirmanda. Quosdam tamen Episcopos Imperialibus minis, quosdam violentia laicali, quosdam verò pecuniis in blanditiis allicere voluit, sed nihil Domino impediente profecit. Unde nec adhuc invenire potest, licèt modis omnibus eni-

„ enitatur, qui ei manus execrationis imponat, & se tantæ faciat præsumtionis auctorem & impietatis. Verùm memorati I. & G. cœcitatis tenebris obvoluti, quoniam scriptum est: Peccator quum venerit in profundum vitiorum, contemnet, nec sic à sua præsumtione damnabili resipiscunt; sed eumdem Octavianum, quem sibi in statuam erexerunt, obstinatâ perfidiâ venerantur, & eum relicta unitate Ecclesiæ præsumunt usque adhuc tamquam idolum aut simulacrum adorare. Ipse autem Antechristi tempora præfigurans, usque adeò erectus est supra se, ut etiam in templo descenderit tamquam sit Deus ostendens se; & multi abominationem desolationis stantem in loco sancto non sinè multa lacrymarum effusione corporeis oculis inspexerunt. Sanè nos infirmitatem nostram & virtutum indigentiam cognoscentes, nostrum in Deo cogitatum jactamus, sperantes & de Christi misericordia plenius confidentes, quòd Ecclesiam suam sanctam, pro qua ipse idem in substantia nostræ mortalitatis apparuit, & eam sibi non habentem rugam, nec maculam exhibet, optata faciet tranquillitate lætari, & procellarum omnium inundatione sedata, nihil erit, quod ei jam possit obsistere, ubi unicus Sponsus ejus voluerit nubilosa quæque & noxia propulsare. Nunc igitur quia nos de nostrorum meritorum qualitate diffidimus, & de honestate ac religione vestra plenam fiduciam obtinemus, vestris ac universalis Ecclesiæ precibus infirmitatem nostram petimus adjuvari, caritatem vestram per Apostolica scripta rogantes & commonentes attentiùs, ut sicuti Viri Catholici vos pro domo Domini muros inexpugnabiles ponatis, & in devotione & fidelitate maneatis vestræ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ immobiliter persistentes, ab ejus unitate nullatenus recedatis. Quòd si præfatus vir impietatis ad partes vestras aliqua damnationis suæ scripta transmiserit, ea sicut respuenda sunt respuatis, & tamquam vana atque sacrilega contemnere, & abjicere studeatis. Noverit insuper discretio vestra, quòd nos in die consecrationis nostræ ipsi Octaviano, & jam dictis fautoribus ejus, terminum indulsimus in octo dies ad sinum & unitatem matris Ecclesiæ redeundi; quod si adimplere distulerint, ex tunc tam eos, quàm omnes complices & coadjutores ipsorum auctoritate Beati Petri ac nostra non differemus vinculo excommunicationis adstringere, & eos à Christi Corpore quod est Ecclesia sequestrare. Data Terracinæ VI. Kal. Octobris MCLIX.

In quadragesimo Consulatu unius anni fuerunt Consules de Communi quatuor, videlicet Rogeronus de Ita, Lanfrancus de Alberico, Henricus Guercius, Ansaldus Auriæ; & de placitis octo, quatuor in quatuor compagniis versùs Palazolum, scilicet Guilelmus Cavaruncus, Ancellinus de Caffara, Nuvolonus, & Octobonus fratres. Alii quatuor versùs Burgum placitabant, scilicet Obertus Cancellarius; Amicus Grillus, Obertus Recalcatus, Nicolaus Roza. Quoniam recordari præterita, meditari præsentia, providere futura, bonum & utile esse videtur; ideoque præteritorum, præsentium, & futurorum Januensium Consulum nomina & eorum facta, & quæ in Januensi civitate singulis annis acciderunt, Caffarus quum in ætate viginti annorum erat, scribere & notificare incœpit, & sicut in hoc Libro scriptum est, usque in hodiernum diem composuit & notavit, & deinceps in antea, donec jusserint, Deo concedente, illud idem se facturum promisit. Quapropter sicuti suprascripti Consules Rempublicam Januensem in hoc anno tractaverunt, in quo anno numerus octuaginta annorum ætatis Caffari incipitur, & computatur, per præsentem scripturam ejus veritas cognoscatur. Notum ergo omnibus audientibus fiat, quòd prædicti Consules noningentarum librarum valens pro debito aliorum Consulum totum solverunt, ita tamen quòd à servitute prædicti debiti Rempublicam liberaverunt. Adhuc verò labore turrium muri civitatis CCC. librarum numerum compleverunt, & castrum Vultabii ab onere pignoris C. librarum solutum de manibus fœneratorum extraxerunt, & in communi guardia & in ordinatione venturorum Consulum dimiserunt. Insuper autem Burgi muros Portus Veneris ædificare fecerunt, & Legatos plures, Henricum Guercium Consulem ad Imperatorem Constantinopolitanum, & Obertum Spinulam ad Lupum Regem Hispaniæ pro communi utilitate miserunt. Propterea namque Cives, qui gravissimè adinvicem inimicabantur, ita constrinxerunt, quòd in toto eorum Consulatu prœlium vel impetum facere ausi non fuerint. Consules verò de melioribus civitatis eligere fecerunt MCLX.

In quadragesimoprimo Consulatu unius anni fuerunt Consules de Communi quinque, Rodoanus Guilielmus Mauroni filius, Philippus de Lamberto, Marchio filius Ingonis de Volta, Guilelmus Cigala, & Ubertus Spinula. Causarum verò Consules fuerunt octo, quatuor scilicet in quatuor compagniis, & alii quatuor in aliis quatuor versùs Palazolum, Guilielmus Busferius, Lambertus Philippi filius, Givotus Curlus, Guido Laudensis: Versùs autem Burgum Amicus de Murta, Lambertus Grillus, Nicolaus Roza, Ansaldus Golia. Quum in diversis temporibus multa prospera & adversa in orbe semper accidant universo, hoc quidem in anno multa majora & fortiora, quàm evenire solent, in Regno Italico evenerunt. At quia multum & gravissimum esset totum, quod in Regno accidit, narrare per singula; oportet ergo scire, quomodo prædicti Consules Rempublicam suo tempore tractaverunt, & civitatem in festa tenuerunt, ut per memoriam Caffari, ceterarum rerum relictâ materiâ, ad præsens tempus sanè intervallo scribatur. Prædicti namque Consules in initio eorum Consulatus multum de regimine civitatis cogitando quod melius & utilius esse videretur, de pace scilicet, & concordia civitatis intus & de foris tractare, & laborare incœperunt. Discordes ii, qui in civitate erant, capillationes & rixas solitas ne facerent vel inciperent, Consules ad præsens jurare fecerunt. Ceterùm verò, qui contra præceptum arma levaverant, & insultum (26) alicui de compagnia fecerant, turres & domos eorum destruendo & pecuniam, pro ut sacramento tenebantur, auferendo, vellent aut nollent, per sacramentum quiescere adstrinxerunt. Præterea unum de sociis, scilicet Huber-

(26) Alter Cod. MS. assaltum.

bertum Spinulam, Nobilem & ſapientem virum, cum galêis V. pro guardia navium per Corſicam, & Sardiniam uſque Deniam mandaverunt. Unde Saraceni territi & timore commoti galêas armare dimiſerunt, remos & vela in cuſtodiam poſuerunt; quare naves Januenſium euntes & redeuntes iter, quod incœperant, tranquillo curſu omnes incolumes perfecerunt. At quidem donec galêæ Januenſium in partibus Deniæ morabantur, Lupus Rex Hiſpaniæ de pace & concordia Januenſium ad voluntatem Conſulis ſinè ulla fraude ſtare mandavit. Conſul verò, poſtquam Regis legationem tantæ humanitatis tantæque patientiæ eſſe audivit, accepto conſilio à Conſulibus Cauſarum, à Lamberto ſcilicet Philippi filio, & Anſaldo Golia, qui ſecum erant, & à Comitis galêarum, hoc eſt decem mille marabotinos ad præſens dare, commerciumque totius Regni ſui Januenſium mercatoribus dimittere, hoc modo pacem ſibi & ſuis dare promiſit & mandavit. Rex autem, audita legatione Conſulis, læto animo totum quod Conſul mandavit procul dubio ſe facturum promiſit; unde Rex ſinè mora literas ſuas Januam miſit, precando ut Legatum ad eum mitterent, qui marabotinos reciperet, & ſecuritatem pacis, uti promiſſum erat, faceret & reciperet. Conſules verò, viſis literis, & auditis precibus Regis, Guilielmum Caſimirum (27) Ingonis de Volta filium, ſapientem & inclytum virum, Legatum ad Regem miſerunt, qui marabotinos acciperet, & pacis ſecuritatem dimiſso commercio totius Regis terræ reciperet & firmaret. Inſuper quoque Legatum alium Ottonem Bonum Nicolini fratrem, nobilem & ſapientem virum, ad Regem Moadinorum mandaverunt, qui per omnes terras eorum Moadinorum cum magno honore receptus fuit, & ad Regem apud Marochum perrexit, & honorificè multùm ab eo receptus fuit, & pacem uſque ad quindecim annos cunctis Januenſibus Rex hoc modo firmavit, ut per omnes terras Moadinorum & poſſe ipſorum ſecurè Januenſes cum omnibus rebus ſuis mari & terra debeant ire, & in aliqua Terra ipſorum niſi de centum octo millia dare debeant conductionem, excepto Bureæ (28), ubi decimum debent, quia quartum ipſius decimi debet reverti ad Commune Januæ. Adhuc autem Legatum alium nobilem, & Conſularem virum, Anſaldum ſcilicet Spinulam ad Orientales partes, ideſt ad civitatem Sanctam Hieruſalem cum Legato Romanæ Curiæ, Johanne videlicet Presbytero Cardinali, & ſociis Johanne & Paulo, pro petenda juſtitia Januenſium direxerunt. Præterea caſtra Vultabii, Flaconis, Palodii, Rivarolii (29), & Portusveneris, quæ extra civitatem de veteri opere erant ædificata, talis fortitudinis tantæque pulcritudinis de novo, eorum ſumtu & cura, Conſules ædificare fecerunt, quòd intuitu tranſeuntium inde ceteras cordis opiniones pro pulcritudine novi operis ab eis revocat. Unde enim non ſolùm amicis copia eſt lætitiæ, verùm etiam inimicis immenſam formidinem fortitudo novi operis tribuit audientibus. De cetero verò quomodo Dominus Alexander Papa à Januenſi Archiepiſcopo, Clero, Conſulibus, & omni Populo fuit receptus, ſcribere Caffarus oblivioni non tradidit. Cognoſcat ergo univerſitas Populorum, quòd Archiepiſcopus unà cum Clero & Conſulibus, atque univerſo Populo virorum & mulierum, ſeniorum, juvenum, ac puerorum, magnificè & honorificè cum univerſis laudibus & præconiis, campanis etiam in civitate ubique pulſantibus, in dictum Apoſtolicum, Deum laudando, & nomen ejus exaltando ſuſcepit, ſicut in Libro Pſalmorum legitur: *Juvenes & virgines, ſenes cum junioribus laudent nomen Domini, quia exaltatum eſt nomen ejus ſolius*. Verè nomen Domini in illa die exaltatum fuit, quando Januenſes vice Domini Apoſtolicum Alexandrum receperunt, ſicuti ipſe Dominus in Evangelio dicit: *Qui vos recipit, me recipit*; & alibi: *Hoſpes fui, & collegiſtis me*. Tunc ipſum Dominum Jeſum collegerunt, quoniam vice ejus palatia & hoſpitia honeſtiſſima, atque immenſa ſtipendia Domino Apoſtolico, ſuiſque Epiſcopis & Cardinalibus ſufficienter, & cum amore magno & tripudio impenderunt. Quum non tanti honoris & beneficii ipſe Dominus Papa immemor fuiſſet, quomodo Januenſis civitatis Eccleſiam exaltare poſſet, cum prædictis Conſulibus tractare inde cœpit, & ea, quæ pro brevitate temporis eorum Conſulatus ipſi Conſules incœpta complere non potuerunt, novis Conſulibus peragenda dimiſerunt. Quid verò novi Conſules de hac re, & de omni augmentatione Reipublicæ ſuo tempore fecerunt, Caffarus, ſi vixerit, quum tempus fuerit, Deo concedente ſcribere non tardabit MCLXI.

In quadrageſimoſecundo Conſulatu unius anni fuerunt Conſules quinque de Communi; Cauſarum verò fuerunt octo. Quinque de Communi fuerunt iſti: Guilelmus Boironus, Ingo de Volta, Nebolonus, Rubaldus Beſaza, & Grimaldus. Cauſarum verò quatuor in quatuor compagniis, & alii quatuor in aliis quatuor compagniis placitabant, versùs Palazolum, Bojamundus de Odone, Bonusvaſſallus de Lamberto Medico, Guilielmus Capodorgius, Guilelmus Cavaruncus; versùs Burgum Ido Pizo, Guilelmus de Auria, Obertus Recalcatus, Gontardus Rufus. Quoniam ea, quæ à tempore captionis Cæſareæ uſque nunc cis mare & citra per Januenſes & plures alios geſta ſunt, in unoquoque anno Caffarus ſcribendo notificavit, ideo competens eſt, ut ea, quæ in hoc anno à Domino Friderico Romanorum Imperatore, & ſemper ac verè Auguſto per Liguriam, & in civitate Januenſi, & extra Januenſes patrata ſunt, idem Caffarus ſcribere non prætermittat. Omnibus namque præſentibus & futuris notum fiat, quòd Dominus Fridericus Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus præ cunctis Cæſaribus intendens ad reintegrationem Imperii, ſub jugo triumphationis ſuæ univerſorum colla ſubjiciens, præeſſe meruit, & dominatur cunctorum. Ipſe enim per tres annos obſidendo Mediolanenſes fame & bello ita conſtrinxerat, quòd ſe ampliùs retinere non poterant; hoc anno in Kalend. Martii ad pedes Domini Imperatoris inermes venerunt, & perſonas, & civitatem, & mobile, & immobile, quæ habebant, ſinè ullo tenore in poteſtate Imperatoris poſuerunt. Flexis tamen genibus & multis lacrymis necis indulgentiam petere non ceſſabant, Imperator autem à Domina Beatrice

(27) Alter Cod. MS. Caſiſterum.
(28) Alter Cod. MS. Buzui.
(29) Alter Cod. MS. Rivalorii.

trice Imperatrice Augusta, & à Principibus Curiæ suæ cœpto consilio, vitam & mobile, quod habebant, concedendo, capitalem sententiam, quam jure meruerant, pietate commotus eis pepercit, ac deinde civitatem omnino destruere fecit, & extra civitatem longè per milliaria duo in quatuor burgis eis stare præcepit, ita tamen ut unusquisque de burgis per duorum milliariorum spatium ab aliis disjunctis ædificaretur. Sicque factum est, ut omnes civitates, & loci Lombardiæ, & maritimarum partium usque Romam nimio timore perterriti & commoti in omnibus Imperatori obedientes fuerunt. Verumtamen Januenses ad Curiam vocati venire, de Consulibus & melioribus civitatis Guilielmum Buironum, & Grimaldum Consules, Guilielmum Ventum, Marchionem de Volta, Henricum Auriæ, Ogerium Guidonis, Obertum Spinulam, Philippum de Justa, Bonumvassallum Bufferium, Papiam, ubi tunc Imperator Curtem tenebat, sinè mora miserunt, qui honorificè recepti fuerunt. Illico verò Principes Curiæ Legatis Januensium, ut fidelitatem, & quidquid aliæ civitates, & loca fecerant & faciebant, ex parte Imperatoris ad præsens facere suadebant. Legati autem in omnibus præceptis Imperatoris obedire semper paratos fuisse vel esse sinè fraude dixerunt. Attamen sicuti Januenses ultra civitates aliquas & locos Italiæ magis prævalent servire Imperio, ita servitii talionem habere ultra ceteros Imperialem excellentiam humiliter implorabant. Postquam verò responsionem Legatorum Imperator audivit, multum sibi placuit, & suæ bonæ voluntatis & gratiæ literas, quas Consulibus & cuncto populo Januensi deferrent, eis dari præcepit; per quas scilicet literas vel Legatos mandavit, ut visis literis in octo dies de Consulibus & melioribus civitatis sex vel octo sinè dilatione ad eum venirent, cum quibus de servitio Imperii, & retributione servitii competenter tractaret. Providè duos de Consulibus, Ingonem videlicet de Volta, & Nubolonem Consules, & quinque de melioribus civitatis, scilicet Lanfrancum Piper, Beltramum de Marino, Idonem Gontardum, Bonumvassallum Bufferium, Rogeronem, atque Johannem, Scribam Communis fidelem & magnæ legalitatis virum, cujus fidei singulis annis totius Reipublicæ scriptura committitur, reliqui Consules cum communi consilio civitatis prædictos Legatos ad Imperatorem miserunt. Qui omnes ad Curiam venientes honorificè recepti fuerunt, ibique Domino Raynaldo sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Electo, & Regni Italici Archicancellario, & Imperatoriæ Majestatis reverendo Legato (cui enim sensus & fama Ciceronis per singula sequuntur vestigia) cum aliis Principibus Curiæ per plures dies multa tractando ad præsens fidelitatem Imperii (30) juraverunt, & determinatum servitium, sicut in Privilegiis scriptum habetur, facere promiserunt. Quapropter Imperator Januensibus cuncta Regalia civitatis, & possessiones, quas tenebant, & multa alia concedendo per Privilegium aureo sigillo signatum in perpetuum signavit, & confirmavit.

De Imperatore verò interea conticentes, quomodo Dominus Alexander Papa tempore istorum Consulum Januensem Ecclesiam sublimavit, Caffarus scribendo notificet. Noverit ergo præsens generatio & futura, quòd prædictus Dominus Alexander Papa venerabilis Januensem Ecclesiam, sicut scriptum est in privilegio ab eo eidem Ecclesiæ concesso, multifariè multisque modis studuit sublimare; præterea quomodo Januenses infra civitatem & extra muros in hoc anno se haberent, Caffarus scribere non dimittat. Notum ergo omnibus audientibus fiat, quòd Januenses tempore istorum Consulum Pisanos multos, & pecuniam immensam in partibus illis cum galèis ceperunt, & partem eorum de melioribus interfecerunt, & partem cum pecunia Januam in captionem perduxerunt. Quorum verò culpâ, & qua ratione hoc fecissent, necesse est, ut per narrationem Caffari veritas cognoscatur. Verum namque est, quòd Januenses & Pisani quondam pacem firmaverunt, & personas & pecuniam salvare, & de justitiis eorum pars parti auxilium dare ubique sacramento tenebantur, præter in Sardinia, quam Januenses de sacramento extraxerunt, ita quidem ut quocumque tempore ipsi Januenses per Sardiniam guerram vellent facere Pisanis, soluti essent à vinculo sacramenti. Quod ideo fecerunt, quia Pisani eam communem cum Januensibus habere voluerunt, & hoc modo per longum tempus usque nunc pacem ad invicem tenuerunt. Præterquam Pisani, quando in extraneis regionibus simul cum Januensibus erant, cavillationem verborum, sicuti mos est illis, facere non cessabant. Unde diabolus humani generis inimicus inter Januenses & Pisanos, sicut præsens scriptura subsequenter narrabit, his temporibus fomitem seminavit discordiæ; hujus namque discordiæ initium Pisanorum fuit. Tempore enim isto Pisani numero mille, qui in Constantinopolitana civitate erant, supra paucos Januenses ferè CCC. negotiatores, qui illic erant, pacis fœdere dirupto, causâ deprædandi eos & occidendi armata manu venerunt. Januenses verò postquam à Pisanis se injustè impetitos viderunt, ad defensionem personarum & rerum suarum illico armati surrexerunt, & tota die contra Pisanos bellum viriliter tenuerunt: sero autem venientes videntes Januenses superare non posse, dixerunt: *Dimittamus quæ facimus, & deinceps sub vera fide ex utraque parte nullo modo hoc facere permittamus*. Et hoc facto utræque partes bellare dimiserunt. Attamen summo mane Pisani collecta maxima multitudine virorum Veneticorum, Græcorum, & aliorum iniquorum Constantinopoli commorantium, armata manu causâ deprædandi ad fondicum Januensium venerunt. Januenses verò tali multitudini arbitrantes non posse resistere, hospitia & pecuniam dimiserunt, & cum solis personis recesserunt. Pisani autem invadentes eorum (31) fundicum, pecuniam, quam ibi invenerunt, valentem scilicet triginta millia perperorum, ceperunt, & Januensem quemdam de nobilioribus Januensium, videlicet Ottonis Ruffi filium, vivum ceperunt, & interfecerunt. Quapropter prædicti Januenses deprædati Januam festinanter perrexerunt, & cunctis, qui in civitate erant, omnia, quæ sibi evenerant, per ordinem narraverunt. Unde tantæ injuriæ, tantæque intolerabilis superbiæ vicinis & consanguineis illorum illatæ nimio dolore commoti, galèas continuò armarunt, & sursum cum ar-

(30) Alter Cod. MS. Imperatori.

(31) Alter Cod. MS. totum.

armis & cibo & remis sicut sitientes ad aquas unanimiter ascendere cœperunt. Et ita in uno die sinè visione Consulum duodecim galêas armaverunt. Consules verò ne galêæ à civitate recederent, donec literas diffidentiæ Pisas mitterent, præceperunt, & sinè mora Currerium quemdam cum literis Pisanos diffidando Pisas miserunt, quarum literarum tenorem hic describimus.

Pisanorum Consulibus & eorum Populo Januensium Consules.

„ IMpulsi diu, & circumquaque agitati à vobis per universa litora mundi, nec invenientes alicubi requiem, ubi habeatis vigorem, priusquam ignominiosæ injuriæ, intolerabilia damna, crudelissimæ cædes, & nefariæ obtruncationes non quorumlibet, sed nostrorum Nobilium, & ex iis vociferæ imprecationes, quibus nos incessanter impetitis sicut perfidos inimicos, sufficere vobis non possunt, expulsationem Sardiniæ, quam de manibus Saracenorum nostra civitas liberavit, & scripturarum nostrarum invasionem, quas summâ violentiâ detinetis, ultra non ferimus. Conditionem itaque initæ pacis absolvimus, qui rupti fœderis vinculo non tenemur. Diffidantiam itaque non immeritò vobis indicimus„. Latore autem revertente, & nullius utilitatis & concordiæ responsionem reportante, Consules prædictarum galêarum hominibus, ut ad tantam nequitiam & superbiam vindicandam velociter properarent, præceperunt; cui præcepto homines ipsarum galêarum obedientes ad Pisanorum nequitiam & contumaciam feriendam alacri animo perrexerunt; quarum galêarum duodecim ad portum Pisanum venerunt, & Pisanæ urbis viris & mulieribus intuentibus turrem de portu destruxerunt, & plurimas naves cum magna pecunia & hominibus ceperunt, & homines quidem ac pecuniam Januam miserunt, sed naves combustas dimiserunt. At inde ipsæ galêæ ad Portumvenerem redierunt, ibique pro guardia steterunt, ut si fortè Pisanorum galêæ de Arno exirent, superentur eas cum aliis, quæ de Janua venirent. Aliæ verò quatuor, quæ per Corsicam & Sardiniam Pisanos quærendo iverunt, & multas Pisanorum naves, & sagittas, & galêam unam, quæ veniebat de Sardinia pro legatione, & pro guardia navium suarum, & Consulem unum Bonacursum nomine in galêa magnam pecuniam secum deferentem ceperunt; de hominibus autem earumdem navium, & galêæ Otto Ruffus pro ultione interemti filii ipse & sodales ejus plures de melioribus interfecerunt, & multos alios cum prædicto Consule, totamque pecuniam Januam in captionem portaverunt. Pisani verò quum hujus rei veritatem cognoverunt, mortuos suos plorando, & de pecunia amissa dolendo, pro defensione navium suarum, quæ de foris veniebant, galêas & sagitteas armare cœperunt. Iterum accidit, ut Cancellarius Imperatoris Pisas veniret, ad cujus nimirum pedes statim Pisani venerunt precando multùm, ut Consulem & alios captos à Januensibus peteret, & de captione extraheret. Archicancellarius verò pietate commotus, Capellanum suum Dominum Ricardum (32), virum quidem omni virtuositate præclarum, Januam misit rogando Januenses, ut pro amore Dei, & suo, Pisanos captos sibi donarent. Et præcepit ut deinceps ab offensione Pisanorum cessarent donec offensione præterita utrarumque partium facta præceptum Imperatoris audirent. Januenses autem audita prece & præcepto Archicancellarii, totum, quod petierat & præceperat, procul dubio implevere. Galêas namque & sagitteas, quas pro offensione Pisanorum armaverant, armare dimiserunt, & Consulem ceterosque captos Pisanos Capellano dederunt, precando multùm, ut præceptum quod eis de offensione Pisanorum fecerat, illud idem Pisanis facere non dimitteret.

At postquam Archicancellarius Januenses sibi obedientes in tantum fore cognovit, amorem suum & beneficium eis inde multum promisit; & præceptum, quod eisdem de offensione Pisanorum fecerat, illud idem ad præsens Pisanis præcipere non dimisit. Quapropter Pisani de liberatione suorum lætando, Archicancellarii præceptum fideliter observare promiserunt. Attamen ipsi paulò post triginta sex galêas, & sagitteas fraudulenter quasi pro guardia suarum navium versùs Sardiniam miserunt, duasque naves Januensium securè redeuntes apud Planusam ceperunt. Quo audito, duodecim galêæ, quæ in Portuveneris erant, sinè mora Pisanorum galêis obviam iverunt, & eas redeuntes invenerunt, & tota die juxta eas, & contra eas sæpe tendendo & recedendo steterunt, quòd multos Pisanos sagittando vulneraverunt, per multas vices eas provocando, ut duodecim per duodecim ab aliis separatæ ad bellum venirent: quod Pisani trepidantes facere noluerunt. Omnes autem triginta sex galêæ Pisanorum contra Januenses simul concurrentes, ut caperent festinabant. Januenses verò veloces ut falcones terga volventes, ab eis velociter sæpe recedebant, atque veloci cursu multis vicibus cum vexillis armata manu contra eos redire non cessabant, & ita eos per diem deludendo, sero veniente illos dimiserunt, & per Planosam, quam destruxerant, & per Corsicam, & Sardiniam venientes, multas naves Pisanorum, & galeottas cum pecunia magna & hominibus multis ceperunt; & per portum Pisanum redeuntes ad Portumvenerem incolumes redierunt; statimque Consulibus Januensium, quæ evenerant, mandaverunt. Consules autem tanta Pisanorum proditione commoti, galêas & sagitteas & naves multas armaverunt, & concione facta cuncto populo Januensium sub debito sacramenti laudaverunt, ut cibum & arma & omnia, quæ ad bellum sunt necessaria, citò habere festinarent, & ad portum Pisanum cum magno stolo maris, ut tantæ proditionis Pisanorum vindictam caperent, ire præceperunt. Unde omnes, qui in concione erant, alacri animo una voce dixerunt: *fiat, fiat*. Interim verò quum jam omnia parata essent, Archicancellarius Imperatoris Januam vênit, & de hoc, quod evenerat, multum se mœstum ostendit. Attamen ipse omnia, quæ cœpta erant, ramanere præcepit, donec quæ facta fuerant Imperatori notificaret; & octo de Januensibus, & octo de Pisanis ad Imperatorem apud Taurinum ire præcepit, ut præceptum Imperatoris audirent & observarent. Januenses verò ad prædictam Curiam per-

(32) Alter Cod. MS. Sichardum.

perrexerunt; scilicet Grimaldus Consul Caputorgogii, Lanfrancus Piper, Corsus, Obertus Cancellarius, Simon Auriæ, Baldizonus Usufmaris, Bigotus, Guido Laudensis, & Otto Mediolanensis. Pisanorum autem Henricus Consul, Petrus Consul, Marzochus, Gerardus Gualfredi, Raynerius Gajetanus. Isti omnes venerunt ad eum ad Curiam, quam in Taurinensi civitate constituerat celebrari. Januenses consulti & præparati respondere Pisanis, qui secundùm garrulitatem suam super Januensibus conquesturi erant, fuerunt ad Curiam quatuor aut quinque diebus, antequam Pisani accessissent ad eam, conquisiveruntque præterea in tantum universorum Principum gratiam, & postmodum venientes Pisani contra eos non sunt ausi quidquam mutire; imò etiam die celebri, qua Dominus Imperator cum Beatrice Augusta voluit coronari (& verè Beatrix, quia sua benignitate Imperium totum facit beatum) dum ad Basilicam sicut & Januenses ipsi Pisani convenissent, impulsi sunt ipsi Pisani & ignominiosè ejecti de Choro Ecclesiæ, Januensibus in sublimi constitutis, ut per totam Ecclesiam & circa Imperatorem & Imperatricem eis esset liber aspectus. Acciderat autem antea, ut Raymundus Berengarius Barchinonensis Comes, qui ad Curiam accedebat, objecit ad Burgum S. Dalmatii die VIII. Augusti, quò cùm Imperator decurreret, Grimaldum Consulem, & Simonem Auriæ, & Caputorgogii secum conduxit. Unde quum esset reversus Imperator, omnibus subscriptis Januensibus & Pisanis præcepit, ut nullo modo proclamationes facerent usque ad reditum suum, quia ad Theutonicas partes ire paratus erat, & per festinationem itineris ad definiendas querimonias morari non poterat. Ideoque prædictos Januenses & Pisanos treugam firmam usque ad adventum suum jurare fecit; & in eodem sacramento ponere fecit, ut præfatum sacramentum treugæ infra tres dies, postquam Januam & Pisas venissent, sinè fraude jurare fecissent CC. Januensibus, & CC. Pisanis; & ita postquam venerunt, omnia completa fuerunt.

Ista namque & alia multa Januenses in hoc anno extra civitatem & infra pro honore patriæ, more solito Romanorum, sapienter & viriliter, pro ut decuit, peregerunt. In civitate autem prædicti Consules Cives ita concordes stare fecerunt, quòd de mortali guerra, quæ erat inter Picamilios, & Oberti quondam Usufmaris filios, ad firmam pacem & concordiam sub sacramento pacificè quiescere fecerunt. Insuper verò pro utilitate Reipublicæ multas mansiones, quæ in ripa maris à fossato Buccæbovis usque ad fossatum Ecclesiæ S. Sepulcri, emerunt & destruxerunt, & super eam terram pro commodo navium Scarios ordinare & statuere fecerunt, & desuper directam & novam viam & pontem supra fossatum S. Sepulcri fecerunt. Et in fine eorum Consulatus sex Consules de Communi, & quatuor de placitis eligere fecerunt, quibus pecuniam Reipublicæ, quam habebant, sicuti recollegerant & dispercliderant, in scripto per ordinem dimiserunt MCLXII.

In quadragesimo tertio Consulatu unius anni fuerunt Consules sex, Rogeronus Iter, Guilelmus Cassicius, Guilielmus Ventus, Amicus Grillus, Obertus Spinula, Lanfrancus Piper. De placitis verò quatuor, scilicet Corsus Serra, Ottobonus frater Nuvolonis, Obertus Cancellarius, Ugo de Baldizone, qui placitabant omnes homines civitatis. Omnes homines, qui communium rerum, civitatum, atque locorum potestatem & dominium habent, & de dubiis eorum rebus consultant, ab odio & amore vacuos esse decet, quia sicuti quidam Sapiens dixit; *Ubi intenderis, ingenium valet: si libido possidet, ea dominatur, & animus nihil valet*. Ideoque Consules civitatum & locorum à prædictis duobus, scilicet ab odio & amore remotos esse oportet, & semper eos justè decet judicare. Unde in veritate dici potest, quòd fama Januensium Consulum, in augmentatione Reipublicæ civitatis Januæ, in sententiis dandis sinè venali auditu, cunctis suis vicinis civitatum & locorum usque modò eminet universis. Quapropter quomodo prædicti Consules Communium, & Causarum Reipublicæ Januensis placita tractaverunt in hoc anno, necesse est ut Caffarus solito more notificare non pigritetur. Omnibus igitur pateat audientibus, quòd prænominati Consules Rempublicam Januensem augmentando, & furum & latronum, atque omnium culparum vindictas faciendo, & rixas & cavillationes in civitate & extra, per totum etiam districtum eorum, præcipiendo ne fierent, ita quidem civitatis regimen cum pace & concordia Civium usque in finem eorum Consulatus honestè & firmiter tenuerunt. Fures enim & latrones, qui quondam per plures annos in civitate latuerant, & immensam pecuniam de Coltis divitum furtiva manu sæpe & sæpe extraxerant, illos namque postquam invenerunt, uti parricidas pedibus & manibus ligarunt, atque super eorum colla pondere petrarum imposito in mare demergendo mori fecerunt. Quapropter fures, & latrones, & rixarum atque cavillationum incœptores delictum solitum formidine prædictæ pœnæ per totum istum Consulatum facere dimiserunt. Præterea in fine eorum Consulatus introitum, & exitum Reipublicæ totum, quomodo & unde receperant, sicuti & ubi distribuerant, in concione facta Palatii coram omnibus per ordinem in scriptis aptè & lucidè ostenderunt; cujus enim pecuniæ de prædicto introitu & exitu librarum milliaria sex, & centenaria octo & dimidium fuerunt, sicuti superiùs determinatum & scriptum est, atque in communi Registro scriptum, electis Consulibus in custodia posuerunt.

Quid autem de Causarum Consulibus dicemus, qui per totum superius tempus æquitati & justitiæ laudabiliter nimium inservierunt? De cetero enim quum Syrus bonæ memoriæ & laudabilis vitæ Archiepiscopus Januensis prior, ultima die Septembris debitum naturæ solvisset, de terris ad Cœlum, de imis Domino vocante ad cœlestia gaudia perrexit, ibique prædecessoris sui alterius Syri Januensis Sanctissimi Episcopi, atque aliorum multorum Sanctorum contuberniis feliciter associari meruit. Eadem verò die statim post humationem ipsius convenerunt Clerici, & religiosi Viri, Consules quoque, & magna pars Senatus, & de eligendo Pontifice tractatum habentes, in unum spiritum convenerunt. Commissa est itaque consensu omnium ipsa electio Abbatibus S. Benigni, S. Syri, & S. Stephani, Præpositis S. Mariæ de Vineis, S. Donati, Presbyteris Johanni de S. Damiano, Vassallo S. Mariæ de

de Castro, Oberto de S. Ambrosio, Canonicis quoque Presbytero Rubaldo, Magistro Ancellino, & Dodoni Subdiacono, qui omnes de electione ipsa in hunc modum juraverunt: *Sancti Spiritus adsit nobis gratia. Ego cum sociis mihi assignatis absque omni fraude & dolo, in nihilum obstante, vel persuadente amore vel odio, timore aut servitio ullo, eligam in Archiepiscopum civitatis hujus illam personam, quam moribus & scientia ad hoc convenientiorem & honestiorem & utiliorem cognoscam, vel sinè fraude credam, ita tamen quòd nostræ hujusmodi electioni publicè annuerit*. Quo juramento præstito convenerunt juxta altare B. Laurentii nominati electores, & priùs in Canonicos inspicientes, ejusdem Ecclesiæ elegerunt in Archiepiscopum Dominum Ugonem, qui tunc Archidiaconus erat, qui eadem die à Clero & Populo in Sede Pontificali est feliciter constitutus MCLXIII.

Patet ferè universo Orbi, quòd olim per multa tempora Christiani à Saracenis Almeriæ longè latèque mari & terra per multas regiones capiebantur, alii interficiebantur, & multi in carcerem ponebantur, & diversis martyriis & pœnis cruciabantur; quorum multi legem Dei per timorē cruciatus relinquebant, & nomen diabolici Mahometi invocabant. Quapropter tamdem tanti sanguinis effusionis vindictam inde Deus facere non dimisit. Johannis namque per Apostolicam Sedem admoniti, & vocati exercitum supra Saracenos Almeriæ jurare fecerunt, & parlamentum, in quo Consules sex pro Communi de melioribus, & quatuor de Placitis civitatis electi fuerunt, quorum sensu & ducatu civitas & exercitus eo tempore regeretur; quibus tanta erat gratia morum, decoris linguæ & eloquentiæ, quòd eorum sensu & ducatu totius regni possit regi patria. Nomina quorum Obertus Turris, Philippus de Platealonga, Balduinus, & Antonius de Auria, & isti quatuor cum duobus de placitis, scilicet Ingone, & Ansaldo Pizo fuerunt ad conducendum hostem. Oglerius de Guidone, & Guilielmus Picamilius cum Oberto Cancellario, & Ugone Judice de placitis pro regimine civitatis steterunt. Prædicti verò Consules post eorum electionem parlamentum statim fecerunt, in quo omnibus discordantibus pacem jurare fecerunt. Illico Sancto Spiritu superveniente, omnes qui guerram habebant in voluntate Consulum, & Archiepiscopi pacem firmaverunt, & ad invicem osculati fuerunt, unde mulieres & viri valde lætabantur, ita, ut stipendium exercitus Consules acciperent, unanimiter hortabantur. Consules verò, admonitione Dei audita, & Populi voluntate cognita, omnibus hominibus Januensis districtus sub debito sacramento præceperunt, ut unusquisque quæ essent necessaria festinanter haberet cibum multum competentem sinè penuria, arma multa & honesta, tentoria & vexilla pulcra & honesta valde, & omnia quæ ad tale opus sunt necessaria, uti castella & machinas, & omne opus instrumentorum capiendi civitatem. Postquam enim bellatores civitatis præcepta Consulum audiverunt, ita se de armis, tentoriis, & de omnibus necessariis oneraverunt, quòd à mille annis in sursum tam pulchra & honesta, & tanta in una hoste visa nec audita fuerunt. Postquam verò, ut diximus, omnia parata fuerunt, taliter ire incœperunt cum galêis LXIII. & cum aliis navibus CLXIII. & sic omnia parata & iter incœptum intra quinque menses fuit. Et postquam ad Portum-Magnum venerunt, Balduinus Consul inde cum galêis XV. ivit pro guardia in antea ad Almeriam, donec exercitus insimul veniret. Et postquam vênit ad Caput Catæ Januenses non invenientes Imperatorem per mensem ibi steterunt cum timore magno, quoniam extra portum erant, & miserunt Legatum Odonem de Bonovillano ad Imperatorem, qui erat apud Bagentiam, & dederat licentiam recedendi exercitui suo, & non habebat secum ultra quadringentos milites, & pedites mille. Et quum audivit quòd stolus Januensis venerat, fuit mœstus de hoc, quòd licentiam militibus dederat, & venire dixit, sed moram fecit. Interim verò Saraceni Almeriæ lætantes, & sæpe extra civitatem exeuntes pro bello incitando cum galêis XV. Tunc Balduinus Consul, qui cum galêis erat in guardia, mandavit ad socios, scilicet Oberto de Turri, & Philippo, & Antonio de Auria, ut venirent ad bellum faciendum Almeriæ: quod non placuit sociis, donec milites haberent. Iterum Comes Barchinonensis cum tanto navigio vênit, quòd duxit secum milites cum equitibus quinquaginta tribus. Illico mandaverunt Balduino, ut ipse summo mane cum galêis veniret ad Muschetam, ostendendo quòd vellet facere bellum ad hoc, ut Saraceni extra exirent, quia Comes cum militibus summo mane erit ad flumen per terram, & galeæ quindecim post Lenam, & galêa una stabit in capite Lenæ. Et postquam Saraceni exiverunt extra ad bellandum, illico galêa faciet signum militibus & galêis XXV., & ita factum est. Saraceni postquam viderunt quindecim galêarum homines terram ascendentes, & quasi bellum facere volentes, timuerunt ne aliquid clam lateret. Ideo miserunt duos milites unum album & alium nigrum, qui tumulum quemdam ascendentes, & circa prospicientes, & non videntes milites, qui latebant, fecerunt signum cum vexillis, ut Saraceni de civitate exirent, & ad bellum venirent.

Statim mille quadraginta armati extra venerunt, & cum hominibus quindecim galêarum bellum incœperunt. Sic Januenses galêas ascendentes, octo de suis interfecti fuerunt. Interim Ansaldus de Auria Consul cum galêa una de guardia fecit signum quamvis non tempestivè. Galeæ verò vigintiquinque, & milites unà motum fecerunt, & istæ galeæ invenientes alias recolligentes steterunt secum, & infra hoc Consules Ubertus de Turri, & Philippus Auriæ, qui erant ad Caput Catæ, moti cum toto stolo, & isti Consules cum duodecim galêis in antea pergentes per mare, & milites per terram, & istæ duodecim galêæ transeuntes ad alias, quæ erant ad Muschetam, perrexerunt usque ad darsenam. Milites verò obviantes Saracenis, qui exibant de civitate, divino auxilio assistente, contra eos viriliter ire cœperunt; & Saraceni volventes terga præ timore galêarum contra civitatem fugere cœperunt. Milites verò sequuti fuerunt eos, inter quos quidam miles Januensis Guilielmus Pellis nomine, qui ibi erat, & sinè licentia Comitis ceteris citiùs præcurrit, & prima fronte Saracenorum unum priùs lanceâ interfecit, postea verò sicut leo inter bestias corpora jugulo scindens, sic ipse capita Saracenorum ense truncando in litore Almeriæ, multos ultra centum interfecit. Et statim prædicti Consules cum ho-

hominibus de una galêa terram crebrò contra Saracenos descenderunt, & homines qui erant in galêis de Muscheta, terram descendentes, insimul cum militibus Saracenos ultra quinque millia interfecerunt, & juxta litus mortuos dimiserunt; & galêæ quæ in mari erant bellum recuperantes, Saracenos in mari fugientes interfecerunt; & ibi Garbino facto, Consules præceperunt, ut homines cum galêis & milites irent ad portum Lenæ, & sic fecerunt, & tentoria in terra posuerunt; & ibi facto parlamento, reddiderunt gratias Deo de tanta victoria data. Et facto consilio placuit Consulibus, ut galêæ in plagia Almeriæ traherentur. Et facto hoc, machinas, scilicet & castella & gattas, ordinare præceperunt, & hoc incipiendo Saraceni extra exierunt usque prope galêas, & sic per tres vices facientes, victi & pars eorum interfecti in civitatem fugerunt, & factis manganis, & castellis, & gattis, infra hoc Imperator vênit cum militibus quadringentis & peditibus mille. Et statim duximus castellum & machinas juxta civitatem ad bellicosa loca & competentia. Saraceni verò victi per multas vices impetum facientes die noctuque, cum igne & armis contra castella nostra repugnantes. Januenses autem inde soliciti contra Saracenos bellando, & multos de iis interficiendo, semper eos in civitatem repellendo introducebant. Castra verò Januensium duas turres ceperunt, & decem & octo passus muri destruxerunt. Interea Saraceni de hoc valde territi consilium clam ceperunt cum Legatis Imperatoris, scilicet cum Comite de Orcegi, & cum Garsia Rege, & debebant eis dare milliaria marabotinorum centum, & auri exinde dederant; & propter hoc Imperator debebat inde recedere, & Januenses relinquere. Consules Januensium, hoc audito, consilium fecerunt, ut citò sinè mora, Deo auxiliante, alio die summo mane sunt consiliati facere bellum, introëundi civitatem. Mane veniente in Vigilia S. Lucæ festinanter parlamentum fecerunt, & ordinaverunt compagnias XII. cum vexillis XII. & in unaquaque compagnia mille viri armati erant. Et Consules præceperunt, qualiter incedere debebant. Et Consules per multas vices ad Imperatorem, & ad Comitem Barchinonæ perrexerunt, deprecando eos, ut suos homines armare præciperent, & ad bellum venirent pro capienda civitate. Imperator hoc audito vix vênit, & compagnias Januensium in campo armatas invênit; Consules namque præceperant bellatoribus; ut quum sonitum tubarum audirent, sinè vociferatione cum silentio civitatem prœliando intrarent. Et sic fecerunt, & milites sequuti sunt eos. Parvo tempore infra tres horas diei, Deo auxiliante & favente, cum ensibus Januensibus Saracenorum sanguine multo effuso, civitas tota capta est usque ad Subdam; & illa die de Saracenis viginti millia interfecti fuerunt, & ab una parte civitatis, scilicet dirupta, decem millia fuerunt, & in Subdam viginti millia; & inter mulieres & pueros decem millia Januam adduxerunt. Saraceni verò infra quatuor dies Subdam & personas reddiderunt, & marabotinorum triginta millia dederunt, ut personas evaderent. Consules quidem de pecunia capta pro communi utilitate valens sexaginta millia marabotinorum tenuerunt, & solverunt debitum pro Communi. Erat scilicet valens librarum milliaria decem & septem. Aliam verò pecuniam per galêas, & alias naves dividere fecerunt, & civitatem in guardia Ottonis de Bonvillano cum mille viris dimiserunt, &, parlamento facto, præceperunt, ut omnes cum galêis & navibus ad civitatem recederent. Et ita factum est, & cum gloria & triumpho incolumes usque in Barchinonam devenerunt, ibique galêas & naves in terram posuerunt, & Consulatum novum fecerunt. Et duo de Consulibus Obertus de Turri, & Antonius de Auria cum licentia & voluntate sociorum cum duabus galêis Januam venerunt, & de pecunia, quam duxerant, debitum Communis solverunt, & novum Consulatum Januæ fecerunt.

Quoniam quæ gesta fuerunt in captione Almeriæ, per præsentem scripturam sensu Caffari ad memoriam futurorum narrantur, illud idem, nempe victoriæ Tortuosæ, ne futuris temporibus oblivioni tradatur, uti veritas postulat, Caffarus de Taschifellone (33) ad præsens narrare conatur. Veritas quidem ita est. Januenses namque postquam ab Almeria recesserunt, Barchinonam cum toto exercitu venerunt, galêas & naves extraxerunt in terra, & quamvis à mulieribus & filiis & domibus eorum absentes per annum stetissent, ibi tamen per hyemem pro honore Dei, & civitatis Januensis moram fecerunt, ut inde veniente æstate cum omnibus rebus necessariis ad capiendam civitatem Tortuosæ securiùs ire possent. Ideoque lignamina de castellis & machinis de nemoribus longè & à civitate extraxerunt, & omnia necessaria in eodem loco in tempore æstatis parata habuerunt, & ad augendum numerum bellatorum ad Januam nuncios, ut viri cum navibus & armis festinanter venirent, sinè mora miserunt. Postquam verò omnia parata fuerunt, in festivitate S. Petri contra Tortuosam ire cœperunt, & die Kalend. Julii flumen Tortuosæ cum toto exercitu intraverunt, & quum longè à civitate per milliaria duo appropinquassent, cum Comite & militibus parlamentum fecerunt, & ibi elegerunt viros, qui vexilla Januensium deferre debebant; & statim cum Comite & una parte militum ad prævidendum civitatis loca, ubi & quomodo viros bellatores ponerent, unanimiter perrexerunt. Et postquam loca civitatis viderunt, tale illico consilium infra se habuerunt, ut medietas bellatorum Januensium cum parte militum Comitis ad subtanam partem civitatis juxta flumen staret, alia verò pars desuper ad montana loca nomine Bagner cum Comite, & Guilielmo Montispesulani tentoria posuerunt. Anglici namque unà cum Militibus Templi, & multis aliis alienigenis desuper versùs Romelinum juxta flumen steterunt. Interim verò pars una virorum bellatorum Januensium sinè consilio Consulum, & ceterorum, ad civitatem causa bellandi armata manu perrexit. Ideoque Januenses hoc fecerunt, ut Saracenos quomodo valerent in armis cognoscerent. Statim autem Saraceni cum Januensibus bellum usque ad tertiam horam fecerunt, de quibus ex utraque parte quamplures mortui & vulnerati fuerunt. Consules verò Januenses, suorum bellatorum audaciâ cognitâ, parlamentum statim fecerunt, ibique omnibus eorum adstrictis sub debito sacramenti præce-pe-

(33) Alter Cod. MS. de Chaschifelone.

perunt, ut nemo finè communi consilio & licentia Consulum deinceps ad bellum iret. Iterum quidem præceperunt, ut castella & machina citò complerentur, & juxta civitatem deducerentur: & factum est ita. Postquam verò castella duo juxta murum civitatis posita fuerunt, illico Januenses viri audacissimi & bellatores Dei, muros frangere cœperunt, & castella in civitatem cum bello posuerunt, & unum de castellis per civitatem ducendo domos & turres omnes usque Muschetam destruxerunt. Alterum verò castellum prope Suetam ducendo, intra paucos dies turres quadraginta captas & fractas fortissimè bellando habuerunt. Saraceni autem, postquam cognoverunt quòd extra Suetam cum Januensibus bella tenere non poterant, omnes Suetam intraverunt, & eam fortiter bellando cum armis & machinis defendere cœperunt. Januenses verò quum cognovissent, quòd cum prædictis duobus castellis ex illo latere civitatis Suetam capere non possent, aliud tale consilium habuerunt, ut desuper versùs Bagneram fossatum, quod inter Bagneram & Suetam erat, de lignamine, petris, & terra finè mora implerent, cujus fossati latitudo cubitorum octogintaquatuor, altitudo cubitorum sexagintaquatuor. At quia gravissimum & incertum tale opus incipere pluribus de exercitu esse videbatur, indeque inter plures de exercitu utrum inciperetur, nec ne, dubitatio orta est, Consules tamdem omni dubitatione remota fossatum implere, & castellum novum facere præceperunt. Præcepto namque audito, omnes tam milites, quàm pedones, divites, & pauperes ad laborem fossati onerati quotidie veniebant, atque unanimiter laborabant. Postquam enim duæ partes fossati plenæ fuerunt, Januenses illico in summitate fossati castellum & machinam cum viris bellatoribus interim stantibus numero CCC. posuerunt. Saraceni autem quum castellum appropinquare viderunt, statim petras ducentarum librarum ponderis ejiciendo, angulum unum castelli ad præsens fregerunt; quod Januenses citò emendaverunt, atque retia chordarum juxta parietes castelli tanta posuerunt, quòd ictus petrarum Saracenorum nullo modo timuerunt. Interim verò donec Januenses ad bellum cum Saracenis stabant, tunc milites Barchinonensis Comitis & exercitum & Comitem cum viginti militibus tantùm carentes stipendio reliquerunt. Januenses verò viri audacissimi, atque præteritæ Almeriæ victoriæ memores, facto parlamento juraverunt, quòd à Tortuosa non recederent, donec eam captam & victam haberent; & sic die ac nocte bella cum Saracenis fortiora, quàm soliti essent, tenendo, & muros Suetæ, & Palatii, & domos cum petris manganorum frangendo, Saraceni statim mortis timore territi, nuntios reddendi civitatem Consulibus Januæ, & Comiti Barchinonensi miserunt. Inducias tamen quadraginta dierum petendo sub tali quidem conditione, quòd mitterent Legatos ad Hispanorum Regem, & ad omnes Hispanos, ut venirent ad faciendum bellum cum Januensibus; & si bellando possent expellere Januenses, tunc victores haberent civitatem; & si non venirent ad prædictum terminum, promiserunt dare civitatem Januensibus; & de hoc dederant centum Saracenos de melioribus obstaticos in potestate Januensium. Postquam verò terminus quadraginta dierum, completus fuit, & Hispani in auxilio Tortuosæ non venerunt, illico Saraceni de civitate, uti promiserant, exiverunt, & vexilla Januensium & Comitis in subta (34) posuerunt, & se reddiderunt. Et hoc factum fuit de mense Decembris in hebdomada ferialium Nativitatis Domini in Vigilia S. Sylvestri (35). Et hoc toto completo Januenses (36) postea cum triumpho duarum civitatum, scilicet Almeriæ & Tortuosæ, referendo gratias Deo, cum toto exercitu Januam redierunt (37).

Tempore consecrationis Domini Ayraldi Episcopi currebant Anni MXCIX., & postea in Episcopatu per Annos XVII., & quando mortuus fuit, currebant Anni Domini MCXVI. Et hoc fuit in Vigilia S. Bartholomæi in tertio anno Consulatus Lamberti Guerci (38) & sociorum. Scilicet post tempus electionis vixit per annos XIX. in Januensi civitate. Item post mortem Domini Ayraldi Episcopus Otto introivit, & vixit per III. annos, & per alios III. annos stetit civitas finè Episcopo; & quando intravit, erant Anni Domini MCXVII. & quando mortuus fuit MCXX. Item Episcopus Sigifredus vixit in Episcopatu per annos VI., & quando intravit, currebant Anni Domini MCXXIII., & quando mortuus fuit MCXXX. & civitas stetit absque Episcopo annum unum. Et Archiepiscopus Syrus quando intravit, fuit de Anno MCXXXII. & quando Pallium & Crucem suscepit in Archiepiscopatu MCXXXIII.

(34) Alter Cod. MS. Iuda.
(35) Alter Cod. MS. Silvestri MCXLVIII.
(36) Alter Cod. MS. tertiam, & Comes duas, & postea.
(37) Alter Cod. MS. redierunt, quoniam venerunt Anno MCXLIX.
(38) Alter Cod. MS. Puczi.

OBER-

OBERTI CANCELLARII ANNALES GENUENSES

AB ANNO MCLXIV.

LIBER SECUNDUS.

Quoniam ne prædicta Scriptura incassum, vel sinè utilitate à pluribus facta esse credatur, ideo eorum quæ scripta fuerunt, ut multæ magnæque utilitatis sunt, ad præsens veritas cognoscatur; multa namque utilitas & magna est, præsentia & præterita scribere, maximè autem à res videntibus & cognoscentibus, quia si non scriberentur, futuris temporibus oblivioni traderentur; Caffarus enim quæ in præsenti pagina scripta sunt, sicut vidit, & per alios verissimè cognovit, ita scribere fecit. Quum verò objiciendo aliquis dicat, quomodo potest credi, ut ita sit sola Caffari narratione, de Annis Incarnationis Domini sequentibus:

„ Gestarum rerum, quas quondam Janua gessit,
„ Ingenti studio quo (1) Cancellarius ille
„ Communis causas attendens utilitatis
„ Edidit Obertus, Liber incipit inspiciendus,
„ Et profecturus præsentibus atque futuris.

Quum civitatem nostram, & cives evidenter deceat singulis annis acta Consulum in scriptis redigere, & maximè quæ summi decoris noscuntur, principium hujusce, ut nihil sit prorsus omissum, quod continere videatur honestum: Licèt tam in re privata quàm publica me satis cognoscatis implicitum, ne facta vestra quodammodo videantur decrescere, vestrisque utilitatibus, ut fertis, deceat omnino prodesse. Et ne tamen videar Rempublicam minùs diligere, quàm quondam dilexerim, & respuendo arbitrer aliqualiter minoratus ob id, quia Caffarus in merito fuit elatus, ideo tanti laboris onus nolui effugere. Prænominatus Caffarus quidem vir fuit vita, moribusque honestè compositus, satisve abundè claro nomine plenus, qui superioris Libri paginâ rerum vetustarum formam ad nostram notitiam ex obscuro patienter edidit. Consideravit quippe, sæpiùsque consuluit secum, multo fore utilius, ut gesta ab antiquioribus sui laboris studio elucescerent, quæ alicujus incuria aut solo silentio à nostri opinione transirent, qui & eis tam ætate, quàm scientia maturus, dum circa hæc attentiùs vigilaret, ut Deus statuit, anno ejusdem ætatis LXXXVI. sanæ mentis occubuit, ante cujus transitum per triennium tanti laboris cura eum ultra quemlibet de Civibus ulla non tetigit, quo scribendi copiam, vel temporis saltem horam, ut arbitror, habere potuisset propter nimiam tempestatem, quæ præsenti Consulatu crescente (2) vel uberante pravorum nequitia civitatem nostram invasit, sicut Lector poteris veridica assertione per sex continuos annos scripto sequenti cognoscere, & cuncta per seriem adstantibus auribus intimare. Consules interim Ansaldus Sarius, Ingo Tornellus, Otto de Caffaro, Rogerius de Marabotto, Nicolaus Roza Reipublicæ curam gerentes, utilitatem profuturam animadvertentes, incœptum tamquam laudabile opus ad finem perducendum inspecta ratione sanxerunt. Amore igitur preceque instanti mihi Oberto Cancellario supplicarunt, quòd sicut quondam Rempublicam auxerunt, ita in hoc opusculo augendo attentiùs insudare, & commodiùs dictando componerem, quod prætaxatus Caffarus casu impediente non poterat, omniaque stilo competenti sub brevitate notare, eodemque volumine pari forma continuatis, quidque quanto tempore actum sit, vel possit agnosci, aperta ratione describens; nam reliqua majori stilo dicenda sunt, quæ nec non tam prætermitto quàm ad majorem dictandi commoditatem reservo.

Anno MCLXIV. existentibus sex Consulibus in Republica Lanfranco Alberico, Marchione de Volta, Corso Sigismundi, Rubaldo Bisaccia, Baldizone Usufmari, Picamilio; in quatuor verò compagniis versùs civitatem in Caussis Bonovassallo de Castro, Anselmo Guercio, (3) Guilielmo de Cavaronco, Anselmo de Caffara. In aliis quatuor, Consulibus Pasquale de Marino, Sigismundo Muscula, Guilielmo Sardena, Oberto Recalcato. Præfati Consules principio sui Consulatus castra honestè viris prudentibus in custodia tradiderunt, officia civitatis, aliaque Consulatui pertinentia bono ordine statuentes; quorum duo infra quindecim dies, videlicet Balditio Ususmaris, & Corsus Sigismundi cum Bonovassallo Antiochiæ, & Guilielmo filio Jordani ad Imperatorem Fridericum iverunt, volentes scire, utrum Imperator vellet, aut ad quem terminum facere exercitum, quem civitas nostra super Guilielmum Regem Siciliæ invita & coacta facere promiserat. Ipsis abeuntibus, invenerunt Imperatorem Fridericum quarto die ante Quadragesimam ad civitatem Fanii, qui summo mane fuerunt ante Imperatorem dicentes: *Domine Imperator, nos sumus ante vestram præsentiam scire cupientes, si vobis placet facere exercitum, quem juravimus, an non. Nam de majori parte, quam exercitui convenerat cognoscere, parati sumus, & volumus inde voluntatem vestram cognoscere; quia tenetur civitas nostra infra annum, postquam nobis jussistis, expeditionem implere.* Quibus Imperator ait: *Lætatus sum in his, quæ dicta*

(1) Alter Cod. MS. quas.
(2) Alter Cod. MS. crassante.
(3) Alter Cod. MS. Porco.

sta sunt mihi de vobis, unde vobis & terræ vestræ multas & debitas grates refero. De hoc tamen, quod dicitis, videtis me absque Principibus & Baronibus Curiæ & Theutonicis & Lombardis, & de tam magna causa non possum nec debeo vobis dare responsum absque præsentia illorum. Revertamur igitur simul Parmam, & illic erimus circa mediam Quadragesimam, & omnis Curia debet illic esse; & propter hoc, & multas alias causas habebimus illic consilium cum illis, & dabimus vobis responsum secundùm honorem Imperii & vestri. Simul inde recedentibus, nostri advenerunt pariter civitatem Parmæ dicentes: *Domine Imperator date nobis, si placet, responsum facti, de quo vobiscum sermonem habuimus.* Quibus habito consilio Imperator ait: *Ego non possum vobis hinc respondere, sed ante venturum proximum Pascha ero in partibus Portus Veneris ad Sarzanam nomine. Et volo & jubeo vobis, ut major pars vestrorum Sapientum ante meam Curiam veniat, & dabo vobis rationem, pro ut etiam visum fuerit ad proficuum communis utilitatis.*

Interea Philippus de Justa, & Bonusvassallus Bufferius venerunt illuc ante Imperatorem cum quodam Episcopo S. Juliæ, nomine Hugone, quem duxerant secum ex Sardinia Misso Judicis Alboreæ, qui venerat pro concordia inter illum Judicem, & Imperatorem, hoc modo, ut Imperator daret ei totam Sardiniam, & esset solus Rex, & teneret Insulam Sardiniæ pro eo, & daret Imperatori quatuor millia marcharum argenti. Quo audito, Imperator fecit vocari prænominatos, factâ concordiâ, nostros Consules, dicens illis: *Placet mihi, & Curiæ meæ. Volo enim dare Judici Barisoni Arboreæ Regnum Sardiniæ, & ibi mandare Missos meos, videlicet Comitem Gavarum, Opizonem Malaspinam, Obertum de Olevel, Burgunzum de S. Nazario. Papienses ducant illum in Januam, & de Janua vadant in Sardiniam vestro auxilio.* Ante autem quàm Consules nostri rationem Imperatori fecissent, dixit Imperator Pisanis, qui præsentes erant, nomine Pisano Consuli Raynerio fratri Marzucchi, & Lamberto majori, & filio Botarii, & duobus Judicibus, alter quorum vocabatur Bulcharmus: *Vobis Pisanis dico, intelligite vocem vestri Imperatoris, qui semper fuistis fideles Imperii. Deprecor Universitatem vestram, ut Judicem Arboreæ Baresonum ex Sardinia in Curiam meam ducatis, quia vobis expedit. Concordatus quippe sum cum illo ad honorem & exaltationem Imperii.* Cui Consules Pisanorum responderunt: *Domine Imperator, quidquid prænominatus Judex facit, contra nostrum velle facit; & Vos, si placet, hoc contra honorem urbis nostræ facere intenditis.* Quibus auditis, Imperator vocavit Baldizonem Consulem, & socios ejus, dicens illis eumdem sermonem, quem Pisanis dixerat, & interrogavit eos coram Pisanis, si hæc facere possent contra voluntatem Pisanorum. Responderunt: *Possumus, & pro nostro decore faciemus, velle, aut nolle ipsorum.* Nam talem responsionem ideo fecerunt, quoniam Pisani in Curia publicè dixerant: *Januenses nullo modo portabunt Judicem in Sardiniam contra nostrum.* Inter hæc Consul, & qui cum eo erant, dixerunt Imperatori: *Quod auxilium vultis, Domine Imperator, ut Missis vestris præstemus?* Imperator respondit: *Placet mihi, ut Missi mei in civitate Januæ Ligna præparent, attamen meis expensis, cum galeis tamen vestris, & hominibus Januensibus.* Cui dixerunt: *Placet nobis, & faciemus sicut vultis.*

Venerunt Missi Imperatoris, & invenerunt galêas armatas, quas Missi, & Vassalli Judicis armaverant, & iverunt prænominati Missi Sardiniam, & inde duxerunt secum Judicem Baresonem ex Arborea. Et quum galeæ redirent Festo Apostolorum Petri & Pauli, & essent prope urbem nostram, Consules civitatis cum quibusdam Sapientibus viris exiverunt obviam Missis Imperatoris; & præfato Judici, cogitantes illos honestè suscipere, & cum multitudine gentis secum usque ad suum hospitium ire. Qui quum in terram descendere deberent, pravorum juvenum occasione inchoatum est durissimum prœlium inter Fulconem de Castro, qui ad litus venerat pro Marchione de Malaspina, & Rolandum Advocatum, qui venerat pro Judice, & inter amicos eorum. Eo diutiùs durante, Arcatores ferierunt Balduinum filium Henrici Guercii, & Gandulphum Usufmaris; & Sardus filius Advocati percussus lapide, omnesque isti interfecti fuerunt, multique alii ea die hinc inde vulnerati. Et propter hæc Respublica graviter turbata fuit, & civilia bella tempore illius Consulatus reparata sunt. At post paucos dies Imperator Fridericus mandavit, ut Judex ad eum iret, & Consules civitatis nostræ secum. Quo audito, Consules nimiùm turbati, inviti ad Imperatorem iverunt, videlicet Lanfrancus Albericus, & Picamilius, & secum Guilielmus Auriæ, & Jonathas de Campo, & Bigottus, & Guido Laudensis Judices, pluresque alios secum ducentes. Et quum fuerunt Papiæ, Imperator honestè suscepit eos cum multitudine militum; & post paucos dies Consules fecerunt Coronam, quæ facta fuerat Januæ, imponere capiti Regis, & hoc in Vigilia Sancti Syri Papiensis cum multis decoribus. Et hoc fuit prima die Lunæ mensis Augusti. Et Imperator honore præfati Judicis eo die Coronam accepit, & quum coronatus fuerat, ibi Consul Pisanorum cum ceteris Pisanis, qui cum eo venerant, dicentes Imperatori: *Domine Imperator, salvo honore vestro non debuissetis facere quæ fecisti, sinè nostro consilio. Datis enim isti nostro rustico, & nostro homini Coronam & Regnum; & certè non est persona, cui tanta dignitas conveniat. Injustè enim, si placet, facitis, quia Sardinia nostra est, & ipsum Regem facitis de alieno.* Quibus nostri Consules responderunt palàm in plena Curia: *Illud, Domine Imperator, quod Pisani dicunt, falsissimum est, & mentiuntur, quia nec homo, nec rusticus illorum est, imò nobilissimus. Nam Pisanorum major pars Vassalli sunt istius, & singulis annis in sua terra pro rebus sibi necessariis vadunt, & vix vivere possunt sinè fructu & utilitate terræ hujus Regis. Et quatenus dixerunt Sardiniam suam esse, aperto ore mentiuntur, quia non suam, imò nostram firmando & probando dicimus; Quoniam verum est, quòd ab antiquo armis & vi subjugavimus illam, & in Judicato Calarensi fuerunt parentes, & antecessores nostri cum exercitu, & subjugaverunt illud Judicatum, & Regem nomine Muzaitum ceperunt, & omnia sua, duxeruntque eum in civitatem nostram tamquam captum hostem. Et Consules Episcopum, qui tunc Januæ erat, mandaverunt*

runt ad Imperatorem Almeriæ (4) *ducentem secum prædictum Regem Muzaitum, ut Princeps Romanus cognosceret Regnum istius Regis esse nuper additum & adjunctum ditioni & potestati Romani Imperii per fideles & homines suos Januenses.*

Et quum lis pro his verbis cresceret inter eos, respondit Imperator Pisanis: *Non cognosco Terram illam, scilicet Insulam Sardiniæ vestram esse; nec Regem existimo vestrum hominem esse; & quod dono ei, & Regem inde constituo, illud consilio meæ Curiæ facio, & jus Imperii omnino esse puto.* Quo facto Pisani tacentes, & os suum ultra non aperientes erubuerunt, & irati recesserunt à Curia. Quod verbum Consuli nostro, & eis, qui secum erant, placuit. Et Imperator jussit Consulem & suos ante se accedere; & fuit coram Imperatore cum sociis suis, & habitâ licentiâ Januam latenter redierunt. Interim Imperator mandavit Consuli Baldizoni, & Regi, & sociis Consulis, ut irent ad Curiam; & quum fuerunt ibi, dixit Imperator Regi: *Quidquid Missi mei tibi promiserunt, ego puto illud tibi esse omnino adimplendum* (5). *Et si aliquid minus est, volo libenter adimplere ordinatione Consulis Januæ. Dic ergo, si verum est, quod tibi dico?* Cui Rex respondit: *Domine Imperator, gratiâ Dei, & Vestri, & Dominorum Januensium omne mihi completum est, sicut Legati vestri mihi promiserunt, excepto privilegio Regni.* Statim Imperator mandavit Notario, jussitque continuò privilegium scribi & sigillari: Iterum dixit Imperator: *Omnia tibi adimpleta sunt; oportet modò, ut impleas mihi, Rex, quatuor millia marchas argenti à te proinde promissas.* Cui Rex ait: *Verum est, quòd promisi tibi ista, sed non habeo, Domine Imperator, ad manus, nisi primùm vadam in Sardiniam, & ibi solvam vobis.* Imperator respondit: *Ego sum super equum, & habeo pedes in ductu* (6) *ejus. Tantum valet quod tu dicis, quantum diceres, nolo vobis aliquid dare. Qui enim lucratur Regnum, & Coronam accipit in capite suo, plus debet offerre, quàm quod promiserat, & nequaquam minus; & quidquid dicis, credo quod promissum, & multo ampliùs obtulisti pro Curialibus offerendis. Et ideo convenit, non ut verbis, sed facto insistamus.* Ait Rex: *Domine Imperator, si dubitatis non esse verum illud, quod vobis dico, ostendam vobis veritatem. Date ergo mihi, si placet, terminum, quousque possim redire ex Sardinia, & promissa ultra persolvam libenter.* Cui Imperator: *Ne dicas mihi talia, neque coneris mihi aliud facere credere, quàm ego exstimo. Habes enim in terra firma, unde mihi potest fieri solutio, & non habebis pro certo mecum de cetero verbum, nisi solùm de facienda præsenti solutione.* Cui Rex: *Verè non est mihi solvendi heic possibilitas; sed vadam ad hospitium, & habebo consilium cum isto Consule, & aliis amicis meis, etiam Vassallis meis Papiæ,* quos illic eo tempore fecerat. Cui Imperator respondit: *Fiat.*

Ivit Rex, & non potuit cum omnibus illis habere consilium. Tamdem vênit ad domum Consulis, & dixit: *Domine Consul, ego sum quasi in carcere positus, & non possum inde exire nisi consilio vestro, & auxilio Nobilium terræ vestræ.* Cui Consul: *Ego non possum hic vobis consulere, quum sim solus, sed doleo de mæstitia vestra. Ego enim vestro decore mandabo Januam Consulibus sociis meis, quorum de consilio faciam vobis responsionem, quam potero.* Quo dicto mandavit Consulibus, & habito consilio rescripserunt Baldizoni, & sociis suis: *Subvenite Regi Barisoni super omnibus sibi necessariis, & facite ei omnem honorem, qui multum convenit, & decens est terræ nostræ. Nam si hoc feceritis, & vobis* (7) *& posteris nostris perpetua laus & gloria fuerit.* Habitis literis à Baldizone, respondit Regi: *Subveniemus vobis libenter in rebus à vobis desideratis.* Qui lacrymando gratias egit Deo, & Consuli, & iverunt ad Imperatorem. Quibus visis dixit Imperator: *Quidquid mihi dicturi estis, dicite Falsogradui, & Comiti Gravano* (8), *& Episcopo Ligiæ, & Archiepiscopo Moguntino.* Et statim ivit Rex cum Consule Januæ ad eos, dicens: *Vos scitis, quòd Rex debet Imperatori quatuor millia marchas argenti, quas ego Baldizonus Consul vice Communis Januæ promitto vobis solvere prædictum debitum usque ad proximum diem Nativitatis Domini.* Qui dixit: *Non, sed solùm usque cras. Quòd si non solvetis, in veritate sciatis, quòd Imperator ducet Regem secum in Alemanniam.* Quo audito, post multas ambages juravit Consul Baldizonus prædictarum marcharum quatuor millia usque ad expletum trigesimum secundum diem facere solutionem præfatam. Et Rex Sardiniæ Baldizoni nomine promisit facere in Januam tantam securitatem, quanta videbatur sufficiens Consulibus Januæ. Et habitâ licentiâ ab Imperatore, Rex Barisonus, & Consul Januæ cum sociis suis, & cum supradictis Missis Imperatoris Januam venerunt, facta securitate à Consulibus de solvenda pecunia, quam prædictus Rex fecerat. Commune autem intra triduum intravit ad faciendam pro Rege solutionem prædictarum marcharum, quam juraverant facere intra dies triginta duos.

Expleta solutione in prædictum terminum, dixerunt Consules Regi Barisoni: *Rex, honorem vestrum nostra civitas fideliter gessit, sicut cognoscitis. Decet vos, ut solvatis nobis in pace omnia supradicta, quæ ob decorem vestrum Imperatoris Missis solvimus, & dignam à vobis vicem amoris habeamus.* Respondit Rex: *Domini & Patres mei, Ego vester sum & perpetuo ero. Ego in civitate ista Januæ non possum vobis facere solutionem, quam dicitis; quia si haberem, unde reddere possem, utique non mutuatus fuissem à vobis ea, quæ Imperatori pro me solvistis. Sed desiderio cupio vobis adimplere in Sardinia, ubi omnia mea sunt, & vobis complebo ibi omne desiderium vestrum.* Et quum cognoverunt Consules, quòd aliud esse non posset, inviti & dolentes consenserunt verbis Regis. Quoniam Commune Januæ omnia, quæ pro eo solverat sub usura mutuaverat, & quæ publica erant, videlicet castra sua civibus suis intuitu Regis pignori supposuerant. At post hæc quum præfatus Rex diu in civitate nostra alacriter equitaret, & moraretur, quamplures Vassallos de melioribus civitatis sibi sub fidelitatis juramento constituit; & quum ab illis, & ab omni Populo

(4) Alter Cod. MS. Alemanniæ.
(5) Alter Cod. MS. adimpletum.
(6) Alter Cod. MS. streiris.
(7) Alter Cod. MS. nobis.
(8) Alter Cod. MS. Gravaro.

pulo Januensi indifferenter honoraretur & diligenter, convocavit Consules, & Consilium civitatis, humiliter grates debitas omnibus agendo de honore sibi honestis modis impenso; & infra hæc verba ostendit sibi valde adhuc esse necessarias libras MCC. pro galêis armandis, & navibus præparandis, & solidatis militibus, & Arcatoribus præstandis, hæc verba inserendo: *Quanto enim, Viri potentes, altiùs & fortiùs in Sardiniam ascendero, tanto ampliùs decoribus vestris, qui me de Insula adduxistis, decentius & honorabilius erit, & vestræ gloriæ hoc totum applicabitur.* Audientibus ista Consulibus, de superiori debito pernimium gravati, & graviùs de secundo dolentes, Regemque veritatem dixisse cognoscentes, denuo eas libras MCC. mutuaverunt, quas Rex cum aliis libris, quas ex Civibus civitatis vigintiquatuor (9) millia mutuaverat, in prædicta apparatione expendit. Armavit quidem septem galêas, & tres naves majores, quibus milites, & Arcatores, & omnia paramenta istorum portabantur. Quibus armatis bene paratis, dixit Rex Consulibus: *Domini, Patres, & Rectores mei, vos duxistis me honorificè de Insula Sardiniæ, & in Lombardiam apud Imperatorem vestro ducatu adivi, & pro vobis factus sum Rex, & auxiliis & laboribus vestris ab Imperatore Friderico coronatus; & non possum dicere quot & quanta mihi sola probitate vestra, & non mea, exhibuistis. Ego enim, antequam mare intremus, volo vobis & civitati isti facere & dicere, quòd tota terra mea in Insula Sardiniæ, ex qua in Curia Imperatoris sum palàm investitus, sit vestra & posterorum vestrorum. Et ego, meique heredes pro tantis decoribus mihi factis vestri de cetero sumus, & nos ad invicem multo ampliùs debeamus amare.* Quæ Consulibus placuerunt. Et lætus Rex sponte fecit Chartam de Sardinia, & de omnibus negotiationibus ejusdem Insulæ Communi Januæ, sicut in Registro nostro manu publici Notarii continetur.

His omnibus amicabiliter factis, & in sceptro positis, post paucos dies advenerunt quidam Pisani in Januam, quasi Dominum suum desiderio videre cupientes; loquuti sunt secreto cum Rege, & Hugone nequissimo Episcopo S. Juliæ, qui secum de Sardinia descenderat, quomodo, vel qua insidia, vel quo malitioso studio Januenses, qui cum Rege erant ituri, decipi & fraudari possent, & in illo itinere capi, & Rex hac turpi machinatione à tanti debiti solutione posset liberari. Quod utique Consules in Janua nesciverunt, sed post paucos dies eo recedente aperta ratione verum esse cognoverunt. Namque in prædictis galêis septem ivit Consul Picamilius cum quibusdam sapientibus viris habentibus multas preces à sociis & sapientibus civitatis, ut vigilarent in custodia ipsius Regis, ut in terram nullo modo eumdem Regem ponerent, animadvertentes ne fraudem aliquam vel deceptionem eis posset calliditate Pisanorum moliri (10). Recedentibus illis ex hac civitate, advenerunt Arboream Regi sinè longa mora dicentes: *Domine Rex, multos videmus venisse lætantes de adventu tuo. Jube ergo, ut citò solutio veniat, quoniam non est bonum nobis hic morari & pro hyeme & pro temporis incommoditate.* Vocavit ipse Rex quosdam, & consilium cum illis fecit, & abeuntibus illis, dixit Rex Consuli, & sociis: *Ecce videtis, quia mandavi, & citius quàm speratis vestram habebitis solutionem.* Quibus redeuntibus, dixerunt. *Domine Rex, Bajuli vestri, & etiam Uxor non dimisit nos ascendere castrum, neque solutionem facient, donec primò vestram personam viderint.* Quibus auditis Rex ait: *Non æstimo, quòd possimus habere solutionem debiti vestri, nisi illuc ivero. Vos videtis.* Consul autem diutiùs in his verbis morans, timens valde de loquutionibus, quas Sardi & Pisani omni die cum Rege habebant, & quum vianda incipiebat deficere, rogaverunt Regem, ut victum deferre faceret, ut possent leviùs & commodiùs expectare integri debiti solutionem, alioquin redirent, & de cetero eos verbis fallacibus non detineret. Quibus Rex: *libenter faciam.* Et quum paulatim de die in diem, ut ita dicamus venire faceret galêas Pisanorum, sicut Rex contulerat (11) Januæ unà cum Pisanis, jam venerant turrim, & Marzuchus Pisanus Missus eorum jam ad Regem pro eis venerat. Prævidentes Januenses calliditatem illius, & Pisanorum, & hyems erat, victualia deficiebant, vocaverunt suos, qui in terram descenderant, & illis accedentibus statim apparuerunt insidiæ, quæ infra terram in nemoribus latebant. Et sic galêæ nostræ timentes, ne galêæ Pisanorum supra se venirent, Januam redierunt cum Rege, & incolumes ad civitatem redeuntes, Regem in custodia quorumdam nobilium reliquerunt, quibus certam mercedem annuam Januæ dare tenebantur, eo utique quòd apertiùs cognoverant fraudem, & nequitiam, quam Pisani contra Januenses tractaverant. Nam Corsus Sigismundi Consul ipso Consulatu ad Imperatorem Constantinopolitanum Legatus missus fuit in galêa bene & honestè armata, & cum ipso duo Legati, videlicet Antonius Mallonus, & Nicolaus de Rodulpho, quæ legatio facta fuit mandato Imperatoris, qui mandaverat se civitati nostræ facturum, sicut prima conventio fuerat inter ipsum, & civitatem Januæ. Nam præfatus Consul & Legati, licèt Imperator eos honestè reciperet, parum tamen profuit prætaxata legatio.

Hæc omnia in Consulatu isto facta fuerunt. Mense autem Novembri (12) inauditum scelus, & mira audacia contigit, videlicet quòd Marchio de Volta, qui tunc temporis Consulatum regebat, vir utique laudabilis & honestæ vitæ, à quibusdam vilissimis personis & pauperibus fuit tempore vindemiarum occisus in Villa, in qua tamquam Vir Consularis stabat securus, non existimans aliquem sibi insultum facere debere. Nam si dubitasset infortunium per aliquem sibi contingere debuisse, vigilasset utique tamquam tutus & prudens, quòd nemo manus illicitas in eum ponere potuisset. Hic cum omnibus Januensibus æquo jure egit, ad nullam insolentiam elatus fuit. Quo malo ordine interfecto, civile bellum, quod prorsus nostra urbe videbatur sopitum, adeò graviter fixum, & ortum est inter Cives, quòd propter illum errorem, &, ut ita dicatur, communem mœrorem usque ad sextum Consulatum suis negotiis civitas Januæ debilis meritò extitit, & imbecillis. Præ-

(9) Alter Cod. MS. viginti novem.
(10) Alter Cod. MS. contingere.
(11) Alter Cod. MS. consulerat.
(12) Alter Cod. MS. Septembris.

Præfati quidem Consules, qui tot & in tantis intus & extra contrariis vexabantur, parlamentum, ne Cives ad bellum consurgerent, dubitantes incipere Consulatum, more solito noluerunt advocare. Dominus autem Hugo noster Archiepiscopus, qui prædicta tempestate non fuerat vacuus, super istam civitatem, ut bonus Pastor solicitus, ordine Clericatus per eum citato, os suum aperiens universam cohortem alliciens, dubios per Campanam in concione appellavit, qui fretus Dei auxilio Consulatum intrantis anni suo ordinavit arbitrio. Nam in tempore istorum Consulum, quum plebs nostra graviter esset turbata, Archipresbyter Plecaniæ cum suis Parochianis advenerunt Januam, conquerentibus de hominibus Marchionis Malaspinæ, & hominibus de Meledo, precando (13), ut plebejis Plecaniæ misericordiam præstarent, & ne vellent illud destrui, quoniam nisi civitatis consilio freti fuerint, magis de loci destructione, quàm salute sperabant; injungentes quòd super podium, in quo nemo exterus partem habebat cum alio Commune, posset castrum ædificari, cujus fortitudine à suis inimicis possent commodiùs se tueri. Et insuper omni tempore custodiam castri, & merita Soldariorum de propriis præstarent, sicut in Registri scripto continetur. Et licèt Respublica diversis, & inextimatis modis vexabatur, tamen ipso Consulatu ædificatum fuit podium illud, nomen cui fuit impositum *Mons Leo*.

Superiùs dictum est de his, quæ Consules Rempublicam gerentes suo tempore gesserunt. Nunc de his, quæ Consulatui eorum pertinent, breviter exponemus: etenim prætaxati Consules, in Causis Communis omne æquum & justum amantes, per totum suum Consulatum justitiam esurientibus amicabiliter suppleverunt. Fuerat quondam tempus, quòd Consulatus aliquando biennio, aliquando triennio, aliquando quadriennio durabat. Demum nostro Senatui placuit, qui semper Rempublicam augere studuit, ne Consulatus officium longius quàm per annum haberent, ne per diuturnitatem potestatis insolentiores redderentur, sed civiles semper essent, qui se post annum scirent esse privatos.

Igitur Anno MCLXV. existentibus in Republica quatuor Consulibus, Simone Auriæ, Ottobono de Albericis, Guilielmo Cicala, Amico Grillo, in Causis verò Oberto Malocello (14), Pagano de Volta, Henrico Judice, Henrico Mallono; in aliis quatuor compagniis Guilielmo Busserio, Philippo Bonifacii, Johanne Judice, Oberto de Domoculta; qui Consules Reipublicæ curam gerentes, consuluerunt secum vicissim dicentes: *Discernamus qualiter Respublica perire non possit. Tanta est enim dissensio Civium, & bellum etiam plusquam civile adeò peccatis nostris accensum, quòd nisi Dominus suum nobis præparabit auxilium, Consulatus noster quasi æger & sinè fructu jacebit. Faciamus ergo hinc inde treugam jurare, quòd quisque ad S. Laurentium inermis & securus veniat, ac per urbem civiliùs & commodiùs semper incedat, & sic Rempublicam semper tractabimus æquam*. Quo facto præfati Consules domos & turres Ingonis de Volta, & Amiconis, quas in umbilico civitatis obtinebant, & quæ liti, discordiæque satis præstabant fomentum, acceperunt. Ipsis factis securioribus, post paucos dies ab introitu sui Consulatus præparaverant galêas VIII., quas missuri erant Sardiniam pro succurrendis galêis, quas præcedentes Consules pro Rege Arboreæ in Sardiniam miserunt; quibus armatis Rex Sardiniæ nomine Baresonus rediit cum Picamilio Consule ex Sardinia, referens nova, quòd Pisani infra treugam ceperant navem nostram ad Asinariam, quæ de Septa venerat, & passa naufragium ibi fuerat, & Januenses cum rebus Pisas secum portaverant. Pro qua causa mandaverunt Consules Lanfrancum Albericum, & Philippum de Justa Legatos ad Imperatorem, conquerentes de treuga, quam Pisani fregerant. Imperator continuò mandavit Conradum suum Capellanum Pisis pro confirmanda treuga, & Januensium pecunia recuperanda. Illis euntibus Pisas, & diu morantibus, Ottobonus Consul cum Philippo Lamberti in quadam galêa ad Portum Veneris iverunt, scire volentes, quid ad Pisas ille faceret; qui redeuntes invenerunt illum Capellanum ad Sigestrum à Pisis redeuntem, & quum cognoscerent eum nihil fecisse, dixerunt: *Ibimus & nos Pisas, ut rem aptiùs cognoscamus, & guerram, si oportuerit æquiùs incipere, possimus*. Quibus auditis, statim Capellanus dimisit Pisanos, cum quibus venerat, & rediit cum Consule ad Portum Veneris. Et inde Consul mandavit Capellanum denuo Pisas, qui cum eodem Consule Pisanorum, & cum octo sapientibus viris infra paucos dies reversus est; & habentes simul colloquium in Insula ad S. Johannem, ait Consul noster: *Domine Capellane; vos obtinetis modò locum Imperatoris. Petimus ergo à vobis, ut jubeatis Pisanis, ut reddant nobis pecuniam infra treugam ablatam*, cui Capellanus ait: *Verè infra treugam pecunia Januensibus capta, volo & jubeo ex parte Imperatoris, ut restituatur*. At Pisani dixerunt. *Nolite ita festinanter dare sententiam, quia plures res sunt, quas oportet inter nos & ipsos definire*; quibus Januenses responderunt: *Non debemus jure de aliis dare responsum, nisi priùs malo ordine ablatæ solvantur*. Ad hæc Capellanus dixit Januensibus: *Nostis quæ judicavi vice Imperatoris, ut res illas primò recuperetis. Convenit ergo respondeatis Pisanis; objiciunt enim Pisani dicentes: Vos Januenses injustè petitis totam pecuniam navis. Qui passi fuerant naufragium, præstantibus nobis illis auxilium, promiserunt nobis proinde medietatem rerum, quam dicimus nos justè habere posse*. Ad hæc Consul Ottobonus respondit: *Date nobis primò medietatem, de qua confessi estis, & ex altera postmodum respondebimus*. Ad quem Pisanus malitiosè respondit. *Licèt videatur justum, quod vos dicitis, tamen non possumus vobis hanc medietatem dare, nec de alia justitia complere, nisi priùs ad urbem nostram redeamus. Placet mihi* (ait Capellanus) *ut consulti quàm citò veniatis*; quia infra novem dies redierunt omnes dicentes: *Libenter vobis reddemus medietatem, & ex altera justitiam complebimus*. Quibus Consul Januæ ait: *bono omine solvite quæ dicitis*. Pisanus ad hæc dixit: *Non sic dabimus, nisi primò definiatur omne contrarium, quod est inter nos & vos*. Quibus respondit Januæ Consul: *Nimiâ superbiâ dicitis. Solvite primùm quod de jure debetis. Postea determinetur omne, quod ab utrisque fovetur in iustum*. Au-

(13) Alter Cod. MS. merciprecando.

(14) Alter Cod. MS. Maloaucello.

Audiente hoc Misso imperatoris, affirmavit Consulem nostrum æquiùs dixisse; & respondit Consul Pisanus, dicens: *Vos Januenses injustè & contra bonos mores tenetis Judicem Arboreæ captivum*. Cui Ottobonus Consul: *Falsum est quod dicitis. Nam quod Regi Arboreæ facimus, jussu Imperatoris Friderici, & precibus illius Judicis actum est. Quia quæ à nobis mutuò sumsit, promisit Imperatori implere, & implendo sibi & posteris suis grandem decorem acquisivit. Non ergo illum injustè, imò jure tenemus, maximè quum jussu Imperatoris procedat, & redditis tamen rebus mutuò acceptis, continuò Regis dimissio & liberatio fiat*. Respondit Pisanorum Consul, sub fraude & calliditate causam in aliam formam intendens mutare. *Quum Januæ civitas Regem Barisonum nostrum Vassallum vi teneat, qua ratione nescio tibi Consul navis pecuniam debeam restituere*. Ad hæc Consul Januæ: *Quum non sis Dominus, ergo nec ille Vassallus. At si constaret, illam pecuniam, quam mutuam accepit, jure deberi, solve tu, aut ille, vel heres. Redde jam nunc purè, quod tibi petimus jure, quia non Deus hoc inultum diu patietur multum*. *Postquam mihi talia opponis* (ait Pisanus) *oportet nos ire Pisas, si præsens Missus Imperatoris concesserit, ut consulti dignam vobis responsionem portemus, vel adducamus*. Et abeuntibus infra septem dies redierunt, dicentes: *Illud, quod Judex Arboreæ obiicere vobis potuit, ego Dominus ejus objicere possum. Piper, & bombacium, aliasque merces ei mutuò dedistis, & ex quibus duplum vel triplum dare tenetur, quod siquidem inspecta ratione non debet*. Cui Consul Januæ: *Tædet nos tot & tanta verba inutilia simul habere. At si verum est quod dicis, verbis tuis acquiescimus, ut reliquum Civibus Januæ, & quod Communi debetur, solvatur, & Regem continuò dimittemus abire*. Dixit primus Pisanorum: *Bene dicitis; sed oportet primò Regem ipsum alloquamur*. Cui Januenses responderunt: *Quoniam nos & Regem & Imperatorem sæpiùs verbis fallacibus decepistis, amodo non loquetur Rex ille vobiscum, nisi primò firmabitis pactum de pecunia solvenda, ut supra dictum est; quo facto fiat vestra & Regis millies loquutio*. Quibus pars Pisanorum dixit: *Pro vero loquimur vobis, nec hoc quæremus facere, nisi cum Pisanis primò consilium ineamus*. Et illis consultis, & Pisis redeuntibus sub nimia mendositate responderunt: *Nos dicimus civitatem Pisanam honestam & legalem esse prænimium, nec umquam falsum, aut inhonestum amavit. Scimus vos dixisse verba justitiam continentia, quibus tale fecimus responsum. Libenter solvere volumus omne illud creditum Regis ex quo chartam publicam cognoscemus*. Quibus pars nostra ait: *Lætamur quòd consultè loquimini, & non est putandum, quòd de cetero affirmationem vestram debeatis mutare. Veniat liber, & statim cognoscetur rerum effectus*. Continuò quidam ex Pisanis responsum emisit: *Tractemus pariter utilitatem nostram, & cognoscamus qualiter ambæ civitates amore possint diu de cetero quiescere. Mihi quidem videtur, ut Consulatus utraque civitate eligatur, qui justitiam Civibus hinc inde faciat, & quod factum est, intra treugam reddere jubeat*. Quod equidem utrisque placuit, dicentes: *Veniat liber, ut juremus*. At quum Pisanus Consul super librum manum positurus erat, pedibus stans ex adverso quidam socius ejus clamavit dicens: *Noli jurare. Audias à me priùs aliquid*. Et recedente Consule, reversus est, occasionem opponens malignam: *Ego volo scire quantitatem rerum creditarum, priusquam jurem*. Cui pars Januæ ait: *Pro nihilo dicitis, nam occasionem quæritis, qua possitis ab hoc facto discedere absque rubore. Nonne supra paulò ante posuistis, gens adversa, quòd solutionem facere velitis ex eo videlicet, ex quo chartam publicam cognoveritis? Quid ergo ad rem pertinet, Viri mendaces*, (15) *rerum quantitatem cognoscere? Si bona fide geritis causam istam, dehinc ne deberetis dilatare?* Cui Pisanus Consul: *Nos non facimus hoc causá dilatandi; sed aliter non potest esse, nisi veritatem crediti cognoscamus*. Post multa verba ait: *Existimo esse summam circa viginti octo millium librarum*. Cui ille respondit: *Non enim posset civitas Pisana tanta solvere. Vassalli autem Regis hoc jurabunt solvere, & Rex statim dimittatur*.

Tunc Consul noster risu loquutus est Misso Imperatoris: *Domine, bene nostis, & videtis stabilitatem nostram, quia nos non mutamus verba. Istos videtis vagiloquentes, & de uno ad aliud sinè mora transeunt*. Ad quos Pisani clamantes dixerunt: *Grave nimis esset, quòd Pisana civitas tanta pro Rege solveret. Nos quippe concordiam diligimus, sed hoc pactum contrahi non potest. Hæc vera conventio, quam vobis exponemus, ut arbitramur, esse poterit. Jurent Vassalli Regis solvere credita illius, & Commune Pisæ dabit sex mille libras, quas de suo non habet*. Ad quos responsio facta fuit hoc modo: *Super Commune vestrum vix credimus hoc creditum solvendum; multo minùs autem viginti* (16) *octomillia Vassallis fidem præstaremus. Sciatis, quòd nullo modo hoc faciemus. Securiores enim sumus in persona Regis, quàm in Vassallorum fide*. Ad quos responsio talis fuit: *Solvat primò Commune Pisarum prædicta sex millia librarum, & de residuo teneatur juramento illud idem Commune, donec Judex vobis fecerit solutionem, & quòd Pisa non erit vobis in contrarium, donec de terra Judicis nostram ex integro solutionem abstrahatis, & ob hoc Rex liberetur*. Cui respondit: *Verba oris tui tot & tanta sunt, & ultra quàm sit honestum mutata & variata, quia vix possumus percipere ad quam radicem manus ponere debeamus. Vade ergo, & consulta tecum, & cum sociis Consulatus venias, & da nobis electionem hanc, & forsan accipiemus*. Eo Pisas eunte rediit consultus, (17) dicens: *Placet mihi istud pactum firmare, si tu Consul Januæ firmabis*. Ad quæ Consul dixit: *Placet mihi: afferatur Liber*. Missus autem Imperatoris hoc audiens, ipsemet duxit Librum, dicens: *Laudo Deum, quoniam civitates discordes hodie velle Dei factæ sunt concordes. Convenit ergo, ut ultimus conventus sit in scripto redactus, Juret Consul Pisanus, quòd hæc omnia Commune Pisarum observabit Januensibus*. Quo audito recessit, & consultus cum his, qui secum fuerant, dixit: *Domine non possum hoc firmare, nisi priùs Pisas redibo*. Cui Missus Imperatoris ait: *Cognosco Vos, Pisani, fallacissima semper proferre. Estis quippe non pacis amatores, sed fraudis*.

(15) Alter Cod. MS. mendacia continentis.

(16) Alter Cod. MS. viginti Vassallis.

(17) Alter Cod. MS. Consulatus.

dis. Istud solùm dico vobis: Venite ad Curiam Imperatoris, & cognoscetur ibi malitia vestra; & qui plus obtulerit, plus valebit, & plus erit amicus Imperatoris. Quibus dictis ait Capellanus: *Ego vadam Pisas, & cognoscam ampliùs* (18) *voluntatem Pisanorum*; & injunxit: *Certè perjuri estis Pisani omnes. Expectate me, donec redibo à Pisis*.

A

Et ipso eunte, galêa Trepedecini Portum-Veneris intravit. Et Consul noster sperans de pace futura, lapidibus jactis, fugavit galêam illam usque Discum, & dixit Pisanis. *Doleo quòd galêa ista exivit nunc de portu isto*, (19) *& vadit in cursum; & si vobis placuerit faciam (bene enim possumus) capere illam Lignis minutis*. Ad quem Elemanus Pisanus dixit: *Domine Consul, Trepedecinus cognatus meus est: non credimus quòd gentem nostram offendat, etiam vobis jubente; & si vobis placet, ego faciam eum huc venire*. Cui Consul: *Volo, ut veniat*. Nam Trepedecinus respondit missis Pisanorum: *Stultos & folles teneo Pisanos, qui mandant mihi, ut vadam ad eos. Si verò meus Consul mandaret mihi, ut illuc irem, & sub fiduciam vadam tamquam patri, & domino*. Dixit noster Consul Pisanis: *Placet vobis ut mandem, aut vultis acquiescere, vel ut capiamus eum?* Responderunt: *Veniat*. Et statim vênit. Quibus Consul ait: *Vultis ut loquar solus cum eo? aut vultis vos ipsum alloqui?* Dixerunt: *Nos loquemur*. Ait Pisanus Trepedecino: *Quò vadis? & cur vadis?* Cui Trepedecinus: *Ego vado pro capiendis vestris, & vestrorum rebus & personis, & pro natis* (20) *obtruncandis vestratum, nisi cum Consule Januæ concordiam feceritis*. Ipsi improbraverunt ei: verba odibilia orta fuere. Dixit Consul noster: *Volo, Trepedecine, ut maneas nobiscum, quousque Capellanus redibit; quod si non feceris, à nostra fiducia te expello. Ultra ad Urbem Januam reditum non habebis*. Cui ait: *Ego habeo consilium cum meis, & manè dicam vobis, & ivit ad Discum*. Pisani dubitantes de verbis, quæ dixerat, descenderunt de Insula, & venerunt in Burgum Portus Veneris hospitari. Mane veniente galêa Trepedecini ibat, & visâ doluit Consul, cogitans, in cursum illam intraturam contra suam voluntatem, sed ivit ad Discum pro vino emendo. Et statim Consul ascendit Bucium, & ivit capite cooperto ad eam itinere præparatam; & viso Consule remigantes dixerunt. *Domine libenter faciemus, sicut nobis ordinaveritis* (21). Et convocatis Pisanis juravit Trepedecinus coram eis, quòd servaret & non offenderet discordatas. Infra hoc Pisani magna calliditate nocte Pisas mandarunt, *ut galêa Trepedecini inimicissimi nostri ibi erat, & securè non prævidebit se ab insidiis nostris, & sic leviter poterit capi, & erit hoc opprobrium Januensibus, & non evadet latro pessimus à manibus nostris*. Quarto die adveniente vênit galêa Pisanorum, & invênit galêam Trepedecini prope Ilicem ituram in cursum, quæ versùs Portum Veneris fugam cepit, timens, ne fortè insidiæ partibus illis ponerentur. Et quum galêa Trepedecini fuit prope Burgum, clamavit voce magna Trepedecinus dicens: *Domine, vos fecistis me jurare fidelitatem Pisanis, & ecce videtis galêam illorum, quæ me fugat tamquam hostem. Quid videbitis me facturum?* Cui Consul: *Vade in buccam Portus, & ego loquar interim cum Consule Pisanorum*. Fuere simul coram multis aliis bonis hominibus, dicens: *Quid vultis faciamus? Videtis galêam vestram, quæ venit manu armata contra meam. Ite, si placet, contra eam, & venite ad Insulam, vel ad Discum sicut amici, & emat* (22) *hic tamquam galêa nostra*. Et statim Consul Pisanus cum Bucio ascendit galêam, & posuit in capite elmum & juppum in dorso, veniens contra nostram. Videns Trepedecinus eam sic venientem, clamavit ad Consulem magna voce: *Domine Consul, ego volo, si placet, volvere proram illam, quæ verendum est, ne nos feriat, & esset nobis magnum dedecus*. Cui Consul: *Expecta paulisper, quia forsan ad Insulam ibit, sicut Pisano Consuli dixi*. Et quum cognovit illam supra hostiliter venturam, jussit Trepedecino, ut citò galêam volveret contra illam Pisanorum, *quia Deus hodie erit nobiscum*. Quo facto Consul noster Ottobonus cum Bucio stetit inter utrasque, & jussit ut galêa nostra, ut vulgò dicitur, retrosciaret: quod factum fuit. Quum Elemanus Pisanus vidit nostram retroire, clamavit voce Pisana: *Filii de male putte. Vos fugitis battaliam, nam isti sunt barbæ de Pisis*. Nostro Consule hoc audiente, quasi iratus ex verbis illius, dixit ad suos: *Remigate contra illam, & ferite eam, quia jus nostrum est, & illi fovent injustum, nos autem æquum; & Deus nobiscum erit hodie*. Omnibus armatis, & diu hostiliter in prœlio stantibus, Consule Pisano percipiente suos bellum diutiùs tenere non posse, ejecit se in mare, dicens alta voce: *Domine Ottobone, evadam personam meam*. Cui ait: *Tuâ hoc culpâ actum est; non enim respiciam tuis factis* (23). Continuò jussit, ut alter Bucius illum in castrum portaret. Elemanus videns periculum suorum clamavit: *Domine Januensium Consul fac, si placet, quæ honestus, & utilis Consul facturus esset in hujusmodi*. Cui Consul: *Quid vis, ut faciam? Dic. Ascende Domine galêam meam, & tuo auxilio forsan evadet*. Cui ait: *Venias & tu mecum*. Qui respondit: *Libenter*. Et ivit noster Consul, & ascendit galêam Pisanorum: Alemano recedente & fugiente ipsi de galêa Pisanorum clamabant: *Domine adjuva nos, quia perimus*. Quibus Consul: *Ne moriemini. De cetero vestra autem culpa contigit & superbia*. Ivit quà bellum tenebatur, & fecit unam ex galêis ab altera segregare. Interim Consul noster fuit mortaliter vulneratus sagittâ in brachio, & quum in medio galêæ esset, vetitans, ut nostri non ascenderent, ne fortè raubas portarent, statim quidam Pisanus armatus extraxit de capite suo elmum, & deposuit scutum, & ense suo retro Consulem nostrum gravi ictu in pede ferivit, & vulneratus cecidit. Quidam Januensis nequitiam illius Pisani inspiciens fecit impetum in eum, & ense caput illius abscidit; & nisi hoc evenisset Consul noster statim occisus foret. Captâ continuò Pisanorum galêâ, fuerunt ex Pisanis melioribus vulnerati trigintaduo crudeli vulnere, & Consul noster timens ne nostra gens acriori mente Pisanos occideret, jussit, ut Consul Pisanus cum ceteris vulneratis in castro

(18) Alter Cod. MS. apertiùs.
(19) Alter Cod. MS. nostro.
(20) Alter Cod. MS. nasis.
(21) Alter Cod. MS. ordinavitti.
(22) Alter Cod. MS. hyemet.
(23) Alter Cod. MS. fallaciis.

stro superiori portarentur; sed antequam ascenderent, vênit Consul Pisanorum cum iis, qui secum erant, ad Consulem nostrum mercedem quærentes, ne morti traderentur. Cui Consul ait: *Licèt tuâ culpâ & tuorum superbiâ contigit, tamen tu & alii, qui pro pace venerunt, pro me periculum non habebunt. Vade ad hospitium tuum cum omnibus vulneratis. Galéam verò tuam ad civitatem nostram reducemus.*

Redeuntibus illis Januam infra dies octo fama insonuit, quòd Pisani hostem præparaverant in Provinciam ituri. Nam in die S. Johannis Pisanus Consul Simonem Auriæ à fiducia Pisanæ civitatis expulit. Quinta die veniente, quædam nostra galêa cepit navem Pisanorum, in qua erat valens DCC. librarum. Duodecima die galêa Bonivassalli Ususmaris, & Guilielmi Piperis duos galeottos vulneratos cum mercatoribus XCII. Januam duxerunt valens librarum MCC. Interea Henrichettus de Carpena factus Pisanorum amicus tenebat rochettam, & castrum, quod est supra mare prope Vernaciam. Minabatur semper Januensibus nostris per partes illas ituris, & hoc agebat honore Pisanorum, & guerram faciebat pro posse suo nobis, & maximè hominibus Portus Veneris, quibus vicinior erat. Et dum Simon de Auria, vir utique prudens ad Portum Veneris missus fuerat pro supradictis verbis cum Pisanis tractaturus, cogitavit secum de proditione præfatæ rochettæ; & factis insidiis, nocte veniens ad Vernaciam ferè cum CCC. hominibus ascenderunt clam montem, & ante lucem fuerunt coram rochetta, & vi ceperunt, eamque igne combusserunt, & tres Dominos Vezzani & ejusdem loci captos Januam duxerunt. Nam eo tempore, quo nostri Consules verbis Pisanorum ad Portum Veneris detinebantur, præparaverunt Pisani galêas octo, quæ iverunt Provinciam. Nobis scientibus, armavimus galêas quatuordecim, quibus præfuit Amicus Grillus, quumque fuisset ad Gradus, audivit illos ad S. Ægidium ivisse, & intravit flumen, & quum fuisset prope Molendinos, Consules Arelatenses mandaverunt Amico Grillo Consuli, & sociis, si oporteret eos dubitare de adventu suo; & dixerunt missis: *nequaquam, quia vos amicos habemus.* Pisani verò quum hoc sciverunt, dimissâ Villâ Sancti Ægidii exierunt per aliam faucem, vel per aliud flumen, quod vocatur Capra. Et nostri illuc euntes fecerunt jurare quemdam Provincialem sibi vera dicturum de galêis Pisanorum, qui ait illas in Gradu illo non esse, neque in flumine. Invenerunt tamen ibi naves Pisanorum, & combusserunt illas igne, & inde iverunt similiter pro navibus accipiendis, & illas non invenerunt. Quo facto redierunt ad Gradum Montispessulani, & vento contrario intraverunt Gradum Capræ, & inde ascenderunt ad S. Ægidium. Et homines S. Ægidii quæque necessaria illis prohibuerunt; & redeuntibus illis data fuit Arelatensibus fiducia, quam postulaverant; & venientibus Januam tertia die ante S. Bartholomæum, Pisani cum hoste, quam diu præparaverant, videlicet galêis XXI. (24) ferierunt ad litus Albinganæ civitatis, in quibus ipsi Albinganenses fiduciam habebant; & non præcogitantes insidias, & malitiam (25) Pisanorum, tamen prœlio inchoato mane, Albinganensium majori parte absente, qui civitati remanserunt, non potuerunt ferre bella & pericula undique imminentia. Victi siquidem fuerunt, & vi capta civitas, quam igne combusserunt, & destruxerunt. Nam ex Pisanis multi ibi mortui fuerunt. Januensibus hoc scientibus doluerunt prænimium, quia illis altera die mandaverant literas, ut sibi caverent à Pisanis. Et valde irati armaverunt galêas XXXV. infra quatuor dies, fugantes eas, & quærentes ubi erant. Et quum sciverunt eas esse ad Gradus, & fuerunt ibi, habuerunt consilium ire supra eas ad S. Ægidium manu armata, ubi erant applicatæ. Quando fuerunt ab Arelate, omnes applicuerunt ibi, neque aliquem salutabant, sed vociferando ibant ad Pisanos, & erat hora prope vesperas. At quum fuerunt mediâ viâ inter furcas, & Sanctum Ægidium, galêæ nostræ in flumine sicco ferierunt nocte, & una super alteram currens, fuerunt nocte illa impediti remis & spatis, aliisque instrumentis fractis jacentibus super eos non potuerunt ire.

Mane autem veniente, Consules S. Ægidii advenerunt Consulem, & alios potentes viros, qui secum venerunt dicentes: *Domini Januenses merciprecamur, ne faciatis nobis injuriam, quoniam Pisani in nostra fiducia sunt, & illud idem de vobis dicemus illis, quod vobis de iis dicimus.* Quibus Consul Amicus dixit: *Super prudentia vestra, viri nobiles, vehementer admiror, quia paulò ante cum aliis galêis hìc fui, & ea quæ nobis fuerunt necessaria, tamquam inimici prohibuistis, & adhuc nobis contrarii estis. Si autem amici estis, ut dicitis, subvenite nobis in necessariis; non dono dicimus, sed saltem nostrâ pecuniâ panem à vobis emere possimus, sicut & vos facitis illis. Et promittimus vobis, quòd intuitu dilectionis vestræ stabimus longè remoti ab illis.* Cui responderunt: *Non esset nobis honestum subvenire inimicis mortalibus. Videtur utique quòd desideremus litem & malum inter vos & istos, quibus dedimus fiduciam tempore, quando de adventu vestro nesciebamus.* Quibus Consul Amicus Grillus dixit: *Si ista, quæ dico, non placent vobis, dimittite eos abire extra Gradus, & nos jurabimus vobis, quòd non offendemus, donec fuerint extra districtum vestrum, & longè à Gradu circa milliaria sex.* Cui dicentes Consules: *Non enim hoc faciemus, quoniam si contrarium illis contingeret, nobis gravissima infamia esset. Scitote, si eos velitis offendere, nos adjuvabimus eos contra vos quantum poterimus.* Quo audito, quia nundinæ erant (26) S. Ægidii, in quibus magnus Populus ex diversis partibus mundi convenerat, (tunc enim Potestates omnes contra nos pugnaturi erant) habuimus consilium, ut Raymundo Comiti S. Ægidii Legatos mandaremus. Mandavimus quidem ad eum Legatos Rubaldum Bisacciam, Guilielmum de Nigrono, Idonem Gontardum, & alios secum, scire volentes, si nobis essent auxilio, aut si contra sentirent. Et abeuntibus Legatis, invenerunt Comitem, salutantes illum, dicentes: *Domine Comes, civitas nostra antiquitus Genitorem vestrum & Vos & vestrates hactenus tamquam se ipsam dilexit, & pro honore vestro tamquam suo semper facere concupivit. Nunc verò missi sumus ante vestram præ-*

(24) Alter Cod. MS. XXXI.
(25) Alter Cod. MS. malivolentiam.
(26) Alter Cod. MS. addit: in feira.

præsentiam (27) *scire cupientes, utrum poterimus de tanta benevolentia vicem ad præsens habere, & vestrum auxilium in Pisanos sentire, qui civitatem Albinganæ in eorum fiducia stantem his diebus præteritis, absentibus illius civitatis militibus, igne combusserunt, minimè illorum calliditatem prævidentibus.* Quibus Raymundus Comes S. Ægidii respondit: *Verum est quod viri prudentes dicitis. Nam sicuti mei prædecessores urbem vestram & vos dilexerunt, tanto ampliùs amare & honorare desidero, quanto Deus civitatem vestram decoribus plenam plus solito ampliavit. Et ero vobiscum secundùm beneplacitum vestrum, & pugnabo contra illos, qui hoc itinere Deum, sicut fertis, despexerunt, si mihi & Curiæ meæ, ut conveniet, satisfeceritis.* His verbis pulchrè compromissis fuerunt statim mediatores, qui inter Januenses & Comitem prænominatum concordiam hoc modo inierunt. Commune Januæ, imò Amicus Grillus Consul, antequam inde recederet, debebat eis solvere marchas argenti MCCC. hoc pacto, quòd aut prorsus esset nobiscum, aut non defenderet illos, aut galêas Pisanorum absque personis illorum, Januensibus daret, aut dimitteret prœlium faciendum inter Januenses & Pisanos, neutri partium conferendo auxilium; & hoc modo Raymundus Comes juravit adimplere in loco, qui dicitur Bulgaire, coram Corso Sigismundi, aliisque Legatis, & Nobilibus Viris, qui illuc venerant (28). Et quum venisset propter hæc omnia supplenda, Abbas S. Ægidii, & Pisani cum quibusdam aliis viris sapientibus fuerunt obviam Comiti, multa eidem Comiti objicientes. Nostri autem bonam fidem gerentes, & de Comitis juramento facti securiores, prohibere colloquium noluerunt. Illis venientibus tamen ad tentoria nostra Comes applicuit, quem Consul & suos cum archiferis & balisteriis multis honestissimè suscepit, & ei obviam fuit, qui siquidem inter Januenses & Pisanos, attamen nobis propinquior, castrametatus fuit. Et quum multa ibidem amicabiliter componebantur (29), hinc tamdem ex parte Comiti dixerunt quidam: *Non oportet nos prolixa verba habere, ne diem de cetero deterere* (30) *videamur: Veniant autem Januenses, qui securitatem & jusjurandum faciant de solvendis constitutis & promissis marchis.* Quo dicto clamaverunt: *fiat: fiat.* Præsto quidem erant, sed propter nimium desiderium fides dubia erat, nec Comes, ut promiserat, supplet. Incœperunt jurare hi, videlicet quos Consul, vel Comes vocabat, & quum circa septuagintaquinque jurassent, Missis undique ad Comitem venientibus, & verba auribus immiscentibus, dubiores fuere Januenses, quoniam relatione audiverant, quia nihil erat, quod promiserat Januensibus Comes. Nam Abbas S. Ægidii, aliæque religiosæ personæ, sicut ferebatur & credebatur verum esse, sacramentum, quod Comes fecerat Januensibus, in animabus suis susceperant.

Eo namque die circa vesperas, separato Comite à Januensibus, inchoatum fuit prœlium inter Januenses & Pisanos; sed nocte superveniente utraque pars à bello se subtraxit.

(27) Alter Cod. MS. prudentiam.
(28) Alter Cod. MS. iverant.
(29) Alter Cod. MS. opponebantur.
(30) Alter Cod. MS. detinere.
(31) Alter Cod. MS. Castaliæ.

At quum Januenses pura intentione sperarent Comitem Raymundum intrare, nuntiatum est illis veridica assertione, quòd Comes, & Trencavel, & sui Ægidienses cum militum copia, quam locaverant Pisanis cariori pretio, si bellum inciperet, pro posse suo Pisanis auxilio subvenirent. Attamen habuerunt consilium Januenses, ne contra tantam virorum multitudinem, & maximè in eorum districtu prœlium inchoarent, scilicet biduo expectarent, utrum omnes simul insultum sibi quolibet modo moverent. Ipsis morantibus solverunt pacem militibus & bausengiis, quia Januensibus auxilium & consilium amicabiliter præstarent, quæ promissa fuerant illis, & ultra, & hoc fuit circa libras DCCC. Mane facto galêæ nostræ iter arripuerunt versùs Arelatem, & videntibus pontem illis diebus nuper factum, habens capita posita unum Arelati, alterum Terræ Cataliæ (31), super quem armati vicissitudine occurrebant, miratus est Consul, dicens: *Mandemus statim Missum nostrum Communitati* (32) *de Miaude, ut sciamus, si pons iste sit factus ad iter nobis prohibendum, an non. Quod utique si est contra nos ædificatus, defendat se si poterit Comes ad urbem.* Non enim poterat Missus verba sibi commissa explere, quando Comes prænominatus verba incœpit hoc modo: *Ite, nunciate Consuli Januensium, & prudentibus viris galéarum. Absens eram pro certo, quando pons iste factus fuit, & doleo, quòd Consul mihi mandat non ut amico, sed tamquam hosti. Nam sic patruus meus felicis memoriæ Comes Barcinonensis eos dilexit, & diligendo illos præ ceteris honoravit. Sic meo posse vice illius volo eis obsecundare in omnibus, & per omnia amicus, non hostis, existere. Ego ipse statim ascendam pontem, & destruam illum, & civitas Arelatis ad suum erit servitium, sicut Consul voluerit.* Et appropinquantibus ibi manserunt galêas ad Arelatem & Tencataliam (33) circa dies viginti gentes (34) Comitis, ut irent cum eis super Pisanos, & darent illi secundùm suum arbitrium. Quibus Comes ait: *Quum fiducia amoris constitutus sim cum Raymundo Comite S. Ægidii, non conveniet, ut supra terram suam irem offensurus.* Tamdem exiverunt de gradu fluminis, & applicuerunt ad Insulam Legonis, & ibi invenerunt Guilielmum Ventum cum duabus galêis, qui de Janua venerat, nova perferens, galêas Pisanorum non esse super eos venturas. Exultaverunt, verbis illis auditis, & facto consilio redierunt ad Arelatem, & quum non potuerint invenire modum, quo galêas Pisanorum comburere possent, fecerunt pactum cum Comite illo infra terminum in charta scriptum, galêam Pisanorum in suis terris non recipere, neque navem illorum per pelagus; & sic juravit Comes cum quibusdam, sicut Rodoano de Mauro placuit, qui missus fuerat ad conventum inter nos & Comitem terminandum. Et habuit ipse Comes Libras quatuormille (35) milgoriensium; quo facto remanserunt in Trencatalia dies sexdecim.

Et dum hæc gerebantur, Consules, qui Januæ remanserant, mandauerunt galêas tres ad turrim in Sardineam, & igne combusserunt do-

(32) Alter Cod. MS. Comitati; *fort.* Comiti.
(33) Alter Cod. MS. Trencataliam.
(34) Alter Cod. MS. rogantes Comitem, ut iret.
(35) Alter Cod. MS. CCCC.

domos, & turres, quas Pisani dudum magnis expensis pulchrè ædificaverant. Et omnibus ædificiis destructis coram Consule Pisano Guilielmo fratre Contolini, redierunt præfatæ galêæ feliciter Januam. Et eo ipso tempore Pisani mandaverunt galêas XX. ad Portum Veneris, & nihil ibi facere potuerunt. Denuo galêas XXV. mandaverunt ad Levantum, & Burgum igne combusserunt; quæ siquidem venientes ad Portum Veneris, & nihil ibi facere potuerunt. Et quum hoc vidissent, ascenderunt Insulam, & in ea commissum fuit prœlium inter nos, & ipsos. Expulsis illis, venerunt in partibus Fontis, qui est in portu maris, & vineas Burgensium devastantes, & remanserunt ibi mortui quidam ex eis. Et Henricus de Carpina tunc supra altiorem turrim similiter amore Pisanorum aliquantulum vineæ incîdit; quo sciente Moruello filio Opizonis Malaspinæ, & hominibus Vezani, qui nuper nobiscum juraverat (36), vênit ad Portumveneris in subsidium mira apparitione archiferorum præparatus: quo viso Pisani recesserunt. Nam Simon Auriæ Consul, & Philippus Lamberti, & Umbertus Cancellarius cum quibusdam aliis sapientibus, honestis modis negotia illius castri tractaverunt.

His peractis galêæ nostræ hyeme advenientе venerunt Massiliam galêis Pisanorum ibi exspectantibus, apparuit navis Pisanorum de Buzea rediens, quam ceperunt, habentem pecuniam valens Librarum MCCCC., & facto pane galêarum ascenderunt Insulam Pumachi, galêas præstolantes, quamdiu vianda affuit illis. Iterum redeuntibus Massiliam quum viandas denuo præpararent, ecce quidam Pisanorum amicus, Massiliensis vir, nomine Capodolæ, festinus cucurrit obviam Consuli, falsa pro veris nuncians, quòd navis Pisanorum ad Portum Aquilæ (37) nuper fuerat applicata. Quo audito galêæ XII. iter arripientes illam non invenerunt, & statim versùs Telonem tenderunt. Hoc cognito Consul cum galêis post illas properavit, & quum illæ redire non possent Januam, simul omnes cum gaudio intraverunt. At quum Pisani sciverunt nostras exisse de Portu Massiliæ, perterriti exiverunt gradum, & altum pelagus quæsiverunt, nam ventus rigidus nimis illis fuit contrarius, in tantum videlicet quòd galêæ ipsorum XIII. infra pelagus naufragium passæ fuerunt, & omnes simul absque sepultura mortui fuerunt, & qui evaserunt, Pisas redierunt dolentes ac mœsti. Nobis autem habentibus Consilium Pisas mandavimus, quia dolentes eramus de inaudito infortunio, & ne cogitarent nos proinde elatos esse in superbiam, si placeret eis, nos staremus ad conventionem factam ad Ilicem inter nos & ipsos, ad quæ nullum responsum fecerunt. Et nos statim galêas præparavimus, & quum cognovimus illos nullas præparasse, dimisimus & nos præordinare nostras. Ab hac hora in antea cogitaverunt Consules super exitum suum, & quo melius possent civilia bella, licèt non notata, in parte extinguere, & impedimenta, quæ creverant cuique Plebium, suo posse minuere. Supra determinatum est, secundùm quod potuimus de rebus gestis tempore Consulatus Communis. Nunc de his superest, quæ Consules causarum peregerunt. Nam inter nos varietates, quæ ortæ fuerunt per universum Archiepiscopatum nostrum, hi Consules in civitate ita cautè & sapienter omnia tractaverunt, quòd ante eos quilibet iratus, vel pacificus adeò se cavit, & custodivit, quòd lis prava vel minima controversia promoventibus Consulibus, Deo favente, incœpta non fuit. Et quidquid justitia dictavit, cuique amicè suppleverunt. Collecta fuit denariorum VI. per libram.

Anno MCLXVI. existentibus sex Consulibus in Republica Ansaldo Tanclei (38), Simone Auriæ (39), Idone Gontardo, Ottone de Caffaro, Nicolao Roza, Oberto Recalcato; in placitis in primis compagniis Guilielmo Galletta, Jonatha de Campo, Philippo Bonifacii, Paschali de Marino; in aliis verò Henrico Gontardo, Guilielmo Suzzopilo, Boccutio de Mari, Alberto Lercario. Principio hujus Consulatus, sicut ignis crescit combustio deficiente materia, & fit semper validior, ita in civitate nostra malum augebatur, & civilia bella acriùs exarserunt. Nam cor Civium ita erat intentum ad arma consurgere, quia hi, qui positi videbantur in otio, velociori pede miscebantur in prœlio. Raro enim quis Civium ita puræ voluntatis videbatur, quòd nullus sinè armatura aliqua per urbem incederet; nam mens quieta belli inspectione ita acuebatur in malo, quemadmodum ferrum acuitur ferro. Sæpiùs enim ferebatur, quòd quidam de pontentioribus tantæ perditioni fomentum præstabant, quorum animus in hoc demum exultabat, quando lites & guerram habentes divitiis efficerentur minores, quàm Respublica peritura eorum levaretur auxilio. Nam hæc mortalis Civium dissensio, qua eximii Viri quatuor Nobiles perierunt, Rubaldus Baraterius, Sigismundus filius Sigismundi, Jascellus, & Scottus, non utique diu durasset, si ad tantum dolorem mitigandum, & ad malignantium audaciam comprimendam prudentia nostra, pro ut debuerat, attentiùs sinè vitio vigilasset. Et quamvis undique tot & tanta intus & extra occurrerent adversa, tamen Consules utilitatibus nostris pro posse intendentes armaverunt quatuor galêas ad destruendos portus Provinciæ, ingressusque & regressus eorum portuum prohibendos; & quidem custodia earum Ottonis de Caffaro pervigili curæ tradita fuit. Quod à medio mense Martii usque ad mensem Septembris expletum, ita portus Provinciæ correxit, & portuum commoditates adstrinxit, quòd Lignum aliquod exire, nec intrare potuit, nisi primitus gratuitâ præfati Consulis licentiâ. Et quum omnia quæ illo itinere conveniebant, viriliter & honestè facta & pacta fuere, Januam feliciter rediere. Et quum sensus prædictorum Consulum ad diversa assiduè vehebatur, &

„ Pluribus intentus minor est ad singula sensus;

prædictum Consilium minimè visum fuit aliqua in parte Consulatus diminutum.

Nam Hubertus Recalcatus Consul cum tribus galêis Sardiniam adivit, ut Pisana civitas jam cognosceret, nos majorem partem Sardiniæ eis invitis possidere, & duo demum Judicata, Arborense videlicet, & Calarense, contra duritiem ipsorum quietè tenere. Fuit enim præfatus Consul Arboreæ; & factâ collectâ per liberos, & illorum voluntate & libero arbitrio, tra-

(36) Alter Cod. MS. juraverant.
(37) Alter Cod. MS. Aquiliæ.
(38) Alter Cod. MS. Tancleri.
(39) Alter Cod. MS. de Auria.

tradiderunt prænominato Consuli valens DCC. librarum, signum fidelitatis, & dilectionis constantiam exhibentes, quo quidem Judicato in pace dimisso, abiit statim ad Judicatum Calari, adventum cujus Judex nomine Petrus cum peditibus & militibus (40) Sardorum diu tamquam Patris & Domini desiderans, ipsum honestissimè suscepit hospitio secundùm morem Sardorum mirabiliter apparato (41). Et quum Consul jam dictus in Palatio Judicis feliciter moraretur, Judex nomine Petrus cum grandi parte majorum amicorum suorum coram Consule humiliter accessit, & palàm ante omnes in Curia adstantes Communi Januæ fidelitatem juraverunt, & Archiepiscopo Januensi tamquam bonus Vassallus bono & vero Domino; & tenuit Judicatum suum exhinc pro Communi Januæ. Et insuper daturum juravit publicè Communi infra quadriennium libras decemmillia, quibus resolutis alias libras centum, & Archiepiscopo Januæ libram argenti optimi unam. Ex tunc in antea Pisanos in suam terram non recipere juravit, nisi hoc fiet licentiâ Consulum Communis Januæ: quo facto tamquam vir prudens quoscumque Pisanos in suo Regno potuit invenire, expulit; & dimisso Judice, & Consule de his factis laudato, Januam rediit. Et quum Respublica tunc temporis satis erat in deteriori fama redacta, excogitaverunt Consules, qualiter posset ad pristinum statum revocari. Fecerunt quidem jurare utrumque pariter litigantium treugam post multum laborem. Sed pravorum audaciâ exuberante tempore ruptâ, civile bellum graviùs cœpit virescere. Attamen prætaxati Consules, ne Pisani prudentiores nostris discordiis efficerentur, ne pro guerris intus habitis Consules minùs honestè fecisse viderentur, auctis prudentiâ & audaciâ, denuo galêas octo armaverunt, quas pro subjuganda Sardinia, & prorsus Pisanis auferenda, & pro conservando honore paulò ante acquisito, ibi viriliter præparatas mandaverunt, quibus fuit ordinatus Dominus prænominatus Consul, qui inde redierat.

Hoc facto Pisani cognito, post nostras viginti septem (42) galêas mandavere, quæ nostras invenientes in Gulfodoro in fugam verterunt; & cursu velociores dimiserunt illas Pisanorum, tamquam Ligna aliquibus mercibus onerata. Quam rem nostri Consules cognoscentes, illico cœperunt armare galêas trigintaduas, timentes ne Pisani nostris galêis insidias forsitan opposuissent. Sed quum jam ferè essent ad promtum itineris, Obertus Recalcatus Consul, qui octo galêis fuerat dominus electus, dimissis Pisanis, ut supra expositum est, rediens à portu Pisano, combussit ibi naves; & tunc fama Januæ insonuit ex illis, & cum ingenti gaudio Januensi portui applicuerunt. At Pisani audientes nos has trigintiduas galêas præparasse, multò magis timuerunt, quàm timueramus de suis, quoniam certi jam multoties experti sunt nostras suis galêis esse cursu velociores. Mandaverunt quidem in nostra civitate, nos deviare cupientes, viros spirituales, Abbatem videlicet Insulæ Gorgonæ, & filium Merlonis de Lagnetto Eremitam (43), nomen cujus dedimus oblivioni, pro pace, humili voce & visu inclinato, qui Eremitanis indutus vestibus nostris fidem pacis præstaret. Quorum verbis diutiùs morantibus Consulibus, & guida galêarum trigintaduarum mota, ecce noster Consul de Sardinia rediit, & gavisus inde, & verbis concordiæ morantibus, spemque pacis habentes detinuerunt hostem, & rogatu Eremitarum Portum Veneris adiverunt, & post multas ambages nihil ibi fecerunt: Nam infra hoc tempus Pisani secretò, quoad potuerunt, duas galêas in Provinciam mandantes (44) & ceperunt tunc parvum Lignum Saonensium ex pelago venientem, aliaque Ligna minuta in maris profundo miserunt. Quo cognito armaverunt Januenses Consules galêas septem, quibus præfuit Ansaldus de Trenchoris (45) Consul, & fecerunt viam Insularum, qua (46) prædictis tribus galêis Pisanorum obviam essent, & levius impedimentum præstarent; & iverunt ad Insulam Caprariæ galêæ Pisanorum quinque, nostrisque ab illis longè visis abierunt in fugam, & velo noctis inde evaserunt; & quum nostri venissent ad Insulam Elbæ, & manè Pisanorum galêas quærentes, Pisani exeuntes de Plumbino, cum galêis septem fuerunt obviam nostris. Fuit prœlium inchoatum. Eo durante apparuerunt tria Ligna è terra venientia, quibus visis timuerunt nostrates; & duas de nostris galêis Pisani ea die obtinuerunt, eam videlicet de Campo, & Machagnanam.

At post paucos dies mandaverunt Pisani galêas quinque in Provinciam; eo cognito mandaverunt Januenses post illas de suis galêis sex, quibus Balduinus Guercius dominus fuerat constitutus; & quum non potuerint illas in Provincia invenire, iverunt Corsicam, & per alias Insulas inquirentes, pervenerunt ad Insulam Elbæ. Nam galêæ istæ armatæ per totam civitatem, & sicut odium erat infra urbem, sic in galêis. Et quum essent in prædicta Insula, lis odiumque assiduè inter eos vigebat. Interim galêa Portus Mauritii è pelago veniens (47) armata se nostris adjunxit; & moventes inde super Vadam venerunt. Continuò Pisanorum galêæ septem exierunt obviam nostris, & fuit durissimum prœlium incœptum inter eos. Nam galêa Balduini Guercii, & altera galêa Guilielmi, qui tunc Causarum Consul fuerat, viriliter prœliantes, & homines aliarum galêarum idem facere sperantes, quum major pars Pisanarum galêarum in fugam versa videbatur, dimissis odio & inimicitia Balduino Guercio, & Guilielmo Galetta Consule, galêæ illorum captæ & retentæ fuerunt à Pisanis. Maluerunt quidem socios ab hostibus capi, quàm suis auxiliis liberari. Nam propter hoc infortunium sæpissimè galêas armaverunt, sed (sic ut Dominus statuit) neminem Pisanorum potuerunt invenire.

Illo (48) tempore Guilielmus Montisferrati Marchio, qui antea non fuerat tantæ laudis, tantæque magnitudinis, eique (49) Dominus Fridericus Imperator sibi multos honores contulerat, & villas, terras, & castra ditioni & dominio ejus supposuerat, Januensibus damna & incommoda callidè & fraudulenter exquisivit.

(40) Alter Cod. MS. addit & multitudine &c.
(41) Alter Cod. MS. mirabili apparatu.
(42) Alter Cod. MS. XIII.
(43) Alter Cod. MS. Eremitam, & tertium.
(44) Alter Cod. MS. mandaverunt.
(45) Alter Cod. MS. Tanclerio.
(46) Alter Cod. MS. quando.
(47) Alter Cod. MS. incommodè armata.
(48) Alter Cod. MS. Proximo.
(49) Alter Cod. MS. *fort.* eo quod.

vit. Nam Januensibus ignorantibus, suo exercitu, & Guilielmus Sarracenus secum, & mater soror (50) prænominati Marchionis ad obsidendum castrum Palodii, quod tunc temporis à Januensibus tenebatur, venerunt, non obstante juramento Januensibus ab eodem Marchione antea facto. Nam hoc noto Consulibus properaverunt viriliter accursum ad Palodium faciendum; & quum Vultabium adiissent, hi, qui intus erant, Marchioni illi castrum reddiderunt. Interea Imperator, qui abierat, rediit in Lombardiam. Quo cognito Januenses Consules Legatos Imperatori mandaverunt, Lanfrancum Piperem, & Ottonem Bonum, conquerentes de nequitia & perjurio præfati Marchionis; & nullam justitiam in Curia Imperatoris habere potuerunt. Placuit tamen Imperatori, ut justum pretium ex castro Januenses acciperent, quod utique spreverunt, honorem civitatis minimè esse arbitrantes. Et dum pro hoc placito in Curia Imperatoris insisterent, Pisanorum Consules ad Curiam Imperatoris venerunt conquerentes & dicentes: *Domine Imperator, nos dedimus Archiepiscopo Moguntino libras tredecim millia pro Sardinia habenda nomine vestro & tenenda; pro quibus etiam juravit, quòd vos debetis imponere Januensibus sub fidelitate in plena Curia, ut de cetero non intromittant se de Insula Sardiniæ, quam dedit nobis, & investiti sumus vestra libera voluntate*. Quibus verbis præfatus Archiepiscopus Moguntinus respondit: *Verum est, Domine Imperator, quòd jussu vestro præcedente, sicuti Pisani testantur, ego investivi illos de Sardinia; & volo & deprecor Majestatem vestram, ut sicut ego feci, vos firmetis in plena Curia hoc, & dicatis Januensibus, qui sunt ante vestram præsentiam*. Ad hæc Imperator surrexit, & suis verbis, vel sua oratione præfatum Archiepiscopum valde honoravit, dicens Januensibus, *ut propter fidelitatem, quam mihi factam habetis, de Sardinia de cetero vos non intromittatis, & Pisanis illam quietè dimittatis*. Ad hæc Ubertus Spinula tamquam vir prudens & sapiens respondit: *Domine Imperator, securiùs potest quilibet ante vestram præsentiam loqui, videlicet qui justum & honestum fovet, & contra qui iniquum vel injustum contendit, timere & verecundari illum oportet. Tamen propter excellentiam Imperialem quia veritatem ante Curiam dicere intendo, ego palàm loquor, ut orator veridicus; & deprecor Majestatis vestræ clementiam, ut Principibus & Baronibus vestris jubeatis, ut me audiant. Civitatem meam, humilium sublevator, in vestram fidelem & legalem novistis, tempore, quo vobiscum convenimus, quòd promisistis nobis jurare, & voluistis, quòd cum Pisanis nullam concordiam faceretis sinè nostra licentia; & si aliquando in hoc consentiremus, vos non faceretis pacem cum eis, nisi primò darent Curiæ Imperiali libram unam auri, & multa quidem civitati nostræ, quæ ad jus vel ad honorem Pisanorum spectabant dare volebatis. Ipsa enim ob vestrum & suum decorem hæc eadem renuens, vicinos & amicos bene tractare cupiens, numquam aures (bene nostis) ad hæc inclinavit, sed suo jure contenta alienas rationes nullo modo habere voluit. Isti verò sunt falsi & Vassalli, qui semper nituntur, ut Curia vestra eos ditiores faciat, & potentiores in alienis, & ut Curia in hoc appetat inhonesta, alienæ, non sua dando Vassallis. Ego vice civitatis meæ publicè affirmo, quòd præceptum vestrum non est juris, æquitatis, vel ullius rationis; & non tenetur civitas Januensis tale observare præceptum vel mandatum. Nostra Sardinia est, & non Pisanorum; & vos jure non potestis nec debetis judicare, quoniam nos tenemus & possidemus, & in Curia vocati vel appellati non sumus, ut justitiam Pisanis vel nobis faciatis: Et quia sententia Imperialis semper vigorem juris debet obtinere, dicimus, quòd, salvo vestro honore, id quod dicitis, contra jus & contra honestatem Curiæ dictum est, & non tenemur illud observare, & nullo modo observabimus. Si autem Pisani de nobis conqueruntur, volumus libenter tamquam possessores coram vobis tamquam ante Dominum nostrum justitiam consequi & facere. Si enim pro hac non sententia, sed voce tantùm Imperatoris intromiserint, nos illorum nasos & oculos de capitibus ejiciemus, si in eadem Insula invenerimus illos, nisi primò à Curia palàm judicati, & condemnati fuerimus; quia Sardiniam habemus, & non dimittemus illam, nisi rationabiliter in Curia vestra judicati vel condemnati erimus. Quia in conventione, quam vobiscum fecimus, convenistis nobis, & privilegio Imperiali munimur, de omnibus his, quæ civitas nostra ultra mare, vel ex hac parte maris habet, vel possidet, non debetis nos inquietare, vel molestare, vel ullo modo minuere. Et ideo non credimus, quòd Curia vestra, nec vos, si placet, justitias nostras debeatis vel velitis injustè nobis auferre, quia Sardinia nostra est, & tamquam victores nomine nostro possidemus illam.*

Tunc surrexit Dominus Fridericus Imperator, capellum in sua manu tenens, & dicens: *Verum est quidquid Obertus Spinula dixit. Et ego dico omnibus vobis, & tota Curia intelligat, quòd non est mea intentio, nec volo, ut vos credatis me justitiam, vel possessionem Januensium Pisanis dedisse, vel confirmasse. Volo enim ut cognoscatur justitia utriusque civitatis. Volo enim, quòd jus suum ante me consequatur & æquitatis officium, & nequaquam injustum. Quidquid enim feci, voluntate Judicis vel Regis Arboreæ feci, in quo omne jus meum contuli, & non credebam diminuere Januensibus aliquid de illorum rationibus*. Quibus dictis Imperator sedit; & tunc Simon Auriæ dixit Archiepiscopo Moguntino; *Falsum consilium dedisti Domino Imperatori, & malè consuluisti illi*. Cui Archiepiscopus planè & honestè respondit: *Domine Simon: Vos estis homo Imperatoris, & quoniam illi consilium datis secundùm quod vobis videtur, bona fide facitis, & ego similiter secundùm meum sensum consulo*. Quo dicto Pisani Domino Archiepiscopo placere cupientes, alta voce dixerunt: *Super prudentia vestra, Domine Archipræsul, vehementer miramur, cur vel quare ita patienter fertis immoderatas & vanas voces Januensium, qui ineffrenatè contra vos, & contra honorem Imperatoris loquuntur. Affirmate, si placet, sententiam Imperatoris, quia rectè illud facere potestis, quoniam Sardinia nostra erat, primo & nunc rectiori jure dicimus nostram esse. Et non est honor Imperatoris & Curiæ ejus, quòd dona vestra sint per aliquem fraudata, cassata, vel vitiata*. Ad quos Imperator ait: *Cur ista dicitis Pisani nescio*. Cui responde-

(50) Alter Cod. MS. & soror.

derunt dicentes: *Januenses, maxime Romanorum Princeps, Sardiniam, quam nomine vestro tenemus & possidemus, dicimus eam malitiosè invasisse, & terram illam diripuisse, & insuper, quod gravius est, judicium fidelitatis suscepisse. Jubete ergo eis ante vestram præsentiam adstantibus, ut jam nunc acquiescant, & de cetero ex ea Insula non se intromittant.* Quibus Simon Auriæ, & Obertus Spinula palàm Pisanis dixit, & sinè mora non interrogati ab Imperatore responderunt: *Domine Imperator, qui semper resistere maluistis superbis, Imperium vestrum de vanis vocibus alicujus, & de his maximè, quos novit fovere injustum, hactenus curam non habuit, nec etiam aures linguæ malitiosæ inclinare consuevit. Non enim Sardiniam ratione vel titulo aliquo illorum esse dicimus. Imò falsissimum esse constat quod asserunt. Nostram fore Sardiniam in Curia vestra palàm affirmando probamus. Nam antiquitus nostra patria Calaritense Judicatum, quod tunc erat caput totius Sardiniæ, armis subjugavit, & Regem Sardiniæ Musaitum nomine civitati Januæ captum nostri adduxerunt, quem per Episcopum, qui tunc Januæ erat, Aulæ sacri Palatii in Alemanniam mandaverunt, intimantes Regnum illius nuper esse additum ditioni Romani Imperii. Etenim Gajetani & Neapolitani, & homines totius Principatus, qui hoc antiquitus novere, quum causâ negotiandi, aut salem reportandi in Sardiniam vadunt, & aliquod Lignum grande, vel parvum nostrorum hominum, aut sinè Ligno nostrate inveniunt, scutum piscibus (51) plenum, & duo vasa vitrea dicto nomine (52) piperis plena, & duo barilia meri, etiam non petentibus nostris offerunt, & quandoque ut (53) auferatur ab illis forsan contradixerint, loci Potestate non prohibente, sub cujus fiducia Insulæ Sardiniæ applicuisse videntur. Nam hoc factum, quod utique antiquitus facere consueverunt, novæ emptionis modum, sicut vos dicitis, à Domino Imperatore fecisse non demonstrat; neque nos novos emptores assignat, sed quasi vetustos dominos nos esse, & Insulæ illius possessionem tenere aperta ratione confirmat. Et insuper Judex, idest dominus loci, in Pasqua Resurrectionis singulis annis nostris paucis vel pluribus, qui illic pro tempore adsunt, caseum satis grandis ponderis, quem par boum publicè affert, eis hactenus consuevit offerre. Sufficiunt vobis ista Pisani? an alia ad ruborem vultis audire? Nam major Ecclesia nostra B. Laurentii Martyris ex tunc Casalem, & Curiam, liberos, & servos præsenti tempore possidet, utilitatem, & fructus ejus per colonos suos singulis annis perpendens. Non est ergo putandum, quòd civitas nostra, quæ antiquitus multis honoribus, & decoribus fulget, alicui debeat consentire, quòd in parte nostra, idest in medietate (& plus dicere possemus, quòd sæpiùs falsa, quàm vera firmatis) Pisani aliquod capiatis, vel aliquo jure habere debeatis.* Ad hæc Uguzonus Pisanus respondit: *Domine Imperator, videtis, quòd Januenses sententiam vestram, & dicta vestra vilipendunt. Facite inde quod videtis esse honorem Curiæ. Nos quidem tales Vassalli sumus, quia fideliores nobis non invenietis; & dicimus, quòd Januenses non tam leviter venissent ad concordiam ad pedes vestros, nisi timore & fortitudine Pisanorum. Et hoc apertà debetis credere ratione, quia hoc anno bis galéis septem per septem de suis subjugavimus, justitiam obtinentes.*

Interea crescentibus rumoribus recessit Curia. Manè autem Pisanis, & Januensibus ad eamdem Curiam vocatis dixit Imperator: *Vobis dico, Pisani, meæ ordinationis est, & volo, & jubeo vobis, ut Januenses captos statim reddatis.* Ad hæc Pisani responderunt: *Non debemus, Domine Imperator, illos jure reddere, quia bis pugnando illos ut hostes cepimus.* Quibus Imperator: *Nolo vos injustè judicare; sed Curia mea cognoscat, si hoc faciendum est, nec ne.* Postmodum judicavit Curia, ut omnes capti honore Imperatoris liberarentur. Altera die fuerunt coram Imperatore, prædictum sermonem denuo dicentes. Quibus Lanfrancus Piper respondit, ostendens urbem Januam hactenus fidelem Imperio cum honestate stetisse; & quòd meliùs posset servire Imperio, quàm civitas nulla, injungendo, galéam nostram in Portu Veneris unam Pisanorum vi cepisse, quam, quum nostri erant cum eis in colloquiū pacis, Pisani mandaverunt, ut incautè, & ex improviso nostram in Portu Veneris caperet, quæ ibi vi tantùm fuit ab altera subjugata. Uguzonus Pisanus respondit: *Tu mentiris; & ex hoc te faciemus per battaliam victum & mortuum, & ut ita dicamus, recedentem.* Cui Obertus Spinula, & Grimaldus contradixerunt: *Nos dicimus & probamus vobis Pisanis, quòd verum est quod noster Consul affirmat, & ex hoc faciemus nos stare vos mortuos, &, ut vulgò dicitur, recedentes.* Infra hæc Archiepiscopus Raynaldus respondit: *Domine Imperator, ego consulo vobis, ut faciatis battaliam inde fieri.* Et jussit statim Imperator adduci pro teste Evangelium, & juraverunt duo Pisani, & duo Januenses facere bellum in ordinatione Imperatoris. Facto hinc inde sacramento Obertus Spinula dixit: *Domine Imperator, hi Pisani magnam indignationem coram vobis ostendunt habuisse, eo utique, quòd Consul dixit de illorum galéa à nostra captam vi quondam fuisse. Sed ego dico, quòd ab una galéa usque in decem duæ per duas, quinque pro quinque jam captæ sunt à nostris; & si contradicet, aliam pugnam illis indico, & faciam illos mori, & recedentes esse. Vos scitis, quòd nos & ipsi debemus cum exercitu in vestro servitio esse. Nos jurabimus eis, quòd dum ibi erimus, non offendemus illos in rebus neque personis infra mensem, redeuntibus nobis; & post exinde non faciemus lamentationem ulli personæ de damno, quod nobis fecerint. Et si hoc idem ipsi juraverint coram vobis, nos dabimus vobis mille marchas argenti.* Ad hæc Pisani tacuerunt, & nullum responsum inde facientes, clamaverunt Lombardi: *Mortui sunt Pisani.* Manè in Curia statutum fuit, ut Archiepiscopus Raynaldus Januam veniret, & Archiepiscopus Moguntinus Pisas iret. Et statuerunt tertia die, ut omnes capti redderentur. Fuit quidem peractum. Raynaldus Archicancellarius à Pisanis (54) pecunia labefactatus vocem non exaudivit Imperialem. Nam omnibus pactis, ut supra audistis, peractis, de exitu suo Consules ex hinc tractaverunt. Collegerunt per libram denarios sex, ex quibus

(51) Alter Cod. MS. panibus.
(52) Alter Cod. MS. invrolia.
(53) Alter Cod. MS. vi aufertur ab illis, si &c.
(54) Alter Cod. MS. Pisis, sed nescitur pro certo.

bus credita sibi honestissimè solverent. Nunc sequitur dicendum de his, quæ à Consulibus causarum peracta fuere. Suum Consulatum inter tot, variosque scopulos sinè vitio rexerunt, unicuique jus suum tribuentes, remque publicam pro posse augentes. Consulibusque in eminenti auxilio, & consilio subvenientes, naves laboratum iverunt.

Anno MCLXVII. existentibus octo Consulibus in Republica Henrico Mallono, Rodoano de Mauro, Corso Sigismundi, Ottone Bono de Albericis, Rogerio de Marabotto, Rubaldo Bisaccia, Oberto Spinula, Lanfranco Pipere. In Causis existentibus quatuor Consulibus: Corso de Palazolo, Fredenzone Gontardo, Oberto Malocello, Pasquale de Marino. Istius Consulatus introitu, Respublica, ut fuit expositum, satis dilaniata erat, & à nemine in bono aucta pro calamitate intrinseca. Jam treuga hinc inde nequitiâ clientum inhonestè observata, timentibus Consulibus, ne nubilosus aër tenebrosus efficeretur, per annum treugam Consulatum fecere jurare per suum; & ne guerra Pisanorum tantis discordiis minùs caloris obtineret, armaverunt quatuor galêas, ut si quis per portus Provinciæ intrare, vel ex eis contra velle Januensium exire tentaret, grave eis illico præstarent impedimentum. In quibus Rodoanus Consul fuit à sociis dominus electus, qui non modicis expensis constans mansit in partibus illis à mense Martii usque ad Festum Sancti Andreæ. Nam de faucibus exire volentibus egressum impedivit. Nemini verò ingressum habere permisit, nisi, ut verum fateatur, gratiâ Consulatus. Raro tamen alicui quandoque favit; & ne dies longo detineatur sermone, Consules, qui pro custodia urbis mansere, multas galêas, & sæpissimè ad offensionem Pisanorum faciendam mandarunt. Quadam verò die insonuit, quòd Pisani cum quibusdam galêis pro offensione nobis & nostris inferenda, Provinciam intraverant. At proinde Obertus Spinula Consul cum septem galêis illuc fuit obviam illis, qui cùm ex hac parte Monachi essent prope videlicet montem, qui dicitur Caput Sancti Martini Vintimiliensis, primò galêas Pisanorum à Capite Sancti Ampelii cernentes, mandaverunt unum hominem ex Nobilibus civitatis in bucio, adventu galêarum Pisanorum Consuli & sociis pugnam pronuntiantem; qui vehementer lætati ad pugnam se præparantes expectaverunt quantitatem galêarum cognoscere; & cùm scripserunt (55) illas esse IX. & rumor inter eos creverat, quia alii ad pugnam, alii ad aliud incitabantur: tamdem inierunt consilium, & visum eis fuit commodius prœlium cum se superioribus minimè fore miscendum. Euntes tamen nostræ galêæ juxta terram versùs Niciam, & Pisanorum properantes ad Insulam Sancti Honorati. Post hæc infra biduum Rubaldus Bisacia Consul cum galêis VI. (56) auditis novis Pisanorum velociori cursu se ad Obertum Spinulam junxit. Et simul moventes supervenerunt galêas Pisanorum, & super forum Viliense miserunt eas in fugam; & cùm evadere non credebant Pisani, ex adverso apparuerunt galêæ X. Sarracenorum; & videntes Sarraceni galêas XI. Januensium, & IX. Pisanorum omnes separatim pro galêis XI., fugiebant pro posse: & sic nox divisit illas, quæ mane facto nusquam apparuerunt. Quo facto Januam redierunt. Interim galêæ Pisanorum tres in Provinciam iverunt, ad quas Consules mandaverunt galêas VII., quas Corsus Consul duxit ad Sanctum Romulum. Ibi illis diu expectatis, quoniam ibi in partibus illis consueverant capere terram, & illis nec visis, nec aliquid ex eis audiens, ascendit Insulam Corsicæ; & eo moto, manè galêæ Pisanorum ibidem terram ceperunt, & nostri eo itinere parum profecerunt. Iterum galêæ tres per totum Garbum, quærentes Pisanos offendere, non invenerunt. Veniente mense Julio Pisani advocaverunt Januenses ad pacem ineundam & componendam; & post multas oppositiones hinc inde adinvicem factas convenerunt, ut discordia in decem hominibus poneretur: & fuit composita ex parte Januæ in Lanfrancum Piperem Januæ Consulem, Guilielmum de Marino (57), Ottonem de Caffaro, Philippum Lamberti, & Simonem de Auria. Et totidem ex altera parte Pisana; & tamen hæc electio nihil utilitatis fuit. Præterea infra illam æstatem Imperator Fridericus cum magno exercitu Lombardorum, & aliarum multarum gentium adivit Anconam obsidendam, & diripiendam; & post multos dies obsidionis quum Imperator intentus ad pugnam staret viriliter, Raynaldus Coloniensis Archiepiscopus, & Christianus Moguntinus Archiepiscopus, unus Archicancellarius Italiæ, & alter Archicancellarius Teutonicæ, quum essent ambo pariter in Romanos tamquam hostes Imperii pugnaturi, quadam die insidias Romanis posuerunt, & exeuntibus Romanis foràs ad pugnam, mixto bello, inter mortuos & captos fuerunt ex Romanis ea die circa MDCC. Adeptâ victoriâ, & desuper eis concessâ, putantes Romam ex vi, aut concordia citò fore subjugatam, mandaverunt quidem ambo Archiepiscopi literas & Missos Imperatori; quibus visis, & perlectis, Anconâ dimissâ, Urbem Romam accederet citò. De casu namque Romanorum Imperator factus lætissimus, studiosiùs laboravit, ut pacto ante Anconitanenses firmaret, quoad stantes putarent recessionem Imperatoris ideo esse, quòd Ancona civitas velle Imperatoris in toto complesset. Quo facto Imperator vexillum Urbis omneq; genus Ministeriorum ad triumphum pertinentium ducens, Romæ appropinquavit. Et convocatis Pisanis, qui secum militibus iverant, illorũ Consilio mandavit Pisas, & Januensibus ut exercitus, quos convenerant Imperatori, citò ad Romam conducerent. Et quum fuit Pisanæ civitati manifestum, statim Consul Pisanorum cum quibusdam ad Curiam ivit Imperatoris; qui post aliquantulum temporis Imperatori dixerunt: *Domine Imperator, cui totus mundus favit, Pisana civitas semper vera, & fidelis Romano Imperio affuit, quæ à servitio vestro deesse non potest. Nuper audivimus, Domine Imperator, quòd Januenses ad vestrum vocatis servitium. Nolite, si placet, hoc facere, ut simul cum Pisanis exercitum facere debeant, quoniam incommodè factum erit, quòd inimici mortales simul facturi conveniant. Non enim expedit vobis, ut circa Romam diu maneatis obsessam. Sumus enim procinti ad bellum,*

(55) Alter Cod. MS. decernerunt: *fort.* detexerunt.
(56) Alter Cod. MS. IV.

(57) Alter Cod. MS. Mari.

lum, & vobis parati cum exercitu honestum præbere occursum. Illi autem minimè. Illud enim vobis revera juramus: Si Januenses duxeritis, & captos, quos de suis habemus, pro quibus pacem ad nostrum libitum habere speramus, eis reddideritis, Pisanus Populus de cetero non veniet vobiscum. At si nostrum forsan vos gravat consilium, injungimus & aliud verbum, quod Imperialis Majestas mutare non poterit quin vocem, & rogatum Pisanæ civitatis exaudiat. Namque decoris vestri intuitu, & quia in omnibus verbis desideramus placere, duplicabimus expeditionem, quam Januenses promiserunt; & sic in eorum absentia aliquod incommodum non patietur turba, vel acies vestra. Et sic Imperator illos vera polliceri existimans, Januensibus sponte dimissis, fallacibus verbis eorum acquievit.

Interea Januenses ad ea, quæ Imperator eis mandaverat, literis, ut arbitror, responderunt hoc modo: *Expeditionem, Domine Imperator, faciendam promisimus vobis, nostris hominibus captis à Pisanis, primò à nobis recuperatis, & quos vestra Curia palàm liberari judicavit: quod nondum ad effectum perduxit. At si denuo placet vobis, quòd sententia Curiæ vestræ nostrum desiderium adimpleat, licèt jure non cogamur, neque aliquo pacto teneamur, quòd cum exercitu ad Urbem Romam debeamus venire, tamen decoris, & dominatus vestri intuitu, vobis occursum pro viribus faciemus honestum.* At dum Imperator duplicatum Pisanorum exercitum, sicuti Pisani ei literis & Missis mandaverant, solicitus expectaret, Januensibus nulla responsione promissa, morbus epidemicus aëris puritate turbata, militum turbas, agmina Ducum, acies Principum ac ædes adeò mirabiliter invasit, quòd pedites, & sinè numero viri ex multitudine populi Imperatoris perierunt; & sic calliditas Pisanorum Imperatorem seduxit, & ut ita vulgari sermone dicamus, Hostem Imperatoriam ad nihilum, & infamiam perduxerunt. Nam eadem infirmitas, & non dispar motus aëris pariter animalia extinxit. Interim Imperator casum suorum timescens, magìs de reditu, quàm de obsidione Romanæ Urbis tenenda cogitavit; rediit tamen festinus in Thusciam, & Pisanam civitatem, & Lucam visitavit, nostros minimè ex carcere liberans. Vênit tamen usque ad Pontem-Tremulum, ibique Opizonem Malaspinam invênit, qui Imperatori usque Papiam ducatum amicabiliter præstavit. Qui dum in Alemanniam iret, quosdam de obsidibus Lombardorum in ramis arborum suspendit.

His verò omnibus his modis peractis, Rodoanus Consul, qui in Provinciam iverat, ut supra expositum est, cum Rege Aragonensi pacem inivit; qua pace conventum fuit, quòd Pisanos de tota terra sua debebat ejicere, & de cetero eos non recepturum, & quos in suo Regno, & res ipsorum inveniret, Januensium Consulibus daret. Nam medietatem duarum navium Pisanorum, quæ venerant Barchinonia, Rodoano Consuli dare, & consignare fecit. Nam hæc & multa alia ad utilitatem Januensium pertinentia in conventione scripta, sic Lector poteris in Registro scriptum invenire. Nam in concordia illa fuit expressiùs dictum, quòd civitas nostra quatuor galèis debebat afferre auxilium Regi ad capiendum castrum Albaronis, quod Comes Sancti Ægidii contra præfati Regis honorem obtinebat. Ideoque Rogerius de Maraboto Consul cum quatuor galèis pro eodem auxilio præstando armatis Provinciam adivit; quæ galèæ octo simul fuerunt ad faciendam obsidionem prædicto castro. Et cum præsentia Regis machinas, aliaque instrumenta viriliter præpararunt ad capiendum castrum nominatum. Mortuo Trecavallense proditione suorum, placuit Regi dilatare obsidionem. Quo facto galèæ Januenses feliciter rediere. Præter hæc omnia Corsus Consul cum duabus galèis mense Octobris ivit Sardineam, & præfuit ibi tamquam Dominus in Judicatis, videlicet Calari, usque ad mensem Februarii; & quum rediret, cepit navem Pisanorum, & plures Pisanos Januam adduxit. Et ex tunc cogitaverunt Consules de exitu suo, & fecerunt collectam per libram denariorum sex; & naves eo anno iverunt laboratum; & castrum Clavari ædificarunt. Sicut supradiximus de rebus gestis à Consulibus Reipublicæ, sic breviùs, quo poterimus de his, quæ Causarum Consulibus pertinent, interim vobis faciemus explicatum. In suo Consistorio anni curriculo honestè morantes, publicisque utilitatibus minimè deficientes, jura æquè tractantes, cuique Civium accuratè jus suum laudaverunt.

Anno MCLXVIII. Consulibus quinque in Republica existentibus Idone Gontardo, Nubelone, Nicolao de Rodulpho, Lamberto Grillo, & Bellamuto. In Causis quatuor Consulibus existentibus Guidoto de Nigrono, Guillielmo Cavaruncho, Pasquale de Marino, Ansaldono . . . . . . Superiùs exposui vobis evidentiori scriptura, qua potui, quod cujusque Consulatus tempore Divina Majestas statuit occurrisse. Nunc verò invitus ea utique conor vobis patefacere, quoniam præsenti Consulatu non minùs solito graviora arbitror contigisse. Nam Respublica ad tantam perniciem noscitur pravorum audacia pervenisse, quòd vix suspicor eam tot imbribus impulsam in se ipsam regi potuisse, nisi multo ampliùs Dei, quàm hominis, regeretur consilio. Qui Consules nostram utilitatem semper in bono augere cupientes, treugam habentibus guerram, & maximè capitibus, jurare fecerunt. Qua jurata, post paucorum dierum spatium Cendatus ibat cum quibusdam soldariis in Advocatiam, Ingone Bonfolio in partibus illis similiter cum clientibus redeunte. At quum se viderent, mixto prœlio, & hinc inde pilotis emissis, Cendato percusso, continuò occisus fuit. Ingo tamen Bonfolius ibi vulneratus, minimè tunc mortuus fuit; sed diu infirmitatem passus isto Consulatu obiit. Consules quidem suo arbitrio inde vindictam fecerunt. Præterea in parvum tempus Consules audierunt, Pisanos galèas XI. pro nostris offendendis in Provinciam mandavisse. Qui licèt in tot & tantis ruinis vehementer obruerentur, nihilominus galèas XIII. armavere, quas postea utili apparatu mandaverunt, Nicolao de Rodulpho in eis Domino constituto. Qui quidem tamquam vir prudens vigilans die noctuque tamdiu eas inquirens, donec ad Gradum Milgoris nimio sudore & labore pervênit. Ibidem audivit, galèas Pisanorum VII. esse ad Gradum Magalone; & quatuor erant ad ædem; & remigantibus illis pro posse adversùs illas, statim à longè viderunt illas. Nostris tamen ab illis visis, terga versi sunt Pisani, quos per totam illam diem nostri fugaverunt versùs pe-

pelagus, & terram minimè videntes præter Caput-Crucis, nox separavit eas à nostris. Quibus dimissis, ipsa eadem nocte retro redierunt ad ædem, ubi erant aliæ quatuor galêæ Pisanorum. Mane verò facto juxta lucem prope illam fuerunt, & fugere non valentes, vi omnes quatuor ceperunt. Nam Pisani havrum galêarum antea se multùm voce jactaverant coram Potentatibus (58) illius terræ dicentes illis: *Nos utique, viri potentes, dominos maris videtis; Januenses inimicos nostros nusquam possumus invenire*. Ad quas quidem sublimes personas altera die Nicolaus Consul cum galêis suis, & illis captis Pisanorum, triumphator pervênit; à quibus quidem honestè receptus, & valde laudatus fuit, & habitâ licentiâ Januam feliciter redierunt.

Et facto, & convocato Consilio, narravit Consul ea, quæ sibi prosperè acciderant; & consuluerunt, ut per Cursorem literas portantem civitati Lucæ hoc patefieret (nam eo tempore tenebantur ad invicem Januenses, & Lucenses) & exhortati fuerunt Lucenses, ut continuò super Pisanos sicut hostes aggrederentur. Quibus etenim non modicè lætificatis, ad castrum, nomine Axanum, quod erat, vel est constructum prope civitatem Pisanam per milliaria quatuor, cum magno exercitu militum & peditum iverunt. Pisani utique ad illud suum castrum latentes cum multis aliis, qui de Pisana urbe tunc exstiterant, eis obviam viriliter exierunt; &, pugnâ commissâ, Pisani terga versi sunt. Ea namque die ex nobilioribus Pisanorum, & ex aliis prudentibus viris fuerunt satis numero capti, & Lucæ civitati mirabilibus laudibus in carcere deducti, quam etiam victoriam Lucenses Januensibus ad invicem literis & Missis mandaverunt. Nam ingenti gaudio Januensibus item repletis, habuere consilium ad Lucam dirigere, ut de captis Pisanis, & maximè de nobilioribus militibus, postularent, & Januam tot & tales ducerent, ex deliberatione quorum Januenses diu Pisanos carcere detentos rehabere possent.

Lucenses quidem, ut verum fateamur; Nicolaum de Rodulpho Consulem, & Henricum de Auria, & Henricum Mallumancellum (59) honestè receperunt, & diu ibi morantibus ferè per spatium septem hebdomadarum, post multas quæstiones, quasi inviti Lucenses demum quos voluerunt nostri, sibi assignarunt, scilicet Lambertum Majorem, Sicherium Galandrum (60) Burgarinum de Caprana, Guilielmum Baratulum, Gumisellum, Obertum Sigherium, Guillinum de Baldisone, Guillinum de Hodierna, Silvanum, & Lambertum Battibaliam, quos Lucenses cum multis militibus usque ad turrim de mare duxerunt. Nostri etenim ad Lucam eos recipere noluerunt, ne fortè in via aliqua insidia eis poneretur, per quod leviùs amittere potuissent. Nam quum ad turrim de mare omnes pervenissent, relatum fuit eis, quòd Pisani manè cum exercitu illuc venturi essent. Quo audito, se parantes ad pugnam, posuerunt Pisanos in fundo turris, ubi erat aqua fœtens, & vermes. Manè autem galêa Portus Veneris quum inde veniret, ascenderunt eam, & Januam cum Pisanis captis feliciter redierunt, eosque cum aliis, quos habuerant, in carcere ponentes. Qui namque ibidem non diu morantes, datis obsidibus, iverunt Pisas, & tamdiu laborarunt, quòd Pisani Consules juramento eis promiserunt usque ad mensem Junii ex Januensi carcere, quo meliùs possent, extraherent. Vênit mensis (61), quo cambitus nostrorum, & Pisanorum factus fuit. Nam fuerunt Pisani numero DCC. Januenses verò CCCXXXIII. Equidemque plures mortui fuerant, & alter pro altero cambiati. Interea armaverunt galêas XVI. quas Ido Gontardus Consul pro Pisanis duxit offendendis. Et quum jam pervenissent ad Insulam Sigestri, Missis, & literis certi facti sunt, quod Pisani Cancellarium Friderici Imperatoris nomine Christianum cum VII. galêis usque ad Massiliam ferebant; & facto ibi Comitorum consilio, ivit præfatus Consul post illas in Provinciam cum galêis VIII. usque ad Insulam S. Honorati. Et morantibus ibi circa dies septem, & non inventis Pisanis, noctu arripuit iter Consul, & pervênit ad Insulam Corsicæ, & interim galêæ Pisanorum ad eamdem Insulam S. Honorati applicuerunt; & audientibus de galêis nostris, quòd paulò ante inde moverant, iverunt cum magno impetu ad portum Agadani, & ibi Cancellarium Imperatoris, & alios in aliis eorum quampluribus (62) retentis, & rebus in monte Acresto cum velocitate posuerunt. At Ido Gontardus Consul, quum in Corsicam pervênit, audiens denuò Pisanos in Provinciam ivisse, de suis galêis statim VIII. mandavit post illos, & Comitis galêarum jussit ire cum reliquis VIII. ad destruendam Insulam Planosam. Qui siquidem turres illius Insulæ cum machinis & armis prœliarent; & morantibus per aliquos dies, turribus minimè captis, & tamen præparasse galêas XXXII. custodia galêarum nostrarum, nostras redeuntes venturas agnoverunt: quibus simul junctis, & dimissâ præfatâ Insulâ, per partes Portus Pisani lætantes, & gaudentes redeuntes, Pisani cum XXX. galêis nostris in fugam verterunt.

Nostræ autem cursu velociores, Pisanis prorsus dimissis, Januam feliciter redierunt. Interea post paucos dies Pisanæ urbis Villanus Archiepiscopus, quem Pisani illorum calliditate pro Imperatore de civitate in Monte-Christo fugaverant, cum Abbate Insulæ Gorgonæ advênit Januam in Ecclesia Sancti Laurentii Martyris super Populum humiliter, & sapienter de pace prædicans. Qui post aliquos dies Januenses Consules, & Hugonem Archiepiscopum cum prece convenienti rogavit, ut usque Portum Veneris pro pace componenda, ex qua multum se dicebat sperare, irent secum cum Pisanis loquuturi. Et facto proinde consilio, Hugo Archiepiscopus, & Ecclesiæ nostræ Obertus Præpositus, & Lambertus Grillus Consul cum pluribus sapientibus Viris Portum Veneris adierunt, & inventis Villano Archiepiscopo Pisano cum sapientibus quibusdam, multa verba invicem contraxerunt. Nam quum Archiepiscopus Pisanorum agnosceret, quòd absque suis Consulibus id, quod dixerat & promiserat, explere non posset, redivit Pisas ad suos Consules, in proximo se rediturum promittens. Quo aliquantis diebus expectato, Januam nostri redierunt. Non venientibus illis,

(58) Alter Cod. MS. Potestates.
(59) Alter Cod. MS. Malocellum.
(60) Alter Cod. MS. Iterium Galandum.
(61) Alter Cod. MS. Missus, & nuntiatum fuit, quod cambius &c.
(62) Alter Cod. MS. eorumque pluribus.

lis, & transactis aliquantis diebus, facto Consilio Consules Idonem Gontardum, Antonium Goliam, & Pasqualem de Marino Causarum Consules, & Refutatum Judicem ad Lucam mandarunt, apertiùs scire volentes, quam voluntatem Lucenses haberent de pace Pisanorum, an non. Et abeuntibus illis invenerunt Villanum Archiepiscopum ad Portum Veneris, qui à Pisis redierat; & nolentes cum eo longos sermones componere, arripuerunt iter suum versùs Lucam. Quo facto, Archiepiscopus Pisanus Misso & literis insinuavit Consulibus, ut sinè mora Portum Veneris adirent, quia multo ampliùs sperabat de pace trium civitatum componenda, quæ & poni debebat in tribus Laicis personis, quisque de sua civitate, & duobus Archiepiscopis, & Lucæ Episcopo. Cujus perlectis literis iverunt ad ipsum Archiepiscopus, & Præpositus noster cum pluribus sapientibus viris, & junctis Pisanis simul, & Lucensibus, & Januensibus, atque Archiepiscopis, & Lucæ Electo, tractaverunt diu, quibus modis pax posset componi. Et interim Ido Gontardus cum sociis suis à Luca redierunt, & ex nostra civitate alios Consules mandaverunt, cogitantes rem tractatam ad finem esse perducendam. Nam post multas quæstiones, tam facti, quàm juris, res, de qua agebatur, & discordes fuerant, fuit disposita finienda, & concordanda in Ottobono Januensi, & Gherardo Bulgarello Pisano, & Alcherio de Vero Lucense. Et quum verba videbantur ferè quasi facta, & jam in scripto redacta, & per Abecedarium divisa, Gherardus Bulgarellus dixit: *Nisi Pisas vadam, quæ concordavi solus, explere non audeo.* Ivit ergo, & redeunte mutavit factum; & sic verba remansere, scripto tantùm concordiæ unicuique partium manente.

Post hæc Rex Sardineæ Baresonus coram Cōsulibus veniens ait: *Domini, & Patres mei, tanto tempore moratus sum vobiscum, quòd vix creditur in Sardinea, quòd sim vivus; & quāmdiu sic stetero, leviùs terram, & honorem meum amittere possum: quo facto, quod absit, de absolutione debiti, vel crediti nostri non esset de cetero verbum. Precor igitur probitatem vestram, quòd simul Sardineam ascendamus, & dabo vobis ibi conjugem meam unà cum filiis, & castra, quæ habeo, & obsides ad libitum vestrum, personas in manibus vestris, & insuper libras quatuor millia vobis ibi persolvam.* Et facto Consilio, non placuit, ut de communibus rebus factum foret dispendium itineris. Interim Vassalli armaverunt quatuor galêas, Commune armavit unam; & daturus erat proinde libras quatuor millia. Quibus galêis Nebulonus Consul, & Ingo Torellus nuper electus iverunt, Regem illum secum in Sardineam ducentes. Qui utique castra, uxorem, & filios, & obsides habuerunt; & ibi ordinarunt, ut collecta fierent pro solvendis debitis Regis, ad quam quidem colligendam, & castra tenenda, & custodienda Almerium deputarunt, virum utique prudentem, & ibi cum solderiis dimiserunt Dominum & Custodem. Et Consules cum eodem Rege, & prædictis personis Januam feliciter redierunt. Post hæc ex Sicilia literæ advenerunt, quòd Rex nostram pacem multùm habere desiderabat; & facto proinde Consilio legationem ad eum mandare placuit. Fuerunt igitur Bellamutus Consul, & Rogeronus de Castro, & Amicus Grillus, viri commendabiles, cum galêa missi expensis Communis benè & honestè præparata; qui parum proficientes absque ulla pace Januam redierunt. Infra hoc civitates Lombardiæ, quæ simul fuerant concordatæ pro timore Imperatoris Alemanniæ, mandaverunt literas & Missos ad nostram civitatem, ut Consules aut irent, aut ad eos mandarent pro concordia inter eos stabilienda, quemadmodum aliæ civitates undique concurrentes fecerant. Et quum graviter forent tunc impediti, mandaverunt Hubertum Cancellarium, & Ottonem Judicem de Mediolano; & nullam cum eis concordiam iniverunt. Interea Consules novæ civitatis, qui civitatem construxerunt, & nomine Alexandriam nuncupabant, eo utique quòd Dominus Apostolicus Alexander nominabatur, & tunc temporis Apostolicatum regebat, qui erat contra Fridericum Imperatorem, qui totam ferè Italiam dissipaverat, & auxilium, & consilium amicè præstaverant, Januam venientes, exposuerunt se veros, & bonos amicos Januensibus de cetero esse, rogantes illos, quòd auxilium in ædificanda urbe præstarent. Quorum precibus exauditis, eis solidos mille dederunt, reliquos autem mille accepturi ab intrantibus Consulibus expectarent. Interim præfati Consules pro maxima utilitate Amicum de Murta ad Constantinopolim Legatum mandaverunt: quo facto, de exercitu suo, & de solvendis debitis & creditis, & de electione Consulum cogitaverunt. Interim fuit incœptum prœlium infra urbem, & hinc inde maxima copia armatorum fuit; & bello durante, Jacobus filius Ingonis de Volta fuit graviter vulneratus, ex quo vulnere isto anno mortuus fuit. Fecerunt & quidem collectam per libram denarios sex. Naves non minus eo anno laboratum iverunt, quàm quòd pax in urbe, & cum Pisanis fieret. Nunc dicendum est de Consulibus Causarum, qui utique res suo Consulatui pertinentes miro & pulchro ordine gesserunt in Republica conservanda, auxiliis, & præsidiis Consulibus Communis pro juribus affuerunt, Justitiam demum cuique laudantes, & injusta minimè foventes.

Anno MCLXIX. Ancellino Garrio, Ingone Torello, Ottone de Caffaro, Rogerio de Malabotto, Nicolao Roza in Republica Consulibus existentibus; Philippo de Bonifacio, Philippo de Justa, Ansaldo Golia, Rolando Guaracho in Causis Consulibus existentibus; Tempore isto Respublica, quæ à sexto Consulatu, Marte virente, fuerat omni felicitate intrinsecus destituta, Viris fortunatis, & bonis Consulibus tradita, feliciter aucta fuit. Quibus intrantibus, castra quæque, & alia Reipublicæ pertinentia, honestis modis tractarunt. Et quia præfati Consules tanta imbecillitate Reipublicæ Cives multo leviores solito cognoverant, & eorum auxilio eam vix posse ad pristinum statum reduci dubitarent, eos * demum hostes manibus si fortè tempus præstaret in vicinos exhortatione Consulum minimè ponere velle præsumerent, statuerunt ex libero suo arbitrio Clientes numero CC. in urbe quam citò esse futuros; ex eis maximè, qui promtiores hactenus cognoscerentur ad malum peragendum, quàm ad bonum, & qui omnia postposuissent propter Deum, quem non offendere fas est leviter * facienda, incipienda, dummodo lucrum, etiam quodcumque parvum, se habituros sperarent. Venientibus prædictis Clien-

Clientibus, Consules fecerunt hospitari quosdam ex eis in domibus Ingonis de Volta, & Amiconis, invitis Dominis, & dolentibus; namque domus illorum litibus & discordiis magnum præstabant fomentum. Alii quippe hospitati sunt in via, quæ est à Porta desuper Ecclesiam Sancti Laurentii. Eo utique fecerunt, ut introitus civitatis ex ea parte redderetur securior. Quo facto, habuerunt intra se ipsos consilium dicentes: *Faciamus Breve, ad quod omnes Cives nobiles, & infimi, quoscumque vocaverimus, jurent stare in nostra ordinatione de pace componenda, & inferenda guerra illis, qui contra nos aliquid facere præsumserint, vel contra aliquem de Populo, cui pro hac causa guerra forsitan appareat*. Et exponentibus suum arbitrium Consiliariis viris, placuit omnibus; & supplicabant illis, ut hoc magìs factis, quàm dictis ad finem ducere properarent. Primùm citaverunt Capita guerræ, qui jurare noluerunt, nisi primitus damna sibi illata sentirent. Demum juraverunt stare de guerra, & pace, & de omnibus litibus in arbitrio prædictorum Consulum. Quibus omnibus juratis, quæsierunt consilium Conciliatoribus, quibus modis potiùs videretur procedendum ad tantum negotium finiendum. Qui post multas varietates consilii dicebant, Justitiam unicuique sufficere. Alii verò contra sentiebant dicentes: *Ne sit Justitia facta inter eos, ne fortè ad majus periculum Respublica veniret*. Tamdem post multas ambages Consules freti Dei auxilio, elegerunt viam potiorem. Æquius quidem & commodius visum fuit illis ostendere quoddam figmentum, ut quidquid vigor Justitiæ æquitatisque dictaret super guerram habentes, citò determinarent, eo utique, quòd quisque Jus strictum timens, & expavescens, demum lætus ad concordiam leviùs perveniret. Incœpta verò lite, & Judicibus hinc inde adhibitis, opposuerunt libellum, primitus debere rationem adduci. Quibus Consules indignationem exhibentes, ut illos redderent timidiores, responderunt, libellos non esse Reipublicæ utile modò introducere, ne fortè dilatarent negotium. Loco itaque, & die determinata, qua causa oportebat disputari, fecerunt Consules inter se cautionem, ut de cetero alicui de partibus rem ad placita pertinentem, neque suum sensum, nec alicujus illorum patefacerent, & causam quoad melius & citius possent ad commune desiderium Civium terminarent. Quo facto, causam attentiùs incœperunt audire; & cùm mortales quæstiones hinc inde opponerentur, & diutiùs res ageretur, sinè interlocutione sæpiùs occurrebant, quas quidem partes audire desiderabant; & ne quid sui lucri in dandis præcognoscerent, maluerunt Consules illas eligere, quibus quælibet partium se confortaret, & sibi quod in subsidium aliquid audivisse dicerent, non minùs tamen sensum suum alter alteri patefaciens. Et quum omnia opposita tamquam Juri, commune arbitrium portantes, amicè & benignè audivissent, qua die multis impedimentis non poterant, nocte quietè facere dignum duxerunt. Omnibus inter eos quæstionibus pari ratione disputatis, & nihil prorsus omisso, cognoverunt, sex bella, vel duella campestria inter Cives majores jure occurrere. Quo cognito, *videamus*, inquit quidam illorum, *an ista bella sint publica authoritate evitanda, an sit commodius Jus statutum tenere. Quibus contra, si bella minimè factura Civibus ostenderimus, communem utilitatem nimio timore oppressam demonstrabimus. Et hoc nobis magis causam impedimenti, quàm facti deliberationem præstat*. Nam huic quæstioni acquieverunt dicentes: *Expediatur citò Curia Archiepiscopi marmoribus, ut evidentiùs appareat, nos bella prænominata inter Cives efficere velle, & hac exhibitione edita discordes exterriti, ad concordiam, Deo duce, leviùs poterimus convocare*. Quo facto affines, & parentes, uxoresque partium, timentes, animos (63) ad tanta discrimina pervenire, supplicabant secretò Consulibus, ne ad ista conducerent Cives. Nam Consules in his facti leviores, prœlia quasi volentes arguebant factura.

At quum Consules his rerum argumentis, desiderium & voluntatem illorum cognoverunt, viam præelectam de non faciendis prœliis mira assiduitate eligenda sanxerunt. Et quia hæc res tum timore, tum veneratione erat incipienda, Consules adiverunt primò Dominum Hugonem Archiepiscopum, qui secretorum suorum ignarus fuerat, omnia sibi sub taciturnitate exponentes. Cui quidem omnia mirificè placuere. Ajunt quidem: *Mandemus igitur, ut Religiosæ personæ Archiepiscopatus ad tam bonum opus perficiendum citò veniant, ut freti eorum consilio, tam laudabilem causam ad honorem Dei desiderato fini ducere incipiamus*. Hac re peracta statuerunt parlamentum ante lucem, ignorantibus Civibus sonare, ut citò mirantes consurgerent, & velociori pede noctu, quàm die venirent; injungentes, ut media concione Reliquiæ Beati Johannis Baptistæ introducerentur, & Cruces civitatis in unaquaque Portarum per honestas personas tenerentur, omnisque Clericatus tamquam in festivis diebus appareret indutus. Et Civibus ad colloquium properantibus, ista videntibus, obstupuerunt; qui licèt transactis diebus ineffrenati illic stare consueverant, tamen ea die, quasi obedientiam portantes Dei instinctu apparuerunt. Surrexit quidem primitus Dominus Hugo Archiepiscopus, & Consules post eumdem, mira insinuatione Cives alliciens, & de pace, quæ instruenda erat, tum voce, tum personæ gestu miro ordine componens, & de periculo civitatis honesta quoque, & utilia, sicut Domino, & Populo convenit, Angelica voce instruens, aures Civium ampliavit, mentesque eorum quasi ad inaudita ejusdem pia senectus adduxit. Continuò appellaverunt Rolandum Advocatum, ut ad pacem componendam, & jurandam tum causa Dei, tum honore civitatis, tum quia periculum ultra urbs nostra non incurreret, festinus veniret. Quo audito, scissis vestibus, lacrymando, & voce altisona mortuos pro guerra invocando, renuens venire * terra adsedit. Nam parentes, qui de pace constituenda Consulibus auxilium præstare juraverant, in eum surgentes, licèt ei vim minimè inferrent, tamen sicut eum decebat, ei supplicabant, quoniam Consulibus, & Populo satisfaceret. At quum Consules illum quasi obstupefactum, & se movere nolle cognoscerent, iverunt cum Archiepiscopo, & omni Clericatu, Crucibus, & teste Evangelio coram ipso, quasi coactum ad Librum conduxerunt; & multis prædicationibus adjurato, tam-

(63) Alter Cod. MS. amicos.

tandem in ordinatione Consulum pacem quietus juravit. Quo facto, illico Fulconem de Castro appellaverunt, qui equidem non erat tunc in concione, sed tamen humilem & rationabilem responsionem emisit dicens: *Ego tamquam Dominos, & meæ* (64) *civitatis Rectores, Consules volo exaudire; hoc tamen non gravet illos: non possum; nisi Soceri mei Ingonis de Volta primitus mihi data licentia præcedat*. Quo audito, Consules cum omni Clericatu domum illius iverunt, & in concione ambos duxerunt, qui ad jurandam pacem pari veneratione vocati, & ad Lectorium ducti, post multas murmurationes pacem quieti juraverunt. Et ex hinc parentes omnes, qui publicè guerram portaverant, & quos Consules utiliores cognoverant, pacem in eorum voluntate jurarunt, & osculum pacis, ad invicem alter alteri tradidit. Quo peracto tintinnabulis per urbem sonantibus Dominus Archiepiscopus incœpit *Te Deum laudamus* cum omni Clericatu, vocibus altisonis totam Ecclesiam implens.

Hic multis eximiis dignus laudibus extitit dies
Ut Civium quies ipsorum, sic par (65) *fuit lues.*
Nam nostræ salutis pars, fuit potissima dies.
O quanta pœna malis, inde tu nosceris dies.
O quanta iste cædes, damna, pericula distulit dies.
Hostium lætantur ædes, quas junxit clarissimus dies.
Principium pacis, litisque finis felix fuisti dies.
Per te pes ibit securus & æquus o dies;
Nec potuere mille quod potuit una dies.
Annos ter binos inclita notasti dies,
Lis quibus duravit, quam tu fine beasti dies.
Te diem dierum, ideoque pium cantabimus de cetero, dies.
Tu quidem nobis lux bonis, dumtaxat malis Crux fuisti dies;
Quæ passim fuerant sparsa congregasti tu pia dies.
Annus, mensis, hora ortus tui clarificetur utinam dies.

Et quia majora semper ampliori desiderio audiuntur, ideo vobis primò de pace stilum præmittimus. Sequitur ergo, ut jam nunc incipiamus dicere de his, quæ iidem Consules pro decore civitatis fecerunt, antequam pax fieret, & quæ sequuntur loco, & tempore, suo ordine plana expositione vobis exponemus. Namque multæ conjurationes per urbem nostram hinc inde factæ fuerant, non solùm per eos, qui simul litigabant, verumetiam per alios potentes, & etiam infimos, animadvertentes esse fortiores, & securiores, si licèt forsan cum guerram babentibus immiscerentur. Etenim per plebia (66) nostra rixæ, & factiones semper tempore litis civilis aderant. Cogitantes forici in Cives quandoque consurgere, & Dominos Terrarum jam incipiebant decognoscere. Ad vindictam, nec ad alia facienda quisque Dominorum, dubius in montanis, nec curabat ascendere, malens damnum incurrere, quàm ad ignominiam sui corporis devenire. Nam insultationes, homicidia, furta, rapinæ, incendia per plebia nostra sæpissimè fiebant. Meritò enim cujusque corporis membra patiuntur, quum caput pati sentitur. Nimirum igitur si membra civitatis quassabantur, cùm mater omnium, & caput, idest civitas nostra ultra etiam quàm sit credendum patiebatur. Omne enim æquum vel justum jam erat apud nos quasi sopitum; locus justitiæ vix poterat inveniri, quum ferè omnia vi aut timore agebantur. Affines, qui civitati nostræ obedientiam portare, eamque timere consueverant, jam superbire incœperant, & civitatis nostræ mandata prorsus vilipendebant. Si Cives, & majores re imminenti quandoque ad loca finitimorum vergebant, non oculo humilitatis, sed levitatis apud illos videbantur; & sæpe pro minimis verbis crescebat lis usque sub armis. Consulatus plebejorum quasi æger factus, parum in omnibus proficiebat. Nam sententias proferre ausus minimè fuerat, etiam inter vilissimas personas, si aliquid gravitatis in se continerent. Nam hæc omnia superiùs verbis exposita usque ad hunc Consulatum de die in diem acriùs vigere; & hoc propter civilia, & plusquam civilia bella dicimus, quæ multo graviùs solito exarsere. Etenim præfati Consules, quasi navis fluctibus impulsa, impellebantur, & inter tot viæ & vitæ varietates cogitaverunt prædictas factiones in malo, quo pacto, vel quibus modis rumpi, vel frangi possent. Elegerunt tandem, ut irent per plebeja cum parentibus, ut fortè in domibus aliquos de malefactoribus capere possent. Fuerunt namque versùs Lavaniam cum clientibus multis Anselmus Garrius, & Otto de Caffaro, & versùs Pulciferam Nicolaus Roza, & Rogerius de Maraboto, ut omnia prædicta malè & impiè versata possent in meliori statu revocare. Et factis coram omnibus Consulibus hinc inde multis clamoribus inter multas vindictas, quas nominatim scribere non possumus, fecerunt quibusdam pedes, quibusdam manus truncari. Aliis rerum damna intulerunt; & quosdam in carcere posuerunt; & pecuniam ultra soldos mille adduxerunt in civitatem; & hoc tantum terrorem intulit in reliquis malefactoribus, quòd isto Consulatu omnia diminuta, & quasi prorsus cessata (67) videbantur. Viator quidem (68) notus, & ignotus ibat, & redibat securus. Cives liberè exibant, & morabantur incolumes. Respublica ad pristinum statum redire incœpit. Ex tunc ridere fuit visum, quod primò fuerat deploratum. Omne, quod fuerat destitutum, istorum probitate cognoscitur relevatum.

Unum quidem non decet, nec oportet nos silere de dicendo, hos Consules, qui admodum guerram Pisanorum fecerunt, quod nemini visum fuit, nec etiam illis eisdem Pisanis, qui in urbem nostram venerant, quòd tot mala, totque adversa vigerent. Equidem prætaxati Consules ut relatione, & maximè viva Cursoris voce audierunt, Pisanos cum quibusdam galèis pro nostris offendendis in Provinciam ituros, præordinaverunt quidem quatuor galèas pro Portubus Provinciæ constringendis, quas velociori apparatu ordinarunt, & quibus Nicolaus Roza Consul Dominus fuit à sociis præelectus. Ivit quidem ille Consul, & Portus Provinciæ ita impedivit, & impedimento astrinxit, quòd nemo ex Portubus illis exire, vel intrare ausus fuerit, nisi primò præfati Consulis

(64) Alter Cod. MS. nostræ.
(65) Alter Cod. MS. pars.
(66) Alter Cod. MS. plebeja.
(67) Alter Cod. MS. cassata.
(68) Alter Cod. MS. namque.

lis licentiam haberet. Et insuper naves Pisanorum combussit, & per spatium duorum mensium illic permansit, quum non fuerat necessarium ultra mansisse; qui Januam feliciter rediit, omnibus marinariis illic pace solutis. Pisani autem illic nostras esse scientes, galêas suas, quas præordinaverant, tunc mandare dimiserunt. Interea Pisani magna calliditate cum hominibus Versiliæ, qui antiquitus pacis & amoris vinculo cum Lucensibus tenebantur, se jurarunt contra Lucam pro posse sibi ad invicem auxilium præstolaturi (69). Quo cognito, Lucenses statim advenerunt Januam, auxilium & consilium tamquam à Dominis & Amicis quærentes. Continuò Consules nostri fecerunt Consilium, & placuit Senatoribus, ut quingentos milites eis amore, non verò præ aliquo fœderis instinctu Januæ civitas præstaret. Nam solummodo tenebamur ad Turrim de Mari præsidiis Lucensibus subvenire. Putaverunt Consules, qui illorum aptior, aut habilior videretur, pro omnibus his pulchriori modo agendis. Et quia res militaris erat, & miles in his operandis convenientior videbatur, elegerunt Rogerium de Maraboto iturum; qui dum cum sociis, scilicet Alberico, Oberto Squarciafico, & Oberto Tregui se per terram ituri aptarent; placuit Consuli Lucæ, ut per mare usque Turrim secum irent, ut causa velocior facta foret. Et sic proinde galêa quædam fuit statim viriliter præparata, in qua Consul Lucæ cum suis, & Rogerius cum sociis suis usque Turrim de Mari incolumes abierunt. Quam Turrim Januenses armis, victualibus, balistariis XXII. lignamine, omnibusque ibidem necessariis aptaverunt, & Magistros lignaminis illuc mandaverunt, qui Turrim prænominatam cooperuerunt, quam expensam Januenses nullo vinculo Juris, vel fœderis tenebantur facere, sed solùm intuitu præmissi amoris hoc fecere; & maximè quia Lucenses nequibant commodè ad Turrim illam venire propter Versilienses medio adstantes. Nam si occursus hoc modo prædicto non fieret, & Turris amissa foret Pisanorum calliditate, nobis esset magna infamia. Et quia Lucenses tunc maximè impediebant, ut non solùm Turrim de Mari, sed etiam Corvariam, & Anxanum, quæ castra Lucenses tenebant, prænominati Consules omnibus necessariis aptaverunt, sperantes à Lucensibus, si tempus præstaret, vicem & meritum habere. Et quum Rogerius Consul unà cum Consule Lucæ, & sociis, ad Turrim illam venissent, Versilienses, & Graphejani, & Pisani cum exercitu in Versilia erant. Et Lucenses similiter cum magna expeditione in eadem Versilia contra illos. Continuò Rogerius, & Albericus, & Hubertus Tregui, & Squarciaficus, & Consul Lucæ adventum suum in exercitu Consulibus Lucæ notificaverunt. Qui enimverò adsuerunt lætificati, tamquam suus exercitus foret duplicatus; & quum simul fuere, Consul Rogerius cum sociis agitabant, qualiter milites, quos Janua promiserant, habere possent, addendos exercitui Lucensium. Continuò quum Consul Lucensis hoc scivit, statim cum sociis nostrum Consulem adiverunt dicentes: *Desiderium vestrum, Consul, hìc ad optatum finem ducere non potestis, quoniam cum hostibus vicini facti sumus ad pugnam committendam.* Et tunc gratias debitas Consuli agentes, hortati fuerunt illum, quòd equos solummodo sibi, & sociis acquireret, & sufficeret. Confidebant enim rem suam, Deo Duce, ad optimum reducere statum. Quo citissimè facto, & omnibus hinc inde Militibus, & Peditibus armatis tamquam in procinctu belli: ecce continuò Guido de Mercato Pisanorum Consul equo, ut vir bonus, armatus, ad Consulem nostrum loquuturus advênit, humiliter dicens: *Quare iste tam mortalis conflictus hodie erit? Meis, & omnibus ex parte mea placet, si vobis similiter visum esset, ut non fiat, & statim deficiat; nam pax vobis magis optanda esset, quàm guerra; quam utique ego pro mea Civitate omnibus modis deposco. Respondete ergo mihi citò, si placet, antequam acies hostium misceatur.* Cui Rogerius Consul respondit: *Cujusmodi pacem vos velle dicitis? Inimicus Dei est, qui pacem spernit. Ego quidem pacem vestram, & sinè vitio vellem; sed timeo ne calliditas vestra inutilem, & sinè fructu pacem quærat.* Cui ait Pisanus Consul: *Deus scit, quòd puritate, & mundo corde eam peto. Tu videris, si utique vis eam pacem ad finem ducere, quam Ottobonus Januensis, & Grimaldus Burgarellus Pisanus, & Alcherius de Lucio Lucensis ad Portum Veneris statuerunt, ego utique eam volo.* Cui Rogerius Consul ait: *Nosco illam sinè fraude factam, & ideo illam non renuo, imò volo.*

Convocato Rolando Lucensium Consule, & sociis, aperuit Consul eis quod à Pisano audierat, & complacuit illis. Qua jurata per unum Consulem cujusque civitatis, redit Consul Rogerius cum prænominatis ad Portum Veneris, & invênit ibi Ottonem de Caffaro Consulem cum galêis VI. quæ mittebantur cum multis Clientibus ad auxiliandum Turrim de Mari; & audiente Ottone pacem juratam, cum galêis illis reversus fuit Januam cum omnibus illis. Et interim Pisani cum exercitu illo iverunt tunc ad castrum Anxanum prœliandum; & ut fertur, non evasisset, nisi balistarii Januensium, qui antea missi fuerant, illud defendissent. Quo transacto, Otto, & Rogerius fecerunt consilium, omnia, quæ acciderant, aperientes eis. Quod Rogerius fecerat, placuit; & pro pace illa confirmanda iverunt Consules ad Portum Veneris, scilicet Anselmus Garrius, & Ingo Torellus, & idem Rogerius cum pluribus Sapientibus Viris; & quum causa pacis diu subtiliter fuisset agitata, tandem tres prænominatæ personæ civitatum concorditer concordarunt eam, & in scripto per Abecedarium illam redigerunt. Et quia hæc pax non poterat prorsus stabiliri, nisi primò lites hominum Versiliensium, & Lucensium terminarentur, fuit ibi constitutum, ut duo homines per civitatem eam viderent, & definirent usque ad tunc proximum venientem mensem Augusti. Elegerunt proinde Baldizonem Usus-maris, & Nubilonem Januenses; Guidotum, & Malum-usum Lucenses; Torpetum filium Dodonis, & Guiraldum de Sancto Cassiano Pisani; qui simul steterunt super illis litibus cognoscendis usque ad dictum terminum, & pacem fecerunt (70). Nam in hoc tempus Pisani per totam Thusciam novas amicitias quæsierunt; sed nullas contra Lucenses habere potuerunt. Similiter ad subvertendas illas, quas Lucenses habuerant, laboraverunt. Videntibus Consulibus Januensibus hoc sub cal-

(69) Alter Cod. MS. præstaturi.

(70) Alter Cod. MS. perfecerunt.

calliditate factum esse, statim armaverunt VIII. galêas, quibus Anselmus Garrius Consul & dominus fuit constitutus. Qui quum pervenirent ad Portum Veneris cum illis galêis, cras veniente, venerunt Baldisonus Ususmaris, & Nubilonus ibi, & Torpetus, & Guiraldus de Sancto Cassiano, quibus omnibus res decidenda commissa fuerat. Quibus simul junctis, dixerunt Pisani nostris: *Damus vobis consilium, ut Consul noster Anselmus nullo modo recedat à Portu Veneris, quoniam causa, quam diu nobiscum ventilavimus, concordata est*. Qui continuò Consuli dixerunt: *Si super Pisanos modò offensuri iveritis, & pax pro vestro itinere remanet, maxima vobis esset infamia & inconveniens valde*. Et pro his verbis distulit Consul iter suum. Et eo ibi morante insonuit, quòd quædam galêa Pisanorum iverat in Provinciam. Statim Consul Anselmus Garrius binas galêas misit in Corsicam, binas in Caprariam, binas in Gorgonam, quatenus obviam eidem fierent; & sic per decem dies literis, & nuntiis detinuerunt Consulem semper innuendo, quòd causa pacis erat tunc ad finem perducenda. Cognovit demum verba illorum fraudulenter emissa; & ivit cum duabus galêis, & manè fuit super Arnum, & ceperunt Lignum veniens, & in profundum maris illud submerserunt: Et quum esset super portum Pisanum, exierunt obviam duæ galêæ Pisanorum, dicentes Consuli nostro: *Expectate, ut simul prœlium ineamus, & nolite fugere bellum*. Isti autem illi dicebant: *Eamus versùs Pelagus pariter, & ibi erit prœlium inter nos, & vos, quia verendum est in vestris verbis fallacibus, ne fortè insidiæ nobis positæ essent, vel in lateribus laterent, à quibus nos oportet cavere*. Et hi circumspicientes à longè, apparebant Ligna venientia; & sic aliquantulum ficte euntes, quum cernerent se securiores, & nullum auxilium eis ante captionem posse evenire, verterunt proram contra illa, signa ensibus & vexillis sæpissimè facientes. Quibus visis Pisani terga versi sunt. Et Anselmo Garrio Consule eunte usque ad Elbam Insulam, invênit galêas suas, quas miserat in die illa, & loco, quod eis prædixerat; & facta ibi concione, surrexit Consul Anselmus Garrius dicens: *Viri prudentes; intelligite, si placet. Nam multa tempora transiere, quibus nostra civitas infra terram Pisanos non læsit; & quia Divina gratia multos nobis mare triumphos præstitit, nostram justitiam fore indicat. Honorificentiùs cura sit vobis, ut illud ad honorem Dei, & nostræ civitatis incipiamus*. Cui responderunt dicentes: *Domine, miramur multùm super sapientiam, & prudentiam vestram, quare hoc dicatis, quum scitis, & multoties audistis, nostras galêas satis plures numero, quàm nos sumus, illud idem verbum, quod vos dicitis cogitavisse, & consilium inde habuisse; & viri prudentes, qui eis galêis præfuerunt, cognoscentes fortitudinem loci, de quo intenditis, noluerunt præstare adsensum. Nam aliena vita, Domine Consul, si placet, debet esse magistra. Ad aliud igitur mentem vertatis vestram, quia non deerit vobis illud, quod Deus providit*. Quibus Consul respondit: *Viri omni probitate vestiti, ne turbetur cor vestrum, neque formidet, quoniam apertiùs cognoscitur, quòd justam fovemus causam, quæ tunc temporis non cognoscebatur. Et ideo, si placet, verbis & consiliis meis, sicuti vos decet, & debetis, acquiescite*. Et sic verbis Consulis acquieverunt; & euntibus illis ad castrum Rapali, fecerunt insultum viriliter, & combusserunt domos, & omnia, quæ extra castrum erant, & murum obtinuerunt; & castrum utique prorsus cepissent, nisi igne retro comburente, de reversione timuissent. Multi eadem die vulnerati hinc inde fuerunt; & captis rebus castri, & aliis Lignis Pisanorum combustis, Januam feliciter redierunt, & adduxerunt circa quinquaginta captivos Pisanos. Quo cognito, Pisani ira moti armaverunt galêas VI. quas in Provinciam miserunt, cupientes ex hoc sibi vindictam sumere. Consules nostri proinde statim galêas VII. præparaverunt, & miserunt illas, quibus Otto de Caffaro Consul Dominus, & Magister fuit à sociis prælectus.

Eo itaque tempore nostri negotiatores erant ad mercatum Fori-Julii, & eo ampliùs timebatur, ne à Pisanis tunc caperentur. Consul itaque Otto, tamquam vir prudens & honestus, die noctuque eas inquirens, dubitans ne fortè negotiatores, qui aderant ad nundinas Fori-Julii, timore illarum galêarum turbarentur, pervênit citò ad Mercatum illud. Quo viso, repletis ingenti gaudio, & simul omnibus congregatis, surgens Otto de Caffaro ait: *O viri nobiles, & sapientes, estote memores prudentiæ & honestatis prædecessorum vestrorum, qui non solùm, alibi verùm etiam ad portum Pisanum validum exercitum conduxerunt, & Pisas illic coram Deo & Populo obsederunt, & summa vi, & magna potentia illos vicerunt, & sub nostris signis, atque vexillis ad arbitrium nostrorum pacem fecerunt; & Insulæ Corsicæ, pro qua lis fuerat incœpta, medietatem integrè nobis inviti dimiserunt. Et quia Dominus his diebus præteritis nos oppressit, multo ampliùs convenit, ut fortiores rebus & animo vos præbeatis; quia quos Dominus diligit, corrigit, & castigat. Et ut vos credatis, me ista non dixisse tentando, neque forma vanæ gloriæ: volo, ut hæc mea verba factis concordent. Juro per Sancta Dei Evangelia, quòd si galêas Pisanorum invenero, illas non evitabo, imò pugnam pro posse meo exquiram; & si fortè fugam, ut æstimo, petierint, eas similiter pro viribus tamdiu fugabo, donec, Deo annuente, victoriam consecuti simus; & hoc bona fide observabo*. Quo facto gens eximia, quæ undique ad nundinas fuerat congregata, clamans, dignis laudibus eum exaltarunt; & statim, ut ego arbitror, circa LX. homines galêarum, oratione illius effecti prudentiores, illud idem, quod Consul patenter juraverat, observaturi juraverunt; & inde assiduitate recedentes, invenerunt galêas Pisanorum ad Insulam Arcar: (71) & nostris galêis ab eis longè visis, statim altum pelagi petentes, nostræ circa milliaria XX. cursu illis velociores fugaverunt; & tamdem auxilio (72) Christi, Pisani pro posse pugnam vitantes, capti fuerunt in festo Beati Laurentii Martyris cum galêis tribus. Et nostris galêis redeuntibus ad negotiatores prænominatos, maximam lætitiam illis intulerunt, & sic cum magno triumpho reversæ sunt Januam feliciter. Post paucos dies relatum fuit prædictis Consulibus, Pisanos in Provinciam galêas mandavisse pro offendendis navibus illis, quæ ad nundinas Sancti

(71) Alter Cod. MS. Insulas Arearum.

(72) Alter Cod. MS. misericordia.

cti Raphaëlis ituræ erant. Quo audito, Consules fecerunt proclamam (73) per civitatem, ut nemo ad nundinas illas Sancti Raphaëlis iret in galêis, ut eundo, & redeundo essent securiores. Et insuper armaverunt VI. galêas pro custodia præstanda negotiatoribus illis, & navibus alta Pelagi petentibus, in quibus Ingo Torellus Dominus fuit à sociis constitutus. Ivit quidem in partibus illis pro portubus Provinciæ constringendis, quod utique satis honestè peregit. Permansit quidem illic spatio duorum mensium, & sospes cum galêis Januam remeavit. Interim Grimaldus vir satis conspectus, atque modestus cum quadam galêa, in qua Septam iverat, ex Marrocho Legatus sospes rediit. Iterum prænominati Consules mense Decembris armaverunt binas galêas, quas miserunt in Sardineam pro Judicibus consolandis, & Arvorea & castra nomine Arculetto, & Manulla præfati Regis Barisonis, quæ in Sardinea tenebamus, in meliori statu & securiori confirmando, & pacto cum quibusdam majoribus personis illius Insulæ iniendo; quibus galêis prænominatus Ingo Torellus Consul Dominus fuit vocatus & constitutus. Et prætaxati quidem Consules multa suo Consulatu expenderunt pro multis & variis negotiis, & utilibus, quæ eo tempore eis immutabilia apparuerunt. Et ut Collecta, quam facturi erant, ad minorem summam descenderet, statuerunt facere Collectam in Savonam, & Nabolim, eò quod tunc temporis de Compagnia civitatis Januæ erant, sicut scriptum continetur in Registro. Et habuerunt nomine Collectæ de Savona libras...... & de Naboli libras...... Et insuper fecerunt Collectam denariorum sex per libram, excepto quod collegerunt ab euntibus & redeuntibus, & Ecclesiis civitatis, atque Plebium. Et eodem quidem anno non minus Januenses iverunt laboratum propter guerram Pisanorum, quæ hostiliter durabat.

Anno MCLXX. Existentibus Consulibus in Republica Bojamonte Odonis, Ogerio Vento, Ottobono, Alberico Grimaldo, Oberto Recalcato. In Causis verò existentibus quatuor Philippo de Bonifacio, Fredenzone Gontardo, Bonovassallo Ususmaris, Ottone Fornario; Clavigeris, Lanfranco Grancio, Rubaldo Boleto Viride, & Guilielmo Caligis de Palio, Lanfranco, & Ogerio Scribis, Oberto Cancellario existentibus. Præfati Consules satis invenerunt civitatem Januam in tranquillitate positam, quoniam guerra, quæ olim intrinseca fuerat, tempore præteriti Consulatus erat perfecto ordine solidata, & quia nondum erat radicitus fixa, & corda quorumdam hostium adhuc videbantur tenebrosa, & velut imbribus plena: primò quàm Consulatum intrassent, habuerunt secretò in se ipsis consilium dicentes: *Videamus*, inquit unus illorum: *inquiramus viam salutis, benignitatis, & modum, quo urbem nostram in eo statu, in quo saltem nunc est, integrè conservemus, & insuper Rempublicam labore & vigiliis, Deo annuente, pro viribus augeamus; quoniam verendum est, ne audacia pravorum tamquam canis redeat ad vomitum, & ira, impetu, vel casu quolibet vitiorum, viscera multorum Civium convocet, vel declinet ad odium consuetum.* Cui alter respondit: *Bonum est nos hic esse, dummodo mens nostra non sit ab oppositis aliena. Puto enim mecum, hujus pacis nodum esse præfixum, ut ex parte quorumdam, lites habentibus commendabiles personas eligamus in medio positas, quæ dividant, vel secernant æquum ab injusto, & ponant sibi semper diem pro luce, dummodo Rempublicam ita super his gubernent in tuto, ut orta vitia, eorum cura vel studio prorsus exterminentur de medio.* Quibus tertius Consul opponens ait: *Quum de querimoniis nobis factis solùm inter Cives debeamus pronuntiare, & pariter simus fidei juramento districti, quæ nobis sunt judicanda, dubito aliis posse concedi.* Cui quartus Consul, benevolentiam captans ei facere, respondit: *Nam quæstioni vestræ, Socii, nequaquam more hostili oppono. Addo verumtamen: audiatis quid sentio: Fiat nunc, si placet, hæc præsens electio, & tantùm cognoscatur ipsorum devotio, ut quidquid egerint æquè, arbitrio nostro semper laxetur edicto. Nam si unius habitus, & unius moris pariter essemus intus atque foris, cùm non parum tangat vitium erroris, nobis foret forma, & causa valoris.* Consul quintus ultimus: *Ego vestra opposita quoniam video, præcipuam quarti sententiam fero.* Hujus demum consilio acquiescentibus, elegerunt ex parte Ingonis de Volta, Nicolaum Embriacum, & Guilielmum Buronem; & ex parte Rolandi Advocati Baldizonem Ususmaris, & Lanfrancum Piper, qui utique lites oriundas inter Fulconem de Castro, & Ancellinum fratrem ejus, & Rolandum Advocatum, aut inter homines omnium eorumdem in XX. dies sequentis Consulatus jurarunt ratione, vel concordia definire. Hoc ideo cautum fuit, ut quum Consules se esse vacuos, vel exoneratos inspicerent, ab iis scilicet, quibus impediri possent, majori, vel evidentiori cautela in guerra Pisanorum insudarent.

Appropinquantibus prænominatis Consulibus ad principium sui Consulatus, circa scilicet sex dies, Comites Lavaniæ, Pennellus scilicet, & filii Guirardi Scorsæ clam noctuque invaserunt castrum Frascarii, & abstulerunt illud hominibus de Paxano, qui pro civitate nostra tenuerunt illud (74) circa annos XL. Quo facto, civitas Januæ tanto ampliùs inde turbata & mutata fuit, quanto factis Vassallis majori caritate solito nos diligere, nobisque fideliores esse debuerant. Unde celebrato inde Consilio ivit ad eos Consul, nomine Ottobonus cum quibusdam, castrum nominatum præfatis hominibus petentes; qui preces Consulis & sociorum exaudire nolentes, posuerunt dilatationem, afferentes, se velle expectare quosdam suos amicos, quorum consilio Consuli responderent; dicentes tamen, & affirmantes, de captione præfati castri Communi Januensium nullam injuriam fecisse; imò ad infamiam & odium hominum de Paxano hoc solummodo fecisse aperta voce profitebantur. Quibus Consul Ottobonus sociorum consilio ait: *Ego vice Communis Januæ appello vos, tamquam Vassallos, ut veniatis in Curiam Januensium, rationem, vel justitiam inde facturi.* Qui enimvero tunc facere recusarunt. Redeunte verò Consule simul cum sociis, civitas nostra multo ampliùs in Comites Lavaniæ ira & animositate turbata fuit, ne videretur, quòd ultra quàm sit æquum vel justum, incedere, vel incipere aliquid vellent. Voluntatis Consulum fuit, ut denuo castrum illud per Consulem à præ-

(73) Alter Cod. MS. præconizare.

(74) Alter Cod. MS. illud in Feudum.

prædictis raptoribus peteretur. Abiit illuc Grimaldus Consul, secum quosdam ex illorum amicis ducens, scilicet Bonumvassallum Ususmaris, & Ottonem Fornarium tunc temporis Causarum Consules, & Arduinum, Albericum, & Picamilium. Redeuntibus autem illis, castro non recuperato, civitas nostra acriori mente, & validiori affectu in Comites ira & indignatione commota fuit. Inito statim consilio, & facta cum velocitate concione, Consules coram omni Populo jurarunt, quòd si Comites Lavaniæ infra decem dies proximos venientes castrum Frascarium sinè omni conditione Communi Januæ non redderent, de cetero neque pax, neque finis, neque etiam aliqua concordia fieret inter Januenses, & præfatos Comites, donec Januenses castra Comitum prorsus diriperent, & ab omnibus possessionibus suis penitùs vacuos efficerent, vel constituerent. Qui enim vindictam facere cupientes, continuò castra hominum Cucurni, & hominum Paxani ceperunt; qui ex tunc jurarunt facere guerram simul cum Valvasoribus Comitibus ordinatione Consulum, & insuper Exercitum, & Collectam per homines suos, sicut eis præfati Consules ordinarent. Quo facto civitas nostra præparavit se ad faciendum exercitum; nam militibus, & peditibus undique citatis & convocatis, & emtis vel comperatis quampluribus rebus exercitui necessariis, Otto Fornarius, & Bonusvassallus Ususmaris tunc Causarum Consules, simul cum eis Arduinus, iverunt ad Comitem absque mandato Consulum Communis Januæ, exponentes Comitibus illis juramentum, quod in concione, vel parlamento factum contra eos fuerat. Quo audito, dolentes habuerunt consilium; & antequam dictus terminus X. dierum veniret, mandaverunt Comites Consulibus, ut irent ad recipiendum castrum illud, quod Bojamundus Odonus Consul Communis cum Balduino Guercio, Guilielmo Burone, & Picamilio ad Sigestrum euntes receperunt, custodiam, & vigilias cum Soldariis in eodem ponentes, treugam inter illos usque ad dies jurare facientes. Quo peracto, post paucos dies Comites cognoscentes se incurrisse indignationem civitatis, advenerunt Januam in parlamento, jurare volentes, captionem præfati castri ad contumeliam vel injuriam civitatis minimè fecisse. Tamdem post multa verba jurarunt coram Consulibus, & multis aliis, se pacem & guerram de cetero ubique facturos, & insuper Collectas per homines suos facere, quandocumque Consules Communis Januæ eis præceperint.

Interea relatione Cursorum dictum fuit, quòd Pisani galêas ordinaverant in Provinciam missuri pro offensione illis facienda, qui civitati nostræ victualia afferebant. Scientibus hoc Consulibus nostris, armaverunt sex galêas & Rapalini unam, & Savonenses alteram, & Naulenses tertiam, quas miserunt in Provinciam ad custodiam navium euntium vel redeuntium, per spatium mensis unius mansuras. Quibus fuit Obertus Recalcatus Consul dominus, & guida à sociis constitutus, & prælectus, qui enim dum per diversas partes in prædicta custodia honestè, prudenter, & cautè maneret, advenerunt VI. (75) galêæ Pisanorum terram capientes longè à loco, quo tunc erat Consul, ferè milliaria LX. Audientibus verò Pisanis nova de nostris galêis, quæ Pisæ fuerant in insidiis, sinè mora pelagus repetentes, parum damnum tunc nostratibus intulerunt. Consul verò præfatus ex illis audiens, post eos cursum suum cum galêis arripiens, evanuerunt ab oculis suis; & non inventis Pisanis, transacto termino mensis Januam feliciter rediit.

Interea Legati Imperatoris Constantinopolis nomine Contostephanus, Costamunitus, & Doxapatris (76), & cum eis Gibertus interpres Imperii, missi tunc temporis Domino Papæ Alexandro, cujus nomine civitas Alexandriæ ædificata fuit, & hoc nomen illi impositum, mandaverunt Consulibus, rogantes eos, quòd binas galêas usque Terracinam mandarent, cum quibus ad nostram civitatem, ad quam delegati ab Imperatore Constantinopolitano fuerant, possent securiter venire cum magna pecunia, quæ promissa fuerat Communi Januæ in pace dudum inter Januenses, & Imperatoris Legatum constituta. Ordinaverunt statim Consules, ut ex galêis IX. quas supra paulò ante ego Hubertus Cancellarius vobis exposui, tres mitterentur ad illos Legatos conducendos; & ideo Bojamundus (77) Odonis Consul cum Rubaldo Bisaccia ad galêas nostras ivit, Oberto Recalcato Consuli omnia innotescens. Mandaverunt ex galêis illis trinas usque Terracinam, cum quibus ivit Guilielmus Buronus, Simon Auriæ, Nubelonus, Nicolaus de Rodulpho, Rubaldus Bisaccia, & Obertus Spinula, ut prudentiâ tantorum virorum associati sinè aliquo timore possent Januam lætiores venire. Statuerunt præfati Consules, ut Trepedicinus, qui Pisanus erat, cum duabus suis galêis, & homines Portus Veneris, cum totidem per totam æstatem in Portu Veneris morantes, guerram Pisanis assiduitate facerent. Qui viriliter facientes ceperunt galêam unam Pisanorum, qua ibant duo Consules, unus anni præsentis, & alter præteriti anni, cum quibusdam aliis potentibus, & nobilibus Pisanis. Ductis verò illis, & positis in carceribus cum multis aliis, qui diu capti detinebantur, Legati Imperatoris die Veneris mensis Junii advenerunt Januam, & attulerunt secum perparos quinquaginta sex millia, quos ex gratia Imperatoris nostro communi cum literis Imperialibus aureo sigillo impressis dare satagebant; quos civitas nostra recipere noluit, quoniam Legatus noster Amicus de Murta nondum venerat, & dubitabatur, quid promissum, vel actum fuerat inter ipsum, & Imperatorem. Nam tamdiu prudentia Consulum illos verbis detinuit, quòd Legatus Amicus dives & felix rediit; & tanta discrepantia facti, & verborum diffidentia claruit inter ea, quæ Legati Imperatoris Consulibus dixerant, & quæ scriptis illorum continere videbantur, quod honestè non potuit locum concordia invenire, quum minimè Legatos deceat mandati fines excedere, nec injunctum suæ provinciæ præterire. Igitur maluit Commune nostrum millia perparorum respuere per prædicta quàm ad aliquod inconveniens incautè voluisset venire. Sed ne in Curia Imperatoris, vel aliàs, putaretur, quòd civitas nostra aliquid injuriosum, vel etiam vitiosum sacro Imperio scienter contulisset, constat, eumdem Legatum Amicum de Murta ad sacri Imperii providentiam fere remisisse invitum, ut

(75) Alter Cod. MS. IV.

(76) Alter Cod. MS. Donapetri.

(77) Alter Cod. MS. Bojamons.

ut ipse tamquam prudens coram Imperatori à Majestate patenter confirmat, etiam si videatur Legatis mirabiliter displicere, & fiat sermonum Legatorum varietas ita dilucida, quòd possint promissa hinc inde meritò remanere intacta.

Præterea præfati Consules Communis Januæ cum studio animositatis sinè mora quatuor armaverunt galêas, & Nicienses rogatu ipsorum unam, & Sancti-Romulenses alteram, in quibus sex Ogerius Ventus fuit magister, & dominus à sociis assignatus, & præelectus. Quo recedente, Consules post paucos dies audiverunt Pisanos cum galêis pluribus in Provinciam ituros. Addiderant binas galêas Trepedicini in societate præfati Consulis, quæ omnes simul ad eamdem custodiam in Provinciam per spatium unius mensis & dimidii, honestè perseverantes, Januam feliciter redierunt. Quo transacto præfati Consules relatione Cursoris scripserunt, quamdam galêam Pisanorum in Sardineam ituram cum Consulibus duplicibus viris nobilibus. Dixerunt Trepedicino, ut cum tribus galêis poneret se in lateribus (78), vel insidiis, ingentem, vel grandem pecuniam à Communi sumturus, si illam capere posset. Qui lætus factus, cum duabus suis galêis, & tertia Rapallinorum, prope Insulam Elbæ ponentes se in custodiam, ceperunt illam Pisanorum galêam, in qua erant duo Consules, unus præsentis, & alter anni præteriti, quos cum sociis suis in carcerem posuerunt. Interea galêa Dacii (79) de Paxano, & altera Rapalli ceperunt aliam galêam Pisanorum; & quum illam Januam ducerent, ecce stolus Regis Siciliæ, qui tunc temporis intraverat in Hispaniam, abstulerunt illam nostratibus in partibus Insulæ Zeghi. Nam galêæ Portus Veneris duæ, & una de Vernacia, & altera Paxani, & quinta Sigestri, & tres Rapallinorum hoc anno guerram Pisanorum viriliter fecerunt, & magnum damnum illis intulerunt. Nam Consules eorum animum in guerram vehementer applicantes, denuo armaverunt VIII. galêas per compagnias civitatis, quas miserunt in Provinciam, ibi per spatium mensis mansuras, quibus fuit Dominus Grimaldus Consul à sociis designatus. Et morantibus ibi, ecce galêæ Pisanorum venientes, fugaverunt illas, unamque ex illis nimia velocitate capientes, cum triumpho eximio Januam conduxerunt. Quo facto Trepedicinus, qui Pisanus fuerat, ivit in cursum cum sua galêa, & altera Portus Veneris; & ceperunt navem Pisanorum redeuntem, in qua magnum lucrum fecerunt. Et tunc Otto de Caffaro mense Octobris Legatus rediit à Marrocho, & Rapallini, qui guerram laudabiliter fecerunt, duas denuo galêas armaverunt, in quibus Consules, & in pluribus aliis, quas ego Hubertus Cancellarius in hoc libro non scripsi, multa de communibus rebus expenderunt. Interim Rogerius de Justa, qui missus fuerat Legatus ad Montem-Pesulanum cum Petro Cap... rediit ab illa Legatione. Et de mense Novembris Guidotus Linajolus Civis Lucensis vir sapiens, & Nobilis, Legatus advênit Januam cum literis sigillo Lucæ sigillatis, rogans Consules, ut Consilium facerent, quo exponerent quidquid sibi à Communi Lucæ fuerat injunctum. Celebrato statim Consilio, attulit literas suorum Consulum, in quibus continebatur, ut faceremus exercitum mari & terra ad succurrendum castrum Mutronis, quoniam audiverant Lucenses, Pisanos continuò præparasse magnum exercitum ad Turrim prædictam Mutronis venturos. Rogans igitur, ut Consules facerent concionem, & parlamentum, in quo Populo eumdem sermonem aperirent; quo peracto patenter exposuit quod quidem Consulibus nuntiaverat. Fuerunt Consules nostri cum Senatoribus, & super his diutiùs consilium habuerunt, & talem præfato Guidoto responsionem fecerunt: *Miramur super prudentiam civitatis vestræ, cùm Pisanis hostibus nostris satìs sitis affines, & quondam de illorum calliditatibus laudabiliter semper fuistis soliciti, nunc, ut fertis, tanti exercitus à cursore, vel quolibet modo nullam veri habuistis notitiam. Et licèt jure, vel pacto aliquo, vobis militiâ per terras non debeamus facere succursum; quia tamen causam innuitis manere in periculum, faciemus validum mari terraque sinè mora exercitum.* Quibus Legatus ait: *Vereor, Patres, moribus approbati, & vix corde decernere possum, quòd super dulci vestra responsione sit utiliùs procedendum. Puto enim mecum, quòd si militia vestra propter moram, & sumtus galêarum pro hyemali tempore non debeat desiderio nostro prodesse, petitio civitatis Lucæ vix aut numquam lucebit in lucem, & insuper sumtus nostræ nobilitatis erunt quasi notati pro infectis. Veniat igitur unus vestrum, si dicere audeo, mecum, & sit uterque Consulatus in unum, quidquid sibi utilius sit eligere profuturum.* Voluntati cujus Consulatus noster satisfacere cupiens, Consul Ottobonus pro his rebus statuendis ivit cum prænominato Guidoto ad Portum Veneris, & cum sociis Guidoto de Nigrono, Henrico Mallone, Petro Vento, Albertone (80) Riccio. Qui repentè galêam armantes, & ad Turrim Mutronis venientes, ecce duæ galêæ Pisanorum venientes obviam illis cum tribus Buciis, & non dimiserunt pro illis, quin in terram ponerent Lucenses quosdam, & res illorum, ejectis palotis (81), & sagittis. Pisanis verò ibi remanentibus, nostra galêa ivit ad quamdam petrecham (82), quam Lucenses fecerant non longè ab illo loco versùs Pisas circa V. vel VI milliaria; & nocte facta, non inventis ibi Consulibus Lucæ, ecce galêæ Pisanorum, facientes illis insultum, non potuerunt nocere eis; & sic nocte illa ad Portum Veneris redierunt. Secunda verò die duabus galêis cum festinatione armatis, vênit Consul cum sociis, & Legatus ad Turrim Mutronis, & non inventis Consulibus Lucæ, dixit Consul Ottobonus Guidoto Legato Lucæ: *Quidquid dicturus eram Consulibus vestris, vobis illorum vice exponere volo. Ite, dicite illis, quòd civitas Janua pro posse parata est facere expeditionem maris, & terræ, scilicet ad succursum Turris de Mutrone. At si acies Pisanorum ita procinctas & paratas ad bellum sentiunt, quòd Lombardi milites propter moram longi itineris, & propter hyemem non possint eis optatum præstare succoursum, quòd milites CCC. nostri nomine capiant, quibus procul dubio promissos soldatos amicabiliter solvemus; & insuper VI. galêas habebimus à Portu Veneris.* Qui-

(78) Alter Cod. MS. latebris.
(79) Alter Cod. MS. Racii.
(80) Alter Cod. MS. Alberico.
(81) Alter Cod. MS. pilottis.
(82) Alter Cod. MS. petracham.

Quibus auditis verbis, Legatus Lucæ lætificatus ait: *Quæso dicite mihi hunc sermonem coram his vestris sociis, & hujus galéæ hominibus, & date mihi manum, & osculum, ut & ego confidentiùs hoc meis Consulibus possim promittere, & etiam in animam vestram jurare.* Cui Consul Ottobonus satisfecit, sicut idem Legatus dixerat. Et statim mari turbato, quidam ex fortioribus viris deposuit illum in terram. Eo eunte retulit omnia per ordinem Consulibus, & Senatoribus Lucæ, & juravit in parlamento, quòd Consul Januensis eo prædicto modo omnia exposuerat.

Quo facto Lucenses Consules literas suo sigillo impressas præfato Consuli, & sociis ad Portum Veneris mandaverunt, quibus continebatur, quòd electio tercentum militum sibi pernimium placuisset, & ex tunc Januæ civitas ab expeditione maris & terræ cessaret, eo audito, quòd ad Portum Veneris VIII. galêas haberent. Quibus literis remissis civitati Januæ, Ottobonus cum sociis dubitans, ne fortè veritas aliter esset, cum tribus galêis statim ad turrim sæpedictam reiteratò iverunt, & invenerunt ibi Gualterottum Consulem Lucensem cum turba militum; & simul loquentibus dixit Consul Lucensis, electionem tercentum militum Communi Lucæ quamplurimùm placuisse; & tradidit illis alias literas similes prioribus, quas Otto noster Consul sociis suis Consulibus assignavit. Quibus hoc modo peractis, Pisani interim cum magno exercitu militum, & peditum, quem a tribus, vel quatuor mensibus latenter & sapienter congregaverant, turbis Lucensium pedetentim appropinquaverunt; & quum pax à Pisanis sæpiùs per tres dies Lucensibus petita jam esse non potuerit, commiscuerunt se utriusque civitatis acies, quarum conflictu hinc inde pluribus interfectis, atque retentis, Lucensiumque castris penitùs invasis, custodes, vel defensores turris vehementer perterriti, & velut exanimes effecti, præfatam turrim Mutronis reddiderunt hostibus. Multo meliùs ea die, & ipso Marte contigit Pisanis. At quum Januenses fama referente audierunt, Pisanos ad obsidionem turris insistere, cum summa velocitate Marchiones, Comites, & affines milites literis, & Missis citaverunt, & à Portu Veneris usque Niciam universos habitatores præmonentes, hostem, & nimiam cavalcatam ad succurrendam turrim Mutronis citissimè præparaverunt. At Pisani quum hujus exercitus rumores præsenserunt, illico desistentes, cursu continuo ad lares proprios remearunt. Quo facto, Obertus filius Sofreducii Consul, & Accursius Judex, Ugo filius Angli, & Truffa Lucenses advenerunt Januam, inaudita tristitia (83) nunciantes, frontem submissam visusque habitudinem quasi sub rubore mixtam non minùs ferentes; & qualiter rerum moderatrix omnium fortuna eos tetigerat, tam Populo, quàm & Senatoribus, more sapientum, linguâ facundâ intimarunt; asserentes tamen quòd moris, vel consuetudinis Lucæ quondam non fuerat tales infelices pati successus. Verùm de misericordia Christi, & amicitia Januensium quamplurimum confidentes, illud exorabant efficere nobiscum, ut id, quod pulsantibus fuerat imbribus deploratum:

Antequam Sol inter Leonis hospitium
Pristina sit florum copia ornatus,
Tunc cantabunt Lilia floribus in Pratum,
Quum auspice Deo erit restitutum,
Quod Lucæ militibus fuit ablatum.

Quibus Consules respondentes dixerunt: *Quia preces vestras libenter admittimus*
Id quod mente latet, vobis, nostra pandimus.
Antequam mutetur Luna VII. vicibus
Sit cum Sole juncta signo, vel in gradibus,
Mars, atque Saturnus erunt in aspectibus
Trinis, & non quartis potiùs sextilibus,
Septimi fuerit Dominus retrogradus,
In octava domo is erit Mercurius.
Radios undecimus vidit ipse Phœbus.
Rutilans in tertio rubicunda Venus.
Jupiter undecimo fuerit direptus.
Tunc acies nostræ erunt cum Lucensibus.
Sit utinam Dominus utrisque propitius.

Interea Consul Lucensis prænominatus, & Guilielmus Sardena nostræ urbis Consul electus simul cum Balduino Guercio, Nicolao Embriaco, Ansaldo Golia tunc Consule Causarum, iverunt Lucam Januario mense pro his omnibus bono ordine statuendis. Nam præfati Consules Rempublicam satis honestè tractantes, fecerunt Collectam infrà urbem nostram denariorum VIII. per libram, exceptis denaris Plebium, Vindictarum, & Navium. In hoc anno Consules Causarum dictis & operibus publica negotia pro viribus explicarunt, qui æquum, & justum donantes, cuique jus suum patenter, & bona fide laudarunt.

Anno MCLXXI. Existentibus quinque Consulibus in Republica Alberico, Ottone de Caffaro, Nicolao Roza, Rubaldo Guelpho, & Guilielmo Sardena; in Causis verò in quatuor compagniis, quatuor Consulibus Guilielmo de Nigro, Henrico Gontardo, Guilielmo Cavaronco, Anselmo de Caffara. In his quatuor compagniis, quatuor Consulibus Bonovassallo Antiochiæ, Oberto de Bonoinfante, Ansaldo Sardena, & Ansaldo Golia. Clavigeris Bajemo (84), Ottone Pezolo, Oberto Maruzo (85). Scribis Guilielmo Caligis de Pallio, Lanfranco Ogerio, & Oberto Cancellario, existentibus.

Hîc loquitur (86) Obertus Cancellarius contra invidos, qui præsumtione illicita, dicta, vel facta proborum semper vilipendere, vel deprimere acutâ linguâ nituntur; quos idem Cancellarius arguit hoc modo dicens: *Jure non potestis, ò Cives reprehendere Consulatum, quum in tanta varietate, vel discrimine rerum propter eorum incuriam non sordescat jus publicum, nec etiam minui videatur privatum. Nam si quondam solers & provida cura Consulum super his animum non adhibuisset solicitum, foret utique nonnullis evidenter obscurum. At quum justitia nostra non potuit jam locum apud Pisanos hostes invenire: quæso dicite, Cives, si auctoritate Senatorum Consules nostri cum Lucensibus statuerunt, ut utrique Cives bellico sudore debeant ad arma consurgere, ut, juvante Deo, qui consuevit casus asperos in prospera commutare, illico possint in notitia populorum deferre, quod utraque civitas participata exultatione debeat congaudere.* Nam præfati Consules de infortunio, quod Lucensibus contigerat, tamquam de proprio ami-

(83) Alter Cod. MS. & tristia.
(84) Alter Cod. MS. Barisono.
(85) Alter Cod. MS. Marufo.
(86) Alter Cod. MS. sequitur.

amicorum dolentes, Pisanos circa DC. quos Januenses carceres tunc detinebant, Senatorum consilio Lucensibus illis ideo assignarunt, ut conclusis Pisano carcere mentem suam nimio mœrore vexatam ad gaudium plenamque lætitiam convocarent; & habitis, & commutatis hinc inde obsidibus, capti Lucenses citiùs, & commodiùs possent de tenebroso carcere ad lucem optatam venire. Quo peracto Nicolaus Roza Consul Communis Januæ, Guilielmus de Nigrono Consul Causarum, euntes usque Narbonam, Januenses ad promissum exercitum, pœnâ etiam illis injunctâ, ad urbem Januam conduxerunt.

Interea Trepedicinus Pisanus, qui fuerat cum galêis V. damnum grande intulit Pisanis; nam denuo continua commutatione bis quatuor galêæ separatim immensam læsionem eisdem Pisanis fecerunt. Qui siquidem Consules octo gattas, & totidem galêas imponere, & ferè explere fecerunt pro utilitate futuri exercitus. Post hoc navis Johannis Tosici, quæ itura erat Alexandriam, tempestate valida agitata in Portum Ajaci (87) in Corsicam ducta, nimia frigiditate ventorum passa fuit naufragium. Quo facto propter metum Pisanorum continuò armaverunt galêas V. & navem præparaverunt, quas ad prænominatum portum miserunt, ut res navis illius ad civitatem nostram conducerent, quarum utique tam navi, quàm & galêis impositam, grandem partem velocitate duxerunt. Dum enim ista acciderunt, homines de Paxano, qui de calliditate Comitum Lavaniæ castrum Frascarii præterito Consulatu (88) amiserant, invaserunt castrum Zerli; & vi tenentes illud, Comites Lavaniæ obsederunt illud; & quo obsesso, homines de Paxano reddiderunt illud Consulibus Communis Januæ, quemadmodum & Comites castrum illorum præfatis Consulibus reddiderunt. Januenses de hominibus de Paxano graviter conquerentes, causâ quorum diu ventilatâ, tamdem Consules castrum Zerli Comitibus Lavaniæ reddiderunt. Nam quòd in mense Madii Guilielmus Sardena Consul Communis Januæ cum Lanfranco Pipere, Nebulone Corso, & Oberto Cancellario adivit Lucam, volentes scire, si victualia exercitui necessaria, quem facturi erant, per totum proximum mensem Junii possent apud Lucam sufficienter invenire; attamen cum proficuo, & sinè damno Lucensium; scilicet hoc modo: Ut modius grani, & hordei, & mensura vini, & aliarum rerum exercitui necessariarum, de (89) duobus, tribus, & non ultra, egentibus venderentur. Quibus siquidem Consules Lucæ se nullo modo facere posse consulti responderunt. Et quia gravissimum erat, & evidens periculum in tanta temporis brevitate tam grandem exercitum constituere, & maximè quum mille militibus, clientibus, & peditibus multis cuncta necessaria, non apud Lucam, sed per totam Thusciam vix labore nimio possent inveniri; & gallæ, & gatti ad terminum illum facti esse non poterant, dilataverunt exercitum tam maris, quàm terræ voluntate Consulum Lucæ commodiùs esse faciendum in futura æstate. Attamen simul sermones habuerunt dicentes: *Pisani hostes nostri destruxerunt turrim de Mutrone anno præterito; oportet igitur, & decet altitudinem civitatum nostrarum, ut turrim satis Pisanis proximiorem ædificare labore continuo incipiamus.* Quibus ita dicentibus, placuit hoc Consulibus, & Senatoribus non displicuit, ut tamen amore Lucensium, & maximè odio Pisanorum, æquis expensis in litore maris eam ædificarent, &, ut ita dicamus, in plazia Pisana vicinior Pisanis, & proximior, quàm altera non fuerat. Et mandaverunt Consules Sigismundum Musculam virum utique probum, & honestum, & cum eo Raymundum Magistrum, ut eligerent locum in prædicto litore ad ædificandam turrim aptiorem, & fortiorem. Et est locus talis: quidam mons non multùm altus est, constitutus super quamdam planitiem, quo castrum quoddam ædificatum est, quod vocatur Mons-gravatus, distans à mari circa duo milliaria, in radice cujus montis oritur fons vivus, & pulcher, aquas nimias, & serenissimas ducens. Facit quidem lacum, ex abundantia cujus tota ferè planities usque ad Serculum (90) flumen impletur, & paludes creat ingentes, admodum densas, & spissas, quas à radice montis usque ad litus maris nemo potest transire propter loca aquosa & profunda, nisi per quemdam jactum petrarum parte altiorem aqua; & vocatur jactus iste Via-regia, ad quam nemo potest pedes appropinquare, nisi forsan parvissimo navigio. In capite jactus cujus est pulchrum, & laudabile ædificium, quod turris de Via-regia vocatur, quæ siquidem est rotunda, & in circuitu pedes LXVIII., & debet ædificari altitudo illius usque in brachia LXXX. & murus in circuitu ipsius brachia LX., & alter murus, qui appellabitur Barbacana, levabitur arbitratu boni viri. Et ut verum fateatur, turrim prædictam, quam Januenses cum Lucensibus ad Viam-regiam ædificarunt, ingredientes Arnum, vel faucem Arni, clarè possunt illam inspicere, & sequentibus digito assignare.

Interea Rapallini armaverunt duas galêas super Pisanos, quibus magnum damnum eo tempore fecerunt. Nam circa exitum Consulatus Christianus Archiepiscopus Moguntinus Archicancellarius, & Legatus totius Italiæ, missus tunc à Domino Friderico Imperatore Teutonico, intravit Lombardiam contra voluntatem Lombardorum, qui tunc temporis erant rebelles, & guerram habebant cum eodem Imperatore, & transivit flumen Tannaris, non ponte, neque pede, sed equorum velocitate prope civitatem Alexandrinam. Et veniens in civitatem nostram, intuitu Imperatoris fuit honestissimè receptus, & ducatus illi præstitus usque ad Lunam. Unde Rectores Lombardiæ indignati, & ira quodammodo contra Januam commoti, quædam civitates illorum prohibuerunt granum in nostram urbem adduci; & tamen minùs (91) perducebatur. Sed quia tempus nimis erat ineptum, & carnes, & victualia deerant, per loca nobis vicina, ascendit, ut ita dicamus, mina grani pretio soldorum decem, & infra; & duravit hæc pestis per spatium anni & medii. Interim præfati Consules armaverunt quatuor galêas, in quibus Otto de Caffaro Consul Communis cum quibusdam nobilibus viris ivit in Sardineam, & duxit secum Regem Barisonem Arvoreæ, qui ferè per an-

(87) Alter Cod. MS. Adjaci.
(88) Alter Cod. MS. tempore.
(89) *fort.* denariis.
(90) Alter Cod. MS. Serclum.
(91) *fort.* nihilominus.

annos octo Januæ steterat pro creditis, quæ Januensibus reddīturus erat à tempore, quo fuerat ducatu & auxilio Januensium coronatus Papiæ. Qui Consules fecerunt Collectam denariorum VII. per libram, præter Collectam navium denariorum VI. (92) secundùm itinera, ex qua sibi credita solverunt, & ex antiquioribus creditis grandem partem Creditoribus reddiderunt. Consules verò Causarum de his, quæ ad suum officium pertinebant, satis honestè tractarunt, modum & mensuram more bonorum servantes, cuique Justitiam, civitatis consuetudine servata, laudaverunt.

Anno Domini MCLXXII. Existentibus sex Consulibus in Republica Simone Auriæ, Corso Sigismundi, Ottobono, Rubaldo Bisaccia, Amico Grillo, Oberto Spinula. In Causis verò in quatuor compagniis Philippo Bonifacii, Fredenzone Gontardo, Guilielmo Crispino, Rogerio de Justa. In aliis quatuor compagniis Petro de Marino, Sigismundo Muscula, Philippo Baraterio, Rubaldo Guaracho. Clavigeris Ugone Alberico, Martino Tornello, & Malherba; Ottobono existente Cancellario; Guilielmo Caligis de Pallio, & Ogerio Pane de Communi; in Causis verò Ogerio Gandulpho Constantii, existentibus Scribis. Nam præfati Consules Communis honorem nostræ civitatis augere cupientes, habuerunt in urbe nostra colloquium cum Christiano Moguntino Archiepiscopo, & Germaniæ Archicancellario, qui tunc legationem & vicem Imperatoris Friderici gerebat per totam Italiam, dicentes hoc modo: *Domine, decet Imperatoriam Majestatem, ut qui in tanta temporis varietate fideles Imperio extiterint, ab ipso Imperatore, & maximè à vobis, qui præsentialiter vicem ipsius geritis, meritum & retributionem consequi debeant, & possint aliis esse bonum exemplum, qui fide & operibus, & bona maluerint voluntate forsan participare vobiscum. Nos enim Constantinopolitani Imperatoris dona nobis transmissa, perparorum scilicet XXVIII. millia, Majestatis Imperialis intuitu sprevimus, & Regni Siculi omnia commoda renuimus, quoniam in ipsorum amborum pace & conventione videbatur quodammodo honor Imperatoris decrescere. Nam cum Lombardis huc usque distulimus associari; Cursoribus, & Missis Imperatoris per terram nostram transeuntibus ducatum amicè fecimus semper præstare. Quæ omnia Pisani non rogati, imò rogantes, & supplicantes, contra decorem Imperii facere non recusarunt. Ergo quæ dabitur utrisque merces, dic Archipræsul, qui multa coërces?* Quibus Archiepiscopus respondit hoc modo dicens: *Vos honorastis me intuitu Imperatoris; libenter quidem volo desideriis vestris satisfacere. Nescio verò, quid vobis sit optabilius. Dicite ergo mihi, quid cordi vobis carius; quia, salvo decore Imperatoris, honorem civitatis vestræ volo pro viribus inquirere, & implere.* Cui responderunt: *Domine, Cives Lucenses tamquam nos ipsos diligimus, ex quibus in carcere Pisanorum quamplures sunt fortè conclusi, quos ex eo carcere velut proprios, aut Domino annuente, illos eripere, aut quolibet modo animi sinceritate cupimus eos ex eadem pœna liberare.* Quibus respondit: *Ego in spiritu veritatis promitto vobis, quòd pro viribus laborabo, ut eos recuperem, excepto quòd guerram non faciam Pisanis, neque ponam illos in bannum Imperatoris; quia non sum missus pro guerra, sed pro pace in Thuscia, vel Italia componenda.* Et ut præfatus Cancellarius cum puritate cordis ad deliberationem Lucensium laboraret, Consules Januæ, Lucensibus ignorantibus, juraverunt se proinde daturos Archiepiscopo libras II. millia & CCC. Quo redeunte, ivit in Thusciam, & apud Senensem civitatem, convocatis Comitibus, Marchionibus, Consulibus civitatum à Roma usque Lucam, & innumeris personis, celebravit ingentem Curiam, ad quam Consules Ottobonus, Obertus Spinula cum quampluribus Viris Nobilibus, Sigismundo Consule Causarum, Henrico de Auria, Ogerio Vento, Lanfranco Alberico, literis appellati iverunt. Quibus honestissimè receptis post multa verba, Archicancellarius Curiâ laudabiliter plenâ aperuit os suum; generaliter omnes salutavit ex parte Imperatoris Frederici, benevolentiam ab his sapienter captavit. Chartam Imperatoris exhibuit, qua potestatem universalem ab eodem sibi concessam ostendit. Deinde Januensibus, Pisanis, & Lucensibus dixit: *O Viri potentes, Princeps Romanus Imperator noster Dominus Fredericus dolet de guerra, quam simul habetis, pro qua etiam habitantes à Roma usque Provinciam ad invicem facti sunt inimici; & non potest de cetero pati, vel ferre, quin pacem & concordiam inter vos omnes componat. Vos itaque deprecamur, & jubemus vobis ex parte ipsius, ut pro pace inienda vos prorsus ponatis in Curia nostra. Volumus enim, & optamus, ut Januenses sua probitate pro nobis respondeant.*

Quibus consultis cum Lucensibus annuerunt precibus Imperatoris. Pisani dubitantes, & Archicancellarium suspectum habentes, eo quòd transierat per civitatem Januæ, induciam quæsierunt. Qua impetrata, antequam à Curia recederent, palàm juravit Archicancellarius Episcopus Moguntinus, quòd pro pace componenda servitium unum sibi factum, nec facturum erat, & bona fide pacem trium civitatum, salvo honore illarum, inquireret. Interim Consules Januenses secretum habuerunt colloquium simul cum Archicancellario, & post multa verba dixerunt: *Domine, si Pisani vobis minimè satisfecerint, jussa Imperatoris minimè observare volentes, decet vos, ut guerram eis de cetero faciatis, & eos tamquam homines Imperii hostes in bannum Domini Imperatoris ponatis.* Quibus respondit: *Ego non exivi, neque missus fui pro guerra Pisanis facienda; & multa expendi, & multis indigeo rebus, & multo ampliùs indigerem, si expeditionem facerem, & proinde gentes simul conjungere deberem. Verùm pro offensis, quas Domino Imperatori Pisanos fecisse cognosco, & meis jussionibus non faverint, si vultis convenire mecum, guerram illis faciam bona fide vobiscum, si Lucenses ex parte portus Pisani erunt in exercitu pro posse mecum, & vos iveritis cum galéis ad portum præfatum.* Cui Lucenses responderunt hoc: *Domine Archipræsul, si placet, esse non potest. Nam si castellum de Viaregia, & civitatem nostram solam dimitteremus, nimis esset verendum propter affinitatem Pisanorum. Estote vos cum exercitu ex parte montis Pisani, & Januenses ad portum prænominatum cum galéis.* Et tunc non potuerunt se

(92) Alter Cod. MS. addit & denariorum IV.

se concordare, & redierunt Januenses, & Lucenses ad Lucam. Et volentibus nostris Consulibus ad urbem nostram venire, Lucenses supplicaverunt nostris, ut moram adhuc facerent, quousque ad Curiam irent. Quibus euntibus, & redeuntibus, supplicabant nostris Consulibus de exercitu in Pisanos constituendo. Quibus Consules responderunt: *Super prudentiam vestram, viri strenuitate fulgentes, satis miramur, quòd hortamini nos ad tantas expensas faciendas. Scitis enim, quia hac futura æstate juramento vobis tenemur exercitum mille militum in partibus vestris habere, & ducere super terras Pisanorum. Et si verbis Domini Archiepiscopi, & vestris acquiesceremus, & postea nos cogeretis expeditionem mille militum facere, nimis durum, & gravissimum, & etiam importabile videretur.* Quibus Lucenses responderunt: *Nolumus enim aliquod damnum feratis, quoniam bonam fidem in omnibus videmus vos habere; & ideo dicimus vobis: Loquamur denuo cum Archicancellario; & si juraveritis ei dare pecuniam, & per mare exercitum facere, statim sitis de expeditione mille militum, & de pecunia danda in acquisitis, vel acquirendis in Thuscia militibus, absoluti.* Quo dicto redierunt pariter ad Archicancellarium, & hoc modo se se cum eo concordarunt. Juravit quidem Archicancellarius in præsentia nostrorum, & Lucensium, & Procerum Curiæ, quòd denuo convocaret Pisanos, Januenses, & Lucenses in plena Curia, & pro pace componenda inter eos in ejus Curia se prorsus poneret; & si Pisani hoc facerent, captos Lucenses primò de carcere Pisanorum liberaret. Deinde habitis hinc inde sufficienter sacramentis, daret sententiam de pace, sicut scriptum fuit ad Portum Veneris per Ottobonum, & Ascherium Lucensem, & prout Pisani concordarunt. At si Pisani renuerent se ponere in Curia præfati Cancellarii, deberet eos publicè in bannum Imperatoris mittere, & frangere omnia Privilegia illorum, & maximè ea, quæ ex Sardinea habuerant; & monetam Pisanorum faceret infamem, & irritam; & insuper facere exercitum pro posse, & venire super Pisanos ex parte portus Pisani, & offendere illos tamquam hostes Imperii; & Lucenses tunc expeditione ex parte Montis Pisani, & Januenses cum galèis per mare in partibus illis. Et propter hoc juraverunt Consules Januæ dare illi libras mille, si hoc totum adimpleret. Quo facto, Pisani ad terminum constitutum redierunt, & post multas dilationes eis concessas, Christianus Archicancellarius Imperatoris celebravit Curiam magnam, in qua publicè posuit Pisanos in bannum Imperatoris, sicut continetur in literis, quas Communi Januæ mandavit; & hoc est exemplum illarum literarum.

„ DEi gratiâ Moguntinæ Sedis Archiepiscopus, & Archicancellarius Germaniæ, & totius Italiæ Legatus clarissimis amicis suis Consulibus Januæ, & toti Populo salutem, & optimam voluntatem. Propterea mentis nostræ memoria figentes honestissima bonitatis vestræ servitia, quæ personæ nostræ toto mentis affectu, corporis assiduitate nuper, quum apud vos essemus, exhibuistis, ita nos vobis reddunt obnoxios, ut præ omnibus vestris Italiæ consortibus vos diligere specialiter debeamus, & civitatem vestram honorare teneamur, & exaltare. Ea propter notum facimus universitati vestræ quòd proximâ tertiâ Feriâ post *Lætare Hierusalem*, congregatâ apud Senas celeberrimâ Curiâ in plateis civitatis, quum sedimus in conspectu Præfecti Urbis Romanorum, & coram Marchionibus Anconitanis, Conrado Marchione de Monteferrato, Comite Guidone, Comite Aldebrandino, & quamplurimis aliis Comitibus, Capitaneis, Valvasoribus, Consulibus civitatum Thusciæ, Marchiæ, & Vallis Spoletanæ, & superioris, atque inferioris Romaniæ, & infinita Populi multitudine, contumaciam & superbiam Pisanorum ostendimus, humilitatem, atque justitiam vestram omnibus notam fecimus. Deinde Causidicorum Imperii judicio, & assensu Principum, Episcoporum multorum scilicet, & superiùs enumeratorum; & affuerunt omnes Populi, omnia Privilegia Pisanorum, quæcumque à Serenissimo Domino nostro Frederico Imperatore Romanorum invictissimo, & ab omnibus Prædecessoribus suis obtinuerunt, cassavimus, & nominatim ea, quæ de Sardinea, & de Ripamaris, & de liberalitate, ac fodro civitatis suæ, ac terræ, & de Comitatu Comitis Uguolini, & Comitissæ Mathildæ, & insuper de moneta, quam irritam fecimus, & dari, sive recipi sub pœna rerum, ac personarum prohibuimus; & præterea quidquid de honore, & utilitate ipsorum potuimus excogitare, eis ex Imperiali authoritate abstulimus. Deinde civitatem ipsorum, & burgum, atque pecuniam in bannum Domini Imperatoris, authoritate Imperiali, & nostra, misimus, & publicavimus. Multo etiam plus his addidimus in confusionem eorum, quàm vobis nequaquam promiseramus, sicut ab amicis vestris Lucensibus luce clariùs cognoscetis. Admonemus igitur attentissimè discretionem vestram, ut, omni occasione postposita, usque ad proximum Pascha, sive Octavam ipsius Paschatis, quinquaginta galêas habeatis præparatas XX. Januæ, & XX. ad Portum-Veneris, & X, quæ versùs Romam ducantur. Egimus enim cum Præfecto Urbis, ut apud Civitatem-Vetulam, & per districtum suum, & per terram Comitis Aldebrandini liberè & securè possitis eas ducere; & insuper exercitum vestrum quotidie præparetis. Idcirco autem sciatis, quòd nullum vobis terminum de pecunia nobis solvenda dare possumus, nec volumus. Multis enim ad præsens propter id ipsum tenemur debitis, & damus militibus, & præcipuè illis de Sancto Miniato. Inde est, quòd sapientiam vestram quamintimè rogamus, & sub sacramento, quod nobis fecistis, commonefacimus, ut debitam nobis pecuniam determinato tempore statim persolvatis, & sicut in simplicitate, & fide, ac veritate vobiscum ambulamus, ita & ipsis nobiscum ambulate, & veritatem sacramenti, & necessitatem tanti negotii observate sapienter.

Interim Rapallini armaverunt galêas duas, & homines Sigestri II., & Portus Veneris I. & damnum grandè fecerunt Pisanis. Et tunc Corsus Consul Communis cum duobus Consulibus causarum Rogerio (93) de Justa, & Philippo Ba-

(93) Alter Cod. MS. Rogerono.

Baraterio iverunt in Thuſciam, & Lucam, loquuturi cum Chriſtiano Archicancellario, & portaverunt ei libras mille præfati Conſules. Et armaverunt galêas VI. in quibus Simon Auriæ Conſul Communis fuit præelectus, & Dominus aſſignatus, qui in menſe rediit Novembris, quoniam à Conſulibus Piſanorum ſibi dictum fuerat, quòd pax facta erat inter nos, & Piſanos, pro qua pace iverunt Lucam Obertus Spinula, Amicus Grillus Conſules cum quibuſdam ſapientibus viris. Et interim Conſules ordinaverunt galêas octo, in quibus Corſus Conſul erat iturus; & ſteterunt tunc pro ſpe futuræ pacis. Quo facto Ottobonus Conſul, & Sigiſmundus Muſcula, Lanfranchus Albericus, & Obertus Cancellarius iverunt Lucam pro eadem pace componenda; pro ſecuritate cujus pacis juraverunt mille Piſani, & totidem Florentini, & mille Lucenſes, & totidem Januenſes. Evacuata quidem ſpe pacis propter proditionem, quam Piſani, & Florentini facere propoſuerant de caſtro Sancti Miniati, quod Dominus Imperator Fredericus tenebat in Thuſcia, & poſſidebat, & quod ei conabantur auferre, armaverunt præfati Conſules galêas VII. in quibus Corſus Conſul fuit dominus aſſignatus, quæ magnum damnum Piſanis fecerunt, & in faucem Arni, uſque ad Sanctam-Crucem, & deſuper aſcenderunt, & ceperunt turres Inſulæ Planuſæ, & deſtruxerunt eas, & quidquid erat in prædicta Inſula ædificatum; & hoc factum fuit ad opprobrium Piſanorum. Quo facto, Conſulibus Simone Auriæ, & Oberto Spinula ab Archicancellario Domini Imperatoris Friderici vocatis, vel appellatis, redierunt Lucam, ut cognoſcerent, quid Cancellarius de illa pace prædicta eſſet facturus. Et quum ipſa tunc eſſe non potuerit, præfati Conſules Ottobonus, & Simon Auriæ ſimul cum Conſulibus Lucæ adierunt Cancellarium Domini Friderici Imperatoris, qui ibi aderat, rogantes ipſum, ut Piſanum Conſulem nomine . . . . & ſocios, & Conſulem Florentinorum, & ſocios, quos tenuerat pro ſeditione, quam facturi erant de caſtro Sancti Miniati, daret illos ſibi remanendos in carcerem (94) Lucæ. Nam poſt multa verba juravit Chriſtianus Archicancellarius Moguntinæ Sedis, qui tunc vicem Imperatoris in Thuſcia tenebat, ſe guerram Piſanis pro poſſe facturum, ordinatione Conſulum noſtrorum, & Lucenſium. Et tradidit Piſanum Conſulem, & ſocios, Januenſium Conſulibus, & Lucenſium, quos in carcerem Lucæ cum aliis Piſanis poſuerunt; & juravit; quòd mitteret Florentinos in bannum Imperatoris, & caſſaret, & deſtrueret omnia dona, & Privilegia facta utriſque, ſcilicet Florentinis, & Piſanis; & pro omnibus recepit ab Januenſibus libras mille monetæ Lucæ; & à Lucenſibus habuit libras MD. Quo facto armaverunt Conſules galêas VI. in quibus Rubaldus Biſacia Conſul Communis, guida, & dominus fuit à ſociis aſſignatus. Qui audiens III. galêas Piſanorum ad Inſulam Sancti Petri iviſſe, ivit poſt illas, quouſque invênit eas, quæ ceperant navem noſtram, quæ de Bucia venerat, & quam ſecum habebant; & ſicut Deo placuit, eaſdem tres galêas Piſanorum in Sardinea nocte ceperunt, & in civitatem noſtram cum magna lætitia duxerunt.

(94) Alter Cod. MS. preſione.

Namque menſe Decembris in hebdomada Sancti Thomæ Opizo Malaſpina, qui tunc temporis Vaſſallus Archiepiſcopi erat, & Moruellus filius ejus Vaſſallus Communis, qui à pluribus menſibus conjurationem fecerant cum hominibus Luniſianæ, & hominibus Paxani, & illis de Lavania, & qui proditionem caſtrorum noſtrorum tractaverant, advenerunt hoſtiliter, & neſcientibus Januenſibus intraverunt Opizo Malaſpina burgum Clavari, & obſederunt caſtrum; & Moruellus filius ejus fuit ad Inſulam Sigeſtri, & alii eorum ſocietatis ad caſtrum Rivarolii, ubique viriliter prœliantes, & fuerunt milites CCL. & pedites ultra III. millia. Scientibus hoc noſtris Conſulibus, & civitate multis commota rumoribus, fecerunt parlamentum, & ſinè mora Rapallum mari & terra iverunt, convocantes amicos, milites, & omnes affines Marchiones, & archiferos, & clientes multos. Antea quidem quàm exercitus foret ſimul congregatus, homines, qui in caſtrum Clavari fuerant, pacti ſunt cum Opizone Malaſpina, ſe daturos libras CCC. ſi recederent burgo non combuſto; pro quibus & Nicolaus Roza, qui caſtrum intervênit (95), ſe ipſum Opizoni prædicto obſidem dedit: quod utique factum Conſulibus, & Communi, & Populo vehementer diſplicuit. Et tunc exercitus Januenſium mari & terra contra Marchionem, & ſuos iter arripuit. Qui ſiquidem Marchio rumores hujus exercitus percipiens, receſſit ſinè mora, mortuis, & vulneratis quampluribus, & retentis IV. militibus Placentiæ ad Rivarolum, caſtrametatus fuit in plano Sigeſtri. Veniens autem noſter exercitus contra perjuros & proditores homines Cucurni, aſcenderunt montem, & armis ceperunt Cucurnum, & munierunt illud armis, & viris; & inde versùs Inſulam iter ſuum mari & terra arripientes, Marchio Malaſpina montanas partes quæſivit, ſcilicet ad Petramtinctam. Altera die noſtri euntes ad ipſum capiendum, quum fuerunt ſuper Moneliam, frigus & gelus inauditum fuit, & nix, & ventus contrarius nimis, & ſol jam declinabat ad Occaſum; & ſic reverſi fuerunt ad Inſulam, & maximè quia fides quorumdam Marchionum, qui nobiſcum venerant, deficiebat, & malitioſè contra nos actibus, & conſiliis machinabant. Tamdem verbis, & conventionibus intermiſtis treuga ad Sigeſtrum facta fuit uſque ad proximum Paſcha, & ſic Januam exercitus ſoſpes cum victoria rediit. Pace quidem, & liberaliter ſolverunt Conſules Marchioni Montisferrati ſcauſimentum, & cuique militum illius libras . . . . ., & totidem Henrico Guercio, & Marchionibus de Gavi, & de Boſco, & de Ponzano, & cuique peditum XX. & victum. Nam præfati Conſules ſuum Conſulatum honeſtè, & viriliter tractaverunt. In fine tamen laborem eximium cum illis, qui electi fuerant, viriliter ſubſtulerunt. Qui utique Collectam fecerant per libram denariorum ſeptem, præter Collectam Plebium, & Navium. Sicut enim præfati Conſules Rempublicam ſapienter & prudenter tractaverunt, ita Conſules Cauſarum ea, quæ ad officium ſuum fuerant commiſſa, ſolicitanter, & tamquam viri prudentes diſpoſuerunt, cuique Jus ſuum ſecundùm varietates temporum tribuentes.

Anno MCLXXIII. Exiſtentibus VI. Conſulibus

(95) Alter Cod. MS. intravit.

libus in Republicâ Ansaldo (96) de Frendeo, Ingone de Flexa, Lanfranco de Alberico, Nicolao de Rodulfo, Guilielmo de Nigrone, Bellamuto. In Causis verò Guilielmo Mallono, Ugone Alberico, Guidotto Zurlo, Anselmo de Caffara. In aliis quatuor compagniis Paschale de Marino, Ansaldono, Oberto Maloancello, Alberto Grillo. Clavigeris Conrado Malfuastro, Guilielmo Zerbino, Rubaldo Lercario. Oberto existente Cancellario. Scribis Guilielmo Caligis (97) de Palio, Ogerio Pane. In Communi Ogerio de Gandulpho Constantii. In Causis ipsius Consulatus principium multis fuit negotiis diversis impeditum. Nam Opizo Malaspina, & Moruellus filius ejus, qui tunc temporis Vassalli Communis nostri fuerant, accepto feudo mille soldorum illius anni, adeò verbis pollicitis omnique hostili calliditate corda sollicitavit prædictorum, videlicet habitantium ab Airana usque Rapallum, quòd ferè omnes maligna cogitatione convenerunt in unum, insidiantes, & pro viribus laborantes contra nostrum Jus publicum, scilicet clam exercitum congregando, cogitantes proditionem nostrorum castrorum sibi futuram, sicuti in fine præteriti Consulatus breviori sermone, quàm potuimus, vobis per seriem exposuimus. Qui etenim Reipublicæ Consules ultra tria millia librarum sumserunt mutuo, quoniam noster exercitus contra prædictos Marchiones exierant, ex quibus libris cuique militum Clientum infra unius mensis spatium indifferenter exsolverunt quidquid illis fuerat promissum; & insuper castra additis his Clientibus ut viri prudentes munierunt, habentes consilium secum hoc modo dicebant. *Civitas nostra viris, divitiis, omnique rerum amænitate inter ceteras urbes affines propitia Deitate præfulget. Si igitur laudem, nobilitatem, vel demum quietem volumus conservare, ac vicinos hostes funditus intendimus de medio exstirpare, sanum & perutile esset, ut milites nativos in urbe nostra incipiamus creare*. Hac quidem ratione partim omnes concordes exstiterunt, in urbe Janua militiam, vel milites esse statutos. Et facto proinde Consilio * sic lentiam, quæ Rempublicam annuè nituntur augere, ad creandam militiam, Deo auspice, profuturam, lætiores solito authoritatem hilari mente præstarunt. Qua habita, Consules infra urbem, & extra ultra centum milites, spreto labore, sumtuque nimio, continuò armaverunt, & illos siquidem docentes more paterno, ut sæpiùs addiscerent otio, quo possent leviùs proficere bello. Qui etenim post parvi temporis spatium mense Junio ad partes Munciæ solùm cum Clientibus exeuntes, ædificaverunt castrum, quod vocatur: Villafranca, existente capite militum Consule Ingone de Flexa, in præsentia scilicet Marchionis Malaspinæ, & suorum adjutorum. Et ne videretur, quòd propter discordiam prædictorum affectus minor fieret, in agenda guerra Pisanorum armaverunt mense Aprili galêas VIII. ad insugandos, & capiendos Pisanos, & ut Judices Sardineæ, qui quodammodo in fide promissa videbantur deficere, Consul noster Lanfrancus Albericus, qui dominus galêarum fuerat constitutus, illos ad fidem tenendam & servandam confirmaret.

Propterea audientibus Consulibus, fama Cursorum referente, quòd duæ galeæ Pisanorum iverant in Provinciam, armaverunt VI. galêas, quas miserunt post illas, in quibus Otto de Caffara dominus & guida fuit à Consulibus constitutus. Post hæc intraverunt Provinciam V. galêæ Pisanorum, ad quas quidem capiendas, vel vi fugandas, mandaverunt Consules VII. galêas, in quibus Ingo de Flexa fuit guida & dominus præelectus. Interea mense Octobris intrante Opizo Malaspina congregato exercitu, quoad potuit, ingressus fuit terram nostram, & statim Montem-Leonem obsedit. Mox Janueuses militibus suis, & aliis undique convocatis, ultra CCCLX. & peditibus archiferis MD. sine mora in succursum Montis-Leonis iverunt. Rumore siquidem nostrorum audito, nostrisque visis militibus, Opizo Malaspina cum suis noctu ante lucem fugam petiit. Consules siquidem nostri cum prædicto Marchione nullam concordiam ibi facere voluerunt, ne fortè diceretur nos sub suo vexillo confœderationem ullam secum fecisse; disponentes tamen interim longiùs ire, ne fortè dispendium factum videretur quasi sepultum, & ne Civium otium exinde minùs videretur acutum. Armata ergo manu contra perfidos Paxanos perrexerunt; qui transacto anno, Malaspinæ importuna suasione facti fuerant rebelles, maximo quidem conamine castrum Paxani coram eodem Malaspina, & Moruello, suisque militibus, obsidentes; & licèt victualia, & quæ necessaria mari, & dum illud ineptum aderat, terra, magno labore vehebantur, & terras, & domos, & castrum, ceteraque comburentes in dies VIII. muris undique ruptis, miroque ictu lapidum fractis, castrum Paxani ceperunt. Ad quam siquidem captionem Ingo de Flexa cum galêis VII. venerat viriliter pugnando, quousque ad rei finem optatum pervenirent. Nam præfati Consules Reipublicæ Collectam grandem in urbe, & extra fecerunt; nam Consulatum intrantes nummos III. per libram, & ex eo exerentes, (98) nummos IX. collegerunt, quique pro nimiis expensis factis hoc fecerunt. Consules verò Causarum auxilio illis & consilio amicè subvenientes, Consulatum suum modis decentibus rexerunt (99), unicuique Civium Jus suum amicabiliter dantes.

(96) Alter Cod. MS. Antonio Fredenzono.
(97) Alter Cod. MS. Caliga.
(98) Alter Cod. MS. exeuntes.
(99) Alter Cod. MS. auxerunt.

OTTO-

OTTOBONI SCRIBÆ ANNALES GENUENSES AB ANNO MCLXXIV.

LIBER TERTIUS.

Congruum quidem, & æquitati, atque justitiæ consentaneum esse dignoscitur, bonorum actuum memoriam retinere, & in his maximè, quæ ad commodum & honorem Reipublicæ pertinere noscuntur, in quibus bonæ indolis viri necessarium debent studium, & summam diligentiam adhibere. Nil enim gratius est, quàm videre crescere publicum decus, ubi jus omnium sub generalitate concluditur. Agitur siquidem res privata, quoties Respublica patitur diminutionem. Hujus rei gratiâ ego Ottobonus Scriba gloriosum & commendabile opus, quod quondam felicis memoriæ Caffarus edidit, æmulans, quia tam laudabile propositum inertiâ diu fuerat prætermissum, licèt brevitate sensus ad hoc insufficiens videar, tamen quidquid potui memoriæ commendavi, & ad commodum Reipublicæ Januensis, & Nobilium animos provocandos præsenti volumine in scriptis redegi, ut sit memorabile in æternum; & si qua gestarum rerum quæstio, vel dubietas fortè in posterum orietur, per præsens autenticum scriptum veritas cognoscatur, omnisque ambiguitas auferatur. Unde felices successus, victorias, & res gestas, pro ut potui, breviter intitulavi. & scripsi sub suo Millesimo & Indictione nomina Consulum Communis, & justitiæ præfigurans.

Anno Dominicæ Nativitatis MCLXXIV Indictione VI. fuerunt Consules Reipublicæ Januensis VI. scilicet Guilielmus Longus, Ottobonus de Albericis, Otto de Caffaro, Guilielmus de Auria, Guilielmus Piper, Bonusvassallus Antiochiæ. Consules verò justitiæ fuerunt IV. in quatuor compagniis versùs civitatem, Paschalis Eliæ, Guilielmus Crispinus, Guilielmus Cavarunchus, Guilielmus Fornarius. In IV. verò compagniis versùs Burgum fuerunt Consules Paschalis de Marino, Rubaldus Lercarius, Rubaldus Ususmaris, Ansaldus de Nigro. Hoc anno prænominatus Ottobonus de Albericis bis ivit Legatus pro Communi Januæ ad Regem Guilielmum Siciliæ, filium quondam Regis Rogerii in galêa, à quo honorificè fuit receptus; & de discordia, quam diu habuerat civitas Januensis cum Regno suo, pacem & concordiam fecit cum honore & emolumento civitatis nostræ. De discordia, quæ erat inter civitatem Januæ, & Marchionem Malaspinam, & filium ejus Moruellum, pacem & concordiam fecerunt, & emerunt ab illis castrum Petræ-tectæ, & Podium Ilicis, quod (1) funditus destruxerunt. Fridericus Imperator hoc anno circa festum Sancti Michaëlis cum Rege Bohœmiæ, & maxima expeditione, fines Italiæ ingressus, pervênit ad urbem Astensem. Postmodum verò recessit inde, & aggressus civitatem novam Alexandriam, castrametatus est circa ipsam; & permanens ibi per totam hyemem, illam usque Pascha obsidendo, & impugnando eam cum Papiensibus, & Guilielmo Marchione Montisferrati; sed nihil ibidem profecit. Nam quum ipse Imperator in solemnibus & reverendis diebus Dominicæ Passionis, & Resurrectionis Domini jam dictis obsessis dedisset fiduciam, & promisisset de non pugnando: quidam Teutonici nocte Parascevæ, reverentiâ Passionis, & Resurrectionis postpositâ, clam fodentes, multi ex eis intraverunt civitatem. Alexandrini verò excitati percipientes hoc, concurrerunt ad arma, & eos penitùs occiderunt. Præterea Januenses multùm hoc anno impugnaverunt Pisanos, & plures galêas super eos miserunt, fugantes ipsos, & capientes. Præsenti quidem anno in Quadragesima maximus ignis exstitit accensus in domo Bellamuti.

Anno Dominicæ Nativitatis MCLXXV. Indictione VII. fuerunt VI. Consules in Republica, & VIII. pro Justitia, scilicet Fulco de Castro, Rogeronus de Castello, Ingo de Frexia, Rubaldus Bisaccia, Ugo Baldisonus, & Picamilium. Pro Justitia in IV. compagniis versùs civitatem Bojamundus de Odone, Guidotus de Nigrone, Rogerius de Justa. In IV. verò compagniis versùs Burgum fuerunt Obertus Malusancellus (2), Obertus de Nigro, Tanclerius Alde, & Antonius Ceba. Hoc Anno Imperator Fridericus ab Alexandriæ obsidione discessit, translacto festo Paschæ Dominicæ Resurrectionis, & ivit cum exercitu suo contra exercitum civitatum Lombardiæ, & Marchiæ, quæ in partibus Montis-belli castrametatæ fuerant unà cum Marchione Malaspina, quæ venire proposuerant super eum in partibus illis non multùm longè ab exercitu civitatum. Verumtamen mediantibus bonis viris pepigit Imperator cum eis, & nulla fuit ibi pugna; & sic Lombardi ad domos proprias remearunt. Imperator verò pervênit Papiam, & ibi moratus est. Præfati namque Consules egregiè Januensem urbem rexerunt, atque percussionem maximam intulerunt Pisanis, & valde eos impugnarunt. Rogerius Consul cum VI. galêis eos fuit persecutus. Invênit quidem navem quamdam Pisanorum maximam venientem de Sardinea de portu Turritano, quam multùm impugnavit, & persecutus eam fuit usque in portum Pisanum, ubi exonerata fuerat. Attamen nihilominus eam aggressus fuit, & tamdiu expugnavit, quòd vi cepit eam, & in conspectu multorum Pisanorum, & ejus vicinia, eam combussit, & cum omni gaudio, & triumpho Januam cum galêis suis pervênit. Postmodum Hugo Scotus Claviger Communis Januæ, vir probus ac nobilis, &

(1) Alter Cod. MS. quæ.

(2) Alter Cod. MS. Malocellus.

& honoris Januæ civitatis amator, dum cum quadam galêa Communis armata ad guardiam Provinciæ destinaretur, invênit quamdam galêam Pisanorum, quam ipse cum ipsa galêa sua in medio maris aggressus fuit, & fortiter unam per aliam impugnando expugnavit, & cepit, & homines cum galêa ipsa Januam duxit, & in carcerem trusit. Ceterùm Imperator Januenses, & Lucenses, & partem eorum, & Pisanos, & Florentinos, ac eorum partem vocavit; qui omnes ad eum Papiam accesserunt, ubi ipse Curiam tenebat, & ad ejus instantiam de tota lite & discordia in eum compromiserunt, & in ejus mandato stare juraverunt; qui inter eos pacem & concordiam stabilivit. Et in ipsa pace concessit Januensibus medietatem Sardineæ, sicut exigebant, quam Pisani eis pro posse contradicebant, & pro qua guerra diu steterat inter eos. Castrum verò Viæ-regiæ, quod confessione Domini Christiani Archiepiscopi Moguntini Cancellarii Imperatoris, & Legati, super Pisanos Januenses, & Lucenses construxerant, destrui præcepit. Pisanis verò monetam Lucensem, quam malitiosè cudebant, & falsificabant, sub juramento debito interdixit; & præcepit ne ampliùs eam cuderent. Omnia quidem in isto Consulatu lætum & gloriosum finem susceperunt. Eodem quidem anno ignis maximus accensus fuit extra civitatem juxta Sanctum Victorem in mense Januarii.

Anno Dominicæ Nativitatis MCLXXVI. Indictione VIII. Consulibus VI. existentibus in Republica, scilicet Nicolao Embriaco, Rodoano de Mauro, Ogerio Vento, Simone de Auria, Amico Grillo, atque Baldisone Ususmaris. Et Consulibus existentibus VIII. scilicet Guilielmo Cavaroncho, Henrico Gontardo, Guilielmo Mallono, Philippo de Justa in IV. compagniis versùs Castrum. Ansaldo Golia, Ojono (3) de Insulis, Sigismundo Muscula, atque Guilielmo Carmandino in IV. compagniis versùs Burgum civitas nostra per Dei gratiam in maxima tranquillitate, & fertilitate permansit. Præfati namque Consules per totum ver, totam & æstatem, galêas armatas in custodia Provinciæ tenuerunt ad capiendos Curiales, & rebelles, & illos, qui contra decretum illorum ibant. Hoc quidem anno Fredericus Imperator apud Lignanum Mediolanenses, & Brixanos, cum exercitu suo, & Cuniensibus est aggressus, & inito certamine, tamdem Imperator ipse triumphi contrarium incurrit, & cum toto suo exercitu de campo fuit ejectus atque fugatus, sicque Mediolanenses ex toto triumphum ac victoriam reportarunt: & hoc fuit in hebdomada Pentecostes.

Anno Dominicæ Nativitatis MCLXXVII. Indictione IX. fuerunt sex Consules in Republica Januensi, scilicet Ingo de Frexia, Guilielmus Ventus, Guilielmus Longus, Rubaldus Bisaccia, Guilielmus Sardena, & Obertus Recalcatus. Consules verò fuerunt pro justitiis in IV. compagniis versùs castellum, Paschalis Eliæ, Martinus Torrellus, Fredenzonus Contardus, & Albertus Castanea. In quatuor autem compagniis versùs Burgum fuerunt Almericus de Porta, Petrus de Marino, Rolandus Guarachus, & Guilielmus Piccamilium. Hoc anno Guilielmus Ventus ad Imperatorem, qui erat apud Ravennam, perrexit, à quo honorificè fuit receptus, & quæ cum eo stabilienda fuerant, stabilivit. Isti quidem Consules Rubeum de Volta Legatum ad Salahadinum Regem Ægypti miserunt, cum quo pacem firmavit. Civitatem denique in pace & tranquillitate maxima, & fertilitate rexerunt, & ad lætum finem omnia perduxerunt. In isto namque Consulatu filia Regis Angliæ Januam vênit, quam Vassalli Guilielmi Regis Siciliæ, cujus uxor fuit, ad eum cum galêis in Siciliam transportarunt.

Anno Dominicæ Nativitatis MCLXXVIII. Indict. X. fuerunt in Republica Consules VI. & VIII. pro justitiis, scilicet pro Communi Guilielmus Modius-ferri, Albericus, Nuvolonus, Bisaccinus, Guilielmus de Nigrone, & Otto Fornarius. Pro justitiis verò in quatuor compagniis versùs castellum fuerunt Ugolinus Mallonus, Guidotus de Nigrone, Philippus de Justa, Fulco Guiliæ Comitissæ. Et in quatuor compagniis versùs Burgum fuerunt Dionus de Insulis, Guilielmus Ursetus filius Nicolai de Rodulpho, Paschalis de Marino, & Rubaldus Lercarius. Hoc anno mense Januarii dum præscripti Consules essent electi, Fridericus Imperator vênit Januam, nam ante per diem unam conthoralis ejus Beatrix Imperatrix venerat. Postea sequenti die ab adventu Imperatoris vênit filius eius Rex Henricus, & moram fecerunt per paucos dies; & honorabilibus donis acceptis recesserunt. In isto siquidem Consulatu discordia fuit inter Mazanellos, & Navarros, & bellum fuit inde semel. Nam præfati Consules, qui in tranquillitate & fertilitate Januam civitatem rexerunt, pacem & concordiam inter eos composuerunt. Omnia siquidem ad lætum & bonum finem ipso anno pervenerunt. Consules verò Justitiæ tamquam viri legales & honesti officium Consulatus feliciter exercuerunt, jus suum cuique Civium amicabiliter tribuentes; & potestatem Consulatus, & acta publica successoribus suis in fine feliciter assignantes.

Anno Dominicæ Nativitatis MCLXXVIIII. Indictione XI. Consules fuerunt in Januensi Republica VI., & VIII. pro justitiis, scilicet Nicolaus Sembronus (4), Ogerius Ventus, Ottobonus de Albericis, Baldisonus (5) Ususmaris, Guilielmus de Auria, Amicus Grillus. In justitiis verò versùs Castellum Guilielmus Mallonus, Guilielmus Cavarunchus, Guilielmus Tornellus, & Guilielmus Fornarius. Et versùs Burgum fuerunt Paschalis de Marino, Sigismundus Muscula, Rubaldus de Pinasca, & Guido Spinula. In ipso Consulatu præmemoratus Baldisonus morbo confectus obiit. Discordia quidem fuit inter Amicum filium Amici Grilli, & propinquos ejus, & fratres Rogerii Venti, Petrum scilicet, & Simonem; & bellum idem fuit apud Sturlam. Hoc siquidem anno Dominus Ugo Archiepiscopus fuit vocatus ad Consilium, & Synodum maximam, quam Alexander Papa III. apud Lateranum celebravit. Atque prænominatus Archiepiscopus honorificè ivit cum Domino Oberto Præposito S. Laurentii, Ogerio Galeta Magiscula, (6) Henrico de Auria, atque Nuvelono in galêa quadam egregiè armata. Jocundè quidem & cum honore maximo in Curia ab ipso Apostolico, & Cardinalibus fuerunt recepti, &

(3) Alter Cod. MS. Diono.
(4) Alter Cod. MS. Embronus.
(5) Alter Cod. MS. Balditio.
(6) Alter Cod. MS. Majuscula.

& tractati, & omnia Privilegia confirmavit Dominus Papa, quæ ipse, & Prædecessores ejus Ecclesiæ urbis Januæ fecerant; & Reliquias gloriosissimi Præcursoris & Martyris Christi, scilicet Beati Johannis Baptistæ revelavit, & cum omni gaudio Januam remearunt. Prænominati Consules civitatem & Commune bene in omni felicitate rexerunt, & ad lætum finem omnia perduxerunt. Filia Regis Francorum hoc anno vênit Januam, quam Balduinus Guercius, & propinqui ejus cum galêis apud Constantinopolim transportarunt ad Alexium filium Domni Emanuelis Imperatoris, cujus uxor fuit. Omnia quidem in isto Consulatu lætum finem perceperunt. Consules quidem justitiæ omnia negotia & causas fine debito terminantes, & jus suum cuique Civium amicabiliter tribuentes, regimen, & officium Consulatus successoribus suis Consulibus in fine feliciter assignarunt. Hoc anno fuit primitus constitutum per Emendatores, ut liceat reo, ante quemcumque Consulatum vellet, posse convenire actorem.

Anno Dominicæ Nativitatis MCLXXX. Indictione XII. fuerunt Consules VI. in Republica Januensi, scilicet Ingo de Flexia, Ido de Carmandino, Guilielmus Ventus, Simon de Auria, Albericus, Hugo Baldicionis. Et VIII. pro justitiis, scilicet in quatuor compagniis versùs castellum Corsus de Palasuolo (7), Obertus Pedicula, Tanclerius Philippi, Rubaldus Porcellus. In aliis verò quatuor compagniis versùs burgum fuerunt Joannes de Infantibus, Obertus de Nigro, Obertus Roza, Antonius Golia. Prænominati Consules pacem & concordiam fecerunt inter Ventos, & Grillos. Hoc siquidem anno Dominus Emanuel divæ memoriæ Constantinopolitanus beatissimus Imperator, sicut divinæ placuit Majestati (proh dolor!) obiit mense Septembris festo Beatæ Teclæ Virginis & Martyris, secundùm quod retulit Guilielmus Arnaldus nobilis Januæ Civis, qui vênit de Peira cum navi onerata frumento: unde Christianitas uniuersa ruinam maximam & detrimentum incurrit. In isto namque Consulatu odium maximum, & guerra crevit inter Rubaldum Porcellum, & fratres, & Guiraldum Scotum, & ejus propinquos; sed non fuit idem bellum. Ex prædicta namque discordia præfati Consules pacem fecerunt inter Porcellos, & propinquos Guiraldi Scoti, qui Guiraldus Scotus pacem recusando extra Januam abiit, bona cujus prædicti Consules destruxerunt.

Anno Dominicæ Nativitatis MCLXXXI. Indictione XIII. pro Communi scilicet fuerunt Anselmus Garrius, Antonius Tanclerius, Nuvelonus de Albericis, Bisaccia, Ido Picius, & Guilielmus de Auria. Pro justitiis verò fuerunt in quatuor compagniis versùs civitatem Fredericus Albericus, Anselmus (8) de Caffara, Ugo Albericus, Guilielmus Tornellus. In quatuor verò compagniis versùs burgum fuerunt Henricus de Murta, Paschalis de Marino, Amicus Grillus, & Guilielmus Usufmaris. Hoc anno morbus maximus, & mortalitas maxima fuit Januæ, ex qua plures Nobiles obierunt. In isto namque Consulatu Gualterius de Moach Admiratus Guilielmi Regis Siciliæ cum maximo stolo de galêis, & vescheriis (9) plurimis cum militibus vênit in Portum Januæ: quod siquidem stolum prænominatus Rex Guilielmus mandabat ad capiendam Majoricam. Cum stolo ipse Gualterius per totam hyemem stetit apud Vadam. Hoc anno ignis maximus fuit accensus in Palazuolo in nocte Dominicæ Nativitatis, veniente festo S. Stephani Protomartyris. Hic nempe ignis magnum damnum intulit civitati; totam enim ferè contratam & viciniam Palazuoli combussit, & consumsit. Consulatus quippe justitiæ omnia, quæ sub eorum examine fuerunt, fine debito terminarunt, & in fine Consulatus regimen & officium successoribus suis Consulibus assignarunt.

Anno Dominicæ Nativitatis MCLXXXII. Indictione XIV. fuerunt Consules Reipublicæ Januensis Ingo de Flexia, Andreas de Auria quondam Simonis, Nicolaus Mallonus, Piccamilium, & Guilielmus Modiusferri Spezapedra. In quatuor compagniis versùs castellum fuerunt Consules pro justitiis Guilielmus Mallonus, Guilielmus Buronus, Fulco Juliæ (10) Comitissæ, & Angelotus de Caffara. In aliis quatuor compagniis versùs burgum fuerunt Consules Henricus de Nigro, Tanclerius Aldæ, Obertus Lucensis, Ansaldus Golias. Hoc siquidem anno commemorati Consules se viriliter accinxerunt ad aggrediendam, & impugnandam Vinguiliam (11), & incolas ejus loci, propter immensum facinus, quod fecerant capiendo nobilem & egregiam mulierem, Mariam scilicet, filiam quondam Ottoboni de Albericis uxorem Lanfranchi Richerii, Niciam proficiscentem. Ecce homines ipsius loci Januam venerunt, & mandato Consulum steterunt, & jurando fidelitatem Communi Januæ, castrum, & totam terram Consulibus reddiderunt. Propterea homines Vernaciæ, cum quibus pacem habebant Januensium Cives, in publica strata maris capere præsumserunt, & de bonis suis & mercimoniis, cum quibus Januam festinabant, eos exspoliarunt. Verùm quia moniti à perpetrato scelere resipiscere recusabant, supradicti Consules exercitu congregato illos fuerunt aggressi, & circa Vernaciæ castellum potenter castrametati, tamdiu illos per diem & noctem cum machina, (12) & ceteris bellicis instrumentis eos impugnarunt, quòd vi ceperunt eos, & Pisanos, & pecuniam ablatam Pisanis in integrum reddiderunt. Hoc etiam anno Guilielmus Modiusferri Consul cum exercitu, & cum Alexandrinis aggressus est castrum Silvani, & obsedit illud, & cum gaudio & victoria Januam remeavit. In isto namque Consulatus anno, in Festo scilicet Assumtionis Beatæ Mariæ, quum Matutinum celebraretur, fuit maximus Terræmotus. Consules namque justitiæ decenter rexerunt, & officium Consulatus, causas omnes, & negotia universa, quæ ante eos fuerunt, fine debito terminantes, & Consulatus officium ac regimen successoribus suis Consulibus in fine Consulatus feliciter assignantes.

Anno Dominicæ Nativitatis MCLXXXIII. Indictione XV. Fuerunt in Januensi Republica Consules VI. & VIII. pro justitiis, scilicet Ugolinus Mallonus, Angelus de Mari, Antonius Bufferius, Guilielmus de Auria, Rubeus de Volta, Lanfranchus Piper. Pro justitiis verò

(7) Alter Cod. MS. Palazolo.
(8) Alter Cod. MS. Ancermus.
(9) Alter Cod. MS. uscheriis.
(10) Alter Cod. MS. Guiliæ.
(11) Alter Cod. MS. Linguiliam.
(12) Alter Cod. MS. machinis.

verò fuerunt in quatuor compagniis versùs castellum Otto Mallonus, Opizo Lecavellum, Jonathas Cavarunchus, Obertus Pedicula. In aliis autem compagniis versùs burgum fuerunt Otto Pezullus, Rubaldus de Pinascha, Vassallus Grillus, Ansaldus Guarachus. Hoc anno multa odia, atque dissensiones fuerunt in civitate, scilicet inter Fulconem de Castello, & Ventos ex una parte, & Buldonoson (13), & illos de Curia ex altera; & inde maximum bellum fuit in Bisamne. Præfati namque Consules de justitia omnia justè & amicabiliter tractaverunt, & jus suum cuique, sicut juris ordo postulat, providerunt; & cum honore maximo ad finem Consulatus pervenerunt, & eorum successoribus acta publica, & Consulatus officium assignarunt.

Anno Dominicæ Nativitatis MCLXXXIV. Indictione I. fuerunt Consules VI. pro Communi, & IV. pro justitiis, scilicet ex una parte civitatis, & IV. ex parte burgi. In Republica fuerunt Guilielmus Torellus, Amicus filius Amici Grilli, Nuvelonus, Rubaldus Porcellus, Grimaldus, Jacobus de Turca. Pro justitiis verò fuerunt ex parte versùs castellum Guilielmus Mallonus, Rainaldus Strugonus, (14) Albertonus Ricius, & Rubaldus de Guria. Ex parte autem burgi fuerunt Obertus Lucensis, Angelotus Vicecomes, Viridis de Mascalo (15), & Ansaldus Golias. In ipso namque Consulatu illi de Portu-Mauritio, & Comitatu, rebelles fuerunt civitati, contra quos præfati Consules exercitum dirigere destinaverant, & machinas plurimas, & bellica instrumenta fecerant præparari. Ceterùm quia Consulatus, & maiores prædictorum locorum Januam venerunt, & fusis precibus ad pedes Consulum, & Nobilium civitatis se posuerunt, & prostrati veniam postularunt, & offensis commissis satisfecerunt in ordinatione Consulum, & Nobilium, pepercerunt eis; & sic remansit exercitus.

Anno Dominicæ Nativitatis MCLXXXV. Indictione II. fuerunt in Republica Consules VI. & quatuor ex parte civitatis pro justitiis, & quatuor ex parte versùs burgum. Pro Communi fuerunt Nicolaus Ubriacus (16), Ingo de Frexia, Guilielmus Ventus, Bisacinus, Simon de Auria, Lanfrancus Piper. Pro justitiis fuerunt Obertus Pedicula, Johannes de Bolleto, Balduinus Scotus, & Martinus Tornellus. Ex parte verò versùs burgum fuerunt Otto Pezullus, Villanus de Insulis, Bonusvassallus Brunus, & Tanclerius Aldæ. Isti Consules pacificaverunt omnes discordias, quæ erant in civitate, & fecerunt Collectam, & solverunt medietatem totius debiti, quod Commune solvere tenebatur, pro quo Marchæ & introitus Communis erant creditoribus communi pignore obligati. Hoc anno civitas Januensis in pace maxima & tranquillitate permansit. Præfati namque justitiæ Consules regimen & officium Consulatus decenter, & honestè tractarunt, jus suum secundùm juris tenorem cuique amicabiliter tribuentes, officium & regimen successoribus eorum in fine feliciter assignantes.

Anno Dominicæ Nativitatis MCLXXXVI. Indictione III. fuerunt in Januensi Republica Consules VI. scilicet Ugolinus Mallonus, Guilielmus de Auria, Raymundus de Frexia, Amicus Grillus, Guilielmus Torellus (17), Guilielmus Piper. Pro justitiis verò Consules fuerunt ex parte, quæ est versùs castellum, Rubaldus Mallonus, Maurinus (18) Roduani, Albertonus Riccius, & Guilielmus filius quondam Ingonis Torelli (19). Ex parte burgi fuerunt Henricus filius Guilielmi de Auria, Obertus de Nigro, Guisulphus de Campo, & Angelotus Vicecomes. Isti Consules Collectam fecerunt, & solverunt medietatem debitorum Communis Januæ de eo, quod restabat ex debito marcharum creditoribus. Hoc anno Guilielmus Torellus fuit missus in Sardineam pro (20) Commune Januæ, & pro negotiis Sardineæ collocandis. Et Nicolaus Mallonus, atque Lanfrancus Piper, ad Isachium Constantinopolitanum Imperatorem Legati destinati fuerunt. Civitas equidem nostra in isto Consulatu in maxima tranquillitate & pace permansit, & omnia ad lætum & gloriosum finem per omnia, quæ sub eorum examine fuerunt, sine debito terminarunt, & in fine Consulatus regimen & officium successoribus suis Consulibus assignarunt.

Anno Dominicæ Nativitatis MCLXXXVIII. Indictione IV. fuerunt in Republica Januensi Consules VI., & pro justitiis VIII. quorum medietas ex parte illa, quæ est versùs castellum, & alia medietas, quæ est versùs burgum. Pro Communi fuerunt Guilielmus Embriacus, Ansaldus Bufferius, Ido de Carmandino, Anglerius (21) de Mari, Rubeus de Volta, & Jacobus de Turcha. Pro justitiis ex parte civitatis fuerunt. Lanfrancus de Palio (22), Otto (23) de Flexia, Fredenzonus Gontardus, Guilielmus Galetta. Ex parte verò burgi fuerunt Botarius filius Guilielmi de Auria, Guilielmus de Nigro, Lanfrancus de Mari, & Bonusvassallus Brunus. In isto Consulatu dum civitas nostra in concordia maxima & tranquillitate manebat, caput extulit Satanas. Lanfrancus namque filius Jacobi de Turcha, diabolico arreptus spiritu, interfecit memoratum Anglerium de Mari Consulem Communis in civitate ante domum Bonaciæ cum quibusdam latrunculis, & servientibus, die XVI. Februarii. Pro supradicto namque homicidio odia innumera, & seditiones in civitate Januæ initium sumserunt. Sepultæ igitur inimicitiæ, & discordiæ, peccatis exigentibus habuerunt resurrectionem. Nam prædicti Consules ad tantum facinus ulciscendum ad honorem Patriæ se viriliter accinxerunt. Congregatis itaque Nobilibus civitatis, & Populo armata manu ad capiendos illos, qui tantum scelus perpetraverant, accesserunt; & domos, & Turrim, & bona eorum omnia radicitus dextruxerunt, eosque de civitate penitùs ejecerunt. Propterea Nobiles viri Rubaldus Porcellus, & Opizo Leccavellum, peccatis exigentibus, mense Julii in Vigilia Sancti Jacobi ad Cap.... interfecti fuerunt: unde rumor, & tumultus maximus, atque seditio fuit in civitate.

(13) Alter Cod. MS. Bulbonosum.
(14) Alter Cod. MS. Stanconus.
(15) Alter Cod. MS. Musculo.
(16) Alter Cod. MS. Embriacus.
(17) Alter Cod. MS. Tornellus.
(18) Alter Cod. MS. Marinus Rodani.
(19) Alter Cod. MS. Tornelli.
(20) Alter Cod. MS. Procurator.
(21) Alter Cod. MS. Angelerius.
(22) Alter Cod. MS. Pallo.
(23) Alter Cod. MS. Otto Elia.

tate. Hoc siquidem anno mense Junii inter Festum Sancti Johannis Baptistæ, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli Salahadinus Rex Ægypti manu valida & infinita Turcharum, & Sarracenorum multitudine, Terram-Sanctam fuit aggressus, &, peccatis exigentibus, campestri prœlio Templarios, & Christianos vicit atque fugavit; Hierosolymam, Acon, & omnes partes illas cepit, excepta civitate Tyri; verùm quoque Crucem, (proh dolor!) deportavit, & Regem Guidonem, qui eo tempore regnabat, captivum duxit in Damascum cum Guilielmo seniore Marchione Montis-ferrati, aliisque plurimis Militibus, & Baronibus. Contigit namque, quòd Vir egregius Dominus Conradus Marchio Montis-ferrati, quum esset Constantinopoli, divina inspiratione, navem quamdam cum Januensibus ascendit, ad partes Tyri feliciter accedens, & in civitate illa, quæ à captione Sarracenorum evaserat, se recepit; & cum quibusdam Januensibus opposuit se, & per totam hyemem illam civitatem defendendo, & contra Turchas viriliter bellando, eam tenuit, & plurima bella vicit, & in Dei virtute obtinuit.

Insuper autem præfatus Marchio ad Imperatorem Alemanniæ, & Philippum Regem Francorum, ad Ricardum Regem Angliæ, ad Guilielmum Regem Siciliæ, & universis ferè Baronibus, & sublimibus Personis, ad civitatem Januam, & Pisas literas suas, & Nuntios destinavit, ut pro servitio Dei, & ejus succursu viriliter se accingerent. Hoc quidem Anno Pisani, prætermisso juramento pacis, cum exercitu in Sardineam ascenderunt, & Mercatores Januenses omnes, quoscumque invenerunt, bonis suis exspoliaverunt, & de grotis, & toto Judicatu Calaris ejecerunt. Unde guerra inter Januenses, & Pisanos incœpta fuit. Januenses profectò exercitum maximum super Pisanos, & stolum præparaverunt; & quum essent apud Portum-Veneris in manu valida, & extento brachio parati & accincti ad aggrediendum Pisanos, & eundum ad portum Pisanum: ecce literæ Regis Henrici filii Imperatoris Friderici, quas impetraverant Pisani, & quæ fuerunt Consuli Januæ, & exercitui præsentatæ, quibus continebatur, quòd Rex ipse rogabat eos, ut ejus obtentu & amore à Pisanorum offensione desisterent: qui, admissis precibus, destiterunt. Exercitus universus ad lares proprios feliciter, & ingenti gaudio remeavit. Verùm Nobilem Virum & probissimum Fulconem de Castello cum galêis X. super Pisanos miserunt, qui Pisanos valde persecutus fuit, & castrum Bonifacii, quod Pisani construxerant, viriliter fuit aggressus, & vi in ore gladii castellum illud cepit, & funditus destruxit. Præfati namque Consules injurias, & commissa scelera vindicarunt, & ingenti conamine & angustiis eximiis civitatem rexerunt, & viriliter gubernarunt. Consules quoque justitiæ regimen & officium Consulatus decenter, & honestè tractarunt, jus suum secundùm juris tenorem cuique amicabiliter tribuentes, officium & regimen successoribus eorum in fine feliciter assignantes.

Anno Dominicæ Nativitatis MCLXXXVIII. Indictione V. fuerunt in Republica Januensi Consules VIII. pro Communi, & VIII. pro justitiis. Pro Communi namque fuerunt Fulco de Castello, Simon de Auria, Nicolaus Ubriacus, Obertus Spinula quondam Oberti, Ingo de Volta, Balduinus Guercius, Ogerius Ventus, & Spezapedra. Pro justitiis verò fuerunt Petrus Capra, Hugo Mallonus, Ingo quondam Caffirii de Volta in quatuor compagniis versùs castellum. In aliis verò quatuor compagniis versùs burgum Consules fuerunt Dionus de Insulis, Guilielmus Lercarius, Rubaldus de Pinasca, & Tanclerius Aldæ. Hoc anno seditiones multæ, discordiæ innumeræ, & prœlia fuerunt in civitate. Unde contigit quòd Vir nobilis Ingo prædictus filius quondam Caffirii de Volta, dum transiret à domo filiorum Malfantis, casu lapide percussus capite obiit. In isto namque Consulatu ex imminenti guerra, & discordia, quæ erat inter Januenses, & Pisanos, pax facta fuit, mediante Apostolico Clemente, in quo se compromiserunt. Prædicti igitur Consules miserunt in Legatum Nicolaum filium quondam Philippi de Lamberto ad Regem Majoricæ, cum quo ad honorem Januensium urbis pacem usque ad annos XX. firmavit, sicut in Instrumentis latiùs, & Sarracenicis literis inde confectis redactum est, & conscriptum.

Hoc denique Anno Dominus Hugo sedens Archiepiscopus, qui per multa tempora feliciter & gloriosè vixit in Januensi Archiepiscopatu, XII. die Junii circa vesperas ultimum naturæ debitum solvit, & de terris ad Cœlum, de imis, vocante Domino, ad superna gaudia transmeavit, & Beato Syro, aliisque contuberniis meruit feliciter sociari. Sequenti verò die, corpore ipsius juxta altare Beati Nicolai, Episcopali more, cum hymnis & canticis solemniter tumulato, Clerus & Consules cum Nobilibus de Senatu, & Officiariis civitatis convenerunt in unum, & de constituendo Antistite fideliter & humiliter tractaverunt, & electionem ipsam uno spiritu, ac unanimi devotione infrascriptis Venerabilibus Viris secundùm Statuta Canonum, & decreta Principum religiosissimè commiserunt; Abbati scilicet Sancti Syri, Abbati Sancti Stephani, Abbati Sancti Benigni, Domino Ottono Præposito Sanctæ Mariæ de Vineis, Guilielmo Sancti Donati Præposito, Presbytero Oliverio Sanctæ Mariæ de Castello, Presbytero Guilielmo Sancti Damiani, Presbytero Guilielmo Sancti Georgii, Presbytero Joanni Sancti Petri de Porta, Canonicis quoque Sancti Laurentii, Magistro Anselmo, Presbytero Augustino, Rustico Diacono, qui omnes de ipsa electione legitimè facienda in hunc modum juraverunt.

Ego cum sociis meis ad hoc assignatis absque fraude, & dolo, nihilum obstante, vel suadente amore, vel odio, timore, aut servitio ullo, eligam in Archiepiscopum civitatis hujus illam personam, quam moribus & scientia ad hoc convenientiorem, & honestiorem, ac utiliorem cognoscam, vel sinè fraude credam. Ita tamen si nostræ hujusmodi electioni publicè annuerit. Quo juramento præstito convenerunt nominati Electores in Palatio Januensis Archiepiscopi, & Canonicos Ecclesiæ Beati Laurentii primò inspicientes, præsente A. scilicet Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali, qui postea fuit Episcopus Veronæ, unanimiter Dominum Bonifacium tunc temporis Archidiaconum, in Januensem Archiepiscopum elegerunt, qui eadem die à Clero, & Populo, ipso renitente & reluctante, in Pontificali Sede fuit feliciter collocatus; & campanis undique pul-

fantibus Clerus universus *Te Deum laudamus* lætanter decantavit.

Præterea universis tam futuris, quàm præsentibus innotescat, quòd prænominatus Dominus Archiepiscopus Bonifacius cum Præposito Sancti Laurentii, Abbatibus, Religiosis, Clericis, Consulibus, præsente quoque Domino Petro titulo Sanctæ Cæciliæ Presbytero Cardinali fodiit sub altare Beati Laurentii, ubi sarcofagum tuveum invênit marmoreum, quod publicè intuentibus hominibus cunctis, qui præsentes erant, aperiri fecit. In quo quidem Beatissimi Confessoris Syri Reliquias, qui olim fuit Episcopus Januensis, & Æmilianæ mulieris religiosæ filius, invênit, cum quibus Reliquiis inventus fuit Episcopalis annulus, & pars Virgæ pastoralis, cum quibus fuit prædictum corpus beatissimum tumulatum. In prædicto namque sarcofago Epitaphia duo inventa sunt, unum plumbeum, & aliud marmoreum. In marmoreo quidem Epitaphio continebatur ita:

HIC RECUBAT SYRUS SACRO BAPTISMATE DICTUS,
CUJUS TERRA LEVIS FLORIDA MEMBRA PREMIT.

In plumbeo enim Epitaphio pariter continebatur, quomodo ejusdem Beati Syri Reliquiæ hoc modo olim ad Ecclesiam Beati Laurentii pervenerunt. Contigit namque, quòd quum beatum Corpus apud Ecclesiam Sancti Syri in Domino requiesceret, tempore, quo Landulphus Vir Venerabilis Januæ Cathedram regebat, ad Ecclesiam Beati Laurentii fuit inde translatum: Et sunt modò circiter anni CC. secundùm quod sapientum dictis, & Chronicorum commentis continetur. Prædictus denique Archiepiscopus jam dictas Reliquias in marmorea capsa quæsita super altare Sancti Laurentii cum canticis & hymnis, præsente jam dicto Petro Cardinali, & Clero, & Populo Januensi, solemniter collocavit, atque recondidit. Circa quidem arcam tuveam supradictam inventa fuerunt ossa, & Reliquiæ Beatissimorum Confessorum Felicis, & Romuli Januensium Episcoporum. In isto namque Consulatu prænominatus Dominus Petrus Cardinalis, & Apostolicæ Sedis Legatus inter Lanfranchum de Turcha, & partem suam, & Buldonosum, (24) & partem suam pacem fecit. Supradicti Consules, & Communitas Januensis hoc anno Rubeum de Volta ad Regem Angliæ Legatum miserunt, causâ tractandi cum Rege ipso de succursu præstando Terræ Surriæ (25), à quo honorificè fuit tractatus. Consules verò justitiæ supradicti Civium & civitatis negotia honestè & benignè tractaverunt, jus suum cuique amicabiliter tribuentes.

Anno MCLXXXIX. Indictione VI. fuerunt Consules VIII. pro Communi in Republica, & VIII. pro justitiis. Quorum Guilielmus Embriacus, Roduanus de Mauro, Guilielmus Ventus, Nicolaus de Mari, Picamilium, Otto de Nigro, Bisacinus, & Guido Spinula pro Communi fuerunt. Pro justitiis verò ex parte civitatis fuerunt Simon Busferius, Ogerius de Pallo, Obertus Pedicula, qui obiit in Consulatu, & Balditio Cutis. Ex alia verò parte burgi fuerunt Consules Villanus de Insulis, Obertus Lucensis, Adalardus de Burgo, & Obertus de Nigro. Isti Consules habuerunt octo Clavigeros. In isto Consulatu multæ guerræ & seditiones fuerunt in civitate, & multa odia regnaverunt. Secundo siquidem die Madii bellum maximum fuit in mercato Sancti Georgii inter Guilielmum Ventum & Consanguineos, & illos de Volta. Et in die Pentecostes prope Sanctum Laurentium, & prope Sanctam Mariam de Vineis Comes de Zoalono hoc anno, & Dux Burgundiæ, vênit Januam, & inde transfretaverunt ad succursum Terræ Surriæ (26), miserunt Legatos ad Philippum Regem Francorum, & Ricardum Regem Angliæ, & aliis Baronibus, & Principibus ultramontanis, scilicet Ansaldum Bufferium, & Henricum Detesalve: quos instinctu diabolico ceperunt, & ad redemtionem coëgerunt Donexella uxor quondam Alberti Marchionis de Incisa, & filii ejus: contra quos exercitum paravit civitas Januæ cum Astensibus, & Alexandrinis, qui tamdem coacti reddiderunt Legatos. Qui Legati perrexerunt ad supradictos Reges, & Principes, qui pro Janua Legatos suos destinaverant, & literas, solicitantes eos de servitio Dei, & succursu Terræ Surriæ; & sic perfecerunt, quòd ipsi duo Reges, qui salutiferæ Crucis signum levaverant (27), de prædicto succursu concordes fuerunt: hoc modo scilicet: quòd Rex Franciæ Januam veniret, & inde transfretare proposuit; & etiam Rex Angliæ transfretare de Marsilia proposuit, & transfretavit. Prænominatæ quidem, & aliæ civitatum imminentes discordiæ sedatæ satis, & ad pacem revocatæ fuerunt.

Hoc quidem anno multæ naves cum militibus, & Peregrinis de Portu Januæ exierunt. Transfretavit namque hoc anno Guido Spinula Consul Communis, quem cum aliis sociis Communitas Januæ ad succursum & servitium Dei, & obsidionem Aconitanæ civitatis miserat, quam impugnabant, & obsidebant Christiani. Transfretaverunt etiam Nicolaus Embriacus, & Fulco de Castello, Sicolaus Embriacus, & Fulco de Castello, Spezamon de Auria, Balduinus Guercius, Spezapedra, Rubeus de Volta, & multi alii nobiles Milites, & Pedites civitatis Januæ. Qui in castris & obsidione prædictæ civitatis viriliter steterunt, & castella lignea, & machina, & alia bellica instrumenta ibi erexerunt. Fridericus Imperator hoc anno mense Aprilis terrestre iter arripiens cum infinita multitudine militum ad prædictum properavit occursum, & per terram Regis Iconiæ, & per alios adjacentes fines, post multa pericula, & bellorum eventus intravit Suriam. At quum esset in partibus Antiochiæ, & transiret fluvium Ferri, casu cecidit in aquas, ubi, sicut Divinæ placuit Majestati, obiit. Multi quidem ex suis militibus fame, penuria, & morbo percussi mortui fuerunt. Supradicti namque Consules justitiæ tamquam Viri boni & honesti omnia, quæ arbitrio eorum commissa fuerunt, fine debito tractarunt, jus suum cuique amicabiliter tribuentes.

Anno quidem Dominicæ Nativitatis MCXC. Indictione VII. fuerunt VI. Consules in Republica Januensi, & VIII. pro justitiis. Pro Republica siquidem fuerunt Raymundus de Flexia,

(24) Alter Cod. MS. Bulbonosum.
(25) Alter Cod. MS. Syriæ.
(26) Alter Cod. MS. Syriæ. Pro quo succursu præfati Consules miserunt &c.
(27) Alter Cod. MS. levaverunt.

xia, Marinus filius Rodoani, Simon Ventus, Lanfranchus Piper, & Ido de Carmandino, & Enricus Piccamilium. Pro justitiis Consules fuerunt ex parte civitatis Otto de Castello, Bonifacius filius quondam Ogerii de Guidone, Fulgo (28) Albericus, & Jalonus filius Philippi de Justa. Ex parte verò burgi fuerunt Antonius Golias, Bruminus de Campo, Petrus de Marino, & Raymundus Arcantus; Præsenti quidem anno nova & inaudita per Emendatores constituta fuerunt, unde nimium novæ & inauditæ causæ evenerunt in civitate, sicut scire volentes præsentis paginæ poterunt insinuatione doceri. Fuit enim per Emendationem (29) constitutum, ut Consules justitiæ, qui vetusta & antiqua consuetudine solebant in Palatiis Domini Archiepiscopi pro Tribunali sedere, & querelantium voces solemniter audire, ac cuique in sua justitia legitimè providere, prædictam vetustam solemnem sedem relinquerent; & per tres menses (res mira!) apud Sanctam Mariam de Castello placita tenebant (30), & per alios tres menses apud Sanctum Georgium, & per alios tres apud Sanctum Donatum, & per alios tres in Palatiis supradictis. Et ut Consules ex parte burgi per tres menses placita tenebant (31) apud Sanctum Syrum, & per alios tres apud S. Mariam de Vineis, & per alios tres apud Sanctum Petrum de Porta, & per alios tres in Palatiis supradictis. Præsenti quidem anno Philippus Rex Francorum prima die Augusti intravit Januam cum Duce Burgundiæ, & Comite Damuel (32), & aliis pluribus Principibus, & Baronibus, & moratus est in Janua usque ad diem illam, in qua celebratur Festum Sancti Stephani (33). Ipsa die cum prædictis Baronibus intravit mare, & velificante nave ivit in Suriam in occursum illorum, qui Aconitanam obsidebant civitatem. Eodem quoque anno Ricardus Rex Angliæ de Marsilia veniens cum galèis XV. intravit Januam XIII. die Augusti, & cum prædicto Rege Philippo colloquio celebrato, ipsa die recessit, & applicuit in portu Dalphino, ubi per aliquot dies invalescente maris tempestate moram fecit. Prosperis verò deinde flantibus ventis iter tenuit, & apud prædictum succursum obsidionis viriliter festinavit. Ipso quoque anno multæ naves onustæ peregrinis & militibus pro supradicto succursu faciendo iverunt de portu Januæ ultra mare, cum quibus iverunt Simon Ventus, & Marinus Consules Communis.

Ut autem nova & inaudita, quæ modernis temporibus evenerunt, posteris innotescant, ad memoriam inde in posterorum conservationem infrascripta in præsenti volumine intitulavi, & in scriptis redegi. Noverint ergo tam futuri inposterum, quàm moderni, quod ob multorum invidiam, qui Consulatus Communis officium ultra modernum cupiebant habere, nonnullæ civiles discordiæ, & odiosæ conspirationes, & divisiones in civitate invaluerunt. Unde contigit, quòd Sapientes, & Consiliarii civitatis convenerunt in unum, & de communi consilio statuerunt, ut Consulatus Communis in futuro anno cessarent; & de habendo Potestate omnes ferè fuerunt concordes. Ad quod quidem officium Dominus Manegoldus de Tetocio Brixiensis electus, & feliciter constitutus. Cui quum in civitate Consules Communis assignassent ac concessissent potestatem vindictarum exercendarum, & essent Consulari more, circa res Consulatus & Communis, in domo Ogerii Panis Scribæ Communis: ecce Fulchinus, & Guilielmus filii Fulconis de Castello, & Fulchinus filius quondam Anselmi de Castello, immensum facinus perpetrarunt; interfecerunt enim ibi proditionaliter absque ulla causa (pro dolor!) Lanfranchum Piper, Virum utique Nobilem, Consularem, & egregium: propter quod civiles discordiæ, & seditiones resurrectionem habuerunt, & recidivam. Sequenti verò die Vir ille egregius Manegoldus Januensis Potestas, dolore nimio ac rubore perfusus, parlamentum maximum celebravit; & indutus lorica, & militaribus ornamentis, equum ascendit, & ivit ad quamdam domum utique perniciosissimam, quam Fulco de Castello habebat in castro, eamque pro vindicta maleficii supradicti penitùs diruit atque destruxit; personas verò prædictorum homicidarum habere non potuit, quoniam absentaverunt se, & clam Placentiam recesserunt. Consules namque justitiæ supradicti, Civium, & civitatis negotia honestè & benignè tractaverunt, jus suum cuique amicabiliter tribuentes.

Anno quidem Dominicæ Nativitatis MCXCI. Indictione VIII. cessavit Consulatus Communis; & fuit suprascriptus Dominus Manegoldus de Brixia Potestas, & Rector civitatis feliciter constitutus. Et fuerunt eodem anno VIII. Consules pro justitiis, scilicet Bellusbrunus de Castello, Ogerius de Gallo, Guilielmus Ingonis Tornelli, & Guilielmus Zerbinus, Rolandus de Carmandino, Otto Guarachus, Angelotus Vicecomes, & Fulco Spezapedra ex parte civitatis, & in aliis quatuor compagniis ex parte burgi. Prædictus Dominus Manegoldus misit Angelotum Vicecomitem Legatum ad Regem Majoricæ, & Strejaporcum in Sardineam. Notum sit profectò tam futuris, quàm modernis, quòd Henricus Rex filius quondam Friderici Imperatoris, quem postea Cœlestinus Papa Tertius coronavit Imperatorem, nuntios suos, & literas ad prædictum Dominum Manegoldum Potestatem, & Communi Januæ misit, rogando ut Januense Commune ad accipiendum & obtinendum Regnum Siciliæ auxilium ei conferret, & stolum & expeditionem ei pararet: pro quibus maxima, & multa promisit per prædictos Legatos, scilicet per Ottonem Archiepiscopum Ravennæ, & Arnaldum Strictum de Placentia. Pro quibus stabiliendis & finiendis direxit Potestas, & Commune Januæ Legatos ad ipsum Imperatorem, qui erat ad obsidionem Neapolis maximè castrametatus, scilicet Ugolinum Mallonum, & Odonem Picium, quibus ipse Imperator multa & magna promisit, & juravit, & Privilegio suo aurea bulla bullato munivit. Confirmavit enim veteres Consuetudines, & Privilegia, & Marchiam in Comitatu, & podium Monaci (34), castrum Gavii, Syracusanam civitatem cum omnibus suis pertinentiis, & CCL. caballariis ter-

(28) Alter Cod. MS. Hugo.
(29) Alter Cod. MS. Emendatores.
(30) Alter Cod. MS. tenerent.
(31) Alter Cod. MS. tenerent.
(32) Alter Cod. MS. de Zualono.
(33) Alter Cod. MS. Stephani Apostoli.
(34) Alter Cod. MS. Moncii.

terræ in Valle Nothi, & alia plurima, quæ in eodem Privilegio continentur: quæ quidem postea malè & inhonestè contra honorem suum, & fidem promissam observavit. Imò quidem, quod deterius est, eis fecit omnino ferè contrarium, sicut inferiùs præsenti Chronicorum volumine scire volentibus in posterum declarabitur. Prædictis namque suppletis, & prædictis Legatis Januam reversis, civitas Januæ pro servitio dicti Imperatoris stolum & exercitum præparavit. Et antequam haberent castellum Gavii, quod quidem hoc tempore habuerunt (fuit enim ipsius possessio & dominium supradicto Manegoldo pro Communi Januæ assignata, & tradita) universus exercitus die Assumtionis Beatæ Mariæ de portu Januæ exivit; & fuerunt XXXIII. galêæ, quibus fuerunt Bellusbrunus, & Rubaldus de Carmandino Consules majores & guida constituti. Quæ siquidem galêæ fuerunt usque ad Fluvium castelli de Mare, quod est prope Montemdraconem, ubi Margaritus, & Admiratus Regis Tanclerii per multos dies tenebat Siciliam, & exercitum Pisanorum obsessum tenuerat. At quum ibi pervenissent prædictæ galêæ Januensium, non invento exercitu Pisanorum, qui nocte fugerat, didicerunt ibi, quòd ipse Imperator confectus morbo ab obsidione recesserat, & inde Capuam se permissus fuerat deportare. Quo cognito, Januenses, qui erant in exercitu, dolentes ad mortem, pervenerunt cum omni exercitu ad Insulam Isclæ; & veniente nocte velificantes tenuerunt ad Insulas Pontiæ, & Palmariæ. Mane verò facto Bellusbrunus cum galêa sua expectavit exercitum, & invênit se cum vigintitribus galêis. Alius enim Consul Rolandus tenuerat mare cum aliis galêis. Quum autem appropinquaret Monti Cercellii, ecce Margaritus cum stolo Regis Tanclerii, scilicet cum galêis LXXII. & duabus Sagitteis, & duabus Scurlatis (35) apparuit, & prædictis XXII. galêis dedit insultum. Quibus visis nostræ galêæ erexerunt vexilla, & ceperunt arma, volentes aggredi exercitum Regis Tanclerii. Tamdem contigit, quòd Margaritus cum stolo Regis dedit terga; & tenuerunt versùs Insulam Isclæ; & exercitus Januensis tenuit versùs Romam, & applicuit versùs Civitatem-Vetulam; & inde ad Imperatorem, qui ægrotabat apud Sanctum Germanum, suos Nuntios direxerunt, denuntiando illi, ut præciperet quidquid esset faciendum. Qui per Arnaldum Strictum Nuntium suum, & literis suis exercitui repatriandi licentiam dedit, dicens: Quòd ipsemet in propria persona veniret Januam, de renovando etiam & faciendo iterum exercitum ad obtinendum Regnum Siciliæ tractaturus; conquerendo etiam plurimùm, quòd Rex Tanclerius abstulerat ei uxorem, quam fecerat de Salerno in Siciliam transportari. Præfatus namque exercitus Januam reversus est. Veniente itaque hyeme prædictus Imperator circa Festum Sancti Martini vênit Januam; & celebrata concione, & consilio de exercitu renovando, multa promisit civitati Januæ, quæ quidem malè observata & completa fuerunt. Quibus peractis, recessit Imperator, & ivit in Alemanniam. Contigit igitur, quòd quædam galêa Narbonæ ibat per fines Januæ capiendo Ligna; ad quam persequendam ivit Guilielmus Ingonis Tornelli cum galêa una, cum qua eam invênit, & cepit in portu Vadi. Hoc quidem anno Guilielmus Zerbinus fuit destinatus pro Communi Januæ cum Oberto de Ingo Legatus ad Regem Marrochi Miramolinum, cum quo pactum & concordiam iniverunt. Multas quidem expensas & onera subiit civitas Januæ pro exercitu & servitiis Imperatoris. Castrum quoque Montisacuti, super quem interfectores Lanfranchi Piperis quondam Consulis ad contumeliam civitatis construxerant, funditus destruxerunt. Ipse etiam Dominus Manegoldus prænominatus bene & egregiè rexit & gubernavit civitatem Januæ; & Consules supradictæ civitatis & Civium negotia decenter tractaverunt, cuique quod suum fuit amicabiliter assignantes.

Anno Dominicæ Nativitatis MCLXXXXII. Indictione IX. fuerunt electi & constituti sex Consules pro Communi, & IX. pro placitis. Pro Communi Consules Guilielmus Buronus, quem in Sardineam cum Simone Vento, & Idone de Carmandino pro collocandis & stabiliendis negotiis Sardineæ miserunt. Alii verò Consules Communis fuerunt Ogerius Ventus, & Nuvelonus, Ido Picius, Obertus Usufmaris, & Bisaccia. Pro Placitis fuerunt in quatuor compagniis civitatis Raynaldus de Castello, Corsus de Palazolo, Angelotus de Caffara, Martinus Tornellus. In aliis verò compagniis burgi Consules fuerunt Rubaldus filius Alberti Lercarii, Tanclerius Aude, & Anselmus Carmainus. Præfati Consules armaverunt VIII. galêas (36) pro fugandis galêis Cursalium de Provincia, quæ capiebant Ligna per mare. Hoc anno etiam multæ seditiones fuerunt in civitate, & undique sturmi, & prœlia multa. In mense quidem Augusti fuit sturmus, & prœlium maximum in Bisamne inter illos de Volta, & eorum partem. Supradicti namque Consules Justitiæ tamquam viri boni & honesti omnia sine debito terminaverunt, cuique jus suum amicabiliter tribuentes.

Anno Dominicæ Nativitatis MCLXXXXIII. Indictione X. fuerunt constituti VIII. Consules pro Communi, & VIII. pro placitis. Pro Communi verò Ugo Embriacus, Ugolinus Mallonus, Simon Ventus, Guilielmus Tornellus, Guilielmus Guercius, Ido de Carmandino, Guilielmus Mallocellus, & Henricus de Nigro. Pro placitis verò fuerunt in quatuor compagniis Guilielmus Mallonus, Ugo Mallonus, Ingo de Galliana, Ido Stanconus. In aliis verò IV. de burgo Ogerius Mazanellus, Guilielmus Buca, Oliverius Guaracus, & Guilielmus Piccamilium. Sicut validissimus ignis inter copiosissimam lignorum congeriem ventorum flamine copiosissimè augmentatur, ita & odia, seditiones, prœlia, & mala omnia fuerunt præsenti anno in urbe. Cecidit enim, fronduit, & floruit, & fructificavit semen satanæ in civitate. Nobilissimus enim Vir egregius Ingo de Frexia, (proh dolor!) quadam die summo mane mense Augusti fuit à quibusdam latrunculis interfectus in Clavica de Mari, per quam itur ad Plateam longam. Hoc quidem anno dormitaverunt Potestates, & Consules; vigilaverunt fures, latrones, & parricidæ. Quid plura? Omnes pessimi, omnes interfectores, ac latrones habuerunt dominium civitatis.

(35) Alter Cod. MS. Scurzatis.

(36) Alter Cod. MS. IX. galêas.

tatis. Dimiserunt denique Consules officium Consulatus. Consules verò Justitiæ, & quisque ad domum propriam recessit. Tamquam viri boni & honesti actus & negotia Consulatus decenter tractaverunt, omnia fine debito terminarunt. Contigit namque, quòd illi de Volta, & de parte eorum clam noctu intraverunt Turrem novam Bulbonosi, quæ erat in Carrubio Sancti Syri, unde rumor maximus & prœlium fuit in civitate. Tamdem vi recuperaverunt eam illi de Curia (37). Machina quidem traxerunt hinc inde.

Anno Dominicæ Nativitatis MCLXXXXIV. Indictione XI. Consules electi fuerunt pro Communi Guilielmus filius Nicolai Embriaci, Guilielmus Buronus, Thomas Ventus, Guilielmus de Auria, Rubaldus Lercarius, Amicus Grillus. Pro placitis verò in quatuor compagniis civitatis Amicus Mallonus, Simon Bacemus, Corsus de Palazolo, & Ogerius Scotus. Ex alia parte burgi fuerunt Guilielmus Roza, Nicolaus Embronus, Fulco Spezapedra. Consueta pestis mortifera, & seditio non solùm non cessavit, verumetiam magis & magis crevit, & suscepit augmentum. Illi namque de Volta, & de parte eorum, inauditum composuerunt instrumentum, & vehementissimum quidem. In Turri Oberti de Grimaldo, & in nova Turri Oberti Spinulæ Lignum instruxerunt bulzonem (38), cum quo vi, cunctis videntibus, Turrim novam Bulbonosi, quæ est in directo Carrubio Sancti Syri, perforando, maximam partem destruxerunt, & corrui fecerunt. Unde contigit, quòd illi de Curia (39) paraverunt & construxerunt machinam unam in horto Sancti Syri, cum qua multos traxerunt lapides, ac domus, & Turres Spinulorum, & Oberti de Grimaldo alia erexerunt machina. Et illi pariter ex altera parte machina plurima erexerunt, & traxerunt multos lapides ad domos, & Turres illorum de Curia. (40) Quum autem omnia hinc inde parata essent ad malum, & universus Populus factus esset inobediens Consulatui, quia illi de Curia fecerant sibi Consules Johannem Advocatum, Rubaldum de Curia, & Henricum filium Embroni; tamdem videntes Consules, sese nihil in aliquo profecturos, ad instantiam Marcualdi Senescalchi Imperatoris, ne fortè hac occasione præpediretur exercitus, & promissio, quæ facta fuerat Imperatori de Regno Siciliæ, Officium Consulatus sponte abrenunciarunt, & illud penitùs dimiserunt. Et celebrato Consilio, & publica concione, elegerunt in Potestatem, & Consulem Januæ Obertum de Olevano Papiensem, Virum utique Nobilem ac strenuum, ut à die eadem usque ad Purificationem Sanctæ Mariæ, & ab inde usque ad annum unum esset Januæ Consul, & Potestas. Qui Turres discordantium in sua potestate accepit, & de stolio, & expeditione Imperatoris magnificè paravit se, atque processit. Et quum exercitus vehementissimè pararetur, Imperator Henricus mense Junii venit Januam, monendo & rogando plurimùm Nobiles Viros, & Populum Januensem, ut de exercitu & expeditione sese viriliter accingerent, dicens: *Si per vos, post Deum, Regnum Siciliæ acquisiero, meus erit honor, sed proficuum erit vestrum. Ego enim in eo cum Teutonicis meis manere non debeo; sed vos, & posteri vestri in eo manebitis. Erit utique illud Regnum non meum, sed vestrum*. Et fingens illud totum ferè Januensibus donare, alliciebat omnes, & ex civitatibus, oppidibus, & casalibus largas & plenas vento hominibus Januæ porrigebat manus; & ex prædictis, & aliis innumeris operibus ejus vana & inefficacia Privilegia fieri, & sigillo suo bullari fecit.

Porrò Januenses promissionibus ipsius Imperatoris, & motibus maximis confidentes, de stolio & expeditione ad acquirendum ei Regnum Siciliæ sese magnificè accinxerunt, sic quòd usque ad mensem Augusti cum usigeriis, galêis, armis, & equitibus, & ceteris, quæ ad exercitum pertinent, de portu Januæ copiosissimè exierunt. In quo stolio Pisani pro servitio Imperatoris cum XII. galêis, & usicheriis fuerunt. Fuit namque in prædicto exercitu Januæ Dominus & Capitaneus Obertus de Olevano cum supradictis; & constituit Vicarium suum in officio Potestatiæ Dracum de Gambolato, qui permansit in eodem officio usque ad Festum Purificationis Sanctæ Mariæ. Et velificantibus terra tenus iter suum fecerunt, & apud Gajetam applicuerunt. Et volentes ipsam civitatem invadere manu forti, tamdem reddit se civitas ipsa Marcualdo Senescalco Imperatoris, & Bonifacio Marchioni Montisferrati, & Oberto de Olevano Januæ Potestati, qui in prædicto magnifico stolio eminebant, & principabantur. Et recedentibus inde cum exercitu, dimiserunt ibi Beltramum Salimberiam Judicem Potestatis, & Ottonem Bonum Scribam Communis Januæ pro recipiendis juramentis & fidelitatibus ab Episcopo, Consulibus, & Populo universo prædictæ civitatis Gaietæ. Et applicuit prædictus exercitus apud civitatem Neapolim in Vigilia Sancti Bartholomæi Apostoli. Quæ siquidem civitas unà cum Comite Alieno reddidit se, & cum prædictis Principibus exercitus pactum inivit, & juramentum & fidelitatem Imperatori ipsi fecerunt. Insulam quoque Isclæ, & Cipri (41) Gironi reddiderunt se & civitates eorum. Et amoto inde exercitu velificaverunt, & prosperis ventis flantibus pervenerunt ad Farium, & applicuerunt Messanam primo die Septembris. Et quum pervenissent ad civitatem, diabolico instinctu accidit, quòd inter Januenses, & Pisanos fuit prœlium durissimum inchoatum. Incœpto autem, & diu manente certamine, multi quidem ex Pisanis ipsa die ante faciem gladii corruerunt, & vulnerati fuerunt ad mortem; & Januenses, qui cum eis certaverunt in mari, XIII. ex eorum galêis ceperunt, & eas illis abstulerunt. Attamen Pisani fundicum Sancti Johannis, in quo parva erat acies Januensium bellatorum, vi ceperunt; & quosdam ex Januensibus, qui in eo erant, retinuerunt; & maximam inde pecuniam portaverunt. Domos quoque, in quibus invenerunt Januenses, ceperunt, & pecuniam inde portaverunt, sic quòd quamvis caro emta, melior tamen eis pars arrisit honoris, atque victoriæ; sic quòd etiam Johannem Advocatum cum aliis Nobilibus, qui strenuissimè ea die pugnaverant pro Republica Januensi, retinuerunt; & post aliquos dies in Palatio, quod fuit Margariti, ad dedecus, & contume-

(37) Alter Cod. MS. Auria.
(38) Alter Cod. MS. balzonum.
(39) Alter Cod. MS. Auria.
(40) Alter Cod. MS. Auria.
(41) Alter Cod. MS. Cipri, Gironi, & Roncia.

meliam aliorum eos tenuerunt captivos. Sequenti namque die maxima pars strenuissimorum, Nobilium quoque, ac Populi Januensis, per mare & per terram causâ comburendi naves Cursalium Pisanorum, & aggrediendi eos ad tam immensum dedecus gladio vindicandum, & jam dictos Nobiles, qui detinebantur captivi, recuperandos, sese viriliter accinxerunt. Et insuper insurgentes Januenses super Pisanos, XIII. de galêis ipsorum ceperunt, & retinuerunt; & maxima pars Pisanorum in galêis ipsis existentium, ipsa die in facie gladii mortui fuerunt, & in Fario Messanæ, ubi nulla est redemtio, cum armis & loricis submersi sunt.

Ad hæc igitur prædictus Seneschalcus per aliquot dies studuit inter Pisanos, & Januenses treugam componere, & restitutis prædictis captivis pro velle Pisanorum, fecit jurare hinc inde Pisanos, & Januenses, ablata in integrum restituere; & juramentis utrinque præstitis, restituerunt Januenses Pisanis mille marchas argenti, & corpora galêarum eorum. Pisani verò, qui non immeritò providebant, Januensibus hæc reddiderunt, scilicet clypeum unum, caldariam unam pro solvenda pice, macios decem lini, sportulam unam cum pauco canellæ, & radice una galangæ. Loricas verò & armamenta varia, vasa etiam argentea, & aurum, & monetas, & alias innumerabiles divitias, & multum arnese, sibi, prætermissis juramentis, quæ fecerant, retinuerunt. Insuper etiam Januenses quoscumque inveniebant in medio civitatis, & in facie supradicti exercitus, exspoliabant, qui nudi & exspoliati, & verberati ad exercitum revertebantur. Præterea contigit, quòd dum navis quædam ditissima Januensium de Septa Alexandriam properaret, Pisani cum navibus suis, & cum Cursalibus portus Bonifacii, prætermisso juramento, & securitate, quam fecerant de non offendendo in facie Januæ, eam persequendo ceperunt. Nec etiam fuit aliquis ausus inde loqui, vel eam defendere timore prædictorum, qui dicebant: *Substineantur in pace hæc omnia Domini Imperatoris amore, ne fortè servitia sua hac occasione impediantur*. Quid plura? tot & tanta fuerunt dedecora & damna, quæ vix potest aliquis narrare; unde vir magnæ strenuitatis & laudis Obertus de Olivano Januensis Potestas ob angustiam & dolorem tanti dedecoris morbum incurrit, & febricitavit, quo confectus morbo, & febre continua, & ventris etiam fluxu, sicut divinæ placuit voluntati, diem clausit extremum. Et quum cadaver tanti viri per Nobiles ad tumulum honorificè portaretur: ecce malitiosi Pisani paraverunt insidias; loricati namque, & muniti armis secretò manebant in domibus. Cogitaverant enim, & sperabant, ut quum Seneschalcus, & Marchio, & alii Nobiles essent extra civitatem Messanæ, capere munitiones civitatis, & civitatem retinere; & postmodum armatorum copiam mittere ad trucidandos & interficiendos prædictos Marchionem, & Seneschalcum, & alios, qui sequebantur cadaver, & alios etiam, qui essent in civitate, penitùs interficere. Sed per Dei gratiam frustrata est spes eorum, quoniam per amicos & fideles eorum, qui hujusmodi scelera perceperunt, fuit Seneschalco & Marchioni fideliter intimatum. Qui hoc audito, cum prædictis Nobilibus ad hospitia illico redierunt; nec alios Nobiles Januenses cadaver ampliùs insequi permiserunt; & deinde Palatium, & Castrum Regium munierunt, & fecerunt meliùs solito custodiri. Fuit enim ipsi Seneschalco relatum per fideles & amicos suos, qui erant conscii secreta consilia Pisanorum, quòd ipsi Pisani favebant uxori, & filio quondam Regis Tanclerii; & quòd ab eis literas, & promissiones habuerant.

Interea Imperatore, qui terrestrem viam tenebat, diu moram faciente civitatem Palermi destruxit. Januenses verò cum exercitu suo versùs Cathaniensium civitatem, quæ reddiderat se, & impugnabatur à Sarracenis, & exercitu Reginæ uxoris quondam Regis Tanclerii, tenuerunt, & Sarracenorum exercitum inde ejecerunt de campo, & fugaverunt. Postmodum verò tenuerunt versùs Syracusas, quam diu impugnando vi ceperunt, nonnullis (42) ex Pisanis, & ex ipsis, qui eam defendebant, interfectis, & trucidatis. Ab ea die namque nulla civitas, nullum castrum tenuit, sed imò se omnes reddiderunt, excepta urbe, & Palatio Panormi, quoniam Januenses plurima castra vicerant, & obtinuerant, Pisani verò nec per mare nec per terram amoverunt se Messana. Postmodum verò Imperator cum exercitu terrestri Messanam vênit, qui statim Januenses, & Ottonem de Carreto, quem Potestatem creaverant, ad se venire jussit, quos plurimùm alliciens, quædam tractavit, & promisit, quæ numquam adimpleta fuerunt civitati. Prædictus enim Otto cum Januensibus dixit: *Domine Imperator, placuit Excellentiæ vestræ cum civitate Januæ pacisci, & promisistis nobis Syracusas, & Vallem Nothi. Ecce nos Dei gratiâ, & felici omine nominis vestri expugnavimus, & obtinuimus eam gladio. Si placet, ex quo Dominus eam dedit in potestatem vestri, quærimus (43), ut eam nobis detis.* Quibus Imperator ipse respondit: *Bene & strenuè, sicut consuevistis, ad instar prædecessorum vestrorum vos hactenus habuistis; sed nos nondum habuimus palatium Panormi; sed, eo habito, Syracusam dabimus, & Vallem Nothi; & quæcumque promisimus Communitati vestræ, & Civibus adimplebuntur. Præstolamini, rogo, & eamus Panormum.* Amoto itaque exercitu & per terram & per mare, Imperator exivit de Messana, & ivit Panormum. Quæ tamdem civitas se, & palatium Regium reddiderunt eidem Imperatori. Quibus feliciter peractis, & habito dominio totius Regni, fuerunt Januenses ad Imperatorem in quodam palatio Jardini, & Viridarii, quod vocatur Gruloardus, & dixerunt ei: *Domine, omnia sunt per Dei gratiam adimpleta. Ecce universi Regni habetis dominium; & nos illud tradidimus in manibus vestris. Quæsumus, si placet, ut quod convenistis, & promisistis Communitati, & Civibus Januæ, de munere vestræ gratiæ adimpleatur.* Qui respondit eis: *Potestas vestra mortua est. Ego non video hìc aliquem, qui sit pro Communi Januæ; nec novi Commune; & quandocumque videro per certitudinem illum, vel alium, qui pro Communitate sit, ego complebo quidquid promisi.* Unde contigit, quòd ipse tamquam perniciosus, parvipendens promissiones, quas fecerat, diabolica suggestione quorumdam Civium Januæ, & aliorum pravo-

(42) Alter Cod. MS. multis.

(43) Alter Cod. MS. quæsumus.

vorum & malignorum, non solùm promissa non observavit, verumetiam in cuncta asperrimè erga civitatem Januæ, quam ei Regnum tradidisse proprio ore confitebatur, nerozavit (44) sic quòd ea, quæ civitas Januæ in Regno de munere divæ memoriæ prædictorum Regum Rogerii, & Guilielmi filii sui, & alterius Guilielmi hujus Guilielmi filii, diu obtinuerat, ei penitùs abstulit; & etiam prohibuit, ne aliquis Januensis in Regno suo Siciliæ se Consulem præsumeret nominare: quod si quis faceret, jussit illum ultimo supplicio subjacere. Minando etiam, & dicendo, quòd Januenses non erunt ausi ampliùs de cetero ire per mare, & quòd etiam civitatem Januæ destrueret. Videte igitur cuncti, & considerate, si est dolor sicut dolor iste, & si ab exordio seculi à quolibet Paganissimo, vel Tyranno talia fuerunt perpetrata. Animadvertite, quis in eo de cetero confidere debeat, aut se ejus servitiis, & actibus immiscere. In hoc enim anno mense Julii maximus ignis fuit accensus in mercato Sancti Georgii, qui totam illam ferè viciniam combussit, atque consumsit. Appropinquante exitu anni hujus, & Potestatiæ, Consules, & Consiliarii convenerunt in unum, & communi consilio statuerunt, ut Januensis civitas sequenti annò haberet Potestatem de civitate Mediolani, & elegerunt Dominum Jacobum Manerium, sicut inferiùs præsenti volumine declarabitur. Et reversus est prædictus Draco de Gamboleta Vicarius quondam Domini Oberti de Olevano supradicti Papiam. Hoc anno ignis maximus accensus fuit in contrata S. Georgii in furno, quod tenebat Carellus.

Anno Dominicæ Nativitatis MCXCV. Indictione XII. Dominus Jacobus Manerius, vir utique strenuus, ac nobilissimus, rexit civitatem Januam, & fuit Potestas, & Consul Reipublicæ Januensis constitutus. Consules quoque fuerunt octo pro justitiis, quorum quatuor fuerunt ex parte civitatis, Bellusbrunus de Castello, Simon Bufferius, Ugo Albericus, & Guilielmus Fornarius. In aliis compagniis burgi fuerunt Nicolaus de Maraboto, Guilielmus Lercarius, Rubaldus, Jonatha. Hoc anno civitas Januensis per Dei gratiam interiùs in quiete perseveravit, & exitu largiente multa ei prospera evenerunt. Verùm inimici nostri Pisani ob civiles discordias, quæ olim fuerant in civitate, putaverunt, & studuerunt civitatem Januæ callidè dirimere. Promisso itaque fœdere, & pacis juramento per quosdam piratas Cives eorum, qui multos Januenses antea ceperant, & exspoliaverant Judaizantes, fecerunt Podium Bonifacii reædificari, & oppidum in eo construi. Qui equidem fecerant domum piratarum speluncam latronum; qui etiam laqueos Satanæ per vias & transitus maris posuerunt ad capiendos negotiatores & peregrinos, qui per maria ibant, quibus * CCC. Pisanorum ad talia perpetranda, qui secretò necessaria præparabant, putantes infra se, & dicentes: *Quis non videt? totum nos faciamus, & nihil fecisse videamur*. Quid plura? infinita mala fecerunt civitati nostræ; multas ei naves, multos Mercatores, & infinitam pecuniam per Siciliam, Romaniam, & circumquaque ceperunt, & abstulerunt Januensibus. Et quum eos capiebant, increpando dicebant: *Meretrices, uxores Venetorum, adhuc ausi estis ire per mare? Si de cetero vultis ire per mare, abjicite ferrum, relinquite arma, & ite sicut mulieres vadunt: alioquin vobis nasos incidemus*. Volentes igitur Januenses in pace perseverare, cum Consulibus Pisanis, & Sapientibus apud Ilicem convenerunt; & de pace, & rapinis, & hujusmodi injuriis simul habuerunt tractatum. Dicebant enim Januenses Pisanis: *Malè constat ex quo pacem habemus, quòd Cives vestri nostros capiunt, & exspoliant. Ecce vestri Oppidani de Bonifacio, qui nostros Cives capiunt. Facite ablata restitui; alioquin pacem fregistis. Quid erit inde?* Quibus respondentes callidè Pisani asseverabant: *Mirum est quod dicitis, quoniam oppidum Bonifacii non est nostrum, nec ipsi Cives nostri sunt, sed inimici. Capiunt enim similiter nostros Pisanos; sed nos faciemus vobiscum exercitum super eos, & destruemus locum, & eos inde ejiciemus*. Unde factum est, quòd Deus nolens fraudes & excessus illorum, ac illatas injurias tolerare, data est contritio, & infelicitas in viis eorum, qui viam pacis non cognoverunt.

Januenses igitur, qui hactenus consueverunt contumelias & injurias vindicare, se se viriliter accinxerunt. Insurgentes namque nobiles & strenuissimi viri, scilicet Ingo Longus, Henricus de Carmandino, & Otto Pulpus, viri fortes & probissimi, cum navibus suis, quarum una vocabatur Jalna, alia Carmayna, & tertia Vinciguerra, cum barchis cathenorum, & cum galèis tribus velificantes de portu Januæ exierunt, & prosperis ventis flantibus alta maria petierunt, & feliciter applicuerunt apud portum Sancti Bonifacii, & descendentes in terram, bellatorum acies instruxerunt; & vocato (45) certamine, per totam diem bellando, suburbium, & castrum vi expugnaverunt, ac ceperunt, nonnullis ex Oppidanis mortuis, & interfectis, & piratis subjugatis. Illudque exclusa inde multitudine piratarum, & cursalium, ad laudem & gloriam Dei, & Januæ urbis, egregiè munierunt. Ipsa namque die, qua prædicti strenui Baroni prædictum Bonifacium oppidum subjugaverunt, voluit ex divina providentia de munere suæ gratiæ providere. Contigit quidem, quòd Pisani cursales Bonifacii, qui erant in quadam nave, quæ dicebatur Oliva, navem quamdam oneratam frumento, quam Negotiatoribus Januensibus abstulerant, transmittebant; quam ipsi, interfectis cursalibus, qui erant in ea, ceperunt, & dictum frumentum fecerunt in integrum in castello apponi; & vocaverunt deinde navem illam Benevenutam. Interea contigit, quòd Pisani dolentes ad mortem, pro posse quamdam navem maximam cum castellis mirificis, & instrumentis bellicosis, & ingeniis, & armatorum multitudine copiosa vehementer paraverunt, asserentes, quòd prædictas naves, & omnes quascumque invenirent, caperent; & quòd quæ de Bonifacio contigerant, vindicarent, quam & ipsi vocabant Leonem de Foresta; & cum ipsa nave, & aliis navigiis ascenderunt. Quæ quidem ad prædictorum strenuorum Januensium audientiam pervenerunt; qui statim præstolantes, & victrices gladios suos super eorum femora potentissimè accingentes, velificando ad illam, & alia navigia quærenda, maria tenuerunt; & applicantes

(44) Alter Cod. MS. tractavit, *fort.* neronizavit.

(45) Alter Cod. MS. incœpto.

tes invenerunt eam summo mane in portu Caralitano. Pisani igitur visis navibus Januensium, præstolaverunt ad pugnam, & turbâ copiosissimâ loricatorum de terra ascenderunt in navem. Ad hoc igitur Januenses, quia propter parvitatem aquæ ad eos cum navibus suis (quia Pisani se traxerunt ad terram, & ad minimum fundum aquæ) accedere minimè potuerunt, pro elevandis navibus loricati descenderunt in barchis, & temones dimiserunt in mari; sicque euntibus cymbalis, & clamore ac sonitu maximo eos fuerunt aggressi. Incœpto autem, & diu hinc inde perseverante certamine, & maxima bellatorum copia, qui erant in terra, conferente Pisanis, & ascendente navim cum barchis, eis prœliandi vicissitudinem & auxilium impendebant. Tamdem advesperascente die, Januensibus eos acriùs & duriùs impugnantibus, defecerunt Pisani, & Januenses prævaluerunt. Multi quidem ex Pisanis ante faciem gladii corruerunt, & perierunt in mari. Sicque Januenses ingenti conamine navem ipsam, & hostium spolia obtinuerunt. Sequenti namque die summo diluculo, dum prædicti Januenses victores cum ipsa nave, & inimicorum spoliis, Bonifacium remearent, prospera contigit fortuna, quòd quamdam Pisanorum navem maximam, & ditissimam (46), in qua erat maxima copia thesauri (47); invenerunt, quam quidem statim ceperunt, & vocaverunt eam Dianam, quia illucescente die eam ceperunt. Et quia navibus ipsis ambabus captis, & pecunia, quia prohibente sævitia temporis non potuerunt Bonifacium applicare, iverunt in Provinciam, & inde cum omni laude & gloria feliciter in portum Januæ redierunt. Prædicto quidem anno quidam nobiles Januenses, & strenui bellatores armaverunt quatuor galêas, prædictos hostes eorum viriliter insequendo; at quum essent apud Elbam, invenerunt navem quamdam maximam Pisanorum, quam insequentes fugaverunt subtus castrum Plumbini. Et quia pro turribus, & castello eam non poterant impugnare, & eam sic ibi tenebant obsessam: contigit, quòd illi de nave dederunt eis causam redemtionis, & ut eos incolumes abire permitterent, bisantios CC. dederunt supradictis galêis, quæ eam sic dimiserunt. Et amoti inde tenuerunt versùs Maritimam, & pervenerunt in partibus Corneti; & illucescente die invenerunt aliam quamdam navem maximam Pisanorum apud Insulam, quæ dicitur Murrele (48), quæ venerat ibi causâ onerandi granum, in qua siquidem erat turba copiosissima bellatorum; quam insultantes, & impugnantes diu immenso conamine vicerunt, & ceperunt eam, nonnullis utrimque vulneratis, & mortuis; eamque cum honore universo in portum Januæ deduxerunt, omnibus eam videntibus, valde mirantibus, & dicentibus: *Decem galêæ non debent posse capere eam*.

Alias enim victorias Deus largitus est Januensibus; sed quia nimis longum esset narrare, succinctè ad alia veniamus, narrantes, qualiter sævus Tyrannus Dominus Imperator super pollicitis suis erga civitatem Januæ se habuerit. Contigit autem quòd, quia Imperator calvas occasiones quærendo, & simulando se velle adimplere, quæ Januensi promiserat civitati, dicendo quòd quando videret Potestatem Januæ, aut certum Nuntium, qui esset pro Communi Januæ, omnia, quæ promiserat, in integrum adimpleret, Communitas Januensis misit ad eum Dominum Bonifacium Archiepiscopum Januensem cum Domino Jacobo Manerio Potestate, necnon Fulcono de Castello, Johanne Advocato, Antonio Busferio, & Picamilio nobilibus Civibus Januæ, qui ex parte civitatis & Communis euntes, ante Imperatorem fuerunt apud Papiam in Palatio Sancti Salvatoris, supplicando, & petendo ei, ut ea, quæ ipse convenerat, & promiserat, sicuti Privilegio suo, cujus exemplarium ei attulerant, continebatur, eis, qui erant pro civitate & Communi Januæ, faceret, & compleret. Et eodem exemplario ante eum sinè mora delato, ut ante eum legeretur, & ejus memoriæ concurreret quod promiserat, statim ipse ne legeretur prohibuit, dicens: *Ego consimile habeo, & bene novi quid in eo continetur. Vultis vos placitare mecum? Ego vobis faciam rationem. Sed illud verè sciatis, quòd non dabo vobis in Regno Siciliæ, nec eritis mei Consortes; nec ad hoc studeatis, ne mecum habeatis terram communem. Sed si vultis exercitum facere super Regem Aragoniæ, ego ero vobiscum, & conferam vobis illud Regnum, quod totum sit vestrum*. Quid plura? Ad id videbatur niti, ut pecunia mobili cum eo transigeret civitas Januæ. Qui discordati discesserunt ab eo, & Januam redierunt. Ipse verò Imperator ivit in Alemanniam. Supradicti namque Consules justitiæ, quorum subsidio & adminiculo fuit jamdictus Dominus Jacobus vehementer suffultus, egregiè Civium & civitatis negotia & justitias pertractantes, jus suum unicuique servaverunt illæsum. Appropinquante autem termino finis hujus Potestatiæ, prædictus Dominus Jacobus, & Consules, ac Viri Consiliarii convenerunt in unum, hæsitantes quod potiùs agendum foret: tamdem uno spiritu de habendo Potestate in futuro anno fuerunt concordes, & nominatim de aliqua civitate, Mediolanensi, seu aliis, quæ parti ejus faveret, personam de civitate Mediolanensi prædicta elegerunt, personam cujus & actus scire volentes, præsenti pagina poterunt edoceri.

Anno Dominicæ Nativitatis MCLXXXXVI. Indictione XIII. Dominus Drudus Marcellinus Mediolanensis Nobilissimus Civis fuit Januensis Potestas, Consul, & Rector feliciter constitutus. Hic fuit Vir utique prudens, & providus, strenuissimus, ac facundus, ac honestissimus. In isto namque anno more solito fuerunt VIII. Consules pro justitiis, de quibus quatuor fuerunt ex parte civitatis, scilicet Rogerius Heliæ, Philippus Cavaruncus, Simon Lecanoce, Opizo Guercius (49), ex parte verò burgi fuerunt Guilielmus Paneria, qui obiit in Consulatu, Guilielmus Roza, Obertus Porconus, Ido (50) de Baldisone. Hoc enim anno fuit per Emendatores brevium constitutum, ut Januensis Potestas esset adminiculo Rectorum VIII. suffulta (51); ad quod siquidem officium electi & constituti fuerunt infrascripti nobiles Viri, scilicet Ugo Embriacus, Ingo Longus, Guilielmus Fornarius, Nicolaus Lecanoce in quatuor compagniis versùs civitatem; & in aliis quatuor compagniis ver-

(46) Alter Cod. MS. remeantem Buzea.
(47) Alter Cod. MS. & mobilium Pisanorum.
(48) Alter Cod. MS. Merellæ.

(49) Alter Cod. MS. Guilielmi Guercii.
(50) Alter Cod. MS. addit filius Hugonis de &c.
(51) Alter Cod. MS. suffultus.

versùs burgum electi & constituti fuerunt Belmustus Lercarius, Montanus de Auria, Guilielmus de Nigro (52), & Antonius Guarachus, qui introitum & exitum pecuniæ Reipublicæ Januensis, & Collectarum, de galêis quoque, & sarcinis, & custodia castrorum curam & solicitudinem habere debebant. Sicuti gravibus & desperatis morbis frequenter competens medicina succedit, & patientibus præstat beneficium sanitatis, sic magnanimitas Domini Drudi Marcellini Civis Mediolanensis, & ejus clara strenuitas fuit morbis Januensis urbis succursum. Viguit namque Dominus Drudus in officiis suis, quia omnia, quæ sub examine sui judicii fuere commissa, judiciali calculo ac fine debito terminavit. Fuit quidem in exercendis vindictis potentissimus, atque magnanimus; hostes quoque Reipublicæ fugavit, & in cunctis per Dei gratiam sub regimine suo splenduit civitas Januensis, sicuti tam futuri in posterum, quàm moderni præsentis paginæ poterunt insinuatione percipere. Hic quidem primitus superfluitates turrium, quas pro velle suo quidam Cives contra licitum, & constitutionem Communitatis construxerant, unde Consulatus, & Potestates, qui olim civitatem rexerant, peccatum incurrerant juramenti, sapienter ac probissimè demoliri, & ad certum modum pedum LXXX. redigi fecit. Hic quidem contra omnes, qui fuerunt in aliquo rebelles Reipublicæ Januensi, prætermisso timore, verbo, ac ira (53) hominum, vindictam exercuit. Hic alicui demum, qui culpam commisit, non pepercit; sed fecit eos omnino succumbere, & umbra & strenuitate sua cuique securum præstitit ducatum & iter. Unde contigit, quòd dum navis quædam contra decretum & prohibitionem Communis Januæ venisset in Janua, ecce filius quondam Idonis Malloni clam, & quasi etiam violenter, quasdam merces exoneravit de ipsa navi; & vocatus propterea à Potestate, inde se rebellem ei exhibuit. Unde ipse Dominus Drudus Populum per campanam & Cintracum convocavit ad parlamentum; & armata manu accessit ad eum, & pro vindicta tanti excessus domum ipsius, quam habebat ante domum quondam Ingonis de Frexia (54), destrui fecit; & insuper ad restitutionem mercium, quas de nave deposuerat; & nolens inde aurum accipere, neque argentum, seu lapides pretiosos, fecit ipsas res proprias in parlamento publico (55) ferre cunctis videntibus. Hæc quidem, & alia innumera tam in exercendis vindictis, quàm aliis causis, atque negotiis, quæ longum esset enumerare per ordinem desinentes, ad alia utiliora succinctè perveniamus.

Porrò contigit, quòd Pandulphus Basilicæ XII. Apostolorum Sedis Legatus, instinctu & suggestione Pisanorum vênit in Januam mense Martio, qui prædicto Domino Drudo Potestati, atque Consulibus Apostolicas literas præsentavit, dicens: Quòd jussu Domini Cœlestini Papæ venerat causâ componendi pacem inter Januenses, & Pisanos. Unde in tantum fecit, quòd hujusmodi actibus quosdam nobiles ex utraque civitate apud Ilicem ad colloquium congregavit. Ad quod siquidem colloquium Belmustus Lercarius, qui erat unus ex octo Rectoribus, & Picamilius, Odo (56) Picius, Simon Bufferius, & Lambertus Fornarius destinati fuerunt cum Donadeo Guernerio, & Guidotò Peluco Judicibus; & quum multa, parùm tamen profutura, ibi essent dicta hinc inde, asserendo Pisanis, quòd pax non erat rupta: tamdem Festo Parasceve, & Dominicæ Resurrectionis imminente, recesserunt hoc modo, quòd statuerunt alium terminum, quo esse simul deberent, super his iterum tractaturi. Interim verò callidi & malitiosi Pisani expeditionem & exercitum paraverunt, cum quo ad obsidendum & impugnandum castellum Portus Bonifacii, quod Januensis civitas viriliter obtinebat, festinanter iverunt, non putantes illud invenire munitum, & capere illud, antequam civitas Januensis ei præstaret succursum. Prædictis namque auditis rumoribus, statim civitas Januensis virilem paravit succursum, & ingentem copiam, & exercitum galêarum & navium pro succursu jam dicto, & aggrediendis hostibus misit. In quo quidem exercitu ivit Dominus Drudus supradictus, & amoto exercitu ivit ad portum Bonifacii, & non inventis hostibus, qui timore Januensium inde aufugerant, recesserunt inde pro capiendis & fugandis Pisanis; & iverunt usque Calarim, ubi putaverunt * Pisanos, qui proxima transacta die cum navibus indè aufugerant. Postmodum Januenses cum exercitu suo castrametati sunt in terra, ibique diu moram faciendo contra voluntatem Marchionis Guilielmi, qui Calaritanum Judicatum tenebat, ipse Marchio maximam & innumeram gentem militum, & peditum Pisanorum, Catalanorum, Sardorum ad expellendum exercitum Januensium de castris, & castra sua congregavit. Unde contigit, quòd ipse posuit latenter insidias, & quosdam ex Januensibus, qui pro deferenda aqua exercitui, illis de exercitu ignorantibus, cepit inermes. Deinde Marchio ipse ingenti copia militum & peditum, Januensium exercitum galêarum, qui omnes erant pedites, & nullum habebant militem, sæpiùs fuit aggressus, & multis prœliis attentavit. At quum videret se eos minimè posse de campo & castris eradicare, & nihil proficere posse; imò sui semper victi & vulnerati recedebant de campo, retraxit se cum militia sua & fortia. Interim autem ecce ingens copia navium, & aliorum navigiorum Januensium cum ingenti sonitu & clamore pervenerunt ad litus, & cum armis & munitionibus suis descenderunt in terram. Tamdem verò acies bellatorum instruxerunt in campo; & fugato Marchione cum militibus suis, ac Pisanis, & exercitu suo, palatium ipsius Marchionis, palatia quoque, & domos de Sancta Igia penitùs destruxerunt; & victores cum capta præda, & hostium spoliis, reversi fuerunt ad castra. Omnibus igitur tam feliciter peractis, galêas suas, naves, & navigia ascenderunt, & apud portum Bonifacii pervenerunt; quod peroptimè munitum, & bellicosè instructum quibusdam strenuissimis, & providis Castellanis, Dominus Drudus Januensis Potestas commisit. Deinde cum omni felicitate cum universo exercitu Januam redierunt.

Rur-

(52) Alter Cod. MS. Nigrono.
(53) Alter Cod. MS. vi in eos vindictam &c.
(54) Alter Cod. MS. Flexia.
(55) Alter Cod. MS. publicare ferè.
(56) Alter Cod. MS. Ido.

Rursum igitur Pisani, cognoscentes se in hujusmodi nil posse proficere, cognoscentes etiam Bonifacium acutum fore gladium, quo possent caput amittere, sicut Golias spurius, qui Davidica funda percussus gladio proprio caput amisit, miras insidias & laqueos paraverunt. Fecerunt quidem in longinquis partibus, scilicet in Siciliam, & per alias partes cursales, & piratas suos quærere, in quibus eorum spes erat, atque fiducia, supplicantes ut civitati Pisanæ in tanto necessitatis articulo subvenirent. Sicque studuerunt in tantum, quòd prædicti cursales & piratæ maximum exercitum congregarunt, & cum navibus IX. magnis, galêis quoque, aliisque navigiis ad obsidendum & impugnandum prædictum oppidum Bonifacii pervenerunt: quod quidem graviter cum machinis & aliis instrumentis diu impugnaverunt. Nonnulli quidem ex eis Januensium ictibus percussi, mortui, & vulnerati ceciderunt in terram. Attamen civitas Januæ in succursum prædicti Bonifacii expeditionem maximam, & exercitum paraverunt; & pro confortandis Castellanis, & aliis probis viris, qui illud viriliter defendebant, in cunctis necessariis probissimè hostibus insistendo, Montanarium de Auria, qui erat unus ex octo Rectoribus, in Sagittea Nasoni armata miserunt, qui tamquam improvidus, fuit à galêis hostium apud Insulam de Prunariis fugatus & captus. Verùm quum jamdictus exercitus Januæ vehementissimè pararetur, statim pro succursu & confortamento castelli Bonifacii miserunt galêas XVII. quibus Ansaldus Guarrachus, qui erat unus ex octo Rectoribus, guida fuit & Capitaneus constitutus. Qui cum exercitu prædicto XVII. galêarum de portu Januæ exivit, & velificando ad portum Bonifacii applicuit; & quum ad aggrediendos hostes, & eorum comburendas naves præstolaretur: ecce Pisani omnes relicto campo, machina, & instrumenta bellica, quibus prædictum oppidum impugnabant, dimiserunt in terram; & velificando cum magnis navibus suis, & galêis, ac galeotis, noctu exierunt, & fugerunt de portu: quas quidem naves galêæ Januensium multis prœliis attentarunt, feriendo eas, & ictibus maximis propellendo. Nam quum prædictus exercitus piratarum, & Pisanorum apud Bonifacium esset castrametatus, & audivissent Pisani, quòd Januensis civitas ad eos aggrediendos exercitum vehementissimum præpararet, tunc Archiepiscopus Pisanus cum Clero & Cruce per plateas & vicos Pisarum ibat supplicando, ut fratribus, & concivibus suis, qui pro honore & fiducia Pisanæ civitatis Bonifacium obsidebant, pro posse succurrerent; maximè enim ad Pisanæ civitatis dedecus redundaret, si ipsi in prædicto campo conflictum ab inimicis & incommodum substinerent. Unde Pisani XIX. galêas, & alia VII. remigantia navigia armaverunt, in quibus copiosam armatorum & militum turbam, & acies instruxerunt. Qui velificando, portum Bonifacium in occursum suorum, & perturbationem Januensium tenuerunt. Attamen Ianuenses, eis visis, licèt non essent nisi cum XVII. galêis, tamen confidentes in divina virtute, & quia hostes fovere videbantur, per iter obliquum & tortum ad eos aggrediendos, & invadendos, relicto Bonifacio, maria petierunt; & eis aggressis, cum eis certamen maximum inierunt. Verùm quia indiscretè accesserunt ad pugnam, incœpto prœlio de galêis nostris tres retinuerunt; & nos de eorum galêis unam retinuimus, in qua Guiraldum Vicecomitem nobilem Pisanum Civem & alios plures Cives nobiles Pisanos cepimus & Januam conduximus.

OGERII PANIS ANNALES GENUENSES

AB ANNO MCXCVII.

LIBER QUARTUS.

QUum perutile videatur existere Communitati Januæ, & tam præsentibus, quàm futuris valde prodesse Chronicorum opus: continuò ego Ogerius Panis volens ad memoriam adducere opus commendabile, quod bonæ memoriæ Caffarus, Vir nobilis & discretus, incœpit, & Obertus Cancellarius, & Ottobonus Scriba continuarunt usque ad MCXCVI. licèt sensus non mihi sufficere videatur, tamen ea, quæ per me, vel alium cognoscere potero, ad memoriam redigam, ut hi, qui res gestas scire voluerint, per præsentem paginam cognoscere possint, & nomina Potestatum, & Consulum Communis, & Placitorum, & Foritanorum.

Anno Dominicæ Nativitatis MCXCVII. Indictione XIV. fuit in regimine civitatis Drudus Marcellinus Mediolanensis Potestas, & Rector civitatis constitutus, & confirmatus; & fuerunt eodem anno Consules placitorum pro justitiis definiendis, scilicet in quatuor compagniis versùs civitatem Ugolinus Mallonus, Fridericus de Albericis, Guilielmus Tornellus, & Ugo Fornarius. In aliis quatuor versùs burgum Guilielmus Panzanus, Obertus Lucensis, Obertus de Giraldo, & Obertus de Nigro. Pro Foritanis Simon Lecanuce, & Vassallus de Lomellino (1). In præsenti quidem anno in civitate Januensi intus & exteriùs in pace rexit. Verumtamen propter galéas, quas quidam nobiles Januenses armaverunt in Siciliam ducendas, briga inter ipsum Drudum, & ipsos Januenses orta fuit; quare ipse fecit destruere domos, & turres illorum, & in reditu eorum inter ipsum, & Nicolaum de Auria, & alios, qui cum ipso redierant de Sicilia, ferè prœlium incœptum est in tantum, quòd Nicolaus palatium novum Domini Archiepiscopi invasit, & pontem lignaminis inter palatium, & domum quondam Marescotti nocte construxit. Die autem adveniente fecit concionem Dominus Potestas, & fecit armare Populum totum; in fine tamen quum prœlium deberent incipere, propinquis Nicolai mediantibus, fecerunt ipsum venire in parlamentum, & jurare in voluntate ipsius Potestatis; & facta est tranquillitas magna. In præsenti quidem anno Marchiones, qui fuerant de Gavi, stratam invaserunt, & plures torsellos Januensium & Astensium ceperunt, & in castro Taxariæ (2) se receperunt. Dominus autem Drudus equitavit, & perrexit Gavium, & majorem partem ipsius prædæ recuperavit; & castrum, quod ipsi Marchiones cum illis de Pallodio construxerant in Podio Carrexii, omnino destrui fecit. In eodem quidem anno ultima die Septembris apud Messanam Dominus Henricus Romanorum Imperator ex hac vita migravit. Consules verò Placitorum, & Foritanorum per Dei gratiam officium suum optimè tractaverunt, & honestè & decenter operati sunt, jus suum cuique amicabiliter tribuentes.

Anno Dominicæ Nativitatis MCXCVIII. Indictione XV. Fuit Dominus Albertus de Mandello nobilissimus Mediolanensis Civis Januensis civitatis in Republica Potestas, & Dominus feliciter electus & constitutus. Et octo Consules pro justitiis, scilicet in quatuor compagniis ex parte civitatis fuerunt Rogerius de Elya, Philippus Cavarunchus, Guilielmus Torellus (3), & Obertus Porcus. In aliis verò quatuor compagniis burgi fuerunt: Henricus Guercius, Vassallus Grillus, Guilielmus Rogerius, & Ogerius Manzanellus. Pro Foritanis Simon Lecanuce, & Vassallus Lomellinus (4). Præfatus quidem Dominus Albertus fuit virtutibus multis ornatus; multa namque legalitate & discretione fulsit, probus, honestus, strenuus, & victoriosus, civitatem Januensem feliciter per totum tempus suæ Potestatiæ gubernavit & rexit. Multos felices successus Dominus omnipotens in tempore suo contulit civitati, sicut scire volentes præsenti pagina cognoscere poterunt. Contigit autem, quòd hoc anno in principio Potestatiæ suæ Paganellus de Porcaria Vassallus Communis Januæ, & illi de Vezano, & alii Vassalli de Lunexana, exceptis filiis parentis, cum Pisanis confœderaverunt, & cum fortia sua per terram & per mare clam Januensibus ignorantibus, castra Portus Veneris hostiliter invaserunt, & burgum impugnarunt. Ex quo autem hujusmodi rumores in Janua pervenerunt, statim omnes concurrerunt ad arma, & statim pro succursu prædictorum castrorum in galéis, & aliis navigiis, & parvis, & maximis ascenderunt; at ex quo prædicti Vassalli, & Pisani, de exercitu Januensium audierant, statim redierunt retro. Januenses quidem Portum Veneris applicuerunt, & sequenti die armatorum acies construxerunt, & castra illorum de Lunexana, & terras viriliter aggressi, & cum eis inierunt certamen; & ejicientes eos de campo, castrum Vesignæ in ore gladii vi ceperunt, & quosdam Nobiles ex Nobilibus Januam conduxere captivos. Postea verò post aliquos dies prædicti Vassalli veniam postularunt, & inito cum eis pacto, captivos reddiderunt; & in ordinatione Potestatis, & Consulum per omnia satisfecerunt, & juramento fidelitatis Consulatui reversi sunt.

Præterea Communitas Januensis in hoc anno pro

(1) Alter Cod. MS. Laumello.
(2) Alter Cod. MS. Tanario.
(3) Alter Cod. MS. Ingonis Tornelli.
(4) Alter Cod. MS. de Laumello.

pro custodia & defensione navium, & Mercatorum octo galêas armaverunt, in quibus præfuit Guilielmus Torellus (5) Consul & Dominus constitutus; qui cum ipsis galêis ivit per totam Corsicam, Sardineam, & Siciliam; ac quum pervenisset Panormum, invênit ibi in portu piratam quemdam nomine Recuperium, hostem Januensium, cum VIII. galêis, quas in facie totius Panormi vi cepit, & extraxit de portu. Verùm ad instantiam Constantiæ Imperatricis uxoris quondam Imperatoris Henrici, quæ ob hoc quosdam Nobiles Januenses, qui erant in Sicilia, ceperat, & in carcerem miserat, eos reddidit. Prædictæ siquidem galêæ cum navibus Mercatorum, & ingenti pecunia Januensium feliciter consummato itinere, in portu Januæ applicuerunt. In præsenti quidem anno mense Junio Guido Marchio de Gavi inito conspirationis fœdere cum Terdonensibus, & quibusdam aliis Latrunculis, proditionaliter, & clam castrum Gavii quadam nocte intravit per quoddam foramen, quod in muro fecerat Canevarius Nicolai Squarciafichi tunc temporis Castellani, qui Januæ erat; sed ex quo Castellani, & servientes, qui in eo erant, hoc præsenserunt, iniverunt cum eis certamen & bellum, sicque eos ejecerunt de castro, quibusdam ex eis interfectis, & trucidatis; & prædictus Guido vix eorum manus evasit. Ceterùm quum hujusmodi rumores ipsa die in Januа pervenerunt, illico & festinantissimè & minimi & maximi ad succursum prædicti castelli & confusionem inimicorum ceperunt arma, nec cessaverunt, quousque ad Gavium pervenerunt; & invento ibi prædicto Alberto Januensi Potestate, latrones, & proditores, quos in castro invenerant, fecit in furcis suspendi. Qui de honore, & commodo, atque victoria Januensis civitatis cogitando, & solicitando cum sapientibus & egregiis viris, qui cum eo erant, in Gavi tamdiu moram fecit, donec universam Baroniam, & Populum, Vassallos quoque, & amicos Januensis urbis congregavit in unum. Quo facto, nocte quadam, quæ fuit transacto Festo Sanctorum Henrici & Julitæ, montana, quæ sunt circa Podium illud, ubi erat prædictus Guido Marchio, qui construxerat castrum Taxariæ, armatorum catervis discretissimè & sapienter munivit. Mane autem facto, alios, qui in Gavi remanserant, congregavit in unum, solemneque ibi parlamentum & Curiam celebravit, ubi bellatorum acies instruxit: quo facto cum ingenti armatorum copia, paucis tamen militibus, planitiem de Gavi, quæ Vallis dicitur, munivit. Reliquos verò ad debellandum castrum Taxariæ misit. At quum Terdonenses, & qui apud Serravallem cum eorum fortia erant, scilicet cum Alberto Malaspina, & Castellanis, & omnibus ferè citra Padum hoc præsenserunt, qui prædictum castrum munierant, statim cum exercitu suo Januensibus obviam, & ad prædicti castri succursum, quod Januenses districtissimè (6) impugnabant, venerunt; statimque, ut possent eos ab impugnatione prædicti castri repellere, in eos fecerunt insultum. Inito autem certamine, & crebrescentibus hinc inde ictibus, tamdem prævaluerunt Januenses. Terdonenses verò, nonnullis ex eis prostratis & interfectis, dimiserunt pugnam, & terga dederunt; sicque Januenses fugando eos, fuerunt eos insecuti usque ad Montem-Cucum; unde ad prædictum conflictum castrum Serravallis Terdonensium derelictum permansit. Prædictum autem castrum Taxariæ in facie totius exercitus Terdonensis tamdiu Januenses impugnarunt, quòd vi illud ceperunt, & vexillum Sancti Georgii coram Terdonensibus in eo imposuerunt; illud quoque ipsa die funditus destruxerunt. Signiferos quoque Terdonensium, & alios nonnullos ex nobilioribus Terdonæ, quos in castro Taxariæ, & in pugna tenuerunt, Januam duxerunt captivos, & tamdiu in vinculis tenuerunt, quousque Terdonenses satisfecerunt civitati Januensi, & de offensionibus omnibus, & excessibus perpetratis. Insuper autem castrum Pallodii viriliter aggressi fuerunt Januenses cum exercitu suo, quod Pallodinus filius Guilielmi de Pallodio tenebat, qui prætermisso juramento fidelitatis, quod Communi Januæ fecerat, stratam fregerat, & Januenses ceperat. Qui Pallodinus reddidit se, & castrum Domino Alberto Potestati, & Communi Januæ; quod communiri fecerunt, & ad honorem Dei, & Communis Januæ custodiri. Quid plura? Omnia quidem Communitati Januæ hoc anno intus & extra prospera evenerunt. Transacto quippe tempore suæ Potestatiæ Dominus Albertus feliciter Mediolanum reversus est. Consules verò justitiæ tanquam viri discreti & legales officium suum feliciter rexerunt, jus suum amicabiliter cuique tribuentes.

Anno Dominicæ Nativitatis MCLXXXXIX. Indictione prima, fuit electus Potestas Januensis civitatis Beltramus Christianus Papiensis Civis, & habuit secum Rectores sex, scilicet Nicolaum Mallonum, Ingonem Longum, Obertum Malocellum, Simonem de Camilla, Belmustum Lercarium, & Manfredum Picamilium. Et tempore isto fuerunt Consules pro justitiis Civium, scilicet pro quatuor compagniis versùs civitatem Antonius de Castello, Guilielmus Mallonus, Ido Stanconus, Ingo Tornellus. In aliis quatuor compagniis versùs burgum Villanus de Insulis, Simon Sardena, Angelottus Vicecomes, & Bernicio de Campo. Alii verò quatuor Consules electi pro justitiis, inter habitantes in quatuor compagniis civitatis, & quatuor in compagniis versùs burgum definiendis fuerunt Rubaldus de Helia, Henricus Porconus (7), & Guilielmus Oberti de Nigro. Pro Foritanis Opizo, Guilielmi Guerci, & Obertus (8) Ususmaris. Hoc anno misit prædictus Potestas obviam nostris navibus ab Oriente redeuntibus galêas VIII. bene armatas, in quibus ivit guida Obertus Malocellus, qui quum pervenisset ad portum Calari, invênit quamdam maximam navem Pisanorum, lana (9) & aliis mercibus oneratam, Buccanigram nomine; & facientes insultum in eam, prœliando vi eam ceperunt, & Januam tunc miserunt. Et tendentes maria, usque in partes Siciliæ perrexerunt, ibique quum applicuissent, naves nostras invenerunt, & cum ipsis Januam feliciter redierunt; Et tempore isto fuerunt armatæ IV. galêæ, in quibus ivit Simon Camilla guida pro rumoribus navium Pisanorum, quæ dicebantur in Provinciam perrexisse cur-

(5) Alter Cod. MS. Domini Ingonis Tornelli.
(6) Alter Cod. MS. discretissimè.
(7) Alter Cod. MS. Mazulis, Peronus.
(8) Alter Cod. MS. & Guilielmus quondam Oberti.
(9) Alter Cod. MS. blava.

curfitandi causa; & secum duxit naves duas. Et quum perrexisset ad Insulas Arcatum, invenerunt in quodam fortissimo castello sito in Insulis illis quosdam homines nostri districtus incarceratos, & ad redemtionem coactos, quos quidem prœliando ceperunt, & illud penitùs destruxerunt; homines quoque nostros recuperaverunt; & latrones, & piratas, qui erant in eo inclusi, ceperunt, & spoliaverunt. In eodem quidem anno Communitas Januæ super Vintimilienses rebelles exercitum & expeditionem fecit; & tenuerunt eos obsessos per mare & per terram à Festo Sancti Jacobi usque per totum Augustum, & eo ampliùs, impugnando eos cum machinis, & aliis modis, eos omnino vastantes. Sed intervenientibus sceleribus quorumdam malorum virorum, contigit, quòd exercitus prædictus eos dimisit, & Januam pervênit. Consules verò Placitorum, ac Foritanorum per Dei gratiam officium suum optimè tractaverunt, & honestè ac decenter operati sunt, jus suum cuique amicabiliter tribuentes.

Anno MCC. Indictione II. Fuit electus Potestas, & Rector Januensis civitatis Rolandinus Malapresi Nobilis Civis Lucensis, & VIII. Consules Placitorum, scilicet in quatuor compagniis versùs civitatem Rogerius de Helia, Amicus Mallonus, Philippus Cavaronchus, & Guilielmus de Pallo. In aliis quatuor versùs burgum, Belmustus Lercarius junior, Guilielmus Rocius, Jacobus de Marino, & Guilielmus Piccamilium. Pro Foritanis verò Beltramus de Savignono, Balduinus de Volta. In præsenti anno Potestas ipse cum militibus Januæ ivit ad Sanctum Romulum, & cum ipsis militibus, & paucis galêis ivit ad Sanctum Ampelium; & ibi tentoria fixit; & per plures dies ibi stetit vastando blavas, vineas, & arbores per totam Vallem ipsam à Sancto Ampelio usque ad aquam Nerinæ, & eo ampliùs. Redeunte inde perrexit Lucam,& ibi Fati munus implevit. Januenses verò, habito consilio Guilielmum Henrici, quem Vicarium suum Januæ dimiserat, in Potestatem elegerunt, & per totum illud tempus ipsum pro Potestate habuerunt, & tenuerunt; quique per Dei gratiam civitatem intus & extra in pace & quiete tenuit. Fulconem quoque de Castello Alexandriam in Legatum transmisit in nave Salna (10) de Finali; & duxit galêam unam secum, in qua bene, & optimè armata in terram Alexandriæ descendit; & quum Soldanus Babyloniæ bene de captivis eidem Fulconi promisisset, tamen in fine nullum captivorum ei reddere voluit; licèt dona, quæ propterea portaverat, quæ bene valebant libras D. & eo ampliùs, de Communi Januæ recepisset. Contigit autem, quòd in navi Buccanigra, quæ fuerat Pisanorum, ivit Tunetum mercaturæ causâ; & quum ibi esset, venerunt naves tres Pisanorum armatæ, quarum una vocabatur Castellana, altera Diana, & alia Pavonum; & in mane illo insultum fecerunt. Januenses verò, qui in ea erant, sicut viri fortes & robusti, surrexerunt ad arma, & ipsas prœliando ceperunt, & cum ipsis Januam feliciter pervenerunt, in quibus navibus multa arma, & ceteras raubas ceperunt.

Anno Dominicæ Nativitatis MCCI. Indictione III. fuerunt Consules pro Communi Guilielmus Embriacus, Nicolaus Mallonus, Jordanus Richerius, Guilielmus Guercius, Nicolaus de Auria, & Guido Spinula. Et Consules Placitorum XII. In quatuor compagniis versùs civitatem Corsus Vicecomes, Guilielmus Crispinus, Martinus Tornellus, & Opizo quondam Guilielmi Guercii. Pro aliis verò quatuor compagniis versùs burgum Guilielmus Becherius, Henricus Domusculta, Otto Guarachus, & Nicolaus Marabotti. Pro diffiniendis discordiis inter Cives, & Burgenses Bonifacius quondam Alberti de Volta, Henricus Mazalis, Nicolaus Boccacius, & Marchio (11) Guilielmus. Pro Foritaneis Henricus Cicala, & Guilielmus Ficusmatarius. In præsenti quidem Consulatu fuerunt inventi multi latrones; & Consules per civitatem eundo nocte ceperunt plures latrones, & quibusdam ex eis oculos eruere, & quibusdam capita truncare fecerunt. Audientibus inde, quòd Vintimilienses in mare intraverant cum una galêa armata, statim armaverunt galêas III., & ipsam sequutæ sunt usque in Hispaniam. Nicolaus Auriæ cum galêis VIII. ivit obviam navibus tribus à partibus Orientis redeuntibus; & fuit in Siciliam, ibique cum Rege pacem firmavit; & inter aurum, & argentum, & lapides pretiosos tantum adduxit, ut Commune Januense habuit ultra libras MD. In eodem Consulatu Marcoaldus cepit Guilielmum Grassum Admiratum, & ipsum incarceravit. Unde Januenses habito consilio armaverunt galêam unam pro ipsius liberatione, in qua ivit Guilielmus Embriacus; sed ipsum habere non potuit. Propterea in fine Consulatus venerunt Vintimilienses Januam de mandato suorum (12) Consulum, & juraverunt in parlamento, ubi venerant cum Crucibus, discalceati projicientes se ad pedes Consulum, universis præceptis eorum per omnia parêre & obedire. Eodem quippe anno Mediolanenses pro eo, quòd Papienses ad burgum Sancti Donini, ubi erant in adjutorium Parmensium, graviter Mediolanenses invaserant, castrum Veguali obsederunt, & illud prœliando ceperunt, & omnino destruxerunt. Hoc facto, quidam Religiosi viri se de pace inter Mediolanenses, & Papienses intromiserunt; & per Dei gratiam, à quo cuncta bona procedunt, facta est pax inter ipsas civitates in perpetuum duratura. Consules verò Causarum tam Civium, quàm Foritanorum, tamquam viri legales & discreti officium suum rexerunt feliciter, jus suum cuique amicabiliter tribuentes.

Anno Dominicæ Nativitatis MCCII. Indictione IV. Fuit Dominus Guifredottus Grassellus Nobilissimus Mediolanensis Civis, Januensis civitatis in Republica Potestas & Dominus feliciter electus & constitutus. Et habuit ad suum Consilium pro rationibus Communis cognoscendis quatuor Nobiles, & sapientes, scilicet Nicolaum Mallonum, Guilielmum Tornellum, Belmustum Lercarium, & Enricum de Nigro. Pro placitis Consules quatuor in compagniis versùs civitatem, scilicet Johannes quondam Vassalli Straleriæ, Zacharias de Castello, Nicolaus Lecanoce, & Philippus Cavarunchus. In aliis quatuor compagniis versùs burgum Guilielmus Rocius, Bartholomæus Domusculta, Andreas Domusculta, & Simon Pignolus. Pro medianis fuerunt Consules quatuor

(10) Alter Cod. MS. Salna.
(11) Alter Cod. MS. Melchio Grillus.
(12) Alter Cod. MS. ipsorum.

tuor Obertus Porcus, Guilielmus Johannis Tornelli, Otto Pezullus, & Amicus Guercius. Pro Foritanis Rubaldus Tarallus, & Raymundus Cancellarius. Præfatus quidem Dominus Guifredottus fuit virtutibus multis ornatus; multa namque legalitate & discretione fulsit; probus, honestus, strenuus, & victoriosus, civitatem Januam feliciter per totum tempus suæ Potestatiæ gubernavit, & rexit. Multos felices successus Dominus Omnipotens suo tempore contulit civitati, sicut præsenti pagina cognoscere poteritis. Contigit autem, quòd ipse Dominus Guifredottus cum Potestate Pisano, Guiraldo scilicet Vicecomite, & aliis nobilibus viris Januensibus, & Pisanis, mediantibus Bonifacio Marchione Montisferrati, & Comite Aldebrandino, apud Ilicem se convenerunt ad tractandum de pace, & conventione utriusque civitatis circa octavam Paschatis. Sed quia Pisani de plurimis factis, & specialiter de castro Bonifacii, locuti fuerunt, invicem se concordare minimè potuerunt. Eodem quippe anno Beltramus de Nervi quum iret in Maritimam cum nave sua, quæ vocabatur Castella, pro grano, invênit naves duas Pisanorum, quas persequutus fuit; & tamen unam ex ipsis, quæ vocabatur Sanctus Petrus, cepit, & multos denarios in ea Januam duxit. Eodem quippe anno quum quædam navis nostrorum hominum, quæ vocabatur Berarda, Alexandriam proficisceretur, invênit quamdam navem Pisanorum, quæ super nostram insultum fecit (13); & Januenses, qui in ea erant, ad arma surrexerunt, & illam Pisanorum navem prœliando ceperunt; & rebus omnibus, quæ in ea erant, eos exspoliaverunt. Sed Januenses misericordia moti, quia in pelagus erant, navem illam eis reddiderunt. Eodem quippe anno Marchiones, qui erant (14) de Gavi, Albertus scilicet, Guilielmus, et Raynerius fratres pro se, et filiis quondam Guidonis fratris eorum, cum Communi Januæ se convenerunt, et Communi Januæ dederunt possessiones omnes, et jura, quæ, vel quas habebant in Gavi, et in castro, et in territorio Gavi, et in burgo, et in nemoribus, et in molendinis, et in Vassallis, et fidelitatibus Communi Januæ remiserunt; et inde finem, translationem, et refutationem fecerunt, et dictum (15) totum, quod in eis habebant, retinendo eis medietatem Pedagii solummodo. Et propterea Commune Januæ eis libras MMMCC. dedit: et pedagium constituerunt super euntes per castra voluntate civitatum Lombardiæ colligendum per summam (16) usque in libris DCCC. ad complementum librarum IV. millium. Et ipsi compagniam Januæ juraverunt, et habitaculum civitatis; et quòd non deberent transire jugum, nisi ter in anno; et tunc cum Potestatibus, vel Consulibus cum eis Januam redire. Consules verò Causarum tam Civium, quàm Foritanorum, tamquam viri legales et discreti officium suum rexerunt feliciter, jus suum cuique amicabiliter tribuentes.

Anno Dominicæ Nativitatis MCCIII. Indictione V. fuit in regimine civitatis prædictus Dominus Guifredottus Grassellus Mediolanensis Civis, et habuit ad suum consilium pro rationibus Communis faciendis quatuor nobiles viros, Guilielmum Barcham Ottonem Bonum de Cruce, Idonem de Carmandino, & Guidonem Spinulam. Et Consules Placitorum XII. videlicet quatuor versùs civitatem, Ingo de Galliana, Guilielmus Pallus, Opizo Guilielmi Guercii, & Paganus de Rodulpho. Pro civitate & burgo Amigonus de Castello, Ingo Tornellus, Marchio (17) Guilielmus, & Villanus Mangiaporri. In quatuor compagniis versùs burgum Rolandus Belmustus, Guilielmus Bonivassalli Ususmaris, Henricus Domusculta, & Otto Guarachus. Pro justitiis Civium, & Foritanorum Bonifacius quondam Alberti de Volta, & Simon Alpanis. In præsenti quidem anno propter discordiam, quæ vertebatur inter Albinganenses, & homines de Valle Arociæ, qui ad servitium civitatis se omnino tradiderant, ivit prædictus Potestas cum pluribus nobilibus civitatis Albinganam, & eos modis omnibus pacificavit; & habuit Albingana pro Collecta super eos imposita libras L. Veniente autem Savonam vocare fecit quemdam Savonensem nomine Guilielmum Saragum, ut ei daret pro decreto Provinciæ ex pecunia sua delata libras XI. cum dimidio; & quum rebellis exstitisset, misit servientes ad diruendam domum ipsius. Contigit autem, quòd quidam Nepos ipsius Guilielmi vênit clam, & percussit quemdam hominem ipsius Potestatis cultello, de qua percussione mortuus fuit. Indignatus autem prædictus Potestas fecit destruere ipsius Guilielmi, & plures alias domos, & turres, & à Communi Savonæ accepit libras CCC. in denariis, & libras DCC. in pignoribus, & fidejussores cepit pro libris mille. Eodem quippe anno Pisani galêas duas armaverunt, & venerunt in Provinciam; & Potestas armare fecit duas galêas ad ipsas persequendas; & quum ipsas invenissent prope Insulas Arcatum, sequutæ sunt eas, & unam ex ipsis ceperunt. Contigit autem, quòd Pisani optimè navem unam, quæ vocabatur Palmera, armaverunt, & cum ea in Provinciam ad Insulas Marsiliæ iverunt cursitandi causâ. Naves verò nostræ, quæ mercationis causâ ibant, ipsam invenerunt, & persequendo eam ceperunt. Galionus autem, qui cum ea erat, profugium fecit. Eodem quippe anno Pisani navem maximam, quę vocabatur Roza, causâ cursitandi, tamquam etiam adducendi pecuniam Pisanorum de Turritino Judicatu, optimè armavere. Januenses verò pro adducenda pecunia Januensium, quæ ibi erat, duas parvas naves, Stellam, & Falconem armaverunt, & illuc cum duabus galêis perrexerunt; & inventâ ipsâ, prœliando ceperunt, & Januam conduxerunt.

Eodem verò anno Murruelus, & Gualterius Caputmalii Savonenses, qui forestati de Savona erant pro morte Raymundi de Alba Causidici, & Vicarii Ugonis de Carreto Savonensium Potestatis, furtim Lignum unum armaverunt, & quemdam bucium (18) Torsellorum Astensium carricatum ceperunt, & ad castrum Turbiæ ex Nicense civitate (19) profugium ceperunt. Accidit autem, quòd Potestas ipse plures Nuntios misit ad prædam ipsam recuperandam; novissimè verò, quum nihil posset recuperari, misit Causidicum suum Alber-

(13) Alter Cod. MS. faciebat.
(14) Alter Cod. MS. fuerunt.
(15) Alter Cod. MS. drictum.
(16) Alter Cod. MS. strumam.
(17) Alter Cod. MS. Melchio Grillus.
(18) Alter Cod. MS. burcium.
(19) Alter Cod. MS. & Niciensem civitatem.

bertum de Summaripa, qui quum partem de præda illa recuperasset, & venisset Tabiam, quidam latrones de Tabia, & de Cæliana, ipsum, & eos, qui cum eo erant, nocte invaserunt; & rebus omnibus, quas secum habebant, ipsos exspoliarunt; & quod deterius fuit, ipsum Albertum, & plures alios ferè ad mortem vulnerarunt. Indignatus autem Potestas, & tota civitas commota exercitum super ipsos malefactores fecit, & perrexit Tabiam, & eam vastavit, & omnino castrum destruxit; & de exercitibus suis misit Cælianam; & possessiones Rusticorum, qui ad maleficium illud fuerant, vastari fecit; & majorem partem ipsius prædæ recuperavit. Et insuper Collectam per universum Comitatum & Marchiam impositam ab eis extorsit, & Januam adduxit; & fuit quantitas librarum DCCC. & eo ampliùs, exceptâ Collectâ super eos impositâ pro guardia castri Bonifacii. Præterea quia propinqui illorum malefactorum, prout ferebatur, assensum ad maleficium illud perpetrandum præbuerant, omnes eorum possessiones destrui fecit, & mobile eorum ubicumque inventum cepit. Et quoniam quidam de Albisola ad hujusmodi factum interfuit, universum posse ad ipsum pertinens vastari fecit. Simili quoque modo possessiones & domos illorum de Varagine, qui de præda illa in eorum domibus receperant, vastari & dirumpere omnino jussit. In eodem quippe anno XXII. die Septembris Dominus Bonifacius Januensis Archiepiscopus Fati munus complevit. Altera autem die congregatis in unum Canonicis majoris Ecclesiæ, Abbatibus, Præpositis, & Prælatis Ecclesiarum, per Rolandum Præpositum Sancti Laurentii, & Ottonem Archidiaconum, quibus electio data & concessa fuit, per Clericos, & Laicos, Dominus Otto Boniensis Episcopus in Archiepiscopum electus fuit. Contigit autem, quòd in eodem anno quarta die intrante Decembri in crepusculo noctis duo ex servientibus Sorleonis Piperis instinctu quorumdam illorum de parte de Volta, ipsum Sorleonem in domo sua graviter vulnerarunt. Mane autem facto, scilicet in Vigilia Sancti Nicolai, prædictus Dominus Guifredottus ambas partes, scilicet de Volta, & de Curia vocavit in publico parlamento, & eos jurare constrinxit de discordiis omnibus, quas invicem habebant, mandatis suis & præceptis in omnibus obedire. In festivitate autem Beati Nicolai facta concione, & vocatis Præposito, & Archidiacono Januensis Ecclesiæ, constitutis in medio Ecclesiæ Reliquiis, & textu Evangeliorum, partibus omnibus existentibus & præsentibus in Ecclesia S. Laurentii, juraverunt omnes pacem invicem servare; & sacramentis peractis super ipsas Reliquias, & Evangelia, ipsos omnes invicem osculari fecit. Postea verò de guerra, quæ erat inter illos de Auria, & Porcellos, atque filium quondam Opizonis Leccavelli, & inter filios quondam Ingonis Cassicii, & filios quondam Philippi Maliinfantis, similem pacem jurare fecit, & in publico parlamento invicem osculari fecit. Contigit autem, quòd eodem anno Comes Flandriensis, & Comes Sancti Pauli, & Marchio Bonifacius de Monteferrato Crucem Dominicam accipere credentes, Venetias perrexerunt, ibique cum Venetis confœderarunt, fingentes se ire ultramare ad recuperandum Dominicum Sepulcrum. Primò euntes ad Jadaram (20), prœliando ipsam ceperunt, & penitùs destruxerunt tam Ecclesias, quàm cetera ædificia; ac multos homines, & fæminas, et pueros interfecerunt; et aliam civitatem in Insula ædificarunt. Postmodum verò obliti Dominicæ Crucis recuperationem, et ipsam Crucem projicientes, Constantinopolim perrexerunt, et civitatem ceperunt, et exspoliarunt, Ecclesias spoliantes, et Cruces, et textus Evangeliorum crustantes, et Reliquias Sanctorum inter se dividentes, huc et illuc miserunt; et Imperium Romanum in tres partes diviserunt, Imperium dantes Comiti Flandriensi, Regnum Salonichi Marchioni Montisferrati, et Insulas Romaniæ Duci Venetiæ cum quadam parte terrarum Romaniæ. Consules verò Causarum tam Civium, quàm Foritanorum, sicut viri prudentes et discreti officium suum feliciter rexerunt, jus suum cuique amicabiliter tribuentes.

Anno Dominicæ Nativitatis MCCIV. Indictione VI. fuit prædictus Dominus Guifredottus confirmatus in Potestatem Januensis civitatis, et fuerunt Consules pro placitis XII. In quatuor compagniis versùs civitatem Henricus Mallonus, Ido Stanconus, Bonifacius de Guidone, Martinus Tornellus. In aliis quatuor compagniis versùs burgum Guiraldus de Murta, Bottarius de Auria, Antonius Malfante, Jacobus de Piccamiliis. Per civitatem et burgum in medio Bailardus de Pallo, Balduinus Bisaccia, Bartholomæus de Volta, Fulco de Guisulpho. Pro Foritanis Balduinus de Volta, & Vassallus Grillus. In præsenti quidem anno civitas exercitum fecit super rebelles de Valle Arociæ, & ivit illuc Potestas cum militibus civitatis, & cum hominibus Comitatus, et Marchiæ, et super illos equitavit; et ad mandatum suum venerunt, et civitati fidelitatem jurarunt; et pro offensionibus factis in illis de Riperia, et specialiter in illis de Portu-Mauritio, ab eis extorsit ultra libras mille Januinorum. Et Castella duo, quæ fecerunt Rustici de Valle Arociæ, et Uneliæ, in quibus se receperant, destruere fecit, et ad domos proprias omnes redire fecit. In eodem quippe anno Ugo de Caffaro cum galêa una cepit per battaliam galêam unam Recoveri, in qua ipse Recoverus interfectus fuit, quum nequissimus inimicus civitatis Januensis esset. Contigit autem, quòd quadam die mensis Septembris sagittea una Pisanorum centum remorum cum bucio uno octuaginta remorum vênit de partibus de infra mare, et ceperunt bucios, qui per Ripariam illam ibant. Burgenses verò Portus Veneris tamquam viri fortes et robusti armaverunt galêam unam, in qua fuit Philippus Cavarunchus Castellanus Portus Veneris, et iverunt ad Fucem Arni; et ibi tamdiu expectaverunt, donec sagittea et bucius redierunt; et sagitteam vi ceperunt, et Januam conduxerunt. Ceterùm verò gloriam, et honorem, victoriam, et triumphum, quæ benignitate sua Pater cœlestis Januensi urbi de Cœlo contulit super inimicos nostros Pisanos ad memoriam retinenda dignum tractare duxi. Navis Carrocia, de qua erat dominus vir strenuus Alamanus de Costa, navem Pisanorum de Cursu, quæ Leopardus voca-

(20) Alter Cod. MS. Zaram.

cabatur, et quæ exierat ad ipsam inquirendam cum quingentis bellatoribus, campali bello devicit, et eam cepit, in qua ultra CCCLIII. guarnimenta ferri, ultra juppones, hermos, clypeos, et alia arma multa ceperunt. Quæ dum pervenissent in partibus Insulæ Cretæ, naves nostræ de ultramare, et de Alexandria inveniendo, simul cum eis venire firmaverunt ad expugnandam civitatem Siracusanam, quam Pisani piratæ ad offensionem nostram, & omnium gentium, habitabant; de qua & Burgenses ejusdem civitatis violenter expulerant; & quod nequissimum videbatur, spiritualem Patrem, scilicet Episcopum, & fratres suos, de civitate ipsa inhumaniter ejecerant. Quum igitur iter gloriosum incœpissent, & pervenissent ad Insulam Maltæ, Vir egregius, & amator Januensium honoris, Comes Henricus Piscator volens esse particeps tanti honoris, cum galêis, & gente sua eis adjunctus est. Et sic ad Siracusanam civitatem venientes, & applicantes die Veneris VI. die Augusti, inter Nonam & Vesperas navibus duabus magnis, quæ in portu erant, uni quarum nomen erat Florius, & alteri Roza, vi captis, ipsam obsederunt; & Dei munere summi Regis cum scalis, & aliis belli generibus dimicando, in conspectu Comitis Raynerii de Thuscia, qui cum manu militum et peditum in succursum eis venerat, in dies VII. in facie gladii ceperunt; et universis malefactoribus, qui in ea latitabant, dejectis, et Episcopo cum suis fratribus Sedi suæ et Ecclesiis restitutis, cum hymnis et laudibus laudabilem Januensium amicum Alamanum ad honorem civitatis nostræ ex ea Comitem pro Communi Januæ perfecerunt. Consules de Alexandria Lambertus Fornarius, et Bellamutus (21) Lercarius, et Consules de Alexi, Ogerius de Insulis, et Belmustus Lercarius minor, consilio, et voluntate Nobilium, qui in navibus erant, recepta ab eo fidelitate pro Communi Januæ ei civitatem dederunt; et terrâ commissâ sibi, et bene guarnitâ, prosperantibus ventis Januam pervenerunt. Verùm quum adhuc essent in portu, navis quædam magna Pisanorum, quæ vocabatur Tunnus, portum illum applicuit, et cum universa pecunia existente in ea ipsam manu salva ceperunt.

In eodem scilicet Anno mense Octobris, undecima verò die, fuit maxima tempestas maris, in qua in portu Januæ naufragium passæ fuerunt plures naves, inter quas Gazella, quæ itura erat ultramare, & Falco, quæ itura erat Septam cum magna pecunia Sarracenorum; & maximum plures homines damnum habuerunt. Navis quoque, quæ vocabatur Regina, & navis, quæ vocabatur Dulcis, fortuito casu ipsa die naufragium passæ fuerunt. Eodem verò die post nubila facta est tranquillitas, & venerunt homines cum barchis, Lignis, & buciis inquirentes de pecunia illa. Ultra ballas CCCL. pannorum, & baldinellarum, invenerunt, & de zurris piperis, & lanæ, atque saccis bombacii maximam quantitatem. Verùm peccatis exigentibus in introitu mensis Decembris quidam Nobiles Viri simul confœderantes occasione servientium Potestatis, qui nocte quadam filium Johannis Balbi de Suxilia in cambio alterius interfecerant, contra Potestatem insurrexerunt; & per aliquot dies in errore illo perseverantes, quum Potestas maximam congregasset gentem, in fine tamen, mediantibus pluribus Viris Religiosis & Laicis, ad satisfactionem venerunt; & sic in maxima civitas tranquillitate permansit.

In eodem quippe Anno mense Januarii XXI. verò die fuit ignis magnus in contrata Obranderiorum, qui maximum damnum intulit. Eodem quippe Anno quum Ugo de Caffaro unam galêam suam Messanam transmitteret, obviam fuit ei galêa una Pisanorum, quæ de industria armata erat ad ipsam capiendam, in qua erat Recoverius capitalis inimicus Januensium; & quum illam invenissent, prœlium invicem commiserunt, & per Dei gratiam galêa Ugonis obtinuit, & illam Pisanorum cepit, & qui erant in galêa Ugonis, Recoverium interfecerunt. In eodem anno quum multi Januenses undique congregati cum galêis VI. Romaniam intrassent, inter quas fuit quædam galêa de Portu Veneris, invenerunt quamdam navem de Constantinopoli redeuntem, in qua ceperunt pecuniam maximam, & multas Reliquias Sanctorum, & Cruces Dominicas, & inter se diviserunt. Et pars, quæ galêæ Portus Veneris contigit, Januam adducta fuit, & per Ecclesias, ut vocabula Sanctorum erant, divisa. In isto verò Anno intravit Januam Rex Aragonensis. In eadem quippe Potestatia Mercatores Januæ galêas quatuor armaverunt circa Festivitatem Natalis Domini, in quibus mercationem suam in Siciliam portaverunt, pro quibus associandis Commune armavit galêam unam, in qua Comitus ivit Amicus Mallonus; qui quum in partibus Neapolis pervenissent, invenerunt navem unam Pisanorum, quæ vocabatur Carafattus, quæ ibi armabatur causâ intrandi in cursum, quam protinus ceperunt, ac eam penitùs combusserunt. Consules verò Placitorum, ac Foritanorum, tamquam Viri discreti ac legales officium suum feliciter rexerunt, jus suum amicabiliter cuique tribuentes. Dictus namque Guifredottus Potestas hoc anno novem galêas novas fieri fecit.

Anno sequenti MCCV. Indictione VII. fuit in regimine civitatis Potestas Dominus Fulco de Castello, qui ad suum Consilium habuit pro Rectoribus, & super rationibus Communis cognoscendis Nicolaum Mallonum, Guilielmum Tornellum, Belmustum Lercarium, ac Guilielmum de Nigro. Consules Placitorum pro rationibus hominum quatuor compagniarum de versùs civitatem cognoscendis, fuerunt Bonifacius quondam Alberti de Volta, Antonius Leccavellus, Guilielmus Ingonis Tornelli, Obertus Castagna. In aliis quatuor compagniis versùs burgum Guilielmus Spanaldus, Balduinus de Medolico, Amicus de Turri (22), & Obertus quondam Vegii de Ceba. Pro medianis Amigonus de Castello, Henricus Cicala, Amicus Guercius, Ogerius Mazanellus. In eodem anno Comes Flandrensis, qui Sedem Constantinopolitanam susceperat, cum magno militum Francorum numero, & cum Duce Venetico, & gente sua ad obsidionem Andrianopolis perrexit; ibique infestati, & prœliati à Blachis surrexerunt ad arma, & secuti fuerunt illos terga vertentes; & ex eis innumeram quantitatem prostraverunt & interfecerunt. Sed tamdem Blachi revertentes, illum ceperunt cum CCC. militibus Franchis, qui om-

(21) Alter Cod. MS. Belmustus.

(22) Alter Cod. MS. Turrianus.

omnes in facie gladii mortui fuerunt, & personam Imperatoris retinuerunt. Marchio autem Bonifacius de Monteferrato, qui Dominatum Salonicensem & Regnum habebat, quum pervenisset ad obsidionem Neapolis, & Corinthi, quibus dominabatur Alexius quondam Constantinopolitanus Imperator, ipsum Alexium, uxorem, & filium cepit, Januamque in galêa una Portus Veneris, quæ apud Salonichum erat, per Henricum de Carmandino mandavit. Quumque Januam applicuissent, Guilielmus Marchio dicti Bonifacii filius, habito inde nuntio, Januam vênit, ipsumque Imperatorem, uxorem, & filium apud Montemferratum secum duxit. Præterea naves de Ultramari, & Alexandria redeuntes cum quatuor galêis, quas obviam eis miserat Potestas, apud Panormum venerunt, ibique navem quamdam Pisanorum invenientes, cum galêa una in terram descenderunt, & civitatem admodum prœliantes, & carricum navis, quod extra civitatem erat in terra ceperunt, & navem penitùs combusserunt, & Januam feliciter redierunt.

In præsenti quidem Anno Pisani cum tribus navibus in Provinciam descenderunt, ibique invenientes navem unam Januensium euntem Buzeam, quæ vocabatur Viola, ceperunt; & cum ea apud Calarim, & inde Siciliam iverunt; et quum pervenissent cum ipsis navibus, et aliis quatuor navibus, et galêis XII. apud Messanam, descenderunt in terram, & prœlium cum paucis Januensibus, qui erant ibi, incœperunt; quo bello multi Pisani in facie gladii perierunt. Contigit autem, quòd quum Comes Benedictus cum galêa una, et Paganellus de Porcaria cum altera galêa irent Panormum pro auxilio petendo, Guilielmus Porcus, et Benevenutus filius Comitis Alemani galêas armaverunt duas, et illas Pisanorum sequuti fuerunt, et prœlium invicem committentes, unam ex galêis Pisanorum, illam videlicet Comitis Benedicti ceperunt, et Messanam duxerunt: in quo prœlio ultra septuaginta Pisani interfecti fuerunt, & Comitem Benedictum in carcerem posuerunt; sed tamdem ipsum incarceratum Comiti Ansusio reddiderunt; & hoc fuit in mense Augusti. Inter cetera contigit, quòd Paganellus, qui præerat navibus Pisanorum, & qui evaserat fugiendo cum galêa sua, & Bonalbergus cursalis, postquam prœlium commiserunt cum Januensibus apud Messanam, cum navibus X. & galêis XII. ceterisque Lignis multis apud Syracusam perrexerunt cum Comite Ragnerio de Manente, multisque Thuscanis undique congregatis; & ipsam civitatem circumquaque obsidentes per tres menses & dimidium, & plus etiam, in illa obsidione permanserunt. Unde egregius Comes Maltæ Henricus intuitu civitatis Januæ, & amicissimi sui Comitis Alamani, qui in civitate illa præerat, & obsidebatur, iracundia motus ad damnum & detrimentum Pisanorum, & dictæ civitatis succursum viriliter se præparavit, et galêas IV. armavit, et cum ipsis, et maxima pecuniæ quantitate, et numero tarinorum, Messanam accessit; ibique inveniens naves duas Januenses de ultramari redeuntes, unam scilicet, cui præerat Ugolinus de Levanto, & aliam nomine Papagafium, cui præerat Johannes de Turcha, & Consules Januenses ibi constitutos, atque Guilielmum Spinulam, qui Legatus apud Alexandriam mittebatur, & Zachariam de Castro, qui per Dominum Fulconem cum quadam galêa de Portu Veneris ibi fuerat missus pro facto Syracusiæ, & Comitem Amphusium, & Guilielmum Porcum, Donedeum Bovem, & Johannem de Camulio, et Negotiatores dictarum navium, ceterosque amicos Januensis civitatis, qui ibi aderant, admonuit eos, et rogavit, ut de succursu Syracusiæ ad honorem civitatis Januæ se præpararent; qui viriliter ad hoc se praeparaverunt. Qui Comes cum supradictis precibus, atque solidis, galêas, et alia Ligna minuta sexdecim velociter armavit. Quo facto Zacharias de Castro, et alii nobiles Januenses, et amici civitatis unanimiter nobilem Henricum Comitem dicti stoli, et exercitus Dominum et Capitaneum elegerunt et constituerunt; et cum omni felicitate de Messana moventes, super Syracusiam applicuerunt. Pisani verò, qui ibi erant cum navibus novem, et galêis XII., buciisque, et barchis XIV. obviam galêis et Lignis Januensium exierunt, et invicem bellum committentes, maximè insimul prœliaverunt. In fine tamen per Christi misericordiam Januenses de bello obtinuerunt, et victoriam inde habuerunt; et galêas omnes, et Ligna Pisanorum ceperunt, præter galêas V. Longobardorum, in quibus erant Pisani XX. per galêam, qui fugam ceperunt. Et venientes ad portum, naves omnes ceperunt, & inter se eas diviserunt. Comes autem Syracusiæ cum sua Baronia de civitate exeuntes, apertis portis, multos Pisanos, qui in terra erant, & totam raubam eorum, vexilla, & tentoria, & arnixium totum ceperunt, & plures ex illis in facie gladii interfecerunt. Et omnes etiam penitùs cepissent, nisi quòd Comes Raynerius cum suis militibus profugium cepit; & hoc fuit die Lunæ ante Nativitatem Domini. Dominus autem Fulco de consilio & voluntate totius Consilii antea pro succursu ejusdem civitatis X. galêas de corpore civitatis, unam de Savona, aliam de Naulo, & aliam de Vintimilio armaverat, in quibus fuerunt Rectores & majores Nicolaus Mallonus, & Guilielmus de Nigro; sed in nomine Domini XII. die Januarii iter feliciter arripuerunt, atque penultima die Martii redierunt, ac nihil vel parum fecerunt.

Insuper non est prætermittendum de eo, quod Egregio Henrico Comiti contigit in isto anno. Ipse enim quamdam navem suam Leompardum nomine, quæ Pisanis fuerat ablata, per Comitem Alamanum armavit optimè cum duabus galêis, & super inimicos nostros in Romaniam in cursu mandavit, cujus navis & galêarum prudentissimos viros Alamanum Vicecomitem, & Albertum Gallinam Dominos (23) & Rectores constituit. Navigante verò nave cum galêis, & in Romaniam intrante, obviavit navibus duabus magnis & ditissimis Venetorum, & bene armatis, apud Constantinopolim proficiscentibus, una quarum vocabatur Falconus, & alia Rosa. Ipsas consecuta fuit terga vertentes; quumque verò die noctuque sequeretur, & tranquillitate ventorum juxta eas ad bellum ire non posset, homines de Rosa, quæ minor erat, cum mercibus subtilibus in Falconem ascenderunt, & na-

(23) Alter Cod. MS. ductores.

navem illam Rosam inferiùs perforarunt; sed antequam penitùs submergeretur, galêæ ad eam euntes plus CC. ballis bonorum pannorum, scarlatorum scilicet, & aliorum pannorum, & frustaneorum, ex ea extraxerunt. Flantibus autem ventis venere cum Falcone, & ceperunt fugam; & Leopardus cum galêis ipsam usque in Orientales partes sequendo, eam invaserunt, & viriliter ipsam prœliantes pluribus diebus, Christi misericordiâ ceperunt eam, & innumerabilem pecuniæ quantitatem, & loricas MCC. & alia arma multa in ea accipientes, homines, qui in ea erant plus DCCCC., in potestate habuere. Quumque in portu Tyri & Acon vellent applicare pro victu accipiendo, & in terram descendere, pro multitudine Venetorum in ipsis terris existentium minimè potuerunt. Et tamdem velificantes apud Tripolim iverunt, volentes ibi in terram descendere, & non potuerunt fiduciam habere. Quare juvenes Maltenses, qui in navibus & galêis erant, ira valde moti, per mare civitatem obsidentes, tamdiu ibi steterunt, quòd Comes Tripolinus pactum & concordiam cum ipsis fecit, & eis fiduciam dedit. Permanentibus autem ibi in amore & concordia Comitis, ad obsidendum & capiendum castrum Nisini, quod Comiti fuerat rebellatum, viriliter perrexere; & ipsum acriter bellantes, sub dominio & potestate Comitis illud subjugarunt. Sed tamdem Dominus & Rector Nisini ad resistendum Comiti & suis per Turchas & Sarracenos mandavit, volens eis primitus, quàm Comiti, castrum reddere. Sed Christi misericordiâ, & juvenum Maltensium coadjuvante auxilio, nihil ei valuit, quoniam ipsum invenerunt subjugatum. Venientibus autem Turchis plus XX. millibus, & invenientibus Nisinum à Comite captum ut supra, & optimè munitum, obsederunt Gibelletum, ipsum fortiter bellantes, in quo juvenes Maltenses existentes, qui CCC. erant, eis obviam exierunt; & quod est mirabile in oculis hominum enarrare, ab obsidione dicti castri jam dictos XX. millia Turchos repulsos fecerunt recedere: de quorum probitate per universam Turchorum regionem fama volat. Quid plura? Prænominatus Comes pro jam dicto servitio, & dictorum Januensium in Malta habitantium intuitu, cunctis Januensibus dacita, vel drictum, quæ vel quod in Tripoli soliti erant dare, remisit; & insuper jura omnia, & rationes omnes, quæ & quas Januensis civitas in Tripolitana civitate, & in Antiochia habere & tenere solita erat, & Rugam, & Balneum, & Ecclesiam, & cetera omnia Januensi civitati concessit; & inde optimum Privilegium sigillo aureo munitum eis fecit. Quo facto cum omni felicitate, victoria, & triumpho, atque divitiis multis Maltam redierunt, omnia in potestate victoriosi Comitis Henrici tradentes. Qui Comes summo gaudio & ingenti lætitia ipsos recepit, & jam dictum Privilegium Januensi Potestati mandavit, quo habito Januenses omnes ingenti gaudio & lætitia repleti fuere. Consules verò Placitorum, & Foritanorum per Dei gratiam officium suum optimè tractaverunt, & honestè ac decenter operati sunt, jus suum cuique amicabiliter tribuentes. Præfatus quidem Potestas hoc anno octo galêas novas fieri fecit.

(24) Alter Cod. MS. Struntus.

Anno MCCVI. Indictione VIII. fuit in regimine civitatis Vir Nobilissimus & discretus Dominus Johannes Struxius (24), qui Rempublicam legaliter pertractans & honestè, habuit secum Consules quatuor Maris, scilicet Ogerium Scotum, Obertum Ususmaris, Idonem de Carmandino, & Jacobum Piccamilium. Pro placitis verò ex parte civitatis fuerunt Consules constituti Henricus Mallonus, Otto Pezullus, Ido Stanconus, & Ingo de Volta. In compagniis verò versùs burgum Nicolaus Bottarius, Lambertus Domusculta, Jacobus Finamore, & Rubaldus de Ginatha. Pro Medianis verò Opizo Guercius, Andreas Grillus, Villanus de Insulis, & Villanus Mangiaporri.

Anno quidem præsenti Dominus Johannes Potestas quatuor armavit galêas, quæ versùs Provinciam proficiscentes, duos magnos Pisanorum buceos ceperunt, Januamque miserunt. Deinde euntes in Corsicam, ad portum descenderunt Pisanum, & per Ripariam Pisanorum venientes, Januam reversi sunt. Supradicti verò Consules Maris tres magnas naves cum tribus galêis, tribusque barchis, tribusque Cantheriis magnis viriliter armaverunt, & in cursu miserunt. Morantes autem per duos menses super Pisanos ad obsidendas eorum naves, quæ erant ad Calarim, perrexerunt, ibique eas longo tempore hostiliter tenuerunt inclusas. Mense quoque Julii Dominus Potestas de honore & exaltatione Januensis urbis cogitans, quatuor armavit galêas, easque misit super Pisanos. Quum autem pervenissent ad portum Pisanum, invenerunt navem magnam Pisanorum, quæ vocabatur Christiana, causâ eundi in cursum armatam, & ipsam prœliando ceperunt, quumque eam propter timones, quibus carebat, & temporis adversitatem, minimè ducere possent, multis personis videntibus, & etiam Venetiarum Legato præsente, qui pro ipsa videnda apud portum Pisanum venerat, ipsam combusserunt, extractis primitus ex ea multis armis, & guarnimentis libras D. valentibus, quæ per galêas inter se diviserunt. Demum Corsicam & Sardineam circumeuntes, Januam feliciter redierunt. In prædicto quidem anno in civitate Januæ armatæ fuerunt galêæ quatuor, in quibus delata fuit filia Marchionis Bonifacii de Monte-ferrato ad eum, qui Imperatorem Constantinopolitanum se appellari faciebat, cui copulari debebat. Præterea non est oblivioni tradendum de honorabili & victorioso Comite Maltæ Henrico, qui cum navibus, galêis, Usileriis (25), Buciis, aliisque Lignis cursalibus armatis Insulam Cretæ adivit, & ipsam prœliando cepit, cujus Dominus factus eam tenuit, habuitque tributum. In hac verò Potestatia, in Vigilia Beati Petri scilicet, naves quatuor, quæ Septam ibant, in partibus Ghibeltariæ, & Marzamusæ naufragium passæ fuerunt, in quo naufragio tam personarum, quàm rerum maximum substinuerunt detrimentum. Prædictus autem Potestas, & Consules Maris octo galêas novas fieri fecerunt. Consules verò Causarum tam Civium, quàm Foritanorum per Dei gratiam suum optimè tractaverunt officium, jus suum cuique amicabiliter tribuentes.

Anno verò sequenti MCCVII. Indictione IX. fue-

(25) Alter Cod. MS. Usicheriis.

fuerunt in regimine civitatis Consules sex pro Communi, scilicet Fulco filius Fulconis de Castro, Lanfranchus Rubeus, Guilielmus Malusfancellus, Nicolaus de Auria, Henricus de Nigro, Obertus Spinula. Placitorum verò fuerunt Consules in quatuor compagniis versùs civitatem Bonifacius quondam Alberti de Volta, Bonusvassallus Barbavaria (26), Antonius Pelizonus, & Balduinus de Volta. In aliis quatuor compagniis versùs burgum Bottarius de Auria, Amicus Guercius, Balduinus Sardena, & Guilielmus quondam Antonii Sardenæ. Consules de Medio fuere Jacobus Anglotti, Balduinus de Modo, Jacobus de Insulis, & Guilielmus Scivorellus. Præscripti verò Consules Communis in principio sui Consulatus fecerunt mutuum per Cives ultra libras X. millia quantitate, & galêas XX. novas, & Taridas IV. ad modum galêarum fieri fecerunt. In mense verò Madii armaverunt galêas decem, & naves decem, in quibus ivit Nicolaus de Auria dominus & guida, quæ Calarim applicantes invenerunt ibi naves X. Pisanorum, & galêas VIII. bene guarnitas, & omni fractarum munitione defensas, easque invadendo prederiis (27), balistis, atque sagittis prœliaverunt; sed propter (28) fractas super eas ire non potuerunt. Videntes autem, quòd nihil proficerent, in nave una ignem accenderunt, quem super illas ire fecere. Pisani verò de succursu navium, & galêarum suarum cogitantes, XVII. galêas optimè armatas in earum auxilio miserunt. Consules autem nostri galêas XIV. præparantes, unum ex eis, scilicet Fulconem Fulconis filium, constituerunt Rectorem. Verùm quia Pisanorum galêæ primitus Calarim applicuerunt, quàm galêæ Januensium, primitivæ naves & galêæ ab obsidione se extrahentes, temporis contrarietate huc & illuc se separaverunt. Quare duæ, scilicet naves, quæ dicebantur Bixia, & Stellata, contrarium iter tendentes, ab omnibus relictæ, fuerunt captæ. Navis autem, quæ Sanctus Jacobus dicebatur, cui Simon de Burgera (29) præerat, cum galêa una apud Messanam iter suum direxit. Ibique homines Messanæ timore Pisanorum perterritos, & stupefactos inveniens, eos penitùs confortavit. Pisani verò cum dicto navigio Panormum euntes, & in terram descendentes, variis cogitationibus pleni totam terram cum Raynerio de Manente, qui Comitem se appellari faciebat, & Caparrono habere sperarunt. Unde fraudulentibus cogitationibus decepti, Cancellarius cum suo exercitu supra eos felicem fecit insultum, & incœpto prœlio ipsos terga vertentes fugavit, & multos ex ipsis, qui in navibus, & galêis ascendere non potuerunt, interfecit. Postmodum verò cum navibus & galêis VIII. in Sardineam reversi sunt ad carricum recipiendum, & XVII. galêæ Pisas redierunt. Mense verò Junii dum naves VII. cum galêis, & Salandro, aliisque Lignis subtilibus de ultramare redirent, & prope civitatem in partibus Nervi nocte pervenissent, facta fuit maris tempestas valida in tantum, quòd projectis antennis, temonibusque fractis, vix evaserunt, præter unam, quæ Carrocius dicebatur, quæ apud Algeriam passa fuit naufragium, & exceptis duabus barchis, una navis Dominæ, & alia navis Papagasii, quæ similiter naufragium passæ fuerunt, & exceptâ galêa navis Dominæ, quæ in litore Sturlæ onerata sana vênit. Et sic extractis Reliquiis Beati Johannis Baptistæ summò mane Dominus Archiepiscopus cum Clero & Laicorum multitudine copiosa, atque mulierum, prædictis navibus in tanto periculo existentibus obviam ivit; & facta fuit tranquillitas, & ipsa die cum gaudio tamquam à morte liberati intraverunt in portum. Quamobrem Consules cum galêis, barchis, & sarcia multa ad ipsos iverunt succurrendos. Quo facto tristitia primò orta versa est in gaudium, & lætitiam magnam. Consules verò Causarum tam Civium, quàm Foritanorum, per Dei gratiam suum optimè tractaverunt officium, jus suum cuique amicabiliter tribuentes.

Anno quidem Dominicæ Nativit. MCCVIII. Indictione X. fuerunt in regimine civitatis VI. Consules pro Communi, scilicet Guilielmus Embriacus, Ottobonus de Cruce, Guilielmus Guercius, Montanarus Auriæ, Guilielmus de Nigro, & Guilielmus Spinula; qui Guilielmus Spinula vocatus à Soldano Babyloniæ, Legatus ivit ad ipsum, de voluntate tamen Sociorum, ac licentia Consiliariorum. Pro Placitis verò fuerunt Consules in quatuor compagniis versùs civitatem Amigonus de Castro, Henricus Mallonus, Otto Pezullus, & Opizo Guercius. In aliis verò quatuor compagniis versùs burgum Podius Cancellarius, Guilielmus quondam Raynaldi Sardenæ, Dondedeus de Campo, & Buccutius Caputgalli. Pro Medianis verò fuerunt Consules Bachemus quondam Lanfranchi Bachemi, Martinus Tornellus, Simon Alpanus, & Guilielmus Ficusmattarius. Pro Foritanis autem Rubaldus Tarallus, & Guilielmus de Balneo. In prædicto siquidem Consulatu Guilielmus Abbas de Tallieto vocavit Consules jam dictos, ut de discordia, quæ inter Januensem urbem, & civitatem Pisanam vertebatur, in se ponere deberent. Qui habito consilio, Ottobonus, & Guilielmus Spinula cum pluribus sapientibus civitatis Portum Veneris iverunt, & cum nobili Cive Parmensium Matthæo de Corrigia Pisarum Potestate apud Ilicem secum convenerunt; & audito sermone prædicti Abbatis juraverunt ambæ partes mandatis ipsius, & Gargani Abbatis Sancti Gargani per omnia obedire de universis controversiis & discordiis, quæ inter utramque civitatem vertebantur. Qui Abbates illis præceperunt incontinenti treugam servare ad invicem; & nullam una pars alteri facere offensionem; & nuntios & literas suas per diversas mundi partes ad suos transmittere, ut inde pariter tenerentur; & quòd mille homines sacramenta de quaque civitate eis præstarent. Quo facto injunxerunt eis, ut duobus mille hominibus, ultra prædictos, per quamcumque civitatem simile facerent subire juramentum, præcipientes eis, ut usque Sanctum Andream treuga servaretur inter eos, postmodum verò usque Kal. Januarii, & post usque ad Kal. Martii.

In præsenti siquidem anno contigit quoddam infortunium, & scelus nequissimum, atque apud Deum, & homines detestabile atque abominabile, scilicet quòd quidam sceleratissimus homo nomine Falsusgradus accedens ad palatium Domini Philippi Romanorum Regis situm loco,

(26) Alter Cod. MS. Barbanayra.
(27) Alter Cod. MS. pedreriis.
(28) Alter Cod. MS. prope.
(29) Alter Cod. MS. Burgaro.

loco, ubi dicitur . . . . ipsum quoque solum inveniens, mucrone erecto interfecit. Unde accidit, quòd universa terra Teutonica in tantum fuit perturbata, quòd Mercatores, & iter agentes per partes illas securi ire non poterant. Et quod deterius fuit, multi inventi fuerunt penitùs exspoliati. Videntes autem Principes Alemanniæ, & cognoscentes, quòd tota terra erat in maligno posita, congregati in unum pari voto, atque communi concordia Dominum Ottonem Romanorum elegerunt in Regem, coronam ei penitùs concedentes, quum primitus inter ipsum, & jam dictum Philippum de Imperio maxima discordia extitisset. Hoc autem anno Henricus Comes Maltæ, & Dominus Cretæ Arnaldum Burdinum cum duabus galêis Januam misit, præstolans & implorans consilium, & auxilium contra Venetos inimicos. Consules autem, habito sapientum consilio, naves, & galêas, milites, & servientes, & maximam biscotti quantitatem, & in denariis libras tria (30) millia pro centum equis ex eis emendis ei miserunt. Qui quum Cretam applicuissent, bellum cum Venetis incœperunt, & Raynerium Dandalum, quem Dux Venetorum Admiratum, & Ducem Exercitus Cretæ constituerat, ceperunt in prœlio; qui Raynerius in carcerem ductus, post paucos dies, sicut divinæ placuit voluntati, vitam finivit. Et egregius Comes Henricus corpus illius honorabiliter præparatum Venetis reddi fecit sepeliendum. Quumque Veneti ipsum in tribus galêis cum suo arnesio apud Venetias mitterent, tribus galêis Benevenutus filius Comitis Alemani obviavit, & ipsas cepit, & Syracusas duxit. Præfati namque Consules in principio sui Consulatus Nicolaum Mallonum, & Henricum Detesalve ad Miramolinum Legatos in una galêa apud Marrochum miserunt, qui pacem cum ipso usque ad annos duos firmarunt; ibique dictus Nicolaus migravit à seculo. Consules verò Causarum tam Civium, quàm Foritanorum per Dei gratiam suum optimè tractaverunt officium, unicuique jus suum amicabiliter tribuentes.

Anno Dominicæ Nativitatis MCCIX. Indictione XI. fuerunt Consules sex pro Communi, scilicet Guilielmus quondam Ugonis Embriaci, Guilielmus Rubeus de Volta, Ido de Carmandino, qui in eodem Consulatu mense Novembris migravit ad Dominum, Daniel de Auria, Obertus Ususmaris, Henricus de Nigro. Pro Placitis verò fuerunt Consules in quatuor compagniis de versùs civitatem Obertus Mallonus, Bonusvassallus Barbavaria, Bonifacius de Guidone, & Guilielmus quondam Ingonis Tornelli. In quatuor autem compagniis versùs burgum Bottarius Auriæ, Guilelmus de Orto, Otto Guarachus, Villanus Mangiaporri, Baldicionus Bojacensis, Jacobus Angelotti de Caffara, Guilelmus Rocius, & Balduinus Mussus. Pro Foritanis Simon de Bonothoma, & Obertus Comes. In principio itaque dicti Consulatus Girardus Abbas de Telieto, & Garganus Abbas S. Gargani, in quorum potestàte, ut supra, lis & discordia, quæ inter Januenses & Pisanos posita erat, definienda, cum jam dictis Consulibus Communis, & Gottofredo Musso Pisarum Potestate apud Ilicem convenerunt; & sententiam dictæ discordiæ in multorum præsentia protulerunt, ambas partes cum concordia & voluntate in pace osculari facientes. Verùm quia dicti Abbates apud portum Bonifacium servientes exteros debebant mittere quamplures, Pisarum Archiepiscopus pro ipsis videndis Januam vênit; quumque eos cepissent, & in quadam galêa, quam Consules ei præparaverant, posuissent eundi causâ ad portum Bonifacii, & ad Portum-Veneris applicuissent, præfatus Pisarum Archiepiscopus, & Abbas de S. Gargano inde recedentes Pisas iverunt. Quo facto æmuli & sceleratissimi Pisani, parvo tempore transacto, naves cum totidem galêis armantes, ut qui talibus moribus & vita ab antiquo semper vivere consueverunt, eas in cursum miserunt, & quod nequissimum fuit, contra eorum fidem & juramentum quamdam navem Januensium, Villani videlicet de Castelletto & sociorum, cum majori parte oneris apud turrim ceperunt, Januenses pro eorum posse offendere incipientes. Quo audito Consules, qui de eorum nequitia non cogitabant, galêas duodecim præparaverunt, & ipsas navibus nostris de ultramari Alexandriam venientes obviam miserunt, quibus Guilelmus Rubeus Consul Dominus ivit; dantes eis in mandato & ordinatione, ne Pisanis ullam facerent offensionem, usquequo scirent eos ipsam nobis fecisse. Quumque de versùs Sardiniam pergerent, navem supradictam Villani de Castelletto & sociorum, quam Pisani captam Pisas mittebant, invenientes, recuperaverunt ipsam, quam dicto Villano reddiderunt, Pisanos in terram mittentes. Quumque dictæ naves Pisanorum versùs Galatam iter arriperent, plures naves nostras de ultramare versùs Septam euntes in illis partibus invenerunt, & unam ex ipsis Stellatam nomine capientes, Pisas omnes, qui in ea erant, carceratos duxerunt; de quo dictæ galêæ nihil scientes, plures Pisanos, quos in partibus Siciliæ ceperant, ire dimiserunt; & sic Januam redierunt. Tempore verò præcedente præfati Consules maximam panis biscotti & pecuniæ quantitatem Oberto Castaneæ, & Ugolino de Levanto, qui duas naves & duas galêas armabant, dederunt, eas in cursum mittentes; qui sagitteam unam Pisanorum, & alia Ligna, atque duas naves Provincialium cum multitudine mercium accipientes, circa octuaginta Pisanos Januam duxerunt incarceratos. Consules verò Causarum tam Civium, quàm Foritanorum, per Dei gratiam officium suum optimè tractaverunt, unicuique jus suum amicabiliter tribuentes.

Anno quidem Dominicæ Nativitatis MCCX. Indictione XII. fuerunt Consules sex pro Communi Guilelmus quondam Nicolai Embriaci, Henricus Detesalve, Malocellus, Henricus Domoculta, Simon de Camilla, & Advocatus: Consules verò Placitorum versùs civitatem Simon Bottarius, Otto Pezullus, Opizo Guercius, & Ido Trabucus. De versùs burgum Simon Alpanus, Antonius de Orto, Balduinus Sardena, & Dondedeus de Campo. Consules de Medio Balduinus de Volta, Jacobus de Insulis, Guilelmus de Balneo, & Guilelmus de Insantibus. Pro Foritanis verò Obertus de Dedela, & Guilelmus Ficusmatarius. In principio namque hujus Consulatus Pisani furtim & sub dolo cum galêis ad Portum Veneris venerunt, & descendentes in terram in In-

(30) Alter Cod. MS. XXX. millia.

Insulam, cœperunt devastare vineas & arbores in Insula. Quo audito, homines de Vernacia concurrerunt & Burgenses Portus Veneris, & transeuntes cum paucis Lignis in Insula, & currentes super ipsos Pisanos, terga verterunt; & ipsos rumpentes, vulnerantes, & interficientes vix se in galêis receperunt. Et dum ascenderent in unam ex galêis, bucius, in quo erant, demersit; & nisi hoc fuisset, galêam illam retinuissent. Tamdem scalas duarum galêarum, & Palmarias retinuerunt, & de melioribus hominibus ipsarum galêarum, inter quos unum nobilissimum Pisanum, qui erat Admiratus illarum galêarum Tegrinum nomine, retinuerunt, & qui in potestate & balia Guilielmi Scotti, qui tunc erat Castellanus Portus Veneris, pervênit; & illum Pisas remisit pro cambio fratris sui Lanfranchi Scotti, qui in carcere à Pisanis detinebatur cum bona securitate & fidejussione, Consules verò ipsum Guilelmum à Castellania removerunt, & domum ipsius destruxerunt, quia contra voluntatem ipsorum Consulum cambium illud fecit prædictus Guilelmus. De Janua siquidem & de districtu Januæ, quia tempus non erat in mane sequenti, inter milites & pedites, ultra duo mille ad succursum Portus Veneris iverunt, & de civitate in Riveria ultra quadraginta galêas cum omnibus apparatibus in dies quatuor iter arripuerunt, de quibus tredecim usque ad Portum Delfinum iverunt. Consules verò, qui pervenerunt ad Portum Veneris, viderunt quòd galêæ Pisanorum recesserant. Quamobrem galêæ, quæ erant ad Portum Delfinum, Januam de licentia Consiliariorum feliciter redierunt. In eodem quippe anno Comes Henricus de Malta Januam die Dominico de Ramis Palmarum vênit, postulans auxilium à Communi Januæ. Consules verò habito consilio dederunt ei galêas octo, & Taridam unam cum universa Sartia, & naves tres, & armationem omnium, & equos, & tantum in cibo, armis, pannis, & aliis rebus necessariis, quod summam ceperunt valens librarum vigintimillium. Qua occasione constituti fuerunt colligere denarios duos per libram de mobilibus, quæ per mare portata fuerant, vel missa, semel in anno usque ad annos sex proximè venturos, quæ fuerunt incantatæ usque libras duodecim mille quingentas quadragintaduas. Consules verò Annorum (31) naves quatuor cum totidem galêis, quarum duæ iverunt in Hispaniam, una quarum perdidit galêam unam, quam Caytus, ut vocant, retinuit, cùm infortunio temporis ad terram iret. Duæ ex eis, Sanctus Johannes nomine, & Sanctus Jacobus, iverunt in Sardiniam, & invenientes naves septem Provincialium, quæ navem unam Comitis Syracusæ ceperant, omnes illas prœliando ceperunt cum maxima pecuniæ quantitate, & navem, quam ceperant, recuperaverunt, & Januam cum ipsis omnibus feliciter redierunt. In isto namque Consulatu Imperator Otto cum Lombardis & Thuscis super Terram Sancti Petri equitavit, & plurima castra & loca cepit, & versùs Neapolim perrexit. In quo quidem anno vocavit ipse Dominus Imperator Consules Januæ, ut irent ad eum consiliati de juramento præstando, & stare mandatis ipsius de treuga, vel pace, de discordia, quæ inter Januensem urbem & Pisas vertebatur ad terminum constitutum. Et in quo itinere iverunt Marcellus & Simon de Camilla cum pluribus Nobilibus viris usque Bononiam, & venerunt Placentiam, ubi idem Dominus Imperator præcepit Januensibus, & Pisanis treugam tenere & servare à proximo festo S. Michaëlis usque ad annos duos, & ut ei omnes pensiones ab utraque civitate dandæ consignarentur & darentur. Quo facto ipsos presiones cepit, & in carcerem reclusit, Januenses apud S. Miniatum, & apud Fixenum, & Pisanos apud Alexandriam in Lombardiam, qui ferè omnes per Christi misericordiam, dextera Domini favente, de carcere evaserunt fugiendo. In eodem anno antequam Consules Comiti Maltæ subvenire vellent, Legatos Venetias miserunt, si possent ipsum Comitem cum Venetis concordare. Et quum non possent, neque Veneti ulla ratione acquiescere vellent, deinde, sicut dictum est, Comiti subvenerunt. Propterea ipsi Consules armaverunt galêas quatuor, in quibus major fuit Guilielmus Embriacus, qui apud Primagum navem unam Massiliensium, quæ Buzeam ire debebat, cum toto carico ceperunt, & Januam duxerunt. Duæ verò galêæ Marsiliensium quum de Barbaria redirent, clam una die summo mane in capite Moduli venerunt, sed nullam moram fecerunt. In isto anno Consules ad Masemutum Lanfranchum de Turcha miserunt. Die verò Veneris XXIV. Septembris summo mane, peccatis exigentibus, Guilelmus de Pallo ante suam domum fuit interfectus à Porcellono, & Conrado Porcello consanguineis uxoris suæ, filiis verò Bartholomæi Porcelli, * sibi tribus Lombardis nequissimis. Consules verò Placitorum & Foritanorum per Dei gratiam suum optimè tractaverunt officium, unicuique jus suum, & pro juris ordine tribuentes.

Anno verò sequenti MCCXI. Indictione XIII. fuit in regimine civitatis Januæ Potestas D. Raynerius Cotta Civis Mediolanensis. Consules de Placitis in quatuor compagniis versùs civitatem, Ballicus de Castello, Bonusvassallus Nicolæ Barbavariæ, Villanus de Insulis, & Andreas de Carmandino. In aliis quatuor compagniis Raymundus Cancellarius, Bottarius Auriæ, Balduinus Mussus, Amicus Grillus, & Rolandus Belmustus. Consules de Medio Ottobonus de Camilla, Balduinus de Medulio. Pro Foritanis verò fuerunt Simon de Bonothoma, & Guilelmus Rozia. Prædictus Potestas elegit in principio suæ Potestatiæ octo nobiles viros, Fulconem de Castro, Bonifacium quondam Jacobi de Volta, Lambertum Furnarium, Guilelmum Guercium, Nicolaum Auriæ, Obertum Ususmaris, Guilelmum de Nigrono, & Sorleonum Piper, qui festinanter pro guerra, quæ erat inter Januam, & Marsiliam, quatuor naves cum quatuor galêis armaverunt. Et quum pervenisset ad portum Aquilæ in Provinciam, Marsilienses, audito eo, navem unam magnam, quam præparaverant cum duabus galêis in cursum mittere, & quæ jam erat ad Pamagum ad Marsiliam, extra buccam timore nostrarum navium duxerunt, & ibi cum tota Saura (32), & vianda inter portum Archerium & Turretam naufragium passa fuit. Naves verò nostræ in partibus illis steterunt Marsiliæ usque ad buccam Ar-

(31) *fortass.* armarunt.

(32) *fort.* Sartia.

Arcorum per menses duos. Accidit autem, quòd duæ naves ipsorum cum duabus galêis pro persequendis navibus duabus nostrorum hominum, putantes illas de inimicis esse, miserunt se in mare; & cognitis navibus reversæ sunt ad terram. Aliæ verò duæ naves iverunt usque ad Caput Crucis, & quum venissent in Gulfo Apuliæ, viderunt navem Marsiliensium cursalium venientem ad terram cum nave una Sarracenorum, quam ceperunt, & videntibus illis putaverunt illas duas naves nostras esse, expectaverunt eas. Marsilienses verò, visis navibus nostris, fugerunt ad terram ad Turricellam, quæ vocatur Turricella de Monerino, ibique maximum auxilium barcharum, balistariorum, & hominum de Terra habuerunt, sicque nullum damnum eis naves nostræ facere potuerunt; & per alios duos menses steterunt supra inimicos in Cataloniam & in Provinciam.

In eodem quippe anno Potestas galêas quatuor armare fecit, in quibus Major ivit Ingo Longus; quæ iverunt ad Marsiliam offensionis causâ, & quum inde rediret, & perveniret in partibus Niciæ, ivit ad terram cum galêis; & homines Niciæ assaltum in eos fecerunt, & ex improviso unam de galêis, quæ in terram adurata fuerat, retinuerunt, & Niciam eam cum pluribus hominibus duxerunt ad Comitem Sanctium, quem Nicienses in Dominum susceperant, & Niciam in manibus suis tradiderant, qui homines nostros in carcerem recludi præcepit. Eodem quippe anno in Hispania in Capite Pali navis S. Johannis, quam armaverat Armiragius Porcus, cepit navem unam magnam Marsiliensium nomine Berra, & unam aliam navem nomine Guastavinum, quæ de Septa veniebat caricata maxima pecunia, & ipsas cum toto carico in Siciliam feliciter duxerunt. In mense Augusti Hugo de Bauso cum nobilibus hominibus Massiliensibus usque in decem Januam in una galêa bene armata vênit, postulando maximis precibus pacem à Communi nostro. Auditis & cognitis suis justis petitionibus, amore potiùs ipsius nobilissimi Militis, quàm alia de causa, pacem cum eis usque ad annos XXI. firmaverunt. In eodem mense galêæ tres armatæ fuerunt, quibus præfuit Ceba, causâ in maritimam mittendi pro custodiendis multis innumerabilibus Lignis, quæ in Maritima pro grano & blava iverant, quæ cum maxima multitudine, & abundantia frumenti Januam venerunt.

In sequenti (33) verò anno Dominus Otto Imperator Romæ Campaniam intravit pro subjugando Regnum Siciliæ, si posset, contra voluntatem Romanæ Ecclesiæ; & pervênit Capuam, quæ tradita fuit ei per Comitem Petrum de Celana; & inde ivit Neapolim, & equitavit cum maxima quantitate militum in Apuliam, & usque Tarantum. Qua de causa fuit ipse Imperator ab Ecclesia Romana excommunicatus, & maledictus cum omnibus illis, qui consilium, vel auxilium ei darent, & qui contrarii existere vellent Regi Siciliæ. Et insuper Dominus Papa universos homines, qui ei tenebantur de fidelitate, omnino absolvit. Pisani verò prætermissis omnibus armaverunt ei galêas XL. quas miserunt usque Neapolim, ibique per paucum tempus steterunt, & non invenientes, nec videntes illum Ottonem, Pisas cum galêis redierunt. Januenses verò anathema timentes, & dubitantes, in facto Imperii noluerunt se movere. Præterea quidam latro vênit Januam, qui dicebat quædam se passum fuisse à Guilelmo de Mari, & taliter se misit nocte in crates Dominicæ Crucis, custodibus S. Laurentii ignorantibus, quòd capsam in qua erant repositæ Cruces cum verrinis perforavit, & ipsas Cruces de civitate portavit. Quo audito & cognito tota civitas commota fuit pariter & turbata, & missis speculatoribus & cursoribus ipsum latronem invenerunt apud Vigueriam, & ductus fuit ad Potestatem Papiæ, qui ipsum latronem Missis Januæ liberavit & tradidit, qui eum Januam duxerunt & carceri fuit mancipatus. In præsenti quoque anno Guilelmus Malaspina vênit ad castrum Corvariæ, & postulavit castrum à Beghino de Corvaria, volens illud dare Pisanis, qui noluit illud sibi dare. Januenses verò cognita negotii qualitate miserunt nuncios suos Danielem Auriam, Guidonem Spinulam, & Philippum Cavarunchum ad Beghinum, & cum eo paciscerunt in tantum, quòd ei dedit Commune Januæ libras MDCCC. & ipse tradidit Communi Januæ castrum Corvariæ. Unde Guilelmus, & Conradus Malaspina nolentes inde stare ad rationem, guerram super Januenses incœperunt, pro quo facto ordinavit Potestas fieri milites CC. in civitate de Januensibus. In eadem verò Potestatia vocavit Potestas Albertum Marchionem quondam de Gavi, ut veniret habitare Januam cum uxore & filiis; & quum nollet acquiescere, fûgit nocte de civitate, & guerram facere incœpit ad Gavium, pro qua causa fuit privatus à Potestate, & Communi Januæ de pedagio Gavi, & fuit incarceratus usque ad annos decem pro quantitate librarum mille. Et ut strata securior iret, fecit fieri Potestas viam levatam à Gavi usque cremiam Montiscucelli. Consules verò Placitorum & Foritanorum per Dei gratiam suum officium optimè tractaverunt, jus suum unicuique amicabiliter pro juris ordine tribuentes.

Anno verò sequenti MCCXII. Indictionè XIV. fuerunt Consules de Communi Guilelmus Embriacus Major, Bonifacius quondam Jacobi de Volta, Guilelmus Guercius, Nicolaus Auria, Guilelmus Spinula, Sorleonus Piper. Consules quidem de placitis in quatuor compagnis versùs civitatem Bonifacius quondam Alberti de Volta, Ottobonus Binzerus, & Guilelmus de Savignono. In aliis quatuor compagniis versùs burgum Obertus de Ramfredo, Amicus Turcius, Porconus, & Matthæus Pignolus. Consules de Medio Bachemus Grossus, Rubaldus Ascherius, Vassallus Gattiluxius, & Villanus Mangiaporri. Pro Foritanis fuerunt Rubaldus Taraldus, & Obertus Comes. Prædicti verò Consules in principio sui Consulatus de guerra, quæ erat inter civitatem & Marchiones Malaspina, occasione castri de Corvaria, pacem fecerunt cum ipsis Marchionibus, & de Communi eis dederunt libras MD. & ipsi juraverunt fidelitatem Communi Januæ; & finem fecerunt de toto eo, quod habebant, vel habere possent in castro Corvariæ, & in toto districtu suo, & chartam transactionis & donationis & refutationis, & pactum de non petendo in perpetuum. Præterea

(33) Vide an legendum. In præsenti.

terea pro guerra, quæ erat inter Januensem civitatem & Niciensem armaverunt galêas III. quæ ibi steterunt per mensem unum in Provincia; & postea alias tres pro altero mense; & postmodum alias tres pro strata maris assecuranda propter blavam, quæ multo plus solito carior erat; & versùs Orientem similiter galêas armaverunt, & pro securitate danda Lignis nostris, quæ pro blava in Maritimam perrexerant. In eodem quidem anno Fridericus Rex Siciliæ Januam vênit cum galêis quatuor, & honorificè à Clero & Populo receptus fuit, & in civitate moram fecit ferè per menses tres, & Commune Januæ pro expensis ei donavit ultra libras MD. Die verò XV. Julii de civitate recessit, & Papiam perrexit. Papienses verò cum magna multitudine militum duxerunt illum ultra Lambrum, ibique expectatus à Cremonensibus, & Marchione de Este, eis se liberavit, & cum maximo gaudio Cremonam intravit. Quando verò Papienses Papiam redibant, non putantes ullum habere impedimentum, Mediolanenses cum maxima multitudine militum & peditum super eos insultum fecerunt; & bello incœpto in fine circa milites septuaginta ceperunt Mediolanenses de Papiensibus; & Papienses retinuerunt de Mediolanensibus circa milites trigintaquinque.

In mense verò Augusti die Sabbati VIII. Calend. Septembris intravit civitatem Januæ quidam puer Teutonicus, nomine Nicolaus, peregrinationis causâ, & cum eo multitudo magna peregrinorum, deferentes cruces & bordonos ultra septem millia arbitratu boni viri inter homines & fœminas & pueros & puellas. Et die Dominica sequenti de civitate exierunt; sed plures homines, fœminæ, pueri, & puellæ de eo numero Januæ remanserunt. Dominicas verò Cruces, quas quidam latro de Ecclesia S. Laurentii fuerat furatus, & quas quidam homo de Alexandria, nomine Niger, ei abstulerat, recuperarunt ab eodem Nigro, & redemerunt ultra libras CCCC. & Cruces reposuerunt ubi solitæ erant stare, multo meliùs ordinatæ & collocatæ capsis ferratis, & catenis munitis. Et introitum totum ad Commune retinuerunt, & secundùm quod Consiliatores decreverunt ad opus Mogduli & portus expendendum judicaverunt. Dominus autem Archiepiscopus, pro eo quòd Dominus nobis Cruces recuperare concessit, ordinavit Festum facere prima die Veneris post Octavam Paschæ, & introitus illius diei dare in redemtionem captivorum.

In eodem autem Consulatu treuga, quæ erat inter nos & Pisanos, firmata fuit usque ad annos quinque, & jurata per ipsos Consules, & per quingentos viros de nobilioribus civitatis nostræ, & per Consules maris Pisanorum, qui carebant Consulibus & Potestate, & per quingentos viros de nobilioribus civitatis Pisanæ, mediante Petro Erminio nobile Cive Pisano, qui Januam propterea per plures vices fuerat, & ad effectum perduxit. In eodem quidem Consulatu Rex Aragonensis cum maxima multitudine militum & peditum, & cum multis Croxatis, Francigenis, Burgundionibus, Theutonicis, & aliis multis hominibus undique congregatis, inter quos fuerant Abbas Cisterciensis, & Legati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & multi Principes, Barones, & Reges, scilicet ipse Rex Aragonensis, qui caput & incœptor illius operis fuit, Rex de Castella, & Rex de Navarra, & electus in Archiepiscopum Narbonæ Legatus Romanæ Ecclesiæ, Hispaniam intraverunt, & Castra, & loca multa Sarracenorum, & civitates prœliando ceperunt. In fine verò Miramulinus cum innumerabili exercitu Hispaniam vênit; & quum pervenisset in partibus Cordubæ, Christiani erectis vexillis contra ipsum equitarunt, & incœpto prœlio inter Christianos & Sarracenos, quum per plures dies durasset prœlium, in fine tamen, sicut voluntas Dei fuit, dextera Domini faciente virtutem, devicti sunt Sarraceni, & fugam capientes & terga vertentes, ultra tria millia Sarracenorum interfecti fuerunt, & Miramulinus cum sua compagnia fûgit, & se recepit in civitatem Malachæ, ibique intravit in galêa una, & Sibiliam perrexit. Et hoc fuit in mense Julio die Dominica in Festivitate B. Mariæ Magdalenæ. Postmodum Christiani cum victoria reversi sunt in castris & locis per Hispaniam constitutis. Quumque Rex Fredericus Alemanniam intrasset, receptus fuit honorificè à Principibus, Magnatibus, Archiepiscopis, & Episcopis Alemanniæ, & in festo Beatissimi Nicolai confirmatus fuit in Regno Romanorum, & hoc fuit die Jovis sexta die Decembris. Die, verò Dominica veniente, videlicet Decembri, in civitate Maguntina honorificè coronam recepit ab Archiepiscopis, Episcopis, & Principibus, qui jus coronandi Reges ab antiquo tempore sunt consequuti. In eodem Consulatu miserunt Consules Legatos Venetiam pro discordia, quæ inter ipsos & civitatem nostram vertebatur, & treugam firmaverunt per annos tres; & tam pro ipso negotio, quàm pro nave una recuperanda nostrorum hominum de Alexandria redeunte, quam ceperant Veneti cum nave sua; & quas * Comes Alemanus Syracusæ cum nave una in cursum transmissa ceperant, galêam unam cum duobus Legatis, Lanfranco Rubeo videlicet, & Oberto Spinula miserunt, & partem pecuniæ navis recuperaverunt, & treugam per ipsum Comitem Maltæ Venetis jurare fecerunt. Consules verò Placitorum, & Foritanorum officium suum diligenter fecerunt, unicuique jus suum amicabiliter tribuentes.

In sequenti verò anno Consulatus, anno MCCXIII., Indictione XV. fuerunt sex Consules pro Communi, videlicet Nicola Embriacus, Obertus de Volta, Guilelmus Scottus, Montanus Auriæ, Fridericus Grillus, & Herodes de Mari. Consules Placitorum in quatuor compagniis versùs civitatem Jacobus quondam Angelotti, Obertus de Dandala, Opizo Guercius, Ido Trabuccus. In aliis quatuor compagniis versùs burgum Obertus Domoculta, Ogerius Mazanellus, Guilelmus Auriæ, & Balduinus Sardena. Consules verò de Medio Martinus Tornellus, Simon Alpanus, Balduinus de Volta, & Albertus Grillus. Pro Foritanis Simon Bottarius, Ruffinus de Basiano, Guilelmus Ficusmatarius. Præfati autem Consules in principio sui Consulatus pensantes de honore civitatis, & audientes, quòd Pisani armabant naves & galêas apud Calarim, & offensionem, si possent, nostris navibus de ultra mari & de Alexandria redeuntibus facere intendebant: habito consilio armaverunt naves duas cum galêis quatuor, quibus Nicola Consul dominus ivit, & per Dei gratiam timore ipsarum naves Pisanorum non exierunt. Galêas plures armaverunt causâ eundi in Mariti-

ritimam pro custodienda caravana Lignorum nostrorum, quæ pro grano iverat, & Provinciam similiter. Circa Pascha navis una nomine S. Blaxius de Sicilia rediens pro temporis fortuna vênit ad Caput Liber...; ibique Rex Aragonensis eam cepit, & homines & pecuniam retinuit contra pacis tenorem. Consules namque ad preces propinquorum & amicorum illorum, qui in navi illa erant detenti, miserunt socium suum Obertum de Volta cum galêa una ad Regem, qui homines liberavit, sed pecuniam totam retinuit. In Festivitate Pentecostes Mediolanenses cum Placentinis, Comanis, Laudensibus, & cum maxima multitudine militum & peditum venerunt ad Castellum-Leonis, & super terram Cremonensium. Cremonenses verò gentem suam obviam eis miserunt, & papinionibus tensis, antequam succursus Cremonensibus de eorum amicitiis venirent, Mediolanenses in fortitudine sua confidentes insultum fecerunt in eos, & illis se defendentibus per Dei misericordiam, à quo bona cuncta procedunt, Carrocium perdiderunt ibi Mediolanenses, & Cremonenses habuerunt de eis, quos Cremonam incarceratos duxerunt, inter milites & pedites ultra quatuor millia. Subsequenter Alexandrini cum Terdonensibus terram Papiensium intraverunt, & unam optimam villam ceperunt nomine Salam, & totam combusserunt, & homines, & fœminas captivos duxerunt. Postmodum verò equitarunt Alexandrini, Terdonenses, Vercellenses, Aquenses, Albenses, Guilelmus & Conradus Malaspina cum fortia sua, & cum militibus septingentis Mediolanensibus, & intraverunt in locum unum Papiensium, qui vocatur Cassellus. Papienses verò audito hoc equitaverunt cum portis quinque solummodo militum & peditum, & in die S. Michaëlis venerunt ad partes illas; & incœpto prœlio cœperunt fugam Mediolanenses de eorum parte, & Papienses habuerunt campum; & per milliaria tria & ampliùs eos insequuti fuerunt, & ultra duo millia inter milites & pedites de ipsis retinuerunt; boves, carros, carrocios, tendas, papiniones, mulas, & arnixium totum retinuerunt, & habuerunt valorem ultra librarum quadraginta millia Papiensium.

In mense autem Septembris Rex Aragonensis cum Comite Tholosæ, & cum maxima multitudine militum & peditum in castro Murello prope Tholosam per tres leugas obsedit Simonem Comitem de Monteforte, & quum Castrum & terram reddere vellet, noluit illum recipere, nisi personam suam se redderet pro presione. Habito consilio cum militibus suis, armaverunt se, & exierunt de castro, & in primo assaltu invenerunt Regem cum sua compagnia, interfecerunt & multos milites & pedites, & exercitum totum fugarunt. Tendas quoque, papiniones, & arnisium habuerunt. Et quum essent sexaginta milliaria, illi de parte Comitis Simonis non erant ultra septingenti, de quibus non remanserunt in campo mortui, nisi solummodo miles unus, & tres servientes. In eodem quoque mense Septembris accidit in portu nostro quoddam infortunium; scilicet quum Calafati brusarent quamdam maximam navem, quæ vocabatur Contessa, accenso in ea igne combusta fuit tota, & juxta illam duas alias naves, una quarum vocabatur Sanctus Romulus, & una nova Bonaviæ Raynaldi de Naulo, nomine Stella. Pateat omnibus tam præsentibus, quàm futuris, quòd Dominus Alexander Papa III. quando in Januensi civitate vênit, fuit honorificè receptus, & cognovit fidem, quam Januensis Ecclesia, & Populus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ illibatam servavit, donationem Ecclesiæ Januensi de Episcopatu Albinganensi fecit, & suo privilegio confirmavit. Sebsequenter per Dominum Papam Cœlestinum firmatum fuit, & Dominus Innocentius similiter qui fuit nomine Papa III. suo privilegio firmavit, & eo ampliùs statuit, quòd Abbati de Civitatula dedit in mandatis, quòd Dominum Archiepiscopum Ottonem in possessionem mitteret nomine Januensis Ecclesiæ, & Archiepiscopatus: qui utique statuit & ordinavit, quòd Dominus Archiepiscopus illuc iret ad possessionem recipiendam. Die verò Veneris, quæ fuit XX. Octobris, perrexit ad Albinganensem civitatem, & duxit secum Presbyterum Lanfrancum, & Magistrum Guiraldum, Canonicos S. Laurentii, & Guilelmum Scottum Consulem quondam Communis, qui Lanfrancum Rubeum, & Ingonem Longum secum duxit, & honorificè à Clero & à Populo recepti fuerunt, & universi Clerici civitatis Albinganensis, & Archipresbyteri de toto Episcopatu debitam obedientiam Domino Archiepiscopo, & Ecclesiæ, & Capitulo Januensi promiserunt: & hoc fuit die Martis XIV. Decembris. In eodem quippe Consulatu IX. die Februarii ignis maximus fuit in civitate juxta Mercatum vetus ad bancos Cambiatorum, & fuerunt combustæ domus ultra quinquaginta quatuor.

Anno Dominicæ Nativitatis MCCXIV. Indictione I. Consules pro Communi fuerunt, videlicet Johannes Rubeus de Volta, Guilelmus Tornellus, Henricus Guercius, Antonius de Mari, Obertus Spinula, Ogerius Piper. Pro placitis versùs civitatem Andreas Bojamundus, Bonifacius de Volta, Lambertus Drogus, & Rubaldus Ascherii. Versùs burgum Amicus de Braxilli, Botarius Auriæ, Guilielmus Rocia, & Vassallus Gattilusius. Pro Medianis Guilelmus Merlonis de Castro, Bachemus Grossus, Martinus Rocius, & Balduinus de Medolico. Pro Foritanis Guilelmus quondam Baldometti Guercii, Guilelmus de Balneo, & Carolus de Passiano. Consules autem in principio sui Consulatus pensantes qualiter possent regere Januensem urbem, elegerunt de Nobilibus civitatis, qui super facto illo insisterent; & habita ratione de expensis factis & faciendis, & de debitis Communis solvendis, & introitibus omnibus Communis accipiendis, constituerunt, quòd denarios quatuor per libram de collecta maris incantarent usque ad annos sex, & de illis denariis redimerent introitus marcharum, pedagii Gavii, pedagii Portus Veneris, pedagii Vultabii, introitus Pancogolorum, Cantari casei, Cabella de Clavaro & Vulturo, & demum universos introitus Communis Januæ, quæ omnia vendita erant per longum tempus. Statuerunt insuper, quòd Collecta super immobile constitueretur de denariis sex per libram, de quibus Medalia pro portu colligeretur, & denarii quinque cum dimidio darentur creditoribus Cabellæ salis pro medietate debitorum & introituum ipsius Cabellæ * Commune acciperet (erat enim vendita usque ad annos XXIV.) & Callega denariorum quatuor per libram Collectæ maris fuit summa librarum trigintaocto millium quinqua-

quaginta. Ipsi verò Consules juraverunt, quòd dicti introitus de cetero in perpetuum non possent vendi, nec obligari, seu alienari alicui personæ seu personis ultra annum unum tantùm, & non plus, exceptâ Cabellâ Salis domus Messanæ, quæ fuit Mergarsi, introitus Tyri, Scribania Septæ, & Buzeæ, quæ possint vendi in publica Callega usque ad annos duos tantùm, & non plus. Ita tamen quòd de uno anno debeat respondere ipsis Consulibus vel Potestati, qui eam vendiderit, & de alio sequenti anno Potestati vel Consulibus; & hoc juramentum fieri fecerunt per universos Janenses ab annis XVII. usque in LXX. Et emendare fecerunt in Brevi Communis compagniæ, quod firmatum & ratum in perpetuum habere debent, & non contra fieri possit, secundùm tenorem scripturæ factæ in Registro & in Chartulario maris Communis Januæ per manum Bonivassalli Calligepallii. Consules verò vel Potestas, qui pro tempore fuerint, debeant illam venditionem irritam habere, & Communi Januæ illud totum recuperare.

Prædicti namque Consules principales galêas armaverunt pro guardia maris, & pro Lignis grani in Maritimam exeuntibus assicurandis. Contigit autem in mense Julio quòd quidam Cursalis de Nicea vênit in partibus Clavari cum bucio uno, & cepit de bonis hominibus de Clavaro. Armaverunt Consules galêam unam, in qua ivit Bonavia de Portu Veneris, & sequutus est eum in partibus Pisanorum, sic quòd bucius se recepit ad Vadam; & ceperunt illum, & homines de Vada abstulerunt ei bucium; tamen captos de Clavaro recuperaverunt. Et venerunt Pisas, & conquesti sunt Pisanis de injuria, quam receperant, & non potuerunt inde quidquam consequi, nec inde rationem habere. Redeunte autem galêa ad Portum Veneris, bucius vênit Pisas, & Pisani in civitatem illum receperunt. Galêa autem nostra vênit ad Arnum, & tenebat eum obsessum. Consules verò Pisanorum venerunt ad Legatos nostros, qui erant tunc temporis Pisis, pro recipiendis sacramentis treugæ, dicentes: *Facite venire galêam unam ad civitatem, & recipiet honorem & beneficium*. Legati namque miserunt Nuntium suum, & fecerunt venire galêam. Quum autem assecurati essent homines galêæ, Pisani proditoriè ascenderunt galêam, & exspoliaverunt eam armis & remis; & tenentes eam, remiserunt bucium Niciensium, facientes custodire galêam. Quodam die summo mane homines galêæ ascenderunt eam, & de fuce extraxerunt eam, & Januam duxerunt. Consules verò, vocatis universis hominibus galêæ, fecerunt eos jurare perdutam totam; & à mercatoribus Pisanis, qui Januæ erant (34), tamdem extorserunt, & perdentibus restituerunt. In eodem quippe anno mense Augusti Rex Francorum cum Duce Burgundiæ maximum exercitum fecerunt super rebelles Comites, Flandriensem videlicet, & Comitem de Bologna, & alios multos; & fuerunt ex alia parte Comites illi, & Otto quondam Imperator; & incepto prœlio, per Christi misericordiam, à quo bona cuncta procedunt, Rex Francorum obtinuit & habuit victoriam; & Comites illos, & multos Magnates & milites cepit, & carceri mancipavit. Otto dictus cum paucis militibus profugium fecit, & in Valentiam se nocte recepit, & summo mane inde fugiendo exivit. In eodem quoque Consulatu mense Julio vênit Otto de Carretto Marchio Januam, & dedit Communi Januæ castrum Cayri cum sua Castellania & pertinentiis, Vigerolia videlicet cum medietate Carcari, cum medietate Ranchi de Mallo, & cum medietate Montis Cavilionis, & Bozoli, & castrum, quod vocatur Dens, & pedagium, quod colligitur in prædictis locis, secundùm tenorem instrumenti facti per manum Marchisii Scribæ. Et prædicti Consules ei in feudum reddiderunt, & ipse in publico parlamento fidelitatem Communi Januæ inde juravit, & prædictum feudum in eum investierunt. In eodem quidem anno contigit, quòd Sorleonus Piper quum rediret de Bisamne cum aliis Nobilibus Januensibus, venerunt Bulburinus, Rubeus de Turca, & Nuvellonus de Camilla, & insultum in eum fecerunt. Et quum Antonius de Mari, qui erat in partibus illis, hoc vidisset, sequutus est eos in roncino solus cum ense usque ad angulum Hospitalis S. Laurentii, & ibi reversus unus ex ipsis percussit eum in brachio, & vulneravit; & propterea aliquantulum discordiæ in civitate ortum fuit, sed paululum duravit.

Anno MCCXV. fuerunt sex Consules pro Communi, Guilelmus quondam Ugonis Embriaci, Fulco de Castello, Bonifacius quondam Jacobi de Volta, Manuel Auria, Lanfrancus de Mari, & Advocatus. Consules verò in quatuor compagniis versùs civitatem, Otto Blancus, Ansaldus Lecavellum, Opizo Guercius, Guilelmus de Savignono. De versùs burgum Vassallus Mangiavacca, Balduinus Sardena, Obertus Domoculta, & Raynaldus Archantus. Pro Medianis Merlo de Castello, Simon de Bonothoma, Simon Alpanus, Villanus Mangiaporri. Pro Foritanis verò, quum de voluntate Consiliariorum Consulatus Foritanorum cessasset, fuerunt Consules de Communi, & eorum Vicarius Otto Vicedominus de Alba Causidicus. Prædicti namque Consules in principio sui Consulatus incœperunt Collectam de denariis sex per libram; medietas ivit in solutione & redemtione Cabellæ salis, & alia medietas pro labore portus: In eodem Consulatu incœptus fuit murus Darsenæ. Et in mense Junio sexto die Fulco de Castello cum pluribus nobilibus, Civibus ivit cum galêis tribus, & aliis Lignis portantibus lignamen & calcinam & ferramenta multa ad Podium Monachi; & decimo die Junii castrum ædificare cœperunt; & antequam redirent ad propria, ædificaverunt turres quatuor, & muros in circuitu altitudine palmorum triginta septem. In mense verò Augusti Conradus Malaspina contra fidem & juramentum promissum Communi Januæ, ascendere fecit homines de Cazana in Podium, quod vocatur Rotundum prope Celascum, & incœpit ipsum incastellare, & spondare. Quo audito Consules unum de sociis suis, Lanfrancum de Mari videlicet, cum Nobilibus viris miserunt ad ipsum Conradum, qui non solùm à suo proposito cessare noluit, sed etiam noluit ei in aliquo respondere. Sed congregato exercitu militum, & peditum intravit terram Brunatensis Episcopi. Consules verò habito consilio, movit Guilelmus Embriacus Consul cum militibus per terram, & Populus per mare us-

(34) *fortass.* tantumdem.

usque Levantum, & inde iter arripientes ad Montem-Rotundum iverunt, & illum prœliando ceperunt. Venientibus ipsis ad aquam Variæ, vidente Conrado & multis militibus & archatoribus, iverunt ad castrum Bozuli; & ipsis Marchionibus & militibus præsentibus & videntibus cum exercitu suo, quòd non possent resistere, Januenses per fortiam ipsum prœliando ceperunt. Et guarnito illo de Castellano, archatoribus, & balistariis, ad propria sinè læsione aliqua feliciter redierunt. Conradus verò suo exercitu & gente terram reliquit, & profugium cepit.

Eodem quippe Anno apud Constantinopolim Veneti cum Pisanis, Anconitanis, & Provincialibus duas armantes naves cum duabus galêis, & in partibus Siciliæ venientes, plures naves ceperunt, & ad Calarim venientes in Hispaniam inde perrexerunt, & quatuor naves de nostris ceperunt de Septa redeuntes. Pro quo facto Consules communi consilio versùs Orientem decretum fecerunt. In eodem namque anno Dominus Papa Innocentius Concilium apud S. Johannem de Laterano celebravit, ad quod Archiepiscopi, Patriarchæ, Episcopi, Abbates, Præpositi, Archidiaconi, & multitudo magna Clericorum de longinquis partibus convenerunt, & intersuerunt. Et Dominus Otto Januensis Archiepiscopus cum tribus galêis, & cum Clericis, & Laicis, & Manuele Auriæ Consule Communis Januæ, illuc perrexit & interfuit. De multis negotiis ad illud Concilium tractatum fuit, & specialiter de succursu Terræ-Sanctæ Hierusalem & Dominici Sepulcri. Eodem anno prœlium maximum fuit inter Dominum Philippum Regem Francorum, & rebelles ejus, Beltrandum Comitem Flandriensem, Comitem Boloniæ, & Guilelmum Longaspatam, omnes in conflictu illo cepit, & carcere mancipavit, Ottone quondam Imperatore, qui cum ipsis aderat, profugium faciente. In eodem quippe Consulatu Guido Polexinus, & Carbonus Ansaldi Malocelli in Bisamne insultum fecerunt in Herodem de Mari: quare Consules ipsos forestarunt in publico parlamento, & domum ipsius Guidonis penitùs destruxerunt, & partem suam Castellaniæ Gavi, unde Castellanus erat, propterea ei abstulerunt. In eodem verò anno in mense Novembris Maurus Bacus Vicentinus Civis unà cum Antepellicano Episcopo Januam nuntium suum miserunt, & Communi Januæ Niciensem civitatem dederunt ad hostem & cavalcatam faciendam, & collectam maris dandam ad jurandum Januensem compagniam, secundùm quod continetur in charta inde facta per manum Marchisii Scribæ in manibus nobilis Consulis Januæ Oberti Spinulæ, qui cum multis illuc iverat, & castrum Niciense suum in civitatem Niciæ, in quo Aragonenses habitabant, penitùs destruxit.

Anno Dominicæ Nativitatis MCCXVI. fuerunt Consules sex pro Communi Philippus Embriacus, Raymundus de Volta, Simon de Burgaro, Percival Auriæ, Guilelmus Spinula, & Lanfrancus de Turcha. Consul placitorum versùs civitatem fuit Guilelmus filius Agadi Placentinus Jurisperitus, quum de voluntate totius Consilii Consulatus placitorum cessasset. Et pro quatuor compagniis versùs burgum Jacobus de Brexis Causidicus Mediolanensium. Pro Consulatu de Medio Bertholdus Bonzella Papiensis Causidicus. Pro Foritanis Guiraldus de Montanario Parmensium Causidicus. Pro Communi verò Monferratus Cremonensis Causidicus. Prædicti namque Consules in principio sui Consulatus de honore civitatis tractantes, galêas X. incœpere de novo; & alias veteres galêas reparare fecerunt de lignamine & sartia & ceteris omnibus necessariis. Et pro novis navium Venetorum & Pisanorum, quæ armari debebantur, sicut audiverant, apud Constantinopolim, fecerunt præparare naves VI. & galêas XII. & fecerunt per universos Januenses jurare manifestare mobile suum. Et congregata quantitate tam mobilis quàm immobilis Civium, præceperunt colligere denarios tres per libram, & facere panem & viandam duorum hominum per milliarium; & omnem apparatum per totam civitatem præceperunt, & fieri fecerunt. Postea verò quum nova acceperunt, quòd non armabantur naves illæ in Romania, de armatura navium & galêarum destiterunt. Die verò Dominica de Quadragesima XXVIII. Februarii rediit Dominus Archiepiscopus Otto de Curia Romana, & die Sabbati veniente, quæ fuit V. die Martii . . . . in Episcopum consecravit cum Bobiense & Bruniatense Episcopo. Et die VI. Aprilis cum Episcopo Albinganæ, & cum Bruniatensi, & multis Abbatibus, Canonicis, Præpositis, Archipresbyteris, Sacerdotibus, & Clericis de Januensi Archiepiscopatu Concilium per tres dies celebravit, exponendo ea, quæ ad Lateranense Concilium per Dominum Papam Innocentium tractata & ordinata fuerant, in quibus Conciliis multi homines & mulieres in nomine Domini ad honorem S. Sepulcri Cruces ceperunt.

Die Sabbati III. die Junii contigit, quòd Guilelmus Pignolus quum à domo Guidonis Pollicini, qui discordiam habebat cum Herode de Mari, rediret, obviatus fuit cum Nuvelone de Camilla sub volta Squarciafichi; & tanta verba creverunt inter se ad invicem, quòd percusserunt se cultellis ad angulum domus Henrici Guercii, de qua percussione Guilelmus Pignolus mortuus fuit. Unde magna discordia inter Cives orta fuit. In eodem quippe anno Dominus Ludovicus Rex Francorum cum maximo navigio in Angliam perrexit, & die Sabbati post Ascensionem Domini in terram applicuit, & non inveniens aliquem, qui contradiceret, in eam descendit, & naves triginta cepit, & terram totam sub dominio subjugavit. Et Johannes Sine-Terris nomine, qui Regem Angliæ se vocari faciebat, profugium fecit in maritimis Insulis, & ibi Fati munus complevit, relinquens filium unum, quem Dominus Ludovicus de Insula Angliæ coronavit, & in Militem ordinavit, relinquens ei totam terram de Insula. In mense autem Augusti, quum Nuvelonus de Camilla, qui erat Potestas de Corvaria, de partibus illis cum partibus de servientibus castello de Corvaria pervenisset ad Vernaciam, filius quidam naturalis quondam Beghini, Saladinus nomine, cum aliis Burgensibus ipsius loci, proditiosè intravit castellum Corvariæ, & de servientibus interfecit, & castrum cepit, & Guilelmo Malaspinæ illud tradidit, qui ipsum de nobilibus & probis viris munivit. Quo audito Consules cum Communitate nostra moverunt, & castrum obsederunt, & statim burgum ceperunt, & igni combusserunt. Videntes autem illi, qui intus erant, quòd exercitus se præparabat ad machi-

chinas, & trabuccum, & cetera bellicosa, castrum Consulibus tradiderunt. Consules quoque castrum ceperunt; & de Castellanis, & de serventibus, & vianda, & ceteris necessariis munientes ad propria feliciter remearunt. Mense verò Decembris apud portum Pisanum navis, quæ vocabatur Coronata, de ultra mari rediens, naufragium passa fuit. Quum autem Consules ad Dominum Papam Legatos suos mitterent pro maximis civitatis negotiis, & specialiter pro expeditione ultra maris, & pervenissent in partibus Massæ, ab Andrea Marchione de Massa capti fuerunt & impediti, pro quibus Lucenses equitarunt cum exercitu. Consules verò Placitorum & Foritanorum officium suum diligenter fecerunt, unicuique jus suum amicabiliter tribuentes.

Anno Domini MCCXVII. fuit in regimine Dominus Obertus Boccafolis Papiensis Civis. Pro Placitis in quatuor compagniis versùs civitatem Montenarus Causidicus Cremonensis; in aliis quatuor compagniis versùs burgum pro Medianis Guiraldus Causidicus Parmensis Civis. Pro Foritanis Johannes Bucentaurus Causidicus Papiensis Civis. Qui Potestas in principio suæ Potestatiæ Consilium celebravit, qualiter se regere deberent de facto custodiæ maris, & navium venientium & euntium; & habito Consilio armavit naves duas cum galêis quatuor, quæ iter arripuerunt in nomine Domini die Jovis XVII. Aprilis feliciter. In mense Madii vênit in Janua Ostiensis & Vellitrensis Episcopus Cardinalis Legatus Domini Papæ Honorii, qui de pace inter nos & Pisanos monuit; & habito Consilio juravit Potestas stare mandatis ipsius Cardinalis de discordia, quæ érat inter Januenses & Pisanos. Secunda die Junii iter arripuit ipse Cardinalis & Potestas cum multis Nobilibus civitatis nostræ causâ eundi ad Portum Veneris pro tractando de pace & concordia inter ipsas civitates; & convenerunt se ad Ilicem. Ibi juraverunt Pisani, sicut & Potestas noster juraverat; & quum se ad invicem separarent, misit Potestas ad recipiendum juramentum Pisas Raymundum de Volta, & Nicolam Barbavariam, qui juramentum receperunt, & in civitatem nostram venerunt Pisani Nobiles viri Scorzalupus, & Aldebrandus Succicus ad recipiendum juramentum hominum mille, & Cintracum in anima Populi. Venerunt die Veneris XVI. Junii, & honestè recepti fuerunt. Ipse namque Cardinalis jurare fecit Andream de Massa de suis ordinationibus stando, pro eo quòd Nobiles viros Guilelmum Embriacum, & Guilelmum de Nigro carceri mancipaverat; & eos absolvi fecit à carcere; & obsides, quos dederant ipsi Andreæ, de manibus ejus arripuit, & Januam absolutos misit tam ipsos, quàm obsides. In eadem Potestatia misit idem Potestas ad Bonifacium nobilem virum Baronicum, militem suum, & cum eo Marchisium Scribam ad solvendum soldos servientium Bonifacii; qui postea iverunt in Sardiniam ad Judicem Turritanum ad recipiendam collectam, quam annuatim dare debet de libris vigintimille, & ad confirmandam & sigillandam chartam conventionis inter Januensem civitatem & ipsum Judicem. Ob multas discordias, quæ vertebantur inter civitates Lumbardiæ, quum multæ Religiosæ personæ se intromitterent de pace & concordia componenda, tamdem auxilio Dei inter Papiam, Mediolanum, Placentiam, Terdonam, & Alexandriam pax firma fuit & firmata mense Junii. In eodem anno quum Comes Alamanus esset in partibus Cretæ cum nave una & galêis duabus, supervenerunt naves Venetorum cum galêis, & ceperunt illum, & Venetiam duxerunt, & carceri mancipaverunt. Die Martis XX. Junii Caravana nostra de ultra mari feliciter vênit in portum Januæ, & fuerunt inter naves, galêas, & Taridas XXII. In eodem quippe anno discordia orta fuit inter Jordanum Richerium, & Manuelem, & Percivalem Auriæ. Sed per Dei gratiam in tantum laboravit, mediantibus viris nobilibus propinquis eorum, quòd pax & tranquillitas inter eos composita fuit mense Junii in Vigilia S. Johannis. In Festivitate S. Petri Belmustus filius Rolandi Belmusti Nuvellonum de Camilla apud S. Petrum de Porta, dum descenderet de Ecclesia, percussit cultello in gula; & hoc fuit propter guerram, quam Pignoli habebant cum illis de Camilla. In eadem quoque Potestatia mense Novembris Legati in galêa missi fuerunt Romam, Fulco de Castello, Obertus Spinula, & cum eis Ugo Cancellarius pro audienda sententia Domini Papæ de pace inter Januam, & Pisanos. Qui multùm honorificè recepti fuerunt à Domino Papa Honorio, à Cardinalibus, & universa Romana Curia, & habitâ licentiâ à Curia, die Veneris XV. Decembris redierunt, & die Sabbati sequenti in Consilio de tota legatione rationem reddiderunt, & deferentes sententiam à Domino Papa datam per literas suas bullatas tulerunt, & Potestati dederunt. Die Lunæ VIII. Januarii terræmotus fuit in civitate, sed parùm duravit ad horam cœnæ. Consules namque Placitorum officium suum legaliter fecerunt, tribuentes jus suum unicuique.

Anno MCCXVIII. fuit in regimine civitatis Potestas Dominus Lambertinus Guidonis de Bonarello Civis Bononiensis. Pro Placitis de versùs burgum Lanfrancus de Puteo Papiensis. Pro Medianis Bonacursus de Bonô Regiensis. Pro Foritanis Nicola Bononiensis. Qui Potestas in principio suæ Potestatiæ elegit octo nobiles viros, unum videlicet per compagniam, qui totum introitum Communis Januæ inquirere diligenter, & recolligere juraverunt, & dare clavigeris pro expensis Communis. Verùm ad medium Martium misit Nuntios suos ad Parmam ad colloquium Venetorum; & pacem cum Venetis firmaverunt usque ad annos X. Præterea cum Terdonensibus pacem de novo firmavit. In eodem mense Martii Comes Henricus de Malta Januam vênit in galêa una, & ivit per terram in Alamanniam ad Regem Federicum, & chartas retulit ab eo præceptorias, quòd Januenses in toto Regno Siciliæ franchi essent, & nullum drictum, nullamque exactionem dare tenerentur. In mense Aprilis fuit armata galêa una pro Communi, quæ ipsum ad Romanam Curiam portavit, & inde in suo Comitatu. Mense verò Madii Guilielmus Malaspina & Conradus Januam venerunt; & de discordiis & guerris, quæ inter Januensem civitatem & ipsos vertebantur, in Potestatem ipsum arbitrio Communis Januensis omnino se posuerunt sinè aliqua conditione, aut aliquo intellectu à Potestate, vel à Communi Januensi habito. Simili quoque modo Vintimilienses hoc mense Januarii venerunt in publico parlamento, & juraverunt, ponentes se, & offerentes se Communi Januæ, & mandato, &

& ordinatione; & finè aliquo intellectu habito se omnino posuerunt. Et Potestas Simonem Busferium, & Ogerium Falamonicam ad Vintimilium misit pro juramento ab hominibus recipiendo, qui & major pars ordinationes & mandata eorum, secundùm quod alii juraverant, ipsi quoque juraverunt. Mense Madio una die ante Ascensionem Domini obiit Otto de Brunsvich, qui Imperator Romanorum exstiterat; & ideo postea totum Imperium Domino Federico, ac Romanorum Regnum, & Siciliæ, voluntati suæ per omnia subjugatum fuit. Die Sabbati Sancto, videlicet XIV. die Aprilis de beneplacito & voluntate totius Consilii, & participum navium, misit Potestas prædictos Nuntios suos Guilelmum Embriacum, Nigrum, & Lanfrancum Rubeum ad Comitem de Nivers, & ad Comitem de Marchis, & alios Baronos de Francia, & ultra montes, qui transitum ad succursum Terræ-sanctæ de civitate Januæ habere volebant; & convenerunt cum ipsis ad eorum beneplacitum; & venerunt ad Kalendas Augusti, secundùm quod cum eis convenerant; & in nomine Domini iter arripuerunt de portu Januæ circa exitum prædicti mensis Augusti. Die verò Mercurii XVIII. Julii in sero ignis accensus fuit in domo Nicolai Stabilis prope S. Mariam Magdalenam, & fuit per homines sic viriliter defensus, quòd non cremavit nisi solummodo domum illam, in qua potuit virtutem habere, neque transire ad alias domos.

Die XXI. Augusti Petrus de Castello Januam applicuit, de exercitu Damiatæ rediens, & talia retulit nova, secundùm quod in literis Regis, Johannis Patriarchæ, Ducis Austriæ, Archiepiscopi Nicosiæ, Episcopi Æmensis, Magistri Hospitalis, Magistri Templi, Magistri Hospitalis Theutonicorum, & Episcopi de Balcem continebatur. Feriâ tertiâ ante Pentecostem exercitus Christianorum Damiatam applicuit, & obsedit eam; in quo accessu misericors Dominus primitias gratiæ suæ Christianis impendit, & futurum se favorabilem eis ostendit; nam contra spem omnium, nullo infidelium resistente, licèt multa millia Saracenorum essent in civitate & exercitu, pauci descenderunt de navibus, & ante præfatam civitatem castra ibidem posuerunt, & machinas erexerunt ad expugnandam turrim quamdam sitam inter flumen, brachium Nili scilicet, à qua turri protenditur catena ferrea per medium flumen usque ad civitatem præstans impedimentum Christianorum navibus transituris. Mense verò Septembris duæ galêæ Piratarum de Neapoli & de Ischia in Provinciam iverunt, & Ligna Januensium & Provincialium cœperunt, & miserunt ad portum Falesæ; & propterea armavimus galêas duas de civitate, & unam de Portu-Veneris pro illis consequendis & capiendis. Et quum duæ galêæ nostræ pervenissent super Lavaniam, viderunt galêam unam cum duobus Lignis putantes illas esse galêas, ipsæ sequutæ sunt galêam illam, quæ profugium fecit, dimissis Lignis, quæ ducebat. Erat enim galêa illa de Arelate, quæ super gradum Pisanorum Platas duas oneratas rerum cujusdam navis de Tunesi redeuntis ceperat. Contigit autem, quòd propterea Pisanorum Consul cum quatuor de nobilioribus civitatis Pisanæ Januam vênit, & pecuniam illam Potestati & Communi Januæ quæsivit amore Dei, & solummodo dono. Congregato Consilio Januenses petitioni ejus acquieverunt, & pecuniam ei reddiderunt. Galêæ quidem nostræ iverunt Falesiam, & non inventis Cursalibus invenerunt ibi galêam Narbonensium, quam ceperunt, & bucium oneratum sale, & bucium per fortiam extraxerunt de portu, & Januam miserunt. Plumbinenses verò galêam defenderunt, sic quòd galêæ nostræ illam minimè habere potuerunt. Galêæ nostræ iverunt usque in Insulam Helbæ obviam galêis Cursalium; & quum illuc irent, galêæ Cursalium intraverunt Falesiam, & quum galêæ nostræ redirent, insultum in eos facientes, homines de Plumbino eas defenderunt. Quare habito consilio Potestas misit Legatos suos Pisas, Lanfrancum Rubeum videlicet, & Henricum de Nigro, qui non transierunt Sigestrum propter temporis ferociam, sed Januam redierunt. Iterum misit Pisas Paganum de Rodulpho, & Guilelmum Lercarium, & Guilelmum Piccamilium, qui satìs bona responsione Pisanorum Januam redierunt. Mense verò Octobris in Festo S. Dionysii apud Damiatam prœlium commissum fuit inter Christianos & Soldanum Ægypti; & per Dei misericordiam Christiani obtinuerunt victoriam, & multi de Sarracenis in facie gladii perierunt. Tertia die ante festum S. Martini aliud prœlium commiserunt, & finè fine mortui fuerunt. Mense verò Octobris homines de Capriata se dare volebant Communi Januæ ad hostem, cavalcatam, & feudum, & ad fidelitatem. Et habito Consilio ipsos ceperunt, & fidelitates, & ea, quæ ad honorem Januensis urbis spectare videntur, unanimes & gratuita voluntate fecerunt.

Anno MCCXIX. Indictione VII. existente Potestate præfato Domino Rambertino, & Consule Placitorum de compagniis quatuor civitatis Thomasio de Parvopilo Bononiense; de quatuor compagniis burgi Ugolino Marsilii; civitatis & burgi Nicolao de Nascempace. Pro Civibus, & Foritanis Bononiense Principino. Præfatus Potestas & Communitas Januensis ad animum reducentes, quòd Vintimilienses conventionem compositam ipsorum gratuita voluntate inter eos & Commune Januæ noluerunt sigilli sui Communis munimine roborare, spreta multitudine juramentorum, quæ ipsorum Consules & alii plures in præcedenti anno subierant in publica concione Januensium, finè aliquo intellectu de conventione ipsa & suis mandatis & ordinationibus observandis; & quod sanè omnes Vintimillienses subsequenter fecerant apud Vintimilium nobilibus Civibus Januæ Simoni Bufferio, & Ogerio Falamonica nuntiis Communitatis Januæ illuc propterea destinatis; nec obliviscentes iniquitatis ipsorum, & postea ipso anno, existente jam dicto Potestate cum quatuor galêis armatis in litore suo, in publico parlamento in Ecclesia S. Mariæ providis viris Januensibus Zachariæ de Castello, Oberto Galetta, Manueli Auriæ, Oberto Spinulæ, & Jacobo Piccamilio pro Communi Januæ sponte sua ejusdem civitatis tradiderunt dominium, sicut in charta inde facta per manum Nicolai Panis expressiùs continetur: quum tam de his, qui juraverunt, quàm de præmissis ad terminum & terminos, quos ipse Potestas ejusdem potiùs benignitate sua, quàm suis meritis multoties prorogavit, nollent Communitati Januensi aliquid adimplere: cum potentissimo exercitu Ja-

Januensis urbs per mare & per terram cum egregiis Viris Conrado & Opizone Marchionibus Malaspina, Ottone atque Henrico Marchionibus de Caretto, Bonifacio Marchione Cravexanæ, filio Guilielmi Marchionis de Ceva, & multis aliis proceribus & Nobilibus, cum multitudine peditum, & militibus quingentis apud Vintimilium die X. Madii in Dei nomine properavit. Quumque in ipso exercitu permanerent, quædam galêa Januæ pro custodia Maritimæ destinata, cui Calvus Respectus Comitus imminebat, in initio confusionis ipsorum quoddam Lignum suum onustum frumento relictum ab hominibus occupavit, & ipsam civitatem (35), permanentes Valles, & loca difficillima undique devastata, dimissa eadem obsidione trium galêarum, & totidem Lignorum custodia, quas ibidem fecit per totum tempus sui regiminis de beneplacito Januensis Consilii permanere, cum omni felicitate Januam remeavit. Ipso quoque anno armaverant Vintimilienses quamdam sagitteam, cum qua Trapenam accedentes ibi quamdam naviculam Belmusti & aliorum Januensium, & cum ipsa postea aliam Ugonis Mantelli, & Var-Segnetis ceperunt; & primò captam recedere extracto onere permittentes, cum altera nave & sagittea in partibus Calaris redeuntes, ibidem quamdam naviculam Januensem, quæ in portu Calaris iter arripuerat, occuparunt. Audiens autem Dondedeus Bos, qui cum galêa sua in ipso portu applicuerat, eo quòd usque in Sardiniam de partibus Barbariæ à sex galêis Sarracenorum fuerat vi fugatus, quòd Vintimilienses adversùs homines Januæ tantam audaciam ostendebant, statim eam cum hominibus Januæ, qui illic erant, optimè perarmavit, & insequendo & inquirendo ipsos, invenerunt navem ultimò captam. Visâ galêa, Vintimilienses abscisâ sarciâ dimiserunt; nec quum ipsam possent forsitan apprehendere, tamdem consequutâ sagitteâ prope navem eam viriliter invaserunt; & commisso prœlio, Vintimilienses, qui erant in navi, timentes de captione sagitteæ, ipsam iuxta navem sagaciter extraxerunt, & nisi intervenisset noctis obstaculum, eos concedente Deo accepissent. Sed, sicut Deo placuit, vulneratis ex ipsis pluribus, & specialiter Comito sagitteæ, & quatuor de melioribus ipsorum, qui in galêa prosilierant, interfectis, vivos totidem tenuerunt, quos cum nave inventa, quam Vintimilienses dimiserant, & cum onere ipsius Communitati Januæ in signum devotionis ipse Dondedeus postea præsentavit; & Communitas Januæ eidem respondere ad merita non omisit.

Post modicum quidem dierum spatium Vintimilienses commoti detrimento, quod passi fuerant sagittea jam dicta, quamdam galêam armaverunt, cum qua euntes in portu Turritano quamdam navem nuncupatam Benevenutam, ibidem cum onere & hominibus occupaverunt. Quo audito Communitas Januæ galêam unam armavit pro ea inquirenda cum ea præfati Dondedei, qui adhuc in Janua morabatur, quibus virum nobilem Zachariam de Castro rectorem & dominum stabilivit. Et inquirentes ipsam quum pervenissent ad Insulas Arearum, sicut Omnipotens concedebat, galêa Vintimiliensium cum nave captâ sequendo alteram navem Januensium, quæ dicebatur Sanctus Leonardus, venientem de Sardinia oneratam, cepit in ipsis partibus. Quæ postquam Januenses viderunt, ad navem, quam sequebantur, viriliter perrexerunt. Et ascendentes navem ipsam cum ea, habitis per homines, qui erant in ipsa, certis rumoribus inimicorum, velut leo ad prædam, versùs ipsos celeriter accesserunt. Ipsi namque videntes, quòd à fugatis fugiebant, relicta nave capta & hominibus, cœperunt cum galêa pelaga reserare, qua sanè recuperata eadem nave galêæ sequi animosiùs incœperunt. Sed quum ipsam forent aliquantulum sequuti, ab insequutione obscuro noctis obstaculo destiterunt, redeuntes ad terram, & sperantes, quòd deberent ipsa nocte, vel summo mane aquarum deficientiâ litorare. Sed spe ipsa decepti, communitis ambabus navibus, terra tenus, usque Monacum redierunt, præstolantes adventum ipsius galêæ, de qua rumores habebant, quòd ad præsens debebat ad propria remeare. Et quum quadam die in partibus fucis Vintimilii, & Murtulæ permanerent, Vintimilienses cum dicta galêa quadam mane, inspectis galêis Communis Januæ, in partibus Roccabrunæ ad terram inter duo saxa maxima confugerunt: quam galêam homines intuentes illuc perrexerunt, conantes ipsam de loco, quo infixa fuerat, exstirpare. Sed interveniente defensione tam hominum galêæ, quàm aliorum Vintimilii, qui venerant ibi, quamvis plurimi ex ipsis vulnerarentur, quod incœperant nequiverunt perducere ad effectum; sed debellantes ipsam tamdiu tenuerunt obsessam, quòd superveniente asperitate maris penitùs naufragavit, priusquam ad eos nequivit succursus Januæ pervenisse. Quippe ipso anno Communitas Januæ decem galêas armavit, quas ad succursum Christianorum in obsidione Damiatæ commorantium XXIII. die Julii de Janua destinavit, quibus & omnibus Januensibus, qui erant in ipso exercitu, nobiles Cives Januæ Johannem Rubeum de Volta, & Petrum Auriæ rectores & præsides procreavit; qui usque ad mensem post conflictum, quem in festo Decollationis Sancti Johannis Baptistæ, exigentibus nostris peccatis, passus fuit exercitus Christianus, tam cum ipsis galêis, quàm cum altera illustris viri Alamani Comitis Syracusæ, & tribus galêis egregii viri Salverigii de Maloleone apud Damiatam incolumes applicuerunt, invenientes gentem & Principes exercitus passo detrimento taliter expavescentes, quòd etiam erant in proposito ascendendi Ligna, & si posset esse, ad propria remeandi. Sed (benedictus Deus) in tantum fuerunt adventu ipsorum, etiam præsentia confortati, quòd qui erant in procinctu eundi, & multi, qui jam naves ascenderant, vigorem sumserunt & animum remanendi. Octavo verò die post applicationem ipsorum Soldanus Damasci, coadunata multitudine Sarracenorum, ad castra Christianorum accessit, & tribus diebus continuè ibidem Christianos fortiter debellavit; sed per gratiam Dei tantam læsionem toleraverunt, quòd tam de obsidione ipsorum, quàm de ipsis partibus recesserunt.

MAR-

(35) *fortass.* ipsa Civitate &c.

MARCHISII SCRIBÆ ANNALES GENUENSES

AB ANNO MCCXX.

LIBER QUINTUS.

Necessarium siquidem humano generi reperitur, ut quod nostra non valet de diversis gestorum negotiis mentis memoria commendare, per scripturæ compositionem exhibeat, quæ tam præsentibus, quàm futuris esse debeant profutura. Ideoque ego MARCHISIUS SCRIBA, qui multis rationibus nomen meum exprimere erubesco, timens, scilicet, ne magis redarguendus essem, si quæ alia inutili præsumtione proferrem, aut si fortè in aliquo commendabilia, potiùs crederetur me proprio nomini, quàm Deo, humanæ laudis gloriam acquisivisse, licèt me insufficientem cognoscam ad conscribendos actus pariter & honores tantæ Reipublicæ Januensis urbis, ad instar strenui & illustris viri Domini Caffari quondam bonæ memoriæ, qui auctor fuit tanti Operis, cujus non fui dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus: Tamen ad instantiam & exhortationem Nobilis viri Domini Rambertini Guidonis de Bavarello Januensium Potestatis, & multorum Nobilium virorum, assumto inde studio & labore, pro ut meliùs potero, divina auxiliante Clementia, effectui mancipare curabo.

Anno MCCXX. Indictione VIII. Dominus Rambertinus Guidonus de Bonarello Bononiensis Civis fuit Januensis civitatis Potestas, qui confirmatus in hoc anno, triennio, tamquam strenuus & illustris, cuncta sagaciter & prudenter disponens, civitatem satis feliciter & laudabiliter gubernavit. Habuit siquidem circa se ipsum & ad promovenda negotia introitus & exitus Communis Januæ, octo Nobiles viros, scilicet Oliverium de Platealonga, Ugolinum Cavaruncum, Nicolam Barbavariam, Obertum Ususmaris, Henricum de Domoculta, Paganum de Rodulpho, Nicolam Embronum, & Ogerium Falamonicam. Pro justitiis verò in Consulatu civitatis Thomam Parvipili. In Consulatu civitatis & burgi Albertum de Guascono. In burgo autem Ugolinum Marsilii. In Consulatu Civium & Foritanorum Principinum Judicem ipsius Potestatis, omnes Bonononienses Cives. Qui verò tam octo, quàm Consules per Justitiæ tramitem ambulantes, tempus sui regiminis ad honorem Januensis urbis fine laudabili terminarunt. Quum igitur Pater cœlestis Dominus, absque nutu cujus nec passer ad terram, nec folium arboris cadit, civitatem Damiatæ diu à Christianis obsessam post labores multos pariter & sudores in manus Christianorum tradidisset, de cujus captione per literas Albanensis Episcopi Apostolicæ Sedis Legati certiores fuimus effecti, jam dictus Potestas susceptis literis, & ipsis cum omni jucunditate perlectis, continuò pulsatis campanis, ad Ecclesiam B. Laurentii, ad notitiam Populi ibi undique confluentis fecit hilariter pervenire. In qua tam Clerus, quàm Populus Januensis de tanta plenitudine gaudiorum innumeras gratiarum actiones Altissimo referentes, una voce clamarunt dicentes: *Te Deum laudamus*.

In hoc siquidem anno quum Guilelmus Marchio Malaspina, qui multa nobilitate, & gloriosa militiæ probitate vigebat, de Sardinia ad propria remeasset, magnis febribus occupatus, cupiens quæ contra matrem suam Januensem urbem, de cujus munere feudi beneficio annis singulis congaudebat, quæque peccatis exigentibus commiserat indiscretè, demum per traditionem sui corporis restaurare, Januam accessit, ibique divina annuente clementia numero mortalium præteritorum adjunctus, juxta portam Ecclesiæ B. Laurentii de versùs fabricam B. Johannis Baptistæ honorificè in Domino requiescit. Ceterùm dum Vintimilienses ad instar Angeli lucis, qui adversùs Creatorem elatus de cœlesti patria ad ima præcipitatus descendit, pro inobedientia facti essent rebelles Januensi civitati, veluti inebriati vino, non præmeditantes, quòd durum esset contra stimulum calcitrare; præfatus Dominus Rambertinus suffultus provido Consilio Januensi, Nobilem virum Manuelem strenuum Comitem Vintimiliensem, fratre suo Guilelmo absente, ante suam præsentiam convocavit. Veniente autem ipso de novo pacis fœdera inierunt, quibus ipse Manuel promisit, & interveniente vinculo juramenti firmavit, quòd quamdiu duraret discordia inter civitatem Januæ, & homines Vintimilii, ipse cum ceteris suis & castris, quæ tunc habebat, vel deinceps habiturus esset, per se & homines suos faceret pro posse suo bona fide sinè fraude vivam guerram & sanguinolentam hominibus Vintimilii in personis & rebus, & quòd cum militibus quindecim ultra personam suam, & terris, equis, & armis militaribus & necessariis ad guerram decenter guarnitis, & balistariis decem cum armis necessariis, & balistris de cornu, unam scilicet per unumquodque habendis semper & tenendis usque ad finem guerræ, ipsos Vintimilienses offenderet in personis & rebus pro posse suo. Stratam quoque, qua tenditur de versùs Penam ad Burgum S. Dalmatii, vel si aliunde mutaretur, frangere & destruere, & fractam tenere promisit. Similiter & alias ad Vintimilium decurrentes pro posse suo bona fide. Ad castrum quoque Penæ cum virtute sua ad habendum & retinendum debebat studium & operam modis omnibus adhibere. Neque cum hominibus Vintimilii, durante guerra ipsa, pacem vel treugam seu concordiam aliquam componere vel habere sinè voluntate & licentia Communis Januæ. Captos quoque debebat in virtute Communis Januæ liberare pro ea redemtione, quam

quam habere posset ab ipsis, vel à persona pro eis, si Commune Januæ eos habere vellet: de quibus omnibus ad beneplacitum jam dicti Potestatis idoneam cautionem præstavit. Dominus autem Rambertinus eidem Manueli pro se & fratre suo promisit, quòd quamdiu Vintimiliensis discordia vigeret, Commune Januæ eis singulis mensibus erogaret libras CL. denariorum Januinorum ipsis observantibus quæ superiùs dicta sunt, sicut i continetur instrumento per manum Marchisii Scribæ inde confecto.

Contigit autem, quòd quum Vintimilienses terram Comitum hostili manu audaciter fuissent aggressi, pervenientes ad castrum, quod dicitur Lucis-Ramus, ibi aliquid perficere nequiverunt. Deinde verò declinantes ad Cepelem, ubi justus judex & Dominus noster Jesus Christus volens eorum scelera & iniquitates purgare, perveniente Ottone Sevento in occursu eorum cum valida acie bellatorum, eos dirupit in fugam. Quorum quadraginta quinque de melioribus cursus velocitate devictos retinuit, & captos strenuo Comiti Manueli, qui de S. Agnete, ubi erat, orto clamore in ejus auxilium properabat, lætanti animo liberavit. Postquam ergo hæc ad Domini Rambertini notitiam pervenerunt, statim Consilium celebravit, ex cujus decreto Nobiles Januæ Cives Ugolinum Cavaruncum, Ogerium Falamonicam, Jacobum Piccamilium, & Antonium de Nigro pro ipsis hominibus exigendis ad Comitem Manuelem direxit. Qui verò ad id exequendum prudenter & sagaciter intendentes, demum ipsos homines habuerunt, & unà cum ipsis & Comite Manuele lætanter redierunt, recipiente eodem Comite per transactionem & traditionem eorum à Communi libras MD. denariorum Januinorum. Post hæc Vintimilienses animadvertentes, qualiter possent incautos decipere, & suos à carceribus liberare, convocatis Priore S. Andreæ de Sexto, & Raymundo Judice de Vintimilio, eis denuntiarunt, quòd firmo gerebant proposito absque ullo tenore mandata & ordinationes Communis Januæ fideliter adimplere. Quumque ipsi Januam remeassent, recitatis ipsis respondit eis præfatus Potestas: *Placet itaque mihi, si Vintimilienses suum cognoscentes errorem nostræ cupiunt voluntati satisfacere; ideoque approbo & confirmo quòd inde fiant duo scripta, quorum unum penes nos remaneat, & alterum deferatis vobiscum. Et redeuntibus vobis apud Vintimilium, si, prout dicitis, adimplere voluerint, de melioribus illius civitatis pro iis perficiendis vobiscum usque ad quantitatem maximam conducatis.* Accepto igitur scripto, in quo continebatur quòd deberent venire salvi & securi, absque ullo tenore parêrent Communis Januæ præceptis, arripuerunt iter, & cum omni festinatione ad Vintimilium perrexerunt. Redeuntibus autem cum vingintinovem de Probis hominibus illius civitatis, jam dictus Potestas colloquium celebravit, in quo exposuit, qualiter ipsi venerant pro mandatis & ordinationibus Communis Januæ observandis, nullo intellectu ab eo recepto, vel aliqua persona pro eo, & quòd de sua voluntate erat, quòd inde deberent vel per jurisjurandi veritatem testimonium perhibere. Qui omnes tam præfatus Prior in ordine suo promisit, quòd ita verum erat, ut ipse dicebat, & quòd ipse nec aliqua persona pro eis, vel alteri pro eis nullum inde dederat intellectum. Subsequenter recepto juramento ipsorum de mandatis Communis Januæ absque ullo tenore in omnibus & per omnia observandis, idem Dominus Rambertinus Consilium celebravit, quid esset requirens præcepturus eisdem: cujus summa Consilii fuit, ut eis præciperet, quòd facerent majorem hominum quantitatem venire. Unde Potestas à se ipso motus in præsentia Consilii ait ad illos: *Quia pauci venerunt de vestris, præcipio vobis ut de reliquis usque ad CC. faciatis venire pro mandatis nostris & ordinationibus observandis.* Qui quum ad hoc nullum darent responsum, præfatus Potestas quasi conscius de his, quæ sub eorum pectore subdolè latitabant, rursum ad eos dixit: *Video enim, quòd vobis difficile videtur illud, quod dico, & ideo non vultis acquiescere verbis meis. Ergo centum quinquaginta accedant.* Ad quod quum ipsi semper habentes faciem pronam ad terram, nullum curarent dare responsum, (quid plura?) dictus Rambertinus de conditione ipsa semper minorem gradum descendens, demum usque ad homines XXX. pervênit. Quo audito ipsi linguas suas acuentes, emisso verbo, quod videbatur amissum, dixerunt: *Domine, non recipere possumus, nec debemus, quum id quod dicitis nobis satis sufficiens videatur. Volumus enim habere consilium, & ipso accepto, quod super his fuerit faciendum, vobis principaliter respondere.* Quumque ipsi in quadam parte Palatii convenirent in unum, quidam ex ipsis occultè ab ipsis se separantes de Palatio exierunt, & versùs partes suas fugam continuò arripuerunt. Alii verò accepto consilio responderunt: *Domine, tale est consilium nostrum, quòd pro hominibus conducendis debeamus Vintimilium proficisci, quia sicut nobis videtur, aliter ipsos homines habere non possumus.* Ad quod Potestas respondit: *Miror enim non modicum de eo quod dicitis. Sicut scitis, huc venistis de consensu & voluntate hominum Vintimilii pro nostris mandatis & ordinationibus adimplendis. Quare vobis præcipimus & mandamus, quòd mandata nostra, sicut tenemini, executioni mandetis, nec de civitate ista sinè nostra licentia separetis.* Ipsi verò exhibentes quòd vellent reiterare Consilium, sicut subsequentibus signis apparuit, malitiosè & fraudulenter tractarunt, qualiter possent evadere manus ejus, & ad propria remeare. Unde, quum quidam ex ipsis arripuisset fugam, præfatus Potestas, postquam hoc novit, alios cepit, & carceris custodia mancipavit, solicitans Potestatem ipsorum Jacobum de Carralio, quòd absque impedimento deberet Vintimilium remeare, qui quum nollet absque aliis, ipsum fecit in eodem carcere mancipari.

Præterea jam dictus Potestas per totum tempus sui regiminis de voluntate Consilii fecit stare galêas tres cum aliis Lignis minutis apud Vintimilium tam pro ipsis comprimendis, quàm securo ducatu præstando omnibus per partes ipsas transeuntibus; pro quarum custodia tam universi, quàm singuli homines de foris ab annis XVI. supra, videlicet à Portu Veneris usque Cogoletum, comprehenso Cogoleto, impendebant à solidis III. usque ad IX. sic quòd homines V. computatis ditioribus solidos XXX. vel hominem unum præstabant. Ut autem in posterum clareat, ac memoriæ singulorum oc-

currat, præsenti pagina denotare dispoſui, quòd quædam ex ipſis galêis de cuſtodia, in qua præerat vir ſtrenuus Oliverius Merenda, quamdam ſagitteam de fauce Vintimilii egreſſam inſequeretur, nec per fugam aliquatenus evadere poſſet, applicante ea apud Brenzonum, ubi tuta fuit pariter & recepta ab hominibus illius loci, qui ipſam & homines ejus à præfato Comite jam dictæ galêæ tam pacis reſpectu, quæ inter nos & Maſſilienſes vigebat, cujus eſt ipſe locus, quàm multa precum inſtantia requiſitam reddere nullatenus voluerunt, dicentes, quòd inter ſe haberent ſecundum mandatum Rectorum Maſſilienſium. Eunte autem præfato Oliverio ejuſdem Rectoribus ſagitteam ipſam & homines poſtulavit, aſſerens, qualiter homines Brenzoni ipſam ab eo inſequutam receperant, & pro ipſius defenſione repugnaverat contra eum. Cui præfati Rectores Maſſilienſes reſponderunt: *Quòd homines Brenzoni ſagitteam & homines vobis reddere noluerunt, non feratis moleſtè, quia Vintimilienſes nobis & genti noſtræ damna non modica intulerunt, propter quod vobis & civitati veſtræ cedat ad gloriam & honorem*. Interea verò homines de Brenzono de licentia & mandato Maſſilienſium, ſicut credendum eſt, ſagitteam & homines dimiſerunt, fingentes occaſiones ſuas, quòd quadam nocte furati ſagitteam ipſam ipſis inſciis inde receſſerunt fugiendo. Quumque jam dictus Poteſtas nobilem virum Idonem Lercarium, & cum eo Marchiſium Scribam in ſagittea exigenda & homines deſtinaret, & quum iter arripuiſſent, audientes quemadmodum homines Brenzoni malitiosè ipſam abire permiſerant, ad propria redierunt. Ad hoc præfatus Dominus Rambertinus, ſicut per Capitulum tenebatur, Poteſtatem apud S. Romulum miſit, ſcilicet Nobilem Januenſem Civem Obertum Advocatum, qui damna multa pariter & offenſiones intulit hominibus Vintimilii.

Dominus autem Federicus excelſus Romanorum Rex, & ſemper Auguſtus, atque Rex Siciliæ, Theotonicos fines egreſſus, ad ſuſcipiendum Imperii diadema properavit ad Urbem, ad quam Dominus Rambertinus de voluntate Conſilii cum multis Nobilibus civitatis cum ſolicitatione perrexit, exiſtimans pro Communi Januæ ab eo multa commoda ſuſcipere & honores, pro ut literis ſuis ſæpiſſimè promiſerat ſe facturum in remuneratione multorum obſequiorum, quæ ab ipſo Communi aſſeverabat ſe multoties ſuſcepiſſe; & eo invento extra Mutinenſem civitatem, ſequutus fuit eum extra Bononiam uſque ad Caſtrum S. Petri; & oſtenſis Privilegiis noſtris, vix partem de eo, quod ad Imperium pertinebat, voluit confirmare, ſuas excuſationes proponens, quòd quidquid ad Regnum Siciliæ attinebat, niſi priùs eſſet in Regno, non poterat aliquatenus confirmare. Sed eo exiſtente in Regno, firmo gerebat propoſito non ſolùm ea, ſed multo majora Communi Januæ exhibere. Admonuit autem eos, quòd uſque ad Urbem eum ſequi deberent. Sed præmeditantes, quàm grave damnum ex ipſa conſuetudine Civitati noſtræ poſſet in poſterum pervenire, ejus admonitionibus acquieſcere noluerunt, dicentes, quòd ſinè licentia Conſilii Januæ fieri non poterat, quum Prædeceſſorum ſuorum coronationi non conſueviſſet civitas Januæ aliquem vel aliquos deſtinare. Et ſic ab eo licentiâ impetratâ ad propria remeaverunt. Quæ quidem etiam pro parte maxima accidiſſe noſcuntur, eo quia, quum ab initio noſtros hilari facie ſuſcepiſſet, demum eos deſpicere & abhorrere propoſuit, quòd non ſicut notos, ſed tamquam extraneos eos faciebat extra ſuum territorium inhoneſtè quotidie permanere. Unde, prout apparuit tempore breviori, noluerunt per ſpatium temporis prolixioris ad dedecus civitatis Januæ ſuſtinere. Dominus autem Conradus Venerabilis Metenſis & Spirenſis Epiſcopus, & Imperialis Cancellarius (quod non eſt prætermittendum) ſatìs honeſtè & benignè Cives noſtros tractavit, & negotia noſtra, prout potuit, ad honorem Januenſis urbis promovere curavit, per tres vices ad tentorium Poteſtatis noſtri declinans, erga ipſum pro honore civitatis noſtræ familiaritatem non modicam & amicitiam oſtenſurus: propter quod jam dictus Poteſtas in ſignum dilectionis ex parte Communis ei grata munera præſentavit. Præfatus itaque Romanorum Rex die Dominica veniente poſt Octavam B. Martini Coronam Imperialis ſublimitatis accepit, & ipsâ acceptâ ad partes Siculi Regni perrexit.

Anno MCCXXI. Indictione IX. fuit Poteſtas Dominus Lotherengus de Martinengo Nobilis & ſtrenuus Brixienſis Civis, qui multa legalitate vigens Januenſem urbem feliciter rexit, & laudabiliter gubernavit. Habuit ſiquidem ſecum ad civitatis ſervitium duos Juriſperitos, videlicet Americum de Monteclaro, & Conradum de Cagnolo, viros utique providos & diſcretos, quorum unus rexit officium Conſulatus Civium & Foritanorum, & alter juxta ſe ipſum ad definiendas lites maleficiorum permanſit. Pro reditibus quoque Communis Januæ recolligendis & exponendis habuit octo Nobiles, videlicet Rubaldum Heliæ, Guilielmum Strejaporcum, Honoratum Bolletum, Guilelmum Cicadam, Antonium Malfantem, Marchiſium Grillum, Lanfrancum de Turcha, & Jacobum de Guiſulpho. Pro juſtitiis verò in Conſulatu civitatis Jacobum de Presbytero Civem Parmenſem. In Medio autem Ancelinum de Fontana Placentinum. In burgo verò Jacobum de Ronco Terdonenſem; qui omnes velut juſtitiæ amatores finem ſui regiminis laudabiliter terminarunt, de juſtitia ſingulis providentes. Dominus autem Lotheringius Brixienſis, quia Dominus Federicus Romanorum Imperator, antequam Diadema Imperii ſuſcepiſſet, Domino Rambertino tunc Januæ Poteſtati, & illis, qui cum eo erant, dederat intelligi, quòd poſt ſuſceptionem ipſius, quum eſſet in Regno, Januenſis civitatis Privilegia confirmaret, ex decreto Januenſis Conſilii viros Nobiles & diſcretos Obertum de Volta, Sorleonum Piper, & Ubertum de Novaria ad eum Legatos direxit, qui quum ipſum diu inſequuti fuiſſent, multis expenſis ac laboribus fatigati, demum inde nihil proficere valuerunt. Imò, quod contra omnem humanitatem videtur, de ſervitiis illis, quæ tam magnificè, tam legaliter erga ipſum geſſerat civitas Januenſis, quod difficillimum eſſet omnia enarrare, tamen quædam aſſerere non pretermittam, pro bono malum nobis reddendo: Palatium quondam Margariti, quod dederat hominibus Januæ habitandum, à nobis atrociter ſublevavit; & inſuper fracta libertate, quam beneficio Privilegiorum ſuorum conceſſerat, nobis in Regno ad Drictum præſtandum, quod omnibus circumſpectis dece-

cenum & eo amplius computatur, nos injustè subjecit, & Comitem Alemanum, qui inter alios fidelissimus existens ei tot ac tanta servitia contulerat, inhonestè à gubernatione civitatis Syracusanæ privavit. Guilelmus Porcus, scilicet Admiratus, quum ipsum capere vellet, sicut divinæ placuit voluntati, manus ejus aufûgit, & liminibus Regni coactus inde se paravit. Ceterùm quum puerilis ætas & imbecillitas eo regnante in persona ejus vigeret, propter quam Pisani & alii multi confluentes ipsum & Regnum ejus perdere nitebantur, Januenses tamquam fideles amici & experti eorum opinioni viriliter resistentes, in quibus poterant, subministrabant ei; & terram suam propter eorum frequentiam adeò reddiderunt munitam, & ab insidiis inimicorum provisam, quòd æmuli ipsius non prævaluerunt adversùs eum, nec potuerunt quod sæpissimè præmeditaverant.

Contigit autem, quòd dominante Imperatore Ottone, qui prosper solus erat in mundo, cui Fata ad votum cedebant, cupiens contra ipsum, quem valde habebat exosum, ad surripiendum Regnum ejus exercitum congregare, solicitavit homines Januæ ad ipsum faciendum, promittens Januæ civitatem inde magnis honoribus, magnisque utilitatibus ampliare. Cujus quum nollet affectibus inclinare respectu pacis, quam cum Rege habebant, & inde ad Pisanos habuisset recursum, cum quibus exercitum fecit, ipse ab inde in antea homines Januæ adeò gratiâ suâ alienos effecit, quòd ipsam, quam primitus obtinebant, demum noverunt penitùs amisisse. Et quum sua cepisset virtute quosdam Pisanos & Januenses, qui propter guerram à Pisanis incœptam ab utraque civitate detinebantur captivi, pro quibus omnibus sperabatur se pacem facturum, & eos à vinculis absoluturum, severitate compulsus, Pisanorum incarceratos dimisit, Januenses verò apud S. Miniatum transmissos injustè carceris in ergastulo mancipavit. Postmodum verò præfatus Dominus Fridericus cupiens versùs partes Alemanniæ transmeare, ceteris Regionibus vitatis, ad quas timore jam dicti Ottonis non ausus erat appropinquare, Januam confidenter applicuit, ubi omni periculo & timore postpositis, à minimo usque ad maximum tanta fuit reverentia & devotione susceptus, tantaque jucunditate & honorificentia pertractatus, quòd si vellem literis explicare, vix possem exprimere veritatem, Communi Januæ libras . . . . Januinorum largiente, quum necessaria non haberet. Et verè fuit Janua porta, quæ per figuram Porta vocatur, quia per Januam habuit accessum ad id, quod sperabat, & ad culmen Imperialis dignitatis pervênit.

Dominus autem Lotheringius quum ex capitulo teneretur super facto Vintimiliensium Consilium celebrare, ex decreto ipsius Consilii super Vintimilienses exercitum congregavit, pro quibus expensis imposuit mutuum de solidis XX. pro Cantario à Civibus colligendum; & quorum CCC. excusabantur à præsentibus * non inutilibus propter impossibilitatem, vel temporis maturitatem, præstita licentia, & absolutione exercitus, & absentibus juxta facultatem suam pro suo arbitrio capiebat. Unde convocatis quamplurimis Vassallis & amicis civitatis iter arripuit, & apud S. Romulum pro exercitu ordinando applicuit. Existente autem Potestate apud S. Romulum, ecce Comes Provinciæ cum militibus in succursu Vintimiliensium advênit. Quumque exercitus anxietate non modica ad prœlium urgeretur, & tumultus assiduus oriretur ad festinandos gressus versùs Comitem ipsum & Vintimilienses, jam dictus Potestas, coadunato Consilio, & quampluribus de Probis hominibus civitatis, quid esset facturus ab eis consilium postulavit; cujus siquidem quum magna esset diversitas, tamen, sicut divinæ placuit voluntati, quæ foventes justitiam dirigit in viam rectam, major pars ipsorum obtinuit, quòd exercitus moram faceret ibi, quamdiu Comes in Vintimilio permaneret, ea ratione deducti, quòd quanto longior esset mora ipsius, tanto ad majorem incommoditatem Vintimiliensibus redundabat, licèt ipsius instantiam & gravamen diu non possent æquanimiter sustinere. Unde factum est, quòd ipse Comes, desertis Vintimiliensibus, malè & occultè fugitivus recessit, dimisso ibi Gulielmo de Cotignano cum quibusdam, & aliis ad regimen & gubernaculum illius terræ. Quorum quidam denique imploratâ fiduciâ Januensis Potestatis, ac multis precibus impetratâ, alii verò occultè faciendo ad propria redierunt.

Quum recessus ipsius Comitis ad Potestatis notitiam pervenisset, coadunata gente sua, & facta dispositione ipsorum, qui exercitui tam maris quàm terræ præesse debebant, Lanfranco Guilelmi de Mari Viceadmirato ad Lignorum custodiam constituto præcepit, quòd sequenti die summo mane quilibet audito sonitu tubarum versùs Vintimilium properaret, sic quòd euntes per mare non ausi essent ad litora Vintimiliensium applicare, donec signum suum viderent. Ipsi verò per inobedientiam fines mandati transgressi descenderunt in terram; & quum inermes concurrerent ad hospitia capienda, Vintimilienses equites ibi paratis insidiis latitantes irruerunt in eos, quorum quosdam graviter vulneraverunt, & undecim atrociter more barbarico occiderunt; de quorum morte quum totus exercitus præ nimia tristitia turbaretur, tam universi, quàm singuli fuerunt ad clamorem commoti, quòd Vintimilienses incarcerati Januæ detenti ducerentur ibi mortis periculo traditiri. Sed quum Potestas clamorem exercitus non posset sub silentio præterire, celebrato inde Consilio fecit eos conduci ibi, & in quodam ædificio ad modum Hospitalis in campo ipso constituto in vinculis mancipari, jurans esse facturum eos luce privari, nisi usque ad dies octo civitatem ad suum beneplacitum redderent. Unde contigit, quòd, mediantibus bonis hominibus, Vintimilienses venerunt, & absque ullo tenore juramenta CCC. hominum præstiterunt de mandatis & ordinationibus Potestatis in omnibus & per omnia observandis. Redditis utique ad mandatum suum clavibus civitatis, præcepit eis, quòd castrum Apii gente sua traderent muniendum, & alia, quæ restabant, juramenta supplerent. Qui quum ad libitum suum facere promisissent, sequenti die proficiscentibus nuntiis suis ad ea recipienda, non solùm id facere neglexerunt, imò tamquam maledicti perjuri eos tenere & capere voluerunt. Unde Potestas commotus inde non modicum & turbatus, licèt eorum reparationem præstolatam ad tempus obtinere non posset, undecim ex ipsis fecit lumine oculorum privari. Dum autem in ipso exercitu permanerent, fieri fecit fossatum, cu-

cujus alveus latissimus fuit valde, & longissimus ferè per milliaria duo, in quo latices Vintimiliensis fluvii concludere, & eis auferre putavit; & licèt ex toto fieri non posset, tamen copiosam partem eduxit, de qua non modicam commoditatem totus exercitus sentiebat. Praeterea erexit ibi duos manganellos, & duos trabuchos in ipso exercitu fabricatos, qui ingenti mole lapidum, ac suis formidandis ictibus civitatem illam adeò conquassarunt, & in ruinam vergerunt, quòd si de eorum gravamine à principio praevisum esset & cognitum, tot ibi ad ejus destructionem creassent, quòd Vintimilienses, licèt nollent, denique civitatem in suis manibus tradidissent. Insuper cophanum unum plenum lapidibus & muratum ante faucem Vintimilii pro ipsa claudenda demersit. Pontones quoque de Janua ibi ductos ad faciendam sepem lapideam ibi fecit per dies quamplurimos laborare, quorum duo in Plagia, quae est inter civitatem & caput S. Ampelii, temporis saevitiâ naufragarunt. Post haec autem in monte S. Christophori duo castra, & inferiùs juxta mare quamdam civitatem construxit miris ac robustis muris vallatam, in opere quorum quum tam Nobiles quàm mediocres jugiter insudarent, ipsam in tam brevi temporis spatio compleverunt, quòd posset credi Romanam civitatem vel Imperium perfecisse. Ad ipsorum quoque custodiam & munitionem constituit duo millia bellatorum, quorum regimini procreavit virum Nobilem & discretum Sorleonum Piper, à quibus Vintimilienses adeò oppressi fuerunt, quòd à tempore illo citra terram extra civitatem colligere minimè praesumserunt, nec aliquatenus apparere. Et si quando id contingebat, à nostratibus usque ad muros civitatis ad eorum ignominiam & dedecus fugabantur; unde adeò penuria & necessitate compulsi fuerunt, quòd major pars ipsorum aedes proprias dimiserunt, ac pedibus Januensis civitatis prostrati, habitaculum civitatis novae ceperunt, offensionem & guerram ceteris facientes. Inter quos Judices nobiles Vintimilienses Cives venerunt sua sponte potiùs, quàm voluntate coacta, qui prae ceteris fideles Communi Januae exstiterunt, & de eorum adventu à Communitate Vintimilii damnum non modicum sustulerunt.

His itaque peractis praefatus Potestas cum universo exercitu feliciter ad propria remeavit. Convocatis igitur hominibus S. Romuli de quibusdam, quae gesserant in exercitu suo * suis mandatis & ordinationibus puniendis. Dominus Otto Januensis Archiepiscopus de civitate ista secedens, apud S. Romulum properavit, eos corroborans, & inducens in Potestatis contumacia permansuros. Et quum Nobiles viros Almericum........ Militem suum, & Rubaldum Heliae ad eorum bona dissipanda misisset, nolentibus ipsis venire, jam dictus Archiepiscopus opponens se ex adverso sub poena anathematis universis hominibus Comitatus prohibuit, ne guastarent. Unde ipsi Nuntii Communis Januae, subtracto ab eis auxilio, excommunicationis terrore nihil proficientes ad propria remearunt. Quapropter jam dictus Potestas nimis furore commotus invasit bona Palatii, voce praeconia prohibendo, ne quis ei deberet de ipsis ampliùs respondere, existente Archiepiscopo per totum tempus sui regiminis, quod Januam non accessit; & ideo in suo exitu jam dictus Potestas in libras D. Commune Sancti Romuli condemnavit.

In hoc siquidem anno Sarraceni de Ægypto cum galèis XXVI. de Rascedi flumine exierunt, quae damna quamplurima, caedes, & incendia, ac offensiones Christiano nomini intulerunt. Ceperunt igitur naves & personas quamplures Christianorum, quas Ægyptiaco carceri retruserunt; ad quas insequendas Dominus Federicus Romanorum Imperator galèas XL. direxit, quarum gubernationi Henricum strenuum Comitem Maltae constituit. Applicantibus autem ipsis ad partes Ægypti, audiens ipse Comes, quòd galèae intra jam dictum fluvium fuerant regressae, ad civitatem Damiatae festinus accessit. Exercitus autem Christianorum ab ipsa civitate omine malo indiscretè secessus, equitaverat super Sarracenos. Quumque praefatus Comes post ipsum tendere viriliter festinaret, contigit, peccatis nostris exigentibus, quòd Soldanus Ægypti praesciens adventum exercitus, quadam nocte equitavit, & eo castrametato infra civitatem Damiatae, & exercitum Christianorum, fodendo per totam noctem, de flumine Nili rivum aquae abduxit, per quem Christianos ibi quasi in Insula alligavit, sicque procedere, nec ad civitatem Damiatae minimè redire potuerunt. Habuit siquidem galèas infra fluvium praeparatas, quae omnibus Lignis euntibus ad exercitum, & ab exercitu redeuntibus, impedimentum praestabant. Unde Christiani ignari de adventu Comitis, existimantes se non posse habere ullum succursum, sed potiùs ibi fame & necessitate perire, demum cum dolore & tristitia pepigere, & interveniente vinculo juramenti firmarunt, salvis eorum personis & rebus, & redditis ab utraque parte captivis, civitatem Damiatae reddere Sarracenis. His itaque peractis (proh dolor!) facta est restitutio illius civitatis ad dedecus & ignominiam nominis Christiani, nisi divina clementia providebit; quae tanto labore, tantaque sanguinis effusione à Paganorum spurcitiis fuerat liberata, de cujus amissione, sicut praemeditari potest, divino miraculo tellus tristis effecta in Cypri Insula contremuit, & mare litora consueta destituens infra pelagus quamplurimum desiccavit, & de quorum motu Bassa, & Cunissa penitùs sunt submersae.

Apud Vintimilium, quum Commune Januae solitam galèarum custodiam retineret, contigit, quòd existente galèa, cui praeerat Guilelmus Aldonis supra fucem, ceteris verò supra Cardonam, quia rumores perceperant de Lignis Vintimiliensium ituris in cursum, egresso quodam de Lignis ipsis in ipsa nocte, invênit ipsius galèae homines dormientes, & eo reverso ad terram secum quamplura Ligna attraxit bellatoribus optimè praemunita, qui galèam ipsam aggressi, & audacter occupatam ceperunt. Comes namque Guilelmus Vintimilii ignorans conventionem factam inter Commune Januae, & Manuelem fratrem suum, & quam ipse propria sponte interveniente vinculo juramenti firmaverat, oblitus & beneficiorum multorum, quae sibi & praedecessoribus suis saepissimè contulit civitas Januae, malè & inhonestè contra fidem versando deseruit civitatem nostram, Vintimiliensibus, quorum regimen & Potestatiam suscepit, ipsis existentibus in contumacia civitatis, cum sui ignominia nequissimè inhaerendo.

Anno MCCXXII. Indictione X. fuit Potestas

stas Dominus Spinus de Sorrexina, Nobilis & discretus Mediolanensis Civis, qui Rempublicam provida circumspectione tractavit, & civitatem in tranquillitate dilectionis & pacis pariter & timore laudabiliter gubernavit. Habuit siquidem ad servitium civitatis duos Jurisperitos, videlicet Conradum de Oldanis Mediolanensem, virum utique probum & modestum, ac suis bonis moribus singulis gratiosum, qui juxta se ipsum ad sedandas lites injuriarum permansit, & Opicinum Salanum Mediolanensem, virum siquidem bonæ opinionis in Consulatu Civium & Foritanorum Officio constitutum. Pro reditibus Communis Januæ recolligendis & exponendis habuit octo Nobiles, videlicet Balardum de Palo, Simonem de Galliana, qui ad Dominum in ipsa Officii dignitate migravit, Ansuisium de Sancto Genesio, Nicolaum de Mari, Guilelmum Ususmaris, Ansaldum de Mari, Sozo Piper, & Lanfrancum Galerinam. Pro justitia verò in Consulatu civitatis Ancelinum de Fontana Placentinum. In Medio autem Guilelmum filium Agathi Picentini. In burgo namque Jacobum de Runco Terdonensem. Qui per justitiæ viam ambulantes Consulatus officium fine laudabili terminarunt. Facta igitur condemnatione, sicut prædictum est, de libris quatuor millibus ab hominibus S. Romuli excipiendis, & citatis ipsis à Domino Spino ad solutionem ipsarum, ecce Archiepiscopus, mediantibus Albinganense Episcopo, Magistro Johanne Archidiacono, Magistro Hugone, & Magistro Bartholomæo Canonicis Januensis Ecclesiæ, Januam redivit, sperans inter ipsum & Potestatem Januæ amicabiliter concordiam invenire. Qumque id facere nequivissent, Archiepiscopo resistente, idem adhuc motus propria auctoritate de civitate recessit, apud Sanctum Andream de Sexto per dies quamplurimos permansurus. Demum verò Papiam processit, ubi sub Judicibus à Romana Curia delegatis, & ad ejus instantiam impetratis, scilicet Episcopo Papiense, & Præposito Sancti Johannis Novarum, contra Commune Januæ controversiam movere incœpit, opponens tacita veritate, quòd bonis Palatii à Commune Januæ fuerat spoliatus, quibus cogebatur egestate nimia mendicare; licèt ex parte Communis Januæ sufficienter foret ostensum id prorsus contrarium veritati confitenti Nuntio suo, quòd pacificè absque alicujus impedimento reditus Palatii colligebat. Nam præfatus Potestas post recessum Archiepiscopi ad exonerationem Communis Januæ per civitatem fecerat præconizari, quòd quilibet Nuntio Archiepiscopi jura Palatii sine molestia assignaret. Pro quibus quum Potestas viros providos & discretos Nicolaum Rosium Canonicum Januensem, & Raymundum de Clavaro Jurisperitum ad Romanam Curiam direxisset, sicut divinæ placuit voluntati, ibi Fati munus impleverunt; de quorum morte civitas Januensis non modicum damnum & gravamen subivit. Postmodum verò Januam venientes venerabiles viri Parmensis Episcopus, & Abbas de Thelieto à Summo Pontifice super hoc Judices delegati, ipsum Archiepiscopum Januam conduxerunt, devotè & humiliter Potestati & Consilio supplicantes, quòd existente causa Molassanæ in eo statu, quo erat, idem Archiepiscopus haberet reditus suos tam maris quàm terræ, secundùm quod consueverat habere, & id quod in S. Romulo videbatur habere. Quibus responderunt, quòd nullam violentiam inde passus fuerat pro Communi, & ideo licitum esset ei reditus ipsos more solito capere & habere.

Pisani verò in Aconensi civitate cum Januensibus ad discordiam pervenerunt, quæ faciente humani generis inimico, adeò pullulavit, quòd inito belli certamine Pisani terga dederunt, & ipsis devictis penitùs & expulsis posuerunt ignem, de cujus incendio illius civitatis pars potissima concremavit, & Turris Communis Januæ miræ pulchritudinis, & altitudinis magnæ, ibi constructa discubuit in ruinam. Quapropter quum Januenses instarent ad evadendas res suas à furore ignis, Pisani suffulti auxilio Regis, reversi ad pugnam, demum hominibus Januæ restiterunt, & eis concrematione ignis damnum non modicum intulerunt. Redeuntibus autem Januam Civibus nostris, Potestas Consilium celebravit, quid inde facturum: ex cujus decreto naves ituras ultra mare apud Berytum disposuit applicare, ibique hyemare, nisi facta esset solutio à Pisanis pro Turris exaltatione, omni prohibitione cessante. Quum igitur Januenses nihil inde consequi potuissent, juxta mandatum ipsius apud Berytum steterunt, ubi à strenuo viro Johanne de Belino Domino Beryti recepti fuerunt, & ab omni præstatione immunes honorificè pertractati. Dominus autem Spinus cupiens omnem discordiam civitatis exstirpare, illam, quæ erat inter Nuvelonum de Camilla ex una parte & filios quondam Pignoli, & Belmustinum filium quondam Rolandi Belmusti ex altera, & illam, quæ inter Albertum filium Guilelmi Balbi, & filios quondam Ancellini de Castro capitaliter vigilabat, viriliter extinguens, eos beneficio pacis ad concordiam divina favente clementia revocavit. Contigit autem, quòd quum sagittea Vintimiliensis non solùm ad nostram, verumetiam ad singulorum offensionem iter arripuisset, à galêa Portus Veneris in custodia ad soldum Communis Januæ existente, cui præerat Gallus de Portu Veneris, fuit viriliter insequuta, & ea existente prope Cornetum, sicut divinæ placuit voluntati, nimia cursus velocitate ipsam prostratam ad terram cum majori parte hominum cepit, qui fuerunt de melioribus Vintimilii per fugam evasis, quos universos civitas Januensis Dei reverentia & timore, licèt omnes crederent ultimo supplicio subjacere, conservans intactos, tantùm carceris custodiæ mancipavit. Ceterùm autem qui pauci in civitate remanserunt, considerantes debilitatem suam, cognoscentes etiam, quòd Dei voluntati ac magnæ potentiæ Januensis urbis resistere non valebant, Nuntios suos Januam direxerunt, de commissis Dei intuitu misericordiam cum satisfactione debita postulantes. Jam dictus verò Potestas cum sapientibus civitatis pietate commoti, intendentes quòd utilius erat Communi Januæ reservare, quàm destruere civitatem, eos ad mandatum Communis Januæ receperunt. Itaque salvis personis, & civitate, & eorum possessionibus, Commune Januæ ibi haberet omnem jurisdictionem, dominium, & facultatem creandi Potestatem, ac reditus accipiendi, & construendi castra in omni loco ipsius civitatis, & extra, secundùm velle suum, pro ut continetur in Instrumento inde facto per manum Marchisii Scri-

Scribæ. Unde Januensis Potestas tam pro his firmandis, quàm juramentis accipiendis, Nobiles viros Guilelmum Lercarium, & Nicolaum de Nigro apud Vintimilium destinavit. Reversis itaque ipsis, Dominus Spinus cum quibusdam Nobilibus civitatis & gente sua guarnitis in die Festivitatis B. Mariæ civitatem intravit, & recepta possessione & dominio pro Communi Januæ illius civitatis, & receptis cautionibus & præstitis juramentis à Potestate Vintimilii, Consiliatoribus, & Universitate illius civitatis, & designatis locis, ubi castra fieri debebant, ad propria feliciter remeavit. Quorum unum fieri fecit in Apio, & alterum in superiori parte civitatis in arce, opus quorum incœptum fuit hoc anno, & in sequenti mirabili providentia ac laudabili probitate expletum. Pro constructione quorum terras & domos tunc ibi residentes & spatium juxta castella ipsa relictum Commune Januæ, pro ut ex pacto promissum fuerat, de proprio comparavit. In castro verò civitatis ad illius custodiam designavit Nobiles viros Marinum de Burgaro, & Guilelmum de Savignono cum servientibus centum, & in altero Ugolinum Bucceum, & Ottonem de Mursa cum totidem servientibus. Muros quoque undique extra civitatem constructos jam dictus Potestas dirui fecit penitùs & evelli. Et insuper ad regimen illius civitatis pro Communi Januæ, & nomine ipsius Communis, Potestatem constituit nobilem virum Sorleonum Piper, de cujus regimine juramentum subivit in ordinatione & mandato Januæ Potestatis, & quidquid habuit de mandatis & bandis, facta ratione in Consilio, Communi Januæ consignavit. Reditus namque civitatis per nobilem virum Simonem de Burgaro nuntium Communis Januæ illuc missum fecit publicè incantari, accepto eorum pignore & pretio ad usum & utilitatem Januensis Communis.

In die Nativitatis Domini, de cujus celebritate tota civitas congaudebat, ad singulorum terrorem & correctionem malorum, omnibus ferè ad prandium discumbentibus, ingenti ac perfido terræmotu nos divina Clementia visitavit. Sed nisi sua Misericordia restitisset, profectò tota civitas, quæ diu in corruendi periculo laboravit, quum illo terribilior numquam à seculo fuisset sentitus, submersa penitùs ad ima præcipitasset. Post cujus quietem universus Populus civitatis ad Ecclesiam B. Laurentii fideliter & devotè concurrens, cepit Reliquias B. Johannis Baptistæ, & aliorum Sanctorum, quas summa cum devotione ac lacrymabili voce per civitatem portavit, delictorum veniam à Deo misericorditer petiturus. Post hæc autem quum in die Circumcisionis terram debere vehementer agitari fama referret, tam universi quàm singuli ferè cœperunt relinquere civitatem, de foris loca spatiosa quærentes, ubi esset vitæ remedium invenire. Adveniente verò Archiepiscopo Januensi, qui absens erat, sicuti jam dictum est, congregavit Clerum & Populum Januensem, & ad mitigandum divinum Judicium cum Sanctuariis totam civitatem undique circumivit; propter quæ civitas à tanto cruciatu ipsius terræmotus divina favente clementia exstitit liberata. Brixia verò ex visitatione ipsius terræmotus, qui totam ferè Italiam occupavit, tam murorum destructione, quàm virorum occisione, maximam persequutionem præsensit. Quum autem Dianenses, spreta justitia civitatis pariter & timore, in homines, sed nulla justa causa interveniente, audaciter insævissent, & eos crudeliter dissipassent, jam dictus Potestas, habita tamen confessione eorum, eos in libras DCCC. & Albinganenses in CC. qui ad hoc eis præstiterant auxilium & favorem, pro officio suo condemnavit. Savonenses verò pro guasto facto hominibus Nauli similiter in libras M. Januinorum Communi Januæ condemnavit.

Anno MCCXXIII. Indictione XI. fuit Potestas Spinus de Sorexina, qui confirmatus in hoc anno secundo, civitatem ad libitum suum viriliter gubernavit. Habuit siquidem juxta se ipsum, sicut prædictum est, Dominum Conradum de Oldanis, & vice Domini Opizonis Salani in officio Consulatus Civium & Foritanorum Dominum Albericum Paschalem Mediolanensem Civem, virum utique providum & constantem. In administratione Communis Guilelmum Ugonis Embriacum, Thomam Ventum, Jordanum Richerium, Antonium Pollecinum, Henricum de Nigro, Bonvassallum Sardenam, Johannem Spinulam, & Rubaldum Amaynum. Pro justitia verò in Consulatu civitatis Ruffinum de Porta Placentinum. In Medio Lanfrancum de Caravazo Cremascum. In burgo Magistrum Johannem Terdonensem, viros siquidem providos & discretos, qui æqua lance viam rectitudinis tenuerunt, & semitas justitiæ laudabiliter promulgarunt. Contigit quòd quum Raynaldus Archantus nobilis Januensis Civis cum quadam nave sua mercibus Christianorum & Sarracenorum onusta, in qua Seibulaude Dominus Tunesi non modicam quantitatem pecuniæ dirigebat, de Tunesi iter arripuisset, in Hispaniam profecturus, coactus nimia repletione aquarum ingredientium navem ipsam apud Massiliam applicuit, ubi recepta securitate à Communi ipsius civitatis habendi liberè aditum & egressum, cum nave & onere ipsius navis intravit Portum Massiliæ. Quumque ibi non post longum temporis spatium permansisset, homines Massiliæ maligno spiritu ducti, cogitantes qualiter possent ab ipso Raynaldo iter ipsum subripere, inter ipsum & Sarracenos subdolè suggesserunt, quòd ipse Raynaldus eos proposuerat interficere, ac bonis suis penitùs spoliare. Quapropter Sarraceni ira commoti, adeuntes præsentiam Massiliensis Potestatis, de ipso Raynaldo conquesti sunt, dicentes, quòd secum ire nolebant, exigentes etiam ab eo pecuniam à Seidebulaude sibi commissa. Ad cujus pecuniæ dationem quum ipse Raynaldus ab ipso Protestate crudeliter urgeretur, nec sibi prodesset quòd in sui auxilium allegabat pecuniam sibi tantùm fore commissam, ignorantibus Sarracenis juxta mandatum Domini Tunesis defendendam, & alia multa, quæ ipsum Potestatem ad ipsam dimittendam in virtute Raynaldi satis debebant inducere, & inde cogitavit qualiter posset evadere manus ejus, ac suum pravum judicium evitare. Unde consilio Martini Castaneæ Clavigeri ipsius Potestatis pecuniam ipsam studiosè abscondit, ac de civitate occultè discessit, ut ex ipso Potestate ipse vel alius pro eo posset moderatas petitiones & congruas faciliùs invenire. Cujus recessus postquam ad notitiam ipsius Potestatis devenisset, post ipsum statim perrexit, & captum non longè à civitate cum maximo dedecore & ignominia ad ipsam civitatem reduxit carceribus mancipandum.

dum. Cujus ipsius infortunium aliter quàm rei veritas se habebat, Potestati nostro, qui absens erat, quum per suas literas intimasset Vicario ejus, literis ipsius fidem omnimodè adhibente, habito deinde Consilio responderunt, quòd Raynaldum diligenter faciant custodiri, quousque Potestas super hoc suam pleniùs exponeret voluntatem. Adveniente igitur Potestate, opportunè Consilium celebravit, ex cujus decreto Nobiles & discretos viros Henricum Regiatum Militem suum, & Simonem de Burgaro, & Marchisium Scribam apud Massiliam destinavit, eos sub juramento cogendo, quòd ipsum Raynaldum modis omnibus habere studerent, & vinctum in vinculis ferreis, si haberent, Regi Elmiralmumanim fideliter ducerent puniendum. Applicantibus ipsis apud Massiliam ipsum cum summa instantia postulantes petierunt; quapropter viso ab eis tenore conventionis & pacis, quæ inter nos & Massilienses vigebat, commoverunt ipsum Potestatem, quòd tam ipsum Raynaldum, quàm ceteros Januenses, qui de pelago ibi advenerant cum mercibus suis, cogeret Januam remeare; ad quod ipse respondit, quòd de pace non tenebatur, quum nullum de observatione ipsius subiisset juramentum. Propterea rogaverunt ipsum, quòd Vintimilienses, de quorum offensione conquerebatur, postquam fraternè tractabant, deberet in sua amicitia revocare. Quorum precibus quum nollet aures benignas præstare, jamdicti Legati ad propria redierunt, quæcumque gesserant Potestati & Consilio Januæ enarrantes. Unde Potestas datâ Vintimiliensibus licentiâ offendendi, cum duabus galêis illico exierunt, & navem Legati Massiliæ, quam Tunesim fraudulenter direxerant, in Portu Tunesis divina concedente clementia, & alia multa de rebus ipsorum ceperunt.

Post hæc autem quum Jacobus Carlevarius Massiliensis Potestas, finito tempore sui regiminis, ad propria remearet, jactando quòd malam voluntatem Communis Januæ, & propinquorum Raynaldi per partes nostras evaderet, appropinquante eo apud Albinganam, ubi per terram dirigebat gressus suos, captus fuit & ductus Januam custodiæ mancipatus. Facta demum absolutione ipsius ad postulationem Ambaxiatorum Mediolani, qui propterea Januam accesserunt, Massilienses cognoscentes suum delictum, Legatum suum Januam direxerunt, qui post multos labores adhibitos in pacis reformatione, antequam id posset perducere ad effectum, se facturum promisit non solùm Raynaldum à carceribus liberare, verùm & damnum, quod passus fuerat, ad beneplacitum Potestatis Januæ in integrum emendare: quod utique ad honorem Communis Januæ fecit fideliter adimplere. Quum igitur Januenses tam propter accusationem, quam odiosè fecerat Legatus Massiliensis de Raynaldo & hominibus Januæ, quàm propter navem, quam ceperant Vintimilienses, à Seidebulaudo Rege Tunesis malè & indebitè tractarentur, præfatus Potestas ex decreto Consilii Nobilem virum Simonem de Burgaro, & Marchisium Scribam in Legatos direxit. Qui homines Januam in proprio statu suo de bono in melius conservantes, quod fuerat stabilitum de restauratione facienda ab hominibus Januæ de his, quæ ceperant Vintimilienses, in irritum deduxerunt, ac denuo cum eodem Rege pacis fœdera cum acquisitione fundici, balnei, & furni laudabiliter inierunt. Insuper jam dictus Potestas ante Legationem jam dicti Simonis de voluntate Consilii Nobiles viros Henricum Molasanam, & Nicolam Embronum ad Regem Marochi pro reformatione pacis ipsius in Legatos direxit.

In hoc anno Sarraceni Siciliæ rebelles facti sunt Domino Friderico Romanorum Imperatori, quorum perfidiæ quum strenuus Comes Maltæ Henricus ad honorem Imperii viriliter repugnasset, demum quia de offensione ipsorum se justissimè excusavit, ad quam inferendam cum parvissima acie bellatorum eum mittere satagebat, ipsum fecit carceris custodia mancipari, & dominio & gubernatione Maltæ privari. Sed demum nulla restitutione facta de castro Maltæ, in suam gratiam reconciliavit. Castrum Peretæ, quod vir nobilis Ugo Marchio de Carretto detinebat injustè, de virtute Henrici de Uxerio Marchioni subreptum, jam dictus Potestas strenuè recuperavit, & ad instantiam & preces ipsius Henrici pretio librarum MMM. Communi Januæ acquisivit, sicut continetur in Instrumento per manum Marchisii Scribæ inde confecto. In cujus venditione quum omnia jura, quæ habebat in Castro Delphino ad prædicti Curiam pertinentia Communi Januæ tradidisset, citato jam dicto Ugone, qui ipsum tenebat, multoties ad restitutionem ipsius, quum ipsum reddere non curaret, præfatus Potestas Consilium celebravit, ex cujus decreto injunxit Thomæ Furnario de Castellano prædicti possessionem ipsius castri accipere pro Communi. Quamobrem quum grataanter habere non posset, cum parte hominum prædicti ad locum ipsum accessit, & ipso aggresso per violentiam intra Dumgioni ambitum intravit, & mœnia ipsius concremando destruxit. Sed quum Turrem subjugare non posset, eo dimisso ad propria remeavit. Quum igitur ad Potestatis notitiam pervenisset, statim homines Januensis districtus à Janua usque Naulum solicitavit ad castrum ipsum expugnandum ituros. Unde quum quidam de hominibus Savonæ prope ipsum castrum apud locum Tanavetæ hospitatum ivissent, homines existentes ad custodiam castri Delphini in eos quadam nocte fecerunt insultum, & septem ex Savonensibus crudeliter occiderunt. Ex quorum morte jam dictus Potestas nimio furore commotus, universos homines Januæ & districtus tam literis quàm voce præconia concitavit, quòd ipsum sequi deberent ad ipsum castrum capiendum, præmittens ad gentis gubernationem Militem suum Henricum Rogiatum, & Rubaldum Annuinum cum eo. Quumque apud castrum Stellæ meatu celeri pervenissent, homines castri Delphini certiorati de eorum adventu, statim castrum descenderunt, & homines, qui in eo erant, per fugam evadere cogitarunt. Euntes autem nostri ad castrum, ipsum munierunt, & pro Communi Januæ custodire fecerunt.

Post hæc autem, quia ferebatur, Nobilem virum Ugonem de Carretto culpam incurrisse quinquaginta hominibus interfectis, Potestas eum, & patrem appellavit, quòd Januam venire deberent suis ordinationibus parituri. Quumque venire differrent, jam dictus Potestas sub certa pœna eis Januam veniendi terminum assignavit. Veniente autem Ottone juravit mandatis Potestatis parêre, cui præcepit,

pit, quòd castra Cari, & Dei, de quibus donationem fecerat Communi Januæ, deberet in virtute ipsius Communis, vel Nuntiorum suorum ponere & liberare. Euntibus autem Nuntiis, castra ipsa, quæ occupaverat præfatus Ugo, nullatenus habere potuerunt. Quum igitur jam dictus Potestas præfatos Ottonem, & Ugonem condemnasset in quamdam pecuniæ quantitatem, demum adveniente Ugone juravit mandatis Potestatis & ordinationibus obedire. Unde traditis castris & positis in virtute Communis Januæ, demum rogatu hominum Januæ pœnam ad quantitatem librarum . , ... taxavit Communi Januæ pro recompensatione interfectorum, ac rerum ipsorum, quæ amissæ fuerant, dispofuit erogandas. Propterea Balduinus de Vezano cum filiis suis Paganello, & Raymundo & cum hominibus suis de Vezano, & cum hominibus de Vesigna, Pulverara, & Bevelino in compagniam Januensium intraverunt, supponentes se vinculo juramenti mandatis Communis Januæ ex tenore ipsius compagniæ; ac promittentes castrum de Vesigna reddere Communi Januæ guarnitum, secundùm quod continetur in Instrumento facto per manum Marchisii Scribæ. Quod quidem quum molestum esset ceteris Dominis de Vezano, contigit, quòd Guiraldus de Villano, & filii quondam Ubaldi de Parente cum quodam Ligno armato stratam maris ausu temerario violantes ceperunt prope Portum Veneris quosdam Lucenses Januam venientes, & bonis suis penitùs spoliarunt. Unde quum ad restitutionem rapinæ tam literis, quàm viva voce per Nobiles Nuntios Communis Januæ Ingonem de Volta, & Ugolinum Cancellarium fuissent sæpissimè requisiti, non solùm ea reddere neglexerunt, verumetiam meditantes injuriam majoribus cumularunt; nam congregata multitudine militum & peditum unà cum Episcopo Lunense castrum Trebiani hostiliter invaserunt, ac cum machinis fortiter impugnarunt. Aldebrandus Vicedominus & Vassallus Communis Januæ, vir utique strenuus & discretus unà cum hominibus Portus Veneris, qui in ejus succursum ingressi fuerant castrum ipsum, eorum opinioni viriliter resistentes, non solùm castrum ipsum ab ipsorum impugnatione strenuè defenderunt, verumetiam turrem consortum ejus positam in castrum ipsum eis contra eum dimicando, ceperunt. Ceterùm quum ad notitiam Potestatis ipsius castri oppressio pervenisset, illuc cum ea gente, qua potuit, in succursum castri festinanter perrexit, & inimicos ab obsidione ipsius cum magno dedecore ausugavit, dissipando & concremando terras ipsius Episcopi, & quædam castra de partibus illis honori Communis Januæ subjugando. Insuper & quasdam personas de adversa parte cepit infra castellum ipsum, quas Commune Januæ tamdiu detinuit, quòd de rebus Lucensium ablatis restitutio in integrum facta fuit. Præterea illi de Mirbello sua sponte Januam accesserunt, & se, & sua, & specialiter castrum Elmæ, sub conditione recuperandi in feudum, Communi Januæ tradiderunt, sicut continetur in Instrumento facto manu Marchisii Scribæ. Andreas quoque de Massa quondam filius Pallodini, de discordia, quæ vertebatur inter ipsum & Commune Januæ, ad tranquillitatem dilectionis & pacis pervênit, faciendo finem & remissionem & pactum de non petendo, & de omni jure, ratione, & actione sibi competenti in castro Pallodii, & pertinentiis suis, & pedagio Gavi, secundùm quod continetur in Instrumento inde facto manu Bonvassalli Caligepalii. Pro quibus Commune Januæ ei libras C. singulis annis in pedagio Gavi habendas & percipiendas liberaliter assignavit, & insuper ipsum, & filium Nobilis viri Oberti de Montobio cum eo militari cingulo decoravit. In hoc anno Dominus Philippus sublimis Rex Francorum, sicut divinæ placuit voluntati, ex hac luce migravit, in cujus loco Dominus Lodixius Illustris filius ejus Regali infula decoratus successit feliciter & lætanter.

BARTHOLOMÆI SCRIBÆ ANNALES GENUENSES

AB ANNO MCCXXIV.

LIBER SEXTUS.

„ *Hic priùs incœpit res gestas Bartholomæus*
„ *Scribere, cui requiem det Pater ipse Deus.*

A Nno MCCXXIV. Indictione XII. fuit Potestas Dominus Andreolus de Bononia, qui habuit juxta se ipsum Fulconem de Saragosa Jurisperitum, & in officio Consulatus Civium & Foritanorum Ugolinum Presbyterum, Bononienses Cives. In Consulatu de justitia Guilielmum filium Agathi Placentinum. Pro civitate Petrum Laurentium Astensem. Pro Medio Conradum. Pro burgo in Officio octo Nobilium, Raymundum de Volta, Guilelmum Buscam, Ingonem Castaneam, Nicolaum de Carmandino, Antonium Lomellinum, Lanfrancum de Mari, Jacobum, Pignolum, & Jacobum de Guisulpho. In hoc anno jam dictus Potestas ex decreto Consilii Nobiles viros Paganum de Rodulpho, & Henricum de Domoculta ad Dominum Imperatorem in Legatos direxit, & post eorum reditum Nobilem virum Ingonem de Volta, qui de Communis negotiis non potuerunt aliquid perducere ad effectum. Commune verò Januæ naves duas cum totidem galêis armavit ad insequendas duas naves Provincialium armatas pro offensione nostra à Comite Guilelmo, & Comite Impunar, tam de gente sua, quàm Catalanorum, & Massiliensium. Quas naves nostræ, divina Clementia faciente, ceperunt, & Januam cum hominibus conduxerunt, ubi quum diu extitissent carceribus mancipati, demum, Dei reverentia & timore, pars eorum absolutionis veniam consequuti fuere. Domini verò de Vezano existentes in contumacia civitatis, venerunt mandatis & ordinationibus jam dicti Potestatis in omnibus & per omnia pariturі, componentes ad voluntatem ipsius, secundùm quod continetur in Instrumento facto per manum Marchisii Scribæ. Alexandrini verò quum super eorum concordia diu pertractatum fuisset, nec vellent ad compositionem aliquam pervenire, nisi Villam Capriatæ haberent, quam ad se pertinere dicebant, de qua sub examine communium amicorum Commune Januæ offerebat facere rationem, demum cum Terdonensibus conspiraverunt, qui eodem modo Arquatam, de qua dationem fecerant Communi Januæ, sicut ex conventione apparet, à Communi Januæ postulabant renuntiationes juri parêre sub Communi Mediolanensium, per cujus arbitrium inspecto tantummodo conventionis tenore Commune Januæ definire volebat. Unde spreto Dei timore, & vinculo juramentorum, quibus Communi Januæ tenebantur, obliti etiam beneficiorum multorum, quæ in dilectione nostra accipiebant, & sæpissimè recipiunt, guerram contra Januenses & civitatem ausu temerario incœperunt, facientes insultum prope castrum Pereti, ubi damnum & dedecus receperunt.

Postea verò congregato exercitu unà cum Terdonensibus, Vercellensibus, & Mediolanensibus apud Capriatam venerunt; ibi castrametati damnum, quod potuerunt, in guastandis vineis & arboribus intulerunt. Sed quum Commune Januæ Villam strenuis bellatoribus in quantitate maxima præmunisset, & fabricato ibi trabuco, cum quo Bonus senior de Arena vir probus & ingeniosus adversæ partis machina destruebat, frustrati cogitatione sua nihil in ea perficere valuerunt. Imò, quod non est prætermittendum, gens nostra, dimissis Portis ipsius Villæ apertis, in occursum inimicorum foràs exibant, & manualiter cum eis pugnabant. Dominus autem Andreolus, Januæ Potestas, postquam de adventu inimicorum certior factus fuit, commonitis militibus & peditibus civitatis voce præconia, & per literas homines Januensis districtus, Vassallos pariter, & amicos, quòd quilibet eum sequi deberet, statim apud Gavium perrexit, ubi quum per quamplures dies moram fecisset, demum eo adunato undique exercitu civitatis ad insultandum hostes disposuit equitare. Hostes verò certiorati de adventu exercitus cum maxima quantitate ibi pro (1) machinis lata terga dederunt, & fugiendo versùs partes Alexandriæ redierunt. Quum igitur eorum recessus ad Potestatis notitiam pervenisset, habito inde consilio cum exercitu, direxit gressus suos ad castrum Montaldelli, quod pro hominibus Alexandriæ tenebatur, & ipsum muri aggere fortissimum in brevi temporis spatio ceperunt, & captum penitùs destruxerunt. Homines quoque ibi captos carceris custodiæ mancipavit. Quo facto exercitus noster cum triumpho Januam remeavit. Alexandrini verò cum his, qui secum erant de civitatibus prænominatis, post recessum nostrorum ad Taxarolium perrexerunt; unde quum homines illius loci eis temerè occurrissent ad præliandum cum eis, relicto castro desguarnito, quidam de Alexandria ex improviso per quemdam tramitem transierunt ad castrum, & ipsum ingredientes, antequam Burgenses se recolligere possent, ceperunt & penitùs concremarunt. Post hæc autem Terdonenses cum Alexandrinis apud Arquatam iverunt, & quum ibi manganos erexissent in castrum, ac ipsum prœliarentur, Potestas postquam audivit, apud Vultabium equi-

(1) *fortass.* relictis.

equitavit. Demum verò ad supravidendum exercitum inimicorum ad castrum Montisalti perrexit. Ipsi namque quamcito audierunt de ejus adventu, dimissis manganis, fugiendo ad propria recesserunt. Potestas quidem ex decreto Consilii pro hac guerra equos & arma imposuit tam infra civitatem, quàm extra per districtum Januæ, & mutuum de solidis XX. per centum inter Cives composuit colligendum, & de mobilibus denarios II. & de immobilibus denarios I. cum dimidio ab his, qui in exercitu non iverunt, deductis septuagenariis, infirmis, magagnatis, & absentibus, qui super mare erant, quamdam pecuniæ quantitatem gratis dandam Communi extorsit. Ultra Jugum ab hominibus locorum nostrorum elegit usque in . . . . quibus Commune equos dedit V. libras . . . . unicuique pro equo, & insuper solidos II. Papienses pro die, quamdiu in servitio Communis extra à suis limitibus morabantur. Et insuper alios milites habuit ad soldos in partibus ipsis, quorum regimini constituit militem suum Petrum de Querceto virum utique providum & discretum, qui multa damna Terdonensibus & Alexandrinis intulerunt. Discordiam verò, quæ vertebatur inter Commune Januæ, & Aldebrandum Vicedominum ex una parte, & filios quondam Ubaldi de Parente, & Justamontis ex altera, interveniente beneficio pacis sedavit.

Anno Dominicæ Nativitatis MCCXXV. Indictione XIII. fuit in regimine civitatis Januæ vir Nobilis Brancaleo de Bononia filius Andalonis. Cum ipso verò Judices duo, quorum unus videlicet Sigenzellus vir providus & discretus pro maleficiorum litibus audiendis; & alter, scilicet Henrichettus de Albario, pro Consule Civium & Foritanorum, Scribis ejus in ipso Consulatu Jacobo de Auria, & Guilelmo Sapiente. Guiraldus Gosberti pro Consule civitatis, ejus Scribis existentibus Henrico de Bisamne, & Stephano Johannis de Giberto. Algisius verò de Bergamo pro Consule civitatis & burgi, Scribis ejus Oberto de Langasco, & Magistro Urso, & Obertus Madius Cattaneus pro Consule burgi, Scribis ejus Vassallo Vicecomite, & Bartholomæo. Scribæ verò Communis fuerunt Bonusvassallus Calligepalii, & Marchius Vassagallus, & Ambrosius Oliverius, & Madius. In hoc quidem anno fuerunt octo Nobiles viri constituti pro introitibus Communis recipiendis & expendendis, Merlus de Castro, Guilelmus Mallonus, Guilelmus Scottus, Guilelmus Guercius, Obertus Auriæ, Fridericus Grillus, Ingo de Grimaldo, & Jacobus Piccamilium. In eodem quidem anno perduravit guerra inter civitatem Januæ ex una parte, & Alexandriam atque Terdonam ex altera. Quum vir prudens & nobilis Obertus Advocatus esset Potestas pro Communi Januæ ultra Jugum apud Gavium constitutus, & vir strenuus & providus Petrus Ventus, apud locum, qui dicitur Capriata, mense Aprilis quidam proditor vir maledictus Petrusbonus de Gavio cum Alexandrinis & Terdonensibus pepigit, & occultè & malitiosè tractavit, ipsisque promisit dare, & in eorum potestate ponere burgum Gavii. Nam quum esset homo dives, & in burgo atque territorio Gavii possessiones & divitias plurimas possideret, Commune Januæ de ipso plurimùm confidebat, in tantum etiam quòd claves ipsius burgi sibi concesserat ad tenendum. Unde mense Aprilis Commune Alexandriæ unà cum Terdonensibus cum universa militia & Populo ipsarum civitatum cupiens ad effectum deducere quod cum ipso tractaverat proditore, per totam noctem sinè magno strepitu gradientes, ad partes Gavii accesserunt, & ipsum burgum sub diluculo à quibuscumque potuerunt partibus circumdederunt; sed, sicut divinæ placuit voluntati, quum locus ipse optimè custodiretur, & bene munitus esset, inimici memorati spe sua frustrati exinde cum verecundia recesserunt. Ipse verò proditor tamquam sibi conscius, procurans sui corporis saluti consulere, filium suum præmittendo cum tota familia sua & rebus, quibus potuit, Alexandriam properavit, & ejusdem loci habitatorem se fecit. Ipso verò mense Aprilis vir discretus Marchisius Scriba Communis de hac luce migravit, loco cujus Magister Bartholomæus fuit postea mense Augusti in Vigilia B. Mariæ Virginis Scriba Communis Januæ constitutus.

In Calendis verò Madii quum prædicti Potestates de ultra Jugum, scilicet Ubertus Advocatus, & Petrus Ventus privatim universos milites soldarios, & qui habitabant in castris nostris, qui fuerunt milites CCC. cum illis de Vultabio, Gavio, Palodio, Capriata, Montalto, Arquata, & aliis locis, summo mane unà cum peditibus, relictis tantùm ipsis locis bene munitis, supra terram Terdonensem perrexerunt, & specialiter Preceplanum, ipsum burgum hostiliter debellaverunt, homines & bestias inde deducerunt. Quum autem ad locum, qui Valle dicitur, essent cum incolumitate reversi, ecce fuerunt eis obviam apud Lavandariam Terdonenses, & milites septuaginta Alexandrini sub uno vexillo. Unde nostri milites in nullo perterriti, sed etiam congavisi, invocato Christi & B. Georgii nomine, ad eos currentes viriliter, ipsos ter in fugam miserunt; & quum nostri possent sinè damno redire Gavium cum triumpho, sicut per proditores res exstiterat pertractata, subitò Alexandrini cum tota eorum militia & universo Populo advenerunt. Sicque ambæ civitates milites & pedites quasi fessos undique circumdantes converterunt in fugam, XXVII. de nostris militibus retinentes, quorum XII. de civitate erant, & alii morabantur ad soldos. Insuper & pedites CCCC. Alii verò se apud Gavium & Vultabium receperunt. Quo audito, rumor maximus factus est in Janua civitate. Unde vir prudens & nobilis Brancaleo Potestas, omni dilatione postposita, in ipso sero arripiens iter, & ad lumen per totam noctem itinerando, licèt esset ægrotus, pervênit Gavium, ipsumque locum & alios de ultra Jugum muniens, & homines ipsorum locorum confortans, & quæ tunc temporis ibi facienda erant pertractans, Januam celeriter est reversus. Eodem verò mense quum Alexandrini & Vercellenses cum eorum exfortio terram Astensem, & specialiter locum, qui Calumandrino dicitur, hostiliter invasissent, & Astenses pro defensione dicti loci apud Canellas armata manu venissent, dictus Brancaleo, qui Gavii erat infirmitate gravatus, & ad evitandum clamorem gentium & tumultum, & propter aëris puritatem apud Monasterium S. Johannis de Pavairano jacebat ægrotans, hoc audito confestim accessit Januam, & ex decreto Consilii Gavium properavit, secum ducens tres milites

tes suos, Ugolinum Carbonum, & Corginanum, & Sigencellum Judicem suum. Henrichettum verò de Albario Consulem Civium & Foritanorum Januæ loco sui dimisit, qui voce præconia per civitatem Januæ præcepit, quòd omnes milites, arcatores, & balistarii Potestatem sequerentur. Postmodum verò præcepit, quòd tam interiùs, quàm exteriùs vadat exercitus generalis, secundùm quod à dicto Potestate receperat in mandatis. Unde, sicut mos est, de die in diem Januensis exercitus prædictum Potestatem cum necessariis Gavium præcedebat de diversis partibus & longinquis. In quo exercitu fuerunt milites MCC. connumeratis in eis militibus C. Comitis Sabaudiæ; qui Comes Thomas de Sabaudia per instrumentum & pactum inde factum cum CC. militibus & nostris Burgensibus usque ad menses duos stare in exercitum ad servitium Communis Januæ tenebatur, & inde habere debebat, & habuit libras XXVI. pro milite cum Donzello armatis, & duobus scutiferis omni mense, & pro sua persona C. marchas argenti, & pro Capitaneis tribus pro quolibet libras L. & emendatione damni equorum prædictorum, & magnatorum nihilominus & armatorum. Qui Comes venire non potuit infirmitate detentus, sed dictos milites CC. Gavium delegavit, C. videlicet in exercitu, & alios C. post exercitum ad custodiam Gavii, & aliorum de ultra Jugum locorum.

In ipso verò exercitu fuerunt viri Nobiles Lotheringus de Martinengo Civis Brixiensis cum militibus L. quorum quisque erat cum duobus equis, & cum tribus scutiferis, & donzellis bene armatis. Quos omnes dictus Lotheringus in obsequium Communis Januæ duxit liberaliter & decenter. Item fuerunt in exercitu memorato Comites omnes Lavaniæ, & Vassalli nostri de Lunexana, Comites Vintimilii, Otto & Henricus Marchiones de Carretto, Otto Marchio Clavesanæ, Marchiones de Ceva, Guilelmus Marchio de Bosco, universi Castellani Garretii, & Vallis Tanari, & plures alii Marchiones, & Castellani, & alii nobiles & egregii Viri. Qui dum apud Gavium essent, & non invenirent obstaculum, Dominus Brancaleo Potestas, receptis etiam literis ab Astensi Potestate, cum quibus Commune Januæ occasione ipsius guerræ conventionem habebat & pactum, ex decreto Consilii milites CCC. optimè armatos quemlibet cum savinerio & duobus scutiferis, item balistarios XX. equitantes, & alios C. pedites cum balistis tamen de cornu, in servitium Astensium, & inimicorum offensionem transmisit. Qui ab Astensibus cum maximo gaudio recepti fuerunt, ibique per spatium unius mensis & ultra morantes ad expensas semper Communis Januæ, Alexandrinorum loca quamplurima concremarunt; & civitatem Albæ usque ad muralia & portas ipsius civitatis vastarunt; & quamplures ex hominibus ipsius urbis ceperunt, quos ad carceres Astensium deduxerunt. Qui dum in Astensium steterunt servitio, ipsi Astenses in personis vel terris suis nullum damnum, nullamque offensionem ab hostibus receperunt. In ipsis verò militibus Ugolinus miles & socius Potestatis, Petrus Ventus, & Obertus Advocatus fuerunt Capitanei & majores. Sed quoniam post dulcia aliquid amaritudinis, & post gaudia, vel etiam inter ipsa gaudia juxta cursum fortunæ aliquid tristitiæ consuevit subsequi, Dominus Brancaleo Potestas miles formosus & sapiens in Castro Gavii (proh dolor!) viam carnis ingressus est universæ.

Unde universi de exercitu de morte ipsius condolentes virum sapientem & providum Singecellum Judicem suum in regimine civitatis & totius exercitus in pleno Consilio concorditer elegerunt, quousque Januam reversus esset exercitus, & Potestatem eligerent, & haberent juxta formam Capituli de electione Potestatis vel Consulum facienda per Consiliarios; ipsumque Singecellum in plena concione dicto modo unanimiter confirmaverunt. Qui sicut vir discretus post mortem dicti Brancaleonis negotia civitatis & totius exercitus cum maxima diligentia & solicitudine laudabiliter pertractavit. Et quum Alexandrini & Terdonenses unà cum militibus CC. & ampliùs de Mediolano congregati essent apud Serravallem cum toto eorum exfortio, manifestè dicentes, quòd pro exercitu Communis Januæ non dimitterent, quin ad obsidionem Arquatæ venirent & starent: placuit Consilio & Domino Singecello partem hominum exercitus nostri ad debellandum castrum Terdonensium, quod Montenarius dicitur, destinare, quibus constituti & assignati fuerunt Capitanei & Majores duo ex octo Nobilibus, Merlo videlicet Merleonis de Castro, & Ingo de Grimaldo. Et quum propter arduitatem loci, quoniam castrum non posset manualiter expugnari, nec etiam scalas apponere commodè, licèt quidam ex nostris, frustra tamen, personas more solito periculis objectantes, scalas apposuerunt, ipsumque viriliter expugnarunt; adeò, quòd incredibile videtur, trabuchettum unum brevi temporis spatio construxerunt; & dum castri muralia lapidibus maximis verberarent, & aliquot intus lapides projecissent, ita quòd ipsius castri cisternam diruperant, & per spatium viginti octo dierum ad ipsius loci obsidionem & expugnationem stetissent, quum se tueri non possent homines dicti castri, nec inde recedere quovis modo, securitatem & fiduciam impetraverunt cum armis & rebus Castellanorum, & servientium exinde recedendi. Et sic nostri die XIV. mensis Julii dictum castrum feliciter habuerunt. Quo audito nostris inhæsit gaudium & lætitia, Terdonensibus verò & eorum parti dolor & tristitia, atque metus in tantum, quòd illi qui erant apud Serravallem stupefacti ac perterriti segregatim recesserunt exinde cum rubore. Exercitus verò noster dum staret apud Gavium spatio sexaginta dierum & ultra, loca plurima & Villas Alexandrinorum devastavit & igne combussit, homines & bestias captivos exinde ducendo.

In mense verò Augusti quum Guilelmus Mallonus, & Federicus Grillus duo ex Electoribus castrum ivissent pro servientibus persolvendis, & de Gavio tenderent Capriatam, ducentes secum milites, qui morabantur Gavii pro Communi, & accipientes milites Capriatæ, qui inter omnes ferè circa CC. milites fuere, iverunt ad locum, qui dicitur Boscus, & inter homines XXIV. de melioribus ipsius loci captos & ligatos & bestias multas duxerunt. Eodem verò mense Augusti quum exercitus Januam remeasset Dominus Singecellus de regimine civitatis Januæ Consilium celebravit, in quo Consilio electus fuit Potestas

ftas Januæ pro menfibus quinque venturis, videlicet ufque ad feftum Purificationis B. Mariæ Virginis, vir nobilis & egregius Ugolinus Dedame de Bononia, qui fecum duxit pro Judice Communis conftantem & fapientem virum Rudolphinum de Thebaldis, & Confulem Civium & Foritanorum Petrum de Borromeo. Qui Petrus propter infirmitatem, quam patiebatur, impetratâ licentiâ per Confilium, Bononiam eft reverfus, & in ejus locum Petrus Manfredini acceffit. Item milites duos Rubaldinum de Panigali, & Sifmundinum de Domofola. Scribas verò Communis, & octo Nobiles, & alios Officiales reftituit, ficut erant. Negotia verò civitatis in ipfis quoque menfibus interiùs & exteriùs tam in negotiis Communis gerendis, quàm in offenfionibus hoftibus faciendis, tractavit fagaciter & prudenter. Confules verò Placitorum unicuique jus fuum integrè confervarunt.

Menfe verò Octobris quum Jacobus Piccamillium unus ex octo Nobilibus pro foldis fervientibus perfolvendis Gavium acceffiffet, & inde deberet pergere Capriatam, quidam Alexandrini de melioribus & probioribus viris ipfius civitatis causâ capiendi dictum Jacobum Piccamilium cum pecunia, quam portabat, versùs Alexandriam in quodam Caftagneto prope nemus Gozoli infidias pofuerunt. Unde hoc audito & cognito Obertus Advocatus Gavii Poteftas de voluntate & confenfu dicti Jacobi Piccamilii milites fuos & aliquot pedites in ipfa nocte armari fecit, & ad prædictos infidiatores greffus fuos feftinanter direxit, ipfofque improvifos fummo mane juxta auroram invadendo, circumdans eos, XLIX. ex ipfis retinuit & ligavit, quos ad carceres Januæ fub cuftodia ligatos direxit. Ipfo quoque anno Guilelmus Marchio Montisferrati, qui apud Romaniam iter arripuerat ad fubjugandum gentes rebelles, quum ibi effet, & jam plurimos fubjugaffet, de voluntate Dei Fati munus implevit.

Anno Dominicæ Nativitatis MCCXXVI. Indictione XIV. fuit in regimine civitatis Januæ Dominus Pecorarius de Mercato Novo Veronenfis. Cum ipfo verò Judices duo, unus quorum fcilicet Johannes de Leniaco vir providus & difcretus pro maleficiorum litibus audiendis, & alter, fcilicet Ventura de Ripa, pro confule Civium & Foritanorum. Scribis verò in ipfo Confulatu Foritanorum exiftentibus Jacobo de Curia, & Guilelmo Sapiente. Guilelmus filius Argadi fuit pro Confule civitatis, ejus Scribis exiftentibus Henrico de Bifamne, & Stephano Johannis de Gimberto. Ægidius de Brixia fuit pro Confule civitatis & burgi, Scribis ejus Oberto de Langafco & Magiftro Urfo. Henricus Rachemus fuit pro Confule burgi, Scribis ejus exiftentibus Vaffallo Comite, & Bartholomæo. Scribæ verò Communis fuerunt Bonufvaffallus Calligepalii, Magifter Bartholomæus, Vaffallus Grillus, Ambrofius Madius, & Oliverius, qui Oliverius II. die Junii diem vitæ claufit extremum, loco cujus conftitutus fuit in palatii medio Dominus Obertus de Corredo. Octo Nobiles pro introitibus Communis recipiendis & exponendis fuerunt. Detefalve de Platealonga, Rubaldus de Alberico, Guilelmus Fornarius, Ugo de Marino, Anfaldus de Nigro, Guilelmus de Orto, Obertus Advocatus, & Nicola Guifulphus. Ipfo quoque anno quum Savonenfes & Albinganenfes, Henricus Marchio de Carretto, & quidam alii Marchiones intellexiffent, Dominum Imperatorem Fridericum in ipfa æftate venturum effe Cremonam pro Curia celebranda, cogitantes quòd eidem Imperatori ad ipfius beneplacitum deberent omnia arridere, præfertim quum filius ejus de versùs Alemanniam juxta mandatum patris veniret ad Curiam fupradictam, & manu valida armatorum, cui fuit obtrufus aditus per Lumbardos, & alii innumerabiles Epifcopi, Archiepifcopi, Abbates, Marchiones, Comites, Duces, Capitanei, Valvaffores, Caftellani, Principes, Barones, & quamplures Poteftates, five Rectores civitatum & locorum, & honorabilibus virorum nobilium comitivis, omnes fcilicet cum armis, effent de dicti Imperatoris mandato ad ipfam Curiam acceffuri: inter tacita revolventes, qualiter Commune Januæ propter immoderatas expenfas factas & faciendas occafione guerræ, quæ ipfum Commune cum Alexandrinis, & Terdonenfibus, ac etiam Vercellenfibus habebat, fuerat aggravatum jam dudum, conceptam eorum iniquitatem deduxerunt verbis & operibus in apertum. Nam quum Dominus Pecorarius fupra dictus mififfet, fecundùm quod ex Capitulo tenebatur, Oberto de Summo, Civi Cremonæ Savonenfium Poteftati, ut veniret Januam causâ faciendi juramentum, fecundùm quod ex conventione Poteftates Savonæ facere confueverant, & ipfe Obertus de Summo cum quibufdam Savonenfibus Januam veniffet, & conftituti effent ante præfentiam Domini Pecorarii fupradicti, ipfe Dominus Pecorarius ipfi Oberto de Summo denuntiavit, & dixit, quòd more folito dictum faceret juramentum. Qui Obertus, fecundùm quod à Savonenfibus inftructus fuerat, refpondit quòd ipfum non faceret jusjurandum. Unde Savonenfes, qui fecum erant, exinde dolere fingebant. Quare dictus Dominus Pecorarius fibi fub pœna mille marcharum præcepit, & Savonenfibus, qui fecum erant, quòd civitatem Januæ non exirent, nifi primò dictus Obertus ipfum faceret juramentum, & hoc infra certum diem & terminum determinatum, qui terminus præfentialiter imminebat. Unde penultima die termini dictus Obertus cum eifdem Savonenfibus vênit, & dixit, quòd juramentum volebat facere. Tamen ficut confcientiam habebat cauteriatam, femper ipfum juramentum cavillabat, & aliquod fermenti addebat. Quare Poteftas Januæ ipfum facramentum recipere noluit tali modo. Unde Savonenfes, qui fecum erant, timentes dictam pœnam, eodem die perrexerunt Savonam, & celebrato Confilio elegerunt Obertum de Perfico militem dicti Oberti de Summo in Poteftatem Savonæ de communi omnium voluntate. Qui Obertus de Perfico cum prædictis Savonenfibus in ipfa nocte vênit ante Dominum Pecorarium, & oftendit qualiter erat Poteftas per publicum inftrumentum.

Poteftas verò Januæ, tamquam homo bonæ fidei, ipfum facramentum recepit, & fic Savonenfes de Janua recefferunt, & Savonam reverfi funt, putantes decepiffe Commune Januæ, & ipfi Communi derifionem feciffe. Nam prædictum Obertum de Perfico, qui juraverat, nec pro Poteftate, nec pro Rectore habebant. Imò Obertum de Summo pro Poteftate tenebant in Communis Januæ opprobrium & contemtum. Qui Obertus de Summo tamquam

quam summa Potestas, & quidam de majoribus Savonæ, inter quos fuerunt Vivaldus Caput-Mallei, & plures alii, tempestivè finè scientia, finè requisitione Communis Januæ, ad Imperatoris Curiam fraudulenter & nequiter accesserunt, satagentes contra honorem Dei & Commune Januæ ab Imperatore aliquid impetrare, tamquam ingratitudinis filii, civitati Januæ reddentes odium pro amore, venenum pro melle, offensam pro gratia, quam sicut matrem & dominam debebant omnimodè revereri; non considerantes, nec ad mentis oculos revocantes beneficia pariter & honores, libertatem & cetera commoda, quæ fuerant in cismarinis & ultramarinis partibus pro Communi Januæ consequuti, nec quàm durum sit contra stimulum calcitrare, nec in quàm gravi articulo propter Lombardorum guerram & alias imminentes necessitates negotium Communis situm esset. Quum igitur postmodum prænominatus Dominus Pecorarius cum decenti & honorabili Militum & Judicum comitiva ad prænominatam Curiam accessissent, & ab Imperatore & ab omnibus Principibus Curiæ, & à Marchionibus, Comitibus, Potestatibus, ceterisque Magnatibus ipse & omnes, qui secum aderant, honorificè reciperentur, & tractarentur magnificè, & ad Domini Imperatoris consilia vocarentur, prædicti Savonenses & eorum Potestas nec eis assurgebant, nec honoris aliquid impendebant; imò post eos ridebant, & contemnibiliter nauseabant, & quasi de pari contendere præsumebant, adeò quòd ipsi Savonenses reputabantur ab omnibus indiscreti, & à pluribus exinde culpabantur. Quid plura? Quum ab Imperatore non possent consequi quod volebant, ipsi, & Albinganenses consilio & favore Henrici Marchionis de Carretto, qui malorum omnium prædictorum exstitit fons & auctor, Comiti Thomæ de Sabaudia, qui per dictum Imperatorem Legatus fuerat in Italia constitutus, montes & maria promittentes, se & sua supposuerunt eidem, sibi dantes obsides, & omnia quæcumque ab eis petere voluit & habere, non parcentes laboribus, nec expensis, dummodo possent statum Communis Januæ suffocare, vel aliqualiter minorare; firmiter asserentes, quòd totius Ripariæ sibi darent dominium & tenutam, & quòd ipsi in Savona Cabellam salis constituerent, cujus introitum sibi darent.

Quare dictus Comes eorum promissionibus & inductionibus improvidè condescendens, ad ipsorum partes accessit, & eos in sua protectione suscepit. Savonenses verò sibi primitus juraverunt, postea homines Albinganæ. Consequenter ad locum Nauli accessit, & ab hominibus ipsius loci sacramentum consimile postulavit; qui sibi responderunt, quòd nec sibi, nec alicui promissionem facerent, nisi secundùm quod ipsis civitas Januæ ordinaret. Unde Consules ejusdem loci Januam festinanter accesserunt, & dictum negotium propalarunt, dicendo quòd in his & omnibus aliis volebant & parati erant procedere juxta Communis Januæ beneplacitum & mandatum. Quare dictus Potestas Januæ Ambasciatores duos, scilicet Idonem Lercarium, & Guilelmum Ususmaris in Ripariam ex parte Communis Januæ delegavit, qui apud Albengam & Savonam fuerunt inhonestè recepti & contumeliosè tractati. Illi verò de Naulo honorificè & tamquam Dominos receperunt; qui exinde reversi, quæ sibi acciderant in pleno Consilio Januæ enarrarunt. Quare prædictus Potestas galêas quatuor, & duas sagitteas, & bucium magnum, & barchettas, & alia Ligna armavit, quæ ante civitatem Savonæ & Albinganæ assiduè commorantes, maris custodiam faciebant, ita quòd ad ipsas civitates per mare aliquis accedere, vel ab eis recedere non valebat. Item apud Vintimilium, & castrum Monach alia Ligna constituit, quæ salem faciebant exonerari apud Monachum, ad hoc ut ad partes Albinganæ, vel Savonæ non posset cum sale aliquis modo quolibet declinare. Quibus galêis & Lignis constitutus fuit pro Communi Januæ Admiratus, scilicet Belmustinus Vicecomes primitus, & postea Amicus Straleria, ambo viri providi & discreti, & qui bene Communis Januæ negotia procurarunt. Apud verò castrum Sigestri constituti fuerunt milites L. quibus vir nobilis & prudens, Nicolaus de Cruce constitutus fuit pro Capitaneo & Rectore pro offensionibus Savonensibus faciendis, & pro terra fidelium Communi Januæ Naulensium defendenda. Qui Nicolaus infirmitate gravatus ibidem infra mensem viam carnis ingressus est universæ, cujus loco vir nobilis & strenuus miles Johannes Guercius per dictum Dominum Pecorarium fuit pro Capitaneo subrogatus.

Anno Nativitatis Domini MCCXXVII. Indictione XV. fuit in regimine civitatis Januæ vir nobilis & egregius Dominus Lazarius Gerardini Glandonis de civitate Lucana, miles formosus, largus, sapiens, amorosus, habens ætatem annorum triginta circiter. Cum ipso verò multæ circumspectionis & prudentiæ Judices duo de eadem civitate Lucana, Ricomus videlicet Urbinatensis, & Ubertus Gangi, constantes, puri, recti, fideles viri. Item secum duxerunt socios duos, videlicet Urbanum Guidonis Rubei, & Fioramontem de Pescia, viros prudentes, sensatos, labe carentes. Et plures alios viros milites pro magna parte sui regiminis secum habuit & tenuit, & magnam copiam Nobilium servientium. Alexius verò de Roxiate Civis Bergomensis fuit pro Consule Civium & Foritanorum, Scribis ejus existentibus Guilelmo Sapiente, & Nicolao de Clavaro. Consules verò civitatis fuerunt Guilelmus Nicolæ Malloni, & Ingo Castanea, Scribis eorum existentibus Henrico de Bisamne & Stephano de Garumberio. Nicolaus de Mari, & Nicolaus Malfante fuerunt Consules civitatis & burgi, Scribis eorum existentibus Magistro Urso, & Oberto de Carretto. Consules verò burgi fuerunt Marchisius Grillus, & Ansaldus Falamonica, Scribis eorum existentibus Vassallo Vicecomite, & Bartholomeo Pelipario. Scribæ Communis fuerunt Bonusvassallus Callegapalii, & Magister Bartholomæus Madius, Obertus Langasco, Vassallus Gallus, & Ambrosius Caudelupi. Octo verò Nobiles pro introitibus Communis recipiendis & expendendis fuerunt Zacharias de Castro, Ido Lercarius, Johannes Streiaporcus, Obertus Galletta, Guilelmus Cicada, Henricus Domusculta, Rubeus de Turcha, & Marchisius Calvus. Ipso verò anno, perdurante guerra inter Commune Januæ ex una parte, & Alexandrinos, Terdonenses, & Albenses, & eorum coadjutores ex altera, perseverantibus insuper illis de Albingana & Savona, & aliis de Ri-

Riparia, Henrico Marchione de Carretto, & aliis Marchionibus, & eorum coadjutoribus in sua rebellione & iniquitate concepta: dictus Dominus Lazarus in introitu sui regiminis statim cum magno vigore & spiritu leonino, convocatis Consiliatoribus campanæ sonitu, & maxima quantitate hominum per compagnias, super facto Ripariæ Consilium celebravit, dicens, quòd quum duo vel plura pondera immineant bajulanda, gravius debet à sapientibus ejici à cervice. Quare sibi videbatur exercitum debere fieri generalem causâ recuperandi Ripariam, & puniendi rebelles, & consequenter eam reacquirendi * Lumbardos in plano & partibus Lombardiæ; & quòd ceteris prætermissis hoc fieri competebat, & si omnes darent consilium contrarium dicto ejus & ipsius Domini Lazari voluntati. Quum igitur tunc temporis non inveniretur frumentum, hordeum, nec annona, & illi de Riparia munitiones magnas fecissent, & Lumbardi multùm instarent, salubrius Consiliariis & vocatis ad Consilium differre, quàm procedere videbatur. Tamen sicut mos est in principio regiminis voluntati condescendere Potestatum, major pars Consilii concors fuit, quòd suo loco & tempore fieret exercitus generalis pro negotio supradicto. Unde Potestas suum propositum consequutus, gavisus est in immensum, & ex decreto alterius Consilii Ambasciatores misit in Thusciam, & Parmam, & ad partes illas pro militibus, & pro Vassallis de Lunexana, & aliis fidelibus Communis Januensis & amicis.

Interea quidem quum occasione homicidii in Nicolam Embronum Nobilem Civem Januæ perpetrati tempore regiminis dicti Pecorarii de Verona, magna guerra & discordia & capitalis inimicitia verteretur inter filios & propinquos dicti Nicolæ Embroni ex una parte, & Sorleonum Sozam, & Johannem Piperem, & alios de domo sive de parentela sua ex altera, & de mandato dicti Pecorarii plures muri facti sunt propterea in pluribus Carrubeis, & viis publicis Januæ civitatis, quum omnes dicti guerrerii armati irent, & servientes tenerent armatos, supradictus Dominus Lazarius per se, & viros Religiosos, ac timentes Deum, interponendo preces, persuasiones, & minas, magnos terrores, pro ut expedire videbatur, & tale negotium exigebat, omnes, interveniente suffragio Jesu Christi, ad concordiam & pacis osculum & unionem in Ecclesia S. Laurentii publicè & laudabiliter coram multis deduxit, & ipsam pacem fecit ibidem in præsentia omnium juramento vallari, & eam fecit & jussit sub pœna maxima ab utraque partium inviolabiliter observari. Insuper & muralia sive clausuras factas per Carrubeos in eorum contratis fecit penitùs removeri. Postmodum ut nihil temporis præteriret incassum, tempore Quadragesimæ quadam die Dominica mensis Martii in Campo Sarzani maximum colloquium celebravit, & mirabiliter loquutus est, omnes & singulos ad bellum & exercitum faciendum viriliter animando. Ibique tam militum quàm peditum Confalonerios cum matura priùs deliberatione per compagnias electos fecit publicè nominari & legi, & eis septem vexilla bajulanda commisit, & dedit, & arma jussit, & cetera, quæ ad exercitum pertinebant, cum festinantia præparari. Sed quia Quadragesima erat, & Passionis hebdomada imminebat, ob illius reverentiam, qui pro redemtione humani generis passus est patibulo Crucis affigi, dictus Dominus Lazarius distulit usque post octavam Paschæ Resurrectionis movere, & in Ripariam equitare, exspectans etiam quòd trabuchi completi essent, quos miræ magnitudinis & pulchritudinis fieri faciebat, & quòd copia esset frumenti, hordei, & annonæ, & aliorum victualium congregata in partibus Varaginis, & in terra Domini Ottonis de Carretto, & apud castrum Segni, & partes Nauli, ubi Cabellas victualium pro Communi Januæ fieri fecerat, & in eis Cabellatores sive ministros constituerat, & in ipsas Cabellas victualia conduci fecit, & blavam de diversis partibus & longinquis ad Communis Januæ pretium & expensas. O mira providentia! o provisio gloriosa! Nam quum omnes propter frumenti & annonæ penuriam fame crederent & inedia perire, tanta fuit victualium abundantia, tantaque necessariorum omnium affluentia in exercitu Januensi, quòd in partibus Italiæ omnibus computatis major eorum copia nullatenus habebatur, nec ante ipsum exercitum, nec post ipsum sicut ipso anni circulo æquè magna.

Quid plura? Quadam die Jovis, quæ esse fortunata civitatis hominibus consuevit, XXII. Aprilis memoratus Dominus Lazarius Gerardini Glandonis feliciter movit, & ivit Varaginem; sed priusquam iter arriperet, ultra Jugum, & omnia castra, burgos, & loca Communis Januæ diligenter vidit, & omnia ipsa loca & castra hominibus, arcubus, & balistis, & ceteris necessariis præmunivit, ad hoc ut nulla eis nec Communi Januæ esse possit trepidatio de Lumbardis. Januenses verò de civitate & districtu Januæ, exceptis illis de ultra Jugum, & illis tam militibus quàm peditibus, qui in ipsis erant partibus pro custodia & offensione Lombardorum à Communi Januæ in quantitate maxima constituti, forti & armata manu per dictum Dominum Lazarium more solito sunt viriliter subsequuti; & congregatus est exercitus apud Varaginum, ubi per plures dies moram fecit, quia procedere non poterant novercante maris & temporis qualitate. Exinde verò nondum tempore tranquillo moverunt & castrametati sunt in partibus Arbizolæ; & quum ipsum castrum esset per Saonenses armis, prederiis, spaldis, & bellicosis hominibus præmunitum, & ad defensionem paratum, trabuchum unum ibi erigi fecit Potestas, illum scilicet de Marino Magistro; & per plures dies castrum & turrim de lapidibus tormentari præcepit, & circumquaque die noctùque per balistarios obsideri, & per illos de Villis vineta & arbores devastari, & trabuchum alium elevari. Et quum hæc fierent, Simon de Stella ad Potestatem sub fiducia & securitate accessit, & Communi Januæ castrum Stellæ reddidit. Quo audito, Comiti Sabaudiæ, qui erat in Savona, & quem illi de Riparia improvidè suum constituerant Capitaneum & Majorem, & omnibus Savonensibus & Albinganensibus & eorum fautoribus, & specialiter illis de Arbizola, & quibusdam de Marchionibus dolor & timor ac summa mœstitia obvenerunt. Et quum illi, qui erant in Arbizola, se tueri non possent, se & castrum Domino Oberto Gangis Judici, & Domino Emerico de Pexa Militi de familia Po-

Potestatis, recipientibus pro Potestate & Communi Januæ, qui ambo ad dictum castrum, dum trabuchus traheretur, die Mercurii V. Madii reddiderunt, & de mandato Potestatis & prædictorum duorum eadem die in sero fuerunt omnes, qui erant in dicto castro, ducti ad castra Januensium sub tentorio Potestatis, & ibi se ad pedes Potestatis universaliter projecerunt. Potestas verò eorum nomina scribere fecit, & quosdam ex eis, quum multi essent, quibusdam Civibus Januæ de Majoribus custodiendos commisit, ceteros verò Potestatibus Villarum, & Potestationum hominibus sub custodia consignavit. Non enim moram aliquam apud Arbizolam Potestas & Januenses fecissent, nisi quia post terga nolebant aliquid dimittere indevictum.

Habitâ verò victoriâ de prædictis, præ nimia tempestate maris & aëris intemperie & inundantiis aquarum contra eorum voluntatem moram fecerunt per plures dies in partibus Arbizolæ. Nec etiam prædictis ex causis ad partes Savonæ poterant per mare vel per terram aliquatenus ambulare, ibique quemdam Nobilem virum Parmensem prædictus Dominus Lazarius promovit ad fastigium militare. Die tamen Lunæ XVII. Madii pro magna parte moverunt Potestas & exercitus, & castrametati sunt in plano prope Savonam inter Ecclesiam S. Cæciliæ, & civitatem Savonæ. Die verò Mercurii XIX. Madii in Vigilia Ascensionis Domini, prædictus Dominus Lazarius inde movit, & familia sua, & exercitus totus post ipsum. Et catervatim cœperunt ire versùs montem, qui est super Savonam, ubi est Ecclesia S. Recordatæ, ubi Savonenses & Allobroges munitiones fecerant, & ibidem congregati erant ad defensionem ipsius. Quumque hoc videret exercitus Januensis, quumque diutiùs affectasset aliquod obstaculum invenire, ad ipsos cum tanto vigore & audacia cucurrerunt, quòd non videbantur homines, seu leones & griffi, vel aquilæ celeriter convolantes. Et sic Savonenses, & Allobroges, & quos (2) ex Albinganensibus, qui ibi erant, exinde fugaverunt, & eos trucidando, capiendo, & sub pedibus conculcando subsequuti sunt usque infra muros & portalia civitatis Savonæ, & quos ibi retinuerunt, Januam ad carceres transmiserunt. In ipso verò conflictu Potestatis familia multùm apparuit bellicosa, quod totum Ambasciatores Mediolani & aliarum civitatum Lombardiæ viderunt, qui ad dictum Dominum Lazarium & exercitum Januensem tunc temporis accesserant pro pace componenda & facienda inter Commune Januæ & Lombardos, pro Deo & bono pacis humiliter deposcentes, & pro honore & utilitate Communis Januæ, ut de ipsa discordia, quam cum Lombardis habebant, se in Commune Mediolani compromitterent, de quo fiduciam gerere poterat Commune Januæ; ostendentes & firmiter asserentes quòd ipsi Lombardi ex adversa parte jam compromiserant in Mediolanensi Communi. Consequenter in eodem monte circa Ecclesiam S. Recordatæ usque prope muros Savonæ castra fixerunt & tentoria Potestas & exercitus Januensis; duosque trabuchos ibi Dominus Lazarius fecit erigi, & interim arbores & vineas Savonensium devastari, & eos interdum usque in civitatis muralia dimicari.

Quum autem Savonenses, Comes Sabaudiæ, & Allobroges, & homines Albinganæ, qui convenerant ad defensionem Savonæ, se tueri non possent, se sine tenore & pacto aliquo reddiderunt, & quadam die Lunæ XXIII. Madii venerunt Savonenses ad mandata Potestatis & Communis Januæ ad castra Januensium sub tentorio Potestatis, & ibi coram omnibus se projicientes ad pedes Potestatis, & lacrymabiliter ac suppliciter misericordiam postulantes, & crucem in manibus portantes, mandata omnia & ordinationes Potestatis & Communis Januæ ad omnifariam ac purum intellectum Potestatis & Communis Januæ corporaliter juraverunt, & quòd nullum intellectum habuerunt in Potestate, nec ab aliquo de sua familia, nec à persona aliqua pro Communi Januæ aliquo modo vel ingenio, qui dici vel excogitari possit. Amadeus verò Comes Sabaudiæ, Comitis Thomæ de Sabaudia filius, & Allobroges, qui secum erant, & homines Albinganæ de personis propriis formidantes, timore perterriti in sero fugam arripuerunt, & per totam noctem fugere non cessarunt, & cum dedecore recesserunt. Dominus verò Lazarius ex decreto Consilii fossata ipsius civitatis explanari fecit, muralia omnia, & fortitudines, quas fecerant, diruit, & ejusdem urbis portalia removeri, & modulum destrui, ut occursionem Portus non possent ulteriùs subire. Item castrum de novo præcepit construi, & levari in eminentiori & fortiori parte civitatis ipsius. Die verò Mercurii XXVI. Madii Raymundus, Sismundus, Manfredus, & Anselmus, Viri nobiles, & Domini castri de Quiliano venerunt ad mercedem Potestatis & Communis Januæ, & se & dictum castrum Communi Januæ reddiderunt, & mandata Communis Januæ, & Potestatis juraverunt. Sequenti die Jovis XXVII. Madii Henricus de Carretto vênit ad mercedem Communis, & mandata Potestatis & Communis Januæ, & ordinationes juravit, & de omnibus iis, quæ dixisset, fecisset, sive tractasset contra honorem & bonum statum Communis Januæ publicè sub juramento absdixit, asserens, quòd honorem & incrementum Communis Januæ diligebat. Commune tamen Januæ opinionem propterea non mutavit, quum facta præferenda sint dictis, & certa præjudicent positivis, non credens, quòd unius possint vel debeant inficiatione celari, quæ multorum notitia manifestat, nec quòd singularis assertio reddat ambigua, quæ per evidentiam facta sunt omnibus manifesta. Et hæc omnia fuerunt in castris, sive tentoriis Januensium prope Savonam cum triumpho peracta.

Die verò Sabbati XXIX. Madii, relicto viro Nobili uno ex octo Nobilibus Oberto Galletto apud Savonam pro Capitaneo & Rectore, quousque exercitus Januam esset reversus, & relicta ipsa civitate Savonæ, & turribus, atque fortiliciis ipsius civitatis de quibusdam Nobilibus civitatis Januæ & fidelibus servientibus bene munitis, in Vigilia Pentecostes supradictus Dominus Lazarius inde movit, & ivit Finarium; & exercitus Januæ sequutus est ipsum viriliter, ibique fixerunt tentoria, & Festum Pentecostes cum gaudio celebrarunt. Exinde prædictus Dominus milites duos, videlicet Ubertum filium Ubaldi Guidonis Rubei, & Veltrum, viros Nobiles civitatis Lu-

(2) *fortass.* quosdam.

canæ, militari cingulo decoravit. Sequenti verò die Lunæ, ultima Madii, Otho de Clavesana, & frater ejus, & homines Albinganæ præsentia sui Episcopi venerunt ad mandata Potestatis & Communis Januæ, & in omnibus & per omnia fecerunt & juraverunt, sicut Savonenses prædicti sub tentorio Potestatis coram omnibus manifestè. Potestas tamen Dominus Lazarius supradictus non ideo conversus est retro; sed nil credens actum, quum quid superesset agendum, ad ipsam civitatem Albinganæ properavit; & quum nullum obstaculum inveniret, homines CXX. numero de melioribus & majoribus ipsius civitatis elegit consilio eorum, qui cognoscebant eosdem, & Insulam Albinganæ, castrum Cogolariæ, & Tyracii, & etiam castra districtus Albinganæ, & turres, & fortilitia civitatis ejusdem peroptimè muniens, Savonam cum dictis hominibus est reversus, & ibi centum quinquaginta homines de melioribus & majoribus Savonæ accepit, quos omnes homines tam Savonenses, quàm Albinganenses prædictos præfatus Dominus Lazarius Januam secum duxit, & tamdiu fecit eos sub custodia detinere, quousque ex decreto Consilii vir Nobilis Johannes Spinula apud Savonam, & Henricus filius Guilelmi Rubei de Volta fuerunt pro Potestatibus à Communi Januæ constituti. Qui ambo de voluntate Communis Januæ, & Domini Lazarii mandato & Judices & Scribas sive Notarios de civitate Januæ ad illas partes duxerunt, & quousque etiam pro magna parte destructa & completa fuerunt, quæ prænominatus Dominus Lazarius in partibus Ripariæ districtim præceperat, & completis Januam reversi fuerunt.

Reversus autem suprascriptus Dominus Lazarius die Veneris IV. Junii cum gaudio & triumpho, in signum victoriæ & anni felicissimi in nativitate B. Johannis Baptistæ, cujus corpus gloriosum recubat in majori Ecclesia Januensi, in Curia Domini Archiepiscopi Januæ mirabilem Curiam tenuit, in qua innumerabilia indumentorum paria à Potestate, & aliis nobilibus & honorabilibus viris fuerant jaculatoribus, qui de Lumbardia, Provincia, Thuscia, & aliis partibus ad ipsam Curiam convenerant, laudabiliter erogata, & convivia magna facta. Ut autem nihil de iis, quæ relata sunt, dignum finè memoria omittatur, sit omnibus manifestum, quòd in exercitu Ripariæ supradicto fuerunt Dominus Otto de Carretto, & ejus filius, Andreas de Massa cum militibus XX. & alii multi Marchiones, Comites de Lavania, & multi alii Comites. Item Guarinus de S. Vitali, Guiraldus Francigena, Ogerius Guidonis Rogerii, Ugolinus Comes, Guiraldo de Cornazano, Bartholomæus de Tavernerio, Guiraldus Bocerus, Barbottus, & Jacobus Grossus, honorabiles milites civitatis Parmæ, & alii quamplures ejusdem civitatis milites, & domicelli in maxima quantitate. Prædictus verò Jacobus Grossus apud civitatem Januæ infirmitate gravatus viam carnis ingressus est universæ. Insuper fuerunt in ipso exercitu multi nobiles milites, & domicelli de civitate Lucana & ejus districtu. Item plures alii de partibus Thusciæ & Lombardiæ, ita quòd forenses milites fuerunt D. & plures. Omnes tamen venerunt ad expensas & decentes missiones Communis Januæ. Item ultra Jugum fuerunt milites forenses CCC. & plures item ad soldos & expensas Communis Januæ. Mercatores verò de Luca, qui Januæ erant, pro majori parte in dicto exercitu ad obsequium Communis Januæ commorati sunt. Prædicti verò Ambasciatores Mediolani & aliarum civitatum Lumbardicarum in Riparia quum non possent assequi quod volebant, post reditum dicti exercitus apertiùs Astæ, Alexandriæ, atque Terdonæ, ubi consequuti fuerunt quod petebant, Januam pro dicto concordio sunt reversi, ostendentes in pleno & magno Consilio civitatis Januæ, qualiter Astenses de plano compromiserunt in Commune Mediolani. Quod idem instanter à Communi Januæ fieri postulabant, quum ab antiquo & tanto tempore civitas Januæ & Commune non secus de Communi Mediolani, quàm de se ipsis, confiderent, & ratione intimæ dilectionis, & puræ fidei, quam erga Commune Mediolani habebant, de ipso Communi præ ceteris haberent materiam confidendi. Habitâ tamen priùs inde licentiâ ab Astensibus, & eisdem concessâ, in Commune Mediolani de discordiis, quæ inter Januenses ab una parte, & Communia Alexandriæ & Terdonæ ex altera vertebantur, compromiserunt cum omni securitate & fiducia speciali, non credentes, quòd eorum posset justitia vel deberet sub aliis Communis Mediolani perire, vel aliqualiter minorari: quod totum in contrarium cessit. Nam plura adjudicarunt Mediolanenses Terdonensibus, & Alexandrinis, quàm Communi Januæ, ut sententia lata per Commune Mediolani declarat.

Quum autem plures Communitates & compagniæ dicerentur esse in Januensi civitate, & diutiùs viguisse, quamplures Nobiles, qui non erant in ipsis compagniis, pro ut eis videbatur, honores assequi non poterant, ut debebant, nec ad Communis Officia vocabantur. Surrexit quidam vir Nobilis & egregius Civis Januæ, scilicet Guilelmus de Mari, & cum quibusdam de dictis Nobilibus de dicti Domini Lazarii notitia, pro ut dicitur, & assensu, conjurationem fecit maximam & potentem, in qua ferè omnes Populares fuerunt, & maxima quantitas illorum de Villis. Tamen Naulenses, & illi de Portu Veneris, de Recho, & Sigestro in ipsam compagniam nullatenus intervenerunt. Item omnes & singuli de Parochia Sancti Donati, & de ipsis contractis, & præcipuè Guilelmus Strejaporcus, & filii de domo & parentela sua non solùm in dictam compagniam, sive conjurationem, intrare spreverunt, verumetiam illis, qui in ea intraverant, increparunt, & ubique contra eos viriliter insurrexerunt. Accidit, quòd Dominus Lazarius memoratus propter quædam imminentia sibi negotia ad partes suas, scilicet ad civitatem Lucam, accessit, impetratâ tamen inde licentiâ à Consiliatoribus & hominibus quatuor per compagniam, in cujus absentia ita prædicta compagnia Guilelmi de Mari convaluit & incrementum suscepit tam intra civitatem, quàm extra, quòd incredibile videretur. Et multo fortiùs crevisset, nisi præfati Potestatis Judices, qui loco ejus remanserant, inhibebant & obstaculum opponebant, Villarum Potestatibus sub certa pœna præcipiendo, quòd neminem de suis Potestatiis in ipsam intrare permitterent compagniam. Dicebatur enim, quòd prædictus Do-

Dominus Lazarius Januam non debebat reverti; quare Populus adeò dictum Guilelmum de Mari virum nobilem animavit, quòd de domo propria, quam inhabitabat, ipsum exire fecit etiam contra ipsius Guilelmi voluntatem, & ad S. Laurentium in domos & turres Ingonis, & Johannis de Volta ad habitandum venire, quas dictus Populus pensione non modica conducebat. Et dum ibi esset, Judices suos & alios nuntios per partes Ripariæ destinavit cum Scrib s sive Notariis ad recipienda juramenta eorum, qui in ipsum volebant compagniam intrare; & per suas literas significabat, qualiter apud S. Laurentium in supradictis domibus & turribus habitabat, & ceperat mansionem.

Interea Dominus Lazarius supradictus contra opinionem vanam Popularium Januam reversus est à civitate Lucana; & quum videret ipsam compagniam taliter & tam maximè processisse, & quòd res aliter processerat quàm credebat, quum de Deo dicatur, *pœnitet me fecisse hominem*: ipsum Dominum Lazarium pœnituit prædicto Guilelmo de Mari assensum aliquem præbuisse, & quòd ipsa Societas tantum susceperat incrementum, multis etiam insultantibus, & dicentibus, quòd ipse fecerat, sive fieri permiserat gladium, de quo ipse posset graviter vulnerari, & civitas & Commune Januæ possent proinde deperire. Quare super ista negotia habuit secreta consilia à nobilioribus & majoribus Januæ civitatis; sed quia credebant in ipso negotio ipsum Dominum Lazarium mobilem & varium invenire, quum prædictus Guilelmus de Mari, & sui conjurati dicerent se scripturam ostendere, quòd de ejus voluntate pariter & consensu processerat quidquid fecerant de prædictis, eidem tepide ad ipsius confusionem & variè consulebant; & cum dicto Guilelmo de Mari quotidie loquebantur, laborantes, ut Potestas idem deberet scutica verberari, quam propriis manibus collegisse publicè dicebatur. Potestas verò hoc videns, quibusdam de illis, qui non habebantur suspecti, misit, & sua mandata jurare fecit, & eis præcepit, quòd parati essent sequi ipsum cum armis ad sonum campanæ, vel cintraci, & ad quemlibet aliorum rumorem. Illi verò, qui erant de compagnia prædicti Domini Guilelmi de Mari, sibi jurare nolebant; sed videntes quod incœperat facere Potestas, commoti sunt, & omni sero veniebant cum armis catervatim ad domum, in qua morabatur prædictus Guilelmus de Mari, & multùm parati erant facere quæcumque idem Guilelmus jussisset. Quadam tamen die Dominica prædictus Dominus Lazarius volens procedere contra Guilelmum prædictum & compagniam ipsius, & inquirere voluntatem eorum, qui non erant in ipsa compagnia, & quorum sacramenta denuo receperat, pro ipsis misit, eosque in domo Fornariorum eadem die convocavit & habuit, ubi Consilia celebrantur. Et dum jam surrexisset ad loquendum, dictum est, quòd dictus Guilelmus volebat venire ad suum mandatum. Quare de voluntate omnium dictorum distulit Tamen in crepusculo dictus Guilelmus de Mari, Paganus de Cucurno, Guaracus de S. Laurentio, Henricus Gontardus, & Ingonus de Volta, qui secum venerant, & de ejus compagnia erant, juraverunt omnia mandata & ordinationes Potestatis. Potestas verò statim præcepit prædicto Guilelmo de Mari, quòd sequenti die faceret omnes Consiliarios suos venire ante ipsum Potestatem, & jurare mandata omnia & ordinationes ipsius: & ita factum est & completum. Statim Potestas præcepit Guilelmo de Mari quòd de omnibus & turribus & contrata S. Laurentii infra certum diem recedere debeat & exire, & ad alias partes ad habitandum ire: quod sibi & conjuratis suis fuit gravissimum ultra modum, in tantum quòd dicebant, quòd mandatum illud observare non poterant; & cum instantia pluries rogaverunt, ut Potestas dictum revocaret mandatum: quod tamen quum se multos viderent, & potentiores esse sperarent, quod mente conceperant, operibus demonstrabant. Nempe Portale S. Laurentii acceperunt sive munierunt. Consequenter ambo Portalia civitatis Januæ, videlicet Portale S. Andreæ, & turres, & totam Ecclesiam S. Laurentii in suo posse habebant, quod non solùm Nobilibus Civibus Januæ displicebat, verumetiam Dominabus, & pueris, & Clericis intolerabile videbatur. Præsertim quum Lanerii & homines alienigenæ ascendissent in eis. Quare Virorum nobilium & divitum diligentium civitatem ad dolorem viscera sunt commota; & quum plura super hoc habuissent & fecissent consilia, tamdem omnes in Ecclesia B. Mariæ de Vineis convenerunt. Et Judex Potestatis cum quibusdam ex octo Nobilibus illuc ivit, & primò loquutus est inter eos; postea loquutus est Petrus de Grimaldo, deinde alii de Platea-longa, & plures alii; & finitis eorum loquutionibus ad conservationem Reipublicæ, & omnium ipsorum, & Domini Lazarii supradicti, totiusque civitatis Januæ, & ad destructionem reorum, ac specialiter compagniæ prædictæ, concorditer & unanimiter ad breve juraverunt omnes & singuli in eadem Ecclesia motu proprio non coacti. Et dum fierent sacramenta, elegerunt ex se ipsis decem de melioribus, majoribus, & altioribus ac potentioribus civitatis Januæ causâ providendi in ipso negotio, & causâ tractandi quæ in ipso negotio necessaria erant, & causâ dissuadendi Guilelmo de Mari prædicto & aliis de sua compagnia, quòd desisterent ab incœptis, & quòd mandatis deberent Domini Lazarii obedire & in omnibus suam voluntatem complere. Et nihilominus per civitatem compulit omnes ad dictum breve jurare; & sic ipsa compagnia debilitata est, & continuè decrescebat, & vigor Potestatis & Communis Januæ convalere cœpit, & in omnibus prævalere.

Quare turres, quæ tenebantur pro prædicto Guilelmo de Mari, de mandato prædicti Potestatis positæ fuerunt in custodiam & bailiam tresdecim de majoribus & nobilioribus civitatis Januæ, quorum nomina sunt hæc: Nicolaus Embriacus, Guilelmus Mallonus, Lanfrancus Rubeus, Percival Auriæ, Simon de Camilla, Ansaldus de Nigro, Henricus de Nigro, Guilelmus Ususmaris, Fridericus Grillus, Guilelmus Bos Spinula, Obertus de Grimaldis, Guilelmus Guercius, Lanfrancus Malocellus. Item pro hominibus villarum & civitatum & locorum de Riparia misit; & de illis, quos credebat esse fideles, multas turres, pro ut expedire videbatur, munivit. Similiter munivit & campanile S. Laurentii, & alias fortitudines, pro ut expedire videbatur. Reliquos verò per civitatem Januæ distribuit, & quosdam de melioribus secum retinuit. Sed præ ceteris homines Nauli, & Albinganæ, & Por-

Portus Veneris honorabiliùs in succursum & auxilium Potestatis venerunt atque steterunt, quamdiu eidem Domino Lazario placuit Potestati. Die verò II. Novembris in Commemoratione Mortuorum supradictus Dominus Lazarius per campanam & cintracum more solito omnes fecit ad parlamentum in Ecclesia Sancti Laurentii convocare; & quia viris religiosis, & pluribus Nobilibus civitatis Januæ ad eorum instantiam promiserat, quòd aliquo modo prædictum Guilelmum de Mari, vel aliquem de sua compagnia, seu occasione ipsius compagniæ nequaquam puniret, interventu ipsorum, & causâ scandali evitandi, eos omnes exinde in ipsa concione absolvit. Consequenter ipsam compagniam, sive conjurationem Guilelmi de Mari, & omnes alias, quæ in civitate Januæ erant, vel esse dicebantur, per infrascriptam sententiam, & per infrascriptum juramentum, ad quod omnes Januæ & districtus jurarunt, omnino cassavit; & ipsam sententiam atque ipsum sacramentum Magister Bartholomæus Scriba Communis de mandato ipsius Potestatis in eadem occasione legit; & Potestas ipsam sententiam approbavit, & roboravit, & autenticari præcepit; & sub debito juramento, & magna pœna præcepit, quòd omnes & singuli tam in civitate quàm districtu Januæ infra certum tempus dictum facerent sacramentum. Et in ipso parlamento maxima pars virorum nobilium & potentum civitatis Januæ ad ipsum breve juraverunt, & ipsum sacramentum fecerunt, & etiam prædictus Guilelmus de Mari pacificè ac benignè. Et postquam ipse Guilelmus de Mari juravit, prædictus D. Lazarius in eadem concione omnibus audientibus præcepit eidem Guilelmo alta voce, quòd incontinenti omnes & singulos conjunctos suos, & qui sibi tenebantur de ipsa compagnia, coram omnibus absolveret: quod idem Guilelmus statim fecit. Et visus est hoc facere vultu hilari & animo lætabundo. Et quum tot accederent ad juramentum, quòd non erat qui scriberet vel scribere posset eorum nomina, Dominus Lazarius colloquium licentiavit, & receptores sacramentorum constituit per compagnias; & Potestatibus Civium, locorum, & villarum districtus Januæ sub pœna magna debitum sacramenti injunxit, quòd procurarent, ut omnes de suis Potestatiis facerent ipsum sacramentum infra certum tempus; & ad ipsum breve jurarent. Quod totum fuit per eosdem completum: & sic civitas Januæ interiùs & exteriùs per Dei gratiam ad plenam concordiam & amorem deducta est. In eadem concione Dominus Lazarius Januensis Potestas præcepit Guilelmo de Mari, quòd omnes de sua compagnia, qui in ipsa compagnia juraverant, ab ipsis juramentis & omni obligatione absolveret & liberaret. Et dictus Guilelmus dixit, quòd sibi placebat & libenter volebat; & ideo eos absolvebat & liberabat. Eo die, videlicet die Martis II. Novembris in Ecclesia S. Laurentii in eadem concione Dominus Lazarius Januensis civitatis Potestas fecit sacramentum legi, & ad ipsum sacramentum præcepit & fecit jurare homines Januæ, & de districtu; & maxima quantitas nobilium in eadem concione juravit.

MCCXVIII. Indictione I. fuit in regimine civitatis Januæ vir nobilis & prudens Guifredus de Padua, qui secum habuit Judices novem, videlicet ad causas maleficiorum audiendas & definiendas, & deputatos Dominum Magistrum Cazulum, & alium, videlicet Jacobum de Ossa, secum pro Assessore sive Vicario suo. Item duos milites, sive socios secum, videlicet Dominum Rogerium de Bellato, & Philippum de Provano. Scribæ verò Communis fuerunt Bonusvassallus Calligapalii, Magister Bartholomæus Madius, Obertus de Langasco, Vassallus Gallus, & Ambrosius Caudelupi. Consul verò civitatis de Justitia fuit Ricomus Urbiciani, & ejus Scribæ Henricus de Bisamne, & Stephanus Guibertinus. Consul verò Palatii de Medio fuit Guilelmus Cacaranus, & ejus Scriba Magister Ursus, & Obertus de Carreto. Consul quatuor compagniarum de versùs burgum fuit Vitalianus de Padua; ejus Scribæ Ricobonus Coxanus, & Jacobus Isembrandi. Consul verò Civium, & Foritanorum fuit Donatus Conforti, & ejus Scribæ Nicolaus de Clavaro, & Gandulphus de Sexto. Prædictus verò Dominus Guifredus pro facto negotiorum de ultra Jugum ad mandatum seu requisitionem Modelbergi Judicis, & Resonati de Puteo-Bonello, Ambasciatorum Communis Mediolani pro ipsis negotiis ordinandis transmissorum, cum honorabili nobilium Civium comitiva ultra Jugum ivit, & quum paratus esset ipse & alii nobiles & Syndici Communis Januæ, qui secum erant in omnibus & per omnia complere & observare sententiam latam per Commune Mediolani, & quidquid Commune Januæ facere debebat, & specialiter in facto Capriatæ, Arquatæ, & refectione castri Montis-Jarii, prædicti Ambasciatores Mediolani dixerunt, quòd ire volebant Capriatam, & videre si ibi facta erant ea, quæ ibidem per Commune Januæ juxta tenorem dictæ sententiæ fieri debebant. Quare Potestas prædictus, & ipsi Ambasciatores iverunt Capriatam; & dum ibi essent, Boccacius Crema Potestas Alexandriæ cum aliquot de militibus Alexandriæ accessit ad locum Capriatæ; & dum ibi essent, & viderent, si completa erant, quæ fieri debebant ibidem, Alexandrini omnes malitiosè contra sententiam memoratam, contra fidem & juramenta, & hoc de consensu suæ, pro ut dicitur, Potestatis, armata manu cum vexillis apparuerunt. Quod videns Dominus Guifredus miratus est valde, & dixit Ambasciatoribus supradictis: *Quid est hoc? sum ego proditus. Certè turpissima res est ista, & iniqua proditio*. Et versùs Potestatem Alexandriæ hæc eadem, & alia dicenda dixit. Item protestatus est, quòd si aliquid deerat faciendum, paratus erat complere ad voluntatem ipsorum Ambasciatorum juxta formam sententiæ inde latæ, & inde fieri fecit instrumentum publicum. Tunc verò egressi sunt locum, & cœperunt ire versùs homines Alexandriæ, & Potestas ipsorum Alexandrinorum fictè præcipiebat eis sub certa pœna vel banno, quòd ad locum non accederent Capriatæ, nec appropinquarent ad locum ipsum ultra certa confinia, quæ eis exposuit, exceptis aliquibus, qui de voluntate dictorum Ambasciatorum destruere debebant, si aliquod destruendum restabat juxta sententiam inde latam. Dum verò Dominus Guifredus perpenderet malitiam & excogitatam proditionem Alexandrinorum & Potestatis eorum, & videret, quòd licèt ipsi Ambasciatores Mediolani magna verba dicerent, & inde fingerent se dolere, Alexandrini nihilominus providebant saluti & vitæ hominum

num Capriatæ à minimo usque ad maximum: excogitans sicut bonus Pastor de suis ovibus curam gerens, monuit homines Capriatæ, quòd res omnes mobiles, quas habebant, inde portarent ad loca tuta, & quòd sibi præcaverent, ita quòd Alexandrini non possent de eis eorum desiderium adimplere. Quod quidem ipsi homines Capriatæ fecerunt, & ut ad plenum possent utilitatibus suis intendere, dictus Dominus Guifredus ad cautelam est egressus de loco Capriatæ, & ivit versùs Alexandrinos & eorum Potestatem, & ipsos in verbis, allegando jura Communis Januæ, detinuit tota die, ita quòd nox erat, quando Gavium est reversus.

Alexandrini verò hostiliter & contra sacramentum locum ipsum intraverunt. Ecclesias & domos destruxerunt, & igne cremarunt. Et si aliquos de Capriata ex hominibus vel mulieribus invenissent, eos dilacerassent membratim, prout operibus demonstrarunt. Nam mortuos de monumentis & foveis extraxerunt, & eorum capita circa fossata ipsius loci non abhorruerunt ponere & elevare. Homines verò Capriatæ se apud Gavium receperunt cum uxoribus, filiis, & familia, quibus hospitio providere, & subvenire liberaliter Commune Januæ non cessavit. Quum autem prædictus Dominus Guifredus reversus Januam, superbiam & transgressionem Alexandrinorum non posset nec vellet ampliùs tolerare, cum Domino Bonifacio Marchione Montisferrati, & cum Percivale Auriæ Astensium Potestate, qui ad hoc totis viribus anhelabat, colloquium habuit & tractatum; & in tantum processit negotium, quòd ipse Marchio & Astenses cœperunt Alexandrinis facere vivam guerram; & Potestas Januæ & Commune eidem Marchioni certam quantitatem militum & balistariorum & pecuniæ dederunt, pro ut in conventione inde facta pleniùs continetur. Quumque Henricus de Carretto Marchio, congregato exercitu de diversis partibus, castrum quoddam, quod dicitur Fine, & quod à civitate Albæ ultra milliaria quinque distat, viriliter obsedisset, & ibi ejus exercitus dudum stetisset, nec illi de castro se plus possent tueri, milites Alexandriæ occultè in noctis silentio ad ipsas partes iverunt in succursum Albensium, & castri prædicti; & ipsos, qui erant in obsidione, quum inde provisi non essent, in fugam verterunt, & ibi virum nobilem Petrum de Ponzono, & quosdam pedites retinentes ceperunt, & apud Albam in carceribus posuerunt. Quo audito, Dominus Marchio Montisferrati prædictus cum militibus & hominibus suis, & Astenses cum eo, ad castrum S. Stephani cum festinantia perrexerunt, ne dicti Alexandrini possent Alexandriam nisi per manus ipsorum Marchionis & Astensium reverti. Item castrum Clausii & passus alios dictus Marchio præmunivit, ut dictis Alexandrinis non pateret regressus. Commune verò Januæ milites L. equis & armis optimè præmunitos de majoribus & melioribus Civibus Januæ in dictorum Marchionis & Astensium auxilium destinavit. Quare milites Alexandriæ supradicti timore perterriti civitatem Albæ egredi non audebant, ibique obsessi longo tempore steterunt. Quum autem dicti Marchio, Astenses, & milites Januæ quasi tœdio affecti, die quadam versùs Belmontem super terram Alexandriæ viriliter equitassent, milites Alexandriæ exierunt de Alba, & die noctuque, donec fuerunt apud civitatem Taurini, fugere non cessarunt. Quo audito dicti milites Marchionis cum militibus Januæ ipsos fugantes, quum eos non possent consequi, se apud Clausium receperunt, & undique posuerunt insidias, ita quòd dicti Alexandrini de civitate Taurini exire non poterant nec audebant. Commune verò Mediolani Alexandrinis compatiens supra dictis, Ambasciatores suos dicto Marchioni transmisit, & militibus Astæ, & Januæ, qui erant ibidem, cum omni mansuetudine & supplicationibus ex parte Communis Mediolani deposcentes ab eis, ut dictos Alexandrinos amore Communis Mediolani permitterent reverti: quod quidem fecerunt Marchio & milites supradicti respectu Mediolanensis Communis. Tamen ad locum Wiliæ mutarunt, (3) ipsum burgum pro parte maxima destruxerunt & inde cremarunt, & inde prædam maximam asportarunt; & interim milites Alexandrini de partibus Taurini Alexandriam sunt reversi, & postea per totum tempus regiminis Domini Guifredi homines Alexandriæ stupefacti steterunt. Quum autem elapso termino, quo pronuntiatum erat per Commune Januæ, alioquin postea per Commune Terdonæ nondum esset diruptum, quia ipsis loci Dominis non placebat, ad ipsum locum homines Terdonæ armata manu per Commune iverunt, & ultra quàm continetur in dicta sententia, destruxerunt. Sed de aliis offensionibus Communis Januæ satis per totum tempus ipsius regiminis abstinere curarunt. Ipso quippe anno tranquillitas fuit in civitate Januæ, & districtu. Ambrosius verò Consul de Rapallo circa exitum dicti regiminis interfectus fuit quodam sero occultè in hospitio Philippi Macellatoris prope Macellum de Modulo.

Anno Dominicæ Nativitatis MCCXXIX. Indictione II. fuit in regimine civitatis Januæ Dominus Jacobus de Balduino de Bononia, qui duxit & secum habuit Judices duos, Jacobum videlicet de Argento pro maleficiis audiendis, & Jacobinum de Saragoza, qui ex altera parte Palatii gerebat vicem dicti Potestatis. Milites verò dicti Potestatis fuerunt Henrichettus de Corvolino, Benevegna, & Ugolinus Brondellus. Octo verò Nobiles pro introitibus Communis recipiendis & expendendis fuerunt Conradus de Castro, Guilelmus Mallonus, Ingo Tornellus, Paganus de Rodulpho, Guilelmus Ususmaris, Sorleonus Piper, Henricus Vicecomes............ Scribæ verò Communis fuerunt Bonusvassallus Caligapalii, & Magister Bartholomæus Gallus, & Ambrosius Madius, & Obertus de Langasco. Consul verò civitatis de Justitia fuit Magister Cazulus, & ejus Scribæ fuerunt Henricus de Bisamne, & Stephanus Gimberti. Consul Palatii de Medio fuit Martinus de Golderis, & ejus Scribæ fuerunt Magister Urso, & Obertus de Cerredo. Consul verò burgi fuit Lanfrancus de Aygiratis; Scribæ verò ipsius fuerunt Riccobonus Coxanus, & Jacobus Ilsembrandi. Consul autem civitatis & Foritanorum fuit Obertus de Noxardo, Scribis ejus existentibus Nicolao de Clavaro, & Gandulpho de Sexto. Ipso quippe anno dictus Potestas Januæ Cives Januenses in pace & tranquil-

(3) *fortass.* maturarunt.

quillitate servavit. Consilia multa fecit, ac sæpe & sæpiùs Communis Januæ negotia solicitè procurando per diem totam, & quandoque usque ad magnam partem noctis, spontaneè jejunavit; & Officiales, & Consiliatores, & vocatos ad Consilia pro negotiis Communis Januæ tam pro minimis, quàm pro magnis contra voluntatem ipsorum, non distinguendo inter diem & diem, nec inter horam & horam, fecit pluries jejunare. Conventionem verò cum hominibus Arelatæ, Marsiliæ, Acrearum, & cum Dominis & hominibus Teloni denuo fecit, secundùm quod in ipsis conventionibus continetur. Item fecit conventionem cum Dominis & hominibus Castelletti. Naves quidem de portu Januæ, quæ ituræ erant versùs Occidentem in Caravana simul, secundùm quod consiliatum fuerat, fecit laudabiliter cum celeritate movere, quæ omnes ad partes destinatas feliciter navigarunt. In ipso quidem anno dum Carrocinus filius naturalis quondam Comitis Alemanni navem quamdam armaret, & diceretur, quòd offendere volebat tam amicos, quàm inimicos Communis Januæ; & quòd Judex Turritanus ad ipsam armandam sibi dabat auxilium & favorem, & quòd sibi pecuniam & alia necessaria ministrabat: dictus Dominus Jacobus auctoritate Consilii navem unam fecit armari pro custodia maris. Præterea galêam unam de Portu Veneris, item Lignum, in quo ivit Nicolaus Mallonus Garratonus, misit Potestas prædictus causâ faciendi comburi & impediri navem prædictam: quod quidem fieri non potuit propter versutiam Carrocini prædicti, qui callidè cum dicta nave, quam armabat, de Sardinia & partibus ipsius recessit, & plurima mala fecit.

Eodem anno, celebrato Consilio ante Kalendas Augusti juxta formam Capituli de Emendatoribus eligendis, fuit de voluntate Consilii quòd dictus Dominus Jacobus de Balduino solus deberet esse Emendator, qui Capitula emendavit, & ipsa per libros distinxit usque ad finem sui regiminis. Tamen ex eo quòd fuit constitutus emendator, maximus rumor fuit civitatis Januæ. Pòstea quidem dictus Potestas ante Festum Omnium Sanctorum secundùm tenorem Capituli Consilium de regimine civitatis Januæ celebravit; & quum diceretur, quòd dictus Potestas volebat, & laborabat, & tractabat, quòd confirmaretur in Potestatem pro anno futuro, & quasi manifestum erat, & quòd propterea venire fecerat Januam Gothifredum Domini Papæ Capellanum, ut auctoritate Domini Papæ absolveret ipsum Dominum Jacobum à sacramentis, quæ fecerat de non remanendo ad regimen civitatis Januæ pro anno venturo: item ut absolveret Consiliarios, & Commune Januæ, & Electores per brevia habentes facultatem de eligendo Potestatem à sacramentis, quibus tenebantur de non habendo dictum Jacobum sequenti anno pro Potestate, Capitaneo, vel Rectore; & dum habitis & datis in Consilio brevibus de electione regiminis facienda electores diu starent, & misissent pro Domino Archiepiscopo, & pro dicto Domino Capellano, & pro Fratribus Minoribus causâ habendi consilium, si, salvis juramentis proinde factis, remanere posset dictus Jacobus ad regimen civitatis Januæ pro anno venturo, maximus rumor fuit per totam civitatem Januæ, & omnes ferè per civitatem cœperunt inde clamare & currere ad arma, & dicere, quòd hoc opprobrium & perjurium fieri nullo modo paterentur. Et sic ut Domino placuit, & fuit de consilio Domini Archiepiscopi, & Fratrum, dicti Electores à proposito eligendi dictum Jacobum recesserunt, & Dominum Spinum de Sorexina pro Potestate venturi anni concorditer elegerunt.

Quadam autem die ultima Septembris Alexandrini non contenti de destructione Capriatæ, quam fecerant contra tenorem juramenti, quo tenebantur, & sententiam inde latam per Mediolani Commune, dum in quiete positi essent, volentes naturam capræ sequi, quæ tamdiu terram scalpit, quòd malè dicitur recubare: ad locum, ubi fuerat castrum Capriatæ, venerunt, & ibi cum festinantia de trabibus & lignamine habitaculum seu receptaculum construxerunt, & ipsum infortiarunt, & homines, arma, & victualia posuerunt ibidem ad custodiam & defensionem ipsius. Quare Januenses commoti sunt, & ex decreto Consilii equi D. fuerunt impositi, videlicet equi CCC. in civitate, & districtu Januæ CC. Postmodum die Sabbati VI. Octobris, Legati Domini Imperatoris ex parte ipsius Imperatoris verba plurima proposuerunt in Consilio Januæ per campanam & cornu more solito congregato, & inter cetera petierunt Ambasciatores ad Dominum Imperatorem ex parte Communis Januæ destinari: & fuerunt lectæ literæ Imperatoris in Consilio supradicto. Quare dictus Potestas, habito Consilio & obtento, quòd Ambasciatores mitterentur, Cives duos elegit, Guilelmum videlicet de Mari, & Henricum Domuscultæ, & eis ambasciatam imposuit supradictam. Sed tamdiu eos distulit eligere, volens in suo recessu, sicut dicebatur, in galêa tendere usque Pisas, quæ pro portandis dictis Ambasciatoribus parabatur, quòd movere de Janua suo tempore nequiverunt. Sed mense Februarii moverunt cum galêa prædicta. Circa verò principium mensis Novembris Comes Provinciæ, secundùm quod cum Restagno Vigonis, & aliis proditoribus de parte sua tractaverat, vênit Niciam cum exercitu, quem proditores homines Communitatis introduxerunt in civitatem Niciæ & suas turres, & fortitias eis statim dederunt. Sed Rubaldus Baraterius, & Ogerius Bedatus, & Lanfrancus Richerius, & alii de parte sua dicto Comiti & proditoribus Niciæ viriliter resistere incœperunt, gerentes de succursu Communis Januæ fiduciam pleniorem, pro quo succursu miserunt, & ipsum infortunium per Nuntios & literas Potestati & Communi Januæ intimarunt. Et quum propter intemperiem temporis exercitus fieri non posset, fuit de voluntate Consilii, quòd illuc galêæ quatuor mitterentur. Quare galêas quatuor dictus Potestas in eorum succursum misit, quarum Capitaneus fuit Octobonus Mallonus. Et quum nihil ibi facere possent, aliæ galêæ quatuor illuc destinatæ fuerunt; & quum ibi diu stetissent, nec utilitatem amicis nec offensionem inimicis facere possent, nec de voluntate majoris partis Consilii foret, quòd aliter succursus Nicienfibus præstaretur, illi de galêis quintam hominum quantitatem armatorum in Niciam posuerunt. Et quum nihil ibi galêæ prædictæ sinè majori succursu facere possent, Januam sunt reversæ; & sic illi, qui civitatem Niciæ contra Comitem defendebant, desperantes de succursu Januæ, antequam mori vellent, quum se tueri non

non possent, se & suas turres & forticias dicto Comiti Provinciæ reddiderunt.

MCCXXX. Indictione III. fuit in regimine civitatis Dominus Spinus de Sorexina, nobilis Miles, multæ constantiæ & probitatis, qui secum habuit Judices duos: unum eorum deputatum ad causas maleficiorum audiendas & definiendas, videlicet Henrichettum de Bonvicino, & alium secum, scilicet Ugonem Mallonum pro Assessore. Item Milites duos, scilicet Dominum Rodulphum de Villa, & Manfredum de Rivalto. Scribæ verò Communis fuerunt Bonusvassallus Caligapalii, Magister Bartholomæus Madius, Obertus Vassallus, & Ambrosius. Octo verò Nobiles pro introitibus Communis Januæ recipiendis fuerunt Ugo Ferrarius, Lanfrancus Bachemus, Obertus de Cruce, Guiraldus de Murta, Daniel Auriæ, Guilelmus de Mari, Ansaldus Embronus, & Ansaldus Falamonica. Consules Placitorum fuerunt in palatio civitatis Henricus Rochemus, in palatio de Medio Guilelmus filius Agadi, in palatio Foritanorum Jacobinus de Saragoza, in palatio burgi Thomasius Magistri Cazuli. Scribæ verò dictorum Consulum fuerunt illi, qui anno præcedenti pro Scribis exstiterunt in dictis palatiis. In eodem anno dum guerra incœpta pro negotiis Capriatæ duraret, Jacobus de Tertiago Potestas Alexandriæ videns, quòd Alexandrini fatigati erant laboribus & expensis, opprobrium timens incurrere sempiternum, cum quibusdam de majoribus & sapientioribus hominibus Alexandriæ Mediolanum, Placentiam, ac Bononiam ivit, & ad societates aliarum civitatum Lombardorum ex parte Mediolani, & ita fecit, quòd Antiani & Rectores ipsius societatis, & Ambasciatores cujuslibet civitatis ad civitatem Placentiæ convenerunt, & ibi Consilia celebrarunt, & cujuslibet civitatum societatis jam dictæ certam quantitatem militum imposuerunt, qui omnes statuto tempore, & termino iverunt Alexandriam; & quum nullam viam viderent, quòd in terris sive locis Communis Januæ commodè possent nocere, deliberato consilio ipsi milites & tota Communitas Alexandriæ armata manu ad obsidionem cujusdam castri Marchionis Montisferrati, quod Mombravius dicitur, hostiliter accesserunt.

Quo audito dictus Dominus Spinus cum quinquaginta de melioribus militibus civitatis Januæ, & cum militibus C., quos duxit Dominus Opicinus Malaspina ad soldos Communis; item cum magna quantitate aliorum militum de ultra Jugum, & de Papia, & de aliis partibus acceptorum ad soldos Communis, ivit Astam; & fuerunt ipsi & dicti milites in servitio Astensium & succursu; & sic terras Astensium defenderunt & Marchionis Montis-ferrati prædicti; & tamdiu in partibus Astæ & Montis-ferrati viriliter & magnificè steterunt, quòd inimici, qui tam magnificè & tam potenter venerant, quod intendebant facere ad effectum deducere nequiverunt, sed de ipsis partibus cum confusione & dedecore recesserunt. Dictus verò Potestas Januæ, & etiam milites pro Communi Januæ destinati, reversi sunt Januam cum honore. Videntes autem Alexandrini, quòd totum suum exercitum fecerant, & quòd ad effectum, quæ intendebant facere, non poterant ducere, & quòd milites, qui venerant in eorum servitium, plus damni & dedecoris eisdem Alexandrinis intulerant, quàm proficui vel honoris, circa compositionem cœperunt intendere, & die VIII. Novembris in arbitros compromiserunt, videlicet in Sardum Archipresbyterum de Alba, & Fratrem Guilelmum Ministrum Hospitalis S. Johannis. Januenses verò, recepto intellectu ab arbitro electo pro Communi Alexandriæ de facto Capriatæ, & acto, quòd Alexandrini de discordiis & guerra, quam habebant cum Astensibus, compromitterent in Commune Januæ, & hoc in præsentia & assensu alterius arbitri supradicti, post multas preces & inductiones in eosdem arbitros compromiserunt, & die II. Februarii in Festivitate Purificationis S. Mariæ de facto Capriatæ tulerunt sententiam, & adjudicata fuit Communi Januæ; & etiam de facto stratæ, & de quibusdam aliis, de quibus in eos non fuerat compromissum, & quæ in quæstione non erant. Et de ipsa sententia Nicolaus de Vultabio fecit chartam, & ordinaverunt, quòd ipsa sententia sigillata tribus sigillis consimilibus deponeretur penes Abbatem de Tellieto, & alia ejusdem tenoris sigillata tribus sigillis consimilibus, videlicet sigillo Fratris Guilelmi, & dicti Sardi, & Fratris Bartholomæi de Vincentia Ordinis Fratrum Prædicatorum, mediis & tertiis ab eis assumtis, penes Abbatem S. Andreæ de Sexto: quæ depositio multùm suspecta visa est Consilio & Sapientibus Januæ, licèt prædicti arbitri religiosi apparerent, & quibus fides adhiberi debet.

Eodem quidem anno circa principium regiminis dicti Domini Spini, Astenses, & Albenses, Henricus de Carretto Marchio, & Gratapalia, Domini de Manzano, Domini de Salmatone, & multi alii Marchiones, proceres, & magnates de ipsis partibus, compromiserunt in Commune Januæ de omnibus guerris, quæstionibus, & discordiis, quæ inter eos vertebantur, & quæ diutiùs viguerunt inter ipsos. Et eodem anno Albenses elegerunt Guilelmum Nigrum Embriacum in suum Potestatem, qui Guilelmus postquam fuit ad regimen ipsorum Albensium, & pro negotiis Communis Albæ ipse & filius ejus Johannes, & Judex ejus Ugo Cancellarius, & plures Ambasciatores ipsius Communis irent, capti fuerunt per Ubertum de Revello apud castrum S. Stephani de Capano & detenti. Et quia Commune Januæ præceperat, quòd partes, quæ compromiserant in Commune Januæ, non offenderent, & quòd quilibet pro alterius posse salvus & securus esset in personis & rebus; & dictum castrum, & prædictus Ubertus esse videbantur in potestate Communis de Aste, requisitis primò Astensibus, quòd prædictos detentos facerent liberari, & termino dimitti, tamdem ex decreto Consilii Januæ obsides de Aste, qui erant in Janua dati fuerunt dicto Guilelmo Embriaco, ut eos custodiret pro Communi Januæ, & quòd easdem commoditates, & exclavationes eis posset facere, quæ sibi & aliis secum captis fierent & fiebant; & de posse Communis Januæ non deberent exire, quousque de expensis & damnis dicto Guilelmo Embriaco & aliis secum captis foret integrè satisfactum. Quare Astenses ita fecerunt, quòd dictus Guilelmus Embriacus, & filius, & Judex ejus, & Ambasciatores de Alba liberati fuerunt, & quòd expensæ, quas in carcere fecerant, fuerunt eis integrè restitutæ ad voluntatem

tem ipsorum. Dum autem eodem anno & in præcedenti plures Romani, & plures homines de Regno Siciliæ, & de Monte-Pezulano, & de aliis partibus cum literis Januam accessissent; & de rapina, quam dicebant factam eis per Durantum de Portu Venere, & per Recuperium, & alios eorum complices, graviter conquererentur; & per maleficia, quæ fiebant, & per eos piratas per diversas mundi partes diffamarentur ab illis, qui rei veritatem nesciebant: per Cives Januæ, & Commune, ex decreto Consilii, fuit in portu Januæ galêa una optimè armata causâ capiendi ipsos Cursales, & causâ maris custodiam faciendi. Et Comitus ipsius galêæ fuit vir nobilis Antonius Bufferius, qui negotium ipsum cum tanta cura & solicitudine procuravit, quòd sagitteam dicti Duranti, & ipsum Durantum, & Recuperium de Portu Venere, & quamplures ex complicibus eorumdem piratarum viriliter cepit, & eos duxit Januam cum dicta sagittea, ipsosque in virtute Communis Januæ consignavit. Qui omnes fuerunt in compedibus positi & in carcere. Et quadam die Dominica in festivitate Sanctorum Nazarii & Celsi dictus Dominus Spinus condemnavit malefactores prædictos, pronuntiando, quòd Durantus, & Recuperius de Portu Venere, & Guilelmus de Vintimilio deberent in furcis suspendi; & alii, qui non erant Capitanei, nec in tanta culpa, deberent dexteris manibus mutilari. Et quia Fratres Minores, & Prædicatores, & dominæ, sive mulieres Januæ hoc præsenserant, videntes quòd dictus Dominus Spinus dictos malefactores nolebat dimittere impunitos, nec etiam ad instantiam Domini Januensis Archiepiscopi, multorum Abbatum, & Capituli Clericorum Januæ, & quampluri-marum Religiosarum personarum, vellet terminum unius diei suspendere, sed dicta die Dominica in festivitate Sanctorum Martyrum prædictorum punire: congregato parlamento ante Ecclesiam Sancti Laurentii, & dictis malefactoribus condemnatis, tanta multitudo dominarum & mulierum civitatis Januæ convênit in Ecclesia & circa Ecclesiam Sancti Laurentii, & ad domum, in qua erant incarcerati prædicti, quòd de ipsa domo non potuerunt extrahi. Et quum milites Domini Spini, & octo Nobiles & guardatores vellent ipsos malefactores de domo, in qua erant, extrahere, & ad supplicium ducere, mulieres cœperunt projicere lapides, & impellere guardatores. Quare dictus Potestas hoc audito præcepit, quòd homines à parlamento non recederent, & ipse cœpit ire ad domum, in qua erant prædicti, & currendo huc & illuc terrebat mulieres prædictas. Et dum curreret, equus transportavit eum, & quando erat super lapidibus unius ex ostiis dictæ Ecclesiæ, cecidit equus sub ipso Domino Spino; & sicut Deo placuit, ipse Dominus Spinus cadendo sibi crus fregit, & inde fuit ad domum, in qua morabatur, adductus, & Medici Januæ ipsum optimè ligaverunt. Postea venerunt Medici de Mediolano; & quum nondum crus solidatum esset, eum disligaverunt, quod multùm fuit eidem Domino Spino nocivum. Postmodum mense Octobris dum jam quasi liberatus esset de crure, & lætus esset, & Potestatiam civitatis Æsinæ hilariter recepisset, & eodem die serò lætanter cœnasset cum familia sua, & de carnibus anseris comedisset, & intrasset cubiculum, occupatus fuit gravi ægritudine, ita quòd taliter constipatum est guttur ejus, quòd non poterat excreare, vel sputum emittere. Et ita, sicut Domino placuit, quadam die Sabbati viam carnis ingressus est universæ, & sequenti die Dominica fuit apud Ecclesiam Fratrum Prædicatorum honorificè tumulatus. Ut autem nihil de contingentibus omittatur, non fuit visum prætermittere, qualiter dum Recuperius de Portu Veneris, & Guilelmus de Vintimilio ducerentur ad furcas, personas suas Deo, & Beato Johanni recommendaverunt. Qui ambo dum fuissent suspensi, & dudum suspensi stetissent, interventu B. Johannis non perierunt in furcis, licèt Durantus de Portu Venere, & Rubeus de Morinello, qui cum prædictis eâdem horâ suspensi fuerant, jamdudum mortui essent. Quare hoc viso miraculo, unus ex Judicibus Domini Spini, & unus ex octo Nobilibus, qui de mandato Domini Potestatis iverat ad dictorum malefactorum supplicium fieri faciendum, Januam festinanter iverunt, & Domino Potestati hoc miraculum nuntiaverunt. Et Potestas præcepit, quòd ambo Januam ducerentur, & eadem die celebrato super hoc Consilio, dimissi sunt ambo interventu Dei & Beati Johannis. Post obitum quidem dicti Domini Spini fuit in regimine civitatis Januæ usque ad complementum ipsius anni, scilicet usque ad Festum Purificationis, vir nobilis & providus Miles Dominus Rodulphus de Villa, qui Judices eosdem, & octo Nobiles, & Scribas Communis, & Officiales habuit, & tenuit, quos dictus Dominus Spinus habebat; & civitatem ac Cives Januæ interiùs & exteriùs in pace & tranquillitate & bono statu usque ad finem sui regiminis conservavit & rexit, & legaliter se habuit ac constanter. Et Dominus Richardus de Villa Judex & Curialis Miles dictum Dominum Rodulphum associavit, & cum ipso stetit laudabiliter & decenter.

Anno Nativitatis Dominicæ MCCXXXI. Indictione IV. fuit in regimine civitatis Januæ vir nobilis & egregius & curialis Miles Dominus Ugolinus Rubeus de Parma, & cum ipso Judices duo, scilicet Dominus Guido Capitaneus, & Dominus Tursellinus. Ejus Milites fuerunt Dominus Andreas de Ripalta, & Dominus Bottexinus. Octo Nobiles pro introitibus Communis recipiendis & expendendis fuerunt Guilelmus Ugonis Embriaci, Rubeus de Volta, Jordanus Richerius, Johannes Guercius, Simon de Camilla, Fridericus Grillus, Thomas Spinula, & Jacobus Piccamilium. Consules Placitorum Henricus de Bonvicino. In palatio civitatis Berguntius Pugnus de Alba. In palatio de Medio Albertus Norardus. In palatio de burgo Consul Civium & Foritanorum fuit Arthonus de Runcho. Scribæ Communis fuerunt Bonusvassallus Caligepalii, Magister Bartholomæus Madius, Obertus, Vassallus Gallus, & Ambrosius. Ipso quippe anno mense Martio redditum fuit castrum Capriatæ Communi Januæ, & constituti fuerunt Castellani ad custodiam ipsius castri Nobiles Simon Ventus & Guilelmus Bulboninus. Eodem anno redeuntibus navibus Januensibus de partibus ultramarinis mense Julio, maximum fuit in Janua Consilium celebratum, in quo recitatum fuit, quòd Dominus Imperator miserat mense Februario proximè præterito galêam unam ad partes ultramarinas, & in ipsa galêa

lêa miserat literas suas Domino Bajulo in ultramarinis partibus constituto, continentes quòd ab hominibus Januæ & de districtu dri- ctum Cathaniæ acciperet, scilicet decenum, sicut ab aliis hominibus, qui exinde privilegiati non erant. Cui Bajulo Januenses ipsum decenum dare noluerunt; & tantam habuerunt cautelam, quòd nihil inde solverunt; quia quum Januenses in ipsis partibus essent fortes, & jus suum vellent defendere, Bajulus volens evitare scandalum, cessavit ipsum decenum à Januensibus extorquere. Eodem anno quum quidam esset in Hispania, qui se Miramolinum faciebat, & qui apud Murciam & Deniam plures ceperat, & detinuerat Januenses, quos contumeliosè tractaverat, & tractabat, qui Januenses ad fidantiam ipsius Soldani causâ negotiandi illuc accesserant; & qui etiam Soldanus resistebat Miramolino de Marocho, qui Septam tenebat, cui totam terram, quam tenebat, auferre & dominium obtinere sperabat; & qui Soldanus direxerat quemdam fidelem suum nomine Augustinum cum stolio galêarum ad defensionem cujusdam Cayti, sive Domini Septæ, qui ibi erat pro Ermemolino, nec non ad offensionem Januensium: Commune Januæ recolens injurias illatas Januensibus atque damna, volens etiam sibi ab injuriis, gravaminibus, & damnis, qui ex dicta armatione possent emergere præcavere: continuò galêas X. & V. barchettas armavit, & de omnibus necessariis eas optimè præmunivit ad reprimendam superbiam Saraceni prædicti. Et die V. intrante Junio Januenses omine felici moverunt, & Capitanei, sive Admirati galêarum ipsarum, fuerunt viri nobiles Carbonus Malocellus, & Nicolinus Spinula. Et quum ad civitatem Septæ applicuissent, valde honorati, & decenter recepti fuerunt, & cum Ermemolino pacem & conventionem laudabilem firmaverunt. Qui Ermemolinus in signum puræ dilectionis & pacis Communi Januæ Bisantios VIII. millia destinavit, & insuper tantam pecuniam, unde optimus equus compararetur, & ex parte sua præsentaretur Communi Januæ coopertus optimo auro, & ferripedatus claponis argenteis. Qui equus, sive destrerius emtus fuit & ductus per civitatem Januæ in signum memoriæ cum claponis argenteis, & panno aureo coopertus. Et circa finem mensis Augusti dictæ galêæ reversæ sunt Januam cum lætitia & vigore. Eodem anno circa medium mensem Septembris Dominus Imperator ordinavit celebrare generalem Curiam apud Ravennam pro mense Novembris venturo in festivitate omnium Sanctorum; & misit literas per diversas partes fidelibus Imperii, scilicet Rectoribus civitatum, & locorum, & aliis viris Magnatibus, qui associati, sicut deceret, ad ipsam Curiam maturarent. Et receptis providè literis à Potestate & Communi Januæ, dictus Potestas magnum Consilium celebravit, in quo legi fecit ipsas literas, quarum tenor hic erat:

„ FRedericus Dei gratiâ Romanorum Imperator, & semper Augustus, Hierusalem, & Siciliæ Rex, Potestati, totique Communi Januæ fidelibus suis gratiam suam & bonam voluntatem. Dudum per literas nostras vos fecisse recolimus plenius certiores, qualiter de consilio Summi Pontificis indiximus primo venturo mense Novembris in Festo Sanctorum omnium generalem Curiam in Ravenna cum Rege Alemanniæ filio nostro, & universi Imperii Principibus, vita comite, sinè defectu quolibet celebranda, desiderio summo zelantes honorem Dei, & Imperialem gratiam, pacem universalis Imperii reformare, disponere statum Italiæ prosperum & tranquillum, sedare dissidia civitatum intus & extra ferventia, & inter vicinos, & populos omnem turbinem, & odii fomitem amovere: tempus idoneum esse confidimus, quo vestra & universalium omnium vota piis monitis nostræ mansuetudinis debeant convenire, ut tot incumbentibus dissensionum malis, quæ passim & publicè civitates & Populos in desolationem impellunt, quæ intestina & plusquam civilia bella movent, finis debitus imponatur. Nos autem cum omni serenitate cordis & corporis ad illius celebritatem Curiæ auctores pacis noveritis advenire pro dispositione Status Imperii, & dissensionibus amovendis cum consilio Summi Pontificis, assistentia Principum, & nostrorum provisione fidelium procedere proponentes. Quapropter Universitati vestræ sub debito fidelitatis, quo nobis & Imperio tenemini, firmiter præcipiendo mandamus, quatenus eligatis de Communi viros industres & peritos, quot & quales videbitur expedire, unà cum Potestate vestro mittendos Ravennam ad Curiam prætaxatam, qui veniant omnium vestrum auctoritate providi Consilii moderatione suffulti, qui sufficienter valeant nostris colloquiis & ordinationibus interesse, prudentia & virtute conspicui, ut quod de promotione status Imperii, & tranquillitate totius Italiæ fuerit per generale colloquium approbatum, pro parte sua & nostra sciant & possint diligenter implere.

Quibus literis in dicto Consilio lectis, fuit de voluntate Consilii, quòd Potestas ad ipsam Curiam cum sex de Nobilibus Civibus Januæ, & cum duobus de Judicibus Januæ, & cum uno de suis Scribis ad ipsam Curiam accederet honorabiliter & decenter. Quare Potestas ipsos elegit, & fuerunt infrascripti, Rubeus de Volta, Johannes Guercius, Theodosius de Flisco, Ansaldus de Nigro, Rubaldus Albericus, Almericus Pansanus, Ansaldus de Mari; Ugo Cancellarius & Scriba fuit. Sed quia * Judices Guilelmus Pictavinus, & Magister Bartholomæus, qui dicto Imperatori erant contrarii, & inobedientes, non permiserunt Principes Alemanniæ pertransire, nec ad ipsam Curiam Ravennam accedere suspensa est Curia ipsa prope Natale Dominicum in festo Sanctorum omnium, quum propter eorum absentiam celebrari non posset. Et tunc dictus Potestas ad Domini Imperatoris Curiam cum prædictis accessit; & in ipsa Curia steterunt tam honorificè & decenter, quòd nullus Potestas alius, nullaque Communitas Potestati & Ambasciatoribus Januæ potuerunt comparari. Principes verò de Alemannia, qui erant in ipsa Curia, occultè venerant ad tapinum propter metum & insidias Lombardorum. Quadam verò die in majori Ecclesia Ravennæ, quæ dicitur *Sancta Resurrectio*, in plena Curia ibidem per Dominum Imperatorem & Principes Theutonicos & Latinos solemniter celebrata, dictus Dominus Imperator statuit & præcepit sub pœna fidelitatis & jurisdictionis, quòd aliqua

qua civitas, sive locus de fidelitate Imperii non eligerent, nec retinerent, nec reciperent aliquem in Rectorem, vel Potestatem, vel in Officialem de illa parte Lombardiæ, quæ contraria erat, & rebellis Domino Imperatori. Quo audito Potestas & Ambasciatores stupefacti ad Dominum Imperatorem accesserunt; & dum excusare vellent Commune Januæ, Dominus Imperator nihil permisit eis dicere, quousque dictum ordinamentum, quod feceat, exposuit; & circa ipsam materiam verba plurima conductiva, & pondus habentia propalavit, & plurima dedit exempla. Finitis verò sermonibus dictus Potestas de voluntate Ambasciatorum surrexit, & sicut meliùs potuit, Commune Januæ excusavit, dicens, & allegans, qualiter Dominus Paganus de Petrasancta electus fuerat circa principium mensis Septembris, antequam alia mentio esset de Curia ipsius, & antequam misisset literas suas Communi Januæ, & antequam insonaret, vel aliquis rumor esset, quòd exercitum facere vellet, vel aliquo modo procedere contra ipsos Lombardos, & antequam in bannum aliquod posuisset ipsos Lombardos. Quòd si Commune Januæ intellexisset, quòd ea debuissent fieri, quæ facta sunt, & quòd ipsi Domino Imperatori debuissent displicere, & gravis ei esset electio, quæ facta fuerat de dicto Domino Pagano, nullatenus facta esset; sed ex quo facta erat, non posset cum honore & salvamento Communis Januæ retractari. Quoniam omnes & singuli Januenses tenebantur speciali capitulo & juramenti vinculo habere & tenere dictum Dominum Paganum, ex quo electus erat per illos, & brevia habuerunt, & bayliam eligendi in Potestatem & Rectorem pro anno venturo; sed finito ipso anno Commune Januæ non faceret aliquod regimen, quod crederet debere posse displicere ipsi Domino Imperatori; allegando etiam, qualiter dicta electio non fuerat facta ad vocem, sed ad brevia, sive ad sortem. Quare Potestas & Ambasciatores supplicabant ipsi Domino Imperatori, quòd sibi grave non esset, si Commune Januæ omne id quod juraverat, non veniret. In reversione quidem, quam prædictus Potestas & Ambasciatores fecerant Januam à dicta Curia, celebravit consilium super his, quæ Dominus Imperator ordinaverat, & præceperat, & ore proprio dixerat super ipso negotio. Et quum quidam ex adverso nollent quòd mitteretur pro ipso, maximus tumultus fuit & rumor maximus per civitatem Januæ; & quamplures ex illis, qui nolebant quòd mitteretur pro Potestate electo, se armaverunt, & amicos suos armari fecerunt, & se congregaverunt quadam die, quando celebrabatur Consilium ad placitum Domini Archiepiscopi. Sed postquam fuit firmatum per Consilium, quòd mitteretur pro Potestate electo, cessavit rumor & tumultus, & omnia tranquilla fuerunt; & dictus Dominus Ugolinus Rubeus, secundùm quod de voluntate Consilii fuit, misit personas spirituales Mediolanum pro Potestate electo ducendo Januam. Interea quidam Nuntius Domini Imperatoris vênit Januam, qui vocabatur Johannes de Regio, & erat de Judicibus Curiæ Domini Imperatoris, & petiit Consilium; & in ipso Consilio fecit legi literas, quas ex parte Domini Imperatoris præsentaverat Potestati Januæ, in quibus literis inter cetera continebatur præceptum & ordinamentum, quod ipse fecerat apud Ravennam super facto Potestatum & officialium non habendorum de parte Lombardorum, qui contrarii Domino Imperatori existunt. Et post recitationem dictarum literarum dictus Nuntius ex parte Domini Imperatoris exposuit ordinamentum, quod fecit Dominus Imperator, & multa pulchra verba dixit in ipso Consilio; & dictus Dominus Ugolinus Commune Januæ, sicut meliùs potuit, excusavit. Qui Dominus Ugolinus Rubeus tempore finito sui regiminis, perfecto Syndicatu, stetit in Janua laudabiliter, honorificè & decenter per dies XV. & à multis de Civibus Januæ fuit multipliciter honoratus, & associatus honorificè in regressu.

Anno Nativitatis Dominicæ MCCXXVII. Indictione V. fuit in regimine civitatis Januæ vir nobilis & magnificus Civis Mediolanensis Dominus Paganus de Petra-sancta, Miles facundus, dives, facieque jucundus, & cum ipso Judices duo providi & discreti, scilicet Dominus Matthæus de Curte nova, & Dominus Johannes de Galerate. Milites verò, sive socii dicti Potestatis, fuerunt Dominus Petrasancta, & Dominus Albertus de Modoëtia. Scribæ verò Communis fuerunt Bonusvassallus Calligepalii, Magister Bartholomæus Madius, & Obertus de Langasco. Octo verò Nobiles pro introitibus Communis recipiendis & exponendis fuerunt Bailardus de Pallo, Ansaldus Bolletus, Obertus Auriæ, Grimaldus Grimaldi, Porchettus Strejaporcus, Bonifacius Pansanus, Bonusvassallus Sardena, & Jacobus Guizulphi. Consules Placitorum fuerunt in palatio civitatis Dominus Thomasinus de Parvopilo. Et Scribæ fuerunt Henricus de Bisamne, & Philippus Cintracus. In palatio de Medio Paganus de Alba. Ejus Scribæ Magister Urso, & Obertus de Serreto. In palatio burgi Ægidius Turselli; ejus Scribæ fuerunt Nicolaus de Clavaro, & Gandulphus de Sexto. Ipso quidem anno quum Dominus Imperator intelligeret, quòd Dominus Paganus de Petra-sancta contra suam prohibitionem receptus esset ad regimen civitatis Januæ; misit literas suas in Regnum, quòd Januenses ubique caperentur in personis, & rebus; & sic factum est. Quo audito fuit maximum Consilium celebratum, & de voluntate Consilii fuit quòd mitterentur duo Ambasciatores ad partes Lombardiæ, & ibi destinati fuerunt Guilelmus Niger Embriacus, & Henricus de Castro. Et quia magna quantitas Consilii, licèt non major pars, dixerat, quòd Ambasciatores mitterentur ad Dominum Imperatorem, dictus Potestas ad inductionem quorumdam secretò misit ad Imperatorem quemdam Clericum, scilicet Dominum Nicolaum Lercarium Canonicum S. Mariæ de Vineis. Et fuit ei ordinatum, quòd in Curia Domini Imperatoris ultra dies octo non staret; qui nihil fecit in Curia Imperatoris. Tunc tota civitas interiùs & exteriùs posita erat in maximo turbine & horrore, & quidam fovebant partem Imperatoris, & quidam alii volebant confœderationem facere cum illa societate Lombardorum, qui contrarii erant, & rebelles Domino Imperatori. Quum autem propter ea, quæ acciderant in Regno, missæ fuissent ad partes Tunexi galêæ V. pro custodia & salvatione Lignorum & hominum Januensium, in quibus fuit Capitaneus Guilelmus Nicolæ Malloni, & insonuisset in ipsis partibus, quòd Imperator miserat suo Mare-

rescalcho, quòd omnes Januenses, qui erant in partibus Tunexi, expellerentur, ipsas galêas II. & naves II. bene guarnitas ad partes ultramarinas miserunt in subsidium, & ad defensionem nostrorum. Et postquam ipse clamor insonuit Januæ, de voluntate Consilii armatæ fuerunt galêæ X. & naves II. in Janua, quæ missæ fuerunt ad partes ultramarinas; & earum Capitanei, sive Admirati fuerunt Antonius Bolletus, & Bonifacius Pansanus. Et moverunt dictæ galêæ X. ut ad partes ultramarinas accederent. Mariscalchus Imperatoris, & sui milites fuerunt disconfiti in campo, & ferè omnes mortui, atque capti. Qui Mariscalchus cum paucis hominibus fugiendo se reduxit ad Tyrum. Postquam verò nostræ galêæ & naves applicuerunt apud Aconem, habuerunt totum mare in sua virtute; & stolum Imperatoris non audebat stare in mari. Rebus autem ita se hinc inde habentibus, Dominus Imperator volens suis casibus providere, misit Ambasciatores duos Januam, quorum unus vocabatur Leo Manzinus, & alius Thadæus de Suexa, qui Consilio congregato porrexerunt quasdam literas ex parte Imperatoris, quarum tenor hic est:

„ FRidericus Dei gratiâ Romanorum Imperator, & semper Augustus, Hierusalem, ac Siciliæ Rex, Consilio, totique Communi Januæ fidelibus suis gratiam suam & bonam voluntatem. Qualiter fortunato exercitu nostro successit in partibus ultramarinis, quòd felicem victoriam prostratis hostibus fuerint assequuti, longè lateque jam celebris fama vulgavit, ut plenè gaudere valeant, qui nostris successibus collætantur. Nos autem, qui ad nostri fideles Imperii, & si quando eorum provocet offensa, non obliviscimur misereri, mittimus illuc Manzinum magnæ Curiæ nostræ, & Barensium Judicem, & Thadæum de Suexa fideles nostros universitati vestræ mandantes, quatenus ea, quæ vobis ex parte nostra proponent, indubitanter & firmiter credere debeatis. Data Melfiæ XVIII. Julii, V. Indictione.

Porrectis itaque dictis literis & perlectis, post multas hinc inde verborum effusiones dixerunt, quòd si Commune Januæ mitteret Ambasciatores dicentes ad Dominum Imperatorem, quòd peterent personas & res Januensium detentas in Regno, Dominus Imperator ipsos Januenses cum rebus suis faceret expediri. Quare fuit de voluntate Consilii, quòd Ambasciatores ad Imperatorem propterea mitterentur. Unde fuerunt electi viri nobiles Montanarius de Marino, & Piccamilius, qui ambo iverunt; & bene ab Imperatore recepti fuerunt, & sicut petierant, habuerunt literas ad quascumque partes Regni voluerunt mittendas ex parte Imperatoris, quòd personæ Januensium & res dimitti & liberari deberent, & sic Januenses reversi sunt, & ex parte Domini Imperatoris Communi Januæ literas adduxerunt, quarum tenor talis est:

„ FRidericus Dei gratiâ Romanorum Imperator, & semper Augustus, Hierusalem & Siciliæ Rex, Consilio, totique Communi Januæ fidelibus suis gratiam suam & bonam voluntatem. Recepit Excellentia nostra benignè Nuntios vestros, quos cum vestris literis ad nostram præsentiam destinastis, & tam ea, quæ coram nobis ex parte vestra proposuerunt ore tenus, quàm quæ literæ continebant, intelleximus diligenter. Sanè licèt quædam fuerint attentata per vos, in quibus nostra Serenitas vix potuit non offendi; Nos autem Imperialem mansuetudinem ad subditos nostros exercere volentes, nec dedignantes justitiam cum clementia moderari, Januenses, qui custodiebantur in Regno nostro, & res eorum, quæ captæ fuerant, liberari & restitui jussimus. Itaque offensionibus præcedentibus taliter Culmini nostro satisfacere studeatis, ut sicuti commissa præterita per satisfactionem debitam duxeritis redimenda, sic Celsitudinem nostram placabilem de bono in melius cum favore gratiæ sentiatis, scilicet Nuntios nostros proposito & benigna intentione nostra ad potiorem confidentiam assumatis, intendentes Majestati nostræ placere per obsequium futurum, quemadmodum & hactenus displicuisse noscimini per offensam; ut si quis Prædecessorum nostrorum propter vestra servitia vobis recolitur favorabilis exstitisse, nos mereamur nedum favorabiles, sed liberales nostris servitiis præsentire; illud præ oculis potissimum habituri, quod major & favorabilior nostra sequitur benignitas, quàm aliquorum potuit temeritas præcessisse. Datum Frang. „ . . . . .

In eodem anno mense Junii dum prædictus Potestas habitâ inde licentiâ à Consilio pro negotiis suis iret Mediolanum, & secum irent Guarnerius Judex, & Lanfrancus filius Grimaldi, & quum jam essent inter Vigueriam & Papiam, capti fuerunt & detenti per Rolandum Georgium de Papia, & contumeliosè tractati. Tamen eos postea dimiserunt abire, nec eos ausi sunt diutiùs detinere. Eodem quoque anno mense Junii homines Alexandriæ, sequuti motum furoris sui, Capriatam venerunt, & segetes & alia quæ invenerunt circa Capriatam devastarunt, non contenti de aliis injuriis factis in negotiis Capriatæ. Eodem etiam anno Alix Rex Cypri intravit civitatem Januæ, & in eadem Potestatia de mense Januarii de Janua recessit. Eodem item anno quum Ottobonus Eliæ in quadam nave veniret Januam cum Jacobo Grillo de Cypro, & quædam verba secum habuissent, post ipsa verba, dum esset in pelago, disparuit, quòd nec in nave, nec alibi postea potuit inveniri. Quare dictus Jacobus culpatus fuit, & accusatus de morte ipsius Ottoboni; & habitis inde præsumtionibus pronuntiatum fuit per dictum Potestatem, quòd inde se defenderet per duellum. Quare Campiones electi fuerunt per partes, & ordinatum est, quòd pugna fieret in Sarzano; & unus Campionum qui defendebat dictum Jacobum, qui vocabatur Pestellus de Cumis, succubuit, & superatus fuit, sive extinctus ab alio Campione, qui vocabatur Gazia de Florentia; & sic eodem die dictus Potestas fecit decapitari dictum Jacobum in litore Sarzani; & factum fuit dictum duellum die Veneris III. Decembris. Postea eodem anno die X. Decembris Sorleonus Piper, & Suzo frater ejus ambo vulnerati fuerunt graviter, & inde culpatus fuit Henrichettus Embronus filius quondam Rubaldi Embroni, & propterea forestatus fuit, & in bannum positus.

Anno Dominicæ Nativitatis MCCXXXIII. Indictione VI. fuit in regimine civitatis Januæ Dominus Pegolotus Uguccionis de Guirardinis de civitate Florentiæ. Judices ejus fuerunt Dominus Altovitus, & Dominus Bonavia. Milites ejus Dominus Aldebaldus & Dominus Aldemanus. Octo Nobiles pro introitibus Communis Januæ recipiendis & expendendis fuerunt Obertus de Volta, Ansaldus de Nigro, Obertus Ususmaris, Lanfrancus Advocatus, Guilelmus Ventus, Lanfrancus Malocellus, Henricus de Domoculta, & Jacobus Gatiluxius. Scribæ Communis fuerunt Bonusvassallus Calligepalii, Magister Bartholomæus Madius, & Obertus de Langasco, Vassallus Gallus, & Ambrosius. Consules de justitia in palatio civitatis Albertus Moreschus de Placentia. Ejus Scribæ Henricus de Bisamne, & Philippus Cintracus. In palatio de Medio Rufinus de Cavatio de Laude. Ejus Scribæ Magister Urso, & Obertus. In palatio burgi Gothifredus Storalis. Ejus Scribæ Ricobonus Coxanus, & Jacobus Auricula. In palatio Civium & Foritanorum Inguifredus quondam Gonnelli de Luca. Ejus Scribæ Nicolaus de Clavaro, & Gandulphus de Sexto. Ipso quoque anno quum grandis discordia esset inter homines civitatis Lucanæ, & intestina bella ibi essent, fuerunt illuc missi viri nobiles Simon Ventus, & Johannes Strejaporcus, qui sicut viri providi & discreti, tamdiu ibi steterunt, quòd ipsos ad tranquillitatem & concordiam deduxerunt. In eodem anno fuerunt Legati duo sive Ambasciatores missi ad Dominum Papam, scilicet Johannes Piper, & Nicola Guizulphi causâ impetrandi Privilegium, quòd Canonici Januenses non eligantur nisi de civitate Januæ salva auctoritate Domini Papæ, & inde literas impetrarunt. Eodem anno Jacobus de Marino missus fuit Legatus ad Septam, & ambo Admirati, scilicet Ansaldus Bolletus, & Bonifacius Pansanus, qui anno præcedenti tempore Domini Pagani de Petra-sancta missi fuerant cum stolio galearum X. ad partes ultramarinas, reversi sunt Januam. Eodem anno missi fuerunt Ambasciatores duo ad Ducem Venetiarum, scilicet Dominus Detesalve de Platea-longa, & Sucius Piper, & Magister Bartholomæus Scriba cum eis. Eodem anno Legati duo, scilicet Henricus de Molazana de Volta, & Paganus Rodulphi, qui missi fuerant tempore Domini Ugolini Rubei de Parma ad Soldanum Ægypti, reversi sunt Januam. Eodem anno quum rustici Vallis Uneliæ, & rustici de Valle Arociæ conjurationem fecissent, & suis Dominis scilicet Episcopo Albinganæ, & Marchionibus inobedientes essent, dictus Episcopus & Marchiones, scilicet Tagliaferrus, & Domina Mabilia uxor quondam Ottonis de Cravexana Januam accesserunt, & in tantum per se & suos propinquos & amicos laboraverunt & fecerunt, quòd dictus Potestas pro Communi Januæ conventionem fecit cum Tagliaferro, & quòd destinati fuerunt in Ripariam pro ipsis negotiis contra rusticos de Jura viri nobiles Conradus de Castro, Guilelmus Ventus, & Manuel Auriæ, quibus data fuit potestas procedendi contra ipsos rusticos de Jura, & quod expedire viderent. Qui homines de Riparia congregaverunt se contra rusticos supradictos, & licèt non multi essent, duos fecerunt exercitus, & se in duabus partibus diviserunt. Rustici autem de Jura de dictis exercitibus, cui exercitui præerat Conradus de Castro, ipsum Conradum, & exercitum, qui secum erat, converterunt in fugam. Postmodum dicti Rustici sinè dilatione ad alium exercitum, cui præerat Guilelmus Ventus & Emanuel Auriæ, accesserunt. Similiter ipsum exercitum converterunt in fugam; & sic ipsi Rustici accensi spiritu stultitiæ & furoris cœperunt expugnare castra de partibus Albinganæ, & quædam alia pertinentia Communi Januæ; & quædam ex ipsis castris ceperunt & destruxerunt, & quædam alia loca devastarunt, & de melioribus Civibus Januæ, Vintimilii, & Savonæ nequiter occiderunt, & die noctuque malefacere non cessarunt usque in finem regiminis Potestatis prædicti.

Anno Dominicæ Nativitatis MCCXXXIV. Indictione VII. fuit in regimine civitatis Januæ vir nobilis & Civis Cumarum Dominus Remedius Ruscha. Judices ejus fuerunt Dominus Guilelmus de Guilenzono, & Dominus Ancellinus de Porta Monastili. Milites ejus fuerunt Guilelmus de Viola, & Jacobus de Casanova. Octo Nobiles constituti ad introitus Communis recipiendos & expendendos fuerunt Jacobus Mallonus, Jonata Cavaruncus, Manuel Auriæ, Lanfrancus Spinula quondam Ingonis, Guilelmus Sardena, Ugo de Marino, Fredericus Grillus, & Matthæus Ceba. Scribæ verò Communis Januæ fuerunt Bonusvassallus Ingonis Calligepalii, Magister Bartholomæus Madius, & Obertus Vassallus Gallus, & Ambrosius. Consules de Justitia fuerunt in palatio Communis Januæ Johannes Anglerius de Placentia. Ejus Scribæ Henricus de Bisamne, & Philippus Cintracus. In palatio de Medio Rambertinus de Rimbaldis de Bononia. Ejus Scribæ Magister Ursus, & Obertus. In palatio burgi Ubertinus de Pegoletto. Ejus Scribæ Ricobonus Coxanus, & Jacobus Isembaldi. In palatio Civium & Foritanorum Guilelmus de Laude. Ejus Scribæ Nicolaus de Clavaro, & Gandulphus de Sexto. Ipso quippe anno quum Dominus Pegolottus Potestas anni præteriti fuisset condemnatus per Ugonem Ferrarium, Andream de Carmandino, Obertum Auriæ, & Rubaldum Anguinum Syndicatores Communis in quadam pecuniæ quantitate, & eam solvere nollet, propterea quia dicebat, ipsam pecuniam devenisse in Communi, & quòd eam reddere non debebat, fuit ei prohibitum, ne de Janua recederet, quousque ipsam condemnationem solvisset. Et ideo venerunt Januam Ambasciatores Florentiæ, & Bononiæ, & etiam Dominus Otto de Mandello de Mediolano causâ petendi gratiam de dicta condemnatione. Et quum non possent ipsam gratiam consequi, nec habere, quidam ex Nobilibus Januæ, qui se obligaverant pro dicto Domino Pegolotto, ipsam quantitatem solverunt pro ipso; & sic dictus Dominus Pegolottus recessit. Quum igitur Rustici de Valle Uneliæ, & Arociæ, & de Jura, ipsorum malefacta & injurias Communi Januæ non cessarent, imò ad instigationem Bergundii Pugni Potestatis eorum de die in diem accenderentur in pejus, & castrum Petralatæ inferioris cepissent, & castrum Ruinatæ similiter, & alia plura mala hominibus districtus Januæ inferrent in personis & rebus: placuit generali Consilio, quòd exercitus fieret contra eos, nisi usque ad certum terminum venissent ad mandatum Communis Januæ. Et quia venire ad terminum noluerunt, Dominus Reme-

medius Ruſcha Januenſis Poteſtas auctoritate generalis Conſilii, dato primitus Vexillo Magiſtratus Sancti Georgii viro nobili Johanni Straleriæ, & datis quibuſdam aliis vexillis militum & peditum per compagnias in Eccleſia Sancti Laurentii in publico parlamento, quadam die Dominica XXVIII. Madii cum Judice ſuo Domino Anſelmo & cum ambobus ſuis militibus & ſervientibus, & cum aliquibus de Nobilibus Civibus Januæ, facta pulſatione campanarum in Eccleſia Beati Laurentii in modum Stramitæ, viriliter movit, & exivit de Janua, & apud Albinganam exercitum exſpectavit. Et die Sabbati III. Junii in arena Albinganæ fecit maximum parlamentum, & dedit vexillum militum quatuor compagniarum deverſùs civitatem viro nobili Petro Vento, & aliud vexillum militum quatuor compagniarum viro nobili Theodoſio de Fliſco. Et ſequenti die Poteſtas & totus exercitus inde moverunt, & per terram & per mare iverunt ad plagiam Uneliæ, & Portus-Mauritii, & ibidem fixerunt tentoria. Et poſtea inde feliciter & viriliter moverunt, & iverunt uſque ante caſtrum Beſtagni; & ſtatim incœperunt ſatis improvidè expugnare, antequam manducarent, ipſum caſtrum, & antequam Baliſtarii illuc acceſſiſſent, vel parati eſſent. Et ſic quamplures ex noſtris ibi de lapidibus & quadrellis vulnerati fuerunt. Et Oliverius Arnaldus ibidem pugnando interfectus fuit. Et quum machinæ nondum factæ eſſent, nec alia neceſſaria ad expugnandum dictum caſtrum, & homines ibi magagnarentur, Poteſtas diviſit prœlium, & die ſequenti fieri fecit guaſtum & crates in maxima quantitate. Unde homines, qui erant in ipſo caſtro Beſtagni, videntes, quòd ſe tueri non poterant, venerunt ad mandatum Communis Januæ, & poſtea omnes alii Ruſtici de Jura, qui erant in Aquarono, & in Scortegabecho, & in aliis locis ejuſdem Vallis, ſcilicet Vallis Uneliæ, & Vallis Arociæ venerunt ad mandatum Communis Januæ.

Poſtea Poteſtas munivit caſtrum Beſtagni, & caſtrum Aquaroni, & Scortegabechi, & conſtituit Poteſtatem Henricum Rubeum de Volta in Unelia, & in tota ipſa Valle Uneliæ, & fecit muniri in Valle Arociæ caſtrum Teuchi, & poſtea Januam reverſus eſt cum magna gloria & triumpho. Eodem quidem anno in feſtivitate Sancti Bartholomæi Apoſtoli inſonuerunt rumores de partibus Septæ, quòd Calcurini Cruce-ſignati cum maximo exercitu venerant ad obſidionem Septæ causâ capiendi locum ipſum, & homines. Januenſes verò, qui erant in partibus ipſis cum multis navibus, & cum maxima quantitate biſantiorum, & mercium, atque rerum, timore commoti ſunt. Timebant enim amiſſionem perſonarum & rerum, ſi Terra ipſa caperetur per dictos Calcurinos. Item timebant pugnare contra Chriſtianos Cruce-ſignatos. Sed quia Chriſtiani Calcurini jam ceperant apud Cades, & in Sciptum quaſdam naves Januenſium, & quoſdam ex hominibus Januæ, ſcilicet Guilelmum de Nigrono, & Balduinum Spionum, Januenſes, qui erant apud Septam, munierunt X. de majoribus & melioribus navibus causâ eundi eis obviam. Sed ipſi Calcurini bona verba habuerunt, & reddiderunt dictum Guilelmum de Nigrono, & alios, quos habebant; & ſic Januenſes ſtabant ab una parte; & tamdem ipſi Calcurini ſe poſuerunt ſupra ventum, & poſuerunt ignem in una parva nave veteri, quam habebant, & quam ceperant, & eam impellebant ſuper navibus & Lignis Januenſium, ut eas comburerent. Noſtri autem videntes, quòd non poterant ſe ab igne tueri, dimittentes res & omnia, quæ habebant in Septa, & dimittentes etiam quamplures Januenſes, qui erant in Septa, venerunt Malicam cum ipſis navibus decem. Calcurini verò ceperunt quemdam bucium onuſtum, paratum venire Januam; & alia Ligna, quæ erant in ipſis partibus, igne cremarunt. Januenſes verò de dictis navibus decem apud Malicam conſilium celebraverunt, & fuit de conſilio, & voluntate ipſorum munire bene duas naves, & in eis remiſerunt homines bene munitos Septam ad defenſionem ipſius terræ, & rerum. Quæ duæ naves applicuerunt apud Gumenam, loco ubi dicitur Tarforoli. Et exinde ipſi homines iverunt Septam per terram. Quatuor verò ex dictis navibus decem venerunt Januam, & aliæ prædictæ duæ naves iverunt Tuneſim. Dominus verò Remedius Januenſis Poteſtas, receptis literis à Soldano Septæ, quòd mitteret ſibi ſuccurſum, & ipſe faceret medietatem expenſarum, & etiam ampliùs ad voluntatem Poteſtatis & Communis Januæ, auctoritate Conſilii miſit illuc galêas XXVIII. & alias IV. naves ex dictis navibus, & X. quæ Januam venerant causâ portandi victualia, & neceſſaria ipſis navibus & galêis. Primitus iverunt galêæ IV., quibus conſtitutus fuit Capitaneus Dominus Lanfrancus Spinula, & poſtea iverunt galêæ X., quibus conſtitutus fuit Capitaneus vir nobilis Ottobonus de Camilla. Poſtea verò iverunt galêæ IV. cum dictis IV. navibus, quibus fuit conſtitutus Capitaneus Ingo Bonifacii de Volta; & venditi fuerunt denarii XII. uſque ad annos X. in qualibet mina Salis pro libris XXVIII. millibus, causâ finiendi expenſas prædictarum navium & galêarum. Quum autem prædicti Admirati Capitanei inſtarent & peterent à Soldano Septæ expenſas, quas promiſerat, & reſtitutionem damnorum, quæ paſſi fuerant, & eis data fuerant per Calcurinos: dictus Soldanus timens potentiam Januenſium, miſit per Barbaros, & quum quaſi tota civitas Septæ plena eſſet ipſis Barbaris, quidam ex galeottis galêarum devenerunt ad rixam cum quibuſdam Sarracenis, & ſic omnes clamaverunt ad arma. Et fuit prœlium incœptum, & cucurrerunt Sarraceni ad fundicos, & poſuerunt ignem in ipſis fundicis & domibus, & ſic quòd plures hinc inde mortui ſunt, & interfecti, & maxima quantitas rerum Januenſium combuſta eſt & perdita.

Anno Dominicæ Nativitatis MCCXXXV. Indictione VIII. fuit in regimine civitatis Januæ vir nobilis & magnificus Civis Bononienſis Petrus de Andalo. Ejus Judices fuerunt Dominus Marcantus, & Dominus Guilelmus. Octo verò Nobiles conſtituti ad introitus Communis Januæ recipiendos & expendendos fuerunt Johannes Zacharias ſocer Lanfranchi Spinulæ, Conradus Porcellus, Obertus de Nigro, Nicolaus Grimaldi, Rubaldus Albericus, Johannes Guercius, Guilelmus Baraterius, Petrus Falamonica. Scribæ verò Communis Januæ fuerunt Bonuſvaſſallus Calligepalii, Magiſter Bartholomæus Madius, Obertus de Langaſco, Ambroſius, & Vaſſallus Gallus. Ipſo quoque anno quum Soldanus Septæ Nuntios, ſive

sive Ambasciatores Communis Januæ, & Januenses, qui erant apud Septam, detineret in verbis, & eos diu duxisset & duceret per ambages, destinatus fuit illuc Messaticus pro Communi Januæ Dominus Carbonus Malocellus, qui sicut vir providus & discretus pluries coram dicto Soldano Septæ secundùm formam sibi datam bene & sapienter proposuit ac processit; & quum videret & perciperet, quòd ipse Soldanus nihil vel quasi nihil facere vellet de his, quæ facere promiserat, & debebat, de voluntate aliorum Admiratorum & Capitaneorum & Consilii Januensis, qui erant in ipsis partibus Septæ, in sancto die Veneris dictum Soldanum & homines suos viva voce diffidavit, & facta diffidatione ipse & alii Januenses, qui erant in terra, se in navibus & Lignis Januensium collegerunt cum aliis, qui quasi omnes præscii dictæ diffidationis, quæ fieri debebat per dictum Carbonum, jam se recollegerant. Dictus autem Carbonus dum ab aliis Admiratis auctoritate Consilii Januensium, qui erant apud Septam, destinatus fuisset in Sibiliam, causâ accipiendi & soldeandi milites, & ducendi eos ad obsidionem Septæ, sicut altissimo Deo placuit, de hac vita migravit.

Auditis autem rumoribus, qualiter nostri stabant in obsidione Septæ, missæ ibi fuerunt galêæ quatuor bene armatæ in succursum nostrorum Januensium, & omnia pro quibus miserant, exceptis militibus eis de Janua per Commune Januæ missa fuerunt. Sed si milites missi fuissent, Januenses, qui erant in terra, viriliter cum ipsis militibus descendissent, & civitatem Septæ obsedissent per terram, & eam secundùm quod hostibus videbatur, cepissent. Sed quia milites eis non fuerunt transmissi, construxerunt trabuchos duos in navibus duabus, tenentes ipsam civitatem ad obsidionem cum navibus magnis LXX. & cum aliis navibus parvis XXX. & cum galêis XX. & cum multis aliis Lignis minutis die noctuque cum trabuchis & aliis machinis ipsam civitatem expugnare non cessabant. Postea verò in fine fuit Lucius Piper Messaticus pro Communi Januæ juxta formam tractatus, quam portavit de Janua. Fuit electus alius Capitaneus, videlicet Ugo Lercarius; qui ambo remanere debebant cum galêis X. e quadam navium quantitate, si concordium decens & honorabile fieri non posset. Tamdem concordium cum honore maximo Communis Januæ factum est; & sic omnes Capitanei, excepto dicto Carbono, cum omnibus galêis & quibusdam ex navibus Januam sunt reversi, & die Jovis XIII. Decembris ad portum Januæ feliciter applicuerunt. Quædam verò ex navibus remanserunt apud Septam, & quædam aliæ Tunexim, & ad quasdam alias mundi partes diversas tenuerunt. Et eodem anno factum fuit duellum in Campo Sarzani, & unus ipsorum Campionum, qui vocabatur Oliverius, dum staret subtus prostratus viriliter ab alio Campione, & conculcatus teneretur & videretur devictus, sicut Deo placuit, obtinuit, & Campionem alium, qui erat desuper eum, strangulavit, & interfecit, juxta illud Catonis exemplum: *Victorem à victo superari sæpe videmus*. Eodem anno mense Decembris navis quædam magna Nicolæ Cigalæ, & Sociorum, quæ venerat de ultra mari onusta bombacio, & quæ nondum tota erat exonerata, per malam custodiam guardatorum accensa fuit & igne combusta. Ipso quoque anno electus fuit Messaticus Vir nobilis Guilelmus de Nigrono pro eundo ad Regem Tunexis causâ faciendi conventionem pro Communi Januæ cum ipso Rege, & movit de Janua; sed novercante maris & temporis qualitate, navis, in qua ipse erat, non potuit transfretare, sed reversa est ad portum. In fine autem dicti regiminis die ultima Januarii, vera Crux reddita fuit per Ingonem de Grimaldo, qui eam acceperat à dicto Potestate in virtute Domini Ottonis Januensis Archiepiscopi & Capituli Ecclesiæ Januensis, & inde sunt instrumenta.

Anno Dominicæ Nativitatis MCCXXXVI. Indictione IX. fuit in regimine civitatis Januensis vir nobilis & magnificus Civis Mediolanensis Dominus Jacobus de Tertiago. Ejus Judices Durandus de Merliate, & Guilelmus de Gorgonzola. Ejus Milites Gamba de Mazate, & Henricus de Tertiago. Octo Nobiles fuerunt Guilelmus Niger Embriacus, Ingo Bonifacii de Volta, Obertus de Cruce, Jacobus Malocellus, Gavinus Auriæ, Lanfrancus de Mari, Nicolaus Spinula, & Piccamilius. Scribæ Communis fuerunt Bonusvassallus Calligepalii, & Magister Bartholomæus Madius, Obertus Vassallus, & Ambrosius. Eodem anno Dominus Fridericus Romanorum Imperator, Hierusalem, & Siciliæ Rex cum quadam quantitate militum Theutonicorum per civitatem & partes Veronæ vênit, & multos burgos & multa loca de districtu Mantuæ destruxit; & veniens Cremonam habuit Marchariam & Mosum sinè aliquo prœlio; quia illi, qui tunc tenebant Marchariam, ipsam in virtute Domini Imperatoris dederunt, &, sicut fama erat, à Domino Imperatore magnam quantitatem pecuniæ proinde habuerunt. Mediolanenses verò, Brixiani, & alii Lombardi de Societate ipsorum viriliter iverunt contra exercitum Imperatoris, & stabant in campo in territorio Brixiæ. Cremonenses verò & alii de parte sua iverunt obviam Imperatori; sed quia aqua Lolii erat in medio, non potuerunt ire, nec se conjungere Imperatori, nec Imperator ad eos. Tamen Cremonenses de nocte per quemdam pontem occultè sinè strepitu ultra dictam aquam iverunt, & Imperator cum exercitu suo se cum ipsis conjunxit; & pro hominibus Brixiæ remansit, quòd prœlium factum non fuit. Et sic Imperator cum exercitu suo vênit ad partes Cremonæ, intendens ire Papiam. Sed Placentini, qui semper in arduis articulis, & negotiis providentiam habuerunt, ad suggestionem Domini Jacobi Prænestini Episcopi Apostolicæ Sedis Legati, de invio sunt ad viam, de odio ad amorem, & de dissensione ad concordiam & unionem deducti; & rejectis Henrico Malaspina eorum Potestate, & expulsis quibusdam ex Civibus Placentiæ, qui suæ non erant civitatis, neque Patriæ amatores, per providentiam & circumspectionem Domini Raynerii Zini Potestatis eorum, pro sua & Societatis Lombardorum libertate se murum & clypeum opponere tempore tanti discriminis nullatenus timuerunt. Mediolanenses verò, & ceteri de Societate ipsorum apud civitatem Laudi, & apud Placentiam, & in campis castrametati sunt, & fecerunt tentoria, causâ prohibendi, ne Dominus Imperator eundi Papiam suum desiderium, sive propositum adimpleret. Interea Eccelinus de Roma-

mano, qui remanserat cum quadam quantitate militum in Marchia, tractavit proditionem civitatis Vicentiæ, & misit Domino Imperatori, quòd illuc cum omni festinantia maturaret. Qui Dominus Imperator quum in partibus Placentiæ nihil posset proficere, nec se vellet periculis objectare, versùs Vicentiam cœpit dirigere gressus suos, gaudens, quòd habuerit versùs Alemanniam materiam redeundi. Et quum appropinquasset Vicentiam, partes, quæ erant in civitate, sicut pertractatum fuerat, prœliari cœperunt, & introductus est exercitus Imperatoris in ipsam civitatem, & sic capta & destructa est ipsa civitas. Ipso etiam anno homines Mantuæ occultè quadam nocte ad dictum locum Marchariæ, qui locus erat bene munitus de hominibus Cremonæ & Parmæ, accesserunt, & dum custodes dormirent, cœperunt expugnare ipsum locum, & ipsum & homines, qui erant in ipso loco, ceperunt, & multos ex eis occiderunt, & alios captos duxerunt Mantuam, & ipsum locum munierunt. Ipso quoque anno moneta Januæ ita fuit falsata, quòd aliquis ipsos denarios nolebat recipere, & quandoque ita bene repudiabantur boni sicut falsi. Sed per curam Domini Jacobi de Tertiago Potestatis falsa moneta fuit brevi tempore suffocata, destructa pariter, & incisa, & multi propterea graviter puniti fuerunt. Et eodem anno Conradus de Castro reversus est à Legatione, quam pro Januensi Communi fecerat ad Regem Tunesis.

Anno Dominicę Incarnationis MCCXXXVII. Indictione X. fuit in regimine civitatis Januæ Dominus Olcradus Grossus de Trexino Laudensis, & cum eo Judices duo, Dominus Jacobus Altacima, qui semper fuit ejus Assessor, & Dominus Jacobinus Delmichi ad maleficia audienda. Qui Dominus Jacobinus repentina infirmitate gravatus decessit; & dictus Potestas alium Judicem Dominum Baxianum de Bolonis habuit super factum maleficiorum. Milites verò Potestatis fuerunt Dominus Antonius, & Dominus Raymundus, qui Raymundus propter infirmitatem sui corporis recessit de Janua; & dictus Potestas habuit loco ejus & tenuit Dominum Albertum. Scribæ Communis fuerunt Bonusvassallus Calligepalii, Magister Bartholomęus, Vassallus Gallus, Ambrosius Madius, & Obertus de Langasco. Octo Nobiles constituti ad expendendos & recipiendos introitus Communis Januæ fuerunt infrascripti, Obertus Ferrarius, Johannes Strejaporcus, Hugo Fornarius, Almericus Pansanus, Henricus de Nigro, Henricus Baraterius, Luchetus Gerinaldi, Raynaldus Ceba. Lapso quidem anno venerunt Terdonenses, & in eorum servitium milites Papiæ, ad Arquatam, & ipsum locum reædificaverunt de lignamine & fossatis; quo audito dictus Potestas auctoritate Consilii ivit ultra Jugum; & exercitus de Janua & districtu cœpit eum insequi, tardè tamen. Et quando magna pars exercitus fuit apud Vultabium, Potestas celebravit Consilium, & de voluntate Consilii ivit versùs Terdonenses, & se attendavit Potestas prope exercitum inimicorum per unum milliare; ita quòd ambo exercitus se videbant. Et dum ibi per plures dies starent, Papienses & Terdonenses se levaverunt de campo, & postmodum Potestas auctoritate Consilii incastellavit Montem-Gavillonum, infortiando ipsum locum meliùs quàm antea infortiatus esset, & ipsum bene munivit de armis, & victualibus, & balistariis, servientibus, & Capitaneis, & Januam reversus est ipse, & totus exercitus Januæ.

Ipso quidem anno Dominus Tebaldus Comes de Monteforte vênit Januam, & ivit Romam, & per Januam ivit & redivit, & in Janua recepit plurima servitia & honores. Durante autem guerra inter Imperatorem & Lumbardos, Dominus Imperator Fredericus vênit in Lombardiam cum quadam quantitate militum non multùm magna, & cum amicis, quos habebat in Lombardia, & in Marchia, & in Thuscia, intravit hostiliter terram Mantuæ, & devastando extrinseca circa ipsam, habuit civitatem, & postea intravit terram & districtum Brixiæ, & cepit Montem-Clarum, & alia plura castra & loca usque prope civitatem Brixiæ. Quo audito Mediolanenses cum suo exfortio & amicitia illuc iverunt, & fixerunt tentoria prope exercitum Domini Imperatoris per milliaria quatuor; & quum Mediolanenses sibi malè caverent, & pluribus de suis dedissent licentiam de exercitu recedendi, Dominus Imperator eos invasit, & victo prœlio triumphavit & cepit Carrocium, & Potestatem Mediolani, & quamplures de melioribus, majoribus, & nobilioribus Civibus Mediolani, & de Vercellis, Alexandriæ, Novariæ, & aliis civitatibus atque locis, qui cum Mediolanensibus capti fuerunt, & detenti, & etiam vulnerati, & mortui in ipso prœlio. Postmodum vênit Cremonam, & hoc fuit mense Novembris, & circa mensem Decembris homines de Laude dediderunt se ipsi in civitate Laudensi, & dictus Dominus Imperator feliciter, & sinè aliqua pugna intravit. Ipso quidem anno Messaticus Regis Tunesis vênit Januam in una galêa armata de Saracenis. Ipso quoque anno facto Consilio de regimine civitatis Januæ quinque ex electoribus elegerunt pro anno venturo Dominum Paulum de Surrexina Civem Mediolanensem in Potestatem Januæ, & unus ex electoribus noluit consentire ipsi electioni; & inde crevit dissensio inter Cives Januæ, quia quidam dicebant, quòd electio non tenebat; & ad dictum Potestatem accesserunt dicentes, quòd deberet cognosci, utrum de jure posset esse Potestas, vel non, & quòd non mitteret Potestati electo nuntium aliquem, neque literas, quousq; cognitum esset & definitum, utrum teneret dicta electio, vel non. Tamen Potestas misit nuntium & literas Potestati electo, secundùm quod consuetum erat aliis Potestatibus mitti. Quare dicti Cives fecerunt Congregationem magnam, in qua fuit magna pars Nobilium Civium Januæ. Et quia non videbatur eis, quòd Potestas in hoc casu vellet eos adire (4) de jure, neque capitula observare, cœperunt dicere, quòd non credebant se teneri Potestati, ex quo Potestas, sicut dicebant, non observabat capitula, neque eis volebat facere rationem; & juraverunt, ut dicebatur, quòd non haberent, neque tenerent dictum Potestatem electum pro Potestate, nisi primitus cognitum esset & definitum per Sapientes, in quibus non esset aliquis ex Judicibus Domini Ol-

(4) *fortass.* audire.

Oldradi, nec ipse Dominus Oldradus. Et sic fuit, & crevit magna contentio & discordia in civitate Januæ, ita quòd omnes Viri Magnates de civitate Januæ tenebant servientes, & ferè omnes ibant armati, & habebant turres munitas. Et dum quadam die dictus Dominus Oldradus vellet accipere, imò accepisset quamdam turrim dealbatam Balaardi de Palo positam prope domum, in qua morabatur Potestas, insonuit rumor maximus, & per totam civitatem cœperunt clamare ad arma; & incœptum fuit prœlium ante ipsam turrim, & sub porticu ipsius turris, & in ipsa contrata, in quo prœlio fuerunt quamplures vulnerati, & unus interfectus; & in sero Cives, qui hinc & inde debellabant, ibi fecerunt treuguam usque ad sequens mane. Et postea de die in diem duravit, & producta fuit ipsa treugua, quousque per Dominum Archiepiscopum, & per Judices, Sapientes, Clericos, & Laicos divini & humani juris fuit, visis capitulis, determinatum & definitum, utrum dictus Potestas electus debeat esse Potestas. Et data fuit dicta sententia per Dominum Archiepiscopum, & sic fuerunt omnia tranquilla, & missi fuerunt nuntii ad ducendam personam Domini Pauli de Surrexina. Eodem anno quodam sero Petrinus Ventus Fliscus quondam Thomæ Venti pulcher juvenis & discretus in sua contrata vulneratus fuit mortaliter & occultè, & eadem nocte mortuus est; de cujus morte propter bonitatem ipsius juvenis doluerunt parvi & magni. Cujus occasione eodem anno Paschalis Olearius, & Peculus, & Otto Nigrinus, qui de morte ipsius Petrini culpabantur, dum essent in carceribus Communis in una ex turribus de Porta Vaccarum, occisi fuerunt capitibus privati.

Anno Dominicæ Nativitatis MCCXXXVIII. Indictione XI. fuit in regimine civitatis Januæ Dominus Paulus de Surrexina Civis Mediolani, & cum eo Judices duo, videlicet Dominus Grimerius Rondana pro ejus Assessore, & Dominus Guirardus de Sarturano ad maleficia audienda. Milites ejus fuerunt Dominus Petrus de Sabina, & Dominus Raynerius de Surrexina. Scribæ Communis sex, Bonusvassallus Calligepalii, Magister Bartholomæus Madius, Obertus de Langasco, Vassallus Gallus, & Ambrosius. Octo Nobiles Communis fuerunt Ottobonus Mallonus, Lanfrancus Bachemus, Johannes Marchionus, Andreas de Carmandino, Ottobonus de Camilla, Nicolaus Herodis de Mari, Obertus Advocatus, & Nicola Guisulphi de Campo. Ipso quidem anno Savonenses conceptam iniquitatem in publicum deducentes, contra juramentum, quod fecerant, Communi Januæ rebellarunt, & conversi sunt in arcum perversum, & die Lunæ post Pascha VI. Aprilis occupaverunt castrum, quod Commune Januæ fieri fecerat in Savona, ubi erant pro Castellanis Balduinus Mulferius, & Petrus Gontardus; & Ansaldus Soldanus Mallonus erat Potestas Saonæ; & omnes exinde depulsi fuerunt. Albinganenses subsequenter illud idem fecerunt, quorum Potestas erat Henricus de Carmandino. Homines de Portu-Mauritio illud idem fecerunt, quorum Potestas erat Balduinus de Pallo, qui tunc erat infirmus in Janua, Consequenter homines Vintimilii fecerunt similiter. Tamen Bonifacius Embriacus, sicut vir providus & discretus, se reduxit cum Scribis & familia sua in castrum Rochæ Vintimilii, & significavit negotium Communi Januæ, sicut erat. Unde Commune Januæ armavit celeriter galêas XIV. & eas ad partes Vintimilii destinavit. Sed proditores Vintimilii ie versùs mare in cavernis sub rupe cum trabibus & machinis se taliter opposuerunt, armati de balistis, arcubus, & catenis, armaturis, & guarnimentis, quòd Januenses non poterant in terram descendere, nec illis, qui erant in càstro, dare subsidium. Et quum pluries ostentassent descendere, procedere non valebant, sed vulnerati & compulsi vix recolligebantur in galêis & Lignis. Et Johannes Ususmaris fuit ibidem, viriliter pugnando cum proditoribus, interfectus. Tamdem Januenses se maluerunt mortis periculis objectare, quàm cum confusione reverti, & quàm derelinquere illos, qui se defendebant in castro. Unde quadam die Veneris XXI. Madii, invocato nomine Jesu Christi, per scalas galêarum descenderunt in scopulis, & in terram, & quidam filius Recupeji de Boliasco currendo cum quodam vexillo per quemdam tramitem satis strictum ascendit usque ad supercilium montis, & quidam alii ex Januensibus viri bellicosi ipsum postea sunt sequuti. Quod quidem videntes illi Vintimilienses, qui erant in rupe, in fugam conversi sunt, & se in civitatem Vintimilii reduxerunt. In litore tamen plures ex Vintimiliensibus fuerunt occisi. Postmodum Vintimilienses timore coacti, quidam ex ipsis civitatem Vintimilii ascenderunt, & quidam venerunt absque ullo intellectu sibi dato ad mandatum Communis, & in quadam galêa fuerunt tamen Januam missi manibus post terga ligatis. Et in festivitate Pentecostes portum Januæ intraverunt. Et eadem die fuit factum Parlamentum, & Guilelmus Saonensis, qui totius proditionis exstiterat fons & auctor, fuit condemnatus ad mortem, & eadem die suspensus ad furcas in capite Farii.

Quum autem homines Albinganæ Castellanos, qui erant pro Communi Januæ in Insula Gallinaria, de ipsa Insula expulissent, & ipsam Insulam de victualibus, armis, hominibus, & ceteris necessariis immunissent, munitis tamen castro & civitate Vintimilii, galêæ prædictæ ad ipsam Insulam accesserunt cum quadam navi, quarum galêarum & navis fuerunt Capitanei Fulco Guercius, & Rubeus de Turca. Et trabucus unus bastitus fuit in ipsa navi; & quum in obsidione ipsius Insulæ diu stetissent, & non eis videretur, quòd possent proficere, decreverunt personas periculis objectari. Unde ab omni parte ipsius Insulæ cœperunt ipsam Insulam viriliter expugnare. Et quum homines Albinganæ non possent ab omni parte succurrere, succubuerunt, & capti fuerunt pariter & devicti, & ad civitatem Januæ ducti manibus post terga ligatis, & carceribus mancipati. Et munitâ bene dictâ Insulâ captâ in Vigilia Assumtionis B. Mariæ Virginis in die Sabbati XIV. Augusti Januam sunt reversi cum triumpho. Ipso quidem anno in quadam nocte unius diei Jovis V. Augusti Savonenses occultè accesserunt ad quamdam galêam guardiæ, cujus erat Capitaneus Bonavia de Portu Veneris; & dum dormirent, & se improvidè custodirent, tracta est ad terram apud Vadum, & à Savonensibus capta cum hominibus pariter & retenta. In eodem anno Legati quatuor, videlicet Conradus de Castro, Rubeus de Volta, Lanfrancus Malocellus, & Henricus Domuscul-

tæ ante recuperationem civitatis Vintimilii, & Insulæ de Albingana, fuerunt ad Dominum Imperatorem transmissi, cum quibus, sive statim post eos Dominus Imperator misit duos Ambasciatores Januam, videlicet Detesalve Bottum, & quemdam alium de Pulia. Qui in pleno Consilio civitatis Januæ postulaverunt à Communi Januæ sacramentum fidelitatis; & responsum fuit eis, quòd ad Dominum Imperatorem mitterentur Ambasciatores, qui pro Communi Januæ responderent taliter, quòd ad honorem Domini Imperatoris & bonum statum Communis Januæ pertineret; & sic recesserunt dicti Ambasciatores Domini Imperatoris. Et postea post captionem & recuperationem Vintimilii missi fuerunt pro dictis quatuor Legatis ad Imperatorem, videlicet Amicus Strejaporcus, Nicolaus de Nigro, Fridericus Grillus, & Piccamilius de Campo. Et facto juramento fidelitatis eidem Imperatori pro Communi Januæ, sicut eis injunctum fuerat, reversi sunt Januam. Et confestim post eos venerunt duo Ambasciatores Domini Imperatoris Januam, qui in pleno Consilio petierunt ex parte Domini Imperatoris sacramentum fidelitatis, & fecerunt legi literas quasdam, in quibus continebatur, quòd Dominus Imperator eos mittebat ad petendum & recipiendum sacramentum fidelitatis. Et ad ipsum Consilium venerunt quamplures ex Civibus, inter quos Fulco Guercius, qui dixit, quòd non erat conveniens, ut tam magnum & arduum negotium deberet terminari per Consilium sono Campanæ, & per sex homines per compagniam, & quòd volebat interesse ipsi Consilio, & volebat quòd tota Communitas Januæ hoc scire deberet. Quare Potestas juxta voluntatem suam licentiavit Consilium, de quo Ambasciatores Domini Imperatoris, qui intererant Consilio, plurimum doluerunt. Postmodum dictus Potestas celebravit maximum Parlamentum in Ecclesia S. Laurentii, & fecit legi literas missas à Domino Imperatore, in quibus continebatur, quòd Dominus Imperator petebat juramentum fidelitatis & dominii; & proposuit quædam verba, & tetigit, qualiter Dominus Imperator tractaverat & tractabat homines de Regno, & omnes alios, qui sub ipso erant. Unde Populus ex verbo Domini, & ex verbis Potestatis multùm commotus est ob Imperatorem; & licentiato Parlamento fecit muniri Campanile S. Laurentii, & Portale ipsius Ecclesiæ, & turres Serravallis, Johannis Strejaporci, Johannis de Volta, Pagani de Rodulpho, & Guilelmi Guercii, & turres S. Andreæ; & sic tenendo forticias suum regimen feliciter & pacificè terminavit; & assumtus fuit pro anno sequenti in Alexandriæ Potestatem. Eodem anno missi fuerunt ad mandatum Domini Papæ viri Nobiles Guilelmus Niger Embriacus, & Petrus Ventus ad Dominum Papam in galêa una bene armata pro concordia & unione facienda cum Ambasciatoribus & Nuntiis Ducis & Communis Venetiarum; & hinc inde per dictos Nuntios & Ambasciatores in Domini Papæ præsentia facta est ipsa concordia & firmata. Et Dominus Papa recepit civitatem & Cives Januæ in sua & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli protectione; & ad preces Communis Januæ subtraxit Ecclesiam Nauli Episcopo Savonæ, & citavit Episcopum Albinganensem pro malo portamento, quod ipse fecerat pro Communi Januæ in negotiis Ripariæ, ad Curiam suam; & scripsit etiam Domino Ugoni Magistro Scholarum; quòd Januenses non traherentur in causis ad loca suspecta arbitrio ipsius Domini Magistri Scholarum.

Anno Dominicæ Nativitatis MCCXXXIX. Indictione XII. fuit in regimine civitatis Januæ vir Nobilis Philippus Vicedominus de Placentia, & cum eo Judices duo, quos secum duxit, unus quorum, videlicet Jacobus de Englasco stetit ante Potestatem; & alius, videlicet Dominus Johannes de Malamena, ad audiendum causas maleficiorum. Milites verò Potestatis fuerunt Dominus Antolinus Molinarius, & Dominus Jacobus Vicecomes. Octo Nobiles fuerunt Guilelmus Hugonis Embriaci, Amicus Strejaporcus, Johannes de Volta, Fulco Guercius, Johannes Ususmaris, Johannes Navarrus, Lanfrancus Pignolus, & Piper Pelavicinus. Scribæ Communis Januæ Magister Urso Ricobonus, Coxanus Madius, Obertus de Lagnasco, Vassallus Gallus, & Ambrosius. In ipso anno ad inductionem Guilelmi de S. Laurentio & Petri de Guercio Nuntiorum Domini Papæ, & literas ejusdem Summi Pontificis, destinati fuerunt ad Romanam Curiam Ambasciatores duo pro Communi Januæ, scilicet Jacobus Malocellus, & Lucius Piper pro negotiis Communis Januæ, qui reversus est; & loco ejus missus fuit Vir nobilis Ugo Lercarius, qui stetit in Curia Romana cum dicto Jacobo, qui ambo diu steterunt in Curia prædicta, Venetiarum Nuntios expectando, & tamdem Januam reversi sunt. Et cum ipsis venit Dominus Beraldus de Pipere Notarius; & tractatis hinc inde quæ fuerant pertractanda, missi fuerunt cum ipso Domino Beraldo ad Summum Pontificem Ambasciatores duo, scilicet Johannes Embriacus, & Guilelmus Ususmaris. Eodem anno quum Savonenses & Albinganenses cum Marchionibus, & hominibus Marchionum, & cum hominibus de Aquis, & de Alba, venissent ad partes Varaginis, milites Januæ viriliter equitarunt Varaginem, & ibi per plures dies honorificè & viriliter steterunt; & inimici de ipsis partibus aufugerunt. Postea eodem anno iverunt milites Januæ ad partes Albizolæ; & quum illi, qui erant in ipso castro, se & ipsum castrum reddere nollent Communi Januæ, dicti milites Januæ sunt reversi; & postea de consensu eorum, qui erant in dictis castris, illuc missus fuit unus ex octo Nobilibus, scilicet Johannes Ususmaris, qui castrum ipsum pro Communi Januæ habuit, munivit, & Januam reversus est.

Eodem anno Fulco Guercius cum galêis XIII. & Lignis aliis destinatus fuit in Riperiam, qui sagaciter Castrum Servii munivit. Item homines Uneliæ, & Bestagni fecerunt voluntatem ejusdem Fulconis, & de ipsis locis duxit Januam plures obsides de melioribus, potentioribus, & ditioribus ipsorum locorum; & postea ivit ad Portum Mauritii; & quum se reddere nollent Communi Januæ, nec ipsi Fulconi volenti eos recipere ad mandatum Communis, in terram descendit, & terras & quædam ædificia ipsius loci devastavit, quosdam interfecit, & quosdam mortaliter vulneravit. Postmodum ivit ad partes Vintimilii, ubi dicitur Sanctus Ampelius, ubi homines Vintimilii proditores Communis Januæ se reduxerant,

rant, & ibi fuit prœlium magnum, in quo plures fuerunt hinc inde vulnerati mortaliter, & occisi. Tamdem dictus Fulco & Januenses, qui secum erant, prævaluerunt in bello, & destruxerunt turrem Sancti Ampelii, & domos & receptacula forestanorum Vintimilii, & eorum terras destruxerunt & devastarunt. Quædam ex galêis remanserunt in guardia & aliæ Januam sunt reversæ. Eodem anno Bonusvassallus Ususmaris, qui fuerat ad Vatacium Romaniæ, Januam reversus est; & quidam Græcus Legatus dicti Vatacii vênit secum, cum quo Græco vênit Johannes Guercius causa associandi ipsum. Et hoc fecit de Domini Imperatoris mandato, sicut dicebat; qui Græcus tamdem post multa verba hinc inde interposita complere non potuit quod volebat, & ita recessit. Eodem anno die Veneris III. mensis Junii intrantis paulò post meridiem quum esset serenum & clarum, obscuratus est Sol, & facta est nox post spatium cujusdam temporis, & non erat aliquis qui recordaretur aliquo tempore consimile quid vidisse, nec tantam obscuritatem in die, nec etiam quæ tanto tempore perduraret. Unde quamplurimi stupefacti fuerunt, & conterriti de visione tam mira. Eodem anno Dominus Jacobus Prænestinus Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus vênit Januam, & de Janua ivit ad partes ultramontanas, & sicut à Domino Papa habuerat in mandatis, respectu Communis Januæ, & ex summa gratia, Ecclesiam Nauli Episcopavit, & eam univit Ecclesiæ Briniati, existente Episcopo Domino Guilelmo Canonico Januæ, & sic de Burgo Nauli fecit Civitatem, unde versus:

Urbs meruit dici mutato nomine Vici.

Ipso quoque anno in Vigilia omnium Sanctorum post vesperas Dominus Otto Januensis Archiepiscopus bonæ memoriæ de hac vita migravit, & sequenti die fuit corpus ejus honorabiliter tumulatum prope Altare B. Mariæ. Et congregatis Abbatibus & Prælatis per Capitulum Januense electi fuerunt Electores duo de Capitulo, scilicet Dominus Magister Ugo Præpositus, & Presbyter Rolandus, & unus de omnibus aliis, scilicet Abbas Sancti Syri fuit electus per alios Prælatos, salvo jure Capituli. Qui omnes tres Dominum Magistrum Johannem de Cucurno tunc Archidiaconum Januensem in Archiepiscopum Januæ concorditer elegerunt, & ipsam electionem ante altare S. Laurentii coram multis Clericis & Laicis promulgaverunt, & statim omnes cœperunt alta voce cantare *Te Deum laudamus*. Qui postquam die sequenti consensit, galêam unam optimè fecit armari, in qua ivit Romam, & cum eo ad ejus petitionem fuerunt missi Ambasciatores duo Communis Januæ in servitium Domini Archiepiscopi, scilicet Ottobonus Mallonus, & Nicola Guisulphi. Et postquam pervênit Romam, prima die fuit examinatus, secunda consecratus, & tertia die fuit gratiam Pallii consequutus, quod quidem fuit magnum ab omnibus reputatum; tamen respectu Communis Januæ Summus Pontifex gratiam talem fecit. Eodem anno plurima matrimonia contracta fuerunt secretè in civitate Januæ inter personas, quæ inter se habere credebantur, ut consueverant, odium potiùs quàm amorem: quare maxima pars civitatis Januæ in admirationem & timorem deducta est. Unde dictus Potestas fecit claudi partem muri civitatis, & posuit custodes plures in montibus & in aliis partibus, ubi videbatur expedire; quia dicebatur, quòd quidam Viri Nobiles & potentes Cives Januæ volebant facere venire homines & servientes in civitate Januæ causâ infortiandi se, & ut possent resistere, & rebelles esse Potestati prædicto, & Communi Januæ. Et prædictus Potestas, ut fortius esset Commune, elegit duos Capitaneos Populi & Communis Januæ, unum de quatuor compagniis de versùs burgum, scilicet Rubeum de Turcha; quorum quilibet teneret servientes vigintiquinque, & quilibet ipsorum haberet pro salario suo & servientium Libras DC. Januinorum. Dominus Fulco Guercius fuit alius Capitaneus. Quadam verò nocte dum quidam ex hominibus Guilelmi Spinulæ venirent Januam armati; & guardiæ, quæ erant in monte, eos venire non permitterent, vulneraverunt quosdam ex ipsis hominibus, qui erant in guardia. Unde magnus rumor fuit in civitate Januæ, & omnes cucurrerunt ad arma; & Potestas facto maximo Parlamento misit pro Guilelmo Spinula, Sorleone Pipere, Suzio Pipere, Antonio Embrono, Raymundo de Volta, Bulburino, & quibusdam aliis, ut venirent ad mandatum suum & Communis Januæ; & noluerunt venire, & multùm duravit ipsum Parlamentum ferè per unam diem. Unde Potestas eos condemnavit; & sequenti die fecit devastari domum & locum Raymundi de Volta apud Pavairanam, & misit ad faciendum fieri guastum aliis rebellibus. Item fieri fecit Parlamentum maximum, in quo dato bono intellectu per quosdam homines, qui fovebant Potestatem, Raymundus de Volta, Guilelmus Spinula, Antonius Embronus, Guilelmus Ventus, Bulborinus, Sorleonus Piper, & plures alii venerunt ad mandatum Potestatis, & juraverunt mandata Potestatis Januæ in omnibus & per omnia observare. Postmodum dictus Potestas ad instantiam Domini Petri de Guercio, & Bonaventuræ Nuntiorum Domini Papæ, qui venerant Januam cum Domino Johanne Januensi Archiepiscopo, & etiam ad petitionem ejusdem Archiepiscopi, remisit banna data prædictis Civibus Januæ, & condemnationes, quas fecerat contra eos. Et sic omnia in pace fuerunt. Tamdem dictus Potestas tempus sui regiminis feliciter terminavit.

Anno Dominicæ Nativitatis MCCXL. Indictione XIII. fuit in regimine civitatis Januæ vir nobilis & strenuus Dominus Henricus de Modoëtia Civis Mediolanensis, qui pro sociis & militibus suis habuit Anselmum Medicum, & Amicionem de Canavexi, Cives Mediolanenses. Judices autem fuerunt Dominus Arnoldus de Modoëtia, qui substitit ad maleficia audienda, & Dominus Ubertinus de Niguarda, qui exstitit juxta eum. Octo verò Nobiles pro Communi Januæ fuerunt Ansaldus Mallonus, Soldanus, Obertus de Cruce, Henricus Malocellus, Henricus de Nigro, Bonusvassallus Sardena, Lanfrancus de Grimaldo, & Jacobus Gatiluxius. Scribæ Communis fuerunt Simon Spaërius, Guilelmus de Varagine, Madius Scriba, Obertus de Langasco, Vassallus Gallus, & Jacobus Papia. Consules de Justitia placitorum de versùs civitatem fuerunt Ægidius Bajamundi de Brixia . . . . scilicet civitatis & burgi Alamanus Antelminelli de Luca. De versùs burgum Aleramus Lavandanus

-nus de Placentia. Civium & Foritanorum Philippus Cirimellus de Alexandria. Eodem anno Dominus Gregorius de Romania venerabilis Apostolicæ Sedis Legatus vênit pro maximis & arduis Romanæ Ecclesiæ negotiis Januam; factaque prædicatione de Cruce suscipienda contra inimicos & rebelles sacrosanctæ Ecclesiæ, remissionem omnium peccatorum omnibus Crucem assumentibus, tamquam transeuntibus, ultra mare ad recuperationem Terræ-Sanctæ, auctoritate Apostolica condonavit. Ipso quoque anno facta obsidione per Dominum Gregorium de Monte-Longo Sedis Apostolicæ Legatum, & alios coadjutores Ecclesiæ, scilicet Mediolanenses, Placentinos, Brixienses, Bononienses, & maximè Venetos, contra civitatem Ferrariensem per plures menses, tamdem eam viriliter occupaverunt.

Ipso namque anno Dominus Hierosolymitanus Patriarcha pro quo associando nobilis vir Guilielmus Embriacus cum una galêa perrexerat, Januam feliciter accessit, & apud Hospitale Sancti Johannis per plures menses est moratus. Eodem anno Alexandrini, omissa Dei reverentia, & Romanæ Ecclesiæ, & spreto juramento, quod fecerant Societati Lombardorum Ecclesiæ fidelium, mandata Manfredi Marchionis Lanciæ Vicarii Friderici Imperatoris temerè juraverunt, ipsum quoque in regimine civitatis ejusdem voluntariè procreantes. Eodem quoque anno celebrata fuit conventio inter Commune Januæ & Mediolani amicabiliter confirmata; & tota ferè Riparia de versùs Occidentem, quæ rebellis fuerat Communi Januæ, ad mandatum ipsius Communis vênit sua propria voluntate, exceptis impiis proditoribus Savonensibus & Albinganensibus, qui in sua pravitate & temeritate consistunt. Eodem quoque anno mense Novembris Marchio Lancea cum maximo exercitu in obsidione castri Pennæ, quod castrum Communi Januæ Simon Albinganensis Episcopus reddiderat, se opposuit, & illud expugnando cum bricola, trabucis, & aliis machinis, per plures dies circumstetit. Ad ejus munitionem & defensionem erant nobiliores Lancelinus Madius Miles Potestatis, & Jacobus Gatiluxius, & in galêis Rubeus de Turcha, & Marinus de Marinco; ad quam etiam obsidionem Jacobus Marchio de Carretto, spretis juramento & conventione, quibus Communi Januæ tenebatur, in subsidium ipsius Marchionis Lanceæ accedere minimè formidavit. Quo audito Potestas Januæ de tam nefanda & inaudita malitia Consilium celebravit, cujus auctoritate Consilii eumdem Jacobum de Carretto, & homines suos de Finario, & aliunde, die V. Decembris fecit publica voce præconia tam in personis, quàm rebus solemniter diffidari. Postmodum die Martis XI. Decembris dictus Potestas de Janua movit, & apud Varaginem cum exercitu castrametatus est, & viriliter & potenter milites Placentiæ, qui Januam venerant, sunt ipsum Potestatem sequuti. Die autem Dominico, qui fuit XVI. ipsius mensis, quidam ex nostro exercitu tam mari quàm terra usque ad civitatem Savonensium infidelium accedentes, montem, quem appellant Septem-montes, situm supra Savonam, qui munitus erat multis hominibus longas lanceas habentibus, viriliter prœliando fugarunt eosdem, & quamplurimis ex inimicis mortaliter vulneratis, montem illum cum victoria occuparunt, aliis quidem de nostro exercitu, qui in Lignis per mare pervenerant, in litore maris civitatis ejusdem magnanimiter descendentibus, ipsam civitatem fortiter prœliarunt, & quibusdam etiam militibus ipsorum Savonensium prostratis, in Lignis, in quibus accesserant, ascendentes cum victoria ad nostrum exercitum sunt reversi.

Die verò Sabbati IX. ejusdem mensis XXX. milites Placentini, quorum superiùs mentio facta est, Januam intraverunt, & postea die Lunæ XVII. Decembris milites LXX. Januam intraverunt pro servitio Communis ipsius, qui die Mercurii XIX. Decembris de Janua exeuntes in exercitu Communis Januæ apud Varaginem properarunt. Die verò Jovis XV. Novembris vênit Nuntius Potestati Januæ & Communi, quòd Ubertus Marchio Pelavicinus, qui erat Vicarius, sive Capitaneus Domini Imperatoris in partibus Lunexanæ, ingressus fuerat cum magno exercitu terram Communis Januæ, & quòd occupaverat castrum sive villam Rivaltæ, & Lacum, & Cazanam, atque Bozolum. Eodem verò die idem Potestas celebrato Consilio fecit concionem, in qua præcepit & statuit sub pœna librarum XXV. pro pedite, & librarum L. pro quolibet milite, quòd sequerentur eumdem cum armis ad propulsandum & effugandum jam dictum Ubertum Pelavicinum viriliter & potenter. Die verò Dominico XVIII. Novembris circa Tertiam movit Potestas pro eundo (favente Domino) in exercitu contra Ubertum Pelavicinum prædictum, cum triumpho, & victoria reversurus. Die autem Lunæ XIII. Decembris dictus Potestas, munitis castris & locis Communis Januæ, quum dictus Ubertus Pelavicinus de partibus illis cum suo exercitu viriliter aufugisset, timens ne de commissis pœnitentiam maximam sustineret, Januam cum suo exercitu feliciter remeavit. Die autem Dominica XX. Januarii Dominus Lancellinus Miles Potestatis, & Dominus Fulco Guercius, & Dominus Rubeus de Turcha Capitanei Januæ cum parte militum Januæ & cum militibus Mediolani & Placentiæ, & cum quadam quantitate peditum & balistariorum Januensium ingredientes viriliter terram dictorum infidelium Savonensium, eam devastarunt incisione & dissipatione vinearum, & arborum, & domorum non modica, atque igne.

Anno Dominicæ Nativitatis MCCXLI. Indictione XIV. in festo S. Blasiii III. die mensis Februarii fuit in regimine civitatis Januæ vir nobilis Dominus Guilelmus Surdus Civis Placentiæ, & cum eo Judices duo, scilicet Gandulphus de Casalo, qui stetit juxta eum, & Guiraldus Spala, deputatus ad maleficia audienda. Milites verò ejus fuerunt Jacobus de Rocha, & Ansaldus Lavanderius. Octo nobiles pro Communi fuerunt Johannes Embriacus, qui ipso anno decessit, Guilelmus Buscha, Blaxius Castanea, Lanfrancus de Mari, qui ipso anno decessit, Guilelmus Lercarius, Henricus Domuscultæ, Matthæus Pignolus, & Lanfrancus Cibo. Scribæ verò Communis fuerunt Simon Spaërius, Guilelmus Cavagnus de Varagine, Madius, Obertus de Langasco, Vassallus Gallus, Jacobus Papia. Consules Placitorum in Palatio civitatis Guiraldus Cacciapistus de Mediolano. In Palatio Foritanorum Guilelmus de Monticello Bobiensis. In Palatio burgi Guilelmus Ponzonus Bononiensis. Scribæ autem ipsorum Consulatuum fuerunt, qui anno præcedenti extiterunt. In quo quidem an-

no multi infelices successus, sicut Deo placuit, civitati contigerunt. Dum esset Fridericus Imperator in obsidione civitatis Faventiæ, inter ipsum & Commune Januæ discordia existente, erant in civitate Januæ milites Mediolanenses LXX. & Placentini milites XXX. & milites Januenses cum ipsis militibus & hominibus Potestatiarum Bisamnis, Vulturi, & Pulciferæ; & cum balistariis civitatis Januæ prædictæ mense Februarii equitaverunt in vastum rebellium Savonensium; & tota die vastantes à ponte Lavagnolæ, quæ est prope Savonam usque ad Vadum, domos, & molendina, vineas, arbores, & cetera domestica, igne supposito, gladiis & minis, & nocte illa iverunt in Vado. Die crastina de Vado redeuntes versùs Savonam usque ad portas civitatis similiter vastitantes, Savonenses cum quibusdam militibus Theutonicis & Alexandrinis, qui erant ibi foràs prope civitatem exiverunt. Nostri autem milites & pedites aggressi viriliter contra eos, fugarunt ipsos usque ad portas civitatis Savonæ, & duos ex ipsis ceperunt Suascum de Savona .... Savonenses autem valde perterriti portas civitatis clauserunt; & quidam ex ipsis, qui metu fugæ civitatem introire nequiverunt, montem ascenderunt, qui dicitur Monticellus; quos quum nostri viderunt, contra ipsos egressi fugaverunt eos usque ad portam Savonæ, quæ est in Monticello, quam & ipsi Savonenses clauserunt. Ipsa die, quæ fuit in carnisprivio, nostri venerunt apud Varaginem hospitari, & die crastina prima Quadragesimæ reversi sunt Januam cum honore.

Eodem anno mense Februarii quum Dominus Gregorius de Romania Apostolicæ Sedis Legatus, galêas simul & taridas XXX. in civitate Januæ faceret præparari pro Prælatis & Principibus Ecclesiæ conducendis ad Concilium, quod Dominus Gregorius IX. Pontifex in Romana Curia fieri statuerat, Dominus Imperator undique subditis ejus mandavit, & statuit impedire dictum passagium Prælatorum. Mandavit quidem Ansaldo de Mari, qui erat in Janua, ut iret ad ipsum, quia mortuo Nicolino Spinula quondam Ingonis Admirato suo, ipsum constituerat regni Siciliæ Admiratum. Idem Ansaldus, omnibus prætermissis, quàm secretiùs potuit ivit ad Imperatorem, & collatum Admiragii officium suscepit, in eo Gratis & munitis galêis, & taridis, ut irent apud Niciam, & levarent Principes, & Baronos, & Prælatos Ecclesiæ, qui illuc venerant cum Cardinalibus Domino Jacobo Prænestino, & Domino Ottone de Theonengo. Venerunt mense Martii ad civitatem Januam Ambasciatores Pisarum, & exposuerunt in Consilio, rogantes Commune Januæ ex parte Communis Pisarum, ne Prælatos & Principes Ecclesiæ ad Concilium portarent; dicentes, quòd habebant in mandatis à Domino suo Imperatore ipsum passagium impedire pro posse, nec poterant Domini sui mandatum prætermittere. Quibus diligenter fuit responsum, quòd Commune Januæ toto tempore Romanam Ecclesiam honoravit, & ipsi Ecclesiæ tamquam matri servivit, & in defensione libertatis Ecclesiæ, & Fidei Christianæ Commune Januæ servire proposuit; & promisit Prælatos, Principes, Baronos, & alios fideles Ecclesiæ pro posse ad Romanam Curiam conducere, & mandatum Domini Papæ servare. Tunc constitutus fuit ipsarum galêarum & taridarum

A Admiratus pro Communi Januæ Jacobus Malocellus, & mense prædicto Martii cum dicto Legato de portu Januæ in Provinciam euntes pro Prælatis & aliis Principibus Ecclesiæ Januensis adducendis, Ambasciatores Pisarum, habita responsione de Janua recesserunt. Quumque dictæ galêæ & taridæ applicuissent Niciam, quamplures ex Principibus Ecclesiæ, & Prælatis excusationes interponentes, quòd dictæ galêæ & taridæ sufficientes non erant pro ipsis, repatriarunt, & Procuratores loco ipsorum ad Romanam Curiam mandare statuerunt. Alii verò Principes & Prælati, qui venerant Niciam cum Cardinalibus, ascenderunt galêas & taridas, & cum equis & rebus

B eorum Januam venerunt mense Aprilis, & honorabiliter recepti fuerunt in Palatio Domini Archiepiscopi; & morantibus in civitate per plures dies venerunt in civitatem Ambasciatores Mediolani, Placentiæ, & Brixiæ, & multi alii Episcopi, Abbates, & Ecclesiarum Rectores, qui ad Concilium profecturi erant; & nova sonuerunt, quòd galêæ XVI. armatæ Domini Imperatoris venerant ad Civitatem-Vetulam, & aliæ quamplures veniebant post ipsas. Et Pisani galêas & alia Ligna ipsorum, sicut meliùs potuerant, armaverunt, ut resisterent passagio Prælatorum.

Tunc dimissis quibusdam ex taridis, armatæ fuerunt galêæ simul & taridæ XVII., quæ

C quum armatæ essent & paratæ in procinctu itineris, fautores dicti Imperatoris circumquaque minantes, ut Concilium impedirent, super terram Januæ comparuerunt; & Januenses, qui partem Imperatoris ipsius in civitate fovebant, publicè minabantur, stridentes dentibus in Commune. Obertus Marchio Pelavicinus Vicarius in Lunexana à parte Orientis, & Marinus de Ebulis Vicarius in Lombardia à parte Occidentis, & ultra Jugum super terram Communis Januæ hostiliter intraverunt. Nihilominus tamen præfati navigii stolus potentissimè parabatur, & ad confusionem & terrorem exercitus inimicorum Januæ Commune viriliter insurgebat. Re ita se habente,

D placuit Omnipotenti Deo, in cujus servitio civitatis Commune intendebat ipsam civitatem suam conservare, & suâ misericordiâ gubernare. Et fuerunt inventæ in quodam pane cereo literæ Imperatoris sigilli ipsius munimine insignitæ, quas suis fautoribus in Janua transmittebat: quumque tam ipsarum literarum indicatu, quàm aliis manifestis indiciis appareret, quòd quamplures ex Magnatibus Januæ, qui Patriam defendebant ad servitium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, tractati essent ad mortem, iverunt coram Potestate supplicantes, & consulentes ei, ne ipsas literas in publico revelaret, usquequo Prælati, & alii Principes Ecclesiæ cum galêis de Janua separati essent, ne

E fortè oriretur scandalum, quod ipsorum passagium impediret. Quorum consilio decrevit Potestas ipsas literas secretas tenere, nec eas usque ad separationem dictarum galêarum in publico revelare. Audientibus autem illis Januensibus, qui partem Imperatoris fovebant, de inventione dictarum literarum maximè timuerunt, & quoscumque servientes habere poterant, capiebant, domos & turres eorum celatim quàm meliùs poterant munientes. Quo audito à Potestate, mandavit quosdam servientes & executores suos, ut caperent quemdam Florentinum, Maynetum nomine, qui in fa-

favorem ipsorum contra Commune Januæ alios Florentinos & servientes per civitatem quærebat; quem quum cepissent, & ad Potestatem ducerent, Rubeus de Volta abstulit dictum Maynetum de manibus servientium & executorum, cujus de facto Potestas & Populus Januæ ad iram commoti, nolentes tantam audaciam tolerare, mandavit continuò Potestas pro Rubeo de Volta, ut mandatis suis veniret pariturus; qui spretis mandatis venire recusavit. Jussit itaque Potestas pulsari, & fieri Parlamentum, ut quilibet armata manu ad Parlamentum veniret. Impleta igitur concione, & potissimè coadunata in Ecclesia S. Laurentii, dictas literas fecit legi in publico, & erigens se in concione dixit: *Filii benedictionis & gratiæ, qui pro Dei servitio laboratis, & libertatem defenditis, attendite & videte, si est dolor sicut dolor iste. Nam qui nati sunt ex vobis, perditionem vestram quæsierunt. Et ecce quomodo tractati estis ad mortem. Nolebamus enim usque ad separationem Prælatorum hæc pandere, ne fortè timerent; & impediretur passagium eorumdem; sed tanti periculi nolentes audaciam tolerare, hæc vobis duximus nuntianda. Mandavimus quidem pro Rubeo de Volta, Johanne Strejaporco, Ingone Grillo, ut mandatis nostris venirent endpituri, nec voluerunt comparere. Sed illi de Volta, & illi de Auria, & Thomas Spinula, & Obertus Advocatus, & alii sequaces eorum domos & turres ipsorum contra nos & Commune Januæ munierunt. Quid vultis inde fieri?* Tunc omnes de concione clamaverunt: *Moriantur perfidi proditores, & ne permittamus eos ampliùs vivere super terram.*

Vocatis itaque Capitaneis Populi Fulcone Guercio, Rubeo de Turcha, & Vexilliferis per compagnias, præcepit Potestas, ut quilibet ad confusionem rebellium paratus sequeretur eumdem. Et exeuntibus de concione, ad domum Johannis Strejaporci primitus viriliter perrexerunt; quare Johannes, relicta domo, aufugit ad domum illorum de Volta, quam muniverant contra Commune. Destructa itaque domo dicti Johannis & rebus, quæ in ea erant, omnibus exportatis, tumultus & clamor maximus fuit in Populo: *Ad domum illorum de Volta, & illorum de Auria viriliter insurgamus, & eos personaliter destruamus, & domos eorum funditus diruamus.* Tunc Potestas in platea S. Laurentii, & circa ipsam Ecclesiam, fecit universum Populum convenire, & erecto vexillo B. Georgii contra rebelles de Auria, Fratres Minores, & Prædicatores venerunt signum Crucis portantes, & misericorditer postulantes, ut modicum Potestas cessaret, quia omnes illi de Auria parati erant venire ad mandata sua. Et motus ad pietatem, ut venirent ad mandata, illos voluit expectare; & mandavit Guilelmo de Volta, Rubeo de Volta, Ingoni de Volta, Guilelmo Vento, Albertino Vento, & aliis, qui erant ad domos illorum de Volta, & Thomæ Spinulæ, Sorleoni Piperi, Suzo Piperi, Johanni Piperi, Oberto Advocato, & Ingoni Grillo, ut ad mandata Potestatis venirent; nec venire voluerunt. Tunc mandavit Potestas Rubeo de Turcha Capitaneo Populi in quatuor compagniis de versùs burgum expressè, ut admonitis & paratis omnibus de Capitania sua, confestim insurgerent ad arma contra Thomam Spinulam, qui domum & turrim suam denuo fabricatam munierat contra Commune, & mandata sua recusaverat. Jacobo insuper Malocello tunc Admirato galearum, quæ ituræ erant Romam cum Prælatis, qui erant in portu, & Comitis ipsarum, universisque, qui erant in galêis, mandavit expressè, ut descenderent de galêis universi, & unà cum Rubeo de Turcha surgerent contra dictum Thomam Spinulam. Qui servantes mandatum, gentes suas admonentes, omnes ad domum dicti Thomæ potentissimè pervenerunt; & fractis portis & clausuris ipsius domus & turris per eam intraverunt ipsam, & occupaverunt, in cujus captione percussus fuit Thomas Spinula de quodam quadrello in capite, & post paucos dies decessit. Nocte autem superveniente distulit Potestas usque ad crastinum contra rebelles procedere, præcipiens ut tota nocte quilibet per contratas vigilaret cum armis, portas civitatis & turrim dicti Thomæ muniri faciens, & custodiri diligenter, ut in crastino quilibet paratus esset ad populationem illorum de Auria, & illorum de Volta, & subsequenter aliorum rebellium, nisi essent mandatis suis in omnibus pariturі. Ipsa quidem nocte Guilelmus de Volta, Rubeus de Volta, Ingo & Lanfrancus de Volta, Guilelmus Ventus, Albertinus Ventus, Percival, & Emanuel Auriæ, & plures alii de occupatione turris dicti Thomæ Spinulæ & percussione audientes, maximè timuerunt, & relictis domibus immunitis fugerunt.

Mane facto concionem maximam fecit Potestas in Ecclesia B. Laurentii, in qua fuit cum armis maxima multitudo gentium, & mandavit pro supradictis rebellibus, ut venirent endpituri mandatis suis. Tunc Percival, & Manuel Auriæ, & quidam ex aliis venerunt, jurantes in concione mandata Potestatis attendere; & promiserunt quòd alios venire facerent ad mandatum suum. Quibus terminum dedit Potestas, ad quem venirent suis endpituri mandatis; & mandavit, ut turres illorum de Volta, & aliorum rebellium munirentur. Quumque toti civitati dominaretur Potestas, super expediendis galêis, quæ ituræ erant Romam cum Prælatis ad Concilium ipsum, intendere oportuit, ut subsequenter resisterent inimicis, qui circumquaque terras Communis Januæ invadebant. Et munitis galêis XXVII. & omnibus apparatis, fuerunt electi à Communi Januæ Ambasciatores destinati ad Concilium cum Prælatis & aliis Ambasciatoribus civitatum, videlicet Ottobonus Mallonus, Tanclerius Ismaël, Petrus Ventus, & Guilelmus Niger iverunt cum Legato, & moverunt de portu Januæ cum Cardinalibus & Prælatis in Festivitate S. Marci, & iverunt ad Portum-Delphinum. Qui quum residerent ibi per aliquot dies, ut nova addiscerent, tamdem ad Levantum pervenerunt; & ibi audierunt, quòd Obertus Pelavicini castrum Zolaschi hostiliter obsederat. Voluerunt nostri, qui in galêis erant, descendere ad terram, ut dicto Pelavicino resisterent, & ipsum ab obsidione levarent. Tamen Cardinales, & Legatus prohibuerunt, ne fortè metu prœlii impedirentur; & iverunt ad Portum Veneris. Quumque nova insonuissent, quòd apud Pisas galêas XXVII. mandaverat Imperator, & Pisani galêas & alia Ligna multa armaverant, ut nostris transitum impedirent, & quòd Obertus Marchio Pelavicinus castrum Zolaschi obsederat, cum fe-

festinatione armatæ fuerunt in civitate galêæ VIII., una scilicet pro compagnia pro custodia maris, & ut terris, si expediret, præstarent succursum. Galêæ autem nostræ, audito rumore de galêis & aliis navibus hostium, in Portu Veneris malum consilium habuerunt, & non exspectantes aliud subsidium, velociter moverunt, & ad Concilium properaverunt. Quumque pergerent iter suum, & essent in aquis Pisanorum supra Zigium galêæ dicti Imperatoris, in quibus Andreolus filius Ansaldi de Mari præerat Admiratus, & galêæ, & galeottæ quamplures Pisanorum iverunt contra nostras, & incœpto prœlio, casu fortuito obtinuerunt, & captæ fuerunt de nostris galêæ XXII. & V. solùm evaserunt. Et in ipsis capti fuerunt Dominus Jacobus Episcopus Prænestinus, & Dominus Otto de Theonengo Cardinales, & Dominus Gregorius de Romania Legatus, & alii multi Prælati, Episcopi, & Abbates, Clerici, & Procuratores Prælatorum, & Ambasciatores civitatum, & thesauri magna quantitate occupata. De civitate Januæ fuerunt Guilelmus Niger Embriacus, Petrus Ventus, & Jacobinus filius ejus, Ottobonus Mallonus, Andreas Domoculta, Andreas de Burgaro, & alii multi de Potestatiis Januæ. Jacobus namque Malocellus, qui in ipsis erat Admiratus, evasit, & alii multi ex Januensibus & hominibus Potestatiarum in dictis galêis quinque evaserunt, & postquam ducti fuerunt ad terram, multi fugerunt. Alii ducti fuerunt in Regnum, & alii Pisis in carceribus remanserunt.

Audito in civitate Januæ casu & infortunio, dolor undique & angustiæ redundarunt; & Gentes de Riperia, & districtu nostro expavescerunt plurimùm. Et inimici, qui hostiliter intraverant terram nostram, exultantes castra & loca nostra plus solito invaserunt; & castrum Gavilioni non per pugnam, sed ex accordio eorum, qui intus erant, ceperunt, & ipsum continuò destruxerunt. Obertus Pelavicinus cum exercitu suo castrum Zolaschi similiter occupavit. Deinde ad locum & burgum Levanti descendens, ipsum locum prœliavit, cui providi de Levanto resistentes, locum Levanti viriliter defenderunt. Viri namque providi Januenses, licèt dolore perfusi, vigoris tamen & fortitudinis spiritu roborati, ad ulciscendum & defendendum arma viriliter accinxerunt, & statim impositæ fuerunt galêæ simul & taridæ LII. Et mandavit Potestas omnibus fidelibus de Riparia & districtu nostro, ùt potenter starent ad confusionem inimicorum parati. Quumque Caravanam nostram de ultramari expectaremus, & diceretur manifestè, quòd Imperator galêas XL. armaverat, & naves plures, ut Caravanæ, si posset, damnum inferret, & eas in nostram Ripariam mandaret; audito etiam, quòd inimici nostri undique per terram exercitum parabant, ut terram nostram invaderent, missus fuit Bucius Salarius obviam Caravanæ, ut illi de Caravana facta, quæ acciderant, scirent, & prævisi tutiùs evaderent. Munitis autem castris & locis nostris, ad defensionem Caravanæ nostræ super omnia intendentes, Obertus Marchio Pelavicinus Vicarius in Lunesiana cum exfortio suo de versùs Orientem rediens, terram nostram, sicut poterat, invadebat. Cui perfidi Vayrenses de fide & constantia derelicti, & Judæ Iscariotis vestigia imitantes, illi de Podenzolo Corvariæ, Carpenæ, & Ripaltæ castra & loca illa per traditionem dederunt.

Tunc fuerunt missi Ambasciatores duo pro Communi Januæ Mediolanum & Placentiam pro succursu militum & peditum habendo; scilicet Guarnerius Judex, & Nicola Mallonus, à quibus honorabilem militum & peditum succursum habuimus. Ipso tempore viri providi & fideles homines Portus Veneris quamdam navem & alia Ligna Pisanorum ceperunt, & arma sumentes in defensionem Caravanæ cum hostibus dimicantes, Ligna Caravanæ inter eorum dimicationes Portum Januæ mense Julii feliciter intraverunt. In qua Caravana multitudo magna Januensium, & divitiæ multæ venerunt, & civitati Januæ gaudium infinitum attulerunt. Dum autem super ipsa Caravana, & in rebus ejusdem exonerandis, quilibet intenderet, & maximè ad muniendas & præparandas galêas nostras, accidit, quòd die quadam Mercurii de mense Augusti summo diluculo galêæ XL. Imperatoris, in quibus Ansaldus de Mari præerat Admiratus, foràs in mare per medium milliare supra portum Januæ apparuerunt, quæ nullâ factâ morâ iverunt Savonam, & die crastina submonitis Savonensibus, Finariensibus, & Albinganensibus per mare & per terram iverunt Naulum. Duæ autem ex nostris galêis, quæ in guardia erant supra Savonam, fugerunt in Naulum, & unam ex ipsis homines Nauli traxerunt ad terram cum hominibus de galêis nostris, & aliam ad litus Nauli perforaverunt; & ad defensionem Nauli viriliter consistentes, domos, quæ extra civitatem Nauli erant, ut civitatem tutiùs defenderent, concremarunt. Visis autem inimicorum galêis, subitò, relictis omnibus, armatæ fuerunt viriliter in civitate galêæ LI., in quibus Ansaldus Soldanus, & Jacobus de Levanto Admirati fuerunt, & in ipsis, tamquam ad clamorem & strumitam, viri providi ascenderunt. Et die secunda post apparitionem galêarum inimicorum de portu Januæ feliciter exeuntes, erecto B. Georgii vexillo, contra inimicorum galêas tota nocte, maximè ut nescientibus inimicis comprehenderent, in portu Nauli potentissimè iverunt, & nocte non sufficiente, summo mane fuerunt supra Savonam. Inimici autem hoc videntes, relictis anchoris, scalis, & vachetis, continuò mari & terra de loco Nauli fugerunt, projicientes in mare quæcumque in coopertis galêarum habebant. Nostræ autem tota die ipsas fugantes, nequiverunt ipsas comprehendere, quoniam paratæ erant ad fugam potiùs quàm ad bellum. Et redeuntes galêæ nostræ ad locum Nauli ipsum locum, civitatem, & castrum servientibus, victualibus, & rebus omnibus necessariis munierunt, & ibi Fulconem Guercium Capitaneum statuerunt. Dum autem in Naulo essent galêæ nostræ, exivit Ansaldus de Mari de pelago cum galêis, & nocte una ante lucem intravit portum Januæ cum galêis & navibus, ut navibus & Lignis, quæ in portu erant, offensionem, si potuisset, inferret. Viri autem providi Januenses, qui in civitate remanserant, arma sumentes, naves & Ligna portus munierunt, & ascendentes galêas & alia Ligna currentia, quæ in portu erant, contra inimicorum galêas iverunt, & de portu eas cum vituperio ejecerunt; & factis Faro signis galêis nostris, sicut statutum erat, continuò de portu Nauli exeuntes, dimisso loco Nauli mu-

munito, Januam redierunt.

Audiens autem Imperator, quòd nihil proficeret cum galêis, mandavit Marino de Ebulis Vicario suo in Lombardia, & Oberto Pelavicino suo item Vicario in partibus Lunesanæ, ut exercitum maximum, in quantum possent, eò adunarent, & super terram Januæ viriliter introirent, ut simul cum Ansaldo de Mari Admirato suo tutiùs offenderent terras Januensium. Præfati namque Vicarii Domini sui mandatum servantes, exercitus magnos pro viribus facientes, Marinus dictus de Ebulis ad instigationem Mascharatorum & rebellium Januæ, qui extra civitatem exiverant, cum Communi Papiæ, Alexandriæ, Terdonæ, Vercellarum, Novarum, Albæ, Aquis &c. & cum Marchionibus Montisferrati Guilelmo, Conrado, & Manfredo de Boscho, & aliis multis sequacibus & fautoribus Imperatoris, hostiliter veniens usque Vadum, viam & passus faciens ordinari, jactavit usque in Pulciferam venire, & etiam bastitam construere in capite Farii. Obertus quoque Pelavicinus de versùs Orientem cum maxima quantitate militum de Thuscia, & cum hominibus de Lunexana, & Marchionibus Malaspinæ, & aliis sequacibus eorum, hostiliter apud Montem-Rubeum, & Vernaciam veniens, jactavit usque in Bisamnem venire. Ansaldus de Mari Admiratus, quum audivit exercitus prædictos coadunatos esse super terram Januensium introire, & quòd Januenses per terram obviam ipsis exercitibus ire intendebant, vênit apud Vulturum cum galêis, exspectans ibi, ut veniret Messias. Celebrato autem à Potestate magno Consilio, statuerunt providi Viri Januenses armamentum dimittere galêarum, & contra hostes per terram insurgere viriliter & potenter. Tunc missi fuerunt milites cum Potestatibus & hominibus Potestatiarum Recchi, Rapalli, Clavari, & Sigestri, & cum hominibus Levanti, & aliis de finibus illis obviam exercitui Oberti Pelavicini. Quod quum audivisset Pelavicinus, retraxit cornua, & stetit in montibus supra Vernaciam, nec ausus fuit descendere. Potestas verò cum universa militia & balistariis Januæ continuò exivit contra exercitum Marini de Ebulis, dimissis quibusdam militibus ad custodiam burgi Vulturis; & supra montes ad vias, per quas exercitus ille venire statuerat, potentissimè se opposuit. Ansaldus de Mari cum galêis suis ivit Arenzanum; & quum descenderent illi de galêis, cucurrerunt quidam ex militibus nostris, & posuerunt eos in conflictu. Quumque dictus Vicarius quosdam milites & pedites suos mandasset, ut exercitum Januæ supra viderent, exierunt quidam milites & pedites nostri contra illos, & ponentes eos in conflictu, usque ad tentoria inimicorum fugaverunt eos, & captis duabus banderiis inimicorum redierunt ad exercitum cum honore.

Nocte autem veniente habuerunt inimici consilium, ut retroirent, & summo mane diluculo ante lucem separaverunt, & cum vituperio recesserunt. Mascharati verò de loco Buzallæ recedentes iverunt stare Savonam; & Ansaldus de Mari cum galêis, quamcitò de separatione exercitus prædicti audivit, timuit, & velut conflictus recessit, terram Januensium non in aliquo damnificando. Januenses autem reversi sunt cum triumpho, & ad præparationem, & munitionem galêarum nostrarum, & ad confusionem exercitus Oberti Pelavicini viriliter cum festinantia intendentes, ut Ansaldum de Mari cum galêis obsiderent in Savona, & exercitum Pelavicini, qui castrum Vernaciæ obsederat, expellerent & delerent. Tunc Potestas cum militibus & balistariis Januæ mense Augusti exercitum contra Pelavicinum movit; & quum appropinquasset Sigestrum, audivit Pelavicinus de adventu Potestatis & militum, recessit cum vituperio, & exercitum separavit. Januenses verò fortitudine & vigore roborati, ad destruendas galêas inimicorum viriliter insurgentes, ascenderunt galêas, & iverunt potentissimè supra Savonam; & quum galêas inimicorum insultare statuissent, nequiverunt ob impedimenta inimicorum ipsis appropinquare. Tunc parata fuit in civitate quædam Bricola in navi nova, & plura Ligna impleta fuerunt bruschis & catrano, ut nostris galêas illas destruerent, & cremarent. Quumque artificia illa supra Savonam missa essent, & ad destructionem inimicorum galêarum nostri intenderent, facta fuit tempestas & mare turbidum, ita quòd oportuit galêas nostras cum apparatu prædicto ire ad portum Nauli. Videns autem Ansaldus de Mari, quòd galêæ nostræ de obsidione levatæ erant propter temporis turbinem, jussit muniri galêas XX., quas ipsa nocte, dum essent galêæ nostræ in portu Nauli cum fortuna temporis valida, mandavit apud Pisas fugientes, diligens potiùs maris judicium, quàm nostrorum. Deinde Ansaldus de Mari remansit Savonæ, exspectans galêas, quas miserat in Provinciam, & ipsas galêas ad litus Sagonæ trahi fecit, ne galêæ nostræ ipsas offenderent. Et quum galêæ ipsius Ansaldi, quæ iverant in Provinciam, audivissent, quòd galêæ nostræ obsederant illum cum galêis in Savona, timuerunt, & fucem Albinganæ intraverunt.

Homines autem ipsarum galêarum tam Savonæ, quàm Albinganæ clamabant, & quotidie fugientes Januam veniebant, & ipsis, qui fugiebant de galêis, data erat fiducia per Commune Januæ. Videntes autem nostri, quòd inimicis damnum inferre non possent, Januam sunt reversi; & Ansaldus de Mari videns, quòd nihil proficeret ei mora ejus, & gens sua clamabat, nec eas poterat retinere, mandavit cum galêis suis, ut exirent de Albingana, & venirent Savonam, & recessit cum ipsis tenens altum mare, & ivit Pisas, deinde in Sardiniam, & demum in Siciliam. Post hæc Marinus de Ebulis Vicarius dictus, ad preces Mascharatorum Januæ, & rebellium Savonensium, & aliorum sequacium ivit obsidere castrum Signi, quod muniverant homines Nauli. Et quum nihil ibi profecisset, vênit Jacobus Marchio de Carretto, offerens Vicario prædicto personam suam, & omne subsidium ejus ad captionem castri illius, supplicans eidem ne recederet, quousque castrum Signi captum haberet. Et tunc Jacobus de Carretto cum hominibus de Finario & aliis hominibus suis construi & erigi fecit ad populationem castri Signi trabuccum unum magnum, prœliando ipsum castrum nocte & die cum machinis & trabucco. Tamdem homines Nauli Ambasciatores Januam miserunt pro succursu habendo, & decrevit Consilium Januæ exercitum fieri per mare & per terram in succursum castri Signi. Et Potestas cum militia ivit usque Vernaciam, exspectando ibi exercitum congregari.

ri. Sed quia tempus mari & terra per multos dies contrarium exstitit & malum, non potuit simul exercitus convenire; & missi fuerunt milites solderii centum, & quamplures pedites per mare ad instantiam hominum Nauli pro succursu præstando ipsi castro Signi; nam quidam de Signo proditionem ipsius castri tractantes, ipsum dicto Vicario, & Jacobo Marchioni de Carretto per traditionem dederunt. Videntes autem illi de castro, quòd traditi essent, pactum fecerunt cum inimicis, ut salvarent personas & res, & ipsum castrum per vim dederunt inimicis. Accepto autem castro, munivit eum Jacobus de Carretto. Audito autem in civitate quæ acciderant, missi fuerunt per Commune Januæ apud Naulum pro custodia ipsius civitatis, & ut solatium præstarent hominibus Nauli, Lanfrancus Malocellus, Moruel Ususmaris, & Piccamilius. Et quum audivit Jacobus de Carretto, quòd Lanfrancus Malocellus Cognatus ejus venerat Naulum, mandavit pro eo, ut apud Finarium iret loquuturus ad eum; & acceptâ inde licentiâ à Potestate Januæ ivit. Qui Jacobus quum multa diceret, & promitteret se Communi Januæ velle facere, & diceret se mœstum esse de iis, quæ acciderant, nihil tamen profuturum facere curavit; sed ab inde in antea accensus spiritu stultitiæ & furoris cum hominibus suis de Finario terras & homines Januæ offendere non cessavit. Et dictus Dominus Guilielmus Surdus Potestas finem sui regiminis, sicut meliùs potuit, terminavit.

Anno Dominicæ Nativitatis MCCXLII. Indictione XV. fuit in regimine civitatis Januæ Dominus Conradus de Corexio Civis Brixiæ, miles formosus, largus, sapiens, & animosus; & cum eo Judices duo, scilicet Guido de Villana de eadem civitate, & Villanus de Turriano Mediolanensis ad maleficia deputatus. Milites verò ejus Fortis de Monteclaro, & Gualandus de Capriolo. Octo discreti pro Communis introitibus recipiendis & expendendis fuerunt Guilielmus Mallonus Grassus, Martinus Bancherius, Guilelmus Recha, Simon de Marino, Marinus Ususmaris, Jacobus Frixonus, Bovarellus de Grimaldo, & Johannes Calvus. Scribæ Communis Guilelmus de Varagine, Simon Spaërius, Madius, Obertus de Langasco, Vassallus Gallus, Jacobus Papia. Consules de Justitia in Palatio civitatis Jacobus Grassellus Mediolanensis. In Palatio civitatis & burgi Bigurnus de Porta Placentina. In Palatio Civium & Foritanorum Ogerius de Nicolinis Brixiensis; & in Palatio de versùs burgum Bonusfiliolus de Bononia. Ipso quidem anno, vacante Sede Apostolica post obitum Gregorii Summi Pontificis, & perdurante guerra maxima inter Ecclesiam, & Dominum Fridericum Imperatorem, Alexandrinos, Terdonenses, Albenses, Astenses, Aquenses, Castinenses, Vercellenses, Novarienses, Papienses, Cremonenses, Marchionem Montisferrati, Marchiones de Ceva, Jacobum & Manfredum Marchiones de Carretto, Marchiones de Bosco, Marchiones Malaspinæ, & alios multos fautores, coadjutores, & complices eorum, nec non Pisanos, Obertum Pelavicinum, Pontremulenses, & ceteros de Lunexana, & Grafiniana, cum hominibus Parmæ, & aliis multis fautoribus & complicibus eorum ex altera: Perseverantibus insuper Mascheratis Januæ, & rebellibus illis de Savona, Albingana, Finario, Corvaria, Celasco, Carpena, Buzolio, Monterubeo, Lacu, & aliis pluribus in sua rebellione & iniquitate concepta: dictus Dominus Conradus statim in introitu sui regiminis à se ipso sinè consilio aliquorum cum magno vigore & spiritu leonino se accinxit ad pondera imminentia bajulanda. Audito itaque, quòd Guilelmus Spinula filium suum ad Imperatorem mandaverat, ut damnum & minorantiam Communis Januæ tractaret, & ut de Lombardia venirent per terram suam de Valle Scriviæ, & intrarent offendere terras Januæ, tunc omnia membra & castra ipsius Guilelmi & fortias quascumque habebat tractavit subvertere & delere. Die autem XVI. mense Martii secretè cum militibus Januæ, & Potestatiis Bisamnis, & Pulciferæ, equitavit ad Vallem Scriviæ ad castrum Ronchi, quod munierat idem Guilelmus, & sinè prœlio aliquo habuit ipsum castrum, & munivit pro Communi Januæ ad voluntatem suam: quo munito Januam rediit cum honore. Post paucos verò dies cum Dominis & hominibus castri Savignoni, quod & ipsi Guilelmo erat subditum, tractavit ipsum castrum, & aliud, quod dicitur Costapelata, habendi; & XXII. die Aprilis ad ipsum similiter equitavit, & castra illa ad voluntatem suam habuit, & munivit; & eis munitis lætanter rediit. Videns autem Guilelmus Spinula quod acciderat, castrum Buzalæ introivit, & ipsum castrum pro viribus munire & fortificare studuit; & forestatos, aliosque malefactores, & prædones, quoscumque potuit, introduxit. Congregatis itaque ad unum hominibus burgi Foritanorum, & ceteris de Valle illa ad servitium & honorem Communis Januæ contra ipsum Guilelmum Spinulam, omnimodè se dederunt; & quum exivissent quidam ex forestatis, & hominibus de Buzala, dictos homines offendentes, illi de burgo Foritanorum, Runcho, & alii de Valle illa, arma viriliter accingentes, exiverunt viriliter contra illos; & quosdam ex illis capientes, cædentes, & occidentes, alios usque ad portam Buzalæ fugarunt. Et audito clamore per Vallem illam, & in Falcono, & in Pulcifera, & finibus illis, in subsidium dictorum hominum Vallis Scriviæ potentissimè occurrerunt, & castrum obsederunt per se ipsos viriliter, & mandaverunt ad Potestatem Januæ, ut succursum præstaret eis, quia illi de castro non poterant se tueri. Tunc Potestas vocatis Consiliariis, decrevit Consilium exercitum facere generalem; & ad voluntatem Consilii die Lunæ V. exeunte mense Aprilis cum exercitu ad dictum castrum Buzalæ viriliter equitavit; & paratis Gratis, & aliis multis ædificiis ad prœlium, ipsa die jussit Potestas in crastinum ipsi castro dari prœlium circumquaque; & constitutis battaliis per compagnias, ut ad castrum prœliandum die Martis IV. exeunte mense Aprilis, manè viriliter insurgerent universi: Guilelmus Spinula, & illi, qui secum intus erant, timuerunt. Et facto pacto, ut personæ tantùm evaderent cum rebus solummodo, quas ad dorsum portare possent, exiverunt de castro, & ipsum in voluntate Potestatis dederunt.

Post hæc auditis rumoribus undique, quòd contra Commune Januæ mari & terra magni inimicorum exercitus parabantur, & inimici bastitam in Capite Farii facere minabantur, fecit Potestas in Ecclesia B. Laurentii concionem

nem maximam militum & peditum, & universorum bonorum hominum Januæ congregari, & separata concione quilibet fuit intentus ad arma. Et continuò fuerunt impositæ galêæ novæ XL. & in paucis diebus suppletæ. Audito namque die X. Julii, quòd Imperator mandaverat apud Pisas galêas LX. munitas, & naves duas, in quibus Ansaldus de Mari præerat Admiratus, & Pisani galêas, & alia Ligna de duabus Theriis L. numero muniebant, in quibus Buscarinus Pisanus præerat Admiratus: statim varatæ fuerunt galêæ X. denuo factæ, & cum ipsis paratæ fuerunt in portu Januæ LXXXIII. & taridæ XIII. & naves III. magnæ, depictæ colore albo, cum Crucibus vermiliis per totum, dimisso tunc glauco colore, quo depingi solebant. Et missum fuit undique per Potestatias, & districtum Januæ, ut omnes parati essent armis & victualibus in galêis ascendere. Postmodum Potestas in platea B. Laurentii maximum colloquium celebravit, & mirabiliter loquutus est, omnes ad bellum animando; & in persona sua propria Vexillum B. Georgii ad honorem Dei, & Sanctæ Ecclesiæ, & ad confusionem inimicorum gratulanter assumsit, & se constituit victoriosi stoli Admiratum. Et divisis galêis, & taridis omnibus per compagnias, triumphale Vexillum B. Georgii in una bona galêa, & alia vexilla Portentinorum & Comitorum in aliis galêis & taridis cum lætitia fuerunt erecta, & ædificia mirabilia ad prœlium in ipsis taridis ordinata. Et ut nihil temporis præteriret incassum, facta fuit electio potens & dispensatio supersalientium, & bellatorum, & balistariorum in civitate per compagnias, & remigum per Potestatias; panatica, victualia, & cetera necessaria præparata. Et audito, quòd Pisani obliti pacis & conventionis vinculum, quo Communi Januæ tenebantur, cum galêis & omni eorum exfortio, & Ansaldus de Mari cum galêis Imperatoris, & Obertus Marchio Pelavicinus tunc Vicarius Imperialis in Lunesiana cum maxima quantitate militum Pisanorum & Parmensium, & cum magno exercitu balistariorum per terram venerat apud Portum Veneris die XX. Julii, vastitantes omnia domestica, quæcumque extra castrum inveniebant: subitò velut ad strumitam universi de civitate arma viriliter assumentes, posuerunt ea in galêis; & necessaria omnium fuerunt onerata in ipsis; & missum fuit per Potestatias, ut omnes electi venirent ascendere in galêas.

Et quum inimici mari & terra cum machinis, & prederiis, bricolis, scalis, & aliis ædificiis eorum infortunio ad locum Levanti pervenissent, & burgum ipsius loci disclausum invenissent, obsederunt eum; & quotidie prœliantes nil profecerunt; sed providi de Levanto eis viriliter obstiterunt. Statim Potestas ascendit in galêam suam, & omnes de civitate & Potestatiis electi galêas & taridas ascenderunt; & die Dominico XXVII. Julii, ut monstra fieret, & meliùs ordinarentur, iverunt omnes cum galêis & taridis apud S. Petrum de Arena, ubi tanta fuit mirabilis & innumerabilis bellatorum proborum & gentium multitudo, quòd difficiliter posset describi. Paratis itaque galêis & taridis omnibus, & viriliter præmunitis, movit Potestas cum ipsis de dicto loco, & ipsa die cum mirabili stolo ivit in Bisamnem. Die verò Lunæ sequenti, assumta de Ecclesia Sancti Laurentii cum magna reverentia vera Cruce, quæ semper in omnibus bellis exstitit triumphatrix, & posita in fortiori tarida, exercitus ivit cum festinantia usque ad Sigestrum. Et audito quòd inimici mari & terra cum omni eorum exfortio castrum & burgum Levanti obsederant, die penultima mensis Julii, dum ceteri de exercitu ad honorem Ecclesiæ, & ad reverentiam veræ Crucis pœnitentiati essent, & Crucem quilibet assumsisset in humero dextero, summo mane cum magna festinantia & vigore, facta maxima & potenti acie galêarum & taridarum in mari, extraxit Potestas triumphale Vexillum B. Georgii viriliter contra hostes. Videntes autem inimici tam mirabilem exercitum & potentem irruere contra ipsos, statim nullâ factâ resistentiâ, relictis tentoriis, scalis, anchoris, machinis, & rebus, & armis multis, conflicti mari & terra, posuerunt se ad fugam. Ansaldus quidem de Mari cum omnibus galêis suis, eo quòd ad fugam velociores erant ipsis Pisanorum, ut primùm viderat exercitum Januensium, diligens magis ut capti essent Pisani, quàm ipse, primitus fugam cepit, & post ipsum Pisani versùs Pisas cum magna festinantia remorum & velorum fugere non cessarunt. Obertus Pelavicinus cum omni exercitu suo ad montes Celaschi se reduxit. Videntes autem illi de Levanto, quòd hostes essent in conflictu, exiverunt contra ipsos, & multos ex eis occiderunt. Quod quum exercitus Januensium vidit, contra Pisanos, & Ansaldum de Mari, cum vigore & audacia irruerunt; & unam galeottam Pisanorum armatam cum multis Pisanis ceperunt. Et cum gloria & triumpho rediit ad Levantum mirabilis stolus & exercitus Januensis, & stetit ibi usque in diem crastinum, de cujus adventu universi de Levanto plenè lætati sunt. Et quum nulla ampliùs de inimicis audiretur nova, jussit Potestas castrum & burgum Levanti victualibus & omnibus necessariis muniri. Et ipsa die cum universo exercitu rediit apud Sigestrum, & ibi per plures dies commorantes, ut rumores aliquos de inimicis scirent, Potestas quasdam sagitteas & Ligna currentia mandavit usque ad Ilicem, ubi invenerunt, quòd nocte una Ansaldus de Mari cum galêis suis exeundo de pelago venerat cum galêa Buscarini Admirati Pisanorum, & Andreas de Mari cum duabus galêis Imperatoris ibi de Regno veniendo applicuerat, in quibus Imperiale Vexillum adduxerat; & redeuntibus dictis sagitteis ad Potestatem, supradicta, quæ audiverant, & viderant, nuntiantes, subitò Potestas dimissis taridis omnibus in Sigestro cum galêis omnibus ad inquirendas inimicorum galêas celeriter festinavit. Et quum Ansaldus de Mari in mari & terra posuisset custodes, qui signa darent, si viderent exercitum Januensem, quamcitò custodes illum à longè viderunt, & signa dederunt: Ansaldus & filius ejus Admiratus Pisanorum fugerunt, & per altum mare transeuntes nocte iverunt Savonam. Quo audito per homines Portus Veneris, qui eas viderant fugientes, stetit Potestas ipsa die in Portu Veneris, ubi cum galêis paravit insidias ad confusionem inimicorum, si fortè ad terram ampliùs redire præsumerent.

Deinde Potestas, audito quòd inimici versùs Savonam iverant per altum mare, munitis

tis locis omnibus de Riperia, cum galêis & taridis rediit versùs Januam; & jussit, ut taridæ irent & intrarent portum Januæ; & ipse, ut galêas inimicorum quæreret & inveniret, cum galêis omnibus versùs Savonam mirabiliter festinavit. Et quum appropinquaret supra Caput Montis die Lunæ XI. mensis Augusti, vidit ad partes Januæ Faro multos ignes fieri cum fumis, quos illi de civitate fieri faciebant in signum, quòd velut ad latrocinium manè cum galêis quibusdam Ansaldus de Mari portum intraverat; quos de Faro quum videret Januensis exercitus, cum majori festinantia & vigore cum velis & remis ad inimicos inquirendos omnimodè festinavit. Videns autem Ansaldus de Mari à longè exercitum Januensem, nullâ morâ factâ velificavit, & in quantum festinantiùs potuit ivit Savonam, nihil damni in portu Januæ vel alibi inferendo. Quumque appropinquasset cum galêis & taridis omnibus Januensis exercitus supra portum Januæ, valida maris tempestate cogente oportuit exercitum Januensem licèt invitum ipsa nocte portum Januæ introire. Quo facto ordinatum fuit, quòd taridæ dimitterentur in portu, & quòd galêæ LXXXIII. sicut possent, meliùs armarentur. Et quum facta esset maris tranquillitas & tempus bonum, armatæ fuerunt in civitate die Jovis XXI. Augusti galêæ LXXXIII., sicut armari meliùs potuerunt; & ipsa die iverunt apud S. Petrum de Arena, ut ibi meliùs pararentur; & statutis custodiis in mari & terra, ne præscirent inimici, & eos comprehenderemus in Savona, die Sabbati sequenti XXIII. Augusti summo mane movit Potestas cum prædictis galêis tam ad bellum, quàm ad celeritatem mirabiliter præmunitis, & ivit supra portum Savonæ. Et quum præscivisset Ansaldus de Mari de adventu Januensis exercitus, cum omnibus galêis primo sero noctis illius fugam cepit, & maris pelagus intravit. Die mane audito, quòd Ansaldus de Mari cum galêis omnibus iverat versùs Albinganam, & quamdam navem magnam oneratam victualibus exspectabat, quam de Regno venire fecerat, continuò Potestas cum exercitu versùs Albinganam ivit, & ibi die Dominico applicuit summo mane. Quem dum viderent rebelles Albinganenses, clausis portis omnibus civitatis, per murum & turres ascenderunt, & nullus fuit ausus extra muros exire. Viri namque providi Januenses, qui in terram Albinganæ prope civitatem erant, cremarunt vineas & arbores & alia domestica vastitarunt: navem unam Albinganensium, & bucios duos salarios, & alia Ligna onerata sale, quæ in plagia Albinganæ erant, inde extraxerunt, & ad Insulam Albinganæ adducentes, navem illam cremarunt, & alia Ligna Januam mandarunt.

Audito etiam, quòd supra Andoriam, & alias partes visæ fuerant inimicorum galêæ, cum festinantia ivit Januensis exercitus contra eos, & non invenientes descenderunt ad terram castri Andoriæ, quod Bonifacius de Cravexana, & mater ejus Mabilia in favorem Albinganensium contra Commune Januæ muniverant; & arbores, & vineas, & cetera domestica multa illorum de Andoria vastitarunt. Et occurrentibus Mabilia de Cravexana, & aliis multis rusticis Andoriæ ad pedes Potestatis, asserentibus se velle fideles esse Communi Januæ, & castrum dare in fortiam Potestatis, licèt in verbis diu tenuissent Potestatem, nihil tamen inde facere voluerunt. Imò fraudulenter mandaverunt ad Albinganam pro succursu; & quum ibidem venisset Bonifacius de Cravexana cum quibusdam militibus & peditibus Albinganæ Januenses rusticos invaserunt, & omnia domestica plus solito vastitarunt. At quia Januensem exercitum ad alia intendere oportebat, maximè ad inquirendas inimicorum galêas, venerunt galêæ duæ, quas Dominus Romæus de Villanova illustris Comitis Provinciæ Bajulus cum sagitteis tribus diligenter munitis in servitium Januensis exercitus mandavit; & retulerunt, quòd inimicorum galêæ erant in Provincia, & apud Insulam S. Margaritæ visæ erant. Quare die mane movit Potestas Januæ cum toto stolo, & ad inquirendas inimicorum galêas versùs Aheras festinavit. Et quum appropinquasset ad palatia Aheris, audivit quòd nocte illa jacuerant inimici ad Insulam de Aheris, & quòd viso exercitu Januensium fugerunt foràs in mari. Quo audito Potestas misit quasdam sagitteas ad Insulam Aherarum, ut nova scirent de inimicorum galêis, quæ retulerunt Potestati, quòd illæ fugerant foràs in mare, & in Corsicam iverant, ulteriùs non reversuræ. Die autem Veneris V. Septembris Potestas cum universis supersalientibus descendit ad ripam Aherarum juxta fucem Capelis, & ibidem sub tentoriis castrametatus fuit; & quum ibi salis copia esset, consuluerunt Magnates & Sapientes Januæ, quòd de sale fieret ut recuperarentur expensæ, quæ factæ fuerant in exercitu; & quòd deberent poni minæ CC. salis in qualibet galêa; & ita continuò factum fuit. Posito itaque sale in universis galêis, movit Potestas cum universo stolo, & die Sabbati XIII. Septembris cum magna Caravana Lignorum, & navium oneratarum victualibus & sale Januam rediit cum honore. Quumque desideraret Potestas rumores audire de galêis inimicorum, & diceretur publicè, quòd perierant, eo quòd fugientes ab Insula Aheris in Corsicam, maris & venti fortuna valida circumvenerat eos, venerunt de Pisis, & de Corsica quædam Ligna, quæ retulerunt & affirmaverunt, quòd Ansaldus de Mari cum quibusdam galêis evaserat ad Insulam Capprariæ mœstus & turbatus de reliquis galêis, quæ propter fortunam temporis separatæ erant ab eo. Alii de Pisis venientes retulerunt, quòd quædam ex ipsis galêis venerant, & aliæ per Insulas Corsicæ separatæ erant.

Tunc Potestas, celebrato in civitate Januæ magno Consilio, de voluntate totius Consilii decretum fuit, quòd licèt non speraretur, quòd ampliùs rediret Ansaldus de Mari cum galêis, licentia daretur universis vogheriis & supersalientibus, & eis injungeretur, quòd semper parati essent cum armis redire & ascendere in galêis, quamcitò Domini Potestatis Januæ mandatum audirent. Licentiatis itaque universis, Ansaldus de Mari de Corsica ivit Pisas, & ibi omnes galêas suas invênit; & audiens quòd disarmatæ erant galêæ Januensium, cum omnibus galêis suis die XXII. Septembris reversus est Savonam; & quum ipsa die naves duæ & tarida una Januensium essent supra Arenzanum, à Septa, & Buzea venientes, subitò ascendit Potestas in galêam suam, & præcepit,

pit, ut universi de civitate ad Bruidam ascenderent in galêis. Et confestim ipsa die armatæ fuerunt de hominibus civitatis galêæ XXXII. & in succursum navium potentissimè exierunt; ipsasque naves, & taridam in portum Januæ feliciter conduxerunt. Post verò paucos dies, dum instaret Potestas ad præparandas galêas, & cum festinantia munirentur, & mandaret per Potestatias, ut omnes venirent, quicumque debebant ascendere in galêis, vênit Marinus de Ebulis Vicarius Imperialis in Savonam cum exercitu militum & peditum Lombardorum, & unà velut ad latrocinium per terram; & Ansaldus de Mari cum galêis per mare venerat apud Cogoletum, & Arenzanum, & posuerunt ignem in quibusdam domibus; & res, quas in ipsis invenerunt, velut latrones & rubatores rapuerunt. Quod quum audivisset Potestas, statim contra ipsos cum tota militia Januæ equitavit; & quum à longè inimici statuissent custodes in mari, quamcitò vexilla Januensium viderunt, non exspectantes, subitò fugerunt Savonam. Potestas verò usque Arenzanum cum universis militibus equitavit, & munito loco Arenzani, ut festinaret exercitus galêarum Januæ, rediit ipsa die; & remisit per universas Potestatias, ut venirent omnes quicumque electi erant ascendere in galêis. Et statim in tribus diebus armatæ fuerunt & viriliter munitæ galêæ LXX. in quibus Dominus Potestas Januensis ascendit, & die Mercurii prima Octobris felici hora movit, & ut galêas inimicorum obsideret in Savona, die illa & nocte ire versùs Savonam cum victorioso exercitu non cessavit; & eas obsedit in portu Savonæ. Videns autem Ansaldus de Mari, quòd nullo modo fugere poterat cum galêis, rogavit Vicarium, & Marchiones, & alios Lombardos, qui erant in Savona, & ipsis sub banno Imperiali præcepit, ut non recederent de Savona, sed juvarent eum ad defensionem galêarum; & puppes galêarum volvens de versùs exercitum Januæ, proras cujuscumque ipsarum in quantum potuit, trahens ad ripam Savonæ cum spaldis antenarum & arborum positis in mari, & cum bricolis erectis in muris Savonæ, in quantum potuit, fecit dictus Ansaldus mirabilem apparatum ad defensionem.

Videns autem Potestas, quòd non esset tutum cum galêis Januæ prœlium dare galêis inimicorum ad ripam Savonæ, mandavit Januam, ut naves duæ implerentur bruschis, lignamine, & catrano, & cum festinantia ad exercitum Januensium mandarentur, ut starent cum exercitu nocte & die supra Savonam, obsessas tenendo galêas inimicorum, ne umquam recedere possent usque ad adventum navium prædictarum. Quæ quum venissent, ordinatum fuit, ut poneretur ignis in eis, & contra galêas inimicorum mandarentur, ut eas cremarent ad litus. Quibus navibus fuit ventus contrarius, & non potuerunt ad galêas inimicorum attingere. Sed ventus duxit eas versùs Septem-Montes versùs Ecclesiam Savonæ, quæ dicitur Sanctus-Pontius, & ibi combustæ fuerunt, galêas inimicorum non in aliquo damnificantes; cujus facti multùm inimici lætati fuerunt, & fortiter clamabant. Iratus itaque Potestas & commotus, de voluntate Magnatum & Nobilium Januensium, qui secum erant, proposuit non ampliùs inde separare, quousque galêas inimicorum destruxisset; & mandavit Januam, ut in duabus aliis navibus pararentur, & construerentur bricolæ duæ, & alia Ligna crematura, & continuò mandarentur ad exercitum. Quæ quum exspectarent, cœpit mare commoveri, & ventus regnare contrarius: quare Potestas jussit exercitum separari ab obsidione, & cum eo statuit ire in portum Nauli. Videns autem Ansaldus de Mari, quòd separabatur exercitus, fecit universos milites & Lombardos, qui erant in Savona, ire ad plaziam Arbizolæ, & exivit cum galêis usque ad plaziam, semper stringens se ad terram. Tunc Potestas de consilio Sapientum, qui juxta se erant, finxit se versùs Januam ire, & campum dare inimicis, ut se moverent à terra, & eos insultare, antequam in portu Savonæ fugere potuissent. Ansaldus verò de Mari hæc cogitans, noluit separare se à terra. Tunc Potestas cum Januensi exercitu galêarum se volvit contra inimicos; & inimici continuò portum Savonæ intra Licias intraverunt. Et ivit Potestas cum exercitu in portum Nauli, & die crastina summo mane, quæ fuit die Veneris X. Octobris, cum victorioso stolo redivit Potestas Januæ supra portum Savonæ, ut inimicorum galêas obsessas teneret; & stetit ibi tota nocte, nec ausi fuerunt inimici exire extra Licias. Sero autem facto mare cœpit moveri, & ventus fortis contrarius regnare, & oportuit ut cum exercitu veniret Potestas apud Arenzanum, nec ultra potuit ire. Et quum tempus & mare multo fortiùs contrarium regnaret, non potuerunt galêæ pati ibidem stare omnes; & quædam velificantes portum Januæ intrare laborarunt, nec ultra Vulturum transire potuerunt; sed nocte illa steterunt ad anchoras; & quum anchoræ vel sartia eas tenere non possent, iverunt ad litus Arenzani, & Vulturis plures ex galêis Januæ, & fractæ fuerunt. Homines verò earum gratiâ Dei sani & salvi omnes fuerunt. Die verò crastina fecit Potestas omnes galêas illas, quæ ad terram iverant, trahere extra mare, & cum reliquis galêis portum Januæ intravit, & fecit ibi galêas fractas reaptare, & omnes de galêis licentiari. Quum autem audiret Ansaldus de Mari, quòd galêæ Januensium disarmatæ erant, & licentiati homines de ipsis, quamcitò potuit, & maris fortuna cessavit, ivit cum galêis suis in Provinciam, ut salem adduceret in Savonam. Quo audito, mandavit Potestas Januæ, ut redirent omnes, & ascenderent in galeas, & confestim armatæ fuerunt galêæ LXX. quæ quum armatæ essent, & ad inquirendas galêas inimicorum Potestas Januæ viriliter festinaret, continuò valida fortuna maris & venti, & pluviæ regnare cœperunt per dies viginti & ultra, ita quòd de portu Januæ exire nullatenus potuit. Et iterum licentiati fuerunt omnes de galêis; & Ansaldus de Mari ivit apud Aheras pro sale. Quumque ad confusionem inimicorum iterum Potestas armamentum solitum faceret galêarum, licèt nocte & die regnaret mare turbidum, nocte una penultima Novembris de Sagona recessit Andriolus de Mari filius Ansaldi cum galêis XXXV. & ivit in Apuliam & Siciliam. Ipso quidem anno, licèt non modica quantitas pecuniæ daretur proinde Marchionibus, facta fuit pax & conventio inter Dominum Bonifacium Marchionem Montisferrati, Manfredum Marchionem de Carretto, Georgium

gium & Manuelem Marchiones de Ceva pro se & aliis fratribus suis ex una parte, & Commune Januæ, Mediolani, & Placentiæ ex altera. Et mense Januarii venerunt ipsi Marchiones Januam, quibus Potestas cum militibus Januensibus ivit obviam usque Stellam; & quum tunc temporis partem Imperatoris foverent, juraverunt in publica concione Januæ & in Consilio manutenere & defendere pro posse Sanctam Romanam Ecclesiam, & dicta Communia Januæ, Mediolani, & Placentiæ; inimicis Ecclesiæ facere vivam guerram; & sub protectione Romanæ Ecclesiæ in manibus Domini Astachi Præpositi Brixiensis Legati Domini Georgii de Montelungo Apostolicæ Sedis Legati in eadem concione Januensium lætanter & cum reverentia se dederunt. Et sic dictus Conradus finem sui regiminis cum honore maximo feliciter terminavit.

Anno Nativitatis Dominicæ MCCXLIII. Indictione I. fuit in regimine civitatis Januæ Dominus Emanuel de Madio, vir Nobilis & probus Civis Brixiæ, & cum ipso Judices duo, videlicet Albertus de Sancta Agatha, & Brixianus de Lizario. Milites ejus Petrus de Cocalis, & Johannes de Bergenato. Octo ejus pro Communis introitibus recipiendis & expendendis fuerunt Nicolosus filius quondam Comitis Henrici de Malta, Putpallus Busca, Lanfrancus Cigala Judex, Andreas de Carmandino, Andriolus de Nigro, Obertus Pulpus, Pignolus de Pignolis, & Conradus Guarachus. Scribæ Communis Guilelmus de Varagine, Simon Spaërius, qui ipso anno obiit, & loco ejus fuit substitutus Scriba Henricus de Bisamne, Madius, Obertus de Langasco, Vassallus Gallus, Jacobus Papia. Mortuo autem dicto Johanne Spaërio, cui cura sigillorum Communis Januæ commissa erat, idem Potestas commisit ipsa sigilla supradicto Guilelmo de Varagine, & ipsum constituit Cancellarium Communis Januæ. Consules de Justitia in placito civitatis Jacobus de Osa de Mediolano. In Palatio de Medio Matthæus de Rhoaldis Bononiensis. In Palatio Foritanorum Jacobus Cilizonico Brixiensis. In Palatio burgi Homobonus Ferrariensis. Ipso quippe anno, adhuc vacante Sede Apostolica, & perdurante guerra magna inter Romanam Ecclesiam, & Dominum Fridericum Imperatorem, & perseverantibus rebellibus Savonensibus, & Albinganensibus, Jacobo de Carretto cum illis de Finario, & multis aliis de Riperia, & Mascheratis de Janua in sua rebellione & iniquitate concepta, dum esset Imperator in partibus Romæ & Marchiæ, & diceretur, quòd tractabat dimittere Cardinales, quos carceratos tenebat, ut in Romana Ecclesia provideretur de Pastore ad voluntatem suam, Dominus Bonifacius Marchio Montis-ferrati mandavit speciales Nuntios suos Ansaldum de Laneriis, & Ogerium de Pallo in Janua, qui in Consilio Januæ ex parte ipsius Marchionis retraxerunt, & dixerunt, rogantes Potestatem, Consilium, & Commune Januæ, ut ad præsens exercitum facerent contra Savonenses rebelles, & ipsam civitatem Savonæ obsiderent, quia & ipse Marchio cum omnibus amicis suis & totius suæ terræ paratus erat in subsidium Communis Januæ venire & defendere, ne aliquis in succursum Savonensium veniret. Tunc vocatis Consiliariis omnibus, & insuper sex per quamlibet compagniam, de voluntate totius Consilii stabilitum fuit contra Savonenses exercitum facere generalem, & ut quilibet paviliones & tentoria in exercitu appararet. Et movit Potestas de Janua cum exercitu die Sabbati prima Martii, & ivit Varaginem, ibique per aliquot dies exercitum exspectando processit, & cum exercitu supra Savonam in Septem-montibus castra fixit, & trabucos duos magnos, bricolas duas, & alia machina, & ædificia ad bellum erigi faciens & imponens, mandavit pro Marchione Montis-ferrati, ut veniret, vel saltem se taliter opponeret in via, ne inimici Savonensibus præstare possent succursum. Qui plurimas excusationes interponens, nihil facere voluit; sed ivit Mediolanum, ubi cum Domino Georgio de Monte-longo Apostolicæ Sedis Legato tractavit, ut civitatem & homines Vercellarum ad devotionem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & ad societatem nostram reduceret.

Quo facto post multos dies civitas & homines Novariæ, qui tunc temporis partem Imperatoris fovebant, ad servitium Sanctæ Ecclesiæ, & unitatem & societatem nostram ipsi quoque conversi sunt. Quumque Potestas stetisset in plana Savonæ apud Sanctam Cæciliam, partem exercitus ponens ad coarctationem Savonensium, mandavit pro succursu Marchionis Montis-ferrati, & Marchionum de Ceva, & Manfredi Marchionis de Carretto, sicuti pacti erant cum Communi Januæ & promiserant, & pro militibus, quos Communia Mediolani & Placentiæ ex conventione dare Communi Januæ tenebantur. Tunc Commune Placentiæ mandavit in exercitum Communis Januæ milites XL. cum equis coopertis de melioribus & potentioribus civitatis Placentiæ. Manfredus quoque Marchio de Caretto cum melioribus suis honorificè vênit in ipsum exercitum. Commune verò Mediolani, Marchio Montis-ferrati, & Marchiones de Ceva succursum dare in ipso exercitu penitùs denegarunt. Et quum in tantum adstricti essent Savonenses, quòd victualia non habebant, mandaverunt Regi Henrico filio dicti Imperatoris, & Manfredo Marchioni Lanceæ, qui erant in Lombardia, ut continuò succursum eis præstarent, aut ex necessitate redderent se Communi Januæ. Tunc Rex Henricus, & Manfredus Marchio Lancea simul convenientes, magnum exercitum Papiensium, Alexandrinorum, Terdonensium, Albensium, & aliorum multorum congregaverunt; & venientes cum exercitu usque ad civitatem Aquensem tractaverunt exercitum Januensium de obsidione levare, designantes, quòd nec ausi essent Januenses eos aliquatenus exspectare. Quo audito in Januensi exercitu, omnes, qui in illo erant, unanimiter dixerunt: *Stemus & non moveamur pro inimicis, quousque rebelles & iniquos Savonenses captos habeamus*. Et multo fortiùs trabuchos & alia machina ad confusionem Savonensium Potestas erigi fecit, & exercitum circumquaque in Septem-montibus muniri, inimicos pro nihilo reputantes. Audientes autem inimici, quòd Januensis exercitus vires reassumserat, & multo fortiùs ad destructionem rebellium parabatur, cornua retraxerunt, & non fuerunt ausi ultra civitatem Aquensem venire, sed cum vituperio separaverunt, & elegerunt milites CC. de Papia, Alexandria, Terdona, & Alba ad soldos, quos ad instantiam Jacobi Marchionis de Carretto in Savonam pro defensione ipsius civitatis per terram dicti Jacobi mittere statuerunt.

Qui

Qui Jacobus eos introduxit in Savonam cum magna quantitate farinæ & victualium.

Tunc Potestas celebrato Consilio, de voluntate ipsius Consilii processit, ut haberentur ad soldos Communis Januæ milites CC. Et continuò misit Potestas in Pedemonte, & fecit soldari milites CC., quos Paganinus de Gavio, & Niger de Valle, qui pro ipsis ducendis iverunt, adduxerunt in exercitum. Milites autem Januenses cum hominibus Potestatiarum universa domestica, quæ in posse Savonæ, & castri Quiliani erant, assiduè vastitarunt; & in tantum fuerunt adstricti Savonenses, quòd nulla persona intrare civitatem poterat, vel exire. Et mandaverunt milites & Savonenses ad Regem Henricum, & Marchionem Lanceam, & ad Communia civitatum suarum, ut nisi succursum haberent, perirent fame, & captivi essent Januensium atque carcerati. Sagitteam unam cum Ambasciatoribus mandaverunt ad Imperatorem, qui in partibus Pisarum esse ferebatur, pro succursu habendo. Videns autem Imperator, quòd multùm sui fautores deprimerentur ex occupatione civitatis Savonæ, mandavit Regi Henrico, & Marchioni Lanceæ, aliisque fautoribus suis in Lombardia, ut totum exfortium suum & exercitum congregarent in subsidium Savonensium. Pisanis etiam mandatum fecit, ut galêas in quantum possent, velociter præmunirent, easque & ipsi in subsidium Savonensium mandarent. Quare Pisani galêas LXXX. cum magna baldantia munierunt. Quo audito Potestas celebravit Consilium cum toto exercitu Januensium, & in ipso Consilio fuit stabilitum, quòd prœlium daretur civitati Savonæ circumquaque; & sic divisis battaliis per compagnias militum & peditum, omnes de exercitu Januæ ipsam civitatem Savonæ die Sabbati XIX. Aprilis manè viriliter aggressi fuerunt. Quæ quum potentissimè munita esset militibus & peditibus & balistariis, ipsam devincere per battaliam minimè potuerunt. Quo facto Potestas die Jovis manè XXIII. Aprilis exercitum separavit, & absque damno reversus est Januam. Quumque in civitate Januæ verba dicerentur vana, & reprehensiones multæ fierent de illis Civibus, qui potentiores videbantur in Communi, eo quòd non esset capta Savona, fecit Potestas in Ecclesia B. Laurentii congregare maximam concionem, in qua præcepit ut quilibet paratus esset armis & equis, & ut galêæ omnes pararentur, & quilibet paratus esset ascendere in galêas ad confusionem inimicorum mari & terra, si contra Commune venire tentarent; & sic Vexillum B. Georgii in persona sua assumsit, & se constituit totius stoli galêarum Januensium Admiratum. Exploratores apud Pisas, & per totam Lombardiam mandavit, ut de inimicorum exercitibus nova sciret. Audito autem ab inimicis, quòd de obsidione Savonæ fuerat Januensis exercitus separatus, distulerunt super terram Communis Januæ venire. Tamen Pisani pubantiis pleni jactaverunt, quòd portum Januæ cum galêis suis intrarent, & quadrellos argenteos, quos fieri fecerant, sagittarent; & sic retinuerunt galêas LV. dicti Imperatoris armatas, ut in Societatem Pisanorum venirent. Quo audito, in civitate Januæ mirabilem & potentem galêarum apparatum Potestas fieri faciens, omnes galêas varari fecit, & eas necessariis omnibus ordinari.

Quum autem tempus diu elapsum esset termini, ad quod Pisani jactaverant se portum Januæ introire, & non sperabatur, quòd amplius Pisani venirent, eo quòd ipso tempore Januenses & homines Potestatiarum intendere oportebat ad vindemias, & licentiati essent ire ad villas, accidit quòd Pisani cum galêis LXXX. de suis, & cum galêis LV. dicti Imperatoris armatis die Sabbati XIX. Septembris summo mane in mare Januæ foràs multùm in mari per milliaria XV. venerunt, non ausi aliquo modo appropinquare ad terram, etiam quòd vix poterant ipsæ galêæ videri. Quæ quum visæ essent, statim Potestas galêam suam, & unam de S. Thoma, & galêas alias X. ad rumorem armari fecit, & mandavit per villas universis Januensibus & hominibus Potestatiarum in pœna personarum, ut statim omnes venirent ascendere in galêas; & quum galêa Potestatis Januæ, in qua erat Vexillum B. Georgii, & cum ipsa usque sex galêæ de nostris foràs in mari ad videndum galêas inimicorum ivissent, statim Pisani quamcitò viderunt vexillum Communis Januæ, putaverunt se captos esse; &, nullâ residentiâ factâ, velut conflicti velificaverunt omnes, & cum galêis dicti Imperatoris omnibus Pisas cum vituperio redierunt, non in aliqua parte Januæ vel districtu damnificantes, nec etiam appropinquantes ad terram. Et quum universi Cives Januæ, & homines Potestatiarum ad mandatum Potestatis in civitatem velociter advenissent, audito quòd galêæ inimicorum cum tanto vituperio aufugerant, licentiavit eos Potestas, ut quilibet ad villas pro vindemiis & delectationibus suis rediret. Ipso quoque anno mense Junii sequenti die post Festum S. Johannis Sinibaldus ex Comitibus Lavaniæ Cardinalis Romanæ Ecclesiæ assumtus fuit ad dignitatem Apostolatus, & nomen eius feliciter Innocentius Papa IV. qui quum filius civitatis Januæ oriundus esset, literas mirabiliter compositas primò Communi Januæ mandavit de promotione dignitatis suæ continentes, & quòd civitatem & universos de Janua tamquam filios sub protectione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ confovere volebat. De quo universi de Janua magni, mediocres, & minores in tantum lætati fuerunt, quòd videbantur ad astra volare.

Anno Dominicæ Nativitatis MCCXLIV. Potestas, qui civitatem in bono statu conservavit & defendit, finem sui regiminis feliciter terminavit; & fuit in regimine civitatis Januæ nobilis & curialis Miles Dominus Philippus Vicedominus Civis Placentinus, & cum eo Judices duo, videlicet Dominus Jacobus de Engelasco, qui stetit juxta eum, & Dominus Rogerius Caponus, qui stetit ad maleficia. Milites ejus Antolinus Molinarius, & Theodosius de Monte-Dominico. Consules de Justitia in Palatio civitatis Alaricus de Calvo Novariensis. In Palatio de Medio Calevarius Tadonus Mediolanensis. In Palatio Civium Foritanorum Paganus de Bagarotto Placentinus. In Palatio de versùs burgum Obertus de Lesno Brixiensis. Octo Nobiles, sive Clavigeri Communis Ottobonus Mallonus, Amicus Strejaporcus, Ingo Tornellus, Jacobus Malocellus, Obertus Ususmaris, Petrus Mazanellus, Grimaldus de Grimaldo, & Jacobus Gatilusius. Qui Dominus Philippus, quum jam Potestas fuisset aliàs, & voluntates Civium Januæ cogno-

gnosceret, tamquam sagax & probus in principio sui regiminis pacem inter Rampinos, & Mascheratos componere curavit. Quum esset itaque Dominus Fridericus Imperator in partibus Romæ, & Maritimæ, & Nuntios mandasset ad Dominum Papam cum tractatu pacis, in quo tractatu continebatur, quòd ipse totam terram, quam tenebat ad præsens, liberè dimittebat, sed dubitabat Romam intrare; & si Româ Dominus Papa exiret, iret ad eum, & in ejus voluntate pacem daret omnibus Christianis, exivit Româ Dominus Papa, & vênit Subtriam, ibique exspectavit, ut veniret Dominus Fridericus Imperator. Videns autem Imperator, quòd Papa de Roma exierat, in quantum potuit, laboravit stringere eum, & ad carcerationem ejus milites CC. mandavit apud Tuscanellam.

Insonuit interim rumor in Janua, quòd Ansaldus de Mari Domini Friderici Admiratus galêas XX. armaverat, & iverat Tunesim, & Buceam pro offendendo Januenses, qui fidelitatem Imperatori non juraverant. Statim de voluntate Januensis Consilii armatæ fuerunt galêæ XXII. quæ quum armatæ essent, vênit Januam quidam vir Religiosus de Ordine Fratrum Minorum, Frater Bojolus nomine, missus à Domino Innocentio Papa cum literis continentibus, ut super iis omnibus, quæ diceret ipse Frater Bojolus ex parte Domini Papæ fides daretur, & crederetur eis. Qui Frater Bojolus retulit, & dixit, quòd Dominus Papa apud Subtriam à militibus Domini Friderici Imperatoris taliter erat adstrictus, quòd nisi succurreretur, in brevi captus esset, & in fortiam Domini Imperatoris positus; rogans ut armarentur galêæ, in quibus esset persona Potestatis Januæ, & nepotum Domini Papæ. Qui velociter moventes irent ad Civitatem-Vetulam, ubi quum applicuissent, separaret se de Subtria, quàm celatim posset nocte una, & veniret ad galêas omnibus prætermissis. Tunc Potestas vocatis paucis ex Nobilibus Januæ, in quibus confidebat, & qui statum Domini Papæ & Ecclesiæ amare videbantur, revelavit eis in credentia literas, & ea, quæ dixerat Frater Bojolus. Qui omnes de succursu Papæ præstando unanimiter consuluerunt, & sicut consuluerant, ita factum fuit. Ascendit itaque Potestas galêas die XXI. Junii, & omnes qui venturi erant in ipsis; & in una ex galêis ascenderunt Domini Albertus, & Jacobus, & Ugo de Flisco, nepotes Domini Papæ, & sequuti sunt Potestatem; & nocte intravit mare, ita quòd die veniente, à nulla partium videbatur terra. Et quum pervenissent in Caput Corsi, statim nulla mora facta moverunt, & iverunt Cornetum. Et inde ad Civitatem-Vetulam applicuit die Lunæ XXVII. Junii, & mandavit Potestas Nuntios suos ad Dominum Papam, significando ei, quòd ibi venerat cum galêis XXII. in quibus erant nepotes sui parati mandatum suum servare. Quamcitò hoc audivit Dominus Papa, nullâ morâ factâ, nocte cum pauca societate exivit de Subtria, & festinanter pervênit ad galêas, & ascendit in galêam, ubi erat Potestas, & in aliis galêis ascenderunt quidam ex Cardinalibus & Prælatis, qui sequuti fuerunt eum, & pervenerunt, Dei gratiâ, ad Portum Veneris die Lunæ IV. Julii; ibique descendit Dominus Papa cum Cardinalibus, & requievit in Ecclesia Portus Veneris per aliquot dies, eo quòd mare timuerat, de cujus adventu homines Portus Veneris mirabiliter lætati sunt.

Audito in civitate Januæ, quòd Dominus Papa cum galêis venerat Portum Veneris, mirati sunt universi, & gavisi gaudio vehementi, & etiam quòd de galêis nostris, quò ivissent, aliquid nesciebant. Et movit cum galêis de Portu Veneris feliciter, & Januam applicuit die Jovis VII. mensis Julii. Fuit enim in civitate ab omnibus cum gaudio honorificè receptus. Galêa, in qua venerat, & aliæ in quibus erant Cardinales, palliis cendatis & deauratis erant coopertæ per totum. Dominus Archiepiscopus cum universo Clero, milites quoque, & dominæ, ac universi de Populo obviam venerunt ei, & cum magna processione & lætitia, coopertis Carubeis civitatis pannis deauratis & cendatis, receperunt eum, & adduxerunt in Palatium Archiepiscopi. Fridericus autem Imperator, qui Pisis morabatur, de recessu Papæ valde turbatus est, & cogitans illum decipere, mandavit ad eum dicens, quòd mirabatur de recessu suo, & quòd voluntatem ejus facere volebat. Mandavit etiam ad eum Comitem Tholosæ, qui Comes, sicut in mandatis habuerat à Domino Friderico, noluit Januam tunc venire, ubi erat Dominus Papa, sed vênit Savonam, & Nuntios plures Domino Papæ mandavit, dicens quòd volebat complere Domino Friderico secundùm tractatum pacis. Quibus quum nullam fidem daret Dominus Papa, eo quòd tenuerat ipsum in verbis, & promissa non curaverat adimplere, statuit ire Lugdunum, & ibi Principes & Prælatos Ecclesiæ convocare. Et, sicut Domino placuit, ægrotavit, & quum per dies plures ægrotasset, de consilio medicorum equitavit ad Monasterium S. Andreæ de Sexto, ut haberet ibidem aërem largiorem. Et quum ejus infirmitas modicum tranquillasset, data benedictione Potestati Januensi, & universo Populo, movit die Mercurii V. Octobris, & ivit Varaginem hospitari, & inde fecit se portari in quodam lecto usque Stellam. Et sequuti fuerunt eum Dominus Potestas, & multi Nobiles Januenses. Stetit itaque Dominus Papa in castro Stellæ, & jacuit infirmus pluribus diebus, ita quòd de ejus vita non sperabatur; sed, Dei gratiâ, citò liberatus fuit; & Potestas Januæ, qui cum honorabili militum & balistariorum Januensium numero ipsum sociabat, accepto commeato rediit Januam cum militibus & societate sua. Ipse verò Dominus Papa equitando, sicut meliùs poterat, & faciendo se portare in lecto ab hominibus, Lugdunum studuit proficisci. Ipso anno quum Pisani quamdam navem nomine Lumbardam armassent, & eam mandassent in Hispaniam pro offendendo Januenses, Nicola Cigala, Manuel de Guasco, & alii mercatores de Janua, qui erant in Hispania, navem unam armarunt, & iverunt ad navem illam Pisanorum, & eam ceperunt cum magna quantitate thesauri. Infideles etiam Colosmi hoc anno Terram-sanctam Hierusalem, peccatis exigentibus, ceperunt, & Christianos, qui in ea erant, occiderunt, & Sanctum Domini Sepulcrum eradicarunt. Ipse verò Dominus Philippus finem sui regiminis feliciter terminavit.

Anno Dominicæ Nativitatis MCCXLV. Indictione III. fuit in regimine civitatis Januæ Do-

Dominus Philippus Guiregnellus Civis Mediolani, & cum eo Judices duo, scilicet Dominus Arditus de Comite, qui stetit juxta eum, Dominus Rogerius de Leucho, qui fuit ad maleficia deputatus. Milites ejus Dominus Leonardus, & Matthæus Testagnatus, & Albericus de Ancona. Octo Nobiles, sive Clavigeri Communis Conradus de Castro, Martinus Bancherius, Balduinus Scotus, Johannes Guercius, Guarnerius Judex, Jacobus Frixonus, Matthæus Pignolus, & Piccamilius. Consules de Justitia fuerunt isti: * In Palatio civitatis Paganus de Fide. Scribæ autem fuerunt Communis illi, qui anno præterito. Ipso quippe anno, Domino Innocentio Papa moram in Lugduno faciente, omnes Principes, Barones, Magnates, atque Prælatos ibi ad Concilium convocavit, ut ipsis ostenderet, qualiter Dominus Fridericus sub specie pacis Ecclesiam statuerat devorare, & sciret ab eis, quid faciendum esset, ut tam Ecclesia, quàm Fideles ipsius, maximè Christiani, solita libertate gauderent. Tunc missi fuerunt pro Communi Januæ ad ipsum duo Ambasciatores, scilicet Ugo de Flisco, & Simon de Marino, quos Dominus Papa hilari vultu recepit. Hoc etiam anno Savonensibus, & aliis de Riperia adhuc perseverantibus in rebellione, & injuriis contra Commune Januæ, Potestas die XI. mensis Maji congregavit Januæ Consilium Generale, per quod firmatum fuit, ut contra rebelles Savonenses ad ipsorum depopulationem fieret exercitus in præsenti. Et sic cum tota militia & Populo Januensi, & cum hominibus Potestatiarum Bisamnis, Pulciferæ, & Vulturis, equitavit viriliter contra ipsos, & quæcumque extra civitatem Savonæ invênit usque Vadum igni & vasto supposuit atque ruinæ. Audito autem, quòd Dominus Fridericus Imperator venerat Pisas, & volebat in Lombardiam introire, separatus fuit exercitus de vasto Savonæ, & rediit Dominus Potestas Januam cum suo exercitu feliciter cum honore.

Interim verò Dominus Fridericus Imperator ivit Parmam, deinde Veronam, & statuit contra Placentinos exercitum validum fieri, & stetit exercitus ad populationem Placentinorum per mensem & ultra. Tamen Placentini solitâ constantiâ ad fidelitatem Ecclesiæ permanserunt. Dominus autem Papa congregavit apud Lugdunum Concilium Prælatorum, Principum, & Magnatum, per quod Dominus Fridericus Imperator citatus fuit per nuntios solemnes & per literas Apostolicas, ut veniret ad mandata Ecclesiæ, pluribus terminis ei datis. Ipse verò, spretis mandatis Apostolicis, ad nullum comparuit terminorum. Quare Dominus Papa die Lunæ XVII. mensis Julii in pleno Concilio, præsentibus ibidem Cardinalibus, Clero, Prælatis, Baronibus, atque Principibus Ecclesiæ multis, pronuntiavit Dominum Fridericum indignum Imperio & Regno, & à potestate imperandi & regnandi per sententiam privavit, & eum excommunicavit. Fingens autem Dominus Fridericus se velle ad Concilium properare, vênit Papiam, deinde Alexandriam, cui Alexandrini claves civitatis Alexandriæ, & omnia eorum castra tradiderunt. Deinde vênit Terdonam. Quo audito continuò de militibus Januensium, Magnatibus, balistariis, atque hominibus Potestatiarum pro custodia castrorum Gavii, Palodii, Vultabii, & aliorum locorum ultra Jugum de Janua missi sunt. Occurrerunt etiam Imperatori Marchio Montisferrati, Marchiones de Ceva, & Manfredus de Carretto, qui obliti pacis fœdera, & juramenta, quæ de novo Communi Januæ fecerant, statim infideles & rebelles Domino Papæ, & Communi Januæ facti sunt. Nuntiato ipsi Domino Friderico, quòd per Dominum Papam & Concilium sententia depositionis & excommunicationis lata fuerat contra ipsum, contulit se Cremonam; & quum ibi intellexisset, quòd homines civitatis Parmæ contra ipsum rebelles fiebant, & parti Ecclesiæ adhærere volebant, festinanter ivit illuc, & intravit in civitatem Parmæ. Bernardus verò Ugonis Rubei, qui caput erat partis Ecclesiæ, statim cûm pluribus de sua parte, & cum magna quantitate militum exivit de Parma.

Ipso anno quum Pisani naves duas cum quatuor galêis armassent in cursum, ut Caravanæ Januensium venturæ de ultra mari damnum inferrent, si possent, statim de voluntate Consilii Januensium armatæ fuerunt duæ potentissimæ naves, scilicet Paradisus & Ferraria, quæ tunc appellata fuit Coronata, & galêæ IV., in quibus duo Milites & Socii Potestatis, scilicet Leonardus & Matthæus constituti fuerunt Admirati, & ipsorum Consiliarii Viri nobiles Nicolaus Mallonus junior, Burgarinus de Burgaro, Detesalve de Detesalvis, & Lanfrancus de Antiochia. Et ad inquirendas naves & galêas Pisanorum moverunt feliciter de portu Januæ die Lunæ X. Julii. Et quum intellexissent, quòd naves & galêæ Pisanorum cursus metu nostrarum reduxerant se in Trapena, statim illuc perrexerunt; & non inventis ipsis, invenerunt in ipso portu naves V. Pisanorum, & alia plura Ligna, quas igne combusserunt. Quamdam aliam navem, Florinam nomine, onustam multis mercimoniis Pisanorum de ipso portu traxerunt; & procedentes versùs Panormum, ubi audiverunt naves cursus Pisanorum & galêas esse, iverunt ad naves Caravanæ Januæ venientes de ultra mari, & sociaverunt ipsas usque Bonifacium; & facto campo ibi de rebus, quas ceperant in mari, conservaverunt pro parte Communis occasione expensarum factarum in armamento de ipsis rebus captis valens Librarum duodecim millia. Reliqua diviserunt inter se. Postmodum ad inveniendas naves & galêas cursus inimicorum processerunt, & iverunt Buzeam, ubi navem unam Pisanorum nomine Sponsellam, onustam mercimoniis invenerunt, & eam ceperunt, & plura alia Ligna Pisanorum combusserunt in ipso portu; & reversæ sunt Januam die XVII. Novembris, conducentes partem Communi de rebus captis, & illam navem nomine Sponsella.

Item ipso anno Andreolus de Mari filius Anfaldi quum ivisset in Hispaniam cum galêis Domini Friderici armatis in Regno, & portasset quemdam Nuntium Miramolini, rediit cum galêis versùs Provinciam, ut si quos Januenses inveniret, offenderet. Vênit Savonam die V. Septembris, & quum nullæ galêæ tunc in Janua forent armatæ, vênit ipse Andreolus supra portum Januæ cum galêis, & intravit ad buccam portus cum una galêa, & continuò recessit, & ivit Pisas cum galêis. Quo audito Potestas Januæ de voluntate Consilii jussit fieri armamentum galêarum; & continuò paratæ fuerunt in Janua galêæ omnes, & electi in ipsis

ipsis supersalientes, & vogherii quicumque deberent ascendere in eis; & reversus Ansaldus de Mari ivit in Sardiniam & Corsicam cum galêis quinque, & Andreolus redivit Savonam cum galêis XX. die penultima Septembris. Et continuò ivit cum ipsis in Provinciam, ut suaderet & laboraret, si posset, quòd Domina Beatrix olim filia Domini Comitis Provinciæ traderetur in uxorem Domino Conrado Regi filio Domini Friderici. Et nihil facere potuit, & rediit Savonam die XII. Octobris, intendens quotidie super minorantia, & offensionibus Communi Januæ faciendis. Et die una sciens quòd homines Januæ non ascenderant in galêis vênit ad portum Januæ versùs burgum S. Thomæ, & traxit lapides cum prederia posita in una ex galêis per civitatem, & continuò rediit Savonam modicâ morâ factâ. Item ipso anno Dominus Fridericus cum potenti exercitu ivit super terram Mediolani, cui Mediolanenses obviam potentissimè exiverunt usque ad fossata, quæ fecerant per alveum Ticinelli, defendentes & prohibentes viriliter, ut non intraret, vel transiret Dominus Fridericus cum exercitu ullo modo. In quorum Mediolanensium subsidium ad eorum exercitum missi fuerunt pro Communi Januæ balistarii D. qui ad defensionem exercitus Mediolanensis & offensionem exercitus Domini Friderici se mirabiliter habuerunt. Quare Dominus Fridericus videns, quòd super terram Mediolani nihil proficeret, separavit exercitum die XII. Novembris, & ivit Grossetum. Die verò Sabbati XVI. mensis Decembris circa mediam noctem validissima fortuna maris & temporis fuit in portu Januæ, ita quòd multæ naves iverunt in terram, aliquæ affundatæ, galêæ multæ, & alia multa Ligna destructa. Mogdulus quoque fractus fuit, & numquam per aliquos viventes visa fuit tanta maris tempestas, quæ postquam corpus Sancti Johannis Baptistæ, & Crux vera Beati Laurentii cum aliis Reliquiis fuerunt per civitatem ad partes Mogduli & ripæ deportata, sedata fuit, & mare quievit. Ipse verò Dominus Philippus Guirengellus finem sui regiminis feliciter terminavit.

Anno Domini MCCXLVI. fuit in regimine civitatis Januæ vir nobilis Dominus Albertus de Mandello Civis Mediolani, & cum eo Judices duo Dominus Jacobus de Canturio, qui stetit juxta Potestatem; Milites ejus Dominus Oliverius de Solario, Gilius de Casali, & Guilelmus de Gaydella. Octo Nobiles, sive Clavigeri Communis Guilelmus Mallonus Grassus, Otto Ventus, Ugo Fornarius, Lanfrancus Malocellus, Ugo Lercarius, Obertus Pulpus, Lanfrancus de Grimaldis, Lanfrancus de Guisulpho. Consules de Justitia in Palatio civitatis Boscus Pavarus Mediolanensis; in Palatio de Medio Rogerius Caponus; in Palatio Foritanorum Jacobinus de Bonicatis; in Palatio de versùs burgum Nicola Tricia. Scribæ Communis hi qui elapso anno fuerunt. Ipso quidem anno quum ex valida maris tempestate galêæ Communis & Civium in portu essent destructæ, & diceretur quòd æstate proxima futura exercitus magnus maritimus & terrestris venturus erat super civitatem Januæ, & quòd Dominus Fridericus, & Pisani totis conatibus ad hæc intendebant: Dominus Potestas in principio sui regiminis de consilio civitatis voluit, ut omnes galêæ reficerentur, & aptarentur quamcitò; & ita factum fuit; præcipiens, & bannum ponens, ut omnes milites & pedites tam intus civitatem, quàm extra parati essent cum armis & equis. Et missi fuerunt duo Ambasciatores ad Dominum Papam apud Lugdunum, scilicet Dominus Obertus Pasius, & Picamilius, ut de succursu provideret Lombardis fidelibus suis & civitati Januæ; & ad Illustrem Regem Francorum, pro quo Nuntios suos mandaverat Januam. Accidit autem, quòd stante in Grosseto Domino Friderico, & mandasset Lombardis omnibus fidelibus suis, & Pisanis, Savonensibus, & Albinganensibus, & Jacobo de Carretto, aliisque Marchionibus, & circumstantibus universis, ut potentem exercitum mari & terra contra Januenses pararent: nobiles viri Barones de Regno suo Thebaldus Francus, & alii plures, qui in Curia ejus erant tractaverunt eum occidere. Comes verò de Casertis fecit hæc scire Domino Friderico; & sic Thebaldus Francus & alii culpabiles fugerunt, alii apud Romam, alii in Maritima, & alii ad alia loca. Thebaldus verò in castro Rochæ Capalbi se reduxit. Dominus quidem Fridericus ad inveniendos eos & capiendos personaliter in Regnum perrexit, quia timuit, ne illi de Regno ei fierent rebelles; & obsedit castrum Rochæ Capalbi, & ipsam cepit, & Thebaldum prædictum, & vastari fecit & destrui.

Ipso quidem anno mense Augusti vênit Januam quidam Nuntius Theutonicus Illustris Domini Henrici Lantgravii Thuringiæ Regis Romanorum electi, qui literas ex parte ipsius Regis Potestati, & Communi Januæ præsentavit de promotione sua continentes, & quòd civitatem & Cives Januæ inter alias proposuerat honorare. Item ipso mense Augusti Nuntii solemnes Illustris Domini Regis Francorum venerunt Januam pro ducendis navibus ad passagium Domini Regis contra Paganos in partibus ultramarinis, qui habentes tractatum cum Potestate Januæ, de voluntate ipsius & totius Consilii missus fuit cum eis ex parte Communis ad ipsum Regem Guilelmus de Varagine Cancellarius & Scriba Communis ad conducendas naves ipsi Domino Regi, & galêas ad suum passagium. Qui Guilelmus diligenter complevit quiquid ei fuit impositum à Communi; & Januenses XVI. galêas novas ipsi Domino Regi naulo conduxerunt. Qui Dominus Rex de Januensibus valde confidens præ aliis nationibus in facto passagii sui, elegit Admiratos suos de Januensibus nobiles viros Dominum Ugonem Lercarium & Jacobum de Levanto, quibus literas suas mandavit, ut irent ad ipsum, & ita fecerunt. Ipso etiam anno nobiles viri Dominus Opizo & Conradus Marchiones Malaspinæ, qui tunc favebant Domino Frederico, reversi sunt ad partem Ecclesiæ cum Mediolanensibus & Placentinis fidelibus Ecclesiæ; sed post modicum tempus, sicut consuetudo est Marchionum, Dominus Conradus voltam dedit in contrarium, & adhæsit parti Domini Friderici; qui quum ad multa esset intentus, civitas Januæ, gratiâ Dei, requievit in pace, & ipse Dominus Albertus de Mandello Potestas finem sui regiminis feliciter terminavit.

Anno Domini MCCXLVII. Indictione V. fuit in regimine civitatis vir nobilis Dominus Bernardus de Castronovo Civis Placentinus, & cum eo Judices duo, Dominus Jacobus de Altacima, qui stetit cum eo, & Dominus Obertus Leccacorvus, qui fuit deputatus ad ma-

maleficia. Milites ejus Dominus Henricus de Monte-Dominico, & Dominus Burgarinus. Consules de Justitia fuerunt de civitate Januæ, in Palatio civitatis Bonusvassalus de Sauro, & Simon Silvagnus. In Palatio de Medio, in Palatio Foritanorum, & in Palatio versùs burgum Ugo de Flisco, Andreas Gatiluxius, Guilelmus de Quinto, Lanfrancus Mallonus, Nicolaus de Multedo, Simon Lomellinus. Octo Nobiles, sive Clavigeri Communis Philippus Embriacus, Lanfrancus Albericus, Ottobonus de Cruce, Guilelmus de Mari, Andreolus de Nigro, Bonusvassalus Sardena, Johannes de Turca, & Rubeus Vicecomes. Scribæ Communis fuerunt illi, qui anno præterito exstiterunt. Ipso quidem anno perseverantibus etiam Savonensibus, Albinganensibus, Jacobo Marchione de Carretto, aliis pluribus de Riperia, & Mascheratis Januæ in rebellione concepta, voluit ipse Dominus Potestas in principio sui regiminis intendere ad confusionem rebellium Savonensium, pro quibus tota guerra vigilabat; & de voluntate totius generalis Consilii movit feliciter cum exercitu ad populationem dictorum rebellium Savonensium die XI. Mensis Madii, & quæcumque extra muros civitatis ejusdem invênit, radicitus vastavit. Ipso anno Dominus Henricus Lantgravius Thuringiæ Rex Romanorum electus, sicut Deo placuit, diem clausit extremum, de morte cujus Dominus Papa turbatus fuit; & literas Communi Januæ & ceteris fidelibus suis mandavit, ut nullus expavesceret de morte sua; sed omnes essent constantes contra Fridericum olim Imperatorem ad libertatem tuendam. Quum audivit Dominus Fridericus de morte Regis, vehementer lætatus est, & putavit, qualiter posset Lombardos decipere, & se concordare cum Ecclesia, ut relevaretur ab interdicto. Et movit de Apulia mansuetus in modum agni, ut meliùs decipere posset, & intravit Lombardiam dicens, se ex toto velle parêre mandatis Domini Papæ & Ecclesiæ, & pacem dare Mundo. Et ivit Taurinum festinans, ut iret Lugdunum ad Dominum Papam, & dicebatur quòd ad instantiam faciebat Domini Regis Francorum, ut non impediretur propter discordiam passagium ipsius Regis, quod constituerat fieri contra Paganos. Tamen Dominus Comes Sabaudiæ prohibuit transitum ipsi Domino Friderico, nisi castrum de Rivulis, quod muniri fecerat, priùs restitueret ipsi Comiti, quod statim fecit ei restitui. Et dum se parabat ad motum audivit, quòd civitas Romæ se ei facta fuerat rebellis, rediit continuò versùs Parmam; & tunc pro Communi Januæ missi fuerunt balistarii CL. in subsidium Parmensium ad requisitionem Placentinorum. Quumque Dominus Fridericus, & Encius filius ejus Parmam accessissent, & juravisset Dominus Fridericus, quòd non moveret de loco, donec civitatem illam destrueret, providi Parmenses super eorum defensione viriliter intendentes, & ad servitium Sanctæ Matris Ecclesiæ constanter perseverantes, mandaverunt undique pro succursu. Et illico Dominus Legatus, qui erat in civitate Mediolani, cum honorabili militum comitiva illuc ivit. Placentini similiter honorabilem militum quantitatem mandaverunt, & pro Communi Januæ missi fuerunt de novo in subsidium balistarii CCC. Comites Lavaniæ alios CCC. mandaverunt. Dominus Innocentius Papa fecit soldari in Lugduno milites MD., quos in subsidium Parmensium & aliorum Lombardorum destinabat, quibus Comes Sabaudiæ transitum prohibuit seductus à Domino Frederico, & oportuit eos reverti. Tunc misit unum ex Cardinalibus Dominum Ottonem Armanum apud Mediolanum cum magna quantitate pecuniæ, & soldavit milites MD. & exercitum magnum sicut potuit congregavit, & vênit hostiliter in partibus Bersellis supra Taliatam, ubi Dominus Fredericus castrametatus est, & stetit ibi pluribus diebus. Et quum dubitaretur de prœlio inter utrumque exercitum, Dominus Cardinalis exercitum separavit; & Dominus Fridericus appropinquavit cum exercitu civitati Parmæ, & ibi aliam civitatem composuit, quæ appellata fuit Victoria.

Homines de Lunesana & Grafagnana, qui tunc favebant Domino Friderico, facti sunt rebelles contra ipsum, & ceperunt Vicarium suum, quem constituerat eis, & captum posuerunt in carcerem in castro Groppi S. Petri. Et tunc vir Nobilis Dominus Opizo Marchio Malaspina recuperavit totam terram suam in Lunesana, quam amiserat. Servientes verò, qui erant in castro Zolaschi cum Domino Friderico, & quos Vicarius ejus ibi constituerat, tractaverunt cum quodam nomine Cavatia, ut ipsum castrum pro pecunia redderent Communi Januæ; & sumtâ pecuniâ, ivit Cavatia cum hominibus Levanti apud castrum Zolaschi, & capientes ipsum, pro Communi Januæ munierunt. Tunc homines de Corvaria, Lacu, Cazana, Ripalta, Rotundo, Casali, Bozolo, Carpena, Cornilia, & alii omnes de partibus Varexii, qui rebelles Communi facti fuerant, ad fidelitatem Communis Januæ sunt reversi, contra quos Dominus Potestas equitaverat, & omnes venerunt ad pedes ejus. Ipso quidem anno galêæ XX. Domini Friderici, quæ erant Pisis, venerunt in portum Januæ, quibus Andreolus filius Domini Ansaldi de Mari præerat Admiratus; & stantes in portu modicâ horâ continuò iverunt Savonam. Et quum duæ galêæ Massiliensium oneratæ torsellis pannis Franciæ cum hominibus Januæ, & Placentiæ venirent Januam, invenerunt eas supra Arenzanum, & ceperunt eas. Tunc jussit Potestas de voluntate totius Consilii armamentum galêarum fieri contra ipsas; & dum armarentur, nec essent adhuc paratæ, vênit Andreolus de Mari cum dictis galêis supra portum Januæ, & tulit bricolam unam in quadam tarida, & plures lapides ad dedecus Communis Januæ projici fecit per civitatem; & hoc fuit una die Sabbati XXVI. mensis Julii. Quadrellos etiam multos cum balistis à turno jaculari fecit per civitatem, ut gentes interficeret; & quum armarentur contra ipsum galêæ in Janua, statim recessit cum omnibus galêis & taridis, & ivit Savonam. Tunc fuerunt armatæ galêæ XXV. & ascendit in eis Dominus Potestas, & ivit quærere inimicorum galêas. Et quum jactasset Andreolus de Mari prœlium dare nostris, fecit Licias in portu Savonæ, & reduxit galêas in portum Savonæ aduratas in terram; & steterunt galêæ nostræ supra portum Savonæ tota die; & nocte illa ivit Naulum, ubi galêas duas, quæ fuerunt armatæ, in guardia invênit, & cum ipsis rediit die crastina supra portum Savonæ, ut videret, si Andreolus de Mari, qui jactaverat cum Savonensibus exire, & prœ-

prœlium dare nostris, hoc facere attentaret. Et non præsumsit exire. Et quum armasset Andreolus galêam unam ex suis, quam mandabat obviam uni ex suis galêis, quam venturam de Pisis exspectabat, quamcitò viderunt eam galêæ nostræ, insequutæ fuerunt illam; & quum fugere non posset, ivit galêa illa ad terram in ripa Varaginis, & homines descenderunt de ea fugientes per montana, quos nostri insequuti fuerunt, multos ex eis capientes & occidentes. Et reversæ sunt galêæ nostræ versùs Naulum, & versùs Provinciam, ut conducerent Januam Caravanam Lignorum, quæ in partibus illis erant. Et reversus est Dominus Potestas cum galêis & Caravana, & cum galêa & hominibus captis die XXII. mensis Augusti Januam cum honore.

Tunc Andreolus de Mari cum navi nomine Paonus Januensium, quam ceperat, & cum galêa, quam pariter ceperat onustam torsellis & pannis Franciæ, ivit in Corsicam, & ibi quædam ex castris Corsicæ, quæ munierat Antonius Advocatus filius Lanfranchi, cepit ipse Andreolus. Et quum diceretur ipsum velle redire Savonam cum galêis, armatæ fuerunt in Janua galêæ XXIV., ex quibus decem iverunt in Provinciam pro conducenda Januam Caravana, & aliæ remanserunt supra portum Savonæ. Mense autem Septembris die II. homines Portus Veneris, qui cum galêa una iverant in cursum, ceperunt galêam unam Domini Friderici, quæ armata fuerat ad studium in Regno, & erat Comitus in ea Alexander de Jenario Neapolitanus, in qua galêa Dominus Fridericus faciebat ad se venire carceratos tres de majoribus Mediolani, qui erant in Regno, videlicet Dominum Guiscardum de Petra-sancta filium Domini Pagani, & Dominum Guidonem, & Gabrielem de Petra-sancta fratres ipsius Domini Pagani, quos dare volebat in cambium quorumdam Nobilium de Bergamo, qui capti erant à Mediolanensibus. Et ipsam galêam duxerunt homines Portus Veneris, qui eam ceperant, Januam & lætanter fuerunt recepti. Omnes captos tradiderunt Communi, inter quos erant Rubacontes de Bergamo unus de majoribus civitatis illius, & qui iverat pro dictis carceratis conducendis, & Alexander de Jenario, & homines CC. boni de Neapoli, qui omnes in carceribus positi fuerunt. Dominus Guiscardus, Guido, & Gabriel de Petra-sancta honorati fuerunt in civitate Januæ, & Commune Januæ fecit eis dare expensas & conduci ad civitatem Mediolani. Ipso anno quum quidam parentes Luxiardi pro vindicta suorum, quos occiderat Guirardinus de Carpena, ipsum Guiraldinum occidissent in loco, qui dicitur Pexina, & ipsum locum muniissent, Nobiles viri Dominus Jacobus & Nicolaus de Flisco Comites Lavaniæ pro vindicta inde facienda convocaverunt amicos suos de Janua, & fecerunt exercitum ad ipsum locum de Pexina, & prœlio ceperunt eum, & omnes occiderunt, qui in ipso castro erant. Nobiles viri Dominus Henricus & Fridericus Marchiones de Gavio, qui tunc erant pro Communi Januæ forestati, restituti fuerunt ipso anno sub certis conditionibus, ut castrum Rochæ ponerent in fortiam Communis Januæ, si placeret Communi. Ipso etiam anno Andreolus de Mari cum galêis recessit in Regnum, & voluit dimittere per totam hyemem V. galêas in Savonam; sed omnes galeoti fugerunt, & oportuit illas recedere. Item ipso anno proditor Bernardus Liberellus tractavit cum Alexandrinis prodere & furari castrum & locum de Capriata munitum pro Communi Januæ; & nocte una vênit illuc cum Alexandrinis, & furatus est castrum & locum illum. Bernardus autem de Castronovo Potestas Januæ finem sui regiminis feliciter terminavit.

Anno Domini MCCXLVIII. Indictione VI. fuit in regimine civitatis Januæ vir Nobilis Dominus Rambertinus de Bonarello Civis Bononiæ, & cum eo Judices duo, scilicet Guilelmus de Rombonino Legum Doctor, qui stetit juxta eum, & Benvenutus quondam Franci, qui fuit ad maleficia deputatus. Milites ejus Guido de Savignono, Actolinus Alexii, & Bonifacius de la Frata. Octo Nobiles sive Clavigeri Communis Henricus filius quondam Ottoboni Malloni, Guilelmus de Burgaro, Jonatas Cavaruncus, Marinus de Marino, Lanfrancus Ususmaris, Lanfrancus Gatilusius, Lanfrancus Pignolus, & Jacobus Aniugnus. Consules de Justitia in Palatio civitatis. Ansaldus de Aste, & Balduinus Scotus. In Palatio de Medio Nicolaus de Vultabio & Castellanus de Savignono. In Palatio Foritanorum Bartholomæus Fornarius, & Guarnerius Judex. In Palatio versùs burgum Lanfrancus Cigala, & Nicolaus Lucensis. Scribæ Communis illi, qui anno præterito extiterunt. Ipso anno, dum intenderet Potestas inter cetera ad expeditionem navium, quæ fiebant in Sancto Petro Arenæ pro passagio Domini Ludovici Regis Francorum, Dominus Fridericus dictus Imperator quum esset in obsidione civitatis Parmæ valde timebat de ipso passagio, maximè propter apparatum tam magnum navium, & galêarum, & bellatorum Januensium, qui in ipsis erant ituri, ne descenderent in Insula Siciliæ, & illam subjugarent; & mandavit undique subditis & fautoribus suis, ut contra Januenses pararent exercitus mari & terra, & ipse in persona venire promiserat. Venerunt itaque galêæ XXV. de Regno armatæ Savonam. Obertus Pelavicinus cum Pisanis & aliis multis de Thuscia, Lunesana, & Grafagnana exercitum contra Commune Januæ paraverunt. Mascharati Januenses, qui foris erant, intendebant, ut per Lombardos fieret exercitus contra Commune Januæ; & Jacobus Marchio de Carretto, qui se Vicarium Domini Friderici à civitate Astensi superiùs asserebat, similiter parabat exercitum juxta posse. Tunc generali Januensium Consilio convocato, surrexit Dominus Potestas, & mirabiliter ad omnes de Consilio fuit alloquutus animando universos, ut quilibet esset intentus ad libertatem & Patriam suam tuendam, quia omnia hæc fiebant, ut impediretur Domino Regi passagium. Viri namque providi Januenses unanimiter per totam civitatem excurrebant, & hortabantur, ut quilibet esset intentus ad arma, & quòd naves & galêæ, quæ fiebant, supplerentur pro passagio Domini Regis. Et de voluntate Consilii missi fuerunt duo Ambasciatores apud Placentiam, scilicet Amicus Strejaporcus, & Johannes de Turcha, ut milites CCCC. ad soldos Communis Januæ soldarent, & in civitate Januæ fuerunt impositi equi CCC. & ultra Jugum equi C. & in omnibus castris & locis Ripariæ ex parte Orientis & Occidentis; & ultra Jugum missæ fuerunt

runt bonæ custodiæ servientium, balistariorum, & victualium. Et armatæ fuerunt continuò galêæ XXXII., quatuor videlicet in qualibet compagnia; & missum fuit ex parte Communis Januæ Domino Regi Francorum, ut sciret quæ faciebat Dominus Fridericus, ut impediret passagium suum, animando eum, ne dubitaret, nam sicut ei promiserant, habebat Commune Januæ naves & galêas ad suum passagium jam paratas, & de omnibus præmunitas.

His autem taliter permanentibus, sicut Deo placuit, providi Viri de civitate Parmæ quasi desperati, eo quòd taliter erant adstricti, quòd evadere non poterant extra civitatem, exiverunt ad bellum cum Domino Friderico & suis, qui erant in obsidione Parmæ in civitate, quam ibi construxerat, quæ Victoria dicebatur, & incœpto prœlio divino miraculo, conversus fuit in fugam Dominus Fridericus, & Encius filius ejus, qui erat ibi, & intraverunt Parmenses civitatem Victoriæ; & quum essent ibi Cremonenses cum Carrocio, statim devicti fuerunt, & conversi in fugam. Multi tamen de Cremonensibus & aliis capti fuerunt, & multi mortui. Et quum pervenissent Parmenses ad cameram Domini Friderici in Victoria, invenerunt magnum thesaurum, lapides pretiosos, & cetera ornamenta Domini Friderici. Judicem Thadæum occiderunt, qui cameram custodiebat, & civitatem illam Victoriæ destruxerunt. Tunc Dominus Fridericus cum suis dolore & angustiis profusus in civitatem Cremonæ se reduxit; & ab ipso die in antea acciderunt ei quasi omnia in sinistrum. Divulgato itaque, quòd Victoria capta erat, & confractus Dominus Fredericus, omnes quicumque contra Commune Januæ parabant exercitus, cornua retraxerunt. Obertus Pelavicinus cum Pisanis vênit in Lunexanam, & ceperunt castrum Aginulphi, & alia plura castra; sed ad terram Communis Januæ minimè appropinquarunt. Et intendens Dominus Potestas super expeditione navium & galêarum passagii, elegit in Potestatem ipsius navigii super omnes Januenses nobilem virum Dominum Rubeum de Turcha, qui gratanter dictam Potestatiam suscepit. Sed quia in factis civitatis & guerræ præ aliis Civibus Communitati Januæ utilis videbatur, & diceretur quòd Dominus Fridericus adhuc cum magno exercitu maris & terræ contra Commune Januæ esset venturus, consultum fuit & provisum, ut remaneret in civitate ipse Dominus Rubeus de Turcha, & non iret ultra mare; qui quum Potestati & Communi suo esset semper obediens & fidelis, adimplevit voluntatem Domini Potestatis & Communis; & de salario ei constituto per Consilium fuit ei honorificè provisum. Ipso anno Dominus Fredericus vênit in Aste, & nuntios mandavit ad Illustrem Franciæ Regem, exponens se, & terram, & homines suos ad passagium suum contra Paganos, sicut publicè dicebatur, & ut ipse Dominus Rex cum Domino Papa sic faceret, quòd relevaretur à sententia excommunicationis & depositionis, quam tulit in eumdem; sed nihil facere potuit, stetitque per totam hyemem in Lombardia, & cessavit ipso tempore non offendere hostiliter terram Communis Januæ vel Cruce-signatos ad passagium. Et ipse Dominus Potestas finem sui regiminis feliciter terminavit.

Anno Domini MCCXLIX. Indictione VII. Potestas civitatis Januæ fuit Dominus Albertus Malavolta nobilis Bononiensis, qui secum duxit Judices duos, scilicet Thomasium Domini Alberti de Ugeto Legum Doctorem pro assessore suo, & alium Johannem Domini Guiscardi deputatum ad causas & quæstiones maleficiorum audiendas & definiendas. Item Milites tres Andream de Cantagallo, Raynerium de Cerla, & Zaganellum de Panigali. Octo discreti Guilelmus de Castro, Theodisius de Flisco, Lanfrancus de Grimaldo, Antonius Falamonica, Guilelmus de Varagine, Henricus de Bisamne, Petracius de Musso, Obertus de Langasco, Vassallus Gallus, Jacobus Papiæ. Consules autem Placitorum fuerunt in Consulatu civitatis Beltramus Bacigia, Jacobus Zurlus. Eorum Scribæ Philippus Cintracus, Obertus de Mazano. In Consulatu de Medio Magister Aymerius & Baalarous de Pallo, qui ambo in ipso Consulatu decesserunt; & subrogati fuerunt loco eorum Naupuleonus de Vultabio, & Obertus Galletta. Scribæ eorum fuerunt Obertus de Coredo, & Andreas de Fraxeneto. In Consulatu de versùs burgum Nicolaus Mignardus, & Bonus-vassallus Sardena, & eorum Scribæ Ricobonus de Baxano & Guarnerius Judex, ... & eorum Scribæ Gandulphus de Sexto, & Nicolaus de Clavaro. In ipso anno quum illustris Rex Fridericus Castellæ & Legionis civitatem Hispalensem de manibus Saracenorum liberasset, & eam suo imperio adjunxisset, placuit Sapientibus Januæ, ut ad ipsum Regem Legati mitterentur, causâ componendi cum eo, qualiter negotiatores Januæ illuc, & ad alias Terras Regni sui accedere possent. Qui Legati post multos tractatus habitos, cum ipso Rege conventionem nullam inire potuerunt propter multas difficultates. Ipso etiam anno Illustris Francorum Rex, qui cum stolio Januensium galêarum ad ultramarinas partes accesserat, cum Fratrum comitiva & exercitu suo de Insula Cypri iter arripuit, dirigendo gressus suos versùs terram Sarracenorum, & pervênit ad litora Damiatæ, de qua Sarraceni fugam arripuerunt; & Dominus Rex habuit feliciter illam civitatem plenam victualibus & guarnimentis multis. Stetit Rex & ejus exercitus in partibus Damiatæ per totam æstatem. Sarraceni autem amissâ Damiatâ fecerunt inter ipsam civitatem Damiatæ & Babiloniam in quodam transitu fluminis quoddam fortilitium longè à Babilonia per vigintiquinque milliaria, quam Mensuram appellabant. Æstate recedente, & hyeme veniente Rex movit exercitum dirigendo gressus suos versùs Babiloniam eundo per terram, & etiam galêas & Ligna per fluvium dirigendo; perveneruntque ad dictam Mensuram, & ipsam ceperunt, & eâ captâ tamquam victores indiscretè per loca vagari cœperunt. Quod Sarraceni videntes cœperunt reverti, & recuperatâ Mensurâ interfecerunt multos Christianos, & subsequenter contra Regem & ejus exercitum acies suas direxerunt, & adeò exercitum coarctarunt, quòd oportuit eos retrocedere. Et quum redirent versùs Damiatam, antequam ad eam applicarent, captus fuit Rex unà cum Fratribus, & cum toto pænè exercitu suo terrestri. Quo capto Soldanus post paucos dies obiit, relicto filio in adolescentia constituto; & tractata concordia inter Regem & Sarracenos, restituta Damiata, & eis solutis centum millibus

libus marcharum argenti, Rex cum suis dimissus fuit. Stetit autem in potestate Sarracenorum per dies quatuordecim. Eo dimisso vênit ad litora Damiatæ, ibique levatus fuit à navibus Januensium, & asportatus in civitatem Aconis. In ea autem civitate stetit per duos annos vel circa, faciendo aptari & reædificari terras Christianorum, & præcipuè Joppem, multumque thesaurum de suo ærario expendit.

Anno MCCL. Potestas Januæ fuit Dominus Gerardus de Corrigia, in cujus regimine quum adhuc illi, qui dicebantur Mascharati, exulati extra urbem morarentur, licèt in civitate parentes & propinquos, atque amicos multos haberent, qui in Republica parum aut nihil potestatis habebant, Comites Lavaniæ, scilicet illi qui dicuntur de Flisco nepotes Domini Innocentii tunc Papæ, in Republica vires habere cœperunt. Hi autem ex parentelis & affinitatibus & longa amicitia Mascharatos interiùs & exteriùs diligebant, & ad eorum reformationem & statum totis viribus intendebant. Et eapropter ipsis operam dantibus, & præcipuè vir nobilis Jacobus de Flisco, exstitit factum, quòd pro Nobilibus Januæ factum fuit quoddam compromissum in dictum Dominum Papam de stando & obediendo omnibus præceptis ejus, & Nuncios ejus super pace & parentelis inter partes componendis, firmandis, & tractandis; & ex hoc facta fuerunt publica Instrumenta occasione ejus compromissi. In ipso etiam anno dictus Potestas cum universali & ingenti exercitu intendit ad depopulationem civitatis Savonæ, & devastatis omnibus extra civitatem, rediit ad locum, qui dicitur Septem-Montes, ibique castrametatus est de beneplacito Consilii Januæ. Ad arctiùs opprimendam civitatem jam dictam construxit duo ligna valde bene firmata & fabricata, quæ Bastiæ vulgari sermone appellabantur: & ipsis Bastiis bene munitis balistariis & sagittariis, ac viris bellicosis munitis & ornatis Januam feliciter rediit. Illis verò diebus stella, quæ dicitur Cometa, cum claritate coruscanti quadam nocte patenter apparuit. Ipso autem anno Fridericus II. Romanorum Imperator, Hierusalem & Siciliæ Rex in Festivitate Beatæ Luciæ diem clausit extremum, superatus à divina potentia, quem gentes humanæ non poterant superare. Obiit autem in partibus Apuliæ & Principatus. In Sicilia verò Henricus jam dictus profectus est ad civitatem Messanæ, & ibi existens cum Petro Ruso de Calabria, qui erat ejus Consiliarius & Custos, Insulam Siciliæ tenuit & defendit; & hæc omnia fecerunt usque ad adventum Regis Conradi, de quo infra dicetur. Dictus autem Gerardus ipsius regimen laudabiliter terminavit.

Anno MCCLI. Potestas Januæ fuit Dominus Menabos de Turricella. Friderico itaque quondam Imperatore universæ carnis viam ingresso, ipsius fideles & sequaces fuerunt vehementer exterriti & turbati, & præcipuè homines civitatum & locorum Riperiæ in ipso confidentes. Civitates verò & homines Ecclesiæ adhærentes, & præcipuè nostræ civitatis, vires cum audacia plus solito assumserunt. Eapropter idem Menabos auctoritate Consilii generalis in introitu sui regiminis generalem exercitum indixit, congregatis omnibus subditis & amicis, intendens procedere contra civitatem Savonæ, & alias civitates & loca Riperiæ & Marchiones, quæ & qui durante guerra civitatis Januæ rebelles exstiterant. Et quum ingenti exercitu contra civitatem & loca prædicta dirigerent gressus suos, fuit in eo exercitu cum sua Societate vir Nobilis Gerardus prædecessor ipsius. Et quum pervenisset ad locum Varaginis, vir Nobilis Jacobus de Carretto, Savonenses, Albinganenses, & alii plures eorum Nuntios & Procuratores sufficienter instructos ad Potestatem Januæ transmiserunt, quærentes & petentes pacem. Potestas verò & Commune Januæ non attendentes improbitatem & nequitiam prædictorum, sed misericordiam præ oculis habendo, offensionibus omnibus dimissis conventiones & pacta cum illis omnibus generaliter inierunt. His autem peractis rediit Potestas ad civitatem Januæ cum toto exercitu hilariter & jucundè; & facta fuerunt in pace & quiete per omnia loca Riperiæ, & sub jurisdictione Communis Januæ à civitate Januæ usque Naulum. Eodem etiam tempore quidam Frater Albertus Ordinis Prædicatorum ad civitatem Januæ lætanter accessit, dicendo, quòd de voluntate Pisanorum erat habere pacem & concordiam cum Januensibus, ita ut Pisani Januam, & Januenses Pisas securè ire possent, & insimul securè uti. Cui responsum fuit, quòd non respuebant pacem cum ipsis, dum tamen castrum Ilicis, quod Pisani injustè retinebant, Communi Januæ restituerent. Qui respondit, quòd Pisani velociùs darent Guinzegam, quæ est pars civitatis Pisanæ, quam castrum Ilicis; & sic spe sua fraudatus recessit. Eodem anno viri Nobiles Petrus Grademicus & Jacobus de Doro Ambasciatores Ducis & Communis Venetiarum, venerunt Lucam causa formandi conventionem, quæ esse consueverat inter Venetos & Januenses, quæ lapsu temporis finem habuerat; & ad prædicta peragenda cum eis ex parte Communis Januæ destinati fuerunt viri Nobiles Guido Spinula, & Ugo de Flisco. Et convenerunt se in castro Verucolæ de Bosis in terra Marchionis Malaspinæ; & facto colloquio inter ipsos propter quædam fuit negotium dilatatum usque ad Pascha, ita ut elapso Festo convenirent apud Portum Veneris, quod factum exstitit. Et quia Ambasciatores Venetorum ad terram Januæ veniebant expensis Communis, fuit quædam sagittea armata, quæ ipsos ad Portum Veneris asportavit, ibique conventio tractata fuit, quæ postea Venetiis per Ducem & Consiliarios fuit finita, & confirmata.

In ipso anno Sanctissimus Pater Innocentius Papa IV., qui propter Imperatoris potentiam Lugdunum accesserat, volens Italicos suos paterno affectu consolari, cum Cardinalibus & tota Curia de Lugduno exivit, versùs Italiam gressus dirigendo. Vênit autem per civitatem Marsiliæ, & continuans iter suum per partes Provinciæ & Ripariæ nostræ ad civitatem Januæ sanus & incolumis cum Cardinalibus pervênit, & civitatem intravit, in qua cum maximo honore & magnificentia à toto Clero, & à Potestate, & Populo Januensi lætanter fuit receptus. Ipso autem in civitate Januæ existente, Potestates, Ambasciatores, Legati, Nobiles terrarum & locorum, qui in devotione Ecclesiæ perstiterant, ad eum de partibus Italiæ undique confluxerunt, à quo benignè & hilariter recepti fuerunt, & eis omnibus diem statuit audientiæ generalis in Aula Palatii Archie-

chiepiscopi Januensis; ibique ab ipsis multa varia & diversa fuerunt proposita, quæ non expedit per ordinem enarrare. Verùm intentio major cujuslibet ipsorum erat, ut redeundo Romam civitates ipsorum dignaretur visitare, & iter faceret per partes Lombardiæ, scilicet per Mediolanum, Brixiam, Mantuam, & Bononiam. Et colloquio separato, habito Consilio Cardinalium, ire statuit per partes prædictas, & associatus per Potestatem & militiam Januæ ivit per Gavium, & alias terras Januæ usque in partibus Capriatæ. Ibi autem milites Mediolani & illarum civitatum associaverunt ipsum & duxerunt usque Mediolanum, in qua civitate stetit per menses plures. Ibi autem stando civitas Laudensis, quæ adhuc pro parte Imperiali tenebatur, ad gremium Ecclesiæ rediit. Quibus peractis Papa exiens de Mediolano, & iter faciens per Lombardiam, atque Romagnolam, Ananiam est profectus causâ morandi ibi. Ipso etiam anno Dominus Conradus, qui erat in Alamannia, per partes Veronæ & Marchiæ vênit in Italiam; & ut consolaretur suos, Cremonam accessit, ibi paucis diebus moram trahens, volens ad Regnum proficisci. Et transiens per Marchiam vênit in partibus Istriæ & Sclavoniæ, ibique XVI. galêas Regni, quæ seriè paratæ erant, ipsum Regem cum sua comitiva levaverunt, & ipsum in Apuliam traduxerunt; ipsoque applicante ad Regnum, Manfredus frater ejus, & alii Barones ad ipsum accesserunt, & eum honorificè susceperunt. Deinde omnes Barones Regni & civitatum ipsi fidelitatem juraverunt, præter Neapolis, quæ in libertate morari affectabat. Verùm ipsa postea per eumdem diu obsessa expugnata fuit & devicta. In ipso anno conventio & confœderatio in civitate Januæ exstitit celebrata per Syndicos Florentiæ, Lucæ, & Potestatem prædictum ad guerram faciendam Pisanis. Et dictus Dominus Menabos regimen suum feliciter terminavit, & ejus tempore civitati cuncta prosperè successerunt.

Anno MCCLII. fuit Potestas civitatis Januæ Dominus Guiscardus de Petra-sancta vir nobilis civitatis Mediolanensis. In ipso anno quum Thebaldinus de Cagna offensiones fecisset quibusdam Januensibus, & ex hoc nollet parêre mandatis Potestatis, idem Potestas misit illuc milites cum hominibus Vallis Scriviæ terræ Spinulorum. Et quum prædicti ascenderent montem Cagnæ causâ debellandi quædam fortilitia, quæ dictus Thebaldinus habebat in cacumine dicti montis, incœpto prœlio inter eos, & ipsum Thebaldinum, & homines suos, propter asperitatem loci conflicti fuerunt ascendentes in montem, & ex eis capti fuerunt quamplurimi, inter quos Manuel Auriæ, & Nicolosius de Camilla. His peractis, Potestas Januæ cum exercitu generali paravit se ad eundum ad locum prædictum. Et quum Potestas Buzalam ascendisset cum quadam quantitate militum & peditum, & præpararet se ad eundum cum exercitu generali, dictus Thebaldinus restitutis captivis vênit ad mandatum Potestatis, & ductus fuit in Januam. Et propterea nullum fuit ei gravamen illatum, sed quibusdam promissionibus factis ab eo, fuit ex toto dimissus, & ad propria incolumis remeavit. In ipso anno Opizo de Petra cepit viros nobiles Obertum de Cruce, Fulconem Zachariam, & eos captos duxit in arcem, quæ dicitur Petra. Et ibi incontinenti exercitu misso, capto Opizone de Petra, liberati fuerunt & Januam redierunt. Idem etiam Guiscardus suo tempore nomine & vice Communis Januæ castrum Andolæ cum ejus territorio & jurisdictione à Marchionibus Clavesanæ pretio octo millium librarum comperavit. Eodem anno nummus civitatis Januæ fabricatus fuit, & Dominus Archiepiscopus Januæ obiit.

Anno MCCLIII. Potestas Januæ fuit Dominus Henricus Confalonerius nobilis Civis Brixiensis, in regimine cujus in Lunesiana facta fuerunt infrascripta. Nam Marchiones Malaspinæ C. & O., B. & F. filii prædictorum dimicaverunt contra Pontremulenses, qui castrum Pontremuli dictis Marchionibus tradiderunt, & eis usque ad certum tempus se subjecerunt in omnibus. Sed quia expensæ custodiæ castri & loci in tantum ipsos Marchiones gravabant, quòd non poterant sustinere, facta quadam compositione cum viro nobili Oberto Marchione Pelavicino, castrum jam dictum ei tradiderunt. In ipso anno muri civitatis Savonæ destructi fuerunt, quia finem acceperat conventio murorum destruendorum.

Anno MCCLIV. Potestas Januæ fuit Dominus Rodulphus de Graidano nobilis Civis Bononiensis. In ipso anno Pisani habentes guerram cum hac civitate & cum Florentinis, & Lucensibus, victores exstiterant; at infra paucos dies fuerunt à Florentinis conflicti. Florentini verò, conflictis Pisanis, exercitum eorum direxerunt versùs Pisas ad devastationem & populationem terrarum Pisanorum viriliter intendentes, & devastando atque destruendo terras Pisanorum, transierunt flumen Heræ, & ibi posuerunt castra sua. Quumque ibi sederet Florentinorum exercitus, cuncta circumquaque igne & ferro vastantes, Pisani legationem quamplurium Nobilium ad exercitum Florentinorum miserunt, tractantes cum eisdem de quiete & pace. Quibus peractis exercitus Florentinus ad civitatem Florentiæ rediit cum victoria & triumpho. Destinavit autem Commune Florentiæ ipsis diebus ad civitatem Januæ Legatos suos, narrantes quæ gesta fuerant cum Pisanis, & amicabiliter requirentes, quòd Commune Januæ acceptaret quæ gesta fuerant cum Pisanis, & quòd civitas Januæ suos mitteret Ambasciatores pro compromisso faciendo in Florentinis, velut in se ipsis. Et sic pro Communi Januæ destinati fuerunt ad postulationem Ambasciatorum Florentinorum apud Lucam & Florentiam Nobiles viri Lanfrancus Malocellus, & Ugo de Flisco, & cum eis Henricus de Bisamne Notarius, atque Syndicus Communis Balduinus Salvi. Qui ad civitatem Lucanam & Florentiam accesserunt; & constituti in civitate Florentiæ cum Potestate & Ambasciatoribus Lucæ, atque Ambasciatoribus & Syndicis Pisarum, compromissum post multa & varia certamina, quæ in talibus intervenire solent, à Syndicis ipsarum civitatum in Commune Florentiæ plenum & solemne factum fuit. Et pax ibidem inter ipsos Syndicos nomine Communium exstitit celebrata. Quibus peractis Ambasciatores cum Nuntio speciali civitatis Florentiæ Pisas pervenerunt, & ibi in Consilio generali Pisanorum omnia gesta approbata fuerunt, & jurata; & sic Januam redierunt. Donec ista agerentur in partibus istis, Rex Conradus mortuus est in Apulia in nocte Ascensionis Domini, & post modicum tempus San-

Sanctissimus etiam Pater Dominus Innocentius Papa IV. diem clausit extremum, quo mortuo Cardinales elegerunt Venerabilem Patrem Reverendum Episcopum Cardiensem Cardinalem, cujus nomen fuit Alexander Papa IV. Ipso etiam anno sententiam ex compromisso, de quo supra mentio facta est, inter Pisanos, Lucenses, & Januenses, tulerunt Potestas, Capitaneus, & Antiani Florentiæ; & per ipsam condemnaverunt Pisanos ad restituendum Lucensibus castrum Mutroni, & Episcopo Lucensi Montem-Tepulum, & aliam terram, quam Pisani de terra Ecclesiæ Lucanæ extra Arnum tenebant, & ut dimitterent castra Corvariæ & Massæ, quæ durante guerra occupaverant. Communi verò Januæ restituerunt castra Ilicis, & Trebiani. Insuper quòd ipsis Florentinis traderent in potestatem castrum Ripæ-fractæ tenendum & custodiendum ab eis expensis Pisanorum, quousque omnia debita, quæ Pisani Florentinis debebant, essent integraliter persoluta; & ut castrum, quod Pisani muris, turribus, & vallis construxerant prope pontem Heræ, penitùs destruerent, nec ibi imposterum aliud facere attentarent: quam sententiam Pisani observare noluerunt.

Anno MCCLV. Potestas Januæ fuit Dominus Martinus de Summaripa Civis Laudensis. In ipso anno in introitu sui regiminis quum Pisani adhuc in sua pertinacia permanerent, nec sententiam latam per Florentinos adimplerent, electi fuerunt Ambasciatores Viri nobiles Percival Auriæ, & Nicolaus de Grimaldis, qui delegati fuerunt Lucam & Florentiam ad ipsas civitates inducendas & rogandas, ut exercitibus generalibus contra Pisanos extenderent vires suas, & eos ad exequutionem sententiæ saltem per vim compellerent; & ambasciatâ eorum factâ, responsionibus habitis, Januam redierunt. In ipso anno vir Nobilis Guiscardus de Petra-sancta Potestas civitatis Lucæ cum pluribus dictæ civitatis Januam vênit, dicendo quòd Communia Florentiæ & Lucæ exercitum facere volebant contra Pisanos, & quòd Januenses similiter se pararent ad exercitum faciendum. Et sic Januenses hoc facere affectantes, Vexillum Sancti Georgii dicto Guiscardo traditum est, atque ei, & illis, qui cum eo erant, ita fuit liberaliter responsum: *Ecce Vexillum nostrum; parati sumus & erimus totis viribus cum ingenti exercitu maris & terræ venire contra inimicos, quandocumque placuerit Florentinis & Lucensibus*. Et ita exportantes Vexillum Lucam cum gaudio sunt reversi. Eodem etiam anno dictus Potestas contra Guilelmum Comitem de Vintimilio & filios suos in concione publica sententiam tulit.

Anno MCCLVI. Potestas Januæ fuit Dominus Philippus de la Torre honorabilis Civis Mediolanensis, in cujus regimine, Pisanis nolentibus parêre sententiæ contra eos latæ per Commune Florentiæ, parati fuerunt exercitus per Florentinos, Lucenses, & Januenses contra civitatem Pisanam in ipsius destructionem. Quibus exercitibus paratis, quum Pisani scirent, quòd Florentini, & Lucenses per partes Vallis Sergii eorum terram intrare debebant, cum eorum militibus & peditibus & populo universo exiverunt civitatem suam in eorum malo omine, & venerunt in campum ultra Sergium per frontem castri Ripæ fractæ, ibique fixerunt castra sua, facientes undique foveas plenas aqua, & exercitum munientes spaldo & aliis munitionibus fortissimis. Exercitus verò Florentinorum & Lucensium in eodem campo subtus castrum Castilionis prope Albergarias Pisanorum per jactum balistæ imposuerunt castra sua. Exercitus autem Januensium ad obsidionem & captionem castri Ilicis gressus suos direxit cum copioso exercitu militum & peditum, & cum galêis armatis præter alia Ligna minora; octuagintaque galêæ optimè armatæ erant causâ reprimendi Pisanos & portum eorum invadendi. Quum res ita se haberent, accidit una die, quòd Pisani videntes, quòd exercitus Lucæ, qui erat eis vicinior, non erat bene custoditus, manu armata insultarunt ei, & ex Lucensibus multos ceperunt, & in fugam miserunt. Florentini verò hoc audientes, cum festinatione vehementi in Pisanos irruerunt, & eos terga vertere compulerunt; & quum se in castris recolligerent, Florentini versùs Pisas tendentes adeò terruerunt Pisanos, quòd, sicut dictum fuit publicè, si Alamannus de Turre, qui tunc erat Potestas Florentiæ voluisset, civitatem Pisanam prehendere potuisset. Conflictis verò Pisanis, exercitus Florentinus cum multitudine captivorum Florentiam rediit cum victoria & triumpho. Lucenses autem miserunt literas exercitui Januensi, quòd Florentini victis hostibus recesserant. Quibus auditis exercitus Januensis ascendit in montem, qui est ante castrum Ilicis, & magis ad obsidionem se appropinquavit dicendo, quòd inde non recederet, nisi castro devicto & capto. Erat autem castrum munitum per Pisanos. Fecerunt etiam prope ipsum castrum juxta portam burgum unum, in quo multi habitantes illarum partium ad habitandum confluxerunt. Burgum foveis & muris circum munierunt, & in introitu burgi à parte superiori portam cum duabus turribus construxerunt, infra quas turres erat quidam lapis, in quo erat sculptum torsellum ad formam pannorum, qui feruntur de Francia, & erat suprascriptio illius lapidis:

SCOPA BOCA AL ZENOESE:
CREPACUOR AL PORTOVENERESE;
STREPPA BORSELLO AL LUCCHESE.

Qui lapis burgo dirupto fuit delatus Januam. Ipsum autem burgum exercitus Januensis festinanter delevit, & ad expugnationem castri intendit, quo etiam capto Januensis exercitus Januam rediit cum gloria & triumpho.

Eodem anno vir Nobilis Ælianus Marchio Calaritanus castrum, quod appellatur Castellum de Castro, situm in Sardinia in Judicatu Calari, Communi Januæ donavit, & confœderationem cum Communi Januæ fecit, in qua actum fuit, quod uxorem de Janua habere deberet. Et jam per suos Nuntios sponsalia contraxerat cum quadam domina Malocellorum. Ad dictum castrum accipiendum & muniendum fuerunt missæ galêæ XI. cum Potestate, Castellanis, & servientibus illius loci; & fuerunt Potestates, sive Castellani electi viri Nobiles Ogerius Scotus, & Johannes Panzanus, qui pervenientes ad ipsum locum acceperunt & munierunt, Pisanis omnibus ejectis de eodem, & galêæ Januæ perfecto negotio redierunt. Ea de causa in ipso anno orta est guerra in Sardinia inter ipsum Marchionem, & Januenses ex una parte, & Pisa-

sanos, qui erant in Sardinia, eis auxilium præbente Judice Arboreæ ex altera. Erant autem Pisanorum in Sardinia Capitanei, & majores Comites de Guirardeschis, qui tenebant prope dictum castrum per milliaria quinque quamdam villam munitam, quæ Parma vocabatur, in qua se conferebant. In quorum subsidio Pisani VIII. galêas cum armis & militibus ipso anno miserunt. Et quum Januensibus notum esset, quòd VIII. galêæ Pisanorum in Sardiniam navigassent, incontinenti in Janua armatæ fuerunt galêæ XII. quarum fuit dux Miles Potestatis prædicti, & Consiliarii ipsius, Peschettus Mallonus, & Detesalve, & Petrus Advocatus, quæ in Sardiniam sunt transmissæ; & invenientes ibi ad Salinas ipsas VIII. galêas Pisanorum, vi eas ceperunt, & Januam conduxerunt redeuntes Januam. Antequam verò dictæ galêæ ad propria remeassent, sunt armatæ aliæ galêæ XXIV., quarum fuerunt Armiragii Simon Guercius, & Nicola Cigala; qui cum ipso stolo galêarum navigantes, portum Pisanorum invaserunt, & in eo tres naves ceperunt, & alia Ligna concremarunt. Deinde in Sardiniam ad Calarim sunt profecti, & quum ad portum Calari fuerunt applicati, dictus Ælianus Marchio ab inimicis illis diebus captus est & interfectus. Sed quum ipsius successor esse diceretur Guilelmus Cepolla ejus avunculus, confirmatis conventionibus, quæ factæ fuerant cum ipso Marchione, ipsum Januam adduxerunt, ibique infra paucos dies decessit; & Commune Januæ heredem instituit, ut continetur in ipsius testamento, quod est in Sacristia Privilegiorum. Ipso anno fuerunt missi Ambasciatores Lanfrancus Ususmaris, Ugo de Flisco, & Martinus de Marabotto ad civitates Lucæ, & Florentiæ, & ad Sedem Apostolicam, scilicet ad ipsas civitates, ut ex parte Communis Januæ ab ipsis requirerent, quòd Pisani, qui laxatis viribus guerram ulteriùs non poterant sustinere, non reciperentur ad pacem, nisi Marchio Calari esset in ea, sinè quo Januenses pacem facere non poterant. Hi tamen precibus obauditis, Pisanos ad pacem receperunt, eis observantibus sententiam. Pisani verò cum dolore restituerunt vigore sententiæ Lucensibus castrum Mutroni, quod optimè munierunt; castra Corvariæ & Massæ dimiserunt. Lucenses castrum Corvariæ funditus diruerunt; castrum verò Massæ Bonifacio de Massa eorum fideli restituerunt, castrumque, quod construxerant prope pontem Heræ, funditus diruerunt; & ut breviter dixerim totam sententiam Pisani observaverunt inviti. Potestas Januæ regimen suum finivit, & licèt de puritate non fuerit laudatus, omnia tamen prospera contigerunt.

Anno Domini MCCLVII. Potestas civitatis Januæ fuit Dominus Albertus de Malavolta Civis Bononiensis. Ipso anno in introitu Potestatiæ dicti Domini Alberti orta fuit seditio inter homines Januæ, recedente Philippo de la Torre, qui fuerat Potestas anni præcedentis, & contra ipsum Philippum; in qua seditione plures de potentioribus civitatis clamaverunt ad arma dicentes, quòd volebant habere Capitaneum Populi, quod quidem Popularibus placuit. Et in eo tumultu convenerunt ad Ecclesiam S. Syri; ibique sinè discretione & cum tumultu & vociferatione elegerunt Populares Januæ Guilelmum Buccanigra in Capitaneum Populi Januensis, ipsumque induxerunt, impellendo & portando cum tumultu & pompa & clamoribus ad Ecclesiam S. Syri, ipsumque ibi tamquam Capitaneum sedere fecerunt; & fecerunt omnes eidem juramenta tamquam Capitaneo Populi. Sequenti etiam die more aliorum Capitaneorum fuerunt electi de Populo Antiani trigintaduo, videlicet quatuor per quamlibet compagniam, ut quidquid cum eis seu eorum consilio disponeretur, vel ordinaretur, vel cum majori parte ipsorum, ratum esset. Quibus peractis expositum fuit Consilio, quanto tempore officium ipsius Capitanei durare deberet; & conventum fuit, quòd prædictus Guilelmus esset Capitaneus Populi Januensis ad annos decem; & si infra illud tempus obiret, quòd unus ex fratribus ejus deberet ei succedere ac subrogari in officio suo. Fuitque in ipso Consilio decretum, quòd ipse haberet secum Militem unum, qui deberet omni anno habere pro salario libras mille Januinorum; item quòd haberet secum unum Judicem & duos Scribas ad salarium Communis, & guardatores seu executores duodecim, & servientes sive clientes cum armis quinquaginta, qui ipsum & ejus Palatium die noctuque custodirent. Et rebus sic se habentibus, per Capitaneum, & Antianos electus fuit in Potestatem Januæ vir nobilis Raynerius Rubeus Civis Lucanus, qui rexit regimen Potestatiæ per totum tempus, quo Albertus de Malavolta in regimine stare debebat. Eodem anno sedatâ guerrâ Pisanorum in Thuscia, Pisani ad reparandas vires suorum in Sardinia, miserunt illuc galêas VII., quarum fuit Dux Gualducius, de quo Populus Pisanus plurimùm confidebat. Quibus Calarim applicatis, ad subsidium castri totis viribus intenderunt, congregatis undique Pisanis in tota Sardinia commorantibus, & invocato auxilio Judicis Arboreæ, & ad hoc ut castro per mare succurri non posset. Sciebant enim se in mari cum Januensibus pares non esse. Construxerunt in loco, qui dicitur la Pola, turrim quamdam, & ipsam turrim munierunt machinis & viris bellicosis, & castrum prædictum per terram & per mare obsidendo circumvenerunt. Et dum hæc in Sardinia gerebantur, in civitate Januæ per Capitaneum & Antianos XVI. galêæ armatæ fuerunt, quarum fuerunt Armiragii viri Nobiles Ugo Ventus & Jacobus de Nigro quondam Ottonis, qui Sardiniam accesserunt, & voluerunt expugnare galêas Pisanorum. Verùm ipsæ galêæ taliter erant sub turre prædicta ex spaldis, machinis, & omnibus compositæ, quòd cum eis prœliari non potuerunt. Fuit etiam ipso tempore datum in mandatis Caravanæ Lignorum & navium, quæ ad partes Orientales proficisci debebant, ut in portum Calari applicari deberent, & cum galêis transmissis & aliis Januensibus ibidem existentibus laborarent, ut in castro victualia ponerent. Quibus applicatis ad locum jam dictum, in litore ipsius civitatis descenderunt; tamen quia non se munierant, resistere non potuerunt militibus contrariis, qui erant ultra MD. Imò oportuit ipsos ad naves redire, in quo reditu quædam barca præ multitudine ascendentium in ea submersa est, & quamplures necati fuerunt. Naves verò videntes, quòd castro subsidium ferre non poterant, recesserunt, quò ire debebant; & galêæ Januam redierunt. In ipso verò anno Castellani & Servientes castri jam dicti fame compulsi, & ipsis

ipsis in personis & rebus affidatis, in potestate Judicis Arboreæ se reddiderunt.

Anno MCCLVIII. Potestas civitatis Januæ fuit Dominus Raynerius Rubeus Civis Lucensis. In ipso anno Summus Pontifex Dominus Alexander Papa IV. interpellatus à Principibus Ultramarinis, Clericis, & Laicis, quòd propter guerram, quam Januenses, Veneti, & Pisani in ipsis partibus habebant, & præcipuè in civitate Aconis, terra Christianorum erat in periculo amittendi, suis literis destinavit ad hanc civitatem & alias, ut per legitimos Procuratores sufficienter instructos ante ipsius præsentiam termino præfixo comparere deberent; alioquin contra contumaces procederet invocato brachio secularium Potestatum, & præcipuè illorum Ultramaris tam Religiosorum, quàm aliorum. Fueruntque missi juxta mandatum ipsius ad ejus Curiam ex parte nostræ civitatis viri nobiles Percival Auriæ, Lucas de Grimaldis, Obertus Paxius, & Ugo de Flisco. Ex parte Venetorum Johannes de Canali, Philippus Sturnatus, & Andreas Zeno. Et ex parte Pisanorum Raynerius Marzuppus Judex; qui omnes in Curia constituti post multos & varios tractatus in dictum Summum Pontificem de omnibus discordiis, quæ inter ipsas civitates vertebantur, & verti poterant, plenum & perfectum compromissum fecerunt. Ut autem causa & origo, ex qua discordia orta fuit inter Januenses, Venetos, & Pisanos in partibus ultramarinis, pleniùs cognoscatur, sciendum est, quòd Veneti, & Januenses longis temporibus in pace steterant, & pacis fœdera insimul habebant. Existentibus autem in Acone Consulibus viris Nobilibus Simone Vento, & .... accidit, quòd quidam Januensis percussus fuit à quodam Veneto, quo percusso Januenses omnes arma sumserunt, & coadunatâ turbâ cum tumultu iverunt usque ad palatium Venetorum, cunctos Venetos per viam fugantes, & alteros vulnerantes. Veneti verò ex hac causa multùm turbati fuerunt, & ea omnia ad animum revocarunt, licèt Januenses multas exinde excusationes fecissent. Et hæc causa inter nos & ipsos odii fomitem ministravit. In temporis processu quædam navis Venetorum capta fuit à quibusdam, quam quidam Januensis Barocius Mallonus nomine comparavit; & quum eam duxisset in portum Aconis, eam Veneti violenter arripuerunt. Qua de causa Januenses arma sumentes portum Aconis invaserunt, & recuperata nave prædicta, omnes naves Venetorum ceperunt cum magno damno eorum; quibus peractis tractatus compositionis hinc inde habiti fuerunt. Et quia super emendatione damnorum nequiverunt esse concordes, res in eo statu permansit: ex qua causa Veneti Venetias ad Ducem Venetiarum querelas multas de Januensibus transmiserunt. Dux autem Venetiarum ad hanc civitatem plures literas destinavit plenas querelis, & ob id in civitate Januæ fuit ordinata Legatio, quæ cum Legatis Venetorum Bononiæ convenire debebat. Fuit tamen dilatata, quòd Veneti ad damna contra Januenses processerunt. Sicque ipso anno quum eorum Caravana IX. inter taridas & galêas transmisissent armatas, quæ portum Aconis prœliantes omnia Ligna Januensium ceperunt, ac etiam multas domos Januensium in ipsa civitate incendio concremarunt. Januenses autem prædicta videntes, arma ceperunt, & orto bello cum Pisanis & Venetis, multæ strages, & cædes fuerunt. Ipsis etiam temporibus Januenses per vim turrim veterem Pisanorum ceperunt, & funditus diruerunt. Fuit enim aliquando ante tempus prædictum, quòd Pisani & Januenses erant in fide & amicitia copulati, adeò, & tanta, quòd si Januenses Venetos de civitate Aconis expellere voluissent, hoc facere potuissent de levi; & in tantum fuerunt de Januensibus coarctati, quòd Veneti in eorum palatio vexillum Patriarchæ imposuerunt, invocando auxilium Ecclesiasticum ab eodem. Januenses verò misericordia moti dimiserunt. Pisani verò conjuraverunt cum Venetis contra nos, & etiam Massilienses, & Provinciales.

Quumque cuncta cessissent, ut supra, scientes Januenses, quòd Veneti cum Caravana miserant galêas & taridas, fuerunt missæ de hac civitate cum Caravana Januæ X. galêæ, quarum IV. sævitia temporis se separaverunt, & quædam ex eis Januam redierunt. Quum autem Veneti, qui erant Acone, intellexissent, quòd Caravana Januensium Tyrum applicuerat cum quibusdam galêis, in quo portu erant etiam quamplures galêæ & sagitteæ Januensium congregatæ, armaverunt XIV. galêas, & cum ipsis venerunt supra portum Tyri. Januenses verò videntes eorum galêas, exiverunt obviam eis non catervatim sive conjunctim, sed unus post alium, sicut meliùs ire poterant, & sic tres galêæ & una sagittea, quæ aliis velociores erant, putantes ut omnes aliæ sequerentur in eorum subsidium, in inimicos ferierunt, & bello commisso antequam ab aliis succurrerentur, à Venetis captæ fuerunt, & apud Aconem transmissæ. Veneti autem ad recuperandas vires suorum in partibus ultramarinis galêas & taridas quamplures miserunt. Januenses verò hæc scientes armaverunt galêas XXV. & naves IV. quibus constitutus fuit Armiragius atque Dux nobilis Rubeus de Turcha. Sed quia notum erat, quòd Veneti plures numero galêas in partibus ultramarinis transmiserant, statutum fuit quòd adderentur illis XXV. galêis VIII. galêæ. Et sic dictus exercitus cum navibus & galêis jam dictis de portu Januæ movit, & ad civitatem Tyri applicuit. Exercitu verò prædicto existente in portu Tyri, tamdem in vigilia Sancti Johannis de Tyro movit, & vênit super portum Aconis, ibique stetit. Mane autem facto, Veneti, Pisani, Provinciales, & omnes inimici cum militibus, quos ad soldos congregare potuerunt, galêas & taridas ipsorum ascenderunt, & venerunt contra nostros; & bello commisso conflicti fuerunt nostri, & amiserunt nostri galêas XXV. Aliæ verò cum navibus se Tyrum contulerunt. Veneti verò cum gaudio & triumpho Aconem redierunt. Nostri verò qui erant in Acone, & qui viriliter semper fuerant prœliati, diffisi de omnibus terram dimiserunt. Dum autem hæc in partibus ultramarinis agerentur, in partibus cismarinis in Curia Summi Pontificis compromisso facto, pax inter ipsas civitates facta fuit coram Summo Pontifice & Cardinalibus in uno mense: quod est mirabile. Eodem etiam anno nocte XII. Novembris existente Luna XV. ex toto disparuit, quòd qui non viderant, credebant ipsam nondum ortam; nec credebant illi, quamvis tempus esset serenissimum,

mum, & Cimerium, & Luna deberet esse in loco, in quo est Sol in æstate, quoniam est obscurata hora plusquam tertia, cœpit ibi apparere subtilissima, sicut subtilior fuit umquam, & paulatim crescens ad statum consuetum devênit.

Anno MCCLIX. dum Capitaneus Januæ insolenter agere cepisset, omnemque potestatem ad se traheret, & statum Reipublicæ evertisset, valida contra eum conjuratio facta est. Igitur Capitaneus die à conjuratis statuta vênit, pridieque Kalendas Maji inquisitione facta, plurimi ex eis, quibus à Capitaneo submissæ personæ fuerant, extra civitatem abierunt, ac die sequenti banniti sunt, quorumdam domus diruptæ, & nonnulli securitate data remanserunt. Sicque sagacitate Capitanei fuga ipsorum structa est. Ex hoc ergo sumtis viribus magis confortatum est dominium ejus, & ad placitum Domini Opizonis de Flisco in platea Sancti Laurentii habitationem suam transtulit, & de pecunia Communis libras D. pro se muniendo accepit, annuoque salario suo libræ D. additæ sunt: propter quod magis odiosus Civibus factus est. Ipso anno vênit Januam venerabilis Pater Dominus Ottobonus Cardinalis causâ proficiscendi ad civitatem Astensem, & ad partes Comitis Sabaudiæ pro liberatione nepotum ejus filiorum quondam Domini Thomæ Comitis Sabaudiæ, qui in civitate Astensi obsides detinebantur. Et petiit à Communi causâ suæ societatis, & pro ipso negotio complendo Ambasciatores; & fuerunt destinati cum eodem Ottobonus de Camilla, Jacobus Malocellus, Guido Spinula, & Ugo de Flisco. In cujus Cardinalis reversione tumultus fuit in civitate, & turbati fuerunt Capitaneus & Populus, timentes quòd idem Cardinalis de depositione dicti Capitanei in civitate Januæ cum Nobilibus tractatum habuisset, adeò quòd nolebant quòd permitteretur redire. Tamen eo reverso tumultus sedatus fuit. Ipso anno Albenses, homines Cunii, Montis-Vici, Plani, & Carashi, propter potentiam vicinorum, & quia erant in malo statu, se tradiderunt Comiti Provinciæ, & se subjecerunt eidem.

Anno MCCLX. Potestas civitatis Januæ fuit Dominus Martinus de Fano Legum Doctor. Ipso anno quasi in tota Italia quoddam miraculum fuit, & ex divina provisione dicitur processisse. Nam in civitate Perusii cœperunt homines ire per civitatem nudi, verberando se cum flagellis, & clamando: *Domina S. Maria, recipite peccatores, & rogate Jesum Christum, ut nobis parcat*. Et dicitur, quòd hæc verberatio initium habuit à puerulo, qui adhuc jacebat in cunis. Alii dicunt à quodam Eremita, quem fertur Angelicam vocem audivisse, quòd nisi homines Perusii pœnitentiam agerent, civitas eorum subverteretur. Dicta autem verberatio per civitates illarum partium transitum fecit usque ad Urbem Romam; deinde per civitates Thusciæ subsequenter pervênit ad civitatem Terdonæ, & vênit Januam, verberando se, & clamando ut supra dictum est. Videntes autem hæc Cives Januæ, mirati fuerunt valde, & quilibet se recolligebat in eorum Ecclesiis; & ibi deponebant vestimenta, & acceptis Crucibus ibant nudi per civitatem se se verberando, & visitando omnes Ecclesias civitatis, & suburbiorum, & ita fecerunt per tres dies continuos. Hoc etiam factum fuit per totum districtum Januæ usque in Provinciam. Multæ discordiæ pacificatæ fuerunt ipsis temporibus, & multa bona ex illa verberatione orta sunt. Fuit etiam Capitaneo ipso tempore petitum, ut omnes exulatos restitueret; & annuens petitioni ipsorum unà cum Potestate Januæ restituit in integrum omnes forestatos Januæ & districtus ab omnibus forestationibus & bannis. Item in eodem anno quum Florentini & Lucenses, exercitibus copiosis undique congregatis, & paratis multis rebus ad guarnimentum castri Montis Aretini, & ad ipsum castrum muniendum dirigerent gressus suos, ac pervenissent prope civitatem Senas per milliaria V. vel circa: Senenses cum Comite Jordano, quem Dominus Manfredus filius olim Domini Friderici Imperatoris cum quantitate militum Theutonicorum ad subsidium dictæ civitatis transmiserat, contra ipsos processerunt; & certamine commisso cum eisdem, victi fuerunt & fugati Florentini & Lucenses, & ex eis tot fuerunt capti & mortui, quòd civitas Florentiæ mandata dicti Domini Jordanis totaliter adimplevit, & ejectis Guelfis de Florentia, Guibellini, qui partem Domini Manfredi favebant, in civitatem fuerunt restituti.

Anno MCCLXI. Potestas Januæ fuit Dominus Jordanus de Reluengo nobilis Civis Astensis. In ipso anno Januenses memores injuriarum eis factarum à Venetis, & eorum complicibus in partibus ultramarinis, animum intenderunt ad eos affligendos modis omnibus quibus possent. Et ita deliberato Consilio Legatio solemnis fuit ordinata causâ mittendi ad Serenissimum Dominum Palæologum Imperatorem Græcorum, qui cum Venetis guerram habebat, ad faciendam confœderationem cum eo contra Venetos. Et fuerunt missi ad prædicta agenda viri nobiles Guilelmus Vicecomes, & Guarnerius Judex, habentes plenam potestatem componendi & confœderationem faciendi ex parte Communis Januæ contra Venetos antedictos. Prædicti autem abeuntes ad Imperatorem jam dictum, qui ipsos honorificè recepit, eis multos honores impendens, & acceptans negotium, pro quo iverant, utpote quòd Venetos intimo cordis exosos habebat, confœderationem & pacta inivit cum eis, in qua nomine Communis Januæ immunitatibus multis concessis, civitatem Smirnarum liberaliter tradidit & donavit. Ita quòd Januenses ad partes Romaniæ navigantes, tamquam ad eorum propriam terram portum facerent, & accessum haberent. In ipso anno vel sequenti destinati fuerunt alii Legati ad Imperatorem Græcorum, profectis illis, de quibus supra mentio facta est, & qui Januam redierunt, cum quibus idem Imperator suos Nuntios solemnes ad civitatem Januæ transmisit causâ corroborandi ea, quæ facta fuerant cum Legatis; & factis quibusdam mutationibus & promissionibus ab ipsis Nuntiis Imperatoris, confœderatio prædicta fuit firmata & jurata. Quumque supradicta peracta fuissent, ad postulationem dictorum Nuntiorum Imperatoris, armatæ fuerunt in civitate Januæ naves VI. cum galêis X., quæ missæ fuerunt in Romaniam in subsidium dicti Imperatoris contra Venetos; & earum fuit Armiragius Martinus Buccanigra frater Capitanei. In ipsis autem navibus & galêis reliqui Nuntii Imperatoris ad propria redierunt. In ipso anno Marchio Pelavicinus recuperavit Placentiam, quam Albertus de Fontana, & subsequaces abstulerant

rant ei proditoriè. Eodem anno exeunte Madio Dominus Alexander Papa obiit in civitate Viterbii, & vacavit Ecclesia Romana Pastore usque ad Decollationem Sancti Johannis Baptistæ. Et tunc Patriarcha Hierosolymitanus fuit electus in Papam, & fuit nomen ejus Urbanus Papa IV. qui primo anno sui Pontificatus excommunicavit Januenses, pro eo quòd contra Venetos confœderationem fecerant cum Palæologo.

Anno MCCLXII. Potestas civitatis Januæ fuit prædictus Dominus Jordanus de Reluengo nobilis Civis Astensis. Die VI. Madii applicuit de Romania quædam navis, in qua Antonius de Auria detulit quemdam Nuntium dicti Imperatoris; & nova venerunt, quòd dictus Imperator civitatem Constantinopolitanam à Venetis & Latinis abstulerat, & ipsam suo Imperio adjecerat, & quòd idem Imperator palatium amplum & latum ad formam castri, quod Veneti in dicta civitate obtinebant, Januensibus donavit, quodque Januenses cum tubis, buccinis, & chordibus cadunatis funditus diruerunt; & ex lapidibus ipsius Palatii in ipsa nave Januam transmiserunt, quorum quidam adhuc exstant in domo Communis ædificata ad Clapam Olei. Eodem autem anno dum Capitaneus sibi totius Reipublicæ curam & dominium subjecisset, & Potestati, Consulibus, ceterisque Magnatibus jam velut tyrannus præesset, honoresque per se daret, spretisque decretis Consilii, fœdera cum quibus vellet componeret, ordinatas causas litigantium everteret, fas atque nefas misceret, operaque penè Tyranni omnia faceret, omniaque agi oporteret suæ voluntatis arbitrio, Nobilibus atque Senioribus civitatis ab honoribus & Reipublicæ cura penitùs exclusis, odiosus factus est nimis Nobilibus & Senioribus, ac divitibus Plebis, & Potestati, dominiumque suum abhorruerunt; & convenerunt adversùs eum qui majores ex Nobilibus videbantur. De quorum conventu Capitaneus timere cœpit, & cogitavit eorum propositum prævenire nocte, & ex eis capere quosdam. Quod nec Nobiles latuit, & ante noctem ad portas civitatis pervenire festinarunt scientes, quòd inde mandato Capitanei homines Potestatiarum Januam properabant. Et continuò ad arma surrexerunt, armatæque sunt omnes portæ civitatis armatorum Nobilium, multitudo quorum convênit in Fossatello contra Lanfrancum Buccanigram ipsius Capitanei fratrem. Capitaneus autem in platea exivit, ibique collectis armatis DCCC. circiter concionem fecit, & post factam concionem versùs domos Grimaldorum ire disposuit. Sed de platea egressus continuò rediit, & cohortes armatorum, quæ ad ipsum convenerant, minui cœperunt. Interim ex parte Nobilium per Canetum transire volentibus quidam ex Populo occurrerunt, ac non magno certamine facto ipsis victoribus patuit via, sicque ad Fossatellum cum aliis convenerunt. Ibique Lanfrancus Capitanei frater, dum cum potentibus ac Nobilibus civitatis contenderent vulneratus gladio corruit. Ut autem audivit Capitaneus, quòd Lanfrancus mortuus erat, vires amisit, pavidusque factus contremuit. Ergo hoc audito penè ab omnibus derelictus est solus. Archiepiscopo autem & quibusdam mediantibus, dum hæc agerentur, securitas ei data fuit; & armis depositis, ac Capitaneo deposito sedata sunt omnia. Sequenti verò die Consilio celebrato Potestatem elegerunt non ad brevia, sed de communi omnium voluntate, Dominum Martinum de Fano Legum Doctorem; in cujus regimine navis quædam Venetorum plena negotiatoribus, mercimoniis, & mercatoribus cum III. galêis exibat de Mare-Majore, ut rediret ad patriam cum omnibus mercatoribus Venetorum, qui tempore captionis Constantinopolis erant in Mare-Majori. Et quum navis & galêæ prædictæ transirent per mare, exierunt contra ipsas quamplures galêæ Græcorum, & duæ Januensium causâ debellandi ipsas. Tamen licèt acriter fuerint præliati cum ipsis, eas capere non potuerunt; & quum recederent, & appropinquarent ad civitatem Constantinopolis, Otto Ventus Armiragius X. galêarum Januensium ipsas navem & galêas invênit, & eas expugnando per vim cepit; & quia multitudo mercium erat in ipsa navi, tanta Græcorum & Latinorum multitudo ascendit in eam, quòd navis submersa fuit, & multi ex Venetis & Græcis suffocati fuerunt. Pervenientes autem ad civitatem prædictam, captivos, qui evaserant, Imperatori omnes tradiderunt. Imperator autem ad dedecus Venetorum omnibus nasum abscindi & oculos erui fecit, præter quibusdam, qui precibus Januensium dictam pœnam evaserunt.

Anno MCCLXIII. Potestas Januæ fuit Dominus Lazarius de Lazariis nobilis Civis Bononiensis, tempore cujus Commune Januæ misit contra Venetos in Romaniam galêas XXV. sagitteam unam, & barcas V., quæ moverunt de Janua die Lunæ XXVIII. Madii, quarum iverunt Armiragii Petrus de Grimaldo, Peschettus Mallonus, qui mutuaverunt Communi pro ipso armamento XXXVI. millia librarum Januinorum. Item pro Communi Januæ eodem anno fuerunt missi ad Dominum Papam Urbanum apud Urbem-Veterem, ubi erat Dominus Papa, Ambasciatores tres, & unus Scriba occasione excommunicationis factæ per Dominum Papam contra Commune Januæ ad petitionem Ambasciatorum Venetorum. Nomina verò Ambasciatorum Januensium sunt hæc: Guido Spinula, Simon Strejaporcus filius Amici, & Neapolionus de Vultabio Judex, & Scriba fuit cum illis Obertus Barberius de Rapallo. Qui Ambasciatores quum stetissent in Curia Domini Papæ per multum tempus dicta occasione, & multis factis pro Communi Januæ, nihil facere potuerunt. Et tamdem de mense Junii circa exitum dicti mensis venerunt dicti Ambasciatores Januam, & adduxerunt secum Legatum unum Domini Papæ, scilicet Archiepiscopum de Sassari, qui Januæ stetit per multos dies, & exposuit in Consilio Ambasciariam suam ex parte Domini Papæ. Item eodem anno quum exercitus galêarum nostrarum, quæ erant numero XXXVIII., navigarent ad Malvasiam ex præcepto Imperatoris, causâ portandi ad ipsum locum prædictum Imperatorem; & galêæ Venetorum intenderent navigare ad civitatem Nigropontis in subsidium ejus: bello commisso inter nos & illos exercitus, ex galêis nostris non fuerunt præliatæ nisi galêæ XIV., inter quas fuit galêa Petri Advocati Admiragii, qui viriliter expugnando inimicos persequebatur. Prœlium in tantum expavescerat inimicos, quòd alta voce misericordiam postularent. In ipso conflictu dictus Petrus extitit interfectus. His ita peractis Veneti

neti ad spem restituti ad Nigrum-pontem navigaverunt. Nostræ autem galêæ cum verecundia Malvasiam venerunt. Rebus ita peractis quum dictæ galêæ starent in portu Malvasiæ, IV. taridæ Venetorum grandis magnitudinis oneratæ pane, victualibus, & aliis necessariis euntes ad exercitum suum, per jam dictas galêas nostras captæ fuerunt cum omnibus rebus & hominibus, qui in eis erant. Eodem anno galêæ XXV. quæ armatæ fuerant, applicaverunt Romaniam, & quum tam aliæ, quàm istæ essent in ipsis partibus Romaniæ, propter multitudinem armigerorum, & propter alia convenientia, quæ gerebant, idem Imperator post multos & varios tractatus habitos cum eisdem, nec cum eo poterant, vel ipse cum eis concordari: idem Imperator exercitum ipsum galêarum, quæ erant numero LX. vel circa, licentiavit eas, & ad propria redire fecit, & redierunt ipsæ galêæ in portu Januæ anno sequenti. Et accepit Potestas securè securitates magnæ quantitatis ab omnibus Armiragiis, Comitis, Naucleriis, & Consiliariis ipso anno, quia Armiragii supradicti, Comiti, Nauclerii, & Consiliarii propter eorum maleficia apud Commune Januæ diffamati erant. Ad hoc ut arctiùs contra eos procederetur, exstitit decretum auctoritate Consilii generalis, quòd eligerentur viri tres de melioribus & majoribus civitatis Januæ, qui deberent inquirere omnia malefacta in partibus Romaniæ;& fuerunt electi ad ipsum Officium viri nobiles Obertus Cicala, Ido Lercarius, & Antonius Auriæ.

Anno MCCLXIV. Potestas Januæ fuit Dominus Guilelmus Scarampus Civis Astensis, & fuerunt electi secundùm formam Capituli ad Syndicatum anni præcedentis & ipsius familiæ Ottonus de Cruce, Pasqual de Mari, Nicolaus de Porta, & Andreas Gatilusius Jurisperiti; Petrus de Nigro, Marchisius de Cassino, Obertus Passius, & Simon Tartarus, qui condemnaverunt transgressores pro servitiis illicitè actis, & Capitulis non servatis, in libris DCC. In ipso anno ad inimicos Venetos comprimendos, & ad confovendos & defendendos Januenses navigantes per diversas mundi partes, fuerunt armatæ in civitate Januæ ad expensas Communis naves duæ magnæ, & galêæ XX. in quibus fuerunt homines bellicosi peroptimè armati usque in tria millia quingenti. Et moverunt de portu Januæ de mense Junii; quarum fuit Armiragius & Dux vir nobilis Simon Grillus. Ipsius Consiliarii Rogerius de Ancona, Ogerius Scotus, Petrus de Camilla, & Amicettus Grillus. Capitanei navium Petrus Embriacus, & Simon Ventus. Et quia idem Simon Grillus propter officium Armiragiæ insolemnis procederet, & homines & populares ad ipsum confluerent, existimatum fuit, & præcipuè per Viros nobiles Domus Grimaldorum, quòd idem Populum facere vellet, & quòd Populus in Capitaneum ipsum perfingere vellent; & ea de causa munitiones Servientium & aliorum copiosè in civitate factæ fuerunt, adeò quòd quum milites Potestatis ad domum dicti Simonis accessissent, quidam lapides projecti fuerunt, & campanæ S. Mariæ de Vineis fuerunt ad strumitam pulsatæ. Eapropter Potestas cum omnibus quasi Nobilibus civitatis Januæ, & præcipuè illorum de Flisco, arma sumserunt contra dictum Simonem. Ipse autem Simon, antequam Potestas ad domum suam accederet, cum amicis suis ad Potestatem vênit, paratus ipsius obedire mandatis. Rumor autem die, qua incœpit, sedatus fuit.

Dictus autem exercitus ipso anno & die movit de portu Januæ, & navigando versùs Orientem infra paucos dies applicuerunt ad Insulam Maltæ, ibique steterunt per plures dies, & tamdem exinde iter arripuerunt causâ eundi ad partes ultramarinas. Quumque proficiscerentur, invenerunt quamdam navem Burgensium de Messina, quam ceperunt, & quum intellexissent ab hominibus illius navis, quòd si ad partes ultramarinas accederent, nihil proficere possent, proviso consilio miserunt naves cum III. galêis versùs alias partes. Armiragius autem cum quibusdam Consiliariis suis, acceptis XVII. ex dictis galêis direxit iter versùs Gulfum Venetiarum, & missâ unâ ex dictis galêis ad Imperatorem Græcorum cum reliquis XVI. pervênit in mare Duratii. Et quum ibi esset Caravana Venetorum, quæ cum mercationibus navigare intendebat versùs Alexandriam, apparuit ei, & viriliter pervênit ad ipsam. Homines autem Caravanæ videntes dictas galêas, conjunxerunt se omnes in unum. Erant autem naves tres, una quarum major erat aliis, & taridæ magnæ cum gabiis, panzonus unus, galêæ duæ, & sagittea una. Et fecerunt quasi castrum de navi majore, irridentes nostros, & projicientes gallinas in mare clamantes: *Cum istis prœliate*. Nostri autem aggressi sunt prœlium acre nimis, & obtinuerunt, capientes taridas, naves, & galêas; & ex eis una navis submersa fuit, & una tarida combusta. Exercitus autem Januensis cum navibus, galêis, & taridis Venetorum captis Januam lætanter remeavit. Veneti verò scito, quòd Januenses faciebant armamentum navium & galêarum, de quo supra facta est mentio, inter taridas, galêas, & Ligna LII. causâ aggrediendi exercitum nostrum præpararunt. Verùm spe sua fuerunt decepti; quoniam quum ipsis temporibus applicuissent ad partes Siciliæ, auditis rumoribus, quòd exercitus noster ad partes ultramarinas navigabat, ad ipsas partes suum navigium direxerunt, & pervenerunt ad portum Tyri, in quo non invenerunt nisi unam navem Januensium, quæ dicebatur Oliva, onerata bombacio; quam quum Januenses se præpararent ad defendendum, Dominus Tyri prohibuit, dicendo quòd Veneti non offenderent aliquos in portu suo; & pro uno denario, quem Januenses amitterent, eis de bonis Venetorum restitueret duplum. Veneti autem pro dicto denario non dimiserunt quin navem ipsam caperent; & quum starent supra portum Tyri, vênit ad eos barca armata de Acone, quæ retulit eis de captione Caravanæ ipsorum. Quibus auditis, incontinenti se moverunt de loco, & ad Aconensem civitatem pervenerunt, ibique navem jam dictam Januensium cum mercibus vendiderunt. Quum autem exercitus Venetorum per aliquot dies in partibus illis stetisset, ad propria remeavit. In eodem anno Urbanus Papa IV. obiit, & sepultus fuit apud Perusium. Ipso etiam anno Ordelamarus Rex Granatæ, qui consueverat esse fidelis & tributarius Regi Castellæ, contra ipsum Regem cum omnibus Sarracenis Hispaniæ rebellavit; & incœpta est guerra inter Regem Castellæ & gentem suam & Sarracenos Hispaniæ, in qua guerra magna multitudo Sarracenorum gladio periit, & etiam plures Christiani fuerunt occisi.

LANFRANCI PIGNOLI, GUILIELMI DE MURTEDO, MARINI USUSMARIS, ET HENRICI MARCHIONIS DE GAVIO ANNALES GENUENSES

AB ANNO MCCLXIV.

LIBER SEPTIMUS.

Quum autem quædam recitatione digna acciderent, placuit Potestati viros quatuor Nobiles & sapientes eligere; duo quorum fuerunt Jurisperiti, scilicet Lanfrancus Pignolus, & Guilielmus de Murtedo, & alii duo Laici fide digni, scilicet Marinus Ususmaris, & Henricus Marchio de Gavio, qui super hoc Opere providerent, scribentes solummodo veritatem de his, quæ Januæ acciderent, tam de prosperè gestis, quàm etiam de adversis.

In ipso ergo eodem anno MCCLXIV. quum per bonos & antiquos homines Januæ timeretur, ne venirent scandala, & odia crescerent inter quosdam Nobiles Januæ, quum jam quasi principia viderentur; quia illi de progenie Grimaldorum dicebantur habere de amicis in Consiliariorum ordine ultra quàm ceteri Nobiles, & specialiter illi de Flisco, & de Spinulis, & etiam illi de Auria. Et dictum fuit in civitate Januæ, quòd Obertus Spinula quadam nocte venisset ad civitatem cum cohorte maxima suorum hominum, & etiam Lombardorum, & quòd civitatem intraverat, à nobilioribus & senioribus Januæ .... custodiam ipsa nocte per civitatem fecerunt. Adveniente verò die multi ad Potestatem habuerunt accessum, rogantes ipsum, quòd super prædictis & custodia civitatis providere deberet. Et sic per Potestatem & octo Nobiles, qui juxta ipsum erant, fuerunt de qualibet compagnia viri L. electi, qui juraverunt semper de die & de nocte esse parati in armis ad mandatum ipsius Potestatis. Fuerunt autem prædicti L. per quamlibet compagniam in summa CCCC., qui omnes præelegerunt de se ipsis quatuor viros de qualibet compagnia, scilicet quælibet compagnia per se seriatim ab altera suos quatuor; quibus omnibus quatuor, scilicet XXXII. tam per ipsos L. de qualibet compagnia, quàm etiam per Consilium civitatis, fuit data plena potestas & bailia, quòd ipsi eligerent in Consiliarios & octo Nobiles pro anno futuro quos vellent ad meliorem statum & commodum civitatis, promittentes omnes, quos eligerent, habere tam pro Consiliariis, quàm octo Nobilibus, omni modo. Hoc anno Januenses obviaverunt in mare cuidam galeæ Venetorum, ipsamque ceperunt, & postea ceperunt taridam magnam ipsorum Venetorum, quæ veniebat de Alexandria in mare castri Rogi. Et quum transitum facerent per partes Mutoni, invenerunt quemdam Panzonum magnum oneratum grano, quod etiam ceperunt. In ipso anno Obertus Spinula tam cum hominibus, quàm amicis suis, moto exercitu Montem-Cagnæ obsedit, in quo exercitu multi ex popularibus Januæ exstiterunt, & multi ex parte Garibaldorum de Lavania. Quumque ibi per plures dies cum ipso exercitu moram fecisset, ipsum castrum devicit, & Januam post aliquot dies vênit. Et quum diceretur, populares juravisse eidem Oberto de Populo Januæ faciendo, propterea crevit odium inter ipsum Obertum, & progeniem Grimaldorum. Verùm interponentibus se Nobilibus inter ipsos compositio facta fuit, & in Consilio generali sibi ad invicem pacis osculum reddiderunt, juramento hinc inde præstito, quòd in Janua non consentirent, neque facerent aliquam novitatem. Ipsosque Potestas, & multos alios secum ad prandium invitavit, & comederunt cum eo, excepto Oberto Spinula, qui in die convivii habuit in capite quamdam plagam. Ipso verò anno nocte media inter diem Jovis, quæ fuit prima Octobris, & diem Veneris, quæ fuit secunda, circa primum somnum Obertus Spinula cum fratre suo Thoma & quibusdam Januensibus de albergo suo, & cum Guilelmo de Petra, qui secum habebat homines XL. de Valle Scriviæ, & cum Johanne Ravascherio, & Guilelmo Bottino cum quibusdam de parte Garibaldorum usque in XXXII. & quibusdam popularibus Januæ non divitibus vel bonis hominibus, sed pauperibus, & rixosis, voluit audaci spiritu se Capitaneum facere Januensis civitatis. Unde dicta nocte quum sciret, omnes Nobiles Januenses, ut moris est, in villis moram trahere, ipso tempore accessit cum prædictis ad Palatium Potestatis, ipsumque Potestatem cum sua familia personaliter capientes traduxerunt eosdem ad domum dicti Oberti ad Luculum, ubi tunc temporis habitabat; ibique ipsos custodiæ committentes civitatem cœperunt circuire una nocte clamantes: *Vivat, vivat Dominus Obertus Spinula, Dominus & Capitaneus Januæ.* Et fecerunt nocte claudi omnes portas civitatis, ne Nobilibus, qui erant in villis, ingressus in civitatem pateret; omnesque ipsa nocte ita circum-eun-

eundo civitatem iverunt, & ipsum Obertum sequebantur dicentes & clamantes ubique: *Surgite, & venite ad Dominum Obertum Spinulam, Dominum & Capitaneum Januæ*.

Quumque dies oriretur timentes Populares, ne cognoscerentur, & quia multi ex Nobilibus jam intraverant civitatem, voluit ipse Obertus quæ incœperat ad finem perducere, & se in Parlamento in Capitaneum eligi facere & firmari. Fecit Parlamentum apud Ecclesiam Beati Laurentii sonari. Quumque ad ipsum Parlamentum venirent à Palatio Potestatis, in quo erant, nolentes illi de progenie Guerciorum ipsum ante domos suas transitum facere, cum ipso prœliari cœperunt. Et quia non erat cum Guerciis sufficiens hominum multitudo, non potuerunt durare; & cepit domos & turres Guerciorum, & illorum de Insulis, & ipsos bonis omnibus spoliarunt, dimissisque in domibus Guerciorum quibusdam hominibus ire per civitatem, tractantes quidam ex eis, qualiter factum posset sedari ad meliorem statum civitatis, licèt Grimaldi tenderent versùs castrum Stellæ. Nam audiverant Pelavicinum civitatem intrasse, & ipsius fortiam habuisse. Fuitque tunc per Seniores & Nobiles Januæ ordinatum, ipso Oberto volente & consentiente, quòd viri nobiles Januæ Guido Spinula, & Nicolaus Auriæ ab ipsa die usque ad Purificationem B. Mariæ, quum tunc novum regimen incipere consueverit, deberent regere civitatem, & Potestates abesse usque ad dictum tempus. Et quòd dictus Obertus, vel aliquis, qui cum ipso fuisset, in nihilum puniretur, & quòd Potestas deberet ad domum suam reverti, & desineret esse Potestas. Sicque factum fuit ipsa die Veneris, licèt postea dictus in civitate Januæ pluribus diebus stetisset, cui omne damnum, quod sustinuerat dictus Potestas, & omnes de familia sua fuit usque ad quadrantem emendatum; fuitque dicto Potestati integrum salarium totius anni datum; & fecit ipse Potestas, & Judices, & Milites, & omnes de sua familia finem, remissionem, & pactum de ulteriùs aliquid non petendo à Commune Januæ, & quòd nulla ob prædicta consequerentur contra Commune Januæ. Quibus peractis de civitate recessit, & associatus fuit usque ad civitatem Astensem à Fulcone Johannis, qui revertendo Januam captus fuit per Guilelmum de Quiliano, & in carceribus detentus. Ipso anno de mense Novembris Lombardiam intravit vir nobilis Comes Flandriæ cum quibusdam aliis Comitibus, & Baronibus ultramontanis habentibus secum usque in quantitatem sex millium virorum equestrium optimè paratorum ad bellum, & usque in sexcentos balistarios equestrium & peditum usque in quantitatem viginti millium, quorum medietas esse balistarios dicebatur. Qui omnes transitum fecerunt per Lombardiam, non obstantibus Pelavicini minis & posse, qui cum suo exercitu & magno exiverat in servitio Manfredi Regis Siciliæ obviam supradictis. In illo anno civitas Vercellensis ad partem Mediolani & Ecclesiæ est conversa, quum antea in contrarium niteretur, fovens Pelavicini partem. Ipso anno venerabilis Pater Dominus Ottobonus Cardinalis de progenie illorum de Flisco, missus Legatus per Summum Pontificem ad partes Angliæ, per Januam transmeavit, fuitque per Clerum & Laicos maximè honoratus. In ipso anno transivit cum galèis IV. de Provincia uxor Domini Caroli Regis Siciliæ, ex parte cujus Regis accessit Januam Episcopus de Vignono, qui exposuit in Consilio, quòd habebat in mandatis ab ipso Rege, quòd si inveniret civitatem in bono statu, bene quidem; aliter verò deberet intendere circa reformationem ipsius juxta posse. Item si Commune Januæ vellet aliquid addere vel declarare in conventione, quam Commune ipsum cum dicto Rege habebat, ipse Communi Januæ faceret quæcumque placerent & congrua viderentur. Item quòd Dominus Rex requirebat consilium à Communi Januæ super factis suis, quæ habebat cum Manfredo Rege Siciliæ; & si Communi Januæ placeret habere partem in conquisto, & ipsi auxilium dare, quòd eidem Domino Regi Carolo ultramodum placeret. Fuit eidem pro Communi Januæ responsum, scilicet quòd Commune Januæ grates de prædictis omnibus dicto Domino Regi Carolo referebat.

Currente verò anno MCCLXV. Nicolaus Auriç,& Guido Spinula, qui in anno prædicto de consensu Oberti Spinulæ tunc Januæ Capitanei, exstiterunt Potestates Januensis civitatis, & eorum tempore homines, gentes, & districtum urbis rexerunt in pace, se in eorum regimine taliter habentes, quòd laudem plurimam meriti fuerunt. Finito ipsorum officio, de Palatio, in quo habitabant, & ubi Curia regebatur, ad suas proprias domos communi omnium voluntate abierunt, nullo eis opposito eorum officii causâ, licèt quilibet Potestas per civitatem Januæ certo tempore stare debebat, responsurus cuique opponere volenti eidem aliquid, quod fecisset contra formam Statutorum civitatis Januæ. Sed tanta fuit ipsorum bonitas, quòd ob causam ipsorum Syndicatores creari non oportebat per Decuriones civitatis Januæ. Sed ipsi, & Judices ipsorum, & eorum familia propter eorum condignum regimen, & opera, quæ fecerant, ad propria recesserunt cum laude, gloria, & honore condigno. Licèt verò propter viros prædictos Syndicatores, ut dictum fuit, creari non oportebat, facti tamen fuerunt & creati, ut observarentur Capitula civitatis, & propter Consules & octo Nobiles, & alios Officiales, qui per ipsos examinari debent secundùm formam & tenorem Capituli civitatis Januæ. Verùm octo Nobiles, & Scribæ, & alia Societas prædictorum Nobilium, sequentes vestigia prædictorum Nobilium, taliter se habuerunt, quòd nemo fuit, qui contra eos, vel aliquem ipsorum aliquid opponere, seu dicere vellet. Quum igitur prædicti, & quilibet ipsorum forent sinè macula, & ex toto mundi & puri in officiis ipsorum comprobati propter ipsorum opera, tamquam aurum in fornace abierunt, & steterunt cum laude, gloria, & honore.

Anno currente MCCLXVI. fuit Potestas Januæ Dominus Jacobus de Palude Civis Parmensis. Socii & Milites ejusdem fuerunt Dominus Johannes de Valatis, Dominus Bernardus Rubeus, qui præfuit in Capitulo super debitis Communis Januæ, mutuis, & collectis exigendis. Judices verò ejusdem Potestatis fuerunt Dominus Ægidius de Gandinis, qui præfuit appellationibus terminandis, & Consiliis gerendis, & aliis tractandis circa Potestatem prædictum, Dominus Guiraldus Gattus, qui præfuit Civibus Communis, & quæstionibus audiendis; Dominus Simon de Vitalibus, qui præfuit Criminalibus. Scribæ dicti Potestatis ad

ad discum suum fuerunt Magister Albertus de Casali, Januinus Ogerius, & Balduinus de Izo; & ad discum maleficiorum Guilelmus Vegius, & Emanuel de Albara. Octo verò Nobiles fuerunt Nicolosius de Merlo, Guilelmus Barca, Bonifacius de Nigro, Pasqual de Mari, Petrus de Camilla, Amicettus Grillus, Janella Advocatus, Lanfrancus Riccius. Scribæ octo Nobilium fuerunt David Grillacius, & Opizo de Clavaro. In ipso anno fuerunt Consules de Justitia districtus de Palatio & Consulatus civitatis Januæ; scilicet in Consulatu Foritanorum Normandinus de Bernarduciis Civis Lucensis. Scribæ ejus fuerunt Guilelmus Massonus, Guilelmus de Suxilia. In Consulatu civitatis Cavalcabos de Medicis Civis Papiensis. Scribæ fuerunt Ogerius Osubergius, David de Sancto Ambrosio. In Consulatu Medii Surionus de Belexiis Civis Aquensis. Scribæ fuerunt Henricus Braga, Jacobinus Fontana. In Consulatu burgi Johannes de Garganis Civis Pergamensis. Scribæ fuerunt Henricus Dardella, Jacobus de Platea-longa. In ipso verò anno Dominus Carolus Comes Provinciæ fuit coronatus in Regem Siciliæ per Ecclesiam Romanam, qui Coronâ acceptâ, exercitu suo congregato suos direxit gressus contra Dominum Manfredum Regem Siciliæ, ut illum expelleret, & de sede ipsius Regni deponeret. Processit verò Dominus Rex Carolus versùs Capuam, ubi Dominus Manfredus erat cum gente infinita paratus Domino Regi Carolo & ejus exercitui obviare. Quumque dicti exercitus appropinquassent unus adversùs alium, tamdem facto conflictu Rex Carolus Dominum Manfredum & ejus exercitum devicit; in quo conflictu Dominus Manfredus fuit interfectus. Quo devicto & mortuo, Magnates terræ, & loca, & civitates Regni Siciliæ Domino Regi Carolo laudem levaverunt, & universaliter sinè prœlio & labore aliquo ad ejus mandata devenerunt. Quibus peractis Dominus Carolus Rex constituit Vicarium suum in Sicilia Dominum Philippum de Monte-forte Dominum Tyri, qui quum accessisset prope Messanam ad locum Regii, paratis galêis duabus, una per Januenses & alia per Pisanos, accesserunt ad locum, ubi erat Vicarius prædictus. Qui Vicarius visis dictis galêis & gentibus galêarum, Januensium galêam recepit animo diligenti, & eam elegit, ut cum ipsa Insulam Siciliæ ascenderet. Quo in galêa recepto cum ipsa & cum Januensibus Messanam intravit, gentem Januensium inter ceteras honorando.

In ipso verò anno Commune Januæ de mense Aprilis nobiles viros Legatos suos, scilicet quatuor Laicos, & duos Judices, scilicet Bonarellum de Grimaldis, Thedisium de Flisco, Henricum Spinulam, N. Gatiluxium, Nicolaum Guercium, & Marchesinum de Cassino ad Curiam Romanam, & ad Serenissimum Carolum Regem Siciliæ honorificè delegavit. Qui Legati tam in Curia Romana, quàm in Curia Regis visi fuerunt honorificè, atque recepti. In Curia verò Romana parvo tempore commorantes, in illa verò Regis Caroli spatio duorum mensium, vel circa residentiam fecerunt, incessanter ipsum Regem videntes & sequentes, & in locis habitantes & stantes, in quibus habitabat ipse Rex sumtibus & expensis magnis, quas ipsi Legati faciebant, secundùm quod essent Legati Communis Januæ, & tantos homines condecebat. Dicti verò Ambasciatores de mense Julii Januam redierunt factis magnis expensis de pecunia Communis, à Domino Papa & à Domino Rege Carolo verbis pulchris receptis, nihil tamen adimpleto, occasione cujus dicta Legatio fuerat missa. In ipso anno armavit Commune Januæ XVIII. galêas, & navem unam magnam contra Venetos, quarum fuit Admiratus Lanfrancus Borborinus, & ejus Consiliarii fuerunt Balduinus Detesalve, Raynaldus Ceba, Bonavia Comes de Naulo, & Capitaneus dictæ navis Conradus Ventus. Qui stolus galêarum & navis de portu Januæ exivit de mense Aprilis, in quo mense ipsum Commune armavit alias IX. galêas, intellecto quòd Veneti erant in magna quantitate. Quare dictus Admiratus cum dictis galêis, quæ omnes erant numero XXVII. & mirabiliter armatis, recessit de portu quæritando inimicos, quos dicebatur egressos fuisse in mare cum galêis plurimis; & ivit in Corsicam, & stetit in portu Bonifacii. In ipso verò anno antequam dictæ galêæ XXVII. exirent de portu Bonifacii, Veneti cum galêis X. armatis iverunt ad portum Tunesis, & in dicto portu repertis quibusdam navibus Sarracenorum & Christianorum, inter quas erat quædam navis Januensium, videlicet Johannis Roccataliatæ & consortum, eamdem navem ceperunt cum quibusdam mercimoniis, & cum decem vel duodecim hominibus parvæ conditionis. Die verò veniente intravit dictum portum Tunesis quædam navicula Savonensium onerata vino, & cum hominibus tredecim, quam cum onere suo & dictis hominibus ceperunt ipsi Veneti; & sic tam Januenses, quàm amicos damnificaverunt Veneti. Quibus peractis cœperunt redire versùs Messanam, & quum applicuissent ad quemdam locum, qui Vulcanum vocatur, obviaverunt duabus galêis, & uni sagitteæ armatis in cursum per homines de Portu Veneris, de quibus una cum dicta sagittea evasit; alteram verò cum majori parte hominum casu fortuito ceperunt, & Messanam duxerunt. Borborinus verò Januensium Admiratus habens nova de prædictis, de portu Bonifacii cum suis XXVII. galêis exivit, licèt nova haberet, quòd inimici erant numero fortiores, & habebant galêas armatas XXX. & ultra, & ivit versùs partes illas inimicos quæritando. Tamdem quum quadam die mensis Junii dictus Lanfrancus cum suis galêis esset in Trapena, certos habuit rumores de galêis inimicorum, quæ erant in Messana ibi prope per milliaria XVIII. vel circa. Et certus factus fuit, quòd inimici non habebant nisi tantùm galêas XXIV. & sagitteas duas. Quibus auditis, vocatis Consiliariis, & Comitis sui stoli, habuit cum eis consilium, quid foret faciendum. Et quum sanius consilium foret intrare mare, & se parare ad bellum: Admiratus tamen stupefactus, & vilitate præditus, mutavit consilium, & adhæsit vilibus Consiliatoribus consulentibus, quòd se ponerent ad terram, & galêas faceret incatenari. Quo facto mane veniente in Vigilia S. Johannis inimici supervenerunt locum, & videntes dictas galêas ligatas & incatenatas, credentes Januenses fore invagatos & perterritos, viriliter contra ipsos venire cœperunt. Januenses verò videntes inimicos supra se venientes, & Admiratum suum perditum viribus, consilio, & men-

mente, continuò se projecerunt in mare, relictis galêis, quæ quidem captæ fuerunt universaliter nullo prœlio facto. Et sic inimici propter negligentiam & malum consilium & vilitatem dicti Admirati prædictas galêas XXVII. ceperunt, & XXIV. ex ipsis retinuerunt, tribus crematis, & cum victoria recesserunt, retentis etiam & captis certis hominibus ex eis, qui fugere nesciverunt. Quia verò dictus Admiratus, & Consiliarii, & Comiti ejus malè se habuerunt, adeò quòd præsumtum fuit eos fuisse proditores, fuerunt in banno positi, & pecuniäliter condemnati.

In ipso anno de mense Augusti exiverunt de portu Januæ galêæ XXV. armatæ per Commune, quarum fuit Admiratus Obertinus Auriæ Civis Januensis homo valde famosus. Quæ quidem iverunt versùs partes inimicorum, propter ipsorum mortem, destructionem, & offensionem. Et quum dicti inimici sibi præcaverent, diu stetit Admiratus cum dictis galêis prope Gulfum, inimicorum quærendo portus & Insulas per partes illas, si de navibus, Lignis, vel galêis inimicorum reperire posset. Et quum de prædictis non posset reperire in ea quantitate, quæ sibi placeret, captis fortè triginta vel quadraginta de inimicis, & quibusdam Lignis crematis, accessit ad quamdam terram inimicorum nomine Canæa, & habito suo consilio se paravit ad dictam terram prœliandum, in cujus defensione erant milites CXX. sinè peditibus, qui erant in magna quantitate inter archatores, & balistarios, & alios armatos. Quibus non obstantibus, dictus Admiratus cum sua gente viriliter in terra descendit, & fractis militibus, & fugam accipientibus, dictam terram seu civitatem, quæ fortis erat muro & gentibus, expugnavit, & ipsam cepit, captis hominibus, qui in ipsa remanserant & non aufugerant. Sed quia quasi omnes fugerant, cepit in ipsa homines CCLXXX. vel circa; & captis omnibus rebus de dicta civitate, quæ apportari poterant ad galêas, palatium dictæ civitatis diruit, ac turri igne apposito, ipsam totam cremavit; & sic dictus Admiratus inimicos damnificavit in libris quadraginta millibus & ultra. Quum verò dictus Admiratus dictâ terrâ destructâ ab ea discessisset cum ejus stolo, uno tantùm homine perdito ad prædictum prœlium, venire cœpit quærendo rumores de inimicis. Et quum quadam die in mane appropinquasset ad Mutonum, ibi invênit Caravanam Venetorum, in qua Caravana erant XXXII. galêæ armatæ, & naves, & Ligna cum galêis circa XXV. & barchæ circa XXVI. Quibus visis à dicto Admirato, se cum suis galêis in scheria recollegit, & discooperiens inimicos, qui manu armata versùs ipsum in quantum poterant veniebant; & quum prope fuissent, cognito à dicto Admirato, quòd non erat pro eis, sapienter & discretè inimicis dimissis fecit suam viam, & se & suos recollegit. Quo acto videns & cognoscens dictus Admiratus, quòd omnimodè inimicos offendere non poterat, cœpit venire versùs Januam; & quum applicuisset Messanam, fecit ibi campum fieri de rebus captis in prænominata civitate, quam ceperat, & destrui fecerat. Quo campo facto partem galeottis assignavit, & aliis de galêis eis contingentem, & partem retinuit Communi Januæ. Quo facto Januam sanus cum sua societate, & cum suis galêis die ultima Octobris rediit cum victoria, & CCC. Communi Januæ consignavit captivos; in signum cujus victoriæ asportavit dictus Admiratus campanam unam, quæ in suo honore posita fuit apud Sanctum Matthæum, ubi Nobiles de Auria commorantur. Dictus verò Admiratus multas villas, loca, castra, & casalia dictorum inimicorum concremavit, & eos in magna quantitate damnificavit. In ipso verò anno Peschettus Mallonus, qui cum quibusdam ejus sociis in cursum iverat contra Venetos cum duabus galêis, in partibus Cypri invênit quamdam galêam de Portu Veneris cum quadam sagittea, quæ in cursum erant contra inimicos; & factâ conservâ, & dicto Peschetto Admirato ordinato dictarum trium galêarum & dictæ sagitteæ, quadam die mensis Octobris invenerunt quamdam navem Venetorum magnam & divitem ultra modum, in qua erant circa homines CL. & in qua erant XLV. & ultra de bonis & magnis hominibus Venetiarum. Quam navem prœlio incœpto viriliter expugnarunt, in qua CVIII. retinuerunt captivos, in iis computatis XLII. de melioribus Venetiarum. Qui Peschettus cum galêis & captivis de mense Novembris Januam vênit cum victoria, & cum ejus societate receptus fuit cum gaudio & triumpho, & Communi Januæ CXXX. captivos consignavit.

NICO-

NICOLAI GUERCII, GUILIELMI DE MULTEDO, HENRICI DROGI, ET BONIVASSALLI

ANNALES GENUENSES

AB ANNO MCCLXVII.

LIBER OCTAVUS.

Quum verò per quosdam Viros Sapientes quæ supra scripta sunt in MCCLXVI. seriatim, sicut facta contigerunt, sint pleniùs declarata, & aliqua postmodum & plura acciderint digna recitatione, placuit Potestati Viros quatuor Nobiles & Sapientes eligere, quorum duo fuerunt Jurisperiti, scilicet Nicolaus Guercius, & Guilielmus de Multedo, & alii duo Laici fide digni, scilicet Henricus Drogus, & Bonusvassallus Ususmaris, qui super hoc Opere providerent, scribentes ad memoriam de iis, quæ Communi Januæ acciderant, tam prosperis, quàm contrariis, & de iis, quæ acciderent tam in Lombardia, quàm in Thuscia, & in diversis mundi partibus.

Anno currente MCCLXVII. fuit Potestas Januæ Nobilis vir Dominus Guidottus de Rodobio Civis Vercellensis, qui secum habuit in sua societate duos Milites, scilicet virum nobilem Dominum Jacobum de Rodobio, & alium virum nobilem Dominum Jacobum, quorum unus deputatus fuit super debitis Communis Januæ, mutuis & collectis exigendis, præsidens super prædictis in Capitulo Januæ civitatis. Habuit etiam secum in sua societate Judices tres viros discretos, scilicet Dominum Guilelmum Unguetum, qui præfuit super appellationibus & Consiliis regendis & tractandis aliis circa Potestatem & negotia Communis Januæ; & discretum virum Dominum Henricum de Dama, qui præfuit causis civilibus & quæstionibus audiendis; & discretum virum Dominum Julianum de Cremona, qui præfuit criminalibus quæstionibus audiendis. Habuit etiam idem Dominus Potestas in sua societate tam pro Consiliis, quàm etiam pro aliis factis Communis Januæ, octo viros Nobiles, quorum nomina sunt hæc: Conradus Embriacus de Castro, Nicolaus Albericus, Albertus Castanea, Jacobus Squarciaficus, Henricus Auriæ, Rubeus de Horto, Gabriel de Grimaldis, & Matthæus Ceba. In officio verò Scribaniæ pertinentis ad officium palatii Potestatis habuit dictus Dominus Potestas secum viros fide dignos coram eo, scilicet Magistrum Albertum de Casali, Januinum Osbergerium, & Balduinum de Jozo. Et coram Domino Guilelmo Juliano Guilelmum Vegium, & Manuelem de Albera. Scriba ejus Militis fuit Guilelmus de Jula. Scribæ verò octo Nobilium fuerunt Opizo de Clavaro, & David Grillacius. In ipso verò anno fuerunt Consules IV. in civitate Januæ pro civilibus quæstionibus audiendis & terminandis, quæ agitantur & agitari debent extra Curiam Potestatis secundùm morem & statuta Januæ civitatis; scilicet in palatio Foritanorum Henricus Brochus de Cuneis, qui secum habuit in suo Consulatu Scribas duos, scilicet David de S. Ambrosio, & Bartholomæum de Brolio. In Consulatu verò civitatis fuit Consul Manuel de Muricula, qui secum habuit in Consulatu duos Scribas, scilicet Belmustum de Pelio, & Obertum Osbergerium. In Consulatu Medii fuit Consul Baxanius de Villanova de Laude, & ejus Scribæ fuerunt Guilelmus Maffonus, & Henricus de Braja. In Consulatu verò burgi fuit Consul Pelagius de Mediolano, & ejus Scribæ fuerunt Jacobinus Fontana, & Henricus Dardella.

In ipso anno intravit Lombardiam Legatus Domini Papæ, proponendo: quum civitates, quæ hactenus esse consueverant Romanæ Ecclesiæ & Christo obedientes, faverent parti Domini Friderici olim Imperatoris Romanorum, & quæ stabant subditæ Domino Oberto Pelavicino, qui dictis civitatibus dominabatur, scilicet Cremonæ, Brixiæ, Placentiæ, Papiæ, Alexandriæ, Terdonæ. Ex iis verò civitatibus multi Nobiles exules erant & expulsi, quos ille perfidus & Christi & ejus Vicarii inimicus, qui Fidem Christi tollere credebat, perire faciebat, vel perpetuis carceribus deputabat, excepto de Papia, quæ se in totum Marchioni non dederat, licèt in aliis quasi partem Ecclesiæ foveret. In qua legatione residente dicto Legato, dictæ civitates venerunt ad mandatum Ecclesiæ Romanæ, exceptâ Papiâ; & sic gratiâ divinâ qui exules erant, ad propria remeaverunt, depositâ potestate dicti Oberti, qui injustè & nullo jure usurpaverat jam dicta. Dictus verò Marchio, licèt infregisset præcepta Ecclesiæ, jurare volens quæ sua non erant retinere, moto tunc eo bello per Parmenses partis Ecclesiæ, multa castra perdidit, & multam gentem. Hoc anno præsenti superiùs nominato explosus de dominio & regimine dictarum civitatum se reduxit cum aliis partis Ecclesiæ inimicis. In ipso tempore egregius Dominus Carolus Curiam visitavit Romanam, & quum in ipsa Curia resideret, co-

cognoscens Papa cum Cardinalibus, ipsum esse virum potentem, & per quem Ecclesia à suis rebellibus defendi poterat, eumdem constituit in Thuscia Vicarium Imperii Romanorum. In ipso anno Commune Januæ quum esset Interdictum, & divina in omnibus in civitate Januæ non celebrarentur, misit quatuor viros Nobiles Legatos tam ad Curiam Romanam, quàm ad Curiam Regis Caroli, tractando de prædictis cum Domino Papa, & de aliis negotiis Communis cum Domino Rege. Fuerunt enim dicti Legati viri Nobiles Nicola Cicada, Antonius de Mari, Lanfrancus Gatiluxius, & Guilelmus Cybo. Quibus in dicta Legatione residentibus relaxatum fuit dictum Interdictum; & qui excommunicati erant, absoluti fuerunt. Ipsi etiam Legati cum Rege Carolo egregiè tractantes de negotiis Communis aliqua fecerunt, & bonam receperunt à Domino Rege responsionem & promissionem; & licèt non compleverunt ea pro quibus specialiter missi fuerant, ad propria redierunt, Communi spem dantes, quòd Dominus Rex Commune Januæ & homines civitatis amabat, & inter ceteros paratus erat honorare. In ipso anno vênit Januam Dominus Philippus de Monteforte filius Domini Philippi domini Tyri, qui per Potestatem & Commune Januæ receptus fuit honorificè, prout decuit tantum hominem, & prosequutus est gressus suos versùs Franciam, offerens se Communi Januæ ad sua omnia beneplacita, & maximè contra inimicos Communis Januæ.

In ipso anno venerunt Januam Legati Summi Pontificis, & Dominorum Regum Franciæ, & Siciliæ, rogantes ex parte prædictorum Potestatem, Consilium, & Commune Januæ, quòd pacem, seu treugas cum Venetis facerent pro Christi nomine, & subsidio Terræsanctæ, ad quam recuperandam Rex Francorum parabat passagium. Et quia preces dictorum Legatorum visæ fuerunt gravissimæ Communi Januæ, facta pulchra responsione Legatis ex parte Communis, recesserunt ipsi ad propria remeantes. Commune autem Januæ misit Legatos suos ad Regem Francorum, scilicet Nobiles viros Simonem Mallonum, & Petrinum de Camilla, & Syndicum unum ad Curiam Romanam, scilicet virum Nobilem Marinetum de Marino Jurisperitum, qui habitis & receptis dignis responsionibus Januam redierunt. In ipso anno Commune Januæ armavit galêas XXV. contra inimicos, quarum Admiratus fuit Luchetus de Grimaldis, & ejus Consiliarii viri Nobiles Peschettus Mallonus & Ottolinus de Nigro. Socii verò ejus Ursus de Castellano de Clavaro, & Simoninus Cavalerius de Portu Veneris. Qui Admiratus cum dictis galêis tendens ultra mare cepit duas galêas, & unam sagitteam armatam inimicorum; & quum applicuisset ad portum Aconis, cepit turrim Muscarum, & obsederunt portum. Et tamdem dictus Admiratus de consilio ejus Consiliatorum ivit Tyrum cum aliquibus galêis ad tractandum cum domino Tyri de offensione inimicorum facienda, & dimisit in dicto portu Peschettum cum Ottolino & cum Papono Mallono, cum galêis XV. armatis pro defendendo, ne aliquis inimicorum dictam civitatem intraret, vel ex ea exiret. Quibus ibi commorantibus, supervenerunt galêæ XXVI. inimicorum; & nostri indiscretè nesciverunt se à portu separare; & sic tam propter infortunium maris contrarii, quàm propter imperitiam Gubernatorum, ex dictis galêis XV. perditæ fuerunt quinque, tres quarum erant cum armamento, & aliæ decem liberè evaserunt. Et quum applicuissent ubi erat Admiratus cum aliis X. galêis, auditis iis, quæ evenerant, recepto consilio & habita deliberatione, missa fuit una galêa pro recuperandis hominibus, qui evaserant ex galêis prædictis; quibus recuperatis separavit de Tyro dictus Admiratus cum dictis galêis XX. & veniens versùs Januam cepit navem inimicorum, & acceptis in ea quæ erant inimicorum, ipsam dimisit. Quum verò applicuisset Messanam, quia tota Riperia, seu terræ Domini Caroli Regis Siciliæ, quæ infra mare erant, vellent concordari cum inimicis Regis, & se contra eum exponere, dictus Admiratus accessit ad eos cum dictis galêis, & opere ipsius & gentium, quæ erant cum eo, remanserunt prædictæ terræ dicto Regi obedientes liberatæ à manibus inimicorum. Quibus peractis tres ex galêis Januæ cursum intraverunt contra inimicos, & cum aliis dictus Admiratus Januam rediit, offerens Communi quæ in prænominata nave capta fuerunt; & circa CCC. captivos, quos de inimicis ceperat, adduxit.

In ipso anno Dominus Carolus quosdam milites suos cum Florentinis misit ad destructionem Senensis civitatis; & quum esset in terra Senensi propter prædicta quidam milites Theutonici de parte Gibellinorum, & Pisani aliquos ex militibus Domini Regis derobarunt. Quo viso milites Regis ceperunt ipsos robatores persequi & fugare; & quia aliter evadere non poterant, intraverunt quamdam terram, nomine Podium Bonici, quæ terra fortis erat, & tenebatur pro Pisanis, circa quem locum Marescalcus Domini Regis, qui præerat exercitui ipsius, fecit tendi tentoria, & dictum locum obsedit; ad quem capiendum dictus Dominus Rex cum maxima quantitate militum personaliter accessit. In ipso anno idem Dominus Rex Legatos suos ad Potestatem, Consilium, & Commune Januæ delegavit, volens componere se cum civitate Januæ, & bellum indicere civitati Pisanorum, & societatem facere cum Januensibus contra prædictos Pisanos, & magna facere cum Januæ civitate, secundùm ea, quæ dicti Legati proponebant. Super quibus habitis & datis consiliis, responsum fuit ex parte Communis Januæ dictis Legatis, secundùm quod decuit: qua responsione recepta ad Dominum Regem redierunt. Hoc anno Terdona facta est ex parte Marchionis Montisferrati, quem Terdonenses in eorum Dominum creaverunt, partem Ecclesiæ sequentes, & contrarios Ecclesiæ expellentes. Rex autem Carolus dictum Podium Bonici habuit & cepit; & Commune Januæ hoc eodem anno ad ipsum Regem tres Nobiles viros misit Legatos & Ambasciatores eorum, pro quibus Legati dicti Regis Januam venerunt secundùm responsionem factam ex parte Communis Januæ prænominatis Legatis Domini Regis, & super multis articulis contentis in tractatu dictorum Legatorum assignato eisdem ex parte Communis, quorum Legatorum nomina sunt hæc, scilicet viri Nobiles Lanfrancus Malocellus, Tebaldinus de Nigro, & Ugo de Flisco. Misit etiam alium Legatum ad Illustrem Dominum Græcorum Imperatorem, scilicet Nobilem Franchinum de

de Camilla pro factis & negotiis tractandis cum ipso à Communi Januæ occasione eorum, pro quibus dictus Imperator Legatum suum Januam delegaverat.

Anno MCCLXVIII. fuit Potestas Januæ Dominus Guido de Corrigia nobilis Civis Parmensis. Octo Nobiles fuerunt Simon Jacarias, Lanfrancus Strejaporcus, Guilelmus Porcus, Stephanus Malocellus, Guarnerius Judex, Acellinus Grillus, Vivaldus de Carlo, Bonifacius Piccamilium. Eodem anno Conradinus Regis Conradi filius, qui de Alemannia cum multis militibus Veronam venerat, volens Lombardiam intrare adversùs Regem Carolum pugnaturus, clam à Verona Papiam vênit cum militibus supradictis, ibique diebus aliquibus moram fecit; ipsoque Conradino Papiæ existente, à civitate Pisarum Januam missi fuerunt Legati, ut aliqua compositio fieret per Commune Januæ cum eis, offerentes Legati, se omnia facturos, quæ Commune Januæ vellet. Non autem visum fuit Communi Januæ eisdem complacere; sicque discesserunt, eis Consilio denegato. Dum verò dicti Legati Pisarum recessissent, & adhuc esset incognitus locus, per quem transiturus esset Conradinus prædictus, Legati Domini Papæ, Regis Franciæ, & Regis Siciliæ ad civitatem Januæ pervenerunt, ut civitatem Januæ inducerent Regi Carolo adhærere adversùs Conradinum præfatum ejusque sequaces. Quumque multa verba, multaque consilia proinde fierent, non consentientibus Civibus in unum, tempus prolatando, dictus Conradinus ad portum Vadi per terram Manfredi de Carreto cum dictis militibus pervênit, quem X. galeæ Pisanorum suscipientes cum militibus circa decem adversitate temporis ad Portum-Delphinum delatus est. Inde Pisas profectus, Pisani ipsum honorificè receperunt. Filius verò Ducis Austriæ, qui cum eo ad portum Vadi venerat, Papiam rediens cum ceteris militibus, inde per montana atque Varixium ac Lunexanam transiens, Pisanisque ei usque ad Mutronum obviam occurrentibus, civitatem Pisanam intraverunt; & interim rebus infectis discesserunt Legati prædicti. Quumque dictus Conradinus in civitate Pisarum suum exercitum congregasset, cum ipso exercitu atque Pisanis ad districtum civitatis Lucanæ, quæ Regi Carolo adhærebat, accessit, & terras & possessiones Lucensium devastavit. Quo facto Senas processit, ibique moram faciente, eidem Senenses dederunt magnam pecuniæ quantitatem. Deinde verò cum dicto exercitu suo Romam accessit, in qua per Dominum Henricum Regis Castellæ fratrem, & tunc ipsius civitatis Senatorem, atque per alios Romanos, qui ipsi Conradino adhærebant, honorificè est receptus. Et quum in civitate Romana per dies quamplures stetisset, iter arripuit versùs Regem Carolum supradictum cum ipso Rege pugnaturus. Rex autem Carolus audiens, Conradinum cum Domino Henrico, Romanis, Duce Austrichiæ, & exercitu suo adversùm se venturum, Venzanum ad Maxilatum accessit, & suum congregavit exercitum, exspectando adventum inimicorum, quibus se præsentantibus prœlium factum est magnum, in quo Rex Carolus exstitit triumphator. Conradinus verò aufûgit, & Dux Austriæ, Comes Gualvagnus, & ejusdem Comitis filius, qui clam exeuntes Pisas redire properabant. Sed ipsos redire properantes Dominus quidam Sturiæ ipsos detinuit, & tradidit Roberto de Levanto, qui Capitaneus erat in galêis Regis Caroli pro ipso Rege Carolo. Qui Robertus Capitaneus ipsos Conradinum, Ducem Austrichiæ, Comitem Gualvagnum, & ejus filium, ad Carolum Regem perduxit, quos diu carceratos capite privavit in civitate Neapolis. Illi verò Siciliæ, qui favebant Conradino, audientes Carolum Regem in bello victorem fuisse prædicto, in Dominum & Capitaneum suum Comitem Fridericum Lanceam elegerunt.

Anno MCCLXIX. fuit Potestas Januæ vir Nobilis Bonifacius de Canosa. In ipso anno perillustris Ludovicus Rex Francorum ad hanc civitatem direxit Nuntios & Legatos excusatione passagii; & ad Curiam ejus de hac civitate fuerunt similiter destinati Nuntii & Legati, qui redierunt negotiis imperfectis. Ipso etiam anno venerunt ad civitatem ipsam Nuntii Soldani Babyloniæ, & Nuntii Tartatorum, & Imperatoris Græcorum, causâ alligandi se cum Summo Pontifice, & cum Regibus Francorum & Siciliæ. In hac civitate steterunt per multos dies, & postea discesserunt ad partes, sicut creditur, ad quas missi fuerunt. Quid autem fecerint, vel quid proposuerint, notum non fuit omnibus. Item in eodem anno ad Illustrem Carolum Regem Siciliæ missi fuerunt ex parte Communis Januæ Legati pro conventione concordanda inter ipsum & Commune Januæ, nomina quorum sunt hæc, nobiles viri Simon de Camilla quondam Ottoboni, Simon Guercius, & Janella Advocatus, & nobilis vir Jurisperitus Simon Cancellerius. Et pro eadem causa idem Rex suos Legatos ad civitatem Januæ transmisit, cum quibus Commune Januæ conventionem fecit atque firmavit, quæ conventio scripta est in Codicibus publicis Communis Januæ, sive Registro, ubi scribuntur conventiones. In eodem anno Provincia Thusciæ variis de causis exstitit turbata propter dissensiones. Et ad adjuvandum partem suam de Thuscia supradictus Dominus Rex Carolus misit milites de Francia circa DCC. qui steterunt in Thuscia, faciendo guerram omnibus de parte contraria, scilicet Pisanis, Senensibus, & Gibellinis. Et depopulaverunt Podium Bonizum; & quum Senenses vellent reddere vicem inimicis de prædictis, & venissent ad populationem castri Celli, milites Regis cum Florentinis hoc audito opposuerunt se prædictis Senensibus, & irruentes in eos, terga vertere coëgerunt. Fecerunt etiam ipsi milites Regis, Lucani, Florentini, Pistorienses, & alii ejusdem partis exercitum contra Pisanos, & ceperunt castrum Assani, & depopulaverunt terram Pisanorum prope civitatem per milliare vel circa, & capti fuerunt ex Pisanis atque mortui ultra mille. Lucani castrum Massæ Marchionum de Massa diu per eos obsessum ceperunt, & turres, & castrum Arcis dicti loci, atque mœnia ejusdem funditus diruerunt. In eodem anno vir Nobilis Isnardus Marchio Malaspina de requisitione quorumdam virorum Nobilium de Corsica in ipsam Insulam descendit cum honorabili societate militum & peditum, qui fuerunt numero DC. vel circa. Item ipso anno Lombardi multas discordias & dissensiones habuerunt; nam ejectis de civitatibus Cremonæ, Placentiæ, & Parmæ illis, qui adhærere consueverant parti Imperiali, civitates prædictæ contra prædictos multa fecerunt.

In

In eodem anno Rex Carolus misit Nuntios suos ad civitatem Brixiæ, causâ concordandi Cives dictæ civitatis, qui erant in maxima discordia, ejecta parte illorum de Manarino ab ipsa civitate, & captis ex eis quampluribus, qui in civitate carcerati tenebantur, qui carcerati pro obsidibus Nuntio Regis deliberati fuerunt, quos duci fecit Albam, ubi morari debebant; verùm quum ducerentur prædicti A obsides, Talionus de Manarino, & Bosius de Dovaria cum manu armata militum insultum fecit in eos, &, ipsis positis in fugam, ex eis cepit circa C. equites. In civitate Januæ in ipso anno à mense Octobris versùs finem anni pretium victualium & rerum excrevit. Nam summa frumenti Lombardi communiter vendita fuit solidos XVIII. usque in XXIV. & aliæ blavæ ad eamdem rationem.

OBERTI STANCONI, JACOBI AURIÆ, MARCHISII DE CASSINO, ET BARTHOLOMÆI BONIFACII

ANNALES GENUENSES

AB ANNO MCCLXX.

LIBER NONUS.

Historiographus noster Caffarus opus cœpit laudabile. Priorum enim patrum sequens vestigia, quæ suis temporibus evenerunt, ad generationis venturæ memoriam denotavit. Qua de causa etsi ejus est laudanda memoria, sunt etiam Sapientes laudandi, qui in bene cœpto opere processerunt. Sicque factum est, ut nova proles sciat & audiat quæ non vidit, & per ea quæ gesta sunt antiquitus, instruatur. Sanè quia anno MCCLXX. citra non est in Opere jam dicto processum, licèt plura & varia evenerint, quæ commendanda memoriæ digna creduntur, idcirco nobiles Viri Dominus Obertus Spinula, & Obertus Auriæ honorabiles Capitanei Communis & Populi Januensis, qui totius civitatis & districtus regimini præsident, de consensu & voluntate Antianorum mandaverunt Sapientibus infrascriptis, nomina quorum sunt hæc: Obertus Stanconus, Jacobus Auriæ quondam Petri, Marchisius de Cassino, Bartholomæus Bonifacii Jurisperiti, ut quæ à dicto Millesimo citra occurrerent, curarent in scriptis redigere; qui injuncta fideliter exequentes, rejecta falsitate, & mera veritate amplexa, Opus clamatum (1) fecerunt, sicut ex inferioribus legentibus & intelligentibus poterit esse notum.

Currente anno MCCLXX. fuit in regimine civitatis Potestas Rolandus Putagius Civis Parmensis. Ipso quidem anno Illustris Rex Franciæ ad exaltationem nominis Jesu Christi intendens debellare Agarenos, assumto Crucis signaculo cum tribus filiis, scilicet Philippo, Petro, & Tristano, & cum fratre ipsius Regis Ansusso Comite Pictaviæ & Tholosæ, & quampluribus aliis Baronibus, ac multitudine hominum copiosa, apud Aquas-Mortuas in die parato antea navigio ascendit, & cum magno exercitu separans se de Aquis-Mortuis, erectis velis pervênit ad portum Calari in Sardinea, & inde Tunesim, reducens se ante Quartanam cum exercitu. Erant autem in ipso exercitu Januenses numero decem millia excedentes, qui naves & Ligna de duobus copertis habebant, & alia in magna quantitate Ligna navigabilia, & parata ad pugnam. Januensibus etiam erant armatæ Regiæ galêæ. Quia verò tam magna multitudo Januensium in dicto exercitu erat, elegerunt Consules de se ipsis Nobiles viros Ansaldum Auriæ, & Philippum Cavaruncum, qui tamdiu ipsis præsiderent, quamdiu provideretur eis de Rectore. Die verò, qua Tunesim pervênit jam dictus exercitus, jussione Regis Tunesis capti fuerunt Januenses mercatores, qui in Tunesi existebant, & qui exercitum ibi venturum ignorabant. Quibus detentis positi fuerunt in quodam palatio, ne quis posset eos offendere. Erat enim Regis intentio ipsos Mercatores salvare, credens quòd non Januensium, sed aliorum consilio jam dictus divertisset exercitus. Postquam autem Francorum Rex ante Quartanam cum exercitu se reduxit, factum est quòd descendens in terram ipse & Barones sui castrametati sunt. Una autem die Januenses, qui nondum descenderant, assumtis armis, & Communis Januæ vexillis erectis de navibus ascenderunt, & ipsum castrum & muros ascenderunt ipsum debellando, ac in ipsis castro & muro imposuerunt Januenses insignia & vexilla. In obsidione verò Tunesis Regio Francorum exercitu permanente, accidit, quòd Tristanus Regis Francorum filius diem clausit extremum. Idem autem Rex similiter infirmus detinebatur, & paulò post mortem filii etiam ipse viam universæ carnis fuit ingressus; & celebratis exequiis electus est in Regem Philippus filius ejus, & ei successit in Regnum. Carolus verò frater defuncti Regis secunda die post obitum dicti Regis cum quantitate magna galêarum, navium, ac multitudine hominum copiosa Tunesim pervênit, & fidelitatem fecit Domino Philippo, qui in locum patris Rex substitutus exstiterat. Quo peracto pluries cum exercitu suo aggressus fuit Sarracenos. Dum autem talia agerentur, treugæ factæ sunt inter partes, & firmatum concordium; nam Christianis Regibus........ CV. millia auri per Regem Tunesis promissæ sunt, medietas quarum præsentialiter soluta exstitit, alia verò medietas ad annos duos. Promisitque Sarracenorum Rex tributum dare, quod Imperatori etiam ipse dare consueverat solvere duplicatum. Januensibus verò illas, quas eisdem debebat, pecuniarum quantitates ad certum terminum se soluturum spopondit. Quo facto concordio, Christianorum Reges cum eorum navigio, ac universo exercitu recesserunt, non redituros se usque ad certum ter-

(1) forte, climatum.

terminum offensionis causâ ad locum ipsum solemniter promittentes. Igitur separaverunt se XXVIII. Novembris omnes de loco Reges, & Barones, & exercitus universus plenis velis versùs Siciliam navigando ultima die mensis Trapenam pervênit; & orta valida in mari tempestate, procellisque invalescentibus fluctuosis, & sæva ventorum rabie, galêæ & cetera Ligna naufragium passæ sunt, & ad terram dejectæ, in quo naufragio perierunt homines infiniti. Porrò Rex Carolus naufragio afflictis afflictionem accumulans, extorsit ab omnibus quidquid ex dicto exstitit naufragio recuperatum, post triduum dicens, quòd ex Regis Guilelmi constitutione & longa consuetudine hoc debebat suis scrineis applicari; defensiones Januensium allegantium conventionem cum ipso initam, per quam sani & naufragi in personis & rebus & securi in solo Regno haberi debebant, penitùs non admittens.

Eodem quippe anno Januensis civitas cum toto districtu suo in amaritudine morabatur. Regnabat enim inter Cives & districtuales divisio, quæ adeò succrevit, quòd invalescentibus voluntatibus partium venenatis, per villas & loca Communis Januæ cædes & homicidia committebant, spoliantes nedum inimicos, sed etiam quoslibet transeuntes. Unde factum est, quòd etiam usque Rapallum iter non patebat securum; & hæc per districtuales fiebant, eisdem favore Civium assistente. Defendebat enim quilibet partem suam; & ita exulantibus pace & concordia, intravit discordia pacis æmula, & civitatem invasit. Illo autem tempore super habenda Potestatia Vintimilii suscitata fuit contentio inter eosdem, ac de Potestatia ipsa coram Rolando Putagio Cive Parmensi, qui tunc Pro-potestate regimini civitatis Januæ præsidebat, quæstio facta fuit. Tamdem Luchetus de Grimaldis justè vel injustè Potestatiam ipsam obtinuit; quumque ad ipsius civitatis Vintimilii Potestatiam ab altera ipsius civitatis parte receptus est, altera pars Curlorum, quæ contradicebat eidem, nolens ipsi Lucheto obedire, nec ipsum pro Potestate habere, quum nequiret resistere, ipsam civitatem exivit. Quo audito quidam Nobiles Januæ Curlorum pro parte erant faventes dicto Lucheto. Contrarii autem, & qui eidem coram Potestate Januæ opposuerant, ne Potestatiam obtineret jam dictam, manu armata ad civitatem Vintimilii properarunt, intendentes partem Curlorum, quæ exierat civitatem, reducere, & ipsum Luchetum expellere, si possent, de Potestatia prædicta. Dictus verò Luchetus adventum ipsorum audiens, cum intrinsecis eidem adhærentibus volens obviare prædictis, manu armata ingressus fuit civitatem. Contrarii autem resistere non valentes terga dederunt, & ad quemdam montem, Roazius nomine, habuerunt recursum. Ipse verò Luchetus ipsos insequutus fuit, & ipsos aggressus præliando obtinuit, & carceri mancipavit in civitate Vintimilii. Quo factum est, quòd contrarii requisiverunt amicos Lucheti, ut carceratos à carceribus relaxaret; qui blandè respondentes, quod petebatur se facere promiserunt. Verùm quum promissa non observarentur, convocato in Janua Consilio creari in civitate Januæ Populum fuit ordinatum; & receptis tam Nobilium quàm Popularium plurium juramentis die XXVIII. Octobris prosilierunt ad arma, quumque partes dimicarent ad invicem, factum est quòd illi de Auria & de Spinulis ceperunt palatium Potestatis, qui relicto palatio ad domos illorum de Flisco se reduxerat; & licèt secum multitudinem non modicam tam Nobilium quàm Popularium haberet; & defendens se contra illos de Auria & de Spinulis, pro posse resisteret, tamdem illi de Auria & de Spinulis cum sequacibus eorum victores facti ceperunt Potestatem prædictum, & domos illorum de Flisco, & sequaces viriliter expugnaverunt. Ipsaque die honorabiles viri Obertus Spinula, & Obertus Auriæ Capitanei creati sunt, eisque à Populo in civitate, & toto districtu cum mero & mixto imperio omnis fuit attributa Potestas. Qui Capitanei dominandi recepto imperio, Capitanîam ac regimen civitatis & districtus totius absolutè & liberè exercuerunt, ex quo præceptum fuit, quòd, armis depositis, omnes ab offensionibus abstinerent sub pœnis magnis & bannis in contra facientes comminatis. Ibique pro tribunali sedentibus Cives, Populares, amici, & æmuli obedire, & eorum parêre mandatis, sacris Scripturis tactis, corporaliter juraverunt. Deindeque per civitates, & villas, castra, & loca cetera Januensis districtus per literas, cursores, & nuntios, quæ acciderant exstitit nuntiatum, ac injunctis omnibus pœnis in contra facientes comminatis, quòd sibi præcaveret ab offensione qualibet omnis homo. Dictus verò Luchetus de carceratorum liberatione, & præsentatione sui admonitus, recepto mandato carceratos omnes velociter relaxavit, factaque sui repræsentatione die assignata de servando dictorum Capitaneorum mandata, & eisdem obediendo, subiit juramentum. Ipsisque Capitaneis sic præsidentibus civitatem rexere; ac Rolando Putagio, qui Potestas fuerat, recedendi liberè licentiam concessere, eidem totius anni suæ Potestatiæ salario integrè persoluto. Capitaneis namque prædictis regentibus civitatem, quæ divisionibus ac Civium discordiis regnantibus diu turbata exstiterat, factum est, ut super tranquillitate districtualium & Civium providerunt; invocatoque Dei auxilio, & Gualterii Januensis Archiepiscopi, ac proborum Religiosorum virorum, nec non tam Popularium, quàm Nobilium amicorum collecto præsidio, inter omnes tam districtuales quàm Cives, quibuscumque modis laboraverunt quærere viam pacis, sicque finaliter actum est, quòd divina largiente clementia parentes de novo, & matrimoniis intervenientibus, tam districtuales, quàm Cives pacis fœdera inierunt. Qua ex causa dicti Capitanei cum toto exercitu in pace & quiete civitatem rexerunt. Verùm quum quidam Vintimilienses vellent in civitate illa discordias suscitare, prædicti Capitanei ad Occidentalem Riperiam nobilem virum Balianum Auriæ decenti comitiva militum sociatum eorum transmisere Vicarium, qui civitatem ipsam adveniens pacificavit Cives, ac statui pacifico civitatis illius & tranquillo providit. Factum est autem, dum rediret, quòd ad partes Almæ secretè secederet, intendens expellere inde latrones & homines diversos, quos ibi inhabitare audierat, accedensque, fugatis inhabitantibus, castrum ipsum & villam Almæ fecit devastari & dirui.

Anno Domini MCCLXXI. dicti Capitanei Populi voluntate ordinavere ad regimen civitatis eligere Potestatem. Factum est, quòd ele-

electo Accurso Lanzanigra Alexandrino Cive, de mense Aprilis vênit ad regimen civitatis, recturus tamquam Potestas, Capitulis civitatis Januæ, & rationis regulis observatis, salvis tamen dictorum Capitaneorum mandatis, quæ omnibus statutis & legibus tenebantur præferre. Et ipse, non obstantibus legibus aliquibus, præcisè observare juravit, stetitque in jam dicto regimine per sex menses. Sanè quum non esset Populo favorabilis, & sinistra de eo suspicio haberetur, accidit, quòd Bononienses ipsum in Capitaneum elegerunt, & impetratâ licentiâ properavit Bononiam. Dicti verò Capitanei civitatem rexerunt. Eodem etiam anno quadragesimali tempore Philippo Francorum Rege, & Carolo Rege Siciliæ in Viterbio moram trahentibus, cum Henrico de Alemannia, & aliis Baronibus quampluribus, ad Cardinales congregatos pro Summi Pontificis electione facienda accesserunt, ipsosque instanter rogaverunt, quòd tali Christi Vicario Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ providere curarent, qui Deo esset acceptabilis, & Christi Ecclesiæ, & Christiano Populo fructuosus. Quum autem Cardinales in electione Summi Pontificis morarentur, videntes Reges & Barones se nihil proficere, reversi sunt in regiones eorum. Carolus Rex in Apuliam, & Philippus Francorum Rex cum Baronibus ceteris per Thusciam & Lombardiam itinerans in Franciam est reversus. Eodem anno Dominus Ansusus Comes Pictaviæ & Tholosæ, Regis Francorum frater, quum esset Neapoli, repatriare intendens, ascendit unà cum uxore sua, quæ fuerat filia Comitis Tholosæ & heres, galêas, ac per mare nostrum transiens, nolens Januensem civitatem intrare, in S. Petri de Arena plazia declinavit, ibique infirmitate oppressus diem clausit extremum, cujus milites, carne cum interioribus in Cathedrali sepultis Ecclesia, & celebratis ipsius exequiis, in Franciam deportaverunt ossa. Uxor autem ipsius sequenti die morte subitanea decessit, ita quòd plerique dicerent ipsam veneno periisse. Eodem etiam anno Dominus Tedaldus Archidiaconus Leodiensis, origine Placentinus in Summum Pontificem fuit electus, & vocatus est Gregorius X. Eodem quoque anno plures de progenie Grimaldorum, & alii Nobiles quamplures eisdem adhærentes Grimaldis, in confinibus sunt transmissi ad regiones diversas, in quibus mensibus quampluribus permanerent.

Anno Domini MCCLXXII. plura notatu digna & varia evenerunt. Dominus enim Odoardus primævus Regis Angliæ filius, qui in partibus transmarinis erat, & in Acone moram trahebat, à quodam assassino, quem Soldanus Babyloniæ proditoriè miserat ut interficeret eum, stricto gladio percussus & vulneratus fuit. Qui Dominus Odoardus erigens se, pugillo assassinum percutiens, uno ictu interemit. Ipse autem Dominus Odoardus à probis hominibus, qui ad curam & medelam ejus cucurrerunt, divino favente Numine, salvus factus est, & à dictis sanatus vulneribus. In illo anno, Romana Curia existente in Urbe, quum ibi essent Dominus Ottobonus tunc S. Adriani titulo Cardinalis, Albertus de Flisco frater ejus, & alii quamplures Capitaneorum Januæ, & partis adhærentis eisdem æmuli, miserunt confiniatis, scilicet Grimaldis & aliis, quòd egressi de confinibus ad Romanam Curiam properarent. Sicque factum est, quòd confiniati exiverant confines, & ad Curiam prædictam personaliter accesserunt. Quumque ibi esset Rex Carolus, in tantum ipsum exhortationibus & pollicitationibus animarunt, quòd tam Cardinalis, quàm alii pacta & confœderationes firmaverunt cum eo. Quum enim Januensis civitas semper ab ipsius initiis mera decorata fuerit Libertate, nec sub alicujus Regis & Principis adstricta imperio, inducentes Regem Carolum, ut Januensibus guerram indiceret, sic ut ipsius favore & auxilio civitatem ipsam intrare violenter possent, & ipsius dominium obtinere, eisdem pactis intervenientibus, polliciti sunt plura & talia se facturos, quæ in ipsius civitatis redundabant perniciē, & per quæ amissa pristina Libertate obstringebatur ad tempus dominio dicti Regis. Hæc autem acta fuerunt in Romana Curia, ignorantibus penitùs Ambasciatoribus Januæ, qui in dicta & dicti Regis Curia existebant, quodque etiam ignoraverunt Mercatores Januenses, qui quasi infiniti in districtu ipsius Regis & per totam Siciliam mercabantur. Eodem verò anno mense Augusti Grimaldi cum quibusdam eis adhærentibus duo occupavere castra, unum nomine Stella, quod ipsorum est Grimaldorum, aliud verò Delphini, quod Communis est proprium. Quo audito missus est vir nobilis Nicolaus Auriæ quondam Manuelis cum societate decenti, & homines Potestatiæ partis Occidentis à Naulo citra, ad debellanda dicta castra, & reducenda ad dominium Communis. Qui quum ad dicta castra cum suo accessisset exercitu, cœpit castrum Stellæ viriliter expugnare. Grimaldi verò, & sequaces non valentes sustinere impetus, castra cum sequacibus reliquere prædicta: quod quidem fuit XI. mensis prædicti. Recuperatis verò castris prædictis castrum Stellæ dirui fecit. Sanè ibi captus fuit quidam de Portu-Mauritio Sifredus nomine, qui sequebatur Grimaldos; qui pacta, quæ facta fuerant inter Regem Carolum ex una parte, & Dominum Ottobonum tunc Cardinalem, & fratres, & Grimaldos, & ceteros adhærentes eisdem ex altera, Capitaneis & aliis Januensibus revelavit.

Eodem anno & tempore Albertus de Flisco dicti Cardinalis frater, & quidam nomine Manuel dicti Alberti filius, obedire dictis Capitaneis & Communi Januæ recusabant. Quumque tenerent castrum Goani, Castrum-novum, & Caranciam districtualibus Communis, & maximè habitantibus in Sigestro & circumstantiis, tamquam rebelles & inimici offensiones quasi quotidie inferebant. Unde factum est, quòd nobilis vir Dominus Obertus Auriæ, Capitaneus Populi & Communis, movens cum quibusdam compagniis & Januensi militia, mense Septembris ad Castrum-novum accessit. Quumque vallasset castrum, & se ad expugnationem ipsius pararet, homines dicti castri pugnam expectare timentes, nocte illa succenso castro dorsa verterunt in fugam, & se se ad castrum reduxere Goanum. Mane autem facto Capitaneus castrum succensum aspiciens, ad ignis extinctionem intendit, quo extincto castrum munivit, & incontinenti Groppum & Caranciam Nuntios destinavit. Ipsorum verò locorum homines ea die ad ipsius Capitanei mandata venerunt. Quibus peractis Capitaneus cum suo exercitu in die tertia triumphans intravit. In dicto quippe anno mense Decembris quidam nobilis Janellus, Advocatus nomi-

mine, qui parti Grimaldorum favebat, associatis quibusdam districtualibus, & Communis Januæ rebellibus parti adhærentibus Grimaldorum; & quibus cognomen adscribitur de Brunengis, villam & castrum Apricalis intravit, & hoc proditoriè tractantibus & facientibus quibusdam ex habitantibus dicti castri. Qua ex causa Januæ Capitanei communicato consilio amicorum duos creaverunt Vicarios, scilicet Viros Nobiles Ansaldum Balbum, quem ad partes Orientales, & Obertum Sardenam, quem ad partes Occidentales miserunt Vicarios. Rebus autem sic se habentibus, Dominus Ottobonus tunc Cardinalis, & alii de cognatione sua, Grimaldi, & alii adhærentes prædictis, & qui tamquam rebelles Januensem civitatem exiverant, offensionem Januensium procurabant. Existentibus quoque Communis Januæ Ambasciatoribus in Regis Caroli Curia, ac ignorantibus Januensibus tractatum & pacta, quæ cum ipso Rege habuerant, una die nulla diffidatione præmissa, ex mandato Regis Januenses omnes, qui erant in Sicilia in personis & rebus capti sunt & detenti. Et quum per totum ipsius Regnum similiter caperentur, Regis jussio emanavit. Accidit autem tunc, quòd duæ naves Januensium, in quibus mercationes erant pretiosæ & magni valoris, & quamplures mercatores, declinaverunt ad portum Maltæ, quod quum fuisset Vicario Siciliæ nuntiatum, armato propterea Ligno ad castellum Maltæ nuntium destinavit, injungendo eidem, quòd qualitercumque posset ad naves cum hominibus capiendas modis omnibus daret curam. Die verò Natalis Domini prædicto nuntio cum literis adveniente, Castellanus calliditate proditoria cogitavit habere naves jam dictas, ac misit ad naves Nuntios, qui ex parte Castellani ipsius Capitaneos salutarunt, ac ipsos invitarunt ad festum, & in crastinum. Januenses verò timuerunt, ac habito simul consilio, Castellani festum & prandium recusarunt, excusantes se & Nuntiis gratias referentes. Cui Castellano relatione facta, iteratò redierunt ad naves invitando cum ceteris Capitaneos, ac eisdem ex parte Castellani fiduciam pollicendo. Quumque in crastino Capitanei cum quibusdam aliis naves descendissent, & gaudendi ac prandendi causâ cum Castellano ad castrum accederent, factum est quòd post introitum Capitaneorum portæ castri clausæ fuerunt & firmatæ; quibusdam verò exceptis, plures aufugerunt, & redierunt ad naves, quæ erant ad portum castri, ipsasque, non obstantibus Castellani prohibitione & resistētia de portu extraxerunt, & erectis velis & ventis faventibus, dimissis prædictis in castro captis, divina favente misericordia, ad partes Syriæ in paucis diebus pervenerunt. Quum autem in partibus Siciliæ mercandi causâ quamplures Januenses existerent, qui per ipsum Regnum cum ipsorum Lignis navigabilibus, & eorum mercationibus undique discurrebant, idem Vicarius Januenses omnes, mercesque eorum, res, & bona, & Ligna omnia, quæ potuit, capi fecit: quæ quidem omnia adhuc homines & Commune Januæ ignorabant. Anno etiam currente, Manfredus Marchio de Bosco Vassallus Communis cum hominibus de Tajolo cogitavit offendere Januenses, ac hominibus de ultra Jugum, Vulturis, & Pulciferæ insultus & offensiones facere. Erant enim ibi duo castra, quæ Januensium offensionibus intendebant. Qua ex causa ad illorum expugnationem castrorum vir nobilis Conradus Spinula Capitanei Spinulæ filius missus exstitit, qui cum hominibus & militibus de ultra Jugum festinavit ad locum, ac castra ipsa viriliter debellavit, quibus captis, diruptis funditus & destructis, cum triumphali gaudio repatriare curavit.

Anno quoque Domini MCCLXXIII. varia, pro ut notantur inferiùs, contigerunt. Dicto quoque currente anno non fuit Potestas in Janua. Dicti autem Nobiles viri Obertus Spinula, & Obertus Auriæ Capitanei Communis, Populi Januæ regimen assumserunt. Anno verò instante jam dicto Carolo Rege Thusciæ Vicarîam pro Romana obtinente Ecclesia, idem Rex, & ad ipsius mandatum Saluciarum Marchio, Alexandrini, ac Marchiones de Carretto ad offensiones Januensium intenderunt tam in Orientali Riparia, ac etiam ultra Jugum, in occursionibus, & insultus plures faciendo. Secunda enim die mensis Januarii Communis Januæ Ambasciatoribus ad hæc in dicti Regis Curia moram trahentibus, relatione veridica certificatum est, Cives Januenses in personis & rebus in toto Siciliæ Regno & Provinciæ captos fore, nulla diffidatione præmissa, nec concessa licentia recedendi. Quod quidem quamquam per dictum Regem contra conventionem & pacis fœdera factum foret, Commune tamen Januæ iniquitati noluit respondere; sed Provincialibus & districtualibus omnibus dicti Regis in rebus & personis libero recessu concesso, quadraginta dierum concessit inducias, voce tamen præconia nuntiando, quòd ab inde in antea in personis & rebus tamquam inimici Januensium caperentur. Districtuales quoque & omnes subditi & amici Regis guerram ex ipsius Regis mandato Januensibus indixere, Placentinis exceptis, qui ad hoc adduci nullo modo potuerunt: quod quidem dignum est memoriæ Januensium adnotare. Eodem autem anno mense Januarii quidam nobilis Januensis Guilelmus Ventus tunc inobediens Communi & rebellis, quum haberet castrum Mentonum nomine, tradidit eum Siniscalcho Provinciæ, intendens contra Commune Januæ Regi deservire jam dicto: qua ex causa pro Communi Januæ forestatus exstitit & bannitus. Eodem quoque anno Aucherius Vacha Capitanei Spinulæ socius in Riparia Occidentali transmissus castra quinque Comitis Henrichetti de Vintimilio & fratrum in Valle Uneliæ, & quibus nomen adscribitur, & quibus Rex Carolus dictos Comites spoliatos tenebat, recuperavit, & habuit, ac de ipsius Regis posse violenter extorsit. Dicto quoque labente anno die V. Februarii miles quidam, quem jam dictus Rex in Thuscia Vicarium ordinaverat, cum D. stipendiariis militibus per terras cujusdam ex forinsecis Nicolai de Flisco Comitis Lavaniæ nomine, patente transitu terram Communis Januæ de versùs Orientem intravit, incendendo villas & burgos, & usque ad castrum Ilicis devastando, jugulando etiam quos habere potuit homines, senibus nec etiam pueris exceptis, quorum facies nondum noverat pubertatem. Dictus autem Nicolaus plura tenebat castra. Habebat enim in posse Vezanum, Tivegnam, Spezam, Insulam, Carpenam, Manarolum, & Vesignam, & alia loca & castra quamplura. Quumque esset jam dicti Cardinalis frater,

ter, dicto Regi cum consortibus ceteris & aliis forinsecis adhærebat. Dicti namque Regis Vicarius ad flumen Vayræ cum suo accedens exercitu, castrum quoddam Communis Januæ Bozolum nomine violenter accepit, & Bruniatensem ingressus est civitatem. Dictus verò Nobilis Januensis, Ansaldus Balbus de Castro nomine, ad partes Orientales Vicarius destinatus, dicto Regio Vicario intendens resistere, & eidem & suo exercitui obviare, ad quædam castra Communis, Rivalta, Cazana, & Lacum nomine, cum quibusdam habitantibus Orientales partes accessit, & Regio Vicario se opponens, ne ultra supra Januensem terram progrederetur inhibuit. Dictus verò Regius Vicarius ultra non valens procedere, paucis elapsis diebus Sarzanam reversus est.

Rebus sic se habentibus, placuit Januensi Populo & Communi, quòd Capitaneus Auriæ cum decenti exercitu versùs Orientalem Riperiam contra Regium Vicarium properaret; factumque, quòd idem Capitaneus cum certa quantitate peditum ex militia Januensi VIII. Februarii dicti anni cum vexillis erectis Januensem exiens civitatem, Sigestrum perrexit. Ibique exspectans stipendiarios milites Papienses & pedites de ultra Jugum cum lanceis longis, pro quibus antea missum exstiterat ut venirent, diebus aliquantulis traxit moram. Tunc enim galêæ numero XIV. armatæ fuere, quarum erat Armiragius quidam Nobilis Januæ Squarciaficus, qui cum dictarum galêarum stolo portum exiens Januensem, Portum Veneris pervênit navigio, ibique dum moram traherent, exspectando jam dicti Capitanei jussionem, de quibusdam galêis per mare illud transitum facientibus insonuere rumores. Erant enim galêæ VIII. Provincialium, & de Provincia venientes, Lucensium, & aliorum de Thuscia oneratæ torsellis. Quo audito Admiratus jam dictus cum galêis suis Portum Veneris exiens, velociter fuit galêas Provincialium insequutus; quæ remis ac velis auxiliantibus fugientes portum intravere Pisanum, ibique manus Januensium evaserunt, unâ tamen exceptâ, quam de portu Pisano extrahens expugnavit, & cepit: quam quum Januam transmisisset, sibi restitui requisiverunt Pisani, eo quòd in eorum portu capta fuerat. Januenses verò super hoc veritate cognita, ipsis Pisanis galêam restituêre prædictam. Dictus verò Admiratus cùm rediisset Portum Venerem, ac ibi cum jam dicto galêarum stolo moraretur, tres galêas armatas ad quoddam castrum jam dicti Nicolaî de Flisco, Manarola nuncupatum, expugnandum transmisit. Quò quum perrexissent galêæ ipsius, debellaverunt castrum, ac ceperunt viriliter pugnantes. His autem peractis jam dictus Auria, advenientibus stipendiariis militibus de Papia, & peditibus de ultra Jugum cum lanceis longis, diebus pluribus expectatis, movens cum toto exercitu de Sigestro pervênit Corvariam, ibique diei noctisque spatio morâ tractâ, vexillis erectis castrum Spediæ applicuit, quod cum suo invadens exercitu XXIV. Martii dicti anni expugnando viriliter debellavit & cepit, ac ipsum captum fecit dirui & igne succendi. Sequenti verò die dum cum suo exercitu castrum properaret Vezani, castri ipsius homines incontinenti ad ipsius Capitanei mandata venere; quumque de ipsius Capitanei & exercitu suo in partibus illis rumores insonuissent, castra quamplura, scilicet castrum Insulæ, castrum Vesignæ, castrum Pulverariæ, castrum Beverini, & alia quamplura loca & castra ea die jam dictus Capitaneus sub Januensi jurisdictione redegit. Quorum locorum & castrorum homines ad mandata dicti Capitanei dum venissent, ac ipsius Communis & Populi jurassent observare mandata, idem Capitaneus cum suo movens exercitu juxta flumen Vayræ Bruniatensem civitatem pervênit; homines enim civitatis ipsius anteà ad ipsius Capitanei mandata devenerant. Ipso autem Capitaneo in dictis partibus cum suo exercitu existente, castrum Bozoli, quod ab inimicis captum fuerat, recuperavit & habuit, ac ipsum fecit dirui & vastari. Quibus peractis, stipendiariis militibus in castro Vezani cum certa peditum quantitate dimissis, idem Capitaneus triumphans repatriare curavit, ac in Ramis Palmarum Januam est ingressus.

Existente autem in Riperia Orientali dicto Nobili, Ansaldo Balbo nomine, Capitaneorum Communis Populi Januensis Vicario, ac cum ipso quampluribus de ipsa Vicarîa hominibus, necnon stipendiariis militibus & peditibus, quos jam dictus Capitaneus apud Vezanum dimiserat, Regius Vicarius cum suo exercitu in Trebiani planitiem se reduxit, ibique castrametatus per binos menses traxit moram. Ipso autem Regio Vicario cum exercitu suo sic manente, ac in offensione Januensium territorii & districtualium totis viribus intendente, exercitus Januensis Vicarius non dormiens vicem Regio Vicario, & suo exercitui reddere procuravit pro posse. Sicque factum est, quòd se se offendebant ad invicem, simul quasi quotidie prœliantes. In exercitu verò Regii Vicarii erant Lucenses & alii de Thuscia in quantitate non modica; & quum ad invicem quasi quotidie offensiones inferrentur, Regius demum exercitus exstitit divisione dispersus. Videntes autem homines civitatis Lucanæ, quòd facta Regis non prosperè procedebant, doluerunt, timentes, ne cum eorum mercationibus possent, ut consueverant, in Janua conversari. Qua ex causa quamplures Ambasciatores solemnes ad civitatem Januæ miserunt, qui excusationes de adventu, quem cum Regio Vicario fecerant, in Januensi Consilio allegarunt, multa dicentes promittendo, ac veniam postulantes. Capitanei verò Communis, & Populi Januensis, ac ipse Populus, & Commune, licèt excusationes Lucensium frivolas reputarent, tamen dissimulantes offensiones, ipsos receperunt benignè, & veniam tribuerunt utendi cum eorum mercationibus in civitate & districtu Januensi, sicut consueverant. Simili modo ex aliis diversis Thusciæ partibus ad civitatem Januæ Ambasciatores venerunt, similiter se excusantes, quos pariter Commune cepit benignè, & offensas dissimulans, ut dictum est de Lucensibus, eisdem veniam postulatam concessit. His autem existentibus rebus Ambasciatores quamplures ex diversis locis & civitatibus regionis Thuscorum, & specialiter Lucæ & Florentiæ, & aliorum diversorum locorum Januam accesserunt dicentes & dolentes de eo, quod inter Carolum Regem Siciliæ, & Dominum Ottobonum tunc Cardinalem, & alios, qui Januensem civitatem exiverant ex parte una, & Commune Januæ ex altera, factum fuerat de guerra & discordia, & quòd ad pacem

cem tractandam missi erant. Capitanei verò, Populus, & Commune attendentes fieri calliditate subdola, quæ fiebant, petitionibus ipsorum acquiescere noluerunt; sed nihil reportantes, sicut venerant recesserunt. Dicto quoque anno mense Martii quum Obertus Sardena Orientalis Riperiæ Vicariam gereret, Januam rediit pro Potestate super Januensibus iturus in imperio Romaniæ, cui Obertus Spinula, Capitanei sobrinus, in jam dicta Vicaria successit.

Eodem quoque anno instante mense Madii Sinifcalchus Provinciæ de versùs Occidentem intravit Januensem Riperiam ex vi, & quum Roccabrunæ castrum circumdedisset vallo, Castellanus, cui fuerat commissa dicti castelli custodia pro Communi, sui proditor, & Communis, in ipsius Sinifcalchi manibus proditoriè tradidit dictum castrum: qua ex causa per jam dictum Vicarium morti traditus capitalem reportavit sententiam. Dictus verò Sinifcalchus ultra procedens, quum castrum penè Vintimilii obsedisset, homines dicti castri per se resistere non valentes, in Sinifcalchi posse castrum prædictum, quum nullam de succursu spem gererent, reddidere. Eodem etiam anno currente Lanfrancus Malocellus Junior, qui tamquam rebellis cum aliis Januensem exiverat civitatem, in tantum institit Senescalcho in Lombardia pro Rege Carolo constituto, quòd ipse Senescalchus cum CCC. militibus intravit territorium Savonense, ante ipsam cum suis militibus veniens civitatem; ex pollicitatione enim Lanfranchini jam dicti ipsam sperabat illico ingredi civitatem, nemine in contrarium se opponente. Savonenses tamen se se viriliter defenderunt & civitatem suam. Quare Sinifcalchus jam dictus agnoscens se dicti Lanfranchini esse pollicitatione delusum, unde venerat rediens cum suo exercitu, Savonensem exercitum reliquit. Sanè quum dicti Sinifcalchi adventus nuntiatus fuisset in Janua, eodem die Capitaneus Communi & Populo Januensi congregato, confestim celebrato Consilio exstitit ordinatum, quòd duarum compagniarum homines castri & burgi, & Jacobus Auriæ Capitanei frater, & Potestas Vulturis cum D. suæ Potestatiæ bellicosis hominibus Savonam celeriter properarent, ibidem pro ipsius civitatis defensione mansuri, quamdiu dictus Sinifcalchus in illis partibus moraretur. Qui omnes exsequentes quod injunctum fuerat, perrexerunt Savonam. Quidam ex eis, nempe Potestas Vulturis cum suæ Potestatiæ hominibus circa mediam noctem Savonam pervênit navigio. Alii verò ante tertiam accessere ad locum, ita quòd ante tertiam tria millia hominum Januensium inventi sunt in Savona pro defensione civitatis ejusdem: qua ex causa Savonenses de tam festino successu stupefacti admirati sunt vehementer. Prædicti autem quum ibidem moram triduanam traxissent, & nova undique de inimicis concurrerent, omnes Januam reversi sunt, centum de ditioribus & melioribus exceptis, qui ibidem per mensem pro dictæ civitatis custodia remanserunt. Eodemque anno mense Madii Obertus Auriæ Capitaneus comparato exercitu & instrumentis necessariis pro debellatione quorumdam castrorum versùs Orientales partes, equitans ad offensionem castri Carpenæ properabat. Quo quidem pluribus observato diebus, homines castri cum Regio Vicario & Nicolao Flisco Lavaniæ Comite, qui cum magna militum quantitate morabantur Sarzanæ, quum nequirent quem sperabant habere succursum, jam dictum castrum in posse dicti Capitanei tradidere: quo habito & munito hilari reditu civitatem Januensem intravit.

Dicto quoque anno mense Junii Occidentalis Riperiæ Vicarius Obertus Spinula, sobrinus Capitanei Januensis, ad castri Apricalis debellationem cum magno, quem propterea paraverat, exercitu devênit, ipsumque sic obsessum in tantum arctavit castrum, quòd ipsius hominibus pro capessenda aqua non patebat accessus. Qui nulla spe habita de succursu, se se & castrum ipsum in dicti Vicarii manibus reddidere. Sanè quum dicti castri obsessio Senescalchi in Lombardia pro Rege Carolo constituti pervenisset ad notitiam, ad prædictum succurrendum paravit exercitum, habens secum Marchiones Cevæ & de Carretto, excepto Manfredo, qui ad partes secedens Savonæ ante ipsam civitatem castrametatus erat; credebat enim castri Apricalis obsidonem tunc propterea removere. Verumtamen nihil ei profuit quod sperabat; dictus enim Vicarius Nuntios Capitaneorum monitis & literis habuit in mandatis, ne dicti Sinifcalchi timore separaret à dicti castri obsidione, quia de festino & celeri eidem provideretur succursu: Et jam se non movit ab obsidione prædicta, sed habuit, ut diximus, dictum castrum; verùm confestim quum Senescalchus jam dictus ante civitatem Savonam advênit, plena fuit inde adjutoribus civitas Januensis. Quare Capitaneus ejusdem Populi & Communis incontinenti Babilanum Auriæ Vicarium ex deliberatione Consilii transmisit, qui cum quibusdam compagniis Januæ, & cum tota Januensi militia equitans, Arenzanum pervênit, ibique penetrans illucescente die festinavit Savonam: Qui quum appropinquasset per milliare vel circa, plurium relatione cognovit, Senescalchum prædictum eadem die de dictis partibus cum suo exercitu recessisse. Dictus verò Vicarius gradiens velociùs, intravit Savonam, & post dictum Senescalchum equitans, ipsum usque ad montes fuit cum Januensi militia insequutus. Sanè Senescalchus ipse cum suo exercitu jam montes ascenderat itinerans per vias suas. Quare dictus Vicarius Savonam rediens, paucis elapsis diebus, cum suo exercitu repatriare curavit. Prædicto etiam anno milites & pedites stipendiarii, qui apud Vezanum pro Communi Januæ tam pro inimicorum offensione, quàm etiam pro dicti castri custodia morabantur, audientes multitudinem militum & peditum de diversis partibus Thusciæ, & specialiter Lucæ, Florentiæ, Pistorii, & Aretii civitatibus Sarzanam cum Regio Vicario advenisse, trepidaverunt tremore, adeò quòd quidam ex ipsis derelicto loco usque Clavarum devenerunt. Quo audito Obertus Spinula Capitaneus Communis & Populi Januensis, cum quibusdam hominibus de compagniis & cum Januensi militia festino & celeri gradu equitans petiit partes illas, & divertens Corvariam, ibidem diebus permansit aliquibus; habitoque ibi consilio quantitatem militum balistariorum & peditum ad expugnandum castrum Goani transmisit. Dictum enim castrum pro quodam nobile Alberto de Flisco Comite Lavaniæ, qui cum aliis extrinsecis Januensem exie-

exierat civitatem, Regi Carolo adhærendo, tenebatur munitum. Dicti namque milites, balistarii, & pedites accedentes ad castrum, ipsum ceperunt; quo habito, & per homines Januæ munito, Regius Vicarius, qui apud Mansanam cum suo morabatur exercitu, videns quòd nihil proficere poterat, sed potiùs sumtibus infructuosis ac laboribus suum vexari exercitum, Sarzanam exiens, Thusciam cum suo exercitu remeavit. Dictus verò Capitaneus gradu rediens hilari, omnes de ipsius prosperis successibus exultarunt (2).

Eodem quippe anno castra quædam in dictis partibus posita, scilicet Beverini, Pulverariæ, & Vesignæ, quæ Obertus Auriæ Capitaneus ceperat, Capitaneorum mandato dirupta funditus & evulsa fuere. In dicto namque anno Conradus de Bosco intendens offendere Januenses, castrum Talioli ultra Jugum positum in alio, quem tenebat à principio, loco construi jussit: ipse namque, & Ricardus, & Leo Marchiones de Bosco, quum essent Vassalli Communis, & eidem fidelitatem jurassent, fide rupta & fidelitate omissa, Regi Carolo adhæserunt, ac contra Commune Januæ eidem fidelitatem juraverunt de terris, quas à Communi Januæ tenebant in feudum; & sic eas amiserunt de jure. Dictus igitur Conradus de Bosco cum Alexandrinis, & Marchionibus ceteris, & eorum hominibus Januenses offendebant pro posse. In homines enim de ultra Jugum, & Potestatiarum Vulturis & Pulciferæ semper irruebant, faciendo in ipsos quasi quotidie impetus & insultus. Qua ex causa Capitanei Communis & Populi Januæ virum Nobilem Ægidium de Nigro ultra Jugum eorum Vicarium transmisere. Quo facto accidit, quòd quum milites de Orientali Riperia redirent ad propria, secretò fuit à Capitaneis intimatum eis, ut in Gavio è locis circumstantibus aliquantulum morarentur, ac dictum Vicarium sequerentur. Fuit etiam ex tunc præceptum, quòd Jacobus Auriæ Vulturis Potestas cum suæ Potestatiæ Pulciferæ hominibus pergeret ad castrum Elmæ, ibique cum jam dicto Vicario & hominibus de ultra Jugum, ac stipendiariis militibus conveniret, iturus cum eis ad debellationem castri Tajoli, & dispersionem dictorum jam Marchionum de Bosco; missique fuerunt cum ipso C. balistarii de Potestatia Bisamnis. Qui Potestas Vulturis movens cum exercitu, die eadem ad castrum Elmæ pervênit; inventisque ibi dicto Vicario, Castellanis Gavii, & Parodi, militibus stipendiariis, & omnibus ultra Jugum peditibus, omnes prædicti saniori consilio affirmaverunt, quòd sequenti illucescente die ad expugnationem castri Tajoli jam dictus Vicarius cum toto festinaret exercitu. Factumque est, dum essent in via, & appropinquarent castrum, ecce Nuntius Thomæ Marchionis Malaspinæ deferens sigillum ipsius Marchionis occurrit eidem, & referens ex parte Marchionis jam dicti, quòd celeri gradu ad Wadam capiendam accederent. Erat Wada pro dimidia dicti Marchionis, eique ex successione matris pervenerat. Dictus verò Vicarius de Nuntii relatione gaudens, habito consilio suum ordinavit exercitum. Erat quippe magnus exercitus. Dictus igitur Vicarius animosè vexillis erectis, equitans ante portam Wadæ, quæ est subtus castrum posita, cum toto pervênit exercitu. Erat quidem dictum castrum dicti Thomæ, & per ipsum tenebatur munitum. Dictus verò Thomas dicti Vicarii adventum intelligens, protinus extra portam occurrit eidem, ipsoque alloquuto, portam aperiri jussit, ut ipsi Vicario & suo exercitui pateret ingressus, qua aperta jam dictus Vicarius in manu forti die XXIII. dicti mensis intravit Wadam, quod factum Richardus & Leo Marchiones de Bosco videntes, per aliam portam de versùs mercatum dorsum in fugam verterunt, quos fugantes milites stipendiarii, & insequentes ceperunt, ipsosque in fortiam Communis consignarunt; quumque Januam ducti essent, & carceribus mancipati, jam dictus Richardus diem in ipsis carceribus clausit extremum. Captâ verò Wadâ Conradus prædictus in castro se reducens Tajoli, jam dictum Vicarium cum suo præstolabatur exercitu; & sic prædictis de causis Commune Januæ terram, quam in feudum à Communi Januæ ille tenebat, sibi vindicavit. Eadem autem die Thomas jam dictus cum quantitate balistariorum & militum ad castrum Moribelli, quod suum erat pro dimidia, equitans, castrum ipsum & ipsius loci homines sub jurisdictione Communis Januæ, & ad ipsius mandata reduxit. Sequenti verò adveniente die homines dicti loci, & de melioribus Wadæ venerunt, ibique Communis Januæ mandata jurarunt. Tertia verò die homines de Campis, de Rusiliono, & Maxono, Wadam similiter perrexerunt, ac mandata Communis Januæ juravere. Dictis verò diebus elapsis quum homines de Tajolo & Usecio rebelles existerent, & in sua pertinacia morarentur, ad expugnationem & debellationem castri jam dictus festinavit exercitus, ac ipsum oppressit prœliis tota ipsa die usque vesperas, insultus plurimos faciendo in ipsum, ac ipsum continuè prœliando. Sero autem adveniente separavit se jam dictus exercitus, & vênit Wadam. Homines verò de Potestatiis jam dictis, offensi pluries ab hominibus dicti castri, & per totam noctem ad lumen candelarum laborantes in construendo ædificia & machinas, ad ipsius castri debellationem, cum toto jam dicto exercitu redierunt. Conradus verò Marchio pro succursu Alexandriam properaverat. Castellanus verò, qui pro dicto Conrado ad ipsius castri custodiam remanserat, videns exercitum redeuntem & machinas ad expugnandum paratas, timore perterritus, impetrata securitate personarum & rerum, in manibus dicti Jacobi Auriæ Potestatis Vulturi reddidit dictum castrum, qui illud munivit, ac jussit pro Communi Januæ custodiri. Quo facto dictus Vicarius cum toto suo exercitu versùs castrum Usecii equitavit. Homines verò dicti castri dictum videntes exercitum, ac timentes, se se, & dictum castrum in manibus dicti Vicarii reddidere. Quo habito ipse Vicarius & exercitus universus rediit Wadam. Sequenti verò die Januam redierunt cum gaudio triumphantes. Jam dicto etiam instante anno mense Decembris quum jam dictus Obertus Spinula Vicarius esset Occidentalis Riperiæ, Antonius Balbus, qui Januam redierat, cum parato festinavit exercitu ad terras de Ulmea, & de Cruxi, & de Pronasi, quæ terræ omnes pro Rege Carolo

(2) *fort.* exhilaravit.

lo tenebantur, eas expugnans, licèt laboriosè propter hyemis duritiem. Tamen sub Communis Januæ dominio & jurisdictione redegit: quorum locorum hominibus mandato Communis Januæ constitutâ custodiâ, idem Vicarius gaudens Januam rediit & triumphans.

Currentibus quoque annis MCCLXXIV. & existentibus Marchione Montisferrati, & Ambasciatoribus Communis Januæ, & Communis Astensis in civitate Papiæ inter ipsum Marchionem & Ambasciatores dictarum civitatum nomine dictorum Communium, & Papiensem civitatem contra Regem Carolum & sequaces tractata fuit societas, certis pactionibus intervenientibus & firmata, in quibus Commune Januæ præcipuum in facienda pace ad libitum, ac in aliis quibusdam locum habuit. Jam dicto etiam currente anno castrum quoddam, Lombardum nomine in Corsica, ubi dicitur Ayacio, constructum à Januensibus & munitum, per galêas mandato Regis Caroli armatas in Provincia captum fuit. Quo audito Commune Januæ galêas XXII. armari fecit pro galêis Provincialium persequendis. In galêis autem Januensium constitutus fuit quidam Civis nomine Lanfrancus Pignatarius Admiratus, qui cum dictis movens galêis pervênit in Corsicam, galêas Provincialium persequendo. Quumque ipsas non invenisset, versùs Siciliam cum suo stolio galêarum properavit, & portum intrans Trapenæ Ligna & omnia, quæ in ipso erant portu, igne succendi jussit, ac ipsi civitati Trapenæ inferendo damna plurima, ipsam per mare undique expugnavit. Exinde autem ad Insulam Maltæ properans, Gaudium depopulavit, & rediens in Siciliam ibi plura cepit Ligna, tenendo sic illius Regni mare infestum, ut aliqua ipsius Regis Ligna apparere non audebant. Properans autem Neapolim, ubi ipse Rex Carolus morabatur, galêis insimul omnibus in ipso mari existentibus, & appropinquantibus prope terram in conspectu dicti Regis, homines ipsarum galêarum exclamantes, laudem Communis Januæ alta voce elevaverunt. Et jussit Admiratus, galêas omnes per ipsum mare seriatim unam post aliam remigare; cujus observato mandato ipsarum galêarum homines insignia Regia & Vexilla submergebant in mare, ac in ipsius Regis contemtum: quo quidem magno temporis spatio observato, separans se cum galêis omnibus, versùs Januam gressus suos direxit. Quum autem versùs Januam properaret, Ligna quamplura hominum Regni ipsius Regis cepit, & portum intrans Januæ cum galêis omnibus Ligna & bona quamplura hominum dicti Regis, & quamplures ipsius Regis homines captivos adduxit. Eodem quoque anno Vir nobilis Ansaldus de Spinulis Luxius missus Vicarius pro Communi Januæ in Riperia Occidentali, magnum ibi congregavit exercitum, cum quo mense Madii ad Vintimilium accedens, ipsum debellavit, & vicit, ac totam ipsius terram recuperavit. Tenebatur enim pro Rege Carolo, qui ipsam à dicti Comitis Consortibus titulo emtionis habuerat, & pro ipso tenebatur munita. Quibus recuperatis & habitis, exstiterunt dicto Comiti & fratribus restituta. Quibus peractis cum dicto se movens exercitu, ad castrum Mentonum pervênit. Erat autem castrum illud Guilelmi Venti, qui bannitus cum aliis extrinsecis civitatem exiens Regi Carolo adhærebat, in cujus posse ipsum

tradiderat castrum. Quumque ad castrum ipsum dictus Vicarius cum suo accessisset exercitu, ipsum cum ædificiis, trabuchis, & machinis viriliter expugnare cœpit. Quo audito Siniscalchus Provinciæ festino gradu cum magna quantitate militum & peditum pro dicti castri subsidio equitavit; quumque pervenisset ad locum, jam dictus Vicarius cum suo exercitu dorsa vertens declinavit de bello, in qua Vicarii & exercitus fuga quamplures ex Januensium exercitu tam calore quàm fatigatione fugæ perierunt. Quumque Capitaneis Communis Januæ forent quæ evenerant enuntiata, Nicolaum Auriæ Capitanei fratrem pro tanti reparatione conflictus, & Riperiæ subsidio, in ipsam Occidentalem Riperiam transmiserunt. Galêæ etiam in Janua armatæ fuerunt, quas Obertus Auriæ Capitaneus ascendens partes visitavit easdem. Deinde cum dictarum Galêarum stolio pro inimicorum offensione intravit Provinciam; & quum ad Insulam Arearum pervenisset, Nuntium recepit & literas ex parte Communis Januæ, ut Januam celeriter rediret propter armamentum XL. galêarum Regis Caroli, quæ armatæ fuerant contra Januenses in Regno. Qui Capitaneus hoc audito quamcitò repatriavit. Post autem reditum suum galêæ Regis ante portum Januæ accessere, in quibus Franchinus de Grimaldis existebat, & etiam quamplures alii Januenses. Capitanei verò Januæ incontinenti armari fecerunt omnes, quas potuerunt habere galêas, & quæ potuerunt in Janua reperiri, quas jam dictus Obertus Auriæ Capitaneus festinanter ascendit, ac cum ipso copiosa hominum multitudo. Advesperascente autem die galêæ Regis erectis velis versùs Provinciam perrexerunt. Post autem aliquot dies versùs Regnum per pelagus redeuntes, ad Portum Veneris diverterunt, Insulamque in mari positam ante portum ipsum incendio concremarunt, ubi moram diei unius trahentes, ac de ipsis partibus secedentes redierunt in Regno. Prædicto etiam currente anno mense Aprili CCC. Aragones milites, quos Rex Castellæ in Lombardiam mittebat, in Januensium adducti navibus Januam applicuerunt. Deinde versùs Lombardiam euntes, ad Marchionem Montisferrati habuerunt accessum. Dicto etiam instante anno die XXVI. Septembris felicis memoriæ Gualterius Archiepiscopus Januensis genere nobilis, ornatus moribus, & vitæ sinceritate laudandus, Deoque & hominibus cordis puritate amabilis, soluto carnis debito migravit ad Dominum. Eodem quoque anno Gregorius Papa X. per certas Lombardiæ partes equitans Lusanam civitatem, & Lugdunum pervênit, ibique congregata multitudine Prælatorum, & celebrato Concilio, quamplures promulgavit constitutiones; eodemque anno civitatem Januæ Apostolico supposuit interdicto, hoc procurante Domino Ottobono Cardinali, dicente, Commune Januæ ipsius Ottoboni possessiones quasdam occupatas tenere.

Currentibus verò annis Domini MCCLXXV. existentibus Capitaneis Communis & Populi Januæ viris honorabilibus Oberto Spinula, & Oberto Auriæ, Simon de Angona civitatis Januæ Potestatiam conscendit. In eodem etiam anno Rex Castellæ audiens Papam Gregorium apud Lugdunum, & Lusanam moram traxisse, & ibi celebrasse Concilium, movens se de partibus suis versùs partes illas personaliter equi-

tans ad partes Belicardi properavit. Quumque Capitanei Communis & Januensis Populi intellexissent Regis Castellæ adventum, volentes ipsum Regem honorare, per Ambasciatores solemnes ipsum visitare curaverunt.

Currentibus quoq; annis Dom. MCCLXXVI. dicti Capitanei Januensem civitatem rexerunt. Simon verò de Angona superiùs enuntiatus regimen Potestatiæ exercuit. Eodem verò anno quum Papa Gregorius exisset Lugdunum & Lusanam, in quibus Concilium celebraverat, divertit ad partes Belicardi, ubi cum Rege Castellæ convenerat, tum Romam repetens, Aretii civitatem divertit, ibique infirmitate oppressus migravit ad Dominum. Cui successit in sede quidam Cardinalis de Ordine Prædicatorum, & Burgundiensis origine, qui in Summum electus Pontificem Innocentius V. voluit nominari. Hic dilexit Capitaneos, Commune, & Populum Januensem; qui Capitanei, Commune, & Populus solemnes eidem Ambasciatores miserunt, scilicet Guidonem Spinulam, Babilanum Auriæ, Lanfrancum Pignatarium, & Johannem de Ugolino Jurisperitum. Qui ad Papalem pervenientes Curiam recepti sunt, honore eisdem non modico attributo; ipsisque Ambasciatoribus, ac Rege Carolo, Ottobono Cardinali, & aliis, qui Januensem civitatem exiverant, in ipsa Papali existentibus Curia, idem Summus Pontifex, habitis cum utraque parte colloquiis pluribus, ad componendum inter partes ipsas multipliciter laboravit. Finaliter tamen eidem favente divina gratia, eos omnes ad pacem reduxit. Idem verò Papa Innocentius quum infirmus jaceret in lecto, & gravi morbo languesceret, audiens firmatam fore pacem, quam diu inter dictas partes tractaverat, se inde repletum gaudio, & vehementer lætari indiciis demonstravit & signis. In auditu enim pacis, quæ ipsius fuerat auribus nuntiata, in lecto se erigens, quo cubabat, sedit, & sursum manibus elatis agens gratias Domino benedixit. Postea verò de ore ejus verbum ampliùs non prodiit, & transiens occubuit, ac obdormivit in Domino. Quumque Sedes vacaret Apostolica, jam dictus Ottobonus Cardinalis, qui in Januensi civitate ex illis de Flisco originem traxerat, cujus pater Thedisius de Flisco Comes Lavanię vocabatur,& qui Thedisius frater Papæ Innocentii IV. exstiterat, in Summum fuit electus Pontificem die XI. Julii, & vocatus fuit Papa Adrianus. Qui incontinenti post electionem ipsius, civitatem Januæ, quam Papa Gregorius ad ipsius requisitionem supposuerat Interdicto, absolvit, & ipsam ad divina restituit. Idem Papa Adrianus dignitatem Sacerdotii non attigit, sed trigesimaquinta die post electionem ipsius, & antequam Sacerdotii consecrationem reciperet, obdormiens in Domino viam est universæ carnis ingressus.

In jam dicto anno magna fuit penuria nedum in Janua & ejus districtu, sed etiam in Lombardia, Thuscia, Provincia, Francia, atque in Italia tota. Tanta enim fuit victualium inopia, quòd homines fame peribant. Quare urgente fame, & fructuum paupertate, magna mulierum & hominum quantitas cum eorum familiis fines Italiæ egressa est. Ex diversis quidem civitatibus & locis homines, mulieres, & parvuli undique concurrebant, qui fame consumti velut mortui apparebant. Qui plurimi ad Januensem civitatem recursum habuerunt, & quamquam Januensis civitas magna victualium laboraret inopia, tamen ad se confugientes non repulit; & oppressis fame compatiens manum aperuit, & panem suum & omnia necessaria eisdem exurientibus ministravit. Illo quippe anno & quasi toto sequenti aër infestus, & pestilens cœlum fuit, & morbus ita invaluit, quòd infinitas gentes in omnibus Italiæ partibus mors invasit. Eodem quoque anno quum per mortem Papæ Adriani Sedes vacaret Apostolica, quidam Cardinalis Petrus de Toleto natione Hispanus in Summum Pontificem fuit electus, ac vocatus Johannes XXI. Eodemque anno de mense Julii in occasu Solis terra tremuit, & terræmotus magnus invaluit. In ipso quoque anno quum per mortem Gualterii Archiepiscopi Ecclesia Januensis Pastore vacaret, quidam Clericus Parmensis Bernardus nomine, qui in Romana Curia morabatur, ad Archiepiscopatum Januensem fuit promotus, & Januam veniens die VI. Septembris, diademate & paramentis indutus, equitans civitatem intravit; cui honor tantus est attributus, quòd omnes Laici & Clerici occurrebant ei, unusquisque in suæ professionis habitu. Clerici verò Seculares paramentis ornati, bini ante ipsum psallentes divina Cantica, præibant. Ipse autem corona & paramentis ornatus per duos Nobiles viros præcedentes pedestres, qui frenum, in quo sedebat, equi tenebant, manibus ducebatur. Comitabantur verò ipsum Nobiles Januenses universi, qui sedentes in equis bini sequebantur eumdem. Sic autem incedens Januensem est ingressus Ecclesiam, quam oratione completa exiens, Archiepiscopale intravit Palatium. Ipse verò Archiepiscopus nec Communi fuit nec Populo gratiosus. Eodem verò anno quum interveniente pace superiùs memorata, & illis de Flisco, & Grimaldis, ac ceteris eorum adhærentibus, civitatis pateret ingressus, reconciliati ad civitatem restituti repatriare curarunt. factumque est, quòd eodem anno quidam ex eis, Nicolaus de Flisco nomine, Lavaniæ, & Palatinus Comes, Communi Januæ vendidit Vezanum, Carpenam, Insulam, Vesignam, Manarolam, Spediam, & Tiveniam, & alia castra, & loca quamplura, librarum XXV. millium pretio. Quod per commune Januæ & de ipsis pecuniis eidem Nicolao fuit integrè, certis assignatis terminis, persolutum, sicut Instrumentorum tenore de solutionibus ipsis, & de dicta solutione factorum apertiùs continetur. Quæ quidem Instrumenta omnia Domini nostri MCCLXXVI. labentibus annis, ac XXVII. Novembris instante, Benedictus de Fontanilio Notarius adnotavit. Eodem quoque anno apud Mogdulum in loco, qui dicitur Fontanella, Darsena incœpta fuit.

Anno verò currente MCCLXXVII. quidam Parmensis Legista, nomine Rogerius de Guidobobus, regimen Potestatiæ Januensis civitatis exercuit. Super ipsum autem & ceteros Magistratus ac Cives & districtuales omnes dicti Capitanei præsidebant. Eodem verò anno quadam die XX. Madii in Vigilia Ascensionis Domini quum Romanus Pontifex Johannes XXI. in sua resideret camera, corruit ædificium illius, cujus ruina eumdem Summum Pontificem oppressit, qui intra triduum migravit ad Dominum. Anno etiam ipso quamplures Nobiles Januenses illorum de Flisco & Grimaldorum, qui ex pace memorata superiùs exstiterant restituti, & quidam alii Nobiles civita-

vitatem egressi, banno fuerunt adscripti perpetuo. Inculpati enim de Capitanei & Populi turbatione, licèt citati ad purgationem venire, omissa defensione qualibet abiere. Quidam verò alii, qui suspecti & tanti criminis participes credebantur, confinati fuerunt, qui longo tempore observaverunt confines. Tamdem verò ab ipsis soluti confinibus, amicorum rogaminum interventu, repatriandi licentiam impetrarunt. Dicto instante anno Thomas Marchio Malaspina partem suam, scilicet dimidiam, quam in Ovada habebat, & plura alia loca & castra Communi vendidit librarum decem millium pretio, quod idem Marchio à Communi & de Communis pecunia certis pactis & statutis terminis cepit & habuit. De ipsa etiam venditione dicto Millesimo, die XVI. Aprilis Lanfrancus de Valario Notarius publicum composuit Instrumentum. Eodem quoque anno Thomas Marchio de Ponzono vendidit Communi librarum MD. pretio partem, quam tunc in Varagine habebat & possidebat pro sua, scilicet sex decenas. Ipsius autem Instrumenti venditionis fuit compositor Benedictus de Fontanilio Notarius, qui illud dicto Millesimo, die XV. Junii annotavit. In ipso anno Guido de Vezano, & Guilelmus ejus frater, & duo eorum consanguinei jura quædam, quæ in Vezano habebant, vendiderunt Communi. Ipso etiam anno quum duæ galêæ Pisanorum ivissent armatæ Constantinopolim, & ibi moram traherent, aliqui ex illis galêis fecerunt insultum in duos Januenses, qui intus Constantinopolim erant. Januenses verò, qui erant in Peyra, his auditis, illuc curreruntvelociter, & aliquos ex Pisanis contumeliis affixerunt; quare ipsi Pisani de dictis duabus galêis unam facientes cogitaverunt intrare in Mare-Majus, & in Januenses, qui ibi erant in magna quantitate, offensiones inferre; & intrantes pervenerunt Synopim, exspectantes locum & tempus offendendi. Januenses verò, qui erant ibi in Peyra, incontinenti armaverunt galêam unam, quæ iret post ipsam galêam Pisanorum. Sed interim galêa Bacherorum onerata mercatoribus de Janua applicuit in Peyra, & auditis prædictis, incontinenti insequi cœpit Pisanorum galêam, & ventis prosperis in Soldajam pervênit. Dumque ibi moraretur, ecce quòd supervênit dicta Pisanorum galêa. Nostra verò exiens obviam, prœlium inter ipsas est commissum in conspectu hominum Soldajæ, & Domino concedente, nostra galêa victoriam reportavit; & acceptis mercatoribus Pisanis, qui supervixerant ex ipso prœlio, & positis in terra cum eorum mercibus galêam Pisanorum in conspectu omnium combusserunt.

Anno currente MCCLXXVIII. idem Rogerius de Guidobobus, quem superiùs memoravimus, continuavit præcedentem honorem. In dicto enim anno civitatis Januæ Potestatiam de novo obtinuit, præsidentibus tamen super ipso & omnibus, Capitaneis antedictis. Eodem quoque anno Moruel Malaspina, & fratres, filii quondam Conradi Marchionis Malaspinæ Communis Januæ Feudatarii & Vassalli, acceptorum beneficiorum, & juratæ fidelitatis, quibus Communi tenebantur, immemores, cum aliquibus de Flisco, Alberto filio quondam Thedissi, & filiis suis Manuele & Ægidio, & Frederico fratre ejus, Grimaldis, & aliis, qui civitatem exiverant, confœderationem contra Commune Januæ firmaverunt. Dictus igitur Moruel & fratres cum aliis, qui civitatem exiverant, & cum quibus confœderationem iniverant, congregato exercitu cum MCC. peditibus & militibus CCC. ad ducatum dictorum bannitorum, qui civitatem exiverant, quadam die XXVI. Martii dicti anni post Vesperas manu armata burgum Clavari intravere, ac burgum ipsum in eorum habentes posse, in ipso biduanam moram cum dicto exercitu traxere, ibi damna inferendo quamplura tam in vini effusione, & olei, quàm etiam incendiis, spoliationibus, & rapinis: quo audito mirati sunt universi. Confestim autem Obertus Auriæ Capitaneus Communis & Populi cum societate decenti, ac magna militum & peditum quantitate manu armata, & vexillis erectis, civitatem egrediens, ac versùs Clavarum equitans, Recum pervênit, ibi suum, quem præstolabatur, expectans exercitum. Quatuor etiam galêæ confestim armatæ propterea Clavarum pervenerunt; remigio quippe in terram descendere nequiverunt. Ipsum tamen mare sic tenuerunt obsessum, quòd per mare burgum ipsum nemo intrare poterat, nec exire. Transmissi etiam fuerunt viri per villas & loca, per quæ prædicti venerant, & per quæ viderentur posse redire, ut stratas & vias sic destruerent, & loca & passus sic munirent & villas, quòd eis non pateret recessus. Nempe dicto Capitaneo in Reco cum suo existente exercitu, ac se parante versùs Clavarum equitare, dictus Moruel, & alii banniti, qui civitatem exiverant, timentes Capitanei adventum die XXVIII. dicti mensis burgum Clavari relinquentes, ac per viam inopinatam, & quam nemo cogitare poterat, recedentes, in Vallem Trebiæ devenerunt, ibique disperso exercitu ivit quilibet per vias suas. Capitaneus verò jam dictus burgum Clavari cum suo intravit exercitu, ibique diebus aliquantulis traxit moram. Deinde ultra progrediens cum suo exercitu versùs castrum Arculæ dicti Moruelis, & fratris, melius & carius quod haberent, equitans properavit, & castrum ipsum & circumstantia loca considerans, eidem obsidionem paravit, ac ad illius debellationem & expugnationem intendit. Quumque ibi aliquantulis diebus permansisset, & in partibus illis quemdam nobilem Manuelem de Nigro nomine constituisset Vicarium, repatriare curavit, quem civitatem intrantem omnes cum honore & gaudio receperunt. Quibus peractis Capitanei & Populus universus cogitarunt inimicos offendere; & Consilio habito Papiam pro stipendiariis militibus transmisere, qui Januam venientes ad dictum Vicarium pervenerunt. Dictus quoque Vicarius cum suo exercitu & militibus supradictis ad dicti Moruelis & fratris obsidionem intendens castrum Arculæ cum suo exercitu intravit, illud cum suo territorio totaliter devastando. Alias etiam terras, villas, & loca dicti Moruelis & fratris ultra Macram posita dictus Vicarius cum jam dictis militibus & exercitu suo plures acquisivit, invadendo ea & exurendo & offensiones inferendo quamplures. Hoc anno de mense Novembris Dominus Johannes Cajetanus Cardinalis de Domo Ursinorum in Papam fuit electus & vocatus Nicolaus III.

Currentibus verò annis Domini MCCLXXIX. quidam Civis Astensis Guilelmus Brunus nomine Jurisperitus fuit in regimine civitatis con-

constitutus, Potestasque regimen suum ad finem perduxit laudabilem. Die siquidem XXVI. Madii ejusdem anni Astenses, qui per Regem Carolum in Provincia inclusi tenebantur carceribus, & quos apud castrum Coxani captos fore memoravimus, libertatem pristinam pretio librarum trigintaquinque millium redimentes, carcerem exivere. Verùm quia redemtores eorum præsentialiter pretium non habebant, oportuit eos, antequam dictum exirent carcerem, de dicto pretio per certos terminos persolvendo fidejussiones præstare. Factumque est, quòd quidam nobilis Januensis Simon Grillus nomine, & Guilelmus de Savignono, & quidam alii, Communis Januæ precibus & mandato, versùs Regem Carolum, sive ipsius Nuntios pro jam dicta fidejussione se astrinxerunt, qua fidejussione completa, Astenses ipsos carceris solutos vinculis in galêas suas recepere, & cum ipsis Januam navigio pervenerunt. His narratis de dictis decem annis elapsis ad præsens sufficiat, & quæ de cetero emerserunt, per alios redigentur in scriptis, qui huic Operi præponentur.

JACO-

JACOBI AURIÆ ANNALES GENUENSES

AB ANNO MCCLXXX.

LIBER DECIMUS.

QUoniam multa & magna utilitas est præterita & præsentia scribere, ne in futuris temporibus non solùm oblivioni non tradantur, sed etiam per præterita cognoscantur futura, ideo ego Jacobus Auria quondam Petri quondam Oberti, quæ à temporibus de MCCLXXX. usque per totum annum de MCCXCIII. per Commune Januæ acta sunt, & quæ civitati & Civibus Januæ evenerunt, tamquam quæ omnia vidi, & interfui, vel à videntibus veraciter didici, in scriptis redigam, veritatem sequendo. Sed antequam ad propositum accedam, redigam in scriptis quædam, quæ invêni de civitate Januæ in quibusdam Historiis & Legendis antiquis, & postea ad meam materiam redire curabo. Nam quum non invenirem aliquid scriptum ante tempus Caffari Nobilis Civis Januæ, qui Opus præsentis Chronicæ incœpit, nec post constructionem hujus civitatis in Libris aliquibus reperirem, quum tamen de multis aliis civitatibus Italiæ & aliarum partium mundi per Isidorum, & Solinum, & alios Historiographos ædificatores ipsarum scripti inveniantur, admiratione motus cœpi tacita & vigili mente præscire, qualiter ab antiquo tempore possem aliquid invenire. Sed constructorem ipsius in Libris aliquibus antiquis non potui usque nunc invenire, fortè propter antiquitatem ipsius. Sed vulgaris tenet opinio in civitate Januæ, quòd post destructionem urbis Trojanæ quidam Nobilis Trojanus Janus nomine applicuit ad has partes, & in loco ubi dicitur Sarzanum, ideft Saltus Jani, saltavit & descendit. Castrum in loco, ubi nunc Castellum dicitur, ubi modò est Domus Archiepiscopalis, ædificavit, & civitatem Januæ à suo nomine scilicet Januam denominavit. Verùm quia in Libro Titi Livii, qui fuit magnus Historiographus urbis Romæ, quædam de civitate nostra invêni, quæ antiquitatem ipsius in parte demonstrant, ideo verba ipsius de verbo ad verbum in præsenti Opere scribam, & postmodum similiter quæ invêni in aliis Scripturis.

Igitur in Tito Livio in sua Parte, ubi agitur de Bello Punico, quod duravit per annos XVII. inter Romanos & Carthaginenses, in primo Libro circa medietatem Libri anno ab Urbe Condita DXXXIV. quod est ante Nativitatem Christi per annos CCXVIII. reperitur ut infra: *Publius Cornelius Scipio existens in Massilia cum navibus, audito, quòd Annibal pergebat ad Italiam, misit fratrem suum cum Scipione in Hispaniam adversùs Annibalem cum magna parte copiarum. Ipse verò naves ascendens pervênit Genuam cum eximiis copiis, quum esset in occursum Annibali, qui Alpes transgrederetur.* Item in eodem Libro VIII. circa finem, Anno ab Urbe Condita .... quod est ante Nativitatem Christi per annos .... reperitur ut infra. *Eadem æstate Mago Amilcaris filius ex Minore* (Minorica) *Baleari Insula, ubi hyemaverat, juventute lecta in classem imposita, in Italiam XXX. fermè rostratis navibus, & multis onerariis XII. mille peditum, II. mille ferè equitum trajecit, Genuamque nullis præsidiis maritimam oram, sed Romanis tuentibus repentino adventu cepit. Inde ad oram Ligurum* &c. Item in Libro IX. circa tertiam partem invenitur ut infra: *Eisdem fermè diebus naves, quæ à Carthagine ad Magonem missæ erant, inter Albinosganos, Ligures, Januamque accesserunt. In his locis tunc fortè Mago tenebat classem.* Item in eodem Libro X. circa principium anno ab Urbe Condita DXLV. quæ est ante Christum per annos CCVII. reperitur ut infra: *Existente Consule Cornelio Servilio anno XVI. Punici Belli, Lucretio est prorogatum imperium, ut Genuam Oppidum à Magone pænè diruptum reædificaret.*

Invenitur etiam in Legenda Beatorum Martyrum Nazarii & Celsi, qui fuerunt martyrio coronati tempore Neronis Imperatoris, qui imperabat Anno à Nativitate Domini LVIII. ut infra, videlicet: *Et deposuerunt S. Nazarium in loco à Januensi urbe Passus ferè DC., ubi ipsorum meritis & oratione vota solvuntur, & vocatur locus ille ad Sanctos Peregrinos. Deinde ingressus civitatem Januæ perrexit inde Mediolanum &c.* In Legenda Beatorum Martyrum Fructuosi & Sociorum, qui fuerunt Martyrio coronati tempore Gallieni Imperatoris ab Æmiliano Præside, qui imperabat Anno Domini CCLVI. invenitur, ut infra, videlicet: *Est enim in partibus Italiæ in finibus Januensis urbis Eremus juxta mare, ubi Caput-montis dicitur, ibique nostras Reliquias afferte.* In Historia Longobardica in Libro II. invenitur ut infra: *Alboinus igitur Liguriam intrans, qui præerat Anno DLXVIII. dehinc universas Liguriæ civitates (præter quæ in litore maris à Lunis usque Gallias sunt) cepit. Honoratus verò Archiepiscopus Mediolanum deserens ad Genuam urbem confugit, ibique securus permansit.* Item in Dialogo Sancti Gregorii Papæ, qui præerat Anno Domini DC., invenitur ut infra (1): *Anno Domini DCCLXXIV. Carolus Magnus Synodum tenuit in Janua civitate Italiæ, in quo conventu exercitum divisit in duas partes, partem unam retinens ut per Januæ Montes transiret, partem verò reliquam, cui præfecit Bernardum Avunculum suum per Jovis-Montem intrare præ-*

(1) Hæc à tempore, quo floruit Sanctus Gregorius Magnus abhorrent.

præcepit, & Desiderium Regem Longobardorum fugavit &c. Item in Chronica Philiberti invenitur ut infra: *Anno DCCCCXXXIII. in Januensi urbe fovea sanguinis largissimè fluxit, portendens fortè ipsius ruinam. Nam eodem anno ab Africanis ibidem venientibus capta, cunctis Civibus, exceptis parvulis & mulieribus, captis & occisis & thesauris suis spoliata est.* Fons autem sanguinis prædictus emanavit in loco, qui hodie dicitur Fontanella supra locum, ubi modò Darsena superior de Modulo est constructa. Et est vulgaris opinio inter Januenses, quòd tunc temporis Januenses quasi omnes erant extra civitatem in quodam exercitu per mare. Quumque rediissent, & civitatem taliter desolatam invenissent, statim insequuti sunt Africanos, qui eos in Insula de Buxinariis, quæ Isla-Morton dicitur, inventos insultum fecerunt in eos, & omnes gladio trucidarunt, quorum usque hodie multitudo ossium occisorum factum demonstrat. Descenderant enim Africani in terram, ut prædam captam dividerent. Januenses verò recuperatis pueris & mulieribus ac omnibus prædictis, Januam redierunt.

Quamvis autem in pluribus aliis Scripturis inveniatur de Januensi civitate facta mentio, tamen brevitatis causâ hæc dixisse sufficiat. Et quia in quibusdam Historiis & Legendis Genua, & in quibusdam Janua scribitur nostra civitas, ideo ethymologiam utriusque vocabuli hîc scribam. Genua connexiones femorum & crurium sunt dicta, quia sunt in utero genibus apposita; ibi enim cohærent sibi, quia infans in utero caput tenet inclinatum inter genua; & hinc est quòd quum homines ad genua se prosternunt, statim illacrymantur. Voluit enim uter * maternum, ubi quasi in tenebris considebant, antequam venirent ad lucem; nam secundùm Philosophos genua sunt secreta misericordiæ. Verè igitur *Genua* fuit denominata, tamquam quæ misericors super alias civitates extitit, ut experimentis multis cognoscitur; & sicut infans in utero matris tenet faciem inter genua, sic (2) quasi omnes civitates Lombardiæ tenent capita sua inter genua Genuæ. Nam ubi declinat, necesse habent aliæ declinare, ut per tempora retroacta manifestè videbitur. *Janua* à Jano dicitur. Hæc Janua, idest Porta, primus egressus, primus introitus, quia Janus Deus est principiorum, cui antiqui omnem exitum & introitum consecraverunt. Unde sicut Porta est introitus & transitus Lombardiæ, vel dicitur *Janua* à Jano Deo principiorum, qui pingitur habere duas facies, scilicet ante & retro, sicut civitas Januæ prospicit ante mare, & retro terram; & dicitur habere duas faculas, idest duas partes Oriens & Occidens, sicut civitas Januæ habet duas Portas, scilicet Portam Maris, & Portam Terræ. His narratis ad præmissam redibo materiam.

Igitur Anno Domini MCCLXXX. Dominus Cavalcabos de Medicis Civis Papiæ Jurisperitus regimen civitatis Januæ exercuit, prædictis Capitaneis cum eodem regentibus. In dicto quidem anno galêæ tres Januæ mercationibus oneratæ, quarum summa librarum centum millia excedebat, in Janua sunt armatæ causâ eundi in Romaniam. Quumque fuisset dies Lunæ post Ramos Palmarum, eundo versùs Clarentiam, apparuerunt galêæ tres Venetorum de versùs Zantum venientes. Habebant enim tunc temporis Veneti guerram cum Aconitanis, & ideo galêas prædictas habebant in guardia in partibus illis, quamvis etiam per diversas mundi partes alias quamplures haberent galêas armatas, tum causâ custodiæ, tum etiam causâ offendendi Aconitanos inimicos eorum. Dictæ autem galêæ Venetorum versùs galêas nostras nequiter venientes, quamvis vexilla Januæ agnoscerent, irruerunt in nostras. Januenses autem cognoscentes Venetorum superbiam, violenter impulerunt in eas, & prœlio ab utraque parte prope Clarentiam per milliaria tria commisso, Januensibus exstitit victoria, sic quòd captæ sunt de Venetorum galêis duæ, & tertia per remos evasit. In ipso quidem prœlio Veneti pro majori parte tum in mari submersi, tum gladio perierunt. Januenses autem attendentes, quòd Deus tantam eis victoriam præstiterat, redarguentes Venetos, quos vinctos habuerant, & de fide rupta & perjurio reprehensis, ipsos cum galêis, & rebus suis permiserunt abire. Januenses verò ad partes Romaniæ cum gaudio perrexerunt. Dicto enim anno galêæ quatuor Mercatorum armatæ fuerunt in Janua, quæ fuerunt ditissimæ. Ordinatum quoque fuit, quòd in ipsis iret Missaticus pro Communi Januæ vir Nobilis Manuel de Nigro ad Imperatorem Palæologum, & qui prædictis galêis præesse deberet. Quumque die Lunæ post Festum Resurrectionis Domini fuisset in mari Panaunæ per milliaria circa XL. aliæ galêæ tres Venetorum, quæ erant similiter in custodia, pro guerra, quam habebant cum Aconitanis, apparuerunt. Quumque applicuissent Januenses, cognoscentes esse Venetorum, nostræ galêæ sumere arma non curarunt. Erat enim treuga inter Januenses & Venetos. Ipsi autem Veneti furiosi irruentes in nostros, & super eosdem injustè clamantes, quòd se præcipitarent in mare, nec eorum gladios exspectarent, Januenses valde admirari cœperunt, & in uno instanti currentes ad arma, quasi semiarmati, viriliter Venetorum galêas ascendentes, eos omnes occiderunt. Qui autem gladios Januensium evaserunt, perrexerunt in mare; reliquos, qui mortem evaserunt, cum galêis eorum apud Panaunam duxerunt, & eos de fide rupta & perjurio redarguentes, libenter ipsos abire permiserunt, omnibus bonis eorum sibi restitutis.

MCCLXXXI. per Dominum Obertum Spinulam, & Obertum Auriæ fuit civitas Januæ gubernata, simul & per Dominum Michaëlem de Salvaticis de Valentia Jurisperitum, qui exstitit ipso anno Potestas. Prædicto quidem anno die XX. Februarii fuit electus in Summum Pontificem Dominus Simon de Jeris, Cardinalis Sanctæ Cæciliæ, & fuit Martinus IV. appellatus, qui Commune Januæ puro corde dilexit, ad quem visitandum & honorandum missi fuerunt pro Commune Januæ tres Ambasciatores, scilicet Simon Auriæ, Percival de Baldizone Jurisperitus, & Guilelmus de Perago. Hoc etiam anno fuit inventum quoddam Privilegium, per quod civitas Januæ non potest Interdicto supponi. Nam anno Domini MCCLXXVIII. fuerat querela coram Domino Papa Nicolao III. per quosdam bannitos, sci-

(2) gerræ ac ineptiæ.

scilicet quòd conventio eis facta tempore Domini Gregorii (3) V. non esset observata. Quare dictus Papa eodem anno ad eorum instantiam misit Episcopum Forolivienfem, qui cognosceret de querela delata. Dictus autem Episcopus Placentiam pergens, Commune Januæ illuc citare curavit. Januenses autem habentes Privilegium Domini Papæ Alexandri IV., in quo continetur expresſè, quòd extra districtum Januæ Commune Januense, nec aliqua singularis persona Januæ trahi non potest, miserunt Procuratorem ad eum, qui Privilegium allegavit. Dictus autem Episcopus, favorabilis nostris existens bannitis, excusationem admittere recusavit, & Commune Januæ suppofuit Interdicto, quo Interdicto per duos annos & ampliùs observato per homines Januæ, tamquam qui obedientes esse volunt semper Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, inventum fuit in Sacristia per me Jacobum superiùs denotatum quoddam Privilegium Domini Innocentii Papæ IV. in quo quidem pleniùs continetur, quòd civitas Januæ non possit Interdicto supponi per aliquem Legatum, seu Delegatum, nisi de expressa licentia Domini Papæ. Quare convocatis omni Clero civitatis Januæ, & Conventibus Fratrum Prædicatorum, & Minorum, & Collegio Judicum, & quampluribus Sapientibus, & duobus diebus invicem conferentibus, deliberato consilio consulerunt, Dominum Episcopum contra formam dicti Privilegii processisse, & ob hoc Interdictum observandum non esse. Unde post dictum Consilium præstitum, fuit divinum Officium à toto Clero celebratum publicè ubicumque in civitate & districtu ejusdem. Eodem quoque anno Guilelmus Marchio Montisferrati de Hispania magnam denariorum quantitatem misit in navibus Januæ, quos Rex Castellæ ejus socer consignavit eidem. Misit autem nuntios suos Januam, rogans & requirens Commune Januæ, ut eum adducerent; quare armatæ fuerunt pro Communi Januæ ad expensas Communis galêæ duæ, in quibus pro honore ipsius iverunt Ambasciatores quatuor pro Communi, scilicet Obertacius Spinula, Nicolaus Babilani Auriæ, Ægidius Vogerius, & Johannes de Cisterna. Veniens autem Januam, fuit receptus honorificè & cum gaudio, stetitque in Janua per dies plures, & de pecunia Communis fuit eis exhibita pro suis expensis summa librarum D. Januinorum. Ipse autem postmodum ad partes suas perrexit. Verumtamen ipse, ut consuetudo est Marchionum, non bene tenuit memoriæ servitia prædicta, & alia plura tempore Regis Caroli eidem collata. Hoc etiam anno Carolus Rex Siciliæ fecit fieri maximum apparatum galêarum, & uscheriorum, & aliarum rerum necessariarum causâ eundi contra Palæologum Imperatorem Græcorum. Fœdus etiam inivit cum Venetis contra dictum Imperatorem. Insuper Papa Martinus antedictus, existens dicto Regi mirabiliter favorabilis, dictum Palæologum, & omnes Græcos tamquam schismaticos excommunicavit. Incitavit etiam dictus Rex Commune Januæ per suos Nuntios, quòd si volebant habere partem in conquisto, quod super Græcos facere intendebat, eidem darent succursum & auxilium galêarum. Januenses verò responderunt, quòd aliis factis occupati erant, & propter hoc his intendere non poterant. Unde incontinenti pro Communi Januæ fuit armata una galêa, & missa ad dictum Imperatorem, significando eidem omnia supradicta. Dictus autem Imperator gratum hoc à Communi valde accepit, & terram suam & civitates constanter fecit omnibus necessariis præmuniri.

MCCLXXXII. per prædictos Potestatem & Capitaneos civitas Januensis exstitit etiam dicto anno feliciter gubernata. In isto quidem anno incœpta fuit guerra durissima inter Commune Januæ, & Pisanos. Quid autem infra tempus dictæ guerræ evenerit, & causa quare incœpta fuerit, inferiùs per ordinem in scriptis redigam. Sed quia mentionem feci superiùs de apparatu facto per Regem Carolum contra Græcorum Imperatorem, ideo aliqua hic breviter inseram, non ut opinor, oblivioni tradenda. Igitur dicto anno mense Junii Dominus Petrus Rex Aragonum paravit galêas XIX., naves IV., taridas VIII. posuitque in eis milites cum equis CCCL. & pedites X. mille, ivitque cum eis ad partes Barbariæ. Nam promiserat ei quidam Sarracenus, qui Constantinam civitatem tenebat, quòd si illuc iret, daret ei illam civitatem, & Bonam. Applicuit autem cum dicto exercitu in Antola in Vigilia Beati Petri, & in terram descendens multa prœlia cum Sarracenis habuit; sed à Sarraceno ipso delusus nihil facere potuit, misitque nuntios suos ad Papam, ut ei succursum præstaret. Quumque nihil auxilii posset habere, ecce tota Sicilia, quæ se rebellâverat contra Regem Carolum, misit ad ipsum Regem Aragonum, quatenus veniret ad recipiendam Siciliam totam, quæ eidem tamquam vero Domino obediret. Habebat enim in uxorem filiam quondam Domini Manfredi Regis Siciliæ. Ipse autem cum militibus & gente sua tota naves, galêas, & alia Ligna ascendens, Trapenam perrexit, ibique applicuit ultima die mensis Augusti. Quia verò de rebellione Siciliæ, quod miraculum fuit, feci nuper mentionem, ideo causam hîc breviter in scriptis edam. Nam quum Francigenæ in tota Sicilia graviter opprimerent habitatores totius Insulæ, accidit quòd die Martis post Pascha ultimo die Martii, quum multæ mulieres de Panormo ivissent extra civitatem ad quoddam festum, quidam Francigenæ inferebant injurias & gravamina mulieribus illuc pergentibus, eas inhonestè alloquentes & tangentes. Sicque subitò tumultus surrexit in Populo, & omnes Francigenas, quos in Panormo invenerunt Siculi, crudeliter occiderunt. Quo audito in Messana, Trapena, & tota alia Sicilia, illæ & omnes aliæ civitates & loca illud idem facere minimè tardaverunt, quilibet in patria sua, & missis sibi invicem nuntiis conjuraverunt sibi ad invicem.

Rex autem Carolus hoc audiens, & graviter perturbatus, dimisso proposito, quod erat contra Græcos in eadem æstate proficisci, omnino cum dicto apparatu ad obsidionem Messanæ se celeriter properavit. Dictus verò Rex Petrus, qui, ut communiter fertur ab omnibus, habuit galêas, & uscherios, milites, & homines cum equis XXII. millibus, & pedites LX. (4) millia, descendit ad S. Mariam de Roccamajor cum toto exercitu die tertia Augusti, stetitque ibi usque ad finem Septembris.

(3) *Scribendum puto* Innocentii.

(4) Heic error cubat; neque enim hæc credibilia.

bris. Præmisit etiam duos suos Milites ad Regem Carolum, ei nuntians, quòd venerat ad Regnum suum Siciliæ; & quòd infra dies decem ipse Rex Carolus de eodem discedere deberet, & ab inde in antea diffidabat eum, & quòd incontinenti Messanam veniebat per terram cum toto exercitu suo & apparatu. Rex autem Carolus his auditis habito secretorum suorum Consilio, in dies quatuor ab obsidione Messanæ discessit, & apud Rhegium remeavit. Ipse autem Rex Petrus intravit civitatem Messanæ die secunda Octobris, quumque propter hyemem galêas suas licentiasset, multa evenerunt, quæ non est mea intentio in scriptis redigere. Quia verò dum dictus Rex Aragonum ascendit in Insulam Siciliæ, una galêa Guilelmi de Mari de Castro Januensis fuisset in servitio Regis Caroli in obsidione Messanæ, & quum ea rediret cum hominibus XXVIII., duæ barchæ Pisanorum iverunt obviam ei, & interrogantes de novis, dictam galêam ascenderunt, & eam ceperunt; dictum verò Guilelmum cum dicta galêa & hominibus Pisas transmiserunt. Adhuc enim ignorabatur, quòd guerra esset inter nos, & Pisanos. Curia verò Regis Caroli nullum processum contra Pisanos propter hoc fecit, quamvis dictus Guilelmus amicissimus & fidelis esset dicti Regis, & de ejus servitio veniret. Ubi autem prædictus Dominus Petrus Rex Aragoniæ Siciliam ascendit, ut superiùs fuit enarratum, quæ Insula per Regem Carolum tenebatur in feudum à Domino Papa, quia Papa Martinus jam dictus favorabilis erat ultra modum dicto Regi Carolo, ideo Papa durissimam sententiam protulit contra eum & Siculos, & contra eorum fautores. Dictum etiam Regem Aragonum Regno privavit, & contulit Carolo fratri Regis Franciæ, misitque unum Cardinalem Legatum, qui contra eumdem Crucem prædicavit.

Ipso insuper anno quidam nobilis de Corsica nomine . . . . Judex Cinarchæ, Vassallus quidem tam ipse quàm sui antecessores Communis Januæ, ac etiam factus Miles per Dominum Guilelmum Buccanigra olim Capitaneum Communis & Populi Januensis, & de bonis suis per Cōmune ab inimicis de Corsica expulsus, immemor factus tantorum beneficiorum eidem sæpiùs collatorum, cœpit multipliciter homines Bonifacii aggravare, & Pisanos, & Provinciales, & alias nationes in Corsicam applicantes deperdebat, & fortiter affligebat, & de his multoties per prædictos fuerunt Communi Januæ querelæ delatæ. Qui quum per Commune Januæ super prædictis & aliis multoties per literas & etiam Ambasciatores commonitus, nollet non solùm damna emendare, verumetiam in majorem elatus superbiam deteriora quotidie in homines Januæ agebat, quòd non possent ulteriùs tolerare tam querelas conquerentium, quàm damna hominum Bonifacii, paraverunt galêas IV. ad soldos armatas, miseruntque in eis ad ejus perfidiam perurgendam milites CC. pedites cum lanceis longis CCC. & balistarios CC. Quibus galêis & toti exercitui præfuerunt Franciscus de Camilla, & Nicolaus de Petrucio. Moventes igitur de Portu-Delphini die XIX. Madii applicuerunt Bonifacio die XXVI. mensis ejusdem. Die verò prima Junii de Bonifacio separantes, per mare & per terram iverunt ad Castrum-novum, quod dictus Judex tenebat, & denuo construxerunt * in portu Bonifacii, & invento in plano ibidem dicto Judice cum militibus CCC. & peditibus MD. dictum castrum prœliaverunt, & eumdem violenter ceperunt; eoque capto dictus Judex fugam arripuit, posuitque se cum toto suo exercitu super quemdam montem. Exercitus autem Januensis castra sua fixit in plano, stetitque sic per duo dies. Die verò tertia vênit ad portum Figari pro accipiendo victualia & alia exercitui necessaria, quæ in galêis & barchis portabantur. Dictus verò Judex timens exercitum Communis, cum gente sua terga volvens se vertit in fugam. Mortui autem tunc fuerunt de ejus exercitu XXVI. homines ad equos, & dictus Judex de equo projectus fuit; & quia cognitus non fuit à nostris, evasit. Acceptis igitur victualibus & aliis necessariis de galêis, exercitus noster ivit ad castrum Taulæ. Corsi autem interiùs permanentes, & nostrum exercitum cognoscentes, ignem posuerunt de nocte in castro, atque inde velociter fugierunt. Nostri autem die crastina extinxerunt ignem & castrum munierunt. Deinde noster exercitus ad castrum Istriæ perrexit, & Ornanum, Rocham de Valle, & Contendolam. Corsi verò dictis castris relictis evaserunt per fugam, & nostri ea munierunt, quæ omnia acta fuerunt in diebus XXXVIII. Dictus verò Judex ad Ceriam fugiens, & barcam unam ascendens, Pisas perrexit, ibique procuravit precibus & pretio succursum habere à Communi Pisarum, fecitque se Vassallum dicti Communis, spreto Vassallatico, per quem Communi Januæ tenebatur.

Januenses verò audientes, quòd Commune Pisarum privatim milites præparabat pro succursu dicto Judici exhibendo, de his non modicum admirati, miserunt ad Commune Pisarum Ambasciatorem Dominum Palmerium Mignardum Jurisperitum, qui prudenter narraret dicti Judicis iniquitatem, ac jura Communis, & quemadmodum idem Judex Vassallus Communis Januæ offendebat quaslibet nationes; & instaret, quòd Communi Pisarum placeret in factis ejusdem Judicis non se intromittere. Cui Palmerio per Commune Pisarum exstitit responsum, quòd super expositis Ambasciatores Pisani in Janua facerent responsionem. Redeunte igitur dicto Palmerio in Janua, & responsione in Consilio facta, Cives Januæ perpenderunt responsionem Pisanorum esse callidam, ut eorum moris est, ut Januenses deciperent, maximè quum milites & pedites semper in Pisis ad soldos acciperent. Quare Commune Januæ fecit galêas similiter præparare, quamvis tunc temporis in Communi galêæ XII. tantùm essent. Interim Ambasciatores Pisarum venere Januam, scilicet Raynerius de Bucari, & Otto de Pace, qui veriùs de Guerra poterat appellari. Quumque essent in Consilio Januæ, multas & varias petitiones & querelas exposuerunt de quampluribus Januensibus, & in fine addiderunt, Judicem esse Vassallum Communis Pisarum, & bonum amicum, & quòd Commune Pisarum non poterat eumdem derelinquere ullo modo. Revertentes autem Pisas tamquam homines, qui guerram potiùs desiderabant, quàm pacem, dixerunt se multa opprobria & villanias à Januensibus recepisse. Pisani igitur milites præparaverunt & pedites pro dicti Judicis auxilio; unde Commune Januæ armavit galêas XXIII. & panfilos XII.

XII. ad apodixias de civitate & Poteſtatiis. De quibus vir nobilis Nicolinus Spinula exſtitit Admiratus; & ivit in eis Obertus Auriæ, qui Capitaneus erat Communis & Populi Januenſis, qui cum ſuo ſtolio galêarum diſceſſit de Janua die X. Auguſti. Quumque fuiſſet per milliaria circa duo intra Veronicam, quæ eſt ante portum Piſanum, galêæ Piſanorum XXXII. cum magna quantitate barcarum noſtris obviam exiverunt. Noſtræ autem ſe retraxerunt in mare, & anchoras poſuerunt ante dictam Veronicam. Piſanorum autem galêæ non proceſſerunt ulteriùs; & quia nox ſuperveniebat, ad Portum Veneris redierunt. Et quia tempus inſtabat recolligendi ficus & uvam & alios fructus, Januam redierunt, & homines licentiarunt; adhuc enim Januæ ſperabatur de pace. Quamvis enim tunc temporis utraque civitas pro parte Gibellina regeretur, tamen omnes Januenſes ſemper & continuè unanimes exſtiterunt in damnum & detrimentum civitatis Piſanæ. Piſani verò habentes milites CXX. & pedites CC. paratos pro dando ſuccurſu prædicto Judici, eos poſuerunt in barchis, ivitque cum eis Judex prædictus, quumque apud Leiram perveniſſent, die XXIV. Auguſti deſcenderunt in terram.

Exercitus autem Januenſis, qui erat in Corſica, quum jam eſſet ad finem de ſuis ſoldis, caſtris munitis de ipſis Corſis, ſe de Corſica ſeparavit, applicuitque in Janua die octava Septembris. Dictus autem Judex videns noſtrum exercitum diſceſſiſſe, perrexit & cepit ac recuperavit totam terram, & caſtra prædicta. Piſani autem ſibi ad animum revocantes, & vehementer dolentes, quòd ſtolium Januæ fuiſſet apud portum Piſanum tam prope, & ſcientes quòd noſtræ galêæ fuerant diſarmatæ cum prædictis XXII. galêis de quibus Ginicellus de Siſmundis Admiratus exſtabat, apud Portum Veneris pervenerunt; ac Inſulam Portus Veneris & Eccleſiam B. Johannis, quæ erat in dicta Inſula, devaſtarunt, & campanam dictæ Eccleſiæ aſportarunt. Januenſes hoc audito præparaverunt galêas & Ligna in magna frequentia; quod quum ad Piſanorum audientiam perveniſſet, cum magna properatione receſſerunt; & quum ſuper partes Mutroni fuiſſent, fortunâ temporis XVII. ex eis cum majori parte hominum perierunt. Ex tunc igitur ex dicta cauſa inter dicta Communia, quæ potentiſſima erant in terra & in mari, cœpit guerra duriſſima, quæ duravit uſque ad annum de MCCLXXXVII. die XV. Aprilis. His ita ſe agentibus creatum fuit de novo quoddam Conſilium in Janua de hominibus XV., quod Credentia vocabatur. Cui Conſilio cum dictis Capitaneis data eſt in omnibus poteſtas armandi, & pecuniam expendendi, & omnia faciendi circa guerram prædictam. Fuit etiam factum generale decretum, ne quis navigaret uſque ad Kalendas Auguſti proximè venientis, ad hoc ut guerra taliter incœpta poſſet cum honore Communis Januæ ad finem laudabilem & bonum perduci. Inſuper facta fuit cernea de galêis CXX., quæ diviſæ fuerunt per Sapientes Januenſes in civitate Januæ & per loca diſtrictus armandæ, quoties Sapientibus videretur, vel pro rata armamenti, quæ fieri mandaretur. Ordinatum fuit etiam per Sapientes Credentiæ, quòd de cetero non vocaretur Admiratus, niſi haberet ſub ſe decem galêas ad minùs, ſed Capitaneus potiùs diceretur. Inſuper quòd Stantarium B. Georgii de cetero non portaretur per mare alicubi ullo modo, niſi eſſent galêæ X. Armata etiam fuit galêa una in Janua pro guardia facienda, cui præfuit Matthæus Canis, qui partes Corſicæ & Sardiniæ circuivit, & Januenſibus, quos ubique invênit, notum fecit guerram fore incœptam.

In ipſo etiam anno quum Commune Januæ non haberet niſi galêas XII. ordinatum fuit, quòd per Commune Januæ fierent galêæ L. Quare miſſi fuerunt boſcatores quamplures in Riperia Occidentis ad boſchum Bajardi, & inde extractum fuit totum lignamen neceſſarium pro faciendis galêis Communis, quod quidem fuit pulcherrimum. Dum autem dictæ galêæ fabricarentur per Commune in S. Petro de Arena, & Piſani ſimiliter facerent fabricari alias L. galêas, exploratores ex parte utriuſque civitatis nuntiabant invicem ea, quæ fiebant per eorum Communia; quare Piſani Scribam Januenſium, qui in Piſis erat, & Januenſes Scribam Piſanorum, qui erat in Janua, pari conſilio licentiaverunt. Inſuper ipſo anno armatæ fuerunt galêæ IV. ad ſoldos, de quibus Guilelmus Ferrarius de Caſtro exſtitit Capitaneus, & hoc causâ portandi apud Bonifacium baliſtarios & ſervientes. Piſani verò armaverunt galêas VII. quumque iviſſent in Corſicam, caſtrum Calvi prœliaverunt, ſed nihil ibi facere potuerunt. Quum autem dictus Guilelmus per partes Calvi rediret, & eſſet quaſi in introitu portus Caſtri prædicti, galêæ prædictæ Piſanorum noſtras poſuerunt in fugam, quæ per remorum velocitatem evaſerunt. Galêæ verò Piſanorum volentes redire Piſas, quatuor ex eis in Gulfo Nebii ferierunt in terra, nihil mali per Dei gratiam Januenſibus alicubi inferentes. Dicto etiam anno circa principium homines de Portu Veneris unam ſagitteam armaverunt, quæ nominabatur Vendetta, & euntes apud Arnum invenerunt ibi barcham unam, in qua erant grani minæ CCC. & unam platam oneratam de pipere & cottono, eaſque cepit, & eas apud Portum Veneris ſecum duxit. Ipſis verò temporibus navis quædam Piſanorum de Tuneſi rediens Piſas, quamdam navem Cagnoli Januenſis & Burgenſis Majoricæ invênit, eamque cepit, & ſecum Piſas perduxit. Ipſo etiam anno armatæ ſunt in Calaro per Piſanos galêæ duæ, & unus galeonus in curſum, iveruntque apud Tuneſim; inventaque ibi quadam tarida Januenſi, Rubei ſcilicet de Carlo, ceperunt eam, quam Rex Tuneſis poſtea emendavit, eo quòd in portu ſuo capta exſtiterat. Eodem etiam anno Dominus Carolus Princeps Salernitanus filius major Caroli Regis Siciliæ menſe Julii diſceſſit de Provincia pro eundo in Apuliam, & per Januam tranſitum fecit cum hominibus DC. ad arma.

Anno Domini MCCLXXXIII. fuit Poteſtas Januæ prænominatus Michaël de Salvaticis, prædictis Capitaneis civitatem Januæ regentibus cum eodem. In quo quidem anno menſe Februarii armatæ fuerunt in Janua ad ſoldum galêæ III., de quibus Guilelmus Ficuſmatarius fuit Capitaneus conſtitutus. Quumque eſſet in partibus Inſulæ Elbæ, & quamdam navem Piſanorum venientem de Calaro inveniſſet, & ſe præpararet ad expugnandam eamdem; ecce quædam galêa Paganini de Marino de Romania cum mercatoribus veniens apparuit cum eis ad expugnationem dictæ navis, & unanimiter proceſſerunt; ſicque, Deo propitio, viri-

riliter expugnantes ascenderunt in eam, captamque adduxerunt Januam cum hominibus CXIII. Erat enim onerata grano, carnibus, & caseo; ac etiam bona quantitas argenti erat in ea, sic quòd valuit libr. XV. millia Januinorum. Ceperat etiam dictus Guilelmus antea navem unam Pisanorum in portu Sancti Stephani Montis-Argentari, & alias plures barchas, quas secum Januæ ducebat, & omnes incendio concremavit, dum obviaret navi prædictæ, quam præ aliis cupiebat habere. Pisani autem hoc videntes, & vehementer dolentes, galêas XVI. armaverunt, de quibus Rubeus Buscarinus exstitit Admiratus, quæ apud Sassarum milites CL. portabant. Verumtamen apud S. Amanciam primitus accedentes, & ibidem descendentes in terram, ad vastationem vinearum & arborum Bonifacii perrexerunt cum Judice Cinarchæ, qui illuc in eorum auxilio venerat. Deinde ascendentes in eis, & in Sardiniam accedentes, milites ad portum Turris posuerunt, & in Sardiniam & Corsicam pervagantes, nihil damni ampliùs Januensibus inferentes, apud Pisas sunt reversæ. Quum autem Commune Januæ audivisset dictas galêas XVI. Pisanorum arbores & vineas Bonifacii devastasse, armari fecit galêas VI. ad soldum, de quibus Guilelmus prædictus Ficusmatarius fuit Capitaneus constitutus, & alias galêas XXVIII., & unam sagitteam ad apodixias. Quibus omnibus vir nobilis Thomas Spinula fuit Admiragius constitutus. Fuerunt autem peroptimè armatæ, quoniam ivit in eis magna quantitas Nobilium de civitate, & hominum de Potestatiis, nec ullus poterat, nec volebat occasione aliqua se excusare. Igitur prædictus Admiragius cum suo felici stolio discessit de Janua die ultima Aprilis, & apud Portum Veneris properavit, ibique impeditus fortuna maris & venti per dies XVII. continuos moram traxit. Galêæ autem XVI. Pisanorum interim redierant apud Pisas. Quare Pisani audientes quòd prædictæ nostræ galêæ parabantur in Janua, paraverunt galêas LIV. de quibus vir nobilis atque potens in civitate Pisana, scilicet Dominus Andriottus Saracenus Civis Pisanus, & qui socer erat Domini Mariani Judicis Arboreæ, Admiragius exstitit ordinatus. Et moram facientes apud portum Pisanum, expectabant quid nostræ galêæ facerent, de quibus omni die per suas spias nova habebant; & quotidie apud Portum Veneris venire de facili poterant, quum quotidie esset ventus ad Levantem vel Sirochum. Nostri verò versùs Levantem ire non poterant ullo modo.

Die autem XIII. Madii facto tempore tranquillo & bono noster Admiragius cum suo felici stolio de Portu Veneris discessit, & altum mare tenens, die Mercurii XIX. Madii ad Insulam pervênit Planusiæ. Erat quidem habitata hominibus pessimis & crudelibus, & burgum ipsum statim cepit; deinde turres, quibus captis, omnes dirui & comburi mandavit. Et quum die sequenti fecisset consilium, quid esset agendum, audivit de quadam barca Pisanorum, quòd in Calaro paratæ erant naves V. & V. galêæ ad veniendum Pisas, oneratæ grano, carne, & asungia, eratque in eis magna quantitas argenti, & multæ mercationes. Unde mittebant barcham illam Communi Pisarum, nuntiando quòd festinanter mitterent obviam eis comitivam sufficientem galêarum, ut Pisas securè valerent accedere. Habitoque statim cum Sapientibus nostrarum galêarum consilio, quum panatica pro nostris ad sufficientiam non adessent, elegerunt pro meliore Januam remittere galêas XIII. cum carceratis Pisanis, & cum Januensibus vulneratis in debellatione Planusiæ. Præfecerunt quoque eisdem virum nobilem Henricum Squarciaficum, qui cum eis de Planusia movens die XXI. Madii Januam applicuit. Dictus autem Thomas Admiragius nostri felicis stoli cum galêis XXI. & una sagittea de Planusia velificans die XXII. Madii cœpit versùs Sardineam navigare, per eam scilicet viam, per quam credebat naves & galêas prædictas posse meliùs invenire. Die verò XXIII. Madii galêæ LIV. Pisanorum, de quibus supra dictum est, applicuerunt Planusiam in mare, & invenientes eam destructam, non modicum dolentes versùs Sardineam navigare cœperunt; & cogitantes sumere vindictam, ad S. Amanciam perrexerunt, & omnia, quæ extra muros erant, devastaverunt, & multos homines perdiderunt. Postea verò ad obsidionem Alegrii in Sardiniam perrexerunt, quod per quosdam Nobiles de Janua tenebatur; miseruntque Judici Arboreæ prædicto, quatenus cum suo exfortio ad obsidionem dicti castri accedere festinaret. Quumque in offensione illius stetissent per terram & per mare per dies XXVIII. nec illum vincere potuissent, in fine illi, qui in dicto loco aderant, sub certis pactis & conditionibus se reddiderunt in manibus dicti Judicis & Admirati Pisanorum.

Dum hæc per Pisanos agebantur, dictus Admiragius Januensis in Sardiniam in mari de Kira applicuit die Sabbati XXIX. Madii circa vesperas. Et ecce in mari circa milliaria XV. dicta Ligna Pisanorum apparuerunt, circa verò horam Completorii intravit ventus ad Provinciam cum tanta fortuna maris, quòd Pisanis impossibile videbatur, quòd aliquæ galêæ essent ausæ sic morari, etiam quòd ipsi Pisani propter nostrorum audaciam plus dubitare cœperunt. Duravit autem tempestas usque ad ultimam dicti mensis. Naves verò Pisanorum nostras recognoscentes galêas, altum mare cum tribus galêis tenere cœperunt; aliæ verò duæ galêæ & galeonus unus se restrinxerunt ad terram. Galêæ autem Januenses die & nocte cum fanariis dictas naves insequebantur. Tres autem de nostris galêis dictas duas galêas & galeonum insequutæ fuerunt, de quibus Jaffettus de Arenzano Comitus unus ex nostris galêis in tantum unam ex Pisanorum galêis insequutus fuit, quòd prope Agogiastrum declinavit ad terram. Ipse verò descendens in terram, homines persequendo, quum eos habere non posset, galêam de terra extraxit, & eam duxit apud Bonifacium. Alia verò galêa & galeonus nocte superveniente evaserunt. Dicta autem ultima die Madii, facta maris tranquillitate, naves & galêæ tres Pisanorum restrinxerunt & se ligaverunt ad invicem. Galêæ autem Januensium cœperunt se parare ad bellum, &, prœlio hinc inde commisso, ad ultimum dictæ naves in ore gladii per nostros captæ fuerunt; & accepto argento, quod erat in eis, & rebus subtilibus, atque Pisanis, qui erant in eis, igne concremaverunt easdem, & versùs Bonifacium venire procuraverunt. Admiragius verò noster, habito Sapientum consilio, qui cum eo erant, Ja-

Januam redire curavit. Applicuit igitur Januam die XXII. Junii sanus & incolumis cum toto stolio sibi commisso, receptusque fuit ab omnibus cum gaudio & triumpho, & in carceribus Communis Januæ DCCCCXXX. consignavit carceratos,& marchas argenti XXVIII. millia Januinorum in dictis navibus captas, ex quibus X. millia Januinorum operi Darsinæ, quæ est extra Portam-Vaccarum, consignata fuerunt. Dimisit autem apud Portum Veneris Guilelmum Ficusmatarium cum galêis IV. Vicarium de prædictis, quæ in offensione Pisanorum erant armatæ ad soldos, qui cum duabus ex eis cum Pisanorum vexillis ad portum Pisanum perrexit; & quum Pisanorum crederetur esse galêas, duo Antiani civitatis Pisanæ, qui ibant in una Vachetta armata cum hominibus XVIII. causâ muniendi portum Pisanum, iverunt ad nostras, quos Antianos cepit & Januam duxit.

Dum autem supradicta taliter agerentur, armata fuit in Janua una galêa, cui præfuit Henricus de Merlo de Castro, ut iret versùs dictum Thomam Spinulam Admiragium galêarum nostrarum, & eidem notum faceret, quemadmodum Admiragius prædictus Pisanorum cum galêis LIV. discesserat de portu Pisano, & quando; sed dictus Henricus nostrum Admiragium non invênit. Interim Admiragius Pisanorum, audito de captione suarum navium & galêarum, versùs Pisas festinavit redire cum tristitia & dolore; sed fortunâ temporis galêæ XXV. ex eorum stolio discesserunt, & apud Calarum pervenerunt. Reliquæ verò cum suo Admiragio se in portu Faresiæ recluderunt. Januenses non audientes quòd galêæ prædictæ erant armatæ in Pisis, & timentes de nostro stolio, cui præerat dictus Thomas, paraverunt galêas LIV. & unam sagitteam, quarum quatuor ex eis erant armatæ ad soldos pro guardia facienda. Reliquæ L. armatæ fuerunt peroptimè ad apodixias tam de nobilibus & popularibus civitatis, quàm de Potestatiis & tota Riperia. De quibus Dominus Conradus Auria filius Domini Oberti Capitanei Communis & Populi Januæ fuit Admiragius constitutus, qui discessit de Janua die XXVII. Junii, ut posset dictas galêas LIV. Pisanorum invenire extra portum Pisanum. Et die sequenti applicuerunt apud portum Pisanum, positis galêis IV. pro guardia extra Veronicam, ibique stetit nostrum stolium prope turres portus Pisani per unam balistatam tota die ipsa & nocte sequenti. Et in die Martis steterunt usque ad Tertiam levando laudem Communis Januæ, & illos, qui erant in turribus, balistando, turrim etiam Veronicæ diruentes. Quum autem nullus exiret extra palos portus Pisani, nam Admiratus volens invenire Pisanorum galêas jam dictas, quas audierat adhuc in obsidione Alegrii permanere, fecit eas navigare de versùs Plumbinum cum toto suo stolio & sagitteam unam misit de versùs Elbam, dictans in mandatis eidem, ut facerent viam intra Elbam & Caprariam, & in versùs Alegrium navigare festinarent. Et si nova aliqua de prædicto stolio Pisanorum haberent, redirent ad eum, & facerent viam de Plumbino. Galêæ verò Pisanorum jam erant in plagia de Castagneto; & audientes, quòd galêæ nostræ erant apud portum Pisanum, retrocedentes se inter palos portus Farexiæ reduxerunt, optimè se necessariis ad eorum defensionem munientes, Ligna in ostio portus plena lapidibus affundantes. Nostri verò hoc ignorantes, versùs Plumbinum die ac nocte navigantes, die Mercurii ultima Junii in mare pervenerunt super terram Plumbini, & præmittentes galêas duas ad discooperiendum portum Farexiæ, cognoverunt ibi adesse stolium Pisanorum, & cum gaudio magno revertentes, prædicto nostro navigio nuntiaverunt.

Nostri autem hæc audientes, hilares & jucundi se credentes cum inimicis prœliari pro certo, arma sumentes perrexerunt versùs Farexiam modo & forma, quibus convenit prœliari; sed Pisani ad prœlium minimè exire voluerunt. Nostri autem hæc perpendentes & cogitantes qualiter possent inimicos meliùs debellare, & eos inde extrahere, paraverunt barbottas, & de scalis nostrarum galêarum junctis insimul fecerunt pontes in mari, ut eis meliùs appropinquare valerent. Erat enim parvus fundus de passibus duobus usque in tres, præter in uno canali, per quæ Ligna intrant ibidem, in quo ipsi Pisani affundaverant barchas quamplures. Ignorabatur autem à nostro exercitu de illis galêis XV. Pisanorum, quæ propter fortunam temporis Calarim iverant. Tamen semper de die & de nocte galêæ quatuor per nos in guardia tenebantur longè per milliaria circa sex apud Insulam, quæ Cervi dicitur, quæ est inter Plumbinum & Elbam. Quæ omnia Ligna eadem transitum facientia, & de Calaro & Principatu & aliunde venientia, ad Armiragium apud Farexiam transmittebant, cujuscumque nationis exstarent; qui inimicos retinens, ab inimicis obsides accipiens Januam transmittebat, sic quòd eis misit Ligna quamplura onerata caseo, carnibus, & grano. Quumque sic die ac nocte parmaneret, cogitando semper inimicos offendere, ecce quòd die Dominico IV. Julii in ortu Solis galêæ nostræ de guardia signa fecerunt, per quæ cognovimus, quòd viderent Ligna quamplura. Erat quippe in illa hora tranquillitas maxima maris. Admiratus hoc videns, præcepit galêis XXII. de nostris, quòd ad custodiam portus Farexiæ taliter permanerent, ne inde possent inimici recedere ullo modo, si contingeret nos Ligna, quæ vidimus, longo debere sequi itinere. Admiragius iter arripiens cum galêis XXXII. versùs Ligna, quæ jam apparebant, cognovit ea esse galêas Pisanorum; quumque essemus cum dictis nostris galêis prope Insulam dictam Calvi per milliare circa unum, ventus cœpit esse fortis à Sirocco. Pisani autem discooperientes nostras esse galêas Januensium, quamvis à principio crederent esse Pisanorum, ferierunt in terram ad plagiam Plumbini, ut vitam possent evadere; sic quòd de eis nisi quatuor habere potuimus, ex quibus una submersa fuit. Quum autem haberemus in nostris galêis de Pisanis captis DC. inter quos CL. & plures erant graviter vulnerati, ordinatum fuit, quòd carcerati mitterentur Januam in duabus galêis, & postea rediremus versùs Farexiam in obsidione illius, sic quòd cum toto stolio discessit die V. Julii.

Eodem anno quum dictum esset in Janua, quòd quidam Civis Pisanus nomine Bindo Busaro armaverat galêas duas, & unam navem in Calaro, & in partibus Hispaniæ navem Hugolini Bajoni Spinulæ ceperat oneratam mercibus Burgensium Majoricæ, armatæ fuerunt

runt pro Communi Januæ galêæ V. & unus galeonus ad soldos, de quibus vir nobilis Philippus Cavaruncus fuit Capitaneus constitutus. Qui pergens in Hispaniam, inimicos invenire non potuit. Dum autem rediret per Garbum, invênit navem unam Pisanorum oneratam mercibus, quam cepit, ac Januam transmisit, quæ valuit libras MCCL. Dictus autem Bindo cum suo armamento & nave capta prædicta apud Calarum est reversus. Pisani autem ad animum revocantes, quòd nostræ galêæ traxerant moram in partibus suis, armaverunt galêas LXIV. de quibus Rubeus Buscarinus Civis Pisanus de Domo Sismundorum fuit Admiragius ordinatus. Et jactaverunt projicere lapides in Modulo Januæ. Quod quum fuisset narratum Oberto Auriæ Capitaneo Januæ, Pisanis fecit nuntiare, quòd ipse in tantum appropinquaret eisdem, quòd labor eis non esset Januam venire. Dictus autem Admiragius Pisanorum de mense Septembris apud Portum Venerem cum dictis galêis accessit, quumque descendisset in terram cum hominibus galêarum in loco, qui dicitur Caput-Castaneæ, pro vineis & arboribus hominum Portus Veneris devastando, homines illarum partium undique concurrentes ibidem irruerunt in eos, & vertentes eosdem in fugam, trecenti ex eis in mari & in ore gladii perierunt. Quum autem de Pisanorum adventu ad notitiam Januensium pervenisset, in diebus tribus paraverunt galêas LXX. peroptimè armatas, de quibus Dominus Obertus Auriæ Capitaneus Communis & Populi Januensis Admiragius exstitit ordinatus. Qui cum dicto stolio versùs Portum Venerem velociter properavit. Pisani habentes galêas suas in guardia, dum vidissent vela nostrarum galêarum, quæ jam supra Caput-Montis pervenerant, quamcitiùs etiam cum turpi & periculoso tempore recedere curaverunt. Nostri autem apud Portum Venerem accedentes, & invenientes Pisanorum stolium recessisse, Januam redierunt, & maximè propter tempora vindemiarum, quæ instabant. Eodem etiam tempore receptus fuit ad gratiam Communis Januæ Dominus Moruel Marchio Malaspina, qui antea ab hominibus Januæ multùm odio habebatur pro eo, quòd currente anno Domini MCCLXXVIII. burgum Clavari manu armata intraverat, ut superiùs fuit narratum; & ob hoc Communi Januæ promisit ascendere infra certum tempus in Sardiniam personaliter cum hominibus L. ad soldos Communis. Quare de mense Januarii anni sequentis armatæ fuerunt in Janua ad apodixias galêæ........., de quibus fuit Admiratus Petrus Arcantus, in quibus Caccianemicus de Volta, & Dominus Moruel Malaspina prædictus cum suis L. militibus in partibus Sardiniæ iverunt, & die II. Februarii in portu Turris alacriter pervenerunt. Depositis verò ibidem militibus, dictus Admiragius versùs Calarim ad offensionem inimicorum perrexit.

MCCLXXXIV. hoc anno fuit Potestas Januæ dictus Dominus Michaël de Salvaticis, prædictis Capitaneis cum eodem civitatem regentibus. Hoc etiam anno armatæ fuerunt Pisis galêæ XIV. de quibus Johannes Cavarca de Domo Gajetanorum fuit Admiragius constitutus, pro insequendo galêas prædictas Petri Arcanti. Et quum ad Insulam S. Petri in Sardiniam pervenisset, & nova habuisset, quòd dictus Petrus versùs Hispaniam navigasset, versùs castrum Calvi redire curavit; & castrum prædictum propugnans, damnum recepit potiùs, quàm intulit; & sic Pisas fuit reversus, qui à Rectoribus Pisarum in mandatis habuit, quòd homines de dictis galêis descendere nullo modo permitteret. Intendebant enim obviare galêis quinque mercatorum, quæ parabantur in Janua cum magna quantitate argenti pro eundo in Romaniam. Addiderunt etiam ipsi Pisani alias galêas XX. Quare Januenses fecerunt armare ad soldos in Janua galêas XI. & duos galionos, de quibus Henricus de Mari fuit Admiragius constitutus pro associando dictas galêas V., & alias galêas IV. quæ erant armatæ in cursum. Moveruntque de portu Januæ die XXII. Aprilis, & iverunt per viam Plumbini, ibique quamplures barchas Pisanorum combusserunt. Ceperunt etiam in partibus illis unam navettam de Marsitanis, quæ de portu Pisano die præcedenti discesserat, didiceruntque per eam, galêas XXXIV. armatas esse in portu Pisano pro associando duas naves, quæ ibant in Sardiniam cum militibus, de quibus Comes erat Facius Capitaneus, Admiratus verò dictarum galêarum erat Petrus Ucius Civis Pisanus. Quumque nostræ fuissent supra Tolarium per milliaria circa viginti in mari, invenerunt quamdam navem Venetorum oneratam pannis & aliis mercimoniis Pisanorum. Erat in ea Comes Facius supradictus cum LXX. equis & militibus, qui ibant in Sardiniam in offensionem Januensium, qui castra & terras habebant in Judicatu Turritano, eamque ceperunt. Dum autem in dicta nave taliter permanerent, ecce galêæ XXIV. Pisanorum cœperunt apparere. Audierant enim Pisani, quòd nostræ galêæ erant XXII. tantùm. Nostri autem videntes dictas XXIV. galêas Pisanorum, & credentes esse XXXIV., galêas diviserunt, & ignem imponentes in navi, versùs inimicos navigare cœperunt, & prœlio hinc inde commisso durissimè usque ad Vesperas, nostris Deo favente cessit victoria; & de ipsis Pisanis incontinenti VIII. galêæ per nostros captæ fuerunt, & una submersa. Reliquæ verò evaserunt nocte obscura superveniente; & Admiragius noster redivit Januam cum magna victoria & triumpho.

Eodem anno armatæ fuerunt in Janua ad apodixias, & per Riperiam galêæ XXX. de quibus vir nobilis Benedictus Jacharias fuit Admiragius constitutus, cum quibus decessit de Janua die Mercurii Sancto, & in offensionem inimicorum perrexit, ac in die Paschatis fuit in portu Pisano, ibique per plures dies permansit. Ac inde recedens invênit unam navem Venetorum, quæ de Buzea veniebat onerata lana, & eam cepit. Veneti autem Ambasciatores suos Januam transmiserunt, asserentes navem & onus esse Venetorum; sicque eis reddita fuit. Cepit etiam in Gulpho Calari aliam navem Venetorum oneratam de hominibus Pisarum de Neapoli venientem, eamque misit in Bonifacio, & deinde Januam. Eodem anno Pisani videntes, quòd Commune Januæ habebat extra Januam prædictas galêas XXX. armaverunt LXXII. galêas, & duas platas oneratas trabuchis & lapidibus scarlato faxiatis, se vanagloriando, quòd prope portum Januæ venirent in tantum, quòd supra Modulum projicerent lapides taliter faxiatos. Quod quum Ja-

Januenses intellexissent, miserunt unum Lignum armatum cum literis ad dictum Benedictum Jachariam inquirendum, significans eidem totum Pisanorum processum, & quòd, visis literis, Januam festinaret redire. Dictus autem Benedictus literis receptis versùs Januam curavit properare, & applicuit celeriter in portu cum toto suo stolio. Miserunt etiam ad civitates & loca Ripериæ Orientalis & Occidentalis, ut omnes venirent pro ascendendo in galêas contra inimicos Pisanos. Pisani autem parato eorum stolio, & platis, & trabuchis, cum suo Potestate venerunt ad partes Ripariæ Occidentalis, scilicet Albinganæ. Januenses verò intelligentes Pisanorum stolium in illis partibus pervenisse, cucurrerunt omnes ad arma; & illi, qui jam de Riperia in Januam venerant, similiter. Et in die illa LVIII. galêas & VIII. panfili armati fuerunt à Tertiis usque ad Vesperas, in quibus Dominus Obertus Auriæ Capitaneus Communis & Populi Januæ cum duobus suis filiis, & quasi cum omnibus aliis de Domo sua, ascendit celeriter. Die autem eadem dictus Benedictus circa Vesperas ad Caput-Montis apparuit, vidensque prædictas galêas Pisanorum Januensem portum incontinenti intravit, nemine de ipsis discedente. Fuerunt autem galêæ nostræ numero LXXXVIII. & panfili VIII. Pisani autem ad portum Januæ timentes accedere, eadem nocte retro navigare cœperunt. Mane autem facto quum inimicorum galêæ versùs Ponentem apparerent in extremis, noster Admiragius intendens eorum impedire recessum, versùs Caput-Montis accessit. Deinde altum mare cum suo stolio ingrediens, per diversas partes maris multas galêas currentes transmisit, ut de ipsis certam posset habere notitiam. Quumque ad Caput-Corsum in Corsicam pervenisset, didicit Pisanorum stolium die altero in sero ibidem fuisse, & aquam levasse, atque inde versùs portum Pisanum perrexisse. Nostri verò timentes, ne possent pervenire ad optatum desiderium dimicandi, non modicum doluerunt; & quamvis in nostris galêis modica exstaret aqua, tamen absque aliqua mora versùs portum Pisanum perrexerunt. Quumque nostrum stolium die Dominico VI. Augusti ante Veronicam portus Pisani per tria milliaria pervenisset, in duabus aciebus Pisani ordinatis eorum galêis, quæ erant juxta turres portus, magno animo contra Januenses cum eorum stolio optimè præparato venerunt; & ab utraque parte commissum est prœlium terribile & acerbum. In quo prœlio galêa Potestatis Pisarum vênit ad pugnam cum galêa Oberti Auriæ Januensium Admirati, & galêa Benedicti Jachariæ viriliter ac celeriter circa galêam prædictam Potestatis se ponens, ceperunt eamdem prœlio longo perdurante. Galêa verò, ubi erat Stantarium Communis Pisarum, vênit ad pugnam cum galêa S. Matthæi, in qua erant illi de Auria; & post diuturnum & periculosum prœlium captum fuit Stantarium Pisanorum. Pisani autem hoc videntes, se verterunt in fugam, & sic nostris cessit victoria. De Pisanis verò facta exstitit tanta strages, quòd mare rubrum undique apparebat; & captæ fuerunt de galêis Pisanorum XXIX. & VII. submersæ. Reliquæ verò Pisanorum galêæ versùs portum Pisanum fugere curarunt, se intra catenam reponentes.

Prœlio autem sic terminato, nostrum stolium in nocte intravit portum Pisanum, & quædam de nostris galêis in ipsa nocte apud Portum Veneris perrexerunt; nam vox quædam per exercitum ivit, quòd Admiratus recedebat. Videntes autem unam recedere, aliæ recedebant; & mane facto ipse Admiratus videns de nostris galêis recessisse circa XXX. & turres portus munitas prospiciens, de portu Pisano discedens, circa Completorium in Portum Veneris pervênit sanus & incolumis; & exinde rediit in Januam cum tam nobili triumpho in Vigilia B. Laurentii, receptusque fuit cum magna lætitia & honore. Quum autem factum fuisset per homines Januæ tam notabile & magnum triumphum, cogitaverunt Lucani, Florentini, & alii homines de Thuscia civitatem Pisanam ad partem Guelfam reducere, quum sola civitas Pisana in Thuscia per partem regeretur Guibellinam. Et miserunt Nuntios & Ambasciatores in Januam, asserentes eos velle facere societatem nobiscum ad destructionem civitatis Pisanæ. Quæ quidem societas facta fuit duratura per annos XXX. ad quam societatem venerunt etiam Senenses, Pistorienses, & alia loca Thusciæ. Pisani autem hoc audientes, miserunt in Januam duos Fratres Prædicatores, asserentes se facturos in totum quod Communi Januæ placeret. Januenses autem Florentinis & Lucensibus confidentes, & verba Pisanorum falsa esse credentes, & verba talia proferre, ut societatem ipsam impedirent, verba Pisanorum dimittere (5) noluerunt, sed ad dictam societatem firmandam miserunt quatuor Ambasciatores, & eam firmaverunt; & sic omnes de societate civitatem Pisanam & omnes Pisanos publicè diffidarunt in personis & rebus, hostes adjudicantes eosdem. Igitur Pisani cognoscentes se non posse resistere societati prædictæ, volentes suæ civitatis ruinam evadere, de consilio carceratorum, qui erant in Janua, & quibus miserunt de Pisis, data est potestas & plenum dominium usque in annos decem civitatis Pisanæ & districtus ipsius Domino Comiti Ugolino ad suam voluntatem, qui quidem erat de parte Guelforum, quamvis de eis paucissimi tunc temporis in civitate Pisana reperirentur, existimantes, Lucenses, Florentinos, & alios homines de Thuscia versùs eumdem esse favorabiles, ac etiam defensores. Et sic in veritate accidit, ut Pisana civitas regi cœperit per partem Guelforum. Lucenses verò, Florentini, & alii de Thuscia, qui Pisanos diffidaverant, securè Pisas ire cœperunt, & è converso.

MCCLXXXV. Hoc anno fuit Potestas Januæ Dominus Henricus Speta Jurisperitus Civis Astensis, & dicti Capitanei gubernabant civitatem cum eodem. Ipso quidem anno armatæ fuerunt in Janua per Commune galêæ III. ad soldos, de quibus Guilelmus Ficusmatarius fuit Capitaneus constitutus, qui circuens partes & Riperias Pisanorum, portum Farexiæ intravit, ibique invênit unum galeonum de novo constructum pro intrando in cursum, quem Capodoro vocabant; eumque cepit, & Januam deduxit; multasque alias barchas, quas ibidem invênit, incendio concremavit. Armatæ sunt etiam in Janua ad expensas Communis galêæ tres eodem anno, quæ

(5) *fortass.* admittere.

quæ portaverunt filiam Guilelmi Marchionis Montisferrati in Romaniam ad Andronicum Palæologum Imperatorem Græcorum, cujus uxor esse debebat. In ipsis etiam pro honore Domini Imperatoris Commune Januæ duos Ambasciatores transmisit. Duæ etiam galêæ de mense Martii ad soldos armatæ fuerunt in Janua pro Communi, de quibus Johannes Adelardus fuit Capitaneus constitutus, quæ in partibus Busanariæ ceperunt quamdam sagitteam Judicis Arboreæ, quæ portaverat in Sardiniam Dominum Andreottum socerum suum. Una similiter galêa armata fuit pro Communi, quæ portavit Fridericum Spinulam in Siciliam pro Ambasciatore. Dicto etiam anno die XXV. Aprilis armatæ fuerunt in Janua ad soldos Communis Januæ galêæ V. & una sagittea, de quibus Henricus Spinula fuit Capitaneus constitutus, qui cepit unam navem, quæ exiverat de portu Pisano, & eam cum quibusdam Lignis & carceratis Januam misit. Sequutus fuit etiam quamdam navem usque in Gulfum Calari, quam Pisani apud Calarum cum CCCC. servientibus transmittebant, & per fortunam temporis ab ejus manibus evasit. Veniendo de versùs Calarum, quum fuit inter Trapenam, & Insulam Corsicæ, invênit quamdam navem Catalanorum venientem de Tunesi, onustam lana & mercibus Barbariæ, quæ ibat ad portum Pisanum, quam quidem cepit, licèt esset bene armata; & sero facto dictus Capitaneus dictum Lignum Pisanorum combussit, & fuit apud Canevam. Item cum supradicto Ligno Pisanorum erant alia duo Ligna, & una barca Catalanorum de remis decem & octo. Barca verò capta fuit cum hominibus, & alia duo Ligna evaserunt, eo quòd Capitaneus non vidit ea. Deinde ivit in Riperiam Orientis usque Plumbinum, & invênit barcas Plumbini quamplures cum mercimoniis, & eas cepit & combussit, & stetit ad custodiam usque ad complementum trium mensium, & postea Januam rediit cum honore.

Eodem etiam anno armatæ sunt in Janua pro Communi de pecunia pro avariis collecta galêæ V. & unus galionus, de quibus Henricus Spinula fuit Capitaneus ordinatus, qui cum eis discessit de Janua die VI. Septembris. Quum autem essent in Sardinia, in portu Orestani cepit unam navem Gajetanorum caseo & pelamine oneratam, quam misit Januam. Deinde die XXVII. dicti mensis cepit supra Caput-Terræ, quamdam navem Venetorum euntem apud Calarum, in qua cepit quatuor Pisanos, & saxios duodecim brandonorum, & duos saccos lanæ, qui erant dictorum Pisanorum. Quæ omnia etiam Januam misit. Postmodum verò die XIX. Octobris violenter intravit portum Farexiæ ruptâ catenâ portus ejusdem, & inde extraxit Lignum unum de remis sexaginta sale onustum, & barcas quatuor, quas supra portum Pisanum adducens igne apposito fecit incendio concremari. Die postea XX. Octobris supra Motronum galionum Pisani de Plumbino de remis sexaginta quatuor invênit, quod erat armatum pro eundo in cursum, ita fuit coarctatum à nostris galêis, quòd ferivit ad terram, & homines evaserunt. Lignum verò prædictum cepit, & ipsum Januam transmisit. Subsequenter verò die ultima dicti mensis invênit in mari Tolariæ navem unam Venetorum onustam caseo & tunina de Sicilia venientem, & ad portum Pisanum euntem, quam quidem cepit, & Januam transmisit. His etiam temporibus missum fuit unum Lignum pro custodia Riperiæ facienda, qui recessit de Janua die . . . . & fuit Lignum Griffi, quod fuit armatum per tres menses ad soldos Communis; & custodivit tam bene & diligenter Riperiam, quòd toto suo tempore nullum ab inimicis damnum fuit illatum. In fine verò termini suorum soldorum rediit ad civitatem lætus & cum honore. Hoc etiam anno obiit Dominus Honorius Papa IV. & vacavit Ecclesia propter divisionem Cardinalium anno uno, mense uno, & diebus . . . .

MCCLXXXVI. Hoc etiam anno fuit Potestas Januæ prædictus Dominus Henricus Speta Civis Astensis, prædictis Dominis Oberto Spinula, & Conrado de Auria Capitaneis cum eodem regentibus Januam & districtum. Ipso quidem anno armatæ sunt in Janua per Commune galêæ X. de quibus Rolandus Ascherius fuit Capitaneus constitutus, qui vadens versùs Sardiniam quamdam navem Venetorum oneratam mercibus Pisanorum, & de Principatu Calari proficiscentem cepit, quæ valuit Communi ad utilitatem libr. XV. millia. In mari etiam Planusiæ aliam navem Venetorum oneratam grano Pisanorum, & Pisas proficiscentem cepit, quæ valuit Communi ad utilitatem libr. IV. millia. Dicto etiam anno armatæ sunt pro Communi galêæ X. & galeonus unus ad menses sex, de quibus Benedictus Jacharias prædictus fuit Admiragius constitutus, & cum eisdem portum Pisanum perrexit, ibique aliquibus diebus permansit. Deinde cum quinque versùs Barbariam perrexit pro inquirendis Cursalibus, quos intellexerat illuc pervenisse: Alias verò galêas quinque Nicolino fratri suo naturali, & Nicolino de Petracio commisit, ut cum eis irent ad partes Sardiniæ in offensionem inimicorum. Dictus igitur Benedictus in Gulfo Tunesi applicans, invênit ibi sagitteam unam, nomine Leopardus, quam in fugam ponens fecit ferire ad terram. Homines existentes in ea capti fuerunt per Sarracenos, & in carceribus positi. Sagitteam verò habuit dictus Benedictus. Cogitans autem inimicos offendere, versùs Siciliam navigavit, deinde in Principatum redivit. Quumque apud Neapolim pervenisset, invênit quòd Cursales ceperant quamdam navettam Januæ in portu Neapolis existentem, & eam duxerant apud Ischiam, & eam vendiderant quibusdam Venetis cum hominibus captis in ea; quam incontinenti habuit cum hominibus, & eam combussit, & locum Insulæ obsidendo petebat Lignum Pisanorum & homines, tamquam prædam suam, sibi restitui. In fine verò cum eis pacti sunt, quòd Lignum Cursalium combureretur, quod fecerunt. Dictus verò Nicolinus cum aliis V. galêis versùs Sardiniam navigans cepit duas naves Gajetanorum de Gulfo Calari exeuntes, grano, carnibus, & caseo oneratas, quas Januam transmisit. Quibus peractis & inimicis undique perquisitis, se invenerunt prædictæ X. galêæ in partibus Plumbini, seque invicem cognoscentes, insimul apud Portum Veneris perrexerunt. Dictus verò Benedictus suis variis & arduis negotiis impeditus prædictas omnes galêas dictis Nicolinis commisit, & Januam redire curavit. Ipsi autem

tem in mane apud Farexiam redeuntes portum intraverunt, ibique inventis duabus navibus in terram aduratas igne concremarunt. Barcas autem V. inde extraxerunt, quas ante Plumbinum similiter combusserunt. Deinde versùs Sardiniam procedentes quamdam navem oneratam vino Pisanorum ceperunt, & eam apud Bonifacium transmiserunt, quæ valuit ad utilitatem Communis libr. DCC. Et procedentes ulteriùs versùs Tunesim navigarunt, ibique Regi Tunesis nuntios transmiserunt, quòd eisdem Pisanos captos in terram sibi restitui tamquam prædam suam faceret; qui eis reddere noluit, dicens quòd hoc esset contra Sarracenorum legem, sed eos in carcere tenere promisit, quousque guerra inter Januenses & Pisanos duraret: quod quidem inviolabiliter observavit. Postmodum verò versùs Buzeam navigare cœperunt, quærentes semper offendere inimicos; & revertentes per Sardiniam & Corsicam, & de versùs portum Pisanum, Januam redierunt cum gaudio & honore.

Ipso etiam anno quum Leo Cigala quamdam galêam armasset, & pro suis negotiis apud Tunesim transmisisset, dum esset in partibus Carbonariæ, invênit plura Ligna Pisanorum onerata grano, carnibus, & caseo de Sardinia venientia, ex quibus cepit unam taridam, quæ valuit libr. V. millia Januinorum. Eodem insuper anno de mense Augusti galêæ V. mercatorum ibant in Romaniam, in quibus Lamba Auriæ Capitaneus erat, existens & Potestas, in partibus Sturiæ quamdam sagitteam Pisanorum incœperunt videre, quam posuerunt in fugam, & serivit in terram. Unde ad terram accedentes, & sagitteam petentes, homines quum eam restituere recusarent, nostri se paraverunt ad prœliandum eamdem. Tamdem pactis intervenientibus, dictam sagitteam reddiderunt Potestati jam dicto, quam incendio concremavit, ne posset alicui inferre damnum de cetero. Dicto etiam anno armatæ sunt pro Communi Januæ ad soldos trium mensium pro guardia Riperiæ facienda duo galeoni velocissimi, de quibus Gregorius de Auria fuit Capitaneus, & recessit de Janua die X. Julii, qui taliter Riperiam custodierunt, quòd in suo tempore Pisani damnum aliquod in Riperia facere minimè potuerunt. Insuper dicto anno unus galeonus Cursalium Pisanorum de remis accedens Neapolim quamdam naviculam Ottonis Venti ibidem invênit, in qua erant homines Januenses solummodo, & dictum galeonum videntes, statim velificare cœperunt. Cursales autem acceptâ unâ taridâ Venetorum, quæ erat ibidem post dictam naviculam, cum dicta tarida ad galeonum festinanter perrexerunt. Quumque adhuc esset in portu Neapolis prope terram, Cursales cum dicta tarida & galeono in naviculam insultum fecerunt; illi de navicula viriliter insistentes super galeonum, tamquam leones, mirabiliter saltaverunt, ac ipsum in ore gladii ceperunt, in quo homines vivi capti fuerunt .... Reliqui verò vel mortui gladio periere, vel se projicientes in mare ad jam dictam taridam habuerunt refugium. Et hæc quidem facta fuerunt in conspectu hominum de Neapoli, qui hoc pro maximo reputaverunt. Illi de navicula cum galeono capto, & carceratis Pisanis apud Panormum, suo postposito itinere, cum magno gaudio accesserunt. Armata sunt etiam iterum prædicta Ligna duo pro guardia Ripariæ facienda; de quibus dictus Gregorius Auriæ fuit Capitaneus constitutus. Item galêæ sex & tres galeoni, de quibus Capitaneus fuit Rolandus Ascherius, qui accedens ad partes Sardiniæ ad Carbonariam se posuit, Ligna inimicorum exspectans. Quumque ibidem per dies aliquot moram fecisset, ecce naves circa IX., quæ erant Venetorum & aliorum hominum de Principatu, oneratæ rebus, tam propriis, quàm Pisanorum, quibus obviam ivit, & eas fecit calare, atque acceptis obsidibus in singulo dictorum Lignorum posuit homines duos mittens Januam, vel Bonifacium.

MCCLXXXVII. Hoc anno fuit Potestas Januæ Dominus Henricus Brusamantica Jurisperitus Civis Papiensis, dictis Capitaneis cum eodem civitatem regentibus. Hoc anno quum pervenisset ad audientiam hominum civitatis Januæ, quòd Soldanus Ægypti detinuerat navem unam Spinuli Spinulæ, & Sociorum de ultra mare venientem oneratam mercimoniis, & valde divitem, quæ fortunâ temporis in Alexandriam diverterat; & quòd præceperat homines, qui erant in ea, custodiri, ac navem totam exonerari, miserunt ad ipsam liberandam nobilem Thomam Spinulam in una galêa bene armata. Ex alia verò parte Commune Januæ armari fecit de pecunia pro avariis collecta galêas V. & unum galeonum, de quibus supradictus Rolandus Ascherius fuit Capitaneus ordinatus, atque ut ad partes ultramarinas navigare deberet, habuit in mandatis, ut inimicos Pisanos offenderet, ac etiam Soldanum Ægypti, si restitutionem de ablatis non faceret antedicto Thomæ. Dictus autem Rolandus accessit die XXIV. Martii ad portum Aconis. Pisani verò, qui illuc venerant, hoc videntes requisiverunt Venetos, ut eis auxilium præstarent. Quare Pisani & Veneti galêas V. & taridas III. & alia plura Ligna munita illico armaverunt. Magistri autem Templi miserunt pro dicto Rolando, ut iret apud Aconem ad loquendum cum eis. Dum autem ibidem ivisset, & esset in terra ad loquendum cum eis, vidit supradictas galêas & taridas armatas versùs se venientes; quare ipse incontinenti galêam suam ascendens contra inimicos cum festinantia navigavit. Inimici hoc videntes statim terga verterunt, atque in portum Aconis in tuto loco se posuerunt. Rolandus autem eos viriliter usque ad Turres est insequutus, atque ante ipsos se ponens, petebat prædam tamquam suam sibi dari ab hominibus dicti loci, asserens se numquam inde discessurum, nisi eidem adimpleretur sua petitio. Milites autem Templarii hæc, quæ viderant, maximum reputantes, & de Soldano Ægypti timentes, requisiverunt pro dono ipsi Rolando, quòd à petitis amore eorum desisteret, atque ab obsidione Aconis recederet, sicque quòd possent victualia undique invenire. Unde precibus eorum condescendens, versùs Tyrum navigavit, & exinde in Cyprum, ibique invênit dictum Thomam Spinulam, qui venerat de Ægypto, & qui cum Soldano compleverat quæ sibi per Commune Januæ commissa fuerant. Exinde autem navigantes tam dictus Thomas, quàm dictus Rolandus cum omnibus suis galêis, apud Clarentiam pervenerunt, ibique dictus Rolandus gravi infirmitate detentus diem clausit extremum, de cujus morte homines Januæ multùm doluerunt; & meritò, quum esset vir probissimus, & qui fa-

facta Communis eidem commissa strenuè semper & cum honore Communis & suo semper adimpleverat.

Ipso etiam anno armatæ sunt pro Communi Januæ de pecunia pro avariis collecta galêæ IV. & unus galionus, de quibus Nicolinus de Petracio fuit Capiteneus ordinatus, qui recessit de Janua die XXIV. Aprilis in Festo B. Georgii, & ad portum Pisanum accessit, & in partibus illis quinquaginta sex diebus continuis moram traxit. Ordinaverat etiam secretè cum Benedicto Jacharia, quòd portum Pisanum posset intrare & frangere. Igitur dictus Benedictus paravit unam suam galêam, & die sexta Julii summo mane idem Benedictus se posuit in medio duarum turrium, ubi est portus galêarum, & parvorum Lignorum, & ibi magnum sustinens laborem, turres transire non potuit, sed fuit vulneratus in gamba, de qua magno tempore jacuit infirmus & quasi ad mortem. Dictus verò Nicolinus cum sua galêa & una alia ad catenam turrium, ubi est portus navium, accedens, per violentiam fregit eam, atque portum intrans incendio concremavit omnia, quæ ibidem erant, scilicet naves tres, & taridas quatuor, de quibus una erat onerata caseo & lana. Combusserunt etiam bertrescas IX. & trabucos II. magnos, quæ facta erant ibidem pro fortia & custodia dicti portus. Sic & taliter steterunt ibi usque ad medium diem; atque accipientes ferra de trabuchis, & de catena, & homines sex, quos ibi invenerunt, & galêis ponentes, in signum victoriæ in Ecclesia B. Laurentii postea collocari fecerunt. Dictus igitur Nicolaus de Petracio ad Portum Veneris accedens, & hominibus vulneratis in terra positis, apud portum Pisanum redire curavit cum suis galêis, atque diebus septem continuis in dicto portu permansit. Quibus transactis quum terminus suorum soldorum esset completus, Januam rediit cum honore. Dictus verò Benedictus dictam suam galêam misit ad partes Romaniæ pro suis peragendis negotiis. Armatæ sunt etiam pro custodia Riperiæ per Commune Januæ una galêa & unus galeonus, de quibus Francischinus Porcellus fuit Capitaneus constitutus, & recessit de Janua die IX. Julii, & navigans versùs Provinciam pervênit ad portum S. Margaritæ, & ibi intellexit esse unum Lignum Pisanorum in Gulfo Fregiurii, & statim perrexit ad dictum locum, & vidit prædictum Lignum Pisanorum fugare quoddam Lignum Provincialium, & erat de remis septuagintaduobus. Prædictus verò Capitaneus cœpit persequi dictum Lignum Pisanorum, quod ferivit in terram, & homines evaserunt per fugam.

MCCLXXXVIII. Isto quidem anno supradictus Dominus Henricus Brusamantica fuit in Potestatem Januæ confirmatus; & quum esset sapiens & discretus, & malefactores sagaciter inquireret & puniret, data est ei potestas omnis & bailia super maleficiis & justitia facienda, sic quòd prædicti Capitanei de prædictis se intromittere non valerent. Qui quidem suum officium bene & sapienter exercuit, & multos malefactores suo tempore punivit, & ultimo damnavit supplicio, ita quòd malefactores suo tempore cogitaverunt civitatem relinquere. Hoc etiam anno armatæ sunt pro Communi Januæ de pecunia pro avariis collecta galêæ IV. de quibus fuit Leonellus Advocatus Capitaneus constitutus, quæ de Janua discesserunt die Sabbati sancto, habentes soldos ad tres menses. Dicto etiam anno die XXV. Martii Frater Hieronymus Cardinalis Episcopus Sabinensis de Ordine Fratrum Minorum, natus de loco, qui dicitur Ascoli, patre Scriba, electus est in Papam, & vocatus Nicolaus IV. Quum autem appropinquasset tempus regiminis, ad quod erant electi Capitanei, cogitavit Populus & amici ejus de habendis Capitaneis; & post multos & varios tractatus tamdem convenerunt mense Martii in Palatio Potestatis, & elegerunt sibi in Capitaneos prædictos Dominum Obertum Spinulam, & Conradum Auriæ usque ad annos quinque proximè venturos in festo SS. Simonis & Judæ incipiendos. Qui ducti in parlamento dictum regimen noluerunt jurare, nisi usque ad annos tres proximè venturos. Hoc etiam anno die XV. Aprilis firmata fuit & jurata pax inter Commune Pisarum in civitate Januæ per utrumque Commune, scilicet per Syndicos utriusque Communis. Nam carcerati Pisani, qui erant in Janua antea per menses tredecim & ampliùs, eam cum hominibus Januæ tractaverunt, promittentes eamdem per Commune Pisarum facere observari sub certis pœnis, & pecunia magna deposita, & obsidibus ob hoc datis. Unde homines Januæ dubitantes, ne dictæ quatuor galêæ, quibus dictus Leonellus Advocatus præerat, ulteriùs offenderet, revocaverunt eas die Pentecostes, quamvis adhuc per dies triginta sex servire deberent. Comes autem Ugolinus, & Judex Galurii, Potestas, & Domini civitatis Pisanæ de dicta pace dolebant; sed propter timorem Populi palàm contradicere non audebant. Sed miserunt in Sardiniam Cursalibus, pro ut fertur, quòd armarent in cursum, & caperent Januenses quoscumque possent habere. Cursales verò hoc scientes, armaverunt in Orestano, & in Calaro, ubi Comes Guelfus filius dicti Comitis Ugolini dominium tenebat, galêas II. & unum galeonum, & euntes apud Alegerium uno mane navem Gilini de Finario, quæ ibidem onerabatur carne & caseo, & quæ propter pacem juratam securè manebat, ceperunt, & eamdem combusserunt; homines verò existentes in ea apud Orestanum portantes, in duris carceribus posuerunt, & hæc fuerunt de mense Madii.

Interim prædicti Cursales cum dictis Lignis quamdam taridam Danielis Restæ apud Pœnas Sancti Erasmi contra pacem juratam ceperunt, & eam & homines apud Orestanum similiter deduxerunt. Dicti etiam Cursales duo Ligna in eodem loco iterum ceperunt, & de Orestano de mense Julii recesserunt Buzeam, & inde in Hispaniam navigantes, quum invenissent quamdam navettam Guilelmi Bottari oneratam sale, quam occasione pacis juratæ non bene armaverant, eam debellantes ceperunt; & ipsam & quasi omnes alios existentes in ea occiderunt; Lignum verò combusserunt. Januenses hæc audientes, & non parum admirantes, miserunt Nicolinum de Petracio de mense Junii apud Pisas, petentes damnum emendari; & ab attentatis & commissis de cetero abstinere secundùm formam pacis initæ & juratæ. Pisani ostendentes se dolere de talibus, ut moris eorum est, qui unum dicunt, & aliud faciunt, responderunt se misisse, & adhuc se esse missuros pro eis; & si non abstinerent à talibus de

de cetero, quòd filios & uxores eorum carceribus manciparent, ipsos verò perpetuo exilio damnarent. Januenses verò attendentes, quòd Pisani eis majus damnum intulerant tempore pacis, quàm guerræ, festinanter armare fecerunt III. galêas, & unum galionum ad menses tres de pecunia pro avariis collecta, quibus præfuit Petrus Embronus Capitaneus constitutus, & die VIII. Julii de Janua discessit ad custodiam Januensium eundo solummodo ad persequendum Cursales prædictos. Habuerat siquidem in mandatis expresse aliquos alios Pisanos non offendere ullo modo; quamvis enim prædicti jam damna Januensibus intulissent, & etiam tempus pacta observandi per eos esset elapsum, nihilominus Januenses nolebant eos capere nisi diffidatione præmissa. Et quia verba pulchra & mirabilia quotidie Januam per suos Ambasciatores frequenter mittebant, tardabant diffidationem transmittere expectantes eos facere, quæ in pace promiserant, & juraverant. His igitur sic manentibus, Archiepiscopus Pisanus, & Gibellini de Pisis, prætendentes in Populo, quòd prædicti Comes Ugolinus & Judex Galuriæ, qui tunc Pisanam civitatem regebant, nolebant pacem promissam & juratam servare, imò Januensibus damnum inferre cum dictis Cursalibus, surrexerunt ad arma die undecima Julii, prœlioque in civitate Pisana commisso captus fuit dictus Comes cum duobus filiis suis & nepotibus, & in carcere positi. Prædictus verò Judex Galuriæ apud Lucam aufugit, misitque dictus Archiepiscopus, & Rectores, quòd notum facerent hominibus Januæ, quòd mitterent galêas apud portum Pisanum, quoniam ipsi turres portus prædicti, & etiam dictum Comitem & filios & nepotes ejus volebant ponere in virtutem & potestatem Communis Januæ: quod quidem callidè promittebant. Isto etiam anno Communia Januæ, Mediolani, Papiæ, Placentiæ, Cremonæ, & Brixiæ confœderationem fecerunt ad invicem contra Guilelmum Marchionem Montisferrati usque ad annos decem duraturam. Nam dictus Marchio immemor beneficiorum receptorum à civitatibus Januæ, Papiæ, & Astæ, conjunxit se cum inimicis ipsarum.

MCCLXXXIX. fuit Potestas Januæ vir nobilis Dominus Beltramus de Carcheno Civis Mediolanensis, cui super maleficiis & ratione cuilibet reddenda attributa est plena potestas. In ipso anno die IV. Martii Communis Januæ emit medietatem castri Quiliani, & quædam alia jura, & possessiones ibidem, pro ut continetur in Instrumento scripto manu Guilelmi de Caponibus Notarii dicto anno & die. Ipso etiam anno dictus Benedictus Jacharia, perpendens homines Tripolis velle recedere à promissionibus eidem pro Communi Januæ factis, ivit ad castrum Nephini, ubi Domina Luciana cum Magistro Hospitalis venerat, cum qua fœdus & pactiones inivit. Dum autem hæc talia agerentur, Soldanus Ægypti potentissimus, nomine Alfir, attendens civitatem Tripolis in multa turbatione & permutatione manere, accessit ad obsidionem ipsius cum infinito exercitu, ad quam defendendam Rex Cypri misit fratrem suum cum quantitate militum & peditum. Templarii quoque, & milites & pedites de Syria, Veneti etiam, & Pisani illuc iverunt in maxima quantitate pro defensione ipsius, ad quam etiam accessit celeriter supradictus Benedictus. Tamdem omnes resistere non valentes, quamvis civitas esset fortissima, & bene gentibus munita, per vim prœlii cepit eamdem die XXVI. Aprilis. Dictus verò Benedictus recollectis hominibus & feminis, parvis & magnis, quos potuit, eos posuit in supradictis galêis, & in una sua nave, quam ibidem habebat, & in Insulam Cypri securi asportati fuerunt. Ipse verò Benedictus, depositis hominibus in Cypro, apud Tyrum, & Aconem perrexit, ut confortaret homines dictorum locorum. Tamdem in Armeniam rediit, & colloquio habito cum Rege Antonio filio Regis Leonis, qui nuper decesserat, impetravit ab eo pro Communi Januæ quemdam fundicum, qui fuerat uxoris quondam Guilelmi Strejaporci, sive Salvatici, & quòd homines Januæ possent ascendere in Turchiam cum suis ballis & mercibus pro satis minori pretio, quàm solvere solebant.

Interim verò quum Paulinus Auriæ esset Consul Januensium in Caffa, audito de obsidione Tripolis, hoc exposuit coram mercatoribus & Burgensibus dicti loci, qui statim ordinaverunt illuc transmittere subsidium galêarum; ibique erant galêæ tres armatæ Januæ, quæ de Janua illuc mercatores in illis diebus portaverant, quas conduxerunt certo pretio eisdem solvendo de suo proprio, si Commune Januæ illud pretium solvere recusaret. Unde collectis asperis VI. millibus, & balistariis in eis impositis, dictum Paulinum præposuerunt eisdem. Qui versùs partes Orientales navigans audivit in Cypro de civitatis Tripolis captione, & de dicto Benedicto, qui in Armeniam iverat. Illuc igitur properans dictus Paulinus cum dictis galêis, & invento dicto Benedicto, versùs Occidentales partes se associavit cum illo; quumque fuissent in partibus Candelorum in Turchia, invenerunt in mari per milliaria circa decem navem unam Sarracenorum de Alexandria venientem, eamque per vim prœlii ceperunt, & homines gladio trucidarunt. Soldanus verò prædictus his auditis omnes Januenses, quos in terra Ægypti invênit, fecit detineri in personis & rebus: qua de causa mense Decembris armata fuit una galêa in Janua, in qua ivit Missaticus pro Communi Albertus Spinula, qui pergens ad Soldanum relaxationem nostrorum plenariè impetravit. Commune autem solvit galêis, quæ dictum Paulinum portaverant, quidquid contribuerant ad armandum, ut alii caperent bonum exemplum subveniendi Communi, quandocumque expediret. Eodem quoque anno homines Januæ attendentes quòd Marchio Montisferrati litigabat libenter cum eis de Wada, & partibus de ultra Jugum, emerunt à Domina Guerrera filia & herede quondam Henringacii de Bosco, & uxore Leonis Marchionis de Ponzono partem illam, quam in Wada, & in partibus illis ex successione patris habebat pro libris . . . . Januinorum, pro ut continetur in Charta scripta manu . . . . quamvis de jure amisisset eamdem, eo quòd dictus pater ejus Communis Januæ Feudatarius tempore Regis Caroli guerram fecisset Communi Januæ pro supradicto Rege, & eidem fidelitatem de feudo Communis jurasset.

Hoc quoque anno mense Decembris Alfir Soldanus Ægypti à suis plus amicissimis & privatis tossicatus fuit, & obiit. Et filius ejus eidem in Soldania & dominio Ægypti suc-

cessit, qui postquam pedem firmavit in dominio, tossicatores patris variis pœnis afflixit. In ipso anno die prima Januarii inter Vesperas & Completorium quidam Nobiles Januenses conjurationem factam per sex menses antea contra Capitaneos & Populum Januæ cogitaverunt deducere ad effectum. Nam tunc surrexerunt ad arma, quamvis dicta conjuratio dictis Capitaneis & Populo esset incognita. In ipsa quidem conjuratione fuerunt Grimaldi omnes; insuper illi de Flisco, de Nigro, illi de Castro, Malloni, & Salvatici, Embriaci, de Marino, Malocelli, Falamonicæ, Piccamilii, Guisulphi, & Cybo, fuerunt pro majori parte in dicta conjuratione, & multi alii Nobiles hujus civitatis. Prædicti igitur, & eorum comitiva armati, tam pedestres quàm equestres ad S. Laurentium subitò pergentes, Ecclesiam & turres S. Laurentii munierunt, ac ad domum Abbatis Populi Januæ, quem Populus elegerat, & sibi præfecerat, fecerunt insultum. Abbas verò Populi cum paucis de Populo eisdem resistentibus ad Palatium Potestatis & Capitaneorum accedere minimè potuerunt. Imò ipsos in fugam verterunt, equis quampluribus occisis, & lethaliter vulneratis. Populus autem interim armatus ad Palatium Abbatis sui, & ad Palatia Potestatis, & Capitanei perrexit viriliter. Interfuerunt etiam in auxilio Populi & Dominorum Capitaneorum Dominus Philippus de Volta, & alii de Domo sua; qui fracto ostio domus, ubi certa quantitas conjuratorum se recollegerat, eos verterunt in fugam, quampluribus de eis & eorum sequacibus mortuis, vulneratis & captis. Qui verò evaserunt, se cum aliis conjuratis intra Ecclesiam B. Laurentii recluserunt. Alii verò amici Populi Januensis ad domos suas exspectabant diei adventum. Dum autem conjurati intra Ecclesiam B. Laurentii taliter reclusi exstarent, & ignis esset positus in portis Ecclesiæ, ut faciliùs posset fieri insultus in eos, quidam se posuerunt mediatores, & juraverunt mandata Dominorum Potestatis, & quòd essent affidati ipsi, & ipsorum adjutores in personis & rebus. Capitanei autem, & Abbas Populi, habito consilio amicorum videntes, quòd si tot Nobiles perirent, civitas Januæ maximum inde periculum incurreret, eos affidaverunt, & media nocte ad domos suas fecerunt eos conduci. Mane autem facto, ut civitas magìs esset tranquilla posuerunt circa quadraginta in confiniis, ubi vellent, & eos post paucos dies permiserunt ad domos suas redire.

Anno Domini MCCXC. fuit Potestas Januæ vir Nobilis Dominus Johannes de Lauro civis Cumanus, cui ad modum præcedentis Potestatis super tota ratione reddenda cuilibet plena fuit attributa potestas. Hic quidem fuit vir sapiens & discretus, & multos malefactores tempore suæ Potestatiæ punivit. Ipso etiam anno & mense fuit Januæ Consilium celebratum, qualiter posset hominibus Januæ prohiberi, ne accederent ad civitatem Pisarum, & qualiter posset eis meliùs fieri guerra viva. In quo ordinata est Credentia de novo, in qua homines quatuordecim tantùm erant, quibus circa prædicta data est in omnibus potestas plenaria. Quæ Credentia statim armare fecit ad mensem unum ad solidum unum galeonum, cui præfuit Guilelmus de Montaldo, ut caperet omnes euntes Pisas tam Januenses, quàm alios. Dicti etiam Sapientes providerunt, quòd Commune Januæ armare poterat galêas CXX. Unde statuerunt, quòd ad præsens armarentur galêæ X. pro mensibus IV. & fecerunt divisionem de hominibus Riperiæ pro armamento eorum, accipientes à quolibet loco pro ipsis decem galêis ut infra; & si contingeret de cetero fieri armamentum majus vel minus, quòd acciperentur homines de locis Riperiæ pro eadem ratione, scilicet Roccabruna II. Mentonum III. Vintimilium L. Podium Raynaldum III. Sanctus Romulus & Ceriana LX. Talia XXV. Portus-Mauritius L. Sanctus Stephanus V. Petra-lata suprana & subtana X. Comites Henricus, Philippus, & Obertus de Vintimilio XXXIII. Linguilia, & Castellarium XV. Potestatia Trioræ L. Dianum XL. Cervum XV. Andoria XXX. Albingana LXII. Episcopatus Albinganæ XLV. Dominus Manuel Marchio Cravesanæ XL. Coxe & Pronasio VIII. Finarium LXII. Naulum XXV. Episcopatus Nauli III. Quilianum X. Savona LXII. Arbizola VI. Varago, & Celle sinè hominibus Savonæ L. Vulturum C. Pulcifera LXXV. Bisamnis C. Rechum XX. Rapallum XXX. Clavarum C. Sigestrum LXXV. Levantum XX. Passanum & Lagnetum III. Matarana, Carodanum supranum & subtanum V. Corvaria C. Carpena LXXV. Portus Veneris XXV. Vezanum XVIII. Arcula X. Trebianum III. Ilex XX. qui sunt in totum homines MDXLIII. Insuper hæc Credentia, taliter dispositis, sapienter ordinavit cum Commune Lucano, ut ipsi cum Commune Januæ facerent guerram Pisanis. Et sic armatæ sunt in Janua galêæ VI. & unus galionus ad soldum ad sex menses, de quibus Dominus Henricus de Mari fuit Admiragius constitutus. Qui discessit de Janua die XVII. Junii, & statim versùs portum Pisanum perrexit, & præmittens ante se galeonum unum cepit in bucca Arni platas tres oneratas grano, quas apud Portum Veneris destinavit. Deinde apud portum Pisanum perrexit, & in ipso itinere cepit quamdam barcam, in qua erant duo Fratres Prædicatores, qui veniebant ad Commune Januæ ex parte Communis Pisarum cum Cartha de Syndicatu, & cum quodam tractatu; quæ omnia dictus Admiragius cepit, & Januam Communi transmisit. Dictus autem tractatus fuit lectus in Consilio, & in eo continebatur, quòd Pisani volebant Calarum usque ad annum, & de omnibus aliis, quæ continebantur in pace facta & jurata, volebant esse à Commune Januæ quietati. Quare his auditis Januenses fuerunt vehementiùs animati ad guerram cum ipsis. Quum itaque Luchetus Auriæ in Corsicam Vicarius ivisset, & propter corporis infirmitatem Januam venisset, & de novo mitteretur in ea alius Vicarius, scilicet Nicolaus Buccanigra cum militibus C. & balistariis . . . . ascendit in taridis duabus & barchis, qui Nicolaus recessit de Janua die V. Julii, & applicuit ad Insulam Elbæ, quæ erat Communis Pisarum; & ascendens in terram dicta die Burgenses prœliando, eos intra burgum loci reduxit. Quumque serò jam esset, & Januenses cessarent à prœlio usque manè, illi de burgo se reduxerunt in castro; quumque diu castrum prœliassent, tamdem venerunt ad mandata Communis Januæ, & obsides quadraginta de melioribus illius Insulæ dederunt, & Vicarius promisit eis

eis eosdem tenere, sicut illos de Bonifacio.

Quum autem hæc agerentur, ecce dictus Henricus de Mari, qui de sua infirmitate sanaverat, & de novo posuerat in mari, applicuit ibidem cum suis galêis. Dictus verò Nicolaus in Lignis ascendens cum gente sua cœpit versùs Corsicam navigare. Henricus aùtem de Mari, positis obsidibus in suis galêis, ivit in portum Pisanum, ibique permanens obsides transmisit ad Portum Veneris in suo galiono. Credentia verò diebus tribus elapsis post recessum dicti Nicolai sciens quæ fieri debebant per ipsum de captione Insulæ Elbæ; & obviare intendens, ne Pisani eidem possent dare succursum, fecit præparari omnes galêas, quæ inventæ fuerunt in portum Januæ, quæ abire debebant ad tempus in Romaniam, & fuerunt inter omnes galêæ XVIII. & galeoni IV. de quibus factus est Admiragius Dominus Conradus. Auriæ Capitaneus Communis, & Populi Januensis. Qui discessit de Janua die XII. Julii, & apud Portum Veneris perrexit. Pisani autem de obsidione castri Elbæ intelligentes, præparabant se eidem dare succursum; sed audientes, quòd galêæ Januensium separaverant de Janua, & jam apud Portum Veneris applicuerant pro insequendo eosdem, ab incœptis destiterunt omnino. Galêæ autem Januensium dicto Domino Conrado Auriæ Admiragio earum apud Elbam subsequenter navigare cœperunt, & munito castro, ac recepta fidelitate ab hominibus loci, rebus dispositis Januam redierunt cum gaudio & triumpho. Eodem quoque anno & mense Nuncius & Syndicus Communis Lucani vênit Januam, offerens dictum Commune velle venire ad portum Pisanum per terram, si Commune Januæ illuc vellet ire cum galêis, & aliis necessariis pro dicto portu demoliendo. Quod quidem hominibus Januæ valde fuit acceptum. Sicque factus est Admiragius dictus Conradus Auriæ galêarum XX. & paratis trabuchis, & platis, cum barbottis, & aliis necessariis pro turribus dicti portus capiendis & diruendis, discessit de Janua die XXIII. Augusti, & in dicto portu applicuit. Lucenses verò adhuc non venerant. Die autem sequenti Admiragius Januæ paratis platis, & cum eis balbottis, misit eas ad turrim de versùs Ponentem, quæ erat optimè per Pisanos fornita omnibus necessariis ad prœlium. Homines igitur in barbottis existentes cœperunt fodere dictam turrim. Quum eam fodissent, & in pontellis posuissent, quum illi de turri nullo modo se reddere vellent, igne imposito in pontellis tota diruit, de qua evaserunt homines Pisani XIV., qui per barcas Januensium capti fuerunt. Alii verò perierunt sub ea. Dum autem ignis esset impositus, ut supra dictum est, Potestas Lucanus cum toto Communi civitatis Lucæ portum Pisanum applicuit, & videns ignem in dicta turri appositum cœpit valde admirari, sic quòd illis prospicientibus ante ipsorum castrametationem turris tota diruit, ut dictum est.

Lucenses verò subsequenter juxta Liguriam & alias partes sunt castrametati, & sequenti die perrexerunt ad debellationem Liguriæ, quam jam homines dicti loci dereliquerant, & Pisas perrexerunt, eamque totaliter præter Ecclesiam posuerunt in terram. Januenses verò miserunt barbottas prædictas ad alias turres dicti portus demoliendas, quas omnes diruerunt. Permansit igitur exercitus per mare & per terram circa portum Pisanum usque ad medietatem mensis Septembris, domos, & vineas, & arbores devastantes. Nam homines Januæ cum barchis & aliis Lignis victualia ministrabant exercitui Lucano, atque descendentes in terram vineas & alia devastabant ad libitum. His peractis Lucenses per terram, & Januenses per mare versùs Wadam cum eorum exercitibus perrexerunt. Sed Januenses propter siccum ad terram minimè ire potuerunt ad dictam Wadam debellandam. Lucenses verò loca circumquaque adjacentia devastarunt; atque licentiâ à Januensibus acceptâ, uterque exercitus redivit ad propria. Sicque dictus Admiragius redivit Januam triumphaliter cum toto suo felici stolio, & receptus fuit cum gaudio & honore. Eodem quoque anno amici Capitaneorum cum illis de domo ipsorum, videntes, quòd non placebat majori parti hominum Januæ, quòd Dominus Obertus Spinula, & Dominus Conradus Auriæ essent Capitanei Communis & Populi, finito jam tempore, ad quod fuerant electi, & quòd volebant potiùs habere Capitaneum de extra Januensem civitatem, rogaverunt eosdem, quòd eis placeret condescendere ad voluntatem hominum de domo sua, & aliorum amicorum suorum. Qui eorum precibus annuentes elegerunt duos viros prudentes, scilicet Guidonem Spinulam, & Obertum Auriæ patrem dicti Domini Conradi, qui capitula & ordinamenta componerent, sicut meliùs hoc fieri posset, ad salvamentum Populi Januensis, & amicorum suorum, & illorum de domibus ipsorum. Qui sæpe convenientes in unum, inter alia ordinaverunt, quòd Capitaneus esset perpetuò in Janua de extra civitatem & districtum; & quòd Consiliarii & Antiani & omnia alia officia darentur medietas illis de Populo, & alia medietas Nobilibus, & alia plura, quæ scripta sunt & posita in capitulis Communis Januæ. Quæ omnia Populus & Nobiles Januenses juraverunt in totum observare. Eodem quoque anno Commune Januæ emit ab heredibus quondam Lanfranchi Malocelli majoris quartam partem & XVI. unius quarterii Varaginis, & quamdam partem de Cellis, & in Arbizola similiter pro libris . . . . pro ut continetur in Instrumento confecto manu Jacobi Benesia Notarii.

Anno MCCXCI. fuit Potestas Januæ Dominus Guilelmus Brunus Civis Astensis Jurisperitus, qui in anno MCCLXXX. fuit similiter pro Potestate in Janua. Hoc quidem anno mense Martii Carolus Rex Siciliæ Januam vênit cum duobus Cardinalibus, qui de Francia & Aragone veniebant, & aliquot diebus cum ipsis stetit in civitate Januæ, alliciendo verbis pulchris & suavibus multos Magnates & de Populo insimul, & divisim, ut eidem essent favorabiles in habendo Commune Januæ in suum auxilium ad recuperandum Regnum Siciliæ, illorumque, à quibus responsionem placabilem habuit, in scriptis suis fecit nomina poni. Deinde Cardinales versùs Romam, & ipse Rex versùs Provinciam eorum itinera direxerunt. Hoc anno de mense Madii quum prædicti Capitanei, scilicet Dominus Obertus Spinula, & Conradus Auriæ jurassent non esse de cetero Capitanei, ut superiùs est narratum, & tempus instaret eligendi Capitaneum de extra civitatem Januæ & districtum, ut fuerat or-

ordinatum, electus fuit in Capitaneum Januensis Populi nobilis vir Dominus Lanfrancus de Suardis Civis Bergomensis, qui vênit Januam tempore ordinato, & cœpit Officium, sive Capitaniam sapienter & strenuè gubernare. Hoc quidem anno armatæ sunt in Janua ad soldum Communis ad menses tres galêæ VI. & unus galeonus, de quibus Franciscinus Porcellus fuit Capitaneus constitutus, quique recessit de Janua die XXIV. Februarii. Fuerunt etiam armatæ galêæ VII. & duo galeoni ad menses tres ad soldos Communis, de quibus fuit Nicolinus de Petracio Capitaneus ordinatus, qui recessit de Janua die VIII. Martii. Cepit autem Franciscinus Porcellus navem unam Venetorum, quæ erat in partibus Montis-Nigri, & Januam transmisit. Et quum nova pervenissent in Janua, quòd Pisani cum quibusdam Catalanis armabant in Calaro quamdam navem magnam pro onerando ibidem de carne, caseo, & aliis mercibus occasione deferendi Pisas, ideo homines Januæ armaverunt navem unam Ansaldi de Savignono ad menses tres, cui galêas duas Nicolini de Petracio assignaverunt pro dicta navi capienda, si perveniret ad partes Pisanas. Et quum dicta navis Catalanorum esset in partibus Zigi, navis Ansaldi cum una galêa super ipsam pervênit, & eam investivit & cepit, quæ valuit ad utilitatem Communis Januæ libras MDC. Aliam quoqué navem dictus Ansaldus cepit in partibus ipsis Zigi nomine Aquilam, venientem de Girgento oneratam grano, quæ pro majori parte erat hominum de Pisis, & in ea erant quatuor Mercatores Pisani. Dictus quoque Nicolinus de Petracio cum suis galêis cepit duas naves Catalanorum prope portum Pisanum venientes de Sicilia oneratas grano eorum, ac ipsas transmisit in Janua, ac etiam plures barcas. Quum autem dicta navis Ansaldi de Savignono complevisset tempus, quo armata fuerat pro Communi, homines Januæ cupidi Pisanos destruere, armaverunt navem quamdam Nicolæ Auriæ ad menses tres, in qua fuit Capitaneus constitutus Gregorius Auriæ, cui assignatæ fuerunt duæ galêæ ex dictis galêis Nicolini de Petracio. Quum autem galêæ, quibus præerat ipse Nicolinus de Petracio complevissent tempus, ad quod fuerant armatæ, & redirent Januam, in ipso instanti Pisani, qui in Plumbino paraverant barcas plures, milites CL. & pedites DC. posuerunt in eis, & apud Longonum in Insula Elbæ applicantes, & barcas adurantes in terra, incontinenti totam Insulam sinè contradictione aliqua habuerunt. Deinde castrum in ea positum, & per Commune Januæ munitum, fortiter expugnare cœperunt. Die verò sequenti Gregorius Auria cum suis tribus galêis & cum uno galiono & una barca ad ipsam Insulam Elbæ applicuit; quem quum Capitaneus dictorum militum vidisset, dubitans ne castrum munitum per Commune Januæ habere posset, valde timuit, & voluit dare dicto Gregorio equos tres de melioribus de exercitu, quos vellet eligere, & Florenos auri D., ut ipse permitteret eum cum ejus comitiva de dicta Insula discedere, & apud Plumbinum redire. Dictus verò Gregorius cognoscens, eos victualia non habere, & sperans homines castri Communi Januæ fore fideles, maximè quum obsides LXXX. dictæ Insulæ de melioribus haberent in Janua, hæc facere recusavit. Interim verò quidam ipsius Insulæ habitator Thedisius nomine, qui sæpe magnum honorem in Janua à Communi acceperat, & quidam alii proditores dicti loci ordinaverunt Pisanos in dictam Insulam, & qui erant de majoribus dicti loci, faverunt illis, qui erant in dicto castro, qui esse favorabiles Communi Januæ videbantur; & eos in tantùm precibus & pretio seduxerunt, ut Castellanus castrum ipsum Pisanis reddidit. Dicto quoque anno quum Dominus Obertus Spinula, & Conradus Auriæ essent in fine sui regiminis, ob quod electi fuerant, per Consilium magnum extitit ordinatum, quòd uterque eorum de pecunia Communis Januæ libras MMM. Januinorum habere deberet. Ipsi verò in festo Beatorum Apostolorum Simonis & Judæ ad domos proprias perrexerunt, & Dominus Antonius Lanfrancus de Suardis Civis Nobilis Bergomensis cœpit illo die Capitaneatus Populi Januensis officium exercere, quod bene & strenuè exercuit ad complementum unius anni.

Anno Domini currente MCCXCII. fuit Potestas Januæ Dominus Guilelmus nobilis Civis Astensis, qui omnimodam bailiam habuit in justitia facienda, secundùm capitula civitatis Januæ. In ipso anno die IV. Aprilis Nicolaus Papa de hoc seculo migravit, & vacavit Ecclesia annis duobus, mensibus tribus, & diebus......... Ipso etiam anno armatæ sunt in Janua una galêa, & unus galeonus ad quatuor menses pro custodia Riperiæ, quibus præfuit Lanfrancus Guercius. Armatæ etiam sunt tunc temporis pro Communi Januæ galêæ VI. & duo galeoni ad menses sex, de quibus Gregorius Auriæ prædictus fuit Capitaneus constitutus. Qui recessit de Janua die XXVIII. Martii. Pervênit autem ad aures Januensium, quòd Pisani cum quibusdam Catalanis armabant contra Januenses in cursu quamdam navem in Calaro, quam emerant à quibusdam Venetis, & unam galêam, & unum galionum cum ea, & eam balistariis, & aliis necessariis optimè præmuniebant. Unde homines Januenses conduxerunt navem Nicolai Auriæ ad duos menses, & duas galêas Thedisii Auriæ paratas optimè cum ea pro insequendo eamdem, quibus nobilem virum Raffum Embriacum Capitaneum ordinaverunt, habentem in mandatis, ut eamdem versùs Sardiniam & Siciliam perquirere non cessaret. Datum etiam fuit in mandatis dicto Gregorio Auriæ, ut versùs Sardiniam se transferret, & si haberet nova de eis, contra ipsos procederet; si verò de eis aliqua nova non haberet, transferret se versùs Hispaniam. Recesserunt igitur de Janua dictæ galêæ die prima Aprilis, & apud Portum-Delfini, ubi navis dicti Nicolai Auriæ hyemaverat, dicta die pervenerunt. Dictus verò Raffus cum dicta nave & galêis recessit de Portu-Delfini die IV. Aprilis, & versùs Sardiniam & Siciliam navigans, & duobus mensibus eam perquirens, de inimicis nova aliqua non habuit, sicque tempore ejus completo Januam redivit, nullum damnum inferens inimicis. Insuper dictæ galêæ duæ Thedisii de Auria, quum jam essent quasi duo menses completi, petierunt licentiam à Domino Raffo veniendi Sardiniam pro onerando de carne & caseo apud Motronum deferendis. Qui eis licentiam concessit, ut intrarent Gulfum Calari, & inimicos offenderent, si aliquos ibidem invenirent. Ipsi autem apud Insulam Rubeam, quæ

quæ est prope Sulfum, iverunt, ut aquam levarent eis necessariam; ibique morantes viderunt quamdam navem magnam de tribus coopertis, cui obviam navigantes cognoverunt eam esse Pisanorum. Quæ quidem onerata mercibus de Alexandria veniebat; ac duobus diebus insequentes eamdem insultum terribilem in ipsam fecerunt, & ascendentes ceperunt eam, quod quidem fuit die XI. mensis Junii. Erant autem in ea homines ad arma LXXXV. ex quibus vivi evaserunt solummodo XL. vel circa, & quamplures Mercatores Pisani.

Dum autem hæc agerentur, & pervenisset ad notitiam Mercatorum Januensium, qui erant in Majorica, quòd navis quædam Pisanorum cum aliis Lignis accessisset ad partes Hispaniæ, incontinenti duas naves fecerunt pingi de flavo, & eas peroptimè armaverunt, scilicet navem Franceschini Ricii, & Sociorum, & navem Jacobi Lomellini, & unam galêam cum eis pro dicta nave insequenda cum aliis Lignis. Quod Pisani audientes, & de Januensibus timentes, se recollegerunt ad Cantariam. Januenses verò insequentes eam, apud Cantariam perrexerunt. Quare Pisani aduraverunt navem, & cum rebus & personis descenderunt in terram. Quum autem à terra per Januenses trahi non posset, igne in eam imposito combusserunt, & navis dicti Franceschini unam magnam partem arboris combusti Januam portavit. Insuper quum Papa Nicolaus prædictus ante suum obitum ordinavisset teneri continuò galêas XX. armatas in Insula Cypri pro ipsius Insulæ & Regis Armeniæ contra Sarracenos defensione, Cardinales volentes hoc adimplere, statuerunt Admiragium super omnes nobilem virum Manuelem Jachariam, qui quidem promisit habere in Janua galêas armatas XII. Et Thedisius Auriæ, qui tenebat vicem Manuelis, habere galêas VIII. Verùm quum ordinatum esset districtè in Janua, quòd aliqua persona non posset armare aliquam galêam in servitium, seu nocumentum alicujus Domini, vel alicujuscumque personæ sinè licentia Consilii Generalis, Potestas Januæ volebat ob id condemnare dictos Manuelem, & Thedisium in quadam summa pecuniarum pro quolibet. Dictus verò Manuel, qui jam de Janua recesserat, cum tribus galêis ad Curiam Romanam festinavit, & habito colloquio cum Cardinalibus impetravit ab eis literas, quas per unum Legatum Januam miserunt, continentes, quòd condemnationes aliquas Potestas facere non deberet in prædictis; &, si factæ essent, eas revocaret, quum hoc factum fuisset pro succursu Terræ-Sanctæ; & super his verba rogatoria & comminatoria detulerunt. Quare homines Januæ, habito Consilio Generali, in servitium Ecclesiæ condemnationem aliquam facere abstinuerunt, ac ut dicti Manuel & Thedisius in servitium Ecclesiæ possent stare per annum unum concesserunt. Eodem quoque anno galêæ VII. Mercatorum Januensium, & duæ etiam de ultramarinis partibus venientes, invenerunt in partibus Siciliæ quamdam navem de tribus coopertis armatam peroptimè de balistariis Catalanis & aliis necessariis, quam Rogerius de Loreto Admiragius Siculorum Pisas transmittebat oneratam frumento, de quo in Janua erat maxima caristia. Quumque illi de navi requisiti essent pluries per mercatores, & homines galêarum dictarum, ut calare deberent pro inquirendo in ea hostes Pisanos, & bona eorum, & contemnerent verba Januensium, ac se se fortes demonstrando invitarent eos ad prœlium, homines de galêis ex verbis hujusmodi fortiùs animati peroptimè armaverunt se, & ad prœlium paraverunt, ac insimul insultum facientes in navem quamcitò juxta eam fuerunt, non timentes balistas, lanceas, lapides, nec alia jacula, quæ ab illis de navi pro eorum defensione jactabantur, continuò ab omnibus partibus ascenderunt eam, & vi ceperunt, ac Januam miserunt. Quum autem pervenissent Januam, Commune granum & navem restituit domino, qui præerat dictæ navi, qui pro emendatione arnisiorum & rerum derobatarum habuit de pecunia Communis libras MMCC. At quia dictus Admiragius erat homo, qui damna & injurias sibi illatas ad animum revocabat, missus fuit pro Communi Januæ Ambasciator Federicus Spinula ad Fridericum Vicarium Regis Siciliæ pro fratre suo Jacobo Rege Aragonum, & qui se Regem Siciliæ similiter appellabat, ut notificaret eidem, qualiter evenerat culpâ illorum de navi damnum, quod illis illatum extiterat, de quo homines Januæ doluerunt, & de omnibus facta jam fuerat emenda. Quæ dum dictus Fridericus pro firmo cognovit, patienter supportavit, ac jussit dicto Admiragio ut faceret illud idem.

Dicto etiam anno armati sunt in Janua duo galeoni pro custodia Riperiæ facienda, quibus præfuit Lanfrancus Guercius. Item galêæ III. & unus galionus, & duæ barchæ fuerunt armatæ in Janua pro offensione Pisanorum. In ipso anno Dominus Beltramus de Ficienis nobilis Pergamensis Civis electus in Capitaneum Januæ vênit de mense Septembris, & suum officium bene & strenuè gessit toto tempore sui regiminis usque ad annum. Die verò prima Decembris Comes Atrabatensis de prosapia Regis Franciæ, Episcopus Oriliensis magnus Consiliarius dicti Regis, & Dominus Petrus Frota miles ex parte dicti Regis, ac Dominus Johannes Scotus miles, & Magister, & Bartholomæus de Capua, & alii milites ex parte Domini Caroli antedicti Regis Siciliæ intraverunt Januam cum honorabili comitiva. Legatus etiam Cardinalium, quoniam Apostolica Sedes tunc vacabat, post paucos dies intravit similiter Januam, petentes omnes unanimiter, majus Consilium convocari pro eis audiendis, quæ proponere cupiebant. Quod quidem Consilium die V. Decembris fuit convocatum, in quo pulchra verba, & satis decentia ex parte dictorum Regum per eosdem fuerunt narrata; & petierunt tractatores dari debere eisdem, dicentes expressè, dictos Reges multa & magna velle facere Communi Januæ, & ad utilitatem magnam ipsius. Sicque obtinuerunt, non tractatores, sed examinatores dari eis debere, quibus datis obtulerunt multa Communi in scriptis, ac à Communi similiter magna petentes, & quærentes; quæ oblationes & petitiones, ac etiam nostræ petitiones in Consilio supradicto lectæ fuerunt distinctè, & solemniter auscultatæ. Et tunc quasi omnes Consiliarii in duorum sententias concordarunt, una quarum hæc fuit, quòd firmaretur per Consilium, quòd omnes Januenses deberent recessisse de terris omnibus Regis Franciæ, & Regis Caroli, & Regis Aragonum in-

infra certum tempus; quod si non observaverint, non intelligantur esse sub protectione Communis Januæ, nec eis per Commune aliquod auxilium impendatur. Altera verò sententia fuit, quòd petitiones & oblationes dictorum Ambasciatorum ponerentur in duobus scriptis, unum quorum sigillaretur in majori Consilio Ambasciatorum, & poneretur in custodia Archiepiscopi Januæ, ut nihil posset addi, vel minui, & aliud ejusdem tenoris remaneret apertum penes Abbatem Populi, ut quælibet persona de eo semper posset habere copiam, ita quòd per hujusmodi scriptum taliter sigillatum Commune Januæ non intelligeretur dictis Regibus in aliquo obligatum, nec è converso. Verùm quia quampluribus videbatur hujusmodi sigillationem, ac etiam præceptum & ordinamentum, quòd omnes Januenses de terris dictorum Regum deberent recessisse, ut dictum est superiùs, posse afferre generale præjudicium & periculum non modicum Communi, & hominibus Januæ, & maximè mercatoribus, fuit proposita alia sententia, scilicet quòd Potestas & Capitaneus, & Abbas Populi irent ad domos dictorum Ambasciatorum, & pulchra ac decentia verba eisdem darent, & specialiter de divisione, quæ est modò in civitate Januæ de factis prædictis: dicant, quòd propter hoc ad præsens non potest eis fieri certa responsio, sed possunt stare, & recedere ad suam voluntatem, & si vellent addere, vel minuere in scripto quod dederant, possent facere, pro ut eis videretur. Nam homines Januæ suis loco & tempore consilium caperent, quod crederent esse ad honorem Dei, & totius Communis, & Populi Januensis. Facta autem tali responsione, videntes Ambasciatores, quòd nihil proficerent, & maximè de Societate, quam inter Regem Siciliæ, & Commune Januæ venerant pertractare, die . . . . Januarii de Janua recesserunt irati, nec in Communi Januæ scriptum aliquod dimiserunt. Et quum fuerunt Nemesi, ubi Januenses mercatores securè morabantur, eo quòd conventio esset inter Commune Januæ & Regem Franciæ, quòd ibi negotiarentur, nec posset occasione aliqua in Regno Franciæ impediri in personis neque rebus, nisi dato priùs spatio unius anni, & dierum quadraginta, nihilominus torsellos XCIV. hominum Januæ ibidem, & in Aquis-Mortuis arrestari fecerunt, ac etiam galêas torsellis oneratas, dimissis velis fugam aggressas detinere voluerunt. De quo homines Januæ admiratione non modica moti, ordinaverunt Ambasciatam pro dicta arrestatione ad Regem Franciæ transmittendam. Tamdem dicti Ambasciatores quia hæc absque scriptura Regis Franciæ fecerunt, timentes ne ad aures pervenirent ipsius, post tres menses elapsos dictos torsellos relaxari fecerunt. Sed mercatores Januæ nihilominus in magnum damnum & dispendium incurrerunt. Unum quidem scribere non omitto, quòd per prædicta in Janua orta est divisio, & dissensio sic magna, quòd vicinus cum vicino, nobilis cum nobili, popularis cum populari, frater cum fratre, & quod plus est filius cum patre in plateis & vicis graviter & turpiter contendebant. Causam autem tanti discriminis & dissensionis poterit leviter in corde suo quilibet sapiens cogitare, quod Deus per suam sanctam misericordiam auferre, & quamcitiùs ad concordiam reducere dignetur.

Anno Domini MCCXCIII. fuit Januæ vir Nobilis ac Miles Dominus Petrus de Carbonensibus civis Bononiæ de eadem civitate tamquam Gibellinus expulsus, & civis Mantuanus effectus vênit ad regimen civitatis Januæ tempore ordinato. Eodem verò anno Lancellottus Marchio de Bosco vendidit Communi Januæ quartam partem Wadæ, & totum illud, quod citra aquam habebat pro libris MMMM. Januinorum, pro ut in Instrumento confecto manu Lanfranchi de Valario Notarii die XI. Maji plenariè continetur. Fuerunt etiam armatæ in Janua II. galêæ ad tres menses, de quibus Lanfrancus Guercius fuit Capitaneus ordinatus, ad custodiam utriusque Ripariæ, & Pisanorum offensionem, qui cum eis die XI. mensis Junii de Janua separavit. Insuper fuerunt armatæ in Janua galêæ III. & duo galeoni, & una barca cum eis ad tres menses, in quibus Januinus Merellus fuit constitutus Capitaneus, quæ die XXIX. Augusti de Janua recesserunt. Et quum in Sardiniam pervenissent, apud Caput-terræ descenderunt in terram, & illas turres combusserunt, & omnia ejus bona. Exinde verò prope Calarum descendentes, granum ibi collectum pro onerando in navibus igne imposito similiter cremaverunt. Insuper anno eodem mense Julii galêæ VII. Mercatorum Januensium venientes de Romania, dum essent in partibus de Coronexi ad remos, viderunt galêas IV. Venetorum per Templarios pro custodia Insulæ Cypri armatas, in quibus erat armamentum VI. galêarum tam de hominibus, quàm de paramentis. Habebant enim in Cypro II. galêas, quas etiam ex prædictis armare debebant. Dictæ quidem Venetorum galêæ extra Venetiam erant ad vela cum vento opportuno eisdem; & quum galêas Januensium à longè vidissent, velis & arboribus festinanter ad terram calatis versùs galêas Januenses diverterunt. Capitaneus verò galêarum Januensium unam de galêis suis versùs eas transmisit cum certis mandatis, ut scirent etiam quorum essent dictæ galêæ, & ad quas partes pergere intendebant. Quumque per ambas partes, cujus essent utræque galêæ, fuisset narratum, salutatione hinc inde facta, galêæ Venetorum se se semper armabant, & muniebant tamquam contra inimicos, & vertentes proras versùs galêas Januæ. Januenses verò se ad invicem instruerunt, & in modico tempore, & quasi absque pugna captæ fuerunt Venetorum galêæ, ac in ipsis interfecti homines CCC. & plures. Quibus captis, & recollectis hominibus, qui se in mari projecerant, restituerunt eisdem omnia, quæ potuerunt invenire de rebus ipsorum, & liberè permiserunt abire eosdem; quamvis, ut ipsi apertè narrabant, crederent omnes divites esse, & non credebant Januenses illis posse resistere, eo quòd in ipsis erat armamentum VI. galêarum, de quo mirabiliter confidebant. In adventu verò galêarum, quem fecerunt Januam, Sapientes graviter doluerunt; & missis Fratribus Prædicatoribus apud Venetias, retulerunt eisdem, qualiter Januenses de iis, quæ acciderant, condolebant, & quòd eis placeret Ambasciatores ex utraque parte in locum communem insimul convenire pro his & aliis controversiis. Sicque Ambasciatores ex utraque parte quatuor apud Cremonam mense Septembris convenerunt cum duobus Fratribus Prædicatoribus ex utroque Conventu, ibique

que per menses tres circa continuè commorantes non potuerunt ad invicem concordari. Quare per Ambasciatores Januæ facta fuit denunciatio Ambasciatoribus Venetorum, quòd Commune Januæ paratum erat observare treguam, & etiamsi aliquid contra eam factum erat, quòd parati erant omnia emendare. At ipsi responderunt, quòd super his instructi non venerant, sed quòd Dux & homines Venetiarum tamquam sapientes facerent, ut eorum Consilio videretur, & recesserunt de Cremona.

Januenses verò die undecima post Nativitatem Domini habuerunt magnum Consilium, in quo fuit determinatum, unum hominem incontinenti cum uno Notario transmittendum Venetias, qui supradictam denunciationem iterum faceret Duci & Communi Venetiarum, ac ab eis scire deberet apertè, si treguam servare volebant, an non, quia quæ contra eos per eos facta fuerant, parati erant emendare. Qui Ambasciator cum Notario recessit de Janua die VI. Januarii. Veneti verò jam armaverant galêas XIV. magnas velut taridas sub spe transmittendi eas cum mercatoribus & mercibus in Armenia & Cypro; quæ de Venetiis recesserunt penultima die Decembris. Quibus de causis post reditum nostri Ambasciatoris una galêa peroptimè fuit armata, quæ ire deberet veloci cursu in Siciliam, & in omnes partes Orientis, ubicumque Januenses essent, ac ipsis prædicta narraret, & faceret manifesta. Sed quum pervenisset in Civitate-Vegia, propter fortunam temporis passa fuit naufragium. Qualem autem responsionem habuerit Nuntius noster supradictus à Venetis, processus utriusque Communitatis alii Scribentes post me poterunt in scriptis enarrare. Quum autem adhuc guerra Pisanorum duraret, & difficile videretur posse accumulari pecuniam pro galêis armandis, ordinatum fuit, quòd omnes homines Januæ intus & extra civitatem solverent de cetero usque ad guerram finitam decem pro singulo capite, & tres pro singulo centenario de suo dispendio, ita quòd alicui pervenire ultra libras sex non posset. Dicto quoque anno Dominus Simon de Grumeliis miles, ac nobilis Civis Pergamensis in Capitaneum Populi Januensis jam electus vênit honorificè ad suum regimen in festo Beatorum Apostolorum Simonis & Judæ. Anno insuper eodem Lucenses, Florentini, Senenses, & aliæ civitates de Societate Thusciæ pacem inierunt cum Communi Pisarum, ita quòd omnia castra Pisanorum, quæ per homines Thusciæ capta erant, remanserunt eisdem ex pacto, & etiam in eadem multas franchisias habuerunt. Exules verò eorum redire in civitatem debebant, sed timore Gibellinorum plures ex eis, scilicet Judex Calari, & Vicecomites, & Heredes Comitis Ugolini, & Opizenghi noluerunt redire. Imò dicti heredes in Sardinia quotidie guerram ipsis & eorum sequacibus inferebant viriliter & potenter. Fuerunt armatæ in Janua pro Communi hoc anno galêæ XXI. & galeoni V. quæ quasi nihil ceperunt, quoniam Pisani ipso anno non fuerunt ausi intrare in mare, nisi fortè pauci Cursales. De galêis verò omnibus, & galionis armatis à tempore guerræ citra usque in hodiernam diem in summa DCXXVII. sicut vidi & certissimè didici. Aliquæ fortè galêæ armatæ fuerunt etiam pro Communi dicto tempore, de quibus mihi memoriæ non occurrit, & ideo eas non redegi in scriptis.

Cognoscat autem ventura posteritas, quòd his temporibus civitas Januensis divitiis & honore maximè coruscabat, & terræ omnes, & civitates, & loca Riperiæ à Corvo usque Monacum, & etiam ultra Jugum eidem obediebant in omnibus tamquam majori & matri; ac in terra & mari præ aliis civitatibus Italiæ honore, potentia, & divitiis coruscabat, quam Dominus omnipotens in his & majoribus semper de cetero conservare dignetur ad suum sanctum servitium. Nam quolibet anno à tempore guerræ citra armabantur etiam in Janua galêæ L. usque in LXX. per mercatores euntes in Sardiniam, Siciliam, Romaniam, & Aquas-Mortuas pro torsellis, atque ad alias mundi partes; & hoc durabat quasi continuè à medio Februarii usque ad medietatem Novembris, & ultra. Armabantur etiam in Janua quolibet anno galêæ & galeoni in maxima quantitate per homines Januæ pro lana, boldronis, & aliis mercibus deferendis apud Motronum, quæ singula scribere esset difficile. Colligebantur etiam à navigantibus euntibus & redeuntibus denarii IV. per ballam, qui in dicto anno fuerunt venditi pro uno anno tantùm in publica Callega libr. XLIX. millibus, & plus. Reditus etiam Communis, & pedagia, & aliæ Callegæ venditæ fuerunt dicto anno in publica Callega dictis denariis IV. computatis libr. CX. millibus, sinè eo, quod per Commune Januæ singulis annis percipitur de venditione Salis, quod est librarum XXX. millium, & plus. Quamvis his temporibus civitas Januæ in tanta esset sublimitate, potentia, divitiis, & honore, nihilominus tamen in civitate & extra homicidæ, malefactores, & justitiæ contemtores multiplicare cœperunt. Nam tempore dicti Potestatis malefactores quamplurimi gladiis & jaculis ad invicem die noctuque percutiebant, ac etiam perimebant. De quo Sapientes Januæ unanimiter condolentes, super his celebrato Consilio generali die XXIX. mensis Januarii, elegerunt inter eos XVIII. viros providos & discretos, quibus dederunt plenam licentiam & bailiam usque ad mensem unum duraturam, & plus ad voluntatem Consilii, ordinandi in omnibus, quæ spectarent ad bonum statum civitatis Januæ & totius districtus. Et Potestas tenetur præcisè deducere ad effectum etiam quod per eos, vel per duas partes eorum super his foret decretum. Homines etiam de Albergo Spinulorum ex auctoritate sua spontanea & voluntate, & pro bono statu civitatis Januæ & totius districtus, & ne reputarentur cupidi habere hujusmodi officia, renunciaverunt in dicto Consilio non recipere, nec habere Potestatiam aliquam, seu Castellaniam in districtu Januæ usque ad annos quinque proximè venturos. Dicti verò XVIII. sic electi processerunt ad id, in quo fuerunt ordinati, & quamplura de bonis Communis per aliquos occupata fecerunt reducere in Communi, pro ut plenariè continetur in Actis scriptis manu Lanfranchi de Valario MCCXCIV. mense Januario, & Februario. Et postea subsequenter quæ per Scribentes post me poterunt in scriptis redigi ad memoriam futurorum.

Verùm quum Dominus omnipotens præcipiat, & humiles exaltet, & potentes de sede deponat, conveniens & decens est, quòd Januen-

nuenses omnes sermone & operibus dignas laudes & gratias referant altissimo Creatori, qui dignatus est civitatem Januæ tot & tam graves injurias modernas & antiquas illatas Deo, & hominibus Januæ, ac etiam convicinis eorum in Thuscia, in terra, & in mari, vindicari, & sua fluentissima largitione in tantum exaltare, honorare, & sublimare multitudine personarum, abundantia divitiarum, fortitudine animi, magnanimitate, victoriis, strenuitate, & meritis dignitatis, quòd Antecessores nostri minimè meruerunt. Quis non cogitabit potentiam civitatis Pisanæ in terra & in mari, quæ in superbiam elata more Gigantum in cœlum ascendere putabat, quot homines utriusque sexus, quantam pecuniam, quantum navigium, quantum mobile, quot castra & loca amiserit, quantamque oppressionem, penuriam, ruinam, stragem, incendium, & cædem, epidimiam, desolationem, & confusionem intra civitatem, & extra, in mari & in terra sustinuerit, flamma, fameque, ferroque? & quòd sola superbia Communi Januæ guerram moverit, ipsis Januensibus semper guerram vitantibus, ut in annis præcedentibus pleniùs est narratum. Deberet quilibet sapiens mirabiliter dubitare guerram incipere vel movere maximè absque legitima causa & justa. Indubitanter enim credebant Pisani Januenses in brevi deprimere, & quasi ad nihilum reducere, & tamen nostris temporibus est inauditum, quòd aliqua bona civitas fuerit per aliquam aliam civitatem solam in tam parvo tempore sic oppressa, ut fuit civitas Pisana per homines Januæ divino favente judicio, sicut est in annis præcedentibus plenariè redactum in scriptis; Sed mira, magne Deus, circa homines Januæ tuæ pietatis dignatio! O felix Pisanorum superbia, ob quam civitas Januensis tanta est potentia sublimata, & decorata honore! O altitudo sapientiæ, bonitatis, justitiæ, & sapientiæ Dei! quàm occulta sunt judicia & investigationes viæ ejus. Multas quidem & antea largitates & innumerabilia beneficia accepit à Deo civitas Januensis, pro quibus nihil dignum ea egisse cognoscimus. Precemur ergo omnes humiliter & devotè Deum Patrem omnipotentem, ut Januensem civitatem suam lætificet, & eam quietè temporum concessa assidua protectione regere, gubernare & conservare dignetur. Sit libera à jugo cujuslibet servientis, & ab omni impugnationis incursu, & totius nequitiæ purgata discessu. Lætare igitur tu civitas Januæ, quoniam tempus bellorum & pacis usque huc feliciter peregisti, & hæc & alia cognoscas à Domino Deo tuo, non tuis meritis, potentia, vel virtute, sed potiùs ipsius bonitate tibi fore largita. Nec ex his in superbiam ullatenus extollaris, sed eidem sacrificium laudis & gratias offerre non cesses, quoniam potestate virtutis suæ de nihilo cuncta creavit, &. ab eo mundi totius elementa procedunt, per quem etiam cuncta firmantur, & proficiunt universa. Per ipsum Reges regnant, & potentes scribunt justitiam. Per ipsum persequebatur unus mille, & duo fugabant decem mille. Quia verò annum sexagesimum vitæ meæ explevi, & senio ac longa infirmitate corporis sum gravatus, de cetero huic Operi instare non possum, ut tanto negotio expediret; & ideo ipsi Operi præsentialiter finem impono, petens à legentibus veniam, ut si quod forsitan prætermissum est propter ingenii mortalem exiguitatem, vel in aliquibus ignorantia mea hoc infecit Opusculum, saltem legentium bonitas illud sanet, & compleat; quoniam utilius est pauca idoneè effundere, quàm multis inutilibus homines prægravare. Finaliter autem obsecro Chronicam hanc legentes, ut in remuneratione pro me intercedant ad Dominum Jesum Christum, qui vivit & regnat in secula seculorum Amen.

Anno à Nativitate Domini MCCXCIV. die VI. Julii egregius Vir multa honestate & scientia præditus Jacobus Auriæ hujus Operis laudabilis continuator coram nobilibus viris Dominis Jacobo de Carcano Potestate Communis Januæ, & Simone de Grumelio Capitaneo Populi, Abbate Populi, & Antianis ejusdem civitatis, continuationem Operis Chronicæ ab eodem feliciter ordinatam præsentavit. Qui videntes dictum Opus optimè fore compositum, consuluerunt, laudaverunt, & decreverunt præfatum Opus in præsenti Chronica ventilari, dictum virum multipliciter de tanto Opere, & sic bene composito & verè collaudantes.

F I N I S.

BREVIS
HISTORIA
LIBERATIONIS MESSANÆ
A SARRACENORUM JUGO
P E R
COMITEM ROGERIUM
NORMANNUM
Factæ Anno MLX.

A CLARISSIMO VIRO

STEPHANO BALUZIO

JAM EVULGATA.

LUDOVICI ANTONII MURATORII

MONITUM.

BRevis *hæc* Narratio liberatæ *Anno* 1060. *à Sarracenis* Meſſanæ per Rogerium Comitem, *inclytum illum Normannicæ gentis Principem*, *primum edita eſt à Clar. Viro Stephano Baluzio Tom. VI. pag.* 174. *Miſcellaneorum*, *eamque ille hauſerat e ſchedis celeberrimi Viri Andreæ Ducheſnii*. *Opuſculum autem hoc ab Auctore Anonymo*, *ſed æquali eorum temporum videtur ſcriptum*; *ſaltem expreſſum jamdiu fuerit ex æqualibus*; *multam enim vetuſtatem ſapit*. *Sequuntur Diplomata duo* Rogerii & Guilielmi Siciliæ Regum, *quæ quum ad poſteriora tempora ſpectent*, *ſi ab ipſo Auctore narrationis addita ſunt*, *Auctorem etiam poſteriorem oſtendunt*. *Ea ego de cauſſa in hunc locum novam ejus editionem diſtuli*.

BREVIS HISTORIA LIBERATIONIS MESSANÆ A SARRACENORUM DOMINATU PER COMITEM ROGERIUM NORMANNUM FACTÆ

A Messanensibus vocatum.

Adamantino scribenda essent stylo, smaragdis, atque in tabulis aureis quæ per nobiles tres Messanenses nostra tempestate gesta fuere, quorum strenuitate ac sagacitate, ingenio atque viribus, duce Rogerio Comite recuperata extitisse liquet; quinimmo orthodoxa Christiana Fides per ducentos & triginta ferè annos jam mortua suscitata floret, libertas, bonaque cuncta atque honor Siculis concessa sunt. Quamquam Messanenses libertate sola privati, cuncta tamen eorum bona pace tranquilla possidebant, quod adversâ fortunâ omnibus Siculis denegabatur. Cùmque Siculorum respectu tam leve jugum diu tollere non potuissent, mirifica ausi sunt hæc agere. Quamobrem ad eorum egregiam perexcellentemque memoriam scriptis non quidem, sed aureis statuis memorandi & decorandi sunt, quia sicuti tres ipsi soli tantorum beneficiorum totius Trinacriæ auctores fuere, ita decens est ut in quolibet ipsius Insulæ angulo eorum unusquisque aurea statua bene meritus erigatur & extollatur, ut perpetuò vivant ad eorum perpetuam famam, honorem posteritatis, & gloriam prosapiæ.

Dominantibus Mauris per ducentos & triginta ferè annos & subditam detinentibus Siciliam, licèt ante dictum tempus eam tenuissent, ante quos etiam Maurorum floruisset imperium, & ante ipsos Christiani dominati fuissent, & per denos satis annos etiam alii barbari & infideles eam possedissent, eorum imperiis titubantibus & vicissim variantibus per multa temporum curricula usque ad dictum tempus (ut Deo placuit) sexto mensis Augusti à Virgineo partu anno millesimo sexagesimo, exist..... Sicilia sub dominio quinque Maurorum, quorum unus Raxdis nominabatur, qui Messanæ residebat & Tauromenium usque ad Tindaridum suum possidebat imperium. A Tauromenio Syracusas usque alius regebat, & alius à Syracusis usque Drepanum, à Drepano verò ad Panhormum alius, & à Panhormo ad Pactas alius. Licèt hi omnes sic Siciliam occupatam tenerent, tamen inter se discordes erant. Nec tacebo in primis quòd tempore, quo fuit Sicilia expugnata, ut vetusta pandit historia, sola Mamertina civitas omnium postrema fuit sub conditione capta. Nam cùm acriter diu resistendo pugnasset, & ex eo quamplurimos Orco misisset Mauros, tandem cùm periculosa assiduaque pugna diu noctuque vires deficerent, agnoscensque in vanum diu posse resistere, quippe quia totam Insulam jam sub jugo detinebant, ulla neque spes erat qua pium subsidium expectare posset, sub hoc enim fœdere deditam se fecit: primò quòd vexillum civitatis, quo aurea Crux in rubeo campo depicta cernebatur, suis à locis non amoveretur, quinimmo ut singuli eorum bona in pace possiderent. Nam firmissimè decreverant potiùs mortem subire, quàm vexillum Sanctæ Crucis amittere, & quod tanto antecessorum sanguine acquisiverant posteritas ipsa ignominiosè mortis terrore perdidisset. Quam induratam pertinaciam cùm perspexissent Mauri, his assentire potiùs voluere, quàm ambiguam de Mamertinis expectare victoriam. Tali itaque firmato fœdere civitatem obtinuere, & aliis in locis æreum extollentes vexillum pacificè ex illo tunc subditam totam Insulam detinuerunt, tyrannidem exercentes. Hanc cùm & Messanæ exercere voluissent, prædicti nobiles Mamertini, Ansaldus de Pactis, Nicolaus Camulia, & Jacobinus Saccanus, cùm hæc in animo volutarent, & mutuis suspiriis hæc secum loquerentur, ut secretiùs de his meliùs loquendi daretur facultas, dicto die sexto Augusti ad Insulam S. Jacinti portus civitatis se contulerunt. Cùmque de civitate, & eorum statu mutuò diversa discuterent, & fluctuantis animi procellas fugandi gratiâ non sinè lacrymarum profluxu plura subloquia facerent, versis oculis ad ipsam civitatem, & patriam nobilissimam considerantes, atque in quanta infortunia ipsa civitas esset devoluta, amaris singultibus conquerebantur. Insuper & crudelissimas Siculorum ærumnas jugiter memorabant & miserebantur; sed miserabiliter Mamertinæ patriæ gloriam, & ipsius tot amplissima privilegia, quæ multimoda sanguinis effusione acquisita fuerant, amarè deplorabant. Cùm autem quippiam medicaminis tam ærumnosæ calamitati minimè adhuc excogitare possent, Nicolaus Camulia, Divino favente Spiritu, in hæc verba primùm prorupit: *Ansalde & Jacobine, ea, quæ nunc excogitavi & referam, ex Deo certè sunt, quia non nisi modò*

in mentem venerunt. Lætamini, quoniam hodie jam nobis aperta via est ad has fugiendas ærumnas, pluit super nos gratia divina. Gaudete, quia hodie ex insperato & immerito misertus est nobis & patriæ omnipotens Deus, & nostras audivit voces & lamentationes, atque preces exaudivit. Nonne audivimus Comitem Rogerium Normandum, Rubertumque Apuliæ Ducem cum Sanctissimo Papa Miletum Calabriæ oppidum adventasse, ipsumque Comitem strenuissimum Principem esse, ætate juvenem, sed prudentia & regimine satis maturum, ac super omnia piissimum, & ad omne Dei servitium promptissimum semper præ se tulisse, qui in præsentiarum in ipso Mileto oppido Ecclesiam miræ pulchritudinis Sanctissimæ Trinitati dicatam erigendam curavit? Securè ad eum illuc accedamus, eidemque animosè totam Trinacriæ Insulam tradamus. Hoc onus fideliter humeris nostris imponamus pro fide Christiana, pro patria, & totius Siciliæ libertate assequenda, & pro honore perpetuo mortem spernamus, ac pro tanti negotii expeditione nullis parcamus sumptibus ac laboribus, atque universa bona cum caris filiis igni exponamus. Quid sentitis enuntiate mihi, & vestras aperite mentes, & quicquid melius vobis videbitur & expedierit mandetis agendum. Quod enim à vobis mandabitur firmiter à me fore polliceor exequendum. Quæ verba avidè Saccanus & Pactis animo percipientes, ac agnoscentes vera esse omnia, remque aggrediendo fore ad exitum perducturos, statim ambo ad collum Nicolai se projicientes, amplexati ac millies deosculati sunt eum summo gaudio, profusisque lacrymis sic responderunt concorditer: *Frater amantissime, istud, quod modò nobis dedisti consilium, verè cognoscimus à Deo ortum esse, idcirco ipsi Deo priùs gratias agamus, deinde tibi, colendissime frater, quia sic affatim nobis rem tantam ac tanta laude dignam breviter aperuisti; tuumque sanctum consilium approbamus, & secum omnes lætanter pro patria, fide, libertateque communi civium adipiscenda mori peroptamus.* Multa vicissim multoque spatio super hac re verba facientes, ac viam omnemque modum subtiliter exquirentes per totum vagati sunt diem. Demum civitatem ingressi, in secretum amicis & consanguineis convocatis, omnia quæ inter eos ratiocinati sunt, firmataque fuerant, adaperiunt. Demum quodam die omnes in angulo secretissimæ domus sequestrati, tanti negotii amplitudinem acutissimè pensitantes, ipsis de Pactis, Camuglia, & Saccano, ut tanti negotii auctoribus, omnium rerum curam de communi consensu committere decrevere. His itaque conclusis solemnitatem quandam præstolabantur, quam Mauri singulis annis domibus duodecim diebus inclusi celebrabant. Adveniente autem solemnitate prædicta nobiles viri propriis vestibus exuti sub simulato indumento Drepanum versùs ire simulantes scapham quandam ascenderunt, nocturnoque tempore Calabriæ litus attigerunt. Inde iter incœptum secundo fortunæ flatu molientes, Miletum se contulerunt. Palatium ingressi, ubi Pontifex erat, cujus pedes postquam fuerunt osculati, eos Papa quinam essent, & qua causa venissent, percontatus est. Cui Ansaldus de Pactis ita respondit: *Christiani Siculi sumus.* Ex Messana urbe ad Comitem Rogerium legati missi sumus. Ad hoc Papa quidnam cum Rogerio vellent diligenter perquirens, hujusmodi à Nicolao Camuglia responsum accepit: *Beatissime Pater, nos jurejurando ea quorum causâ iter huc direximus explicare nequimus. Unum pro modo sciat sanctitas vestra, nos pro augmento Christianæ fidei huc venisse. Tuæ idcirco placeat sanctitati, ut nos Comitem Rogerium hujus rei causâ conveniamus. Mox tanti negotii præstantia te non latebit.* Tunc Papa aditum omnem eis liberum patere permisit. Illinc verò aulam Comitis ingressi, eundem flexis genibus coram Beata Virgine orantem invenerunt. Quos cùm ille piis intueretur oculis, adventus causam perquirens, ad verba præbuit attentas aures. Tunc generosi Mamertini, verbum priùs quàm exprimere possent unum ex nimia cordis abundantia ad multa propalanda, continere se non potuerunt, quin lacrymas perabundè funderent, assiduisque lacrymis ad tantam pietatem Comitis viscera commoverunt, ut his placidissimis verbis eos Comes fuerit alloquutus: *Quicunque estis, boni viri & fratres, vestris compulsus lacrymis negare non possum, quin vobis non compatiar, & pro quacunque vestra petitione quæcunque remedia præstare promitto, atque me offero. Vestras retinete lacrymas, & vobis ipsis jam parcite, & ad singultus tempus ne perdatis, causasque omnes, quæ vos huc accedere impulerunt securiùs enuntiate.* Tunc Jacobinus Saccanus, quippe qui vir erat pietate præstantior ac eloquentia facundior, hujusmodi explicuit legationem: *Nos, Comes invictissime, legati sumus Messanæ urbis Siciliæ ad tuam destinati præsentiam. De tua mirum in modum confisa virtute Messana civitas insulæ Siciliæ caput & vetustissima te suppliciter exorat, ut eam adjuvare digneris. Nam, ut cunctis notum est, Mauris ipsa civitas cum tota Sicilia subdita est, & quod crudelius, per ducentos triginta ferè annos Christi Fides per totam insulam quasi mortua jacet impiorum Maurorum tyrannidi, sub immani quorum imperio tot ærumnis, calamitatibus, & doloribus affligimur, quæ si sigillatim enumerare vellemus, nimis prolixa tibi nostra esset oratio, nimiumque tibi tædium esset allatura. Præsta igitur auxilium justa petentibus, affer opem, quia hac causa ad te venimus. Messana te vocat, Messana te in dominum eligit pro sua libertate, tuoque sub dominio Messana mori desiderat, ut te victore Fides Christi exaltetur. Surge ad adjuvandum, surge, surge Christianissime Comes, surge, & arma capesse, accelera, quia videre te cupit alacriter Mamertina civitas, summoque gaudio te populus Messanensis expectat, quia te duce, ab immani barbarorum imperio, ac jugo se eximet servitutis, totiusque deindè Siciliæ potieris. Præterea in sola Messana tota vis, velim scias, totumque robur consistit. Quod verò attinet ad tuam victoriam, pro Dei servitio proque Fide Christi augenda, tuique dominii amplitudine propaganda vires nervosque omnes adhibere, ac sanguinem cum ipsa vita cuncti Messanenses effundere se hilariter offerunt & jurejurando promittunt. Ut sis, & esse debeas ex nunc Messanæ dominus, se tuo Messanenses subjiciunt imperio, teque ante tuos prostrati pedes in eorum dominum recognoscunt, & neminem alium. Cape igitur realem ac indubitatam possessionem, qua mediante totius Trinacriæ insulæ victor eris. In signum cujus veræ possessionis nos humiliter prostrati tuos deosculamur pedes.* Ad cujus pedes deosculandos accedentibus Rogerius non permisit, ejus tan-

tantùm deofculari manus conceffit invitus. Rurfus fuam profequens orationem Saccanus ait: *Et fi pro Meffanæ & Siciliæ libertate tua non commovebitur dignitas, totque noftras non compatietur ærumnas, moveat cor tuum hoc humani generis Redemptoris vexillum, hac Cruce tuæ pietatis vifcera pro ejus liberatione pungantur, in qua pependit ille, per quem falvati & liberati fumus. Scias velim, Dux inviƈtiffime, hanc facratiffimam Crucem tuæ Meffanæ vexillum effe, quod ab Arcadio Imperatore inviƈtiffimo olim Theffalonicæ à fuis proditoribus obfeffo, ejufque imperio à Meffanenfibus reftituto, fufcepit; ab ipfomet, inquam, Imperatore Meffana civitas, tanquam de eodem optimè benemerita, ejufdem fuit facratæ Crucis dono decorata. Ad hanc te rogat eadem civitas exaltandam occurras, ut, te viƈtore, te duce, quilibet eam reverenter adoret, &, fi propter barbariem quafi fepulta Chrifti Fides exiftit, te fufcitante refurgat.* His Jacobinus Saccanus fletu maximo prolatis, tandem orationi fuæ finem impofuit. Ad quem fic Rogerius hilari humaniffimoque vultu refpondit: *Sit vefter adventus felix, legationis veftræ caufas nimio cordis affeƈtu fufcepimus, miferias, ærumnas, atque calamitates totius infulæ multoties audivimus, & eft jam diu quòd noftra vifcera penetrarunt. Si à Deo hæc funt, Deus nobifcum erit, & nobis vobifque ad ejus divinam voluntatem exequendam vires, viƈtricefque manus ad expugnandum, & penitùs à fuis fanƈtis locis Chriftianæ Fidei teterrimum hoftem viriliter expellendum.* Qua refponfione faƈta, & fingulis legatorum nominibus adnotatis, aulam Summi Pontificis ingreffus, legationem, ut audierat fuæ Sanƈtitati coram fex Cardinalibus retulit feriatim, quinimmo fuam aperuit voluntatem, feque primùm Siciliam versùs copias claffemque directurum, & pro Chriftiana Fide & recuperatione Trinacriæ ab impiis Maurorum manibus, præcedentibus priùs confilio & auxilio fuæ Sanƈtitatis, omnem opem conatumque omnem adhibiturum. Quibus fanƈtiffimis diƈtis per piiffimum Pontificem ita refponfum eft: *Rogeri Comes, benediƈte fili, tecum fit rerum omnium opifex Deus, tuamque mentem illuminare dignetur, fuaque divina te benediƈtione fanƈtificet. Quantum jucunditatis hac hora fufcepi, ex quo ad hanc hoftilem Catholicæ Fidei feƈtam expellendam Dux inviƈtiffimus effeƈtus es, ipfamque Trinacriam infulam ab infidelibus immaniffimis tot annis fub duriffimo jugo conculcatam temet duce liberandam enarrare nullo modo poffum. Equidem pro tanto bono confequendo quicquid à me petieris omnino confequeris. Tecum fit Deus optimus maximus, & felici celerique pede ad rem tantam pergas peragendam, cum benediƈtione Patris & Filii & Spiritus Sanƈti. Hoc unum à te fummopere peto, quòd promittas, manendo in Dei obfequio, poftquam divina permittente gratia viƈtoriam fueris confequutus, infulæ dominatum acceperis, Deo te obtemperantem exhibeas, & quod fuum eft eidem impertias, ac de tota viƈtoria tres efficias portiones, partem unam in extruendis Ecclefiis, Monafteriis, Hofpitalibus, Abbatiis, & Prælatiis, ad honorem cultumque divinum exhibeas, alteram militibus, qui tecum in hac expeditione præliabuntur, munificenter impertias, tertiam verò tuæ neceffitati fubminiftres. Quo peraƈto, Deus tecum erit omnipotens in omnibus viis tuis, femperque in tua proteƈtione commorabitur.* Ad hæc autem Rogerius lætanter annuit, motuque proprio, uti Summus Pontifex propofuit, omnia jurejurando firmavit. Lætus ex his Pontifex pluribus eum replevit benediƈtionibus. Inde petitâ veniâ Rogerius difcedens ad Legatos in aula commorantes revertitur, quibus quæ cum Summo Pontifice firmata fuerant pandit. Illi verò hilari vultu omnia percipientes fummopere Rogerio congratulabantur. Mox quicquid erat agendum, cuique providendum, fecum deliberant. De qua re latiffimè ratiocinando vagarunt, tum de modo tenendi bellandique, qua via, ordine, tum etiam qua comitiva. Quibus omnibus ad plenum perquàm diligenter excuffis & examinatis, Legatos fic eft Rogerius allocutus: *Fratres cariffimi, firmiter tenete hinc ad paucos dies, Deo adjuvante, Trinacriam versùs me iter faƈturum, quin etiam colleƈta navigiorum multitudine fecundùm temporis exigentiam, quæ modò præftolatur, comparatoque navali exercitu, priùs Parmis oppido totam claffem trajiciam. Vos interim, accepta priùs à Summo Pontifice benediƈtione, iter capeffite, confumptoque fpatio dierum oƈto focios veftros convenite, eifque omnia quæ nobifcum peraƈta & firmata funt fecuriùs enucleate. Infuper fidem meam timere fingite. Interim domibus veftris Crucis fignum affigite, quo tuti effe poffitis ab incurfu militum bellatorumque impreffu. Statuto enim die vos à parte interiori fumma vi confifi, nofque ab exteriori bellicis inftrumentis præliantes facilè viƈtoriam confequemur.* His conclufis, ad Summum Pontificem iverunt, acceptaque ab eo latiffima benediƈtione, iterum ad Comitem reverfi funt. Ad quem Anfaldus de Paƈtis dixit: *Rogeri Domine, iterum fuper omnia te rogamus advertere, ne à latere tuo vexillum fanƈtæ Crucis amoveas quoufque Meffanam Deo maximo permittente pervenias, ibidemque viƈtoriam adeptus, illud manibus propriis feliciter civitati reddas.*

Accepta itaque promiffione, atque licentia Comitis impetrata, læti difcedentes, Rhegium pervenerunt, ex quo pifcatoria cymba tranfveƈti Meffanam reverfi funt, & in domibus occultè permifcentes cum amicis omnibufque confanguineis & fecretiffimis viris quæ cum generofiffimo Comite Rogerio conclufa figillatim aperiunt, modumque viƈtoriæ confequendæ machinantur. Dum hæc inter ipfos legatos & reliquos civitatis proceres bene examinantur & difcutiuntur, dies ceffit oƈtavus. Ecce Comitis adventus ubique circumfonat, Rogerii numerofum agmen ad capeffendam infulam venturum publicè audiebatur. Qua de re fe nimio pavore perterritos fatis fimulant Mamertini, uti Comes inftruxerat. Mauri verò cùm omnia adverterent, lubricofas montium vias atque vallium, ut tutiùs fugerent, quæritabant. Chriftianis Rogerius interim per totam Calabriam ediƈto mandare præcepit, ut omnes fe Rhegium ufque comitarentur. Mora oƈto dierum fpatio mille & feptingenti viri ex improvifo præfto fuerunt. Tunc Rogerius Comes vefte recenti fanƈtæ Crucis impreffo charaƈtere fe lætanter induit, & præcedente vexillo Crucis civitatis Meffanæ à Legatis commendato magna omnium jucunditate, cunƈtis videntibus, ventis vela dedit, Parmam versùs iter tenens. Cujus ad litora cùm applicuiffet, fundatis anchoris, equos circiter ducentos, quos illuc

illuc conveniri mandaverat, navigiis transvexit, deinde tribus diebus Rhegium advênit. Illic diebus ferè commorans quindecim, quotidie milites equitesque suos blandiloquio demulcebat exercebatque quibuscum plurimùm de futura victoria disceptaret, tandem manè satis ante diluculum cum triremibus, tribus longè à Messana milliariis, omnium primus è triremibus exiliens Siculam tellurem primus voluit pedibus apprehendere. Mox cæteri milites eum sequuntur. Ipse tamen Rogerius vexillum sanctæ Crucis civitatis Messanæ manibus strictè tenens ita suos affatur milites: *Viri strenui & spectatæ fidei, vestrum si quis est, qui Rogerii nomen amore prosequitur, strenuè bellando hodie se ostendat; in nostra manu est victoria. Ecce Deus nobiscum est. Justam enim fovemus causam. Christi milites sumus, & pro suo servitio huc bellaturi nos venimus. Ecce sanctissima Crux, sola ipsa dux omnium est. Ipsam prosequimini, & in ea firmiter sperate, quia in ipsa nostra est verè salus & victoria*. Deinde oculis in cœlum elevatis, coram omnibus genibus flexis sic reverenter oravit: *Piissime Domine Jesu Christe mundi redemptor, qui non spernis pauperum preces, suscipe quæso indigni famuli tui preces, & concede ut Fidei tuæ victoriam adeptus, hoc, quod manibus teneo, sanctissimæ Crucis tuæ vexillum, in qua pro humani generis redemptione suspendi ac mori dignatus es, in civitate Messanæ, in altiori fastigio domus tuæ figere valeam, ut nomen tuum ubique gentium denominetur*. His dictis Goffredum fratrem suum strenuum Ducem accersiri jubet, mandatque ut cum classe portum ingrediatur, & ipsius civitatis portas atque mœnia diruat, quia semitas terrestres occupabit ipse. Cui Goffredus sic respondit: *Mi Domine invictissime, conducibilius mihi videtur ut me pedestrem exercitum ducente, armata classe festinanter ipsum portum velit tua dignitas occupare: quia congruum est ut itineris labor à me suscipiatur. Tuâ enim præsentiâ classis magìs decorabitur, magìsque omnes perterriti fient, & faciliùs capientur. Sic utrinque præliabimur*. Quibus verbis Comes Rogerius assentiens, (cum XXVI.) triremibus portum versùs navigat. Goffredus acie ordinata & militibus equestribus celeriter suum peragit iter. Cùm autem Rogerius insulam Sancti Jacinti portus civitatis Messanæ attigisset (ita enim vocatur promontorium illud) navalem exercitum foràs eduxit, ibidemque terrestrem apparatum aperiens Mamertinæ urbis amœnitate nimiâ lætitiâ oblectabatur. In eo enim loco cisterna erat aquæ, prope quam erant furcæ, in quibus XII. Christiani ob suspicionem proditionis suspensi videbantur. Quod spectaculum Rogerius ferre non potuit quin tanta miseratione commotus lacrymas non emitteret, & suspensorum strage suspecta, Deo vovit se eodem in loco ad honorem Salvatoris, suique sancti Nominis templum ædificaturum. Dum hæc secum in animo volutaret, ecce Goffredus prædictus pugnæ dux strenuus advenit. Quo adveniente, subitò datis signis, buccinisque sonantibus, statim momento mari terraque bellum viriliter incœptum est. Mauri Messanenses quamvis pauci, cum ipsis uxoribus armatis turres & mœnia strenuissimè defendebant. At Christiani, qui quidem occultè sciebant adventum Comitis Rogerii, ut rapidi leones, quoscunque Maurorum inveniunt partim trucidant, Orcoque mittunt, partimque pluribus afficiunt vulneribus. Patent undique januæ, ubique strages ac præda videtur, non cessatur, nec aliquis fugæ Mauris salvationis locus conceditur. Truculentissimè Christiani Mamertini Maurorum ulciscuntur, totusque tam maritimus quàm terrestris exercitus crudeli cæde grassatur. Rogerius verò tutam sortitus victoriam, quippe qui clemens erat, miseratione motus, ne ulteriùs cædes progrediatur, placidissimè imperavit ut vivos caperent, & pro servis Mauros quosque detinerent. Quin etiam per præconem mandavit, ut si Christiani fieri vellent, vitæ ac servitutis impunitatem acquirerent. Qua re audita, quamplures ex illis aqua Baptismatis abluti Christiani sunt effecti, & duarum horarum spatio tota civitas infidelibus spoliata in Christi Fide ac libertate coruscavit. Dictus exercitus ad Episcopatus Ecclesiam se contulit, non sinè ingenti totius civitatis tripudio summaque lætitia, Deo primitus gratias agendo. Postmodum Comes tres promtos equites legatos ad se accersiri jussit, quos lætanter sic affatur: *Animosi equites & omni laude digni, quorum causâ hæc civitas patria vestra libertatem obtinuit, &, concedente Domino, etiam tota insula Siciliæ à Maurorum sævo dominatu liberabitur, ecce sacrum vexillum Sanctæ Crucis hujus civitatis felicissima insignia, quod mihi in Mileto commendastis, propriisque manibus huc attuli, ut promisi, ipsum propriis manibus accipite, pro arbitrio judicioque vestro ubi vultis collocate ad Dei summi honorem & perennem hujus civitatis laudem atque gloriam*. Qui præfati legati cum tota Messanensium acie præ nimia lætitia collacrymantes Deo summo ac Rogerio, qui eos ab impiis manibus liberarunt, ingentes gratias egere, & magnâ omnium lætitiâ vexillum in turri, quæ nunc est campanile Ecclesiæ Sancti Nicolai Episcopatus extulere. Inde verò ad Comitem recedentes, multis blandisque verbis ultro citroque habitis, non parvum tempus transegere. Exinde tunc Mamertini Rogerium semper ut dominum habuerunt. Tunc Comes Rogerius ipsos præfatos milites Mamertinos pluribus muneribus munificenter donavit, cæterisque militibus suis & civitati etiam parem munificentiam ostendit. Mox pacato civitatis statu, rebusque omnibus compositis, auxiliantibus copiis & Messanensium comitiva totam insulam paulatim in suam redegit potestatem, & ubique pace composita, quæ cum Summo Pontifice de tripartienda victoria, unam Ecclesiis dando, militibus alteram, sibique tertiam juxta votum quod promiserat humanissimè adimplevit. Hanc Comes Rogerius cùm annorum esset XXIX. felicissimam est potitus victoriam, Messanamque urbem perenni laude decoravit.

„ IN nomine Dei æterni & Salvatoris nostri „ Jesu Christi. Amen. Rogerius, divina „ favente clementia, primus Rex Siciliæ, Du„ catus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Opti„ mè statuit provida moderatione vetustas ut „ sua recipiant præmia laborantes, præcipuè „ qui publicis utilitatibus obsecundant, ne „ quis præteritus reputetur, qui probabili „ fuerat actione laudandus. Novimus itaque „ narratione scripturaque vetusta pariter & „ moderna quot labores damna, & prœlia „ sustinuerit nobilis & laudanda civitas Mes„ sanæ,

sanæ, & ejus cives ut Christianum dominium expulsis Agarenis in Sicilia præfulgeret. Nam magnificum quondam patrem nostrum ad illam capessendam introduxerunt, ipsum ope & opere præiverunt cum maxima substantiæ & sanguinis effusione, in ipsa magnifici patris nostri dominium Siculis infidelibus fuit tranquilla serenitate pacatum, & nobis etiam in cunctis necessitatibus suam ostendit virtutem. Propter quod debitè astringimur ipsam civitatem & cives antiquis prærogativis & honoribus præservare, nec minùs de novo concedere, & in remunerationis præmium tribuere. Et quoniam authenticis scripturis indicantibus ea civitas velut regni caput semper extitit præhonorata, non solùm Romani & Græcorum Imperii tempore, sed etiam dum esset sub eisdem Agarenis oppressa, dignum arbitramur ideo, ut nunc quòd ejus labore juvante colitur, ibi sancta religio Christiana meritis, prærogativis, & immunitatibus extollatur. Igitur perpetuò statuimus, ut in eadem civitate sit in capite regia curia principalis, in quaque sint Annales, Stratigotus, & Judices ordinarii tam Græci, quàm Latini, ubi, & non alibi, in primis judiciis cives & habitatores Messanæ tam intra se, quàm ab aliis conveniant & conveniantur, incusent & incusentur, tam de civilibus, quàm de criminalibus, magnis & parvis, publicis, & privatis, præter si status perversio tractaretur. Ex tunc si decreverit mandatum Regium, per Officiales hoc immane delictum puniatur ibidem. Qui Stratigotus de se vel ejus arbitrio nihil consequatur, nullamque capiat mercedem, pœnam, nec solutionem, nisi quantum Judices, mediante justitia, mandabunt. Erit itaque solùm justitiæ notabilis exequutor. Quæ curia præsit omnibus civitatibus, terris, & locis, quæ sunt à Leontino usque ad Pactas, & ipsarum habitatoribus, & ejus Officiales visitent & corripiant eosdem cives & habitatores ipsorumque Officiales. Et si civem Messanæ contigerit criminaliter incusari, in eodem judicio comparere juret sinè malitia incusare, incusationem prosequatur usque ad sententiam & exequutionem, & quotiens ulteriùs prosequi noluerit, judicium protinus extinguatur. Quòdque Sacci regii Quæstor nec aliquis Officialis regius contra ipsos cives & habitatores causas moveat, nec motas accipiat, ubi lis & accusatio est particularium vel esse debet, sed si ex commissis per eos aliquid regio competat Sacco, illud juridicè exigatur in curia supradicta, postquam fuerit per ultimam sententiam judicatum, quòdque solus audiatur incusans, qui suam vel suorum prosequetur injuriam. Statuimus etiam quòd ibidem & in ipsos cives ubique perpetuò justitia præservetur, ita quòd non sit locus injustitiæ, nec acceptatio personarum. Etiam si regia potestas seu persona vel ejus Officialis auctoritatis cujuscunque litigaverit cum cive vel habitatore Messanæ nullius favore legis neque privilegii præponatur, sed justitia communiter ministretur, & à suo prædicto foro non possit illum extrahere, aut alibi conveniat illum vel incuset. Et si regium Prætorium aut alius Officialis civem vel habitatorem Messanæ incusaverit pro re quacunque in judicio, & succubuerit, sibi damna resarciat & expensas; & si fuerit de crimine, ea lugeat pœna, quam meruisset incusatus. Adjicimus etiam quòd regia auctoritas non utatur ibidem nec contra eosdem absoluta potestate, sed legibus ordinata, quam ex nunc legibus & justitia moderamus. Quòdque nunquam fiat ordinatio, mandatum, vel scriptura, quæ sit contra jus, statuta, constitutiones, mores, consuetudines, & privilegia dictæ civitatis, & si fieri contingat nulli exequutioni mandetur, donec fuerit per justitiam moderatum, nec unquam in eadem novi statuantur Officiales, seu de novo, & omnes Officiales statuendi à regia serenitate, sive ad vitam, ad tempus, vel ad beneplacitum, pro quacunque jurisdictione vel exercitio, sint cives ejusdem non suspecti, nec infesti populo, aut molesti. Insuper quòd omnes civitates & loca, quæ sunt à Leontino usque ad Pactas, jurare teneantur manutenere honorem Messanæ, pro qua & civium vindicta ad ejusdem civitatis mandatum facere teneantur armatam per mare, vel terra, exequendo quæ eis dicta civitas mandabit, regia fidelitate præsalva. Et quia caput est regni, & regiam continet potestatem, ordinamus quòd Rex, qui fuerit ad tempus, ad ipsius civitatis honorem semper sit & reputetur civis coronatus in eadem. In qua regia status regni & regiminis omnia conserventur exempla, sitque præ aliis regni civitatibus honorata, & in regiis aliisque convocationibus & Synodis Sedem primam & locum primum obtineat principalem. In qua etiam totius dominii nostri pecunia aurea, argentea, & ærea cudatur, & Officiales siclæ ipsius cognoscant de qualitate & pondere ipsius monetæ, quæ per omne regni dominium expendetur. Decernimus præterea quòd præsint in eadem curia maris Consules per navigiorum primates & mercatores eligendi, qui cognoscant de marinis negotiis, quibusvis mercantiis & earum naturam sapientibus. Qui Consules de usibus marinis & modo regendi curiam valeant capitula statuere. Volumus etiam quòd ubicumque mercatores navigiorum dominio civitatis prædictæ fuerint adunati, è tribus unum possint Consulem eligere & statuere confirmandum per Consules ante dictos. Qui Consul & nullus alius infra regium dominium audiat, cognoscat, & decidat causas ipsorum civium quascunque magnas & parvas, civiles & criminales, & quòd nullus alius Officialis audeat manus in causis iisdem immittere, nec contra dictos cives & eorum bona aliquid intentare. Si verò causa fuerit de crimine, vel à solidis aureis viginti ultra, & dictus civis elegerit causam suam in eadem civitate tractari, quòd cautè coram eodem Consule secundùm quantitatem negotii & personæ ipsum ad dictam civitatem litigaturum transmittat, & si crimen tale fuerit, sub fida custodia & diligentia. Coram verò Consule per eosdem extra nostrum dominium eligendo, omnes de nostra & successorum nostrorum potestate se conveniant & accusent, & conveniantur & incusentur, & non alibi. Nec aliquis de subditis Regis Siciliæ extra dictum dominium valeat Consulem eligere

nec

„ nec statuere. Nam hoc præmium eidem civitati concessimus ad ejus honorem. Præterea cives & habitatores prædictos liberos facimus perpetuò per totum nostrum dominium, quod nunc habemus, & favore divino nos vel ceteri Siciliæ Reges habebunt in posterum de omnibus & singulis gabellis, dohanis, & aliis solutionibus quibuscumque tam de magnis rebus & mercibus, quàm de parvis mobilibus & stabilibus in mari, & in terra, tam in terris Regiis, quàm in Ducalibus, Ecclesiasticis, Comitum & Baronum. Adjungimus etiam quòd nullo unquam tempore in eadem civitate, & extra per suas villas & rura, quæ sunt à rupe Agro usque ad Babusium inclusivè, tallia, collecta, angaria, perangaria, echioma, gabella, mutuum, extorsio jaciatur, imponatur, nec colligatur, etiamsi Rex quacunque necessitate productus contra regni statuta, vel secundùm collectaret, peteret, aut cæteros cogeret, pro re quantacunque necessaria, liberi sint, dum causaverint, seu convenerint à trino pro cento, proque rebus communibus & publicis, ac negotiis civitatis, nec ad regii epistagmatis jura nec exemplorum cogantur solutionem, & nunquam ullo tempore gabella de novo, nec impositio quomodolibet apponatur in rebus quibuscunque nec mercibus, tam in rebus quæ fuerint in civitate, quàm quæ portantur ab extra, etiamsi essent res inventæ de novo. Mineræ, aquæ, & similia, quæ in locis civium inveniuntur, sint civium ipsorum, præter eas, quæ in præsidiis regiis concessis ipsis civibus reperientur. Præterea quòd per omnia maria piscari valeant absque aliqua solutione, & quòd ipsorum necessaria capere possint à terrenis litoribusque propinquis, nec minùs pro usu ipsorum ligna capere vel capi facere à nemore quocunque & pro navigiis ipsorum civium construendis aut reparandis, nulla solutione præeunte. Addimus etiam, quòd nullus civis Messanæ ad stolum vel armatam quamcumque regalem, nec aliàs per mare seu terram ire cogatur invitus, præter ad hoc opus munere, aut stipendiis sublimatus. Civis verus erit & velut oriundus tractabitur, qui illic per annum, mensem, hebdomadam, & diem habitaverit, nec alibi domicilium habuerit. Et quoties statuetur exercitus aut stolus in eadem civitate, & ex eisdem civibus armetur galêa cum qua regia persona transfretabit. Quæ galêa cum signis regiis & civitatis ab omnibus aliis honorabitur & præponetur. Cùm pro statu civitatis consilium celebrabitur, Stratigotus, Judices, cæteri Officiales, & cives vocati adire & consulere teneantur. Civis recusans, si non fuerit excusatus justè, per Consilium mulctetur, sed pœna solidum auri non excedat. Jubemus quòd cives Messanæ, & ab eis descendentes, qui extra civitatem prædictam habitaverint, gaudeant eis immunitatibus, & exemptionibus, & prærogativis, quibus intus civitatem commorantes, quoties ejusdem civitatis se voluerint titulo prætueri. Decrevimus etiam quòd omnes exteri tam nobis & nostris successoribus subditi, quàm non, ibidem ea libertate tractentur, tam in dohana, quàm in aliis regiis juribus, qua cives & habitatores eosdem in suis patriis tractaverunt. Supradictis immunitatibus & gratiis gaudebunt Judæi simul cum Christianis. Cives eosdem volumus in regiis officiis majoribus & aliis promoveri. Regium Consilium continuò ipsorum civium consultatione muniri. Demum præcipimus & mandamus omnibus successoribus nostris quòd præsens nostrum exemplar eisdem civitati, & civibus observent, & perpetua firmitate custodiant, faciantque ab universis effectualiter observari. Datum est hoc exemplar originale de nostrî mandato Petro de Camuglia, Aloysio de Trano militibus, Johanni de Columna Juristæ, & Philippo de Bursa philosopho, Syndicis dictæ civitatis, per Jacobum de Mariscalco militem de Messana, in lingua Græca atque Latina peritum, nostrarum scripturarum correctorem, in urbe Panhormi felici, in solemnitate nostræ coronationis, die quintodecimo Maji, sub anno Incarnati Verbi MCXXIX. astantibus Reverendis Domino Rogerio Beneventano, Johanne Salernitano, & Philippo Capuano Præsulibus, Ricardo Gaëtano Duce Salerni, Anselmo Piperio Comite de Sancta-Flore, Petro de Sancto Severo domino Marturani, & quampluribus aliis.

„ IN nomine Dei æterni & Salvatoris nostri Jesu Christi. Amen. Wlielmus divina favente clementia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Condignum arbitramur nostrorum subditorum quæ virtutibus acquisiverunt augendo confirmare. Fecimus itaque Messanensibus privilegium concedens eis aliquas gratias speciales, datum in urbe felici Panhormi per manus Riccardi Syracusani Electi anno Dominicæ Incarnationis MCLX. mense Maji, Indictione IX. Dumque Messanæ personaliter essemus, ex parte universorum hominum civitatis ipsius fuit nobis exhibitum exemplar originale magnifici Domini patris nostri requiescentis in pace, datum in urbe prædicta Panhormi die XV. Maji sub anno Incarnati Verbi MCXXIX. in solemnitate coronationis ejusdem, aliaque Romanorum chirographa, per quæ plenè accepimus istam civitatem ulteriora mereri, quàm sibi nostra munificentia fuit largita. Certi propterea cives ipsos, cùm opus fuerit, nobis similia præstituros, ante nostra lumina discernentes quæ pro nostra magnitudine præstiterunt, atque præstare non desinunt, eisdem civibus & civitati propter eorum merita, omnia & singula privilegia, gratias & munera, prædictæ civitati concessas, præcipuè dictum privilegium in exemplari originali contentum excellentis Domini patris nostri, ut jacet, per nos inspectum atque visum confirmamus, roboramus, ipsisque ex nobis concedimus de novo, proque civium ipsorum meritis unà cum infra ponendis gratiis elargimur. Cui civitati & civibus etiam libertatem in dicto privilegio declaratam specificè in Sancta urbe Hierusalem omnibus & singulis, aliis civitatibus, terris, & locis Agarenorum, & aliorum infidelium quas nobis subjecimus, & Domini brachio subjiciemus, etiam in civitate Acri, concedimus, damus, & volumus observari, in quibus dicti cives logias ubicunque vo-

„ lue-

„ luerint ædificare, Consulem statuere, cum „ plena auctoritate velut in eodem privilegio „ declaratur. Si verò curiæ fuerit solum, „ nihil solvant; Si privatum, à dominis emant „ illud volentibus alienare, ita quòd per ex- „ cessivum logiæ ædificium loci non deforme- „ tur aspectus. Portus & portas omnes nostri „ domanii & dominii præsentis & futuri, Ec- „ clesiarum, Comitum, & Baronum, pro vi- „ ctualibus, aliisque comestibilibus pro usu „ civium & civitatis ipsius eidem concedimus „ civitati cum omni mera libertate, & illa, „ quam de aliis mercibus & rebus habent, „ secundùm dictamen supradicti privilegii. „ Nec ad impositionem aliquam forsan super „ iisdem victualibus & comestibilibus per Uni- „ versitates, Prælatos, Comites, aut Barones „ addictam teneantur, vel solvere cogantur. „ Ad hujus autem concessionis & munificen- „ tiæ nostræ memoriam ac perpetuò stabile „ firmamentum præsens hoc privilegium no- „ strum per manus Matthæi nostri Notarii „ scribi jussimus, nostroque quo utimur epi- „ stagmate roboratum. Datum in eadem ci- „ vitate Messanæ per manus Riccardi Syra- „ cusani electi, anno Dominicæ Incarnationis „ MCLX. vigesimo Augusti, Indictione IX. „ regni verò Domini Wielmi Dei gratiâ ma- „ gnifici & gloriosissimi Regis Siciliæ, Duca- „ tus Apuliæ, & Principatus Capuæ anno XI. „ feliciter. Amen.

FINIS.

OTTONIS
FRISINGENSIS EPISCOPI,
EJUSQUE CONTINUATORIS
RADEVICI
LIBRI
DE GESTIS
FRIDERICI I. IMP.
AD FIDEM MANUSCRIPTORUM CODICUM

BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ

VINDOBONENSIS

NUNC PRIMUM CASTIGATI.

IN OTTONIS FRISINGENSIS EPISCOPI AC RADEVICI LIBROS DE GESTIS FRIDERICI I.

PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Duplici sub aspectu in Historia pingi solet Fridericus I. Romanorum Imperator, cognomento Aenobarbus: nos *Barbarossa* dicimus. Eum Germanici Scriptores insigni virtutum consensu illustrem, atque Heroibus comparandum, & Carolo I. ac Ottoni I. non imparem, tibi exhibent. Contra Italicorum plerique tetris ubique coloribus ejus effigiem delineant, crudelitate potissimum, irreligione, & versutia eidem attributa. Certe in ejus dedecus redit infandum Schisma pertinacissime in Ecclesia Dei per annos non paucos protectum, ejusque favore enutritum. Fortassis etiam a magnanimi Principis gloria abesse videtur, praeter tot alias, Mediolanensem Urbem, hoc est splendidissimam a sera antiquitate Metropolim, tanta publicarum privatarumque aedium majestate conspicuam, excidisse penitus, ac solo aequasse. Nuntianti cuidam, a Philippo Macedonum Rege, Alexandri patre, Civitatem Graecorum captam, atque a fundamentis eversam fuisse, responsum fuit: *Atqui tantus iste Rex parem quidem urbem condere non posset*. Verum sunt, qui & in hisce Fridericum excusent; atque ab ipso inita demum pax cum Alexandro III. legitimo Pontifice, ejusque pro Christianae Reipublicae gloria Orientalis expeditio tamdem suscepta, praecedentes eluisse maculas videtur. Equidem rectius eorum judicium puto, qui hunc Principem, & magnis virtutibus abundasse, simulque magnis vitiis arbitrantur: quam boni & mali commixtionem pro conditione humanae naturae in aliis quoque Heroibus deprehendere neque novum est, neque mirandum.

Quum vero Friderici I. ira per annos plures universam Italiam summo terrore atque aerumnis impleverit, ejus gesta probe perspecta habere ad eruditionem praesertim Italicorum spectat. Hanc in rem dabo Laudensem Historiam *Ottonis Morenae*, & Commentarium *Syre Raul*, sive *Radulphi Mediolanensis*. Sed ne ista quidem visa mihi sunt satis; & quando Germanici quoque Historici in hoc stadio diligentissime certarunt, duos praecipue ex iis adjungere Italicis decrevi, vulgatissimos profecto, sed aequales eorum temporum, & prae ceteris testes rerum idoneos. Alter est *Otto Frisingensis Episcopus*, celeberrimum plane nomen, & celebratissimae Historiae Scriptor. De illo multa fortassis a me quisquam exspectet; sed meridiano sole lucente accendere lucernam minime juvat; & praeterea Radevicus illius Continuator infra edendus Lib. II. Cap. XI. ejus elogium texens, me onere levavit repetendi quae de illo jam alii congesserunt, nempe Vossius, Caveus, Pagius, Paulus Freherus, & reliqui Historiae Literariae Scriptores. Unum ergo heic mihi memorandum. Si nobilissimum Historicum cupis, vix alium Ottoni Frisingensi

aeques:

aeques: fuit enim ille Sancti Lupoldi, seu Leopoldi Marchionis Austriæ filius, ex Agnete natus sorore Henrici inter Imperatores Quarti, ac propterea Conradi Romanorum Regis uterinus frater, ipsiusque Friderici I. Augusti patruus, ut reliquas illius affinitates splendidas praeteream. Si Scriptorem rerum probe conscium quaeris, Frisingensem intuere, non solum synchronum, sed gesta Friderici Augusti nepotis sui scribentem ad ipsummet Fridericum, ut ejus Praefatio certos nos facit. Denique si veritatis amatorem, judicioque subacto praeditum virum desideras, ejusmodi virtutes in Ottone Frisingense habes, qui tanta gravitate ac sinceritate Friderici Historiam contexit, ut eum, judice Aenea Sylvio, numquam Caesaris affinis sui amor transversum agat. Doctissimus autem ac piissimus Praesul, ampliori Chronico relicto, Eruditis perquam noto, decessit, non Anno 1159. uti Baronius tradiderat, sed antecedenti 1158. quod jamdudum evicit Puricellius in Monumentis Basilicae Ambrosianae num. 600. & post eum Pagius in Critica Baroniana.

Verum Frisingensis Episcopi Historia, duobus Libris constans, paucos per annos Fridericum Augustum comitatur; neque enim excedit Annum 1156. Quare a Frisingensi Ottone minime disjungendus Radevicus, Canonicus item Frisingensis, atque ejus Sacellarius & familiaris, qui & ipse rebus tunc gestis adfuit, & duobus Libris usque ad Annum 1160. Friderici I. gesta est prosequutus. Scriptor nempe neque ingenio, neque gravitate Ottoni Episcopo impar, & inter praestantiores inferiorum temporum Historicos referendus. Primus, qui Ottonis, & Radevici Historiam Fridericianam Anno 1515. produxit, fuit Johannes Cuspinianus; tum utrosque rursus publica luce donavit Christianus Urstisius Basiliensis Tomo I. Historic. German. Anno 1585. cujus collectio iterum prodiit Francofurti ad Moenum Anno 1670. Ego hisce editionibus utar, ut res Italicorum, ac praecipue Mediolanensium, eo seculo uberius noscamus, quamquam ibi optassem diligentiorem curam in exprimendis nominibus tum locorum tum hominum Italicorum. Corrupta haec interdum animadvertas: quod Librariis, aut ipsis Editoribus si tribuendum potius, quam Historicis contendas, ego non obsistam. Uno & altero exemplo contentus ero. Libro II. Cap. 3. refert Radevicus, quot Principes interfuerint Anno 1158. Comitiis Ronchaliae habitis a Friderico Augusto, atque inter cetera scribit: *Pelegrinus Aquilejensis Patriarcha, N. Mediolanensis Archiepiscopus* (excidisse puto *Oberti* nomen, qui tunc Mediolanensi Ecclesiae praeerat) *Episcopi Taurinensis*, *Albanensis* (scribe *Albensis*: amanuensis enim, aut editor Albam Civitatem cum Albanensi celebriore confudit; quod & in Landulphi de Sancto Paulo Historia contigit) *Eporegiensis*, *Astensis* &c. *Bononiensis*, *Mantuanus*, *Carsidonius*, *Veronensis*, *Omnibonensis*, *Brixiensis* &c. Invito Radevico in hisce postremis verbis duo nobis obtrudi videntur Episcopi, quos neque Coelum neque tellus umquam novit, videlicet *Carsidonius*, & *Omnibonensis*. Tu scribe *Mantuanus Garsendonius*, quippe tunc ita appellatus Mantuanus Antistes, quem Ughellus *Garsiodorum*, sive *Geridonium*, aut *Grisandinum*, corrupte ubique nominavit. Rursus scribe *Veronensis Omnibonus*, illud enim nomen tunc fuit Veronensi Praesuli. Praeterea legitur in ejusdem Lib. II. Cap. 47. *obsides eorum machinis alligatos ad eorum tormenta* (*quae vulgo Mangas vocant*) *decrevit objiciendos*. Mihi veri videtur similius, non *mangas*, sed *mangana* scriptum fuisse a Radevico. Familiare hoc erat nomen tormentis bellicis, tunc usitatissimis, quae ibi delineantur. Capite sequenti commemoratum videas *Comitatum Seprenensem & Martusanum*. Sed scripserit Radevicus *Sepriensem*, & *Martesanum*. Plura non addo.

Summopere vero in votis mihi erat, editionem hanc aliqua ex parte praecedentibus jam memoratis utiliorem aut gratiorem efficere. Quare ubi intellexi, in ditissimo penu MStorum Codicum, quos Caesarea Bibliotheca Vindobonae complectitur, haberi vetustos Codices tum Ottonis Frisingensis, tum etiam Radevici, continuo per literas egi apud præclarissimum Virum, eidem Augustae Bibliothecae Praefectum, ut cum editis conferrentur manu exarati Codices, & si quid exsurgeret aut meliorum aut Variarum Lectionum, ad me quamcitius mitteretur, editioni meae adjungendum. Literis inquam & precibus per me adpetitus est Illustrissimus, & multiplici eruditione instructissimus Vir, Pius Nicolaus Garellius, in Bononiensi Lycaeo, hoc est in Patria sua, publicus ac *Eminens Medicinae Professor*, Ordinis Christi Eques a Lusitano Rege creatus, & quem non tantummodo Consiliarium ac Medicum sibi jam dudum adscivit Augustissimus Romanorum Imperator CAROLUS VI. felicissime regnans, sed etiam, ut praefatus sum, Imperialis suae Bibliothecae Praefectura ornavit. Ille ergo utpote qui humanitate neminem sibi anteire sinit, &

& me (quod felicitati meae in primis tribuo) Amicorum suorum catalogo adscripsit , nihil moratus , ab Augustissimo Caesare , hoc est a Principe magnanimo , & ad bonarum Artium Literarumque progressum semper prono, facile impetravit, ut in usum meum paterent Chronica illa MSta, quae subinde Garellius ipse per accuratissimum , ac Eruditionis cultorem constantissimum , Nicolaum Forlosia Neapolitanum , primum Caesareae Vindobonensis Bibliothecae Custodem , conferenda curavit . Nunc ergo Lector accipiat adminiculum hoc novum , subnexum editioni meae , legatque lubentius Scriptores duos eximios , pro quibus Germaniae illorum parenti Italia nostra multum debet , eorum scilicet labore illustrata, & potissimum quia pares e sinu nostro (quod est ad ea tempora) nos producere minime possumus.

CHRISTIANI URSTISII

MONITUM.

Hos Ænobarbicæ historiæ libros, ab Ottone Frisingensi Episcopo, Friderici primi Cæsaris Augusti patruelis jussu, atque subsidio scriptos, ab ejusdem auctoris Chronico non aliam ob causam separandos duxi, quàm ut eos Scriptores, qui Cæsarum historiam contexuerunt, in unam & quidem interruptam aciem collocare possem: cujusmodi sunt auctores Hermannum subsequentes, qui vel unius ætatis res memorandas, vel unius aut alterius Cæsaris vitam & res gestas singulariter tradiderunt. Cui ordini, quoniam Chronicon minimè congruit, quippe quod compendiosam narrationem contineat rerum memorabilium, quæ à mundi primordio per continuum seculorum decursum, ubique terrarum contigerunt, quales sunt, Imperiorum, Regnorum & illustrium Rerumpublicarum initia, progressus, jactationes, ruinæ: religionis Christianæ & Ethnicæ incunabula & propagationes: hominum sanctitate, eruditione ac opibus celebrium ætates, &c. idcirco dandus quidem ei in hoc syntagmate locus fuit, ne prætermissum de industria, neglectum videri potuisset: à fronte autem locandum, ne (ut dixi) continuam reliquorum seriem interrumperet. Affert enim maximè lumen memoriæ ordo. Atque id mihi tantò magìs licere existimavi, quòd neque hi cum Chronicorum libris semper conjuncti reperiuntur. Nam è duobus manuscriptis exemplaribus Chronici Ottonis, è Tigurina Bibliotheca mihi communicatis, neutrum hosce Ænobarbicæ historiæ libros continebat. In hisce porrò Ottonis & Radevici continuatoris ejus libris accuratè recognitis, loca quædam ex sententia præstantissimorum Jurisconsultorum Fr. Hotomanni, & P. Pithœi, restituta sunt. Auctarii vice Ottonis genus hìc subjicere libuit.

Ottonis Episcopi genus.

I. Maritus Fridericus Baro à Hohenstauffen, Dux Sueviæ.	filii	Fridericus Dux Sueviæ -- Fridericus I. Augustus Juditha Bavara. Barbarossa. Conradus III. Romanorum Imperator. Gertrudis de Sultzbach Bavara uxor. Adalbertus, sepultus Neoburgi in Austria.
Agnes Henrici IV. Imperatoris filia.		
Lupoldus VI. Marchio Austriæ. II. Maritus.	liberi	Henricus primus Dux Austriæ. Leopoldus Dux Bavariæ sepul. ad S. Crucem in Austria. Otto Frisingensis Episcopus. Conradus Salisburgensis Archiepiscopus. Filiæ quinque, in matrimonium elocatæ.

FRIDERICUS (1)

Dei gratiâ Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, dilecto patruo ſuo Ottoni Friſingenſi Epiſcopo, gratiam ſuam, & omne bonum.

CHronica quæ tua ſapientia digeſſit, vel deſuetudine inumbrata in luculentam erexit conſonantiam, à dilectione tua nobis promiſſa (2) & tranſmiſſa cum ingenti gaudio ſuſcepimus, & poſt bellicos ſudores interdum delectari in his, & per magnifica geſta Imperatorum, ad virtutes informari præoptamus. Ea verò quæ ab ingreſſu regni à nobis geſta ſunt, ad petitionem tuam breviter compilata, notitiæ tuæ libenter commendaremus, niſi quòd ad ſimilitudinem priorum geſtorum, quæ ab excellentiſſimis viris edita ſunt, magìs dici poſſunt umbra quàm facta. Tamen quia tuum præclarum ingenium humilia extollere, & de parva materia multa ſcribere novit, plus confiſi tuis laudibus, quàm noſtris meritis, tantillum hoc, quod in Romano orbe per quinquennium fecimus, paucis perſtringere curamus.

POſt primam unctionem Aquiſgrani, & acceptam coronam Teutonici regni, generalem curiam Merſeburg in Pentecoſte celebravimus, ubi Rex Danorum Petrus ad Curiam noſtram vocatus vênit, & hominio ac fidelitate nobis facta, coronam regni de manu noſtra ſuſcepit. Deinde Cicenſem Epiſcopum Wicmannum (3) ad Archiepiſcopatum Magdeburgenſem tranſtulimus. Et quanquam multæ lites & controverſiæ inter nos & Romanam Eccleſiam inde fuiſſent, ad ultimum tamen quod à nobis laudabiliter factum fuit auctoritas Apoſtolica confirmavit. Poſt hæc expeditionem Romam movimus, & valida (4) manu Longobardiam intravimus. Hæc quia propter longam abſentiam Imperatorum ad inſolentiam declinaverat, & ſuis confiſa viribus aliquantum rebellare cœperat, nos animo indignati, omnia ferè caſtella eorum, furore debito & juſto, non militum, ſed ſervientium deſtruximus. Mediolanenſes verſuti & ſuperbi verba ſinè fide nobis dederunt, & ut noſtra conceſſione ſuper Cumas & Laudam dominium habere mererentur, multam pecuniam nobis promiſerunt: ſed cùm nec prece, nec pretio flectere nos poſſent, & cùm ad terram eorum veniſſemus, à terra copioſa ſua declinantes, tres dies in ſolitudine nos duxerunt, quouſque tandem contra voluntatem eorum juxta Mediolanum (5) ad milliare Teutonicum caſtrametati eſſemus. Ibi dum ab eis mercatum quæreremus, & ipſi nobis eum negarent, nobiliſſimum caſtrum eorum, Roſatum videlicet, quod quingentos milites armatos habebat, capi, & incendio deſtrui fecimus. Ibi milites noſtri uſque ad portam Mediolanenſium iverunt, & multos vulneraverunt, & multos ceperunt. Hinc inde ortis inimicitiis inter nos & illos, fluvium Ticinum verſùs Novariam tranſeuntes, pontes duos, quos ipſi armaverant & incaſtellaverant, violenter occupavimus: quos poſt tranſitum totius exercitus noſtri deſtruximus. Inde tria caſtra eorum fortiſſima (6), Minimam videlicet, Gailardam & Trecam deſtruximus. Et Natale Domini cum maxima jucunditate celebrato, per Vercellas & Taurinum euntes, Padum tranſivimus. Inde Chairam (7) maximam & munitiſſimam villam deſtruximus, & civitatem Aſtam incendio vaſtavimus. Deinde Terdonam civitatem munitiſſimam natura & arte, obſedimus, & poſt tres dies Burgo capto, ipſam arcem cepiſſemus, niſi nox & maxima tempeſtas nos cohibuiſſet. Tandem poſt multos aſſultus, multas cædes, & miſerabilem ſtragem illorum, & non modicum damnum noſtrorum, arcem per deditionem occupavimus. Quendam Principem Græcorum, qui à Marchione Malaſpina captus erat, liberavimus. Deſtructâ Terdonâ, Papienſes ut glorioſum poſt victoriam triumphum nobis facerent, ad civitatem nos invitaverunt. Ibi in corona, & maxima lætitia, & ingenti ſervitio civitatis tres dies deduximus. Deinde directo tramite per Longobardiam in Romaniam & Tuſciam euntes, Sutrium (8) uſque pervenimus: ibi Dominus Papa cum tota Eccleſia Romana gaudenter nobis occurrit, & conſecrationem nobis paternè obtulit, ſuaque gravamina, quæ à Romano populo paſſus erat, nobis conqueſtus eſt. Sic nos quotidie ſimul euntes & ſimul hoſpitantes, dulciaque miſcentes colloquia, Romam uſque pervenimus. Romani nuncios ſuos ad nos miſerunt, & maximam pecuniam pro fidelitate eorum ac ſervitio, tria quoque à nobis juramenta exquiſierunt. Inde cum Domino Papa & Cardinalibus conſilio inito, quia Imperium emere noluimus, & ſacramenta vulgo præſtare non debuimus, ut omnes dolos & machinamenta eorum declinaremus, Octaviano Cardinale conducente, maxima pars militiæ noſtræ nocte per portam parvulam juxta S. Petrum intravit, & ſic Monaſterium Sancti Petri præoccupavit. Mane facto, Dominus Papa cum tota Eccleſia ad Baſilicam Sancti Petri nos præceſſit, & ad gradus cum maxima proceſſione nos ſuſcepit: & Miſſâ celebratâ ad altare SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, in honore S. Mariæ Virginis, quia Sabbathum erat, benedictio-

(1) *Codex Manuſcriptus*. Incipit Epiſtola Friderici Imperatoris Auguſti ad Ottonem Friſingenſem Epiſcopum.
(2) promiſſa. *In MSto non legitur*.
(3) C. MS. Bichamnum.
(4) C. MS. & in valida manu.
(5) C. MS. prope juxta Mediolanum.
(6) C. MS. fortiſſima Minima, videlicet Galla & Trica.
(7) C. MS. Cheram.
(8) C. MS. euntes & ſimul hoſpitantes Sutrium &c.

ctionem coronæ Romani Imperii largiter super caput nostrum effudit. Quo ritè facto (9) & peracto, dum omnes nimio labore & æstu confecti, ad tentoria rediremus, & cibum caperemus, Romani de ponte Tyberino prosiluerunt, & in Monasterio Sancti Petri, duobus servis nostris occisis, & Cardinalibus spoliatis, Papam capere intendebant. Nos verò deforis strepitum audientes, armati per muros irruimus, & tota die cum Romanis conflictum habentes, eorum penè mille occidimus, & in Tyberi submersimus, & captivos deduximus, donec nox nos & illos diremit. Mane facto, quia victualia nobis defecerant, assumpto Papa & Cardinalibus, cum triumpho victoriæ læti discessimus: & omnibus castris & munitionibus, quæ circa urbem erant, in potestatem nostram deditis, usque Albam venimus, & per aliquot dies ibi cum Papa morati sumus. Inde venimus Spoletum, & quia rebellis erat, & Comitem Guidonem Guerram (10), & cæteros nuncios nostros in captivitate tenebant, assultum ad civitatem fecimus. Mirabile & inscrutabile judicium Dei. A tertia usque ad nonam munitissimam civitatem, quæ penè centum turres habebat, vi cepimus, igne videlicet & gladio: & infinitis spoliis acceptis, pluribus igne consumptis, funditùs eam destruximus. Inde euntes versùs Anconam, Palæologum nobilissimum Principem Græcorum, & Maroducum socium ejus, cum cæteris nunciis Constantinopolitanis obvios habuimus. Qui ut in Apuliam iremus, & hostem utriusque Imperii Guilhelmum (11) potentia virtutis nostræ conterere vellemus, infinitam pecuniam nobis dare spoponderunt. Quia verò militia nostra propter multos labores & bella nimìs attrita fuit, placuit magìs Principibus redire, quàm in Apuliam descendere. Sicque nobis redeuntibus, & Græcis cum superbia multitudinis suæ, & copiosa pecunia in Apuliam euntibus, Palæologus post adeptum Barum, & munitionem destructam obiit, & Wilhelmus congregato exercitu repentè in Græcos irruit, & paucis captis, cæteris occisis, omnem pecuniam asportavit. Nos verò cum maxima victoria à Deo nobis præstita, qualem cum mille octingentis militibus conquisitam priùs nunquam audivimus, Veronam usque pervenimus. Qualiter illi in præcipitio cujusdam montis nobis insidias posuerint, & qualiter à nobis occisi, & duodecim suspensi sint, tu audisti. Scis etiam in ordine, quam inter fratrem tuum Ducem Austriæ & Ducem Bajoariæ concordiam fecerimus, & quàm gloriosè Fridericum in Coloniensi Archiepiscopatu sublimaverimus. Hæc pauca paucis comprehensa, illustri ingenio tuo dilatanda & multiplicanda porrigimus.

(9) facto &. *In MSto non legitur*.
(10) C. MS. Guidonem Berram.
(11) C. MS. Billehelmum. *Ita semper in hujusmodi vocibus*.

OTTO

OTTONIS FRISINGENSIS EPISCOPI

PROLOGUS

AD FRIDERICUM PRIMUM, CÆSAREM AUGUSTUM.

Omnium qui ante nos res gestas scripserunt, hæc (ut arbitror) fuit intentio, virorum fortium clara facinora, ob movendos hominum ad virtutem animos, extollere : ignavorum verò obscura facta, vel silentio supprimere, vel, si ad lucem trahantur, ad terrendas eorundem mortalium mentes, promendo ponere. Unde hoc tempore scribentes quodammodo judico beatos, dum post turbulentiam præteritorum, non solùm pacis inaudita reluxit serenitas : sed & ob victoriosissimi (12) *Principis virtutes, tanta Romani Imperii pollet auctoritas, ut & sub ejus Principatu gens vivens, humiliter silendo conquiescat, & barbarus quique, vel Græcus, extra terminos ipsius positus, auctoritatis ejus pondere pressus, contremiscat. Fateor, dum ante aliquot annos priorem Historiam terminassem, spiritusque peregrini Dei ad sumenda contra gentes quæ Orientem inhabitant arma, totam penè Hesperiam afflasset, pro pacis jucunditate, quæ orbi momentaneè tunc arriserat, stylum vertere cogitaram, jamque scribere cœperam : sed quo instinctu nescio, tanquam animo futura præsagiente, finemque inspiciente, cœptum projeci Opus. Sic tanquam à nolente seu nesciente, præsenti tempori propositi implendi negotium reservatum fuisse æstimo, dum firma quies (si tamen rebus caducis aliqua fides adhibenda est) sub strenuissimo Principe in Romano Orbe expectatur. Quod autem dixi, illo in tempore spiritu peregrini Dei Occidentales populos afflatos, nemo sic intelligat, ac si quisquam à nobis peregrinus Deus putetur : sed ab illo scripto, quod illis in diebus in multis Galliæ locis lectitabatur, nos hoc dictum mutuasse sciat* (13), *quod tale fuit :* Tibi dico L. pastor corporum primo Elemento materiæ tuæ sylvæ, quem inspiravit spiritus diei peregrini Dei. *In cujus scripturæ tenore quodam* (14) *verborum involucro de expugnatione Regiæ Urbis, nec non antiquæ Babylonis, & ad instar Cyri Regis Persarum, vel Herculis, totius Orientis triumphus præfato Lodovico Francorum Regi promittebatur. Unde talia ibidem dicta reperta sunt :* Cùm perveneris ad costam tetragoni sedentis æterni, & ad costam tetragonorum stantium æternorum, & ad multiplicationem beati numeri per actuale primum cubum, surge ad eam quam promisit angelus matris tuæ visitare, & non visitavit, & pertinges ad ea (15) usque ad penultimum primum: cujus cùm ascenderit promissor, deficit promissio propter optimam mercem : & figantur vexilla tua rosea usque ad extremos labores Herculis, & aperietur tibi porta civitatis B. Nam erexit te sponsus Arthemonem, barcha cujus penè cecidit, in capite cujus triangulare velum, ut sequatur te qui præcessit te. Tuum ergo L. vertetur in C. qui dispersit aquas fluminis, donec pertransirent illud, quæ student in procuratione filiorum. *Quod scriptum tantæ auctoritatis à probatissimis & religiosissimis Galliarum personis tunc putabatur, ut à quibusdam in Sibyllinis libris repertum, & ab aliis cuidam Armenio divinitus revelatum affirmaretur. Sed quisquis fuit ille Propheta seu Trotannus qui hoc promulgavit, videat si in futuro adhuc aliqua expeditione implendum expectetur : aut tanquam jam non impletum conculcandum Gallicanæ levitati, quòd fidem aliquam habere potuit, imputetur. Hoc tantùm sciens, quòd non sinè rationis proportione spiritus ille omnes penè Occidentales in peregrinationem mittens, spiritus peregrini Dei tam à nobis, quàm ab illo vocatus est. Sicut enim juxta quorundam in Logica notorum positionem, cùm non formarum, sed subsistentium proprium sit prædicari seu declarari: genera tamen & species prædicamento transumpto ad causam prædicari dicuntur. Vel, ut communiori utar exemplo, sicut albedo clara, mors pallida, eo quòd claritatis altera, palloris altera causa sit, appellatur, utque dicitur, Eurus fundit aquas : sic & causam dicti considerantes, spiritum peregrini Dei dicimus, qui, ut tot & tanti propter Deum peregrinandi habitum assumerent, causa fuit. Cùm igitur rebus in melius mutatis, post tempus flendi, tempus ridendi, post tempus belli, tempus pacis advenerit* (16) *: indignum ratus sum, Augustorum clarissime Friderice, cæterorum Regum seu Imperatorum gestis enumeratis, tua silentio supprimere : imò, ut verius dicam, dignissimum putavi priorum virtutibus tua sicut auro gemmam supponere. Inter omnes enim Romanorum Principes tibi penè soli hoc reservatum est privilegium, ut quamvis à prima adolescentia bellicis desudasse cognoscaris officiis, obscœnum tibi nondum vultum fortuna verterit. Sic etiam temperans in prosperis, fortis in adversis, justus in judiciis, prudens & acutus in causis esse cognosceris, ut non solùm ex convictu hæc tecum coaluisse, sed tanquam divinitus inspirata, & à Deo tibi ob universale totius orbis emolumentum concessa* (17) *videantur. Hanc ergo tuæ nobilitati offero historiam, ab omnium bonorum datore Deo postulans & petens, ut tuo bono principio melior finis apponatur. Sed antequam tuorum gestorum seriem attingam, de avo, patre,*

(12) C. MS. sed & quod ob victoriosissimi &c.
(13) C. MS. mutasse sciat.
(14) C. MS. tenore sub quodam.
(15) C. MS. pertinges de ea usque &c.
(16) C. MS. pacis modò advenerit.
(17) C. MS. concessa fuisse videantur.

patre, patruoque tuo quædam summatim prælibare cogitavi: ut sic, quasi quodam filo narrationis descendens, per clara, clariora, quæ de tua persona dicenda fuerint, appareant. Si qua verò ex aliis regnis Ecclesiasticæ, secularisve personæ gesta incidenter interserta fuerint, ab hujus negotii materia aliena non putabuntur, dum omnium regnorum vel gentium ad Romanæ Reipublicæ statum, tanquam ad fontem recurrat narratio. Nec si à plana historia, dictione ad evagandum opportunitate nacta, ad altiora velut philosophica acumina attollatur oratio, præter rem ejusmodi æstimabuntur, dum & idipsum Romani Imperii prærogativæ non sit extraneum, rebus simplicioribus altiora interponere. Nam & Lucanus, Vergilius, cæterique Urbis Scriptores, non solùm res gestas, sed etiam fabulosas, sive more pastorum, vel colonorum summissiùs, vel Principum Dominorumque orbis altiùs narrando, stylum tamen frequenter ad intima quædam Philosophiæ secreta attingenda sustulerunt. Sic enim non solùm hi, quibus rerum gestarum audiendi seriem inest voluptas: sed & illi, quos rationum ampliùs delectat subtilitatis sublimitas, ad ejusmodi legenda seu cognoscenda trahuntur. Ac propositæ historiæ Deo auctore tale sumatur exordium (18).

---

(18) *Post versum Codex MStus Cæsareus hæc babet:*
Incipit Chronica Ottonis Frisingensis Episcopi, & ejus abbreviatoris Rahebini.

OTTO-



OTTONIS
FRISINGENSIS EPISCOPI
DE GESTIS
FRIDERICI I. IMP.
LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Qua occasione Hiltebrandus ab Imperatore abjectus, & Guibertus in locum ejus subrogatus sit.



Um sub Imperatore Henrico, qui inter Reges quartus, inter Imperatores tertius hujus nominis invenitur, Imperium gravissimè scissum fuisset, parteque maxima Optimatum Principi suo rebellante, tota penè Regni latitudo ferro, flamma fœdaretur: Gregorius Septimus, qui tunc Urbis Romæ Pontificatum tenebat, eundem Imperatorem tanquam à suis destitutum, anathematis gladio feriendum decernit (1). Cujus rei novitate eo vehementiùs indignatione motum suscepit Imperium, quo nunquam ante hæc tempora hujusmodi sententiam in Principem Romanorum promulgatam cognoverat. Eapropter pluribus ex Italia, Gallia, Germania, apud Bajoariæ civitatem Brixinoram, in ipso Pyrenæo, haud procul à valle Tridentina sitam, coadunatis Episcopis, Princeps Curiam magnam celebravit. Ubi omnibus advenientibus, injurias sibi à Romana Ecclesia irrogatas affectuosè conqueritur, quòd videlicet ipso inconsulto (qui tanquam Rex & Patricius primus in electione suæ Urbis Episcopi esse deberet) Romani sibi Pontificem præfecissent, cùm à patre suo Imperatore plures ibidem, quasi sine electione, intronizati fuerint. Hac querimonia omnium animi eo faciliùs contra Romanam Ecclesiam inclinari poterant, quò & laici secularis honoris consideratione accensi, & Episcopi consilio Clericorum suorum, quibus recenter connubia ab eodem Pontifice inhibita fuerant, inflammati, voluntati Principis accedebant. His igitur (2) acclamantibus, præfata electio ab eis cassanda judicatur, Guibertusque (3) Ravennatensium Archiepiscopus, Clemens vocatus (4), assensu Principis, Urbis Episcopus creatur, Gregoriusque VII. ab ipsis Pseudomonachus, vel Necromanticus appellatus, exsufflatur. Unde communi consilio prænominato Pontifici scriptum convitiis & detractionibus plenum dirigere præsumpserunt, inter cætera dicentes: *Sicut hactenus solebas dicere, quòd nullus nostrum esset Episcopus, ita sciàs quòd nulli nostrum deinceps eris Apostolicus.*

CAP.

(1) C. MS. decrevit.
(2) C. MS. Cunctis igitur.
(3) C. MS. Ghibertusque: *ita semper.*
(4) C. MS. Clemens, vel potiùs demens vocatus.

CAP. II.

Quomodo Imperator Italiam ingressus, Gregorium Urbe fugavit.

POst hæc Princeps militem copiosum colligens, Italiam ingreditur, ad Urbemque usque progressus, Romani populi favore, pulso Gregorio, Guibertum ibidem ponens, Imperatoris & Augusti nomen (5) sortitur. Venerabilis autem Sacerdos persecutionem fugiens, ad tutiora montana Tusciæ, in terram Comitissæ Mathildis, quæ Imper. consanguinea fuit, se contulit: ibique per aliquot dies manens, sententiamque anathematis renovans, Epistolis, quæ multis in locis habentur, Principes Regni adversùs Imperatorem suum concitavit. Deinde Campaniam seu Apuliam ingrediens, in municipia Nortmannorum, qui nuper Roberto Guiscardo Duce, Provincias illas, indigenis necatis vel ejectis, seu servituti subactis, irruperant, se recepit, ibique diem mortis expectavit.

CAP. III.

Quomodo Robertus Guiscardus cum Romanis (6) Campaniam & Apuliam occupavit.

ROobertus iste ex mediocri stirpe in Nortmannia, ex eorum militum ordine, quos Vavassores vulgò ibi dicere solent, in plaga, quam Constantiam indigenæ dicunt, editus, cum Rogerio fratre tam patri, famis tempore, morem (ut ajunt) gerens, quàm ob locorum sterilitatis molestiam à natali solo progressus, multo tempore multas (7) Provincias, opportuniorem (8) ad inhabitandum terram quærens, oberravit: unde & ab oberrandi circuitu, patriâ linguâ *Guiscardus*, tanquam oberrator vel gyrator appellatus est. Cùm ergo non paucis (ut dictum est) diebus, multarum regionum gyrator existeret, à citeriori Italia, quæ modò Apulia, seu Calabria dicitur, tandem excipitur. Quam dum à Longobardis possessam, inertis plebis inhabitatione tanquam industriæ defensionis vacuam inveniret, remissis in Galliam nunciis, expositaque locorum idoneitate, ac gentis inertia, ad expugnationem earum Provinciarum consocios invitavit. Et, ne multis detinear, virtute, dolo, arte, ignavi populi victor existens, Campaniæ, Apuliæ, Calabriæ, Siciliæ ad ultimum possessor inventus est. Reliquit autem Rogerio fratri ex parte sui Comitatum Siciliæ tenendum: ipse verò Ducatum Apuliæ cum Calabria sibi retinuit. Hujus filius, qui multa postmodum tam in Græcia, quàm in cæteris Orientis partibus fortia & gloriosa gessit opera, Boimundus fuit. Fratris verò sui Rogerii, Rogerius, qui postmodum Regium nomen usurpavit, natus erat: hujus, qui in præsentiarum est, Guilhelmi pater. Sed hæc hactenus.

CAP. IV.

De rebellione Saxonum.

CIrca idem tempus Saxonum gens inquietissima more suo Principi rebellans, castrum quoddam Harzburg dictum, ob ejusdem gentis oppugnationem, ab Imperatore in ingressu Provinciæ in loco munitissimo fundatum, cum Ecclesia pariter, in qua congregatio Canonicorum fuit, funditus delevit. Occasio tamen hujus rebellionis non tantùm ex prædictæ gentis instabilitate, sed ex Principis lascivia ortum sumserat. Dum enim prædictus Princeps in juvenili adhuc positus ætate, toto Regno silente, Dominumque (9) suum humiliter portante, præfatam terram ingressus fuisset, juveniliter dixisse fertur: Se mirari, nullum per totum Imperii ambitum inveniri, in quo vires suas exercere posset: idque non virtuti, sed ignaviæ deputabat. Quod dictum, non secundùm naturam generis sui, percusso aëre mox transiit, sed tam efficaciter in mentibus plurium radices figens germinavit, ut tota in brevi Provincia illa adversùs ipsum commota, & in unum corpus coadunata, innumeris populis & gentibus lethifera pocula ministraverit. Discant ergo Principes Orbis in summo positi, omnium summum Creatorem suum præ mente habendo, moderantiam servare, ut, juxta Ciceronem, quanto majores sunt, tanto se gerant submissiùs. Optimè enim à Physicis fallaciam complexionum considerantibus, dictum cognoscitur: *Melius ad summum est, quàm in summo*. Cùm enim homo natus ad laborem, brevì vivens tempore, natura tanquam ex multis composita ad dissolutionem tendente, nunquam in eodem statu manere valeat, si in summo fuerit, mox eum declinare oportebit. Cujus rei causâ paulisper philosophari liceat. Etenim

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.

CAP. V.

Excursus Philosophicus, vel potiùs Theologicus.

QUicquid est (10), genuinum est, aut nativum. Sicut autem genuinum non potest esse non simplex, &, ut ita dixerim, non singulare, non solitarium: ita nativum non potest esse non compositum, non conforme, non concretum. Primò ergo videamus quid genuinum, quid nativum appelletur, ut exhinc horum sensus verborum faciliùs appareat. Genuinum dicitur tanquam generans, & non genitum, idest, carens generatione. Nativum velut natum, aut genitum, descendens à genuino. Unde Plato: *Est igitur, ut mihi videtur, in primis dividendum, quid sit quod semper est, carens generatione: quid item quod gignitur, nec est semper*. Et Boëtius:

---- qui tempus ab ævo
Ire jubes.

Generationem verò largè accipimus, pro ingressu in quamlibet proprietatem: vel (ut manifestiùs loquar) pro quolibet ingressu de non esse ad esse. Unde Aristoteles: *Ex oppositis fiunt generationes*. In omni enim nativo, negatio prior est affirmatione. Genuinum est igitur carens generatione, carens principio, quale apud nos unum tantùm invenitur, æternitas videlicet, soli divinitati accommoda. Non enim tria apud nos, quæ Plato posuit, inveniun-

(5) C. MS. & Augusti ab eo nomen.
(6) C. MS. Nortmannis.
(7) C. MS. multas per Provincias.
(8) C. MS. opportunitatem.
(9) C. MS. dominiumque.
(10) C. MS. quicquid est, aut genuinum est, aut &c.

niuntur principia, sed unum tantùm, Deus Pater, ex quo omnia: Deus Filius, per quem omnia: Deus Spiritus Sanctus, in quo omnia. Et hi tres, sicut nec tres Dii, ita nec tria principia, nec tria æterna, sed unum principium, & unum æternum. Sola ergo Divinitas principio carens, simplex esse necessariis probatur rationibus. Quicquid enim componitur, ab alio componi necessarium est: nulla enim res, sicut se non gignit, ita nec se componit. Quod autem ab alio componitur, ab alio esse necesse est. Divinitas verò ab alio non est: ab alio componi ergo nequit. Simplex igitur est. Unde Boëtius in tertio libro de Consolatione: *Quòd si natura quidem inest, sed ratione diversum, cùm de rerum Principe loquamur Deo, fingat qui potest, quis hæc diversa conjunxerit*. Hæc eadem divina essentia, eo quòd nec actu, nec natura conformem habeat, singularis esse probatur. Quod ex intuitu naturalium faciliùs consideratur. Cùm enim ad contemplanda celsa divinitatis attollimur, eo quòd intellectus noster in quo sedeat non habet, tanquam de re incerta palpitantes, meliùs negando quàm affirmando: idest (11) quid non sit, quàm quid sit, conspicimus. In nativis igitur omnem naturam seu formam, quæ integrum esse subsistentis fit (12), vel actu & natura, vel natura saltem conformem habere necesse est. Verbi gratiâ: Humanitas Socratis actu & natura conformis est humanitati Platonis, dum secundùm omnes partes, & omnimodum effectum (quod quidam formam substantiæ, & substantiam formæ vocant) tam in isto, quàm in illo inveniatur. Unde quamvis Socrates & Plato ratione partiendi in numerum veniant, ut duo dicantur homines: tamen ratione assimulandi, unus possunt dici homo. Substantialis namque similitudo non solùm subjecta conformia, sed & eadem & unum dici facit, juxta illud: *Participatione speciei, plures homines, unus*. Et secundùm quod soliti sumus dicere: Idem vinum bibitur hìc, quod Romæ. Partes autem hìc voco eas formas, quæ ad componendam speciem aut in capite ponuntur, ut generales: aut aggregantur, ut differentiales: aut eas comitantur, ut accidentales. Omnis quippe diffinitio alterius est, & alteri convenit. Nam forma est, & subsistenti convenit. Jam ex his, ut arbitror, patet quod dixi, humanitatem Socratis secundùm omnes partes, & omnimodum effectum humanitati Platonis conformem esse: ac secundùm hoc Socratem & Platonem, eundem & unum in universali dici solere. Si enim altera rationalis, altera esset mortalis: nec tota esset in isto, nec tota in illo, sed aliam partem ista, aliam partem caperet illa. De effectu quoque clarum est, quòd sicut hæc illum rationalem seu mortalem, ita illa hunc rationalem seu mortalem facit. Concretio etiam in naturalibus non solùm coadunatione formæ & subsistentis, sed ex multitudine accidentium, quæ substantiale esse comitantur, considerari potest. Verbi causâ: Humanitas quæ est integrum esse hominis, & ex multis (ut ostensum est) formis composita, ad hoc ut subjectum informet, risibilitatem, cæteraque trahit accidentia. Sunt aliæ formæ subjectum integrum informantes, quæ naturam tantùm conformem habent. Esse quippe Solis, etsi non actu, natura conformem habere noscitur. Quare quamvis plures Soles non sint, sinè repugnantia tamen naturæ plures esse possunt. Patet igitur ex opposito per negationem, quòd divina essentia nec conformis est, nec concretioni subjacet. Quare, ut verba naturalia in divinam vertantur prædicationem, sicut simplex, sic & singularis & solitaria dicatur: ut simplex contra compositionem, singularis contrà conformitatem, solitaria dividat contra concretionem. Nec igitur actu, nec natura conformis est, quia nec fuit, nec est, nec esse poterit alius Deus, alius creator, alius omnipotens. Unde Psalmista: (*Psalm. 86.*) *Deus qui similis tibi?* Concretionem non recipit, cùm nec subjectum, quod informet, habeat, nec aliquam comitantiam accidentium admittat. Quare nec substantia propriè dici potest. Substantia enim potest quodammodo subjectum vocari: forma verò nullo modo subjectum esse potest. Hoc verò cùm, juxta Philosophum, nec passionibus, nec motui subjiciatur, ex hoc aut ex illo constans, sed quicquid est, unum est, & ideo verè est, & fortissimum, nullo nitens, multo meliùs forma dicitur. Omne namque esse, ex forma est. Non est ergo hoc & hoc, sed hoc tantùm pulcherrimum & fortissimum. Si enim conforme haberet, pulcherrimum dici non posset. Si subjecto nitens, comitantia accidentium ageret (13), fortissimum non esset. Quare pulcherrimum & fortissimum est, nullo nitens: &, ut optimè à prædicto Philosopho dictum est, nec diffinitioni, nec divisioni, multo minùs demonstrationi, vel resolutioni apta est verè. Cùm enim superveniens genus, quo componatur, non habeat, diffinitionem non admittit. Divisionis sectionem quomodo reciperet, quæ omnibus in quas dividi posset speciebus caret? Demonstrationi quoque qualiter pateret: quæ velut omnium principium & primum, primiora, veriora, notiora super se habere non potest? Unde necessariò ex simplicitatis, singularitatis, solitaritatis, ut ita dicam, natura, resolutionis necessitudinem excludit; ut jure solum externum (14), invariabile, incommutabile & sit, & naturaliter esse credatur. Cætera namque, si qua sint, quæ variationem non suscipiunt, ut Angeli, non ex propria natura, sed ex Opificis sui gratia, à cujus invariabilitate ipsi invariabiles denominantur, hoc habere probantur, ut secundùm hoc, cùm dico: Deus est invariabilis, Angelus est invariabilis, non alia in secunda, quàm in prima propositione prædicetur invariabilitas, sed eadem. Verbi gratiâ: Cùm dico artificem humanum & opus humanum: non aliam & aliam prædico humanitatem; sed hoc quod de artifice substantivè, de opere prædico denominativè. Velut cùm dico: Socrates ridet, pratum ridet: non aliam de Socrate, aliam de prato prædico proprietatem, sed eandem quam de Socrate propriè, de prato impropriè vel transumptivè enuncio. Quod considerans Boëtius ait: *Tropus nullius est proprietatis*.

Ostenso de divina essentia, juxta judicium negationis, cùm nec composita, conformis, concreta dici possit, simplicem, singularem, solitariam eam quoquo modo comprehendi: nunc qualiter omne nativum compositum, conforme concretum intelligatur, dicendum restat.

(11) C. MS. idem.
(12) C. MS. subsistentes fit.

(13) C. MS. comitantia accidentium egeret.
(14) C. MS. Solum æternum.

stat .. Omne quippe quod natum est, ab alio sinè dubio originem sumit. Nihil enim à se nasci potest. Quod autem ex alio est, principium non est: ergo est hoc & hoc: ergo simplex non est, compositum est igitur. Non enim hìc ad effandum de Theologica & ineffabili generatione seu nativitate attollimur: sed tantùm de ea, quæ à Philosophis genitura, à nobis factura, seu creatura dici solet, disputationem instituimus. Sed notandum, quòd compositio alia formarum, alia est subsistentium. Formarum ex formis, subsistentium ex subsistentibus. Nulla enim forma subsistentium, nec subsistens formarum compositionem admittit. Nam tanta diversitate, esse, & id quod est, sejunguntur, ut nec quod est, esse sui, nec esse ejus, quod ipso est, compositionem admittat: & cùm sub nullo genere conveniant, compositionemque (ut dictum est) alterum alterius non admittat, alterum tamen sinè altero esse nequit. Hæcque talis diversissimorum, ut ita dixerim, compactio, concretio potiùs oppositorum, quàm compositio similium vocatur. Compositio igitur alia, ut dictum est, formarum, alia est subsistentium. Formarum autem aliæ compositæ, aliæ simplices. Simplices, ut albedo: compositæ, ut humanitas. At simplices in compositione compositæ venire possunt. Nulla autem simplex per se in naturalibus subjectum informare valet, sed tantùm compositam informantem comitatur. Omnem igitur formam ad hoc ut integrè subsistentem informet, compositam esse necesse est, & esse hoc & hoc. Subsistentes quoque ex subsistentibus constare, nulli dubium est. Omne enim corpus ex corporibus constat. Nec inconveniens arbitrantur Philosophi, sicut quantitatem in immensas quantitates, sic & corpus in infinita secare corpora. Nullum itaque subsistens simplex, nulla forma, quæ sit integrum esse, potest esse non composita. Sed sciendum est, quòd subsistens aliud suscipit conjunctionem partium, aliud non. Corpus suscipit, spiritus non: quare & spiritus simplex esse videtur. At hoc videndum est, simplicitatem quandoque contra compositionem tantùm, quandoque contra compositionem simul & concretionem dividere. Unde Boëtius in octava regula libri Hebdomade: *Omni composito aliud est esse, aliud ipsum est*. Non enim in hac regula diversitas inter id quod est, & quo est, quæ in secunda regula, in qua dicitur: Diversum est esse, & id quod est, assignata est, notatur: sed potiùs ea diversitas formarum, qua subjectum alio est, & alio aliquid est. Verbi gratiâ, ut corporeitate esse (15), colore aliquid esse dicitur. Sic & spiritus creatus, cùm alio sit, alio sapiens sit, quamvis copulatione partium carens, simplex esse videatur: tamen quia formam ex formis compositam habet (16), & ex concretione hujusmodi formæ & subsistentis plenariè, simplex dici non potest. Omne igitur nativum compositum. De conformitate & concretione supra probatum est, quòd videlicet ex substantiali similitudine conforme, ex eo quòd subjectum informet, multitudinemque post se accidentium trahat, concretum dicatur. Inter omnia verò nativa nihil magis compositum invenitur, quàm homo: qui non solùm ex esse compositum habet esse, vel subsistentem ex subsistentibus, sed & ex oppositis compactus subsistentibus, oppositorum subsistentium juncturam, & eorundem diversarum subsistentiarum compositionem recipit. Quare haud mirandum, si ex tota & tanta compositione compactus, faciliùs resolutioni subjacet. Item cùm, juxta Boëtii nonam regulam, omnis diversitas discors, similitudo appetenda sit, & quod appetit aliud, tale ipsum esse naturaliter ostenditur, quale est illud hoc ipsum quod appetitur: tanto vehementiùs ad dissolutionem tendimus, quanto dissidentiùs ex oppositis partibus constamus. Verbi causâ: Corpore ex quatuor Elementis compacto, igne sursum, terra deorsum, aqua & aëre quasi è regione distrahentibus, sibique hoc modo partibus dissidentibus: quid inæqualius esse poterit? Idipsum etsi non sensus, ratio tamen in compositione formæ percipit. Accedit ad hoc, quòd non solùm forma (17) substantiale est esse ex formis composita: sed quòd ipsæ formæ componentes, nunc nascentes, nunc occidentes, neque unquam in existendi conditione constanti & rata perseverantes, subjectum quiescere non permittunt. Unde decedentibus aliis, aliæ semper sinè intervallo succedunt. Quem celerrimum fluxum formarum, cùm sequatur fluxus morarum, tempus tam acutum emergit, ut ejus instans vix, vel nunquam conspici queat. Bene ergo à tam mutabilitatem naturæ, quàm moræ considerantibus dictum est: Melius est ad summum, quàm in summo: quia cùm ampliùs quo crescat non habeat, decrescere necesse est. Sicut autem à medicis præcipitur, ut bonæ habitudines, cùm in summo fuerint, solvantur: sic non immeritò à probatis animarum medicis suadetur, ut mens, quæ rerum prosperitate in summo posita elevari assolet, malorum intuitu reprimatur. Unde est illud: (*Eccles*. 11.) *In die bonorum ne immemor sis malorum*. Sed jam ad propositum redeamus.

CAP. VI.

De Saxonibus bello gravi superatis, & quòd Guelfo Dux Noricorum, & Rudolfus Dux Suevorum rebellare cœperunt.

IGitur Saxonibus à capite suo dissidentibus, ex omnibus Regni visceribus, Princeps ad debellandos eos, fortem & magnum militem cogens, instauransque exercitum prædictam Provinciam ingreditur. Fuerunt in comitatu ejus quatuor magni Duces, singuli cum singulis legionibus, Zuendebaldus (18) Dux Boëmorum, Guelfo Dux Noricorum, Rudolfus Dux Suevorum, Gotefridus Dux Lotharingiorum, & alii Principes, Comites, Nobilesque innumerabiles. Ita juxta fluvium, Unstruot dictum, publico bello commisso, cruenta Rex potitus victoria rediit. Non multo post tempore, duo præfati Duces Guelfo & Rudolfus, qua occasione dubium, Principi rebellantes, Saxonibus junguntur. Gotefridus autem Lotharingiæ Dux, Orientalem expeditionem aggressus, Hierosolymis Ducatum populi Dei tenens, ibidem in pace quievit.

CAP.

(15) C. MS. ut corpus corporeitate esse.
(16) C. MS. habet ex.
(17) C. MS. forma quæ substantiale.
(18) C. MS. Rherdebaldus.

CAP. VII.

Quòd idem Rudolfus instinctu Gregorii Rex creatur, & paulò post in prœlio occiditur.

AT Romanus Pontifex Gregorius, qui jam (ut dictum est) Principes adversùs Imperatorem concitabat, omnibus ut alium crearent latenter & manifestè scribebat. Igitur Rudolfus Dux Suevorum ab eis Rex factus, diadema à Romana Ecclesia accepisse traditur cum hujusmodi scripto:

(19) *Roma dedit Petro, Petrus diadema Rudolfo.*

Hujus Rudolfi filiam quidam ex nobilissimis Regni Optimatibus, Bertolfus nomine, de castro Zeringen, habuit. Non multo post tempore, Rudolfus in publico bello à fidelibus Imperatoris necatur, & in Ecclesia Mersebur cultu regio sepelitur. Fertur de Imperatore, quòd cùm pacatis paulisper his seditionum motibus, ad prædictam Ecclesiam Merseburg venisset, ibique præfatum Rudolfum velut Regem humatum vidisset, cuidam dicenti, cur eum qui Rex non fuerat, velut regali honore sepultum jacere permitteret? dixerit: Utinam omnes inimici mei tam honorificè jacerent. Occiso Rudolfo, gener ejus Bertolfus Ducatum Sueviæ, tanquam à socero sibi concessum, usurpat.

CAP. VIII.

De Comite Friderico, quòd gener Imperatoris factus Ducatum Sueviæ obtinuerit.

EA tempestate Comes quidam Fridericus nomine, ex nobilissimis Sueviæ Comitibus originem trahens, in castro Stoyphe dicto coloniam posuerat. Hic cùm esset consilio providus, armis strenuus, ad Curiam Imperatoris assumptus, per multos dies ibidem militarat, strenuissimique ac nobilissimi militis officium implens, in omnibus periculis suis viriliter Imperatori astiterat. Videns Princeps ergo Reipublicæ tam dubium statum, vocato ad se secretò præfato Comite, sic eum alloquitur: Virorum optime, quem inter omnes in pace fidelissimum, & in bello fortissimum expertus sum, cerne qualiter Romanus orbis tenebris involutus, fide vacuus, juxta quod dicitur:

Ultima cœlicolum terras Astræa reliquit.

ad ausus nefarios, factaque nefandissima concitatur. Nec parentibus reverentia, nec Dominis debita subjectio servatur: Sacramenta quæ tam jure poli, quàm jure fori Principi à milite publicè exhiberi solent, contemnuntur: factiosaque juramenta, quæ contra leges divinas & humanas in angulis fiunt, diabolo instigante, pro sacrosanctis habentur: nullis legibus (20), nullis divinis sanctionibus honor impenditur. Cùm enim omnis potestas à Deo sit, qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Assurge igitur huic tam pessimo morbo, atque ad debellandos Imperii hostes viriliter accingere. Neque enim priorum meritorum tuorum immemor existo, nec futurorum ingratus ero. Filiam quippe, quam habeo unicam, tibi in matrimonio sortiendam tradam, Ducatumque Sueviæ, quem Bertolfus invasit, concedam.

(19) *Alii* Petra.
(20) C. MS. nullus legibus, nullus divinis.

Sic itaque prædictus Fridericus Dux simul Suevorum, & gener Regis factus, ad propria rediit: & ne multis morer, Bertolfum tandem pacem petere coëgit: quod tamen quidam sub filio suo Friderico factum tradunt. Conditio autem pacis talis fuit, ut Bertolfus Ducatum exfestucaret, sic tamen quòd Turegum nobilissimum Sueviæ oppidum à manu Imperatoris ei tenendum remaneret. Hoc oppidum in faucibus montium versùs Italiam super lacum unde Lemannus fluvius fluit, situm, Imperatorum seu Regum olim colonia fuit, tantæque, juxta majorum nostrorum traditionem, auctoritatis, ut Mediolanenses, si quando ab Imperatore ad transalpina vocarentur judicia, ibi discuti, vel judicari de jure deberent. Unde ex ejusdem tam in rebus, quàm honoribus abundantia, in ipsius porta scriptum dicitur:

Nobile Turegum multarum copia rerum.

A prædicto etiam Lemanno fluvio, unde Lucanus:

Deseruere cavo tentoria fixa Lemanno.

tota illa Provincia Alemannia vocatur. Quare quidam totam Teutonicam terram Alemanniam dictam putant, omnesque Teutonicos Alemannos vocare solent, cùm illa tantùm Provincia, idest Suevia, à Lemanno fluvio vocetur Alemannia, populique eam inhabitantes solummodo vocentur (21) Alemanni. Bertolfus iste, quamvis in hoc negotio Imperio simul & justitiæ cesserit, tamen strenuissimus ac fortissimus fuisse traditur. Unde & adhuc ab antiquioribus de ipso dicitur, quòd si quando nuncius aliqua tristia ipsi apportans, secundùm quod fieri assolet, hæsitare (22) voluisset, dixerit: Dic, dic: scio enim quòd semper læta tristia, vel tristia præcedunt læta. Quare tantundem mihi est primò audire nubilosa, cùm postmodum auditurus sim serena, quàm primò auditis serenis, post auditurus sim nubilosa. Magnifica vox, & viro forti digna, qui nativorum volubilitatem sinè literis naturali percipiens ingenio, nec in diebus bonorum immemor malorum, elevatus, nec in diebus malorum immemor bonorum, fuit fractus! Fridericus autem Ducatum Alemanniæ exhinc sinè contradictione habuit, ac strenuè diebus non paucis rexit.

CAP. IX.

Quòd post genitos sibi filios Fridericum & Conradum, diem obiit.

SUscepit verò ex nobilissima compare sua Agnete duos filios, Fridericum & Conradum: & ipse post multa virtutum suarum insignia, in senectute bona diem ultimum claudens, in Monasterio Laureacensi, in proprio fundo constructo, humatus est. At supranominatus Bertolfus, vacuum exhinc nomen Ducis gerens, id quasi hæreditarium posteris reliquit. Omnes enim usque ad præsentem diem Duces dicti sunt, nullum Ducatum habentes, soloque nomine sinè re participantes. Nisi quis Ducatum esse dicat, comitatum inter Juram & Montem-Jovis, quem post mortem Wilhelmi Comitis, filius suus Conradus ab Imperatore Lothario suscepit: vel à Ducatu Carentano, quem nunquam habuerunt, Ducis eos

(21) C. MS. solummodo jure vocentur.
(22) C. MS. assolet, ne hæsitare.

eos nomine honorandos contendat: in aliis tamen rerum & honoris non parva pollentes magnificentia.

CAP. X.

De uxore ejus Agnete, quòd Leopaldo Marchioni nupserit, & quòd defuncto Imperatore filius ejus Henricus potenter regnum obtinuit.

MOrtuo Alemannorum Duce Friderico, (23) Agnetem ab ipso viduatam, frater suus Henricus, Imperatoris Henrici filius, in sua suscepit, eamque Leopaldo Orientali Marchioni (quòd aliàs à nobis pleniùs dictum est) in uxorem dedit, filiis ipsius Friderico quindecim, Conrado duodecim annos habentibus. Porrò Fridericus, qui major natu erat, patri in Ducatum successerat. Circa idem tempus Imperator Henricus apud Leodium Belgicæ urbem, diem obiit. Sepultisque ibidem intestinis ejus, corpus in Galliæ civitatem Spiram deportatur: ibique in Ecclesia Beatæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, quam ipse miro & artificioso, sicut hodie cernitur, construxerat opere, juxta patrem, avum, Imperatores, cultu regio sepelitur: eique in regnum successit filius suus Henricus, in ordine Imperatorum quartus, Regum verò quintus. Hic armis strenuissimus, totum Imperium ita in brevi suæ subjecit ditioni, ut & omnes in Romano orbe positi, subjectionis jugum humiliter portarent, & vicini dominationem ejus suspectam habentes, metu obrigescerent.

CAP. XI.

Quomodo apud Barum Comitem Reinaldum cepit, & abduxit.

QUot ergo, & quanta tam Romæ, quàm in Italia fortia gesserit, quia in priori dicta sunt historia, supersedemus. Hoc tantùm ad præsens ponere sufficiat, quòd cùm in summo statu positus, omnibus Gallicanis trepidantibus, castrum Barum contra opinionem multorum, assultu cepisset, ibique Comitem Reinaldum comprehensum, captivum abduxisset, juxta ejusdem Comitis arcem Munzun dictum, castrum posuit. Quam in altissimo monte sitam, naturâque locorum munitissimam, dum nulla arte, vel vi capere valeret, patibulum erigi præcepit, dicens: quòd nisi velociter castrum redderetur, Comitem ipsum suspendio perimeret. Oppidani usque in alterum diem inducias petunt. Illa in nocte Comitissa filium genuit. Itaque oppidani convenientes, infantulo recenter genito, sacramento fidelitatis astringuntur. Mane facto, cùm Imperator ad deditionem castri oppidanos exposceret, dominoque illorum Comite coram ducto, suspendium interminaretur, ipsi responderunt: Se propter mortem illius castrum reddere nolle, præsertim cùm novum dominum, quem illa nocte uxor ejus sibi peperisset, haberent. Qua de re inflammatus Princeps, prædictum Comitem ad patibulum trahi jussit. Cùmque à Principibus qui aderant, ne id faceret, rogaretur, ipsoque in proposito perseverante, à quibusdam ut saltem divina animadversione à cœpto desisteret (24), turbato præ ira oculo, respondisse fertur: *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* (*Psal.* 114.) Tandem tamen irrationabili motu defervescente, cunctorum precibus Augustus inclinatus, à mortis sententia animum revocavit, prædictumque Comitem secum captivum ducens, ad familiaria domicilia rediit.

CAP. XII.

Quòd in nuptiis apud Moguntiam Regnum scissum est: & de Gestis Friderici Ducis.

NOn multo post tempore, ipso in civitate Galliæ Moguntia nuptias cum multorum Principum adstipulatione magnificè celebrante, Imperium (ut alibi à nobis profusiùs dictum est) scinditur. Quæ scissura illo tempore tam gravis fuit, ut præter Fridericum Ducem, fratremque suum, & Gotefridum Palatinum Comitem Rheni, vix aliqui ex Principibus fuerint, qui Principi suo non rebellarent. Quot & quanta ergo Fridericus Suevorum Dux nobilissimus vel Imperatore præsente, vel in Italia morante, stylo tunc digna gesserit, quia in multorum adhuc habentur memoria, summatim dicemus. Ipse enim de Alemannia in Galliam, transmisso Rheno, se recipiens, totam provinciam à Basilea usque Moguntiam, ubi maxima vis regni esse noscitur, paulatim ad suam inclinavit voluntatem. Nam semper secundùm alveum Rheni descendens, nunc castrum in aliquo apto loco ædificans, vicina quæque coëgit: nunc iterum procedens, relicto priore, aliud munivit: ut de ipso in proverbio diceretur: *Dux Fridericus in cauda equi sui semper trahit castrum.* Erat autem prædictus Dux in bellis fortis, in negotiis ingeniosus, vultu & animo serenus, in sermone urbanus, donisque tam largus, ut ob hoc multitudo maxima militum ad eum conflueret, seque ad serviendum illi ultro offerret.

CAP. XIII.

Quomodo Moguntiam obsedit, & quomodo de ipsis & suo Archiepiscopo triumphavit.

IGitur omnibus circa Rhenum, ut supra dictum est, ad nutum suum inclinatis, Moguntino Archiepiscopo Alberto, omnium illius temporis Regni Principum versutissimo & locupletissimo, eo quòd prædictæ factionis caput & auctor fuerat, bellum indixit. Vastatisque cunctis in circuitu, tandem & ipsam civitatem cum infinita multitudine militum ac plebis obsidione cinxit. Est autem prædicta civitas magna & fortis, super Rhenum posita, & ex ea parte, qua Rhenum attingit, spissa & populosa, & ex alio latere, rarum habitatorem habens, vacua: muro tantùm forti, non paucas turres habenti, circundata. Porrecta in immensum longitudine, in lato angustior, necessitas locum signavit. Nam ex ea parte, qua Galliæ contigua est, monte medio-

(23) C. MS. Mortuo Alemannorum, seu Suevorum Duce.

(24) C. MS. desistere diceretur, turbato &c.

diocriter in altum ſublato, artatur, ex alio verò latere, qua Germaniam reſpicit, Rheno: unde fit, quòd circa Rhenum nobilibus templis & ædificiis veſtita ſit, & versùs montem vinetis, aliiſque uſibus expoſita. Vulgus quod cum Duce in obſidione fuit, ex illa parte, qua rara eſt civitas, prædandi gratiâ eam aſſultu capere voluit. Timens autem nobiliſſimus Dux, ſi irrationabili plebis furori talis daretur licentia, Sanctorum fortè loca direptioni & flammæ exponi: ne voluntas illorum effectui manciparetur, ſummopere laboravit. At Epiſcopus civitatis, fidei Ducis non rectam recompenſationem reddens, directis de civitate ad ipſum in dolo nunciis, treugam poſtulat: diem quando, & ubi conveniant petit, ſe ad gratiam Imperatoris velle venire promittit: ſicque Ducem exercitum dimittere, obſidionem ſolvere, ac ita cum paucis ad propria redire perſuadet. Epiſcopus ſolutam obſidionem & dimiſſum cernens exercitum, apertis portis, cum magna Ducem inſequens militia, ex improviſo invaſit. Dux cum ſuis, quos adhuc de tanto exercitu (25) habebat, tunc primò dolum ſentiendo, non, ut aſſolet arma ex improviſo arripientibus accidere, mente turbatus, ſed ex præſentia hoſtium amplius ad virtutem animatus, arma ſumit, in hoſtem ruit: viriliterque pugnantibus Alemannis, tandem ex parte Francorum Comes Emicho, qui cæterorum primipilarius erat, lethali ſauciatus vulnere, occubuit. Qua de re fracti animo Franci, terga verterunt, præſidioque fugæ ſe committunt. Quos fortiſſimus Dux inſecutus, occiſis plurimis, & captis, reliquos uſque ad portas civitatis cum Epiſcopo ſuo triumpho potitus, fugavit. Cives qui parentes & amicos in illa cæde amiſerant, tanta cordis amaritudine affecti erant, ut penè in proprium Epiſcopum, velut hujus concuſſionis auctorem, irruerent.

CAP. XIV.

Qualiter idem Dux caſtrum Limburg ab obſidione liberavit, & de ejus conjugio.

IDem etiam Dux illuſtriſſimus, alia vice dum prædictus Albertus Epiſcopus cum Lothario Saxonum Duce, aliiſque Principibus, in magna & valida militum manu caſtrum Limburg, in territorio Spirenſi ſitum, obſidione clauſiſſet, & jam oppidanis fame & inedia aſtrictis, caſtrum penè ad deditionem coëgiſſet, militem colligens, ſupervênit, prædictoſque Principes obſidionem ſolvere fecit. Fertur prætaxatos oppidanos, dum fame laborarent, quid facto opus eſſet conſilium iniiſſe. Dumque alii & alii ſic & ſic conſulerent, Ulricum (26) quendam de Horningen, natione Alemannum, vi mentis, corporiſque proceritate inſignem, dixiſſe: melius fore ut pingues Monachi (nam Monachorum Cœnobium in eodem caſtro poſitum erat) ederentur, quàm caſtrum propter ciborum inopiam hoſtibus traderetur. Quo dicto cognito, Monachi perculſi, cibaria, quæ repoſita habebant, publicaverunt, cunctoſque ibidem manentes milites, uſque ad liberationem caſtri, in his quibus poterant alimentis paverunt. Quid plura? Prætaxatus Dux, ut breviter dicam, per omnia patrem induens, tam fidus Principi miles, tam utilis avunculo amicus extitit, ut ſua virtute honorem Regni labefactatum, viriliter contra hoſtes tamdiu decertando ſuſtentaret, donec membra à capite diſſidentia, ad gratiam Principis veniendo, ad cor redirent. Accepit autem Henrici Noricorum Ducis filiam in uxorem, ex qua poſtmodum Fridericum glorioſiſſimum, qui in præſentiarum Imperator eſt, & Juditham, quæ modò in (27) Matthæo Lotharingiorum Duci copulata noſcitur, genuit.

CAP. XV.

Ubi Imperator Henricus mortuus, & ſepultus.

IMperator Henricus, revocatis in pacem, qui erant ei oppoſiti, Principibus, liberè potitus Imperio, apud inferius Trajectum, Friſiæ urbem, in Pentecoſte Curiam celebravit: ubi morbo correptus, rebus humanis exemptus, ſepultiſque ibidem interioribus, per ripam Rheni ad ſuperiora deportatus, in civitate Spira patribus ſuis appoſitus eſt. Ac Imperatrix Mathildis Henrici Regis Anglorum filia, regalia in poteſtate ſua habebat. Quam prædictus Albertus Moguntinæ Eccleſiæ Archiepiſcopus ad ſe vocavit, falſiſque promiſſionibus ad ſibi tradenda regalia induxit.

CAP. XVI.

Lotharius Dux Saxonum in Imperatorem eligitur, qui mox hæredes Henrici perſequitur, & Noricum caſtrum ab ipſo obſidione cingitur.

IGitur Albertus (nam id juris dum Regnum vacat, Moguntini Archiepiſcopi ab antiquioribus eſſe traditur) Principes Regni in ipſa civitate Moguntina tempore autumnali convocat, malorumque à Duce Friderico ſibi illatorum haud immemor, cùm prædictus Dux ad Regnum à multis expoſceretur, ipſe Lotharium Ducem Saxonum, virum tamen ex probitatis induſtria omni honore dignum, plus familiari rei, quantum in ipſo erat, quàm communi commodo conſulens, in Regem à cunctis qui aderant Principibus eligi perſuaſit. Quæ res laudabiliter facta, graviſſimæ tamen ſciſſuræ ſeminarium denuo fuit. Nam prædictus Princeps conſilio ejuſdem Alberti Moguntini Epiſcopi, juxta quod dicitur:

Non miſſura cutem niſi plena cruoris hirudo,
nondum odio in hæredes Imperatoris Henrici ſatiati, Fridericum Ducem, fratremque ſuum Conradum perſequitur. Cujus rei gratiâ caſtrum Noricum, ubi ipſi præſidia poſuerant, & tanquam jure hæreditario poſſidebant, adjuncto ſibi Boëmorum Duce Ulrico, & Bajoariorum Henrico, obſidione clauſit. Dux autem Boëmorum, eo quòd Barbari qui cum ipſo venerant, nec Deum timentes, nec hominem reverentes, omnia vicina depopulando, nec etiam Eccleſiis parcerent, à Principe poſt aliquod tempus redire permiſſus eſt.

CAP.

(25) C. MS. exercitu reſiduos habebat.
(26) C. MS. Udalricum.

(27) in deeſt in MSto.

CAP. XVII.

Fridericus & Conradus fugato Lothario, oppidum muniunt.

ITaque Fridericus Dux, fraterque suus Conradus militem colligunt, ac data oppidanis die ac signo, ipsi quadam die cum militia sua castro appropinquant. Quod videntes oppidani, lætitiam cordis dissimulare non valentes, in voces magnas & cantus prorumpunt. Princeps tutius judicans alio in tempore præfatum castrum obsidione cingere, quàm infidæ (28) Fortunæ fidei se incautè committere, obsidionem solvit, ac per Babenberg transiens, in civitatem Herbipolim se contulit. Oppidani cum ingenti clamore descendentes, castra jam vacua irruunt, & si qua ibi remanserant, diripiunt, dominosque suos cum magna lætitia suscipientes, in castrum ducunt, Duces oppidum ipsum victualibus, aliisque necessariis muniunt: sicque Regem insequentes, illo in civitate manente, Tyrocinium, quod vulgò nunc Turniamentum dicitur, cum militibus ejus extra exercendo, usque ad muros ipsos progrediuntur. Post hæc Rhenum transeunt, in Spirensique civitate, cujus populus eos, ob fidelitatem Imperatorum, qui ibidem humati sunt, tamquam ejusdem sanguinis consortes devotè susceperat, præsidia collocant. Qua Princeps, juncto sibi Alberto Moguntino, obsidione circundata, multos ibi dies consumens, prævalere tunc non potuit.

CAP. XVIII.

Quomodo iidem Duces Henricum Noricorum Ducem ex Alemannia fugaverunt.

POrrò Henricus Noricorum Dux, supra nominati Henrici Ducis filius, ob gratiam Principis, cujus filiam Gertrudim noviter in uxorem duxerat, Friderico Duci, haud memor affinitatis, quæ ex copula sororis suæ Judithæ inter ipsos erat, bellum indicit. Coadunatoque ex Bajoaria non parvo milite, Alemanniam ingressus, non longè à Danubio super fluvium, Werenza dictum, tabernacula locavit (29). Quo comperto, sæpe dicti Duces & ipsi militem colligunt, nec longè ab eo castrametantur. At Dux Noricorum missis exploratoribus, quod hostium robur sit, inquirit. Quibus redeuntibus, & ea quæ viderant enarrantibus, suos consuluit, quidque facto opus sit, requirit. Illi, incautum fore si hostes expectentur judicantes, fugam consulunt. Tanta ergo cum festinatione Norici, hostes tanquam sibi jam imminentes declinaverunt, ut pontis angustias suspectas habendo, in infidis prædicti amnis procellis, qui ex multitudine imbrium plus solito excreverat, incautè se committerent, ipsoque non tam transvadando, quàm transnatando periculosè transmisso, ad propria cum rubore remearent.

CAP. XIX.

Quomodo Fridericus insidias ejusdem Ducis evasit.

ALio inde tempore prædictus Dux Henricus Alemanniam ingressus, ad propria ibi domicilia se contulit. Erat enim natione Alemannus, ex antiqua & nobilissima Guelforum familia originem trahens, ac per hoc multas possessiones ex ea parte, qua Pyrenæos montes attingit Alemannia, jure hæreditario habens: vir per omnia laudabilis, tam animi, quàm generis nobilitate insignis, in hoc solo facto tantùm reprehensibilis. Missis itaque legatis ad Fridericum Ducem Suevorum, eum amicè tanquam sororis suæ maritum monet, ut ad gratiam Principis redeat: durum esse dicens, quempiam quantumcunque magnum, vel probum Principem, totius Imperii pondus solum sustinere. Addit etiam, hujus negotii se, si monitis ejus acquiescere vellet, fidum fore mediatorem. Ubi ergo, & qua die simul conveniant, oreque ad os de hoc familiariùs conferant, Monasterium quoddam Zuifalten dictum, constituitur. Dux Fridericus nil perperam expectans, ad prædictum locum cum paucis vênit. Ille verò non simpliciter ambulans, quo loco nocte cubare vellet, latenter exploravit. Itaque Sole ad inferius hemisphærium descendente, cùm tenebrosis mentibus tenebrarum opportunitas se offeret, cubiculum, in quo Dux jacebat, circundatur, & quòd non amicus, sed ut hostis advenerit, re & voce aperitur. Quid faceret, quò se verteret? arma corriperet? sed penè nullum quo juvaretur habuit. Fugeret? sed nullum cubiculi meatum sciens, fugæ præsidium non invênit. Dolum itaque cognoscens, ad divinæ tantum gratiæ se vertit adjutorium. Qua opitulante, per abdita quædam cubiculi penetralia tunc sibi primò quasi cœlitus ostensa, Ecclesiam introivit, turrim quæ Ecclesiæ contigua erat, ascendit. Hostes cubiculum irrumpunt, & non invento Duce, claustra etiam Monachorum ingrediuntur, cunctas officinas ipsorum ferro perscrutantur. Phœbo ab inferis redeunte, superioremque aëris regionem illuminare incipiente, vicini quique fideles Ducis, tam teterrimo cognito facto, aggregatim in adjutorium ejus advolant. Hostibus adhuc secretiora claustri rimantibus, ignemque minantibus, Fridericus suos de turre adventare prospiciens, jam securus factus, Henricum Ducem exposcit, eumque sic affatur: Contra fas, bone Dux, fecisti, qui me in pace vocatum, pacis non ferens signa, inimicum te potiùs quàm amicum ostendisti. Nec te ab hoc facto propriæ famæ revocavit honestas, nec carnis, qua conjungimur, affinitas. Ne autem malum pro malo reddere videar, te tanquam amicum fideliter admoneo, ne fideles meos, quos undique adventare cerno expectes. Excusatur à quibusdam hoc factum Ducis, non solùm ex hoc, quòd eo in tempore inimici fuerunt, juxta illud:

Dolus an virtus quis in hoste requirat?

sed ex eo, quòd pro fidelitate Regni, & Reipublicæ quiete, Principi eum tradere, pacemque Imperio instaurare volens, hoc fecerit.

CAP. XX.

De expeditione Lotharii in Boëmiam.

DIssensio igitur inter Fridericum Ducem, Lothariumque Imperatorem penè per decem annos protracta, Imperium quiescere non permisit. Qualiter autem ad ultimum pacatum

(28) C. MS. quàm invidæ.

(29) C. MS. castra posuit.

eatum fuerit, & quot, & quanta virtutum insignia Lotharius reliquerit, in priore historia dictum sufficiat.

Verùm silentio præterire nolumus, quòd prædictus Princeps adversam nimis circa Regni primordia fortunam sensit. Quidam enim Otto Moraviæ Comes, Ducatum Boëmiæ affectans, Principem adiit, eique magnam pecuniam promittens, ad hoc ut Boëmiam secum intraret, ibique eum Ducem crearet, inclinavit. Quod Ulricus, qui eundem Ducatum fortè habebat, impedire volens, nullo Principem obsequio à cœpto revocare potuit. Igitur Rex Saxoniam intrans, militem instaurat: ducensque secum Ottonem, claustra sylvarum, quæ Boëmiam & Saxoniam sejungunt, hyemali tempore ingreditur. Dux Boëmiæ Ulricus in ipsis sylvarum abditis locis, septis undique sylvis, super amniculum quendam castra posuit. Rex cum suis propter nimietatem nivium à recta via exorbitans, ac per devia sylvarum oberrans, ad prædictum amnem fortè vênit, suis viæ labore nimio & inedia exhaustis quiescere volentibus. Barbari turbatum cernentes amnem, hostes in proximo esse præsentiunt. Ex improvisoque supervenientes, Saxones, qui in prima acie erant, jam per nives deambulando fatigatos invadunt, ac paucis per fugam elapsis, quibusdam captis, cæteros crudeliter occidunt. Videns hoc Princeps, suisque ex angustia viarum nullum præsidium ferre valens, sævissima mentis amaritudine perculsus, rerum tamen, quas ab adolescentia gesserat, ac antiquæ virtutis memoria, quasi cœlesti rore repletus, in collem quendam cum paucis, quos adhuc residuos habebat, se recepit. Quem præfatus Dux suis in circuitu positis, magnarumque arborum jactu & clausura reditum negantibus, tanquam clausum tenuit. Tandem Henrico Saxoniæ Marchione, qui de sorore Ducis natus, cum Rege advenerat, mediante, ad pedes Imperatoris satisfactionem offerens, humiliter Dux vênit, hominiumque sibi cum sacramento fidelitatis exhibens, Ducatum ab eo suscepit, captivos reddidit: sicque Princeps portatis secum eorum, qui nobiliores erant, funeribus, cum multo mœrore rediit.

CAP. XXI.

Qui Principes ibi occubuerint, & de secundis nuptiis Friderici.

INter cæteros Nobilissimus Marchio Saxoniæ Albertus captus fuerat. Tanta verò strages Saxonum, & præcipuè Nobilium & Illustrium virorum ibi facta fuit, ut perpetui odii inter Saxones & Boëmos fomes tunc accensus, nondum extinctus sit. Otto quoque, qui hujus concussionis auctor fuerat, ambitionis suæ pœnas luens, ibidem necatus est. Sed ut dicitur.

Flebile principium melior fortuna sequetur, sic & hunc Principem melior fortuna secuta, ad tantum apicem provexit, ut, sedatis omnium tempestatum motibus, cum triumpho & victoria de Italia rediens, in ipsis montibus vivendi fecerit finem. Verùm Fridericus Dux, mortua uxore sua Juditha, dissensionis tempore, Friderici Comitis de Sarbur, fratris Alberti Episcopi, filiam Agnetem in uxorem duxit, ab eaque Conradum, qui Palatinus Comes nunc Rheni esse noscitur, & Claritiam Ludovici Thuringiæ Comitis uxorem, accepit (30).

CAP. XXII.

Quòd mortuo Lothario Conradus Rex creatur, & quis Alberto Moguntino successerit.

DEfuncto Imperatore Lothario, ac in monasterio Lutre, quod in ejus proprio fundo situm est, humato, Principes Regni apud Galliæ oppidum Confluentiam, ubi Mosella Rhenum influit, conveniunt, & de eligendo Principe consilium ineunt. Igitur Conradus Friderici Ducis frater, ab omnibus, qui aderant, exposcitur, ad regnumque levatus in palatio Aquis coronatur. Quod eo faciliùs fieri potuit, quòd Imperatoris Henrici odium in mentibus plurimùm (31) jam deferbuerat, Albertusque Moguntinus Archiepiscopus, jam recenter vivendi finem fecerat. Accessit etiam ad hujus negotii promotionem, quòd Henricus Noricorum Dux, pro nota superbiæ, penè omnium, qui in expeditione Italica cum Lothario Imperatore fuerant, odium contraxerat. Itaque Fridericus Dux Moguntiam, quæ tunc pastore suo orbata vacabat, vênit: omnesque tam clericos, quàm laicos ad hoc ut Albertum juniorem, uxoris suæ, quam secundò acceperat, fratrem eligerent, induxit, Principe ad hoc corroborandum ascito. Qui patruum suum seniorem Albertum non exuens, (32) non bene gratus beneficiorum extitit: nec plenè fidum Principi suo se exhibuit. Qualiter verò Henricus Dux Noricorum, prædictæ sublimationi Principis contradixerit, & quem finem ipse sortitus fuerit, quomodo etiam Princeps tam de ipso, quàm de multis aliis triumphaverit, in priori historia dictum sufficiat.

CAP. XXIII.

Qualiter soror Gertrudis Reginæ sociata est Manuel Græcorum Imperatori.

CIrca idem tempus, Johannis Regiæ Urbis Imperatoris Apocrisiarii, Viri Clarissimi, Romanorum Principem adeunt, tam confœderationis vinculum ob Rogerii Siculi insolentiam, inter duo Imperia, Hesperiæ videlicet & Orientis, renovare cupientes: quàm in hujus rei argumentum aliquam regalis sanguinis puellam filio suo (33) in uxorem dandam, postulantes. Princeps comparis suæ sororem potiùs illò destinavit: in hujusque rei confirmationem venerabilem Herbipolensem Episcopum Embriconem, virum prudentem & literatum, in Græciam misit: Joanne jam mortuo, sedenteque in Urbe filio suo prædicto Manuel. Qui omnia sapienter & solerter ordinans, nuptias, proxima post Epiphaniam hebdomada, in Urbe Regia celebrari cum fastu & decore regio persuasit. Et ipse non paucis ibi diebus ad promotionem hujus, & aliorum Regni negotiorum manens, dum remigando ad patriam redire cogitaret, multis Græcorum xeniis honoratus & oneratus, apud Aquilejam vita decessit. Super his autem negotiis, inter utrumque Principem hujusmodi directæ inveniuntur Epistolæ. Quæ ne omnes ponerentur, compendium in causa fuit.

Con-

(30) C. MS. accepit, generavit.
(31) C. MS. plurium.
(32) C. MS. Albertum exuens.
(33) C. MS. suo Manuel in uxorem.

Conradus, Dei gratiâ, Romanorum Imperator Augustus, Joanni, eâdem gratiâ, Constantinopolitano Imperatori, salutem, & dilectionem fraternam, amicitiam, honorem, & gloriam.

„ UT parentes nostri, videlicet Romanorum Imperatores antecessores nostri, „ ad antecessores vestros, scilicet Regnum & „ populum Græcorum constituerunt, constituo: & sicut servaverunt, conservabo. Non „ est Gens, Regnum, aut Populus, qui non „ noverit, nostræ Romanæ Reipub. vestram „ novam Romam & dici & fore filiam, ex „ hujus radice ramos, & fructus ejus processisse: propter quod hæreditatem, quæ à „ matre debetur filiæ, constituimus, æternamque volumus, & eo ampliùs, quòd quæ „ matri debetur, filiam velle cernimus, scilicet ut auctoritas materna præcinat consilio, „ auxilio, respondeat autem gloria & honore „ filiastina dilectio. Sint ergo res utriusque „ communes, utriusque amicus idem, idem „ inimicus, sive in terra, sive in mari: & „ cognoscat ac timeat matris virtutem & valentiam, qui non honoraverit filiam, sive „ Nortmannus, sive Siculus, sive quis alter „ quicunque, ubicunque. Neque enim obliti „ sumus, vel ego, vel Principes nostri Imperii, quoscunque hostium nostrorum incursus, vel invasiones in Imperium, & magnificentiam Romanam. Sed cùm divina clementia subveniet, retribuemus unicuique „ ipsorum secundùm multitudinem ipsorum „ malitiæ. Videbit ergo, & audiet universa „ Regnorum latitudo, quàm facili manu prosternentur latrones, qui insurrexerunt in „ utriusque Imperii nostri Monarchiam: quia, „ cooperante Deo, si alas excutiemus, hostem modò volitantem capiemus, & cordis „ ejus eviscerabimus audentiam, quæ modò „ extollitur contra utriusque Imperii nostri honorem & gloriam. Conservamus igitur quæ „ justa & amicabilia sunt ad vos, eadem vos „ ad nos: & tanto studiosiùs, quanto per conjugium sororis dilectissimæ conjugis nostræ, „ Imperatricis videlicet nobilissimæ, & filii „ tui confœderati sumus propinquiùs. Verùm „ quia de nostris hilarescere successibus, dilectionis & nobilitatis tuæ credimus experientiam, quid post discessum prudentissimorum Apocrisiariorum tuorum, in generali „ & solenni Curia cum universis Imperii nostri „ Principibus celebrata, cui eos interesse voluimus, Deo auxiliante actum sit, tibi, sicut „ unico fratri nostro, & amico dilectissimo, „ dignum duximus intimare. Noveris igitur, „ quòd omnes, qui Imperium nostrum offendisse videbantur, cooperante Deo, potenter in nostro Imperiali jure inclinavimus, „ eosque in plenitudinem gratiæ nostræ suscipientes, universas Imperii nostri partes „ abundanti pace ditavimus. Ad hoc Francia „ & Hispania, Anglia, Dania, cæteraque Regna Imperio nostro adjacentia, quotidiana „ legatione sua, cum debita reverentia & „ obsequio nos frequentant, ad ea, quæ Imperii nostri mandata sunt, se prompta esse „ tam obsidibus, quàm sacramentis affirmantes. Nolumus etiam latêre discretionis tuæ „ prudentiam, quòd Dominus Papa, totaque „ Apulia, Italia & Longobardia, de die in „ diem adventum nostrum desiderant: & ut „ nostra eis Imperiali subveniamus potentia, „ cum omni devotione expostulant. Hujus rei „ gratiâ dilectissimum & præcordialem Imperii nostri Principem Embriconem, venerabilem Herbipolensem Episcopum amicum „ tuum, ad exquirendam Domini Papæ voluntatem, Romam direximus. Cognita verò „ ipsius circa nos voluntate, communicato „ Principum nostrorum consilio, ea, quæ ad „ utriusque Imperii nostri honorem spectant, „ per charissimos & prudentes Nuncios nostros, „ Robertum scilicet Principem Capuanum, „ illustrem utique virum ac nobilem, nobisque fidelem, nec non Albertum dilectum „ Capellanum nostrum, & in fide constantem, „ tuæ significamus Nobilitati. Hos igitur tanquam nos audias, & quæ tibi dixerint, sicut „ decet Excellentiam tuam, & sicut de te speramus & credimus, ad effectum perducas, „ & honestos & idoneos Apocrisiarios tuos, „ unà cum Nunciis nostris sinè dilatione ad nos „ remittas. Præterea de Rutenis, qui ad contemptum Imperii nostri occisis hominibus „ nostris, pecuniam nostram sibi usurpaverunt, sicut convenit in causa amici, & „ propinqui tui, & sicut nobis scripsisti, ita „ facias. Militibus quoque Imperii nostri Alemannis scilicet, qui apud te sunt, sicut decet excellentiam (34) tuam, benignus existas. Nihilominus etiam te rogamus, ut „ hominibus Imperii nostri, Teutonicis videlicet, qui Constantinopoli morantur, locum, „ in quem ad honorem Dei Ecclesiam ædificent, concedas, tum respectu divinæ remunerationis tum & interventu ac petitione „ nostræ dilectionis. Recordari quoque debet „ tua discretio, quòd nos in literis prioribus „ per præfatum Capellanum nostrum tuæ nobilitati præsentatis, hoc idem à te pro Dei „ amore & honore petivimus: quia si ipse, „ qui dat salutem Regibus, fuerit in medio „ nostri, certum est quòd non gaudebunt inimici nostri. Datum XVIII. Kal.... (35) „ Ratisponæ, in Christo feliciter. Amen.

CAP. XXIV.

Exemplar literarum tunc temporis hinc inde missarum.

Joannes in Christo Deo, fidelis Rex Porphyrogenitus, sublimis, fortis, Augustus, Comnenos & Imperator Romanorum, ad nobilissimum fratrem & amicum Imperii mei.

„ NObilissime & dilecte amice Imperii mei „ Rex. Litera tuæ nobilitatis fraterni „ affectus signum, ad nostram delata mansuetudinem per prudentissimum Apocrisiarium „ nobilitatis tuæ, multa nos lætitia replevit. „ Nam bona tuæ nobilitatis voluntas, & cognationis, & amicabilis affectio & dilectio, „ quam demonstrasti, & per literas, & per „ verba, & per opera ipsa erga Imperium „ nostrum: nostram consequenter pietatem „ totam, toto animo ad tuum amorem pertraxit. Quare etiam diversos fidelissimorum „ & familiarissimorum hominum suorum ad „ tuam nobilitatem emisit, recommunicare „ per

(34) C. MS. magnificentiam.

(35) C. MS. XVIII. Cal. Martii.

„ per eos volens nobilitati tuæ totis de causis, „ propter quas & mandasti, & scripsisti ei. „ Vult enim in Deo (36) in omnibus amice „ sapere, & cognationabiliter, & fraternè ad „ tuam voluntatem, (37) & omnia agere secundùm quod videtur ei, quæ ad honorem „ sunt nobilitatis tuæ. Quia verò prudentissimus Dux Venetiæ Petrus Polanus mediator „ à nobilitate tua in his causis assumptus est, „ sicut vir bonus & fidelis ambabus partibus: „ & hoc nobis placere dignum visum est. „ De causa Apuliæ & Longobardiæ, prudentissimis Apocrisiariis nostris, quæ à nobis „ visa sunt, jussimus. Nam & si quidam horum ad susceptionem magìs nobilissimæ cum „ Deo futuræ nurus Imperii mei, missi sunt, „ tamen etiam communiter eis notum Imperii „ mei velle. De causa quæ facta est in Russia, sicut Imperio meo scripsisti, sicut convenit Imperio meo facere in causa amici & „ propinqui sui, sic & feci. Sed de caballariis nobilitatis tuæ, quòd scripta tua nominatim comprehendebant, & magìs de eo „ qui defecit in viventibus ex eis, sic fecit „ Imperium meum, ut scripsisti. Vale nobilissime amice Imperii mei Rex.

Conradus, Dei gratiâ Romanorum (38) *Imperator Augustus, charissimo fratri suo E.* (39) *Porphyrogenito Comneno, Illustri & glorioso Regi Græcorum, salutem, & fraternam dilectionem.*

„ Nobilitatis tuæ literas, ut à tanto, & „ tam charo amico nostro Serenitati „ nostræ transmissas, gratanter excepimus: & „ viso earundem tenore de incolumitate & „ sublimitate tua admodum gavisi sumus. Sed „ auditis à Νικηφόρῳ tuæ dilectionis prudenti „ Apocrisiario, præter illa, quæ in literis continebantur, quibusdam verbis duris, & „ (ut verum fateamur) ab omni retro tempore inauditis, & nostræ majestatis, ultra „ quàm lingua explere valeat, perturbata est „ mansuetudo, & est admirata universa Imperii nostri latitudo. Unde vel à quo hoc „ tam amarum verbum processerit, miramur: „ præsertim cùm inter cætera hujus mundi „ Regna, Græcorum Regnum omni sapientia „ & discretione hactenus floruit (40). Si „ enim idem nuncius tuus Νικηφόρος unicum „ filium nostrum Henricum in præsentia nostra morti dedisset, ad majorem iram Majestatis nostræ animum provocare non poterat. Cùmque jam per triduum in hoc (41) „ acerbo laborasset, & rigorem nostri animi „ nullo ingenio, nullaque sapientia ad suam „ voluntatem inflectere potuisset: vix tandem „ quarto die aliis verbis dulcioribus excellentiam nostram exhilaravit, nostræque furore indignationis mitigato, nobilitatis tuæ „ voluntatem nobis aperuit. Et quoniam ita „ nunc est, & esse debet, quòd tu amicorum amicissime, uxorem accipies dilectissimam filiam nostram, sororem videlicet nobilissimæ conthoralis nostræ, volumus ut insit æternum fœdus perennis amicitiæ, quam „ videlicet amicitiam præsenti (42) Apocrisiario tuo ore & manuscripto firmari jussimus, „ ita videlicet, ut & amici amicorum tuorum, & inimici simus inimicorum tuorum. „ Proinde certa sit prudentia tua, quòd si tuæ „ nobilitati (43) undecunque aliqua molestia „ vel injuria fuerit illata, non hanc tibi tantùm, sed etiam nobis factam jure dilectionis „ reputamus: quoniam virtutis tuæ nobilitas, & maximè generosi sanguinis, quo „ in pignus perpetuæ dilectionis confœderati sumus, propinquitas nos invitat, ut te „ tanquam filium charissimum, totius ulnis „ charitatis amplectamur, & cuncta, quæ „ tibi placita sunt, libenti animo faciamus. „ In qua re justum arbitramur, ut eandem „ amicitiam nobis & Imperio nostro firmari facias, ut completis omnibus honorificè, utrique Imperio debitus honor exinde deferatur, & pax, & nomen Christi „ per universum mundum inde magnificetur. Porrò de quingentis militibus, quos „ nobilitas tua petiit, hoc tibi respondemus, quòd non solùm quingentos, sed „ etiam duo, vel tria millia, si necesse habueris, tibi mittemus: & quod majus est, „ antequam detrimentum aliquod honoris „ tui pati videremus, elaborata totius Imperii nostri fortitudine, in propria persona tibi, sicut præcordiali filio, & fratri „ charissimo, deficere & deesse non possemus. Præterea scripsit nobis tua Nobilitas, quòd magnos & charos nuncios sinceritati tuæ mitteremus: in quo voluntati „ tuæ acquievimus: quoniam quos chariores habuimus, Excellentiæ tuæ transmisimus: scilicet, charissimum præcordialem nostrum Embriconem, venerabilem „ Wirtzburgensem Episcopum, illustrem „ & magnum Imperii Principem, qui est „ cor nostrum, & anima nostra: necnon „ dilectissimum nostrum Robertum Illustrem „ & Nobilem Principem Capuanum. Misimus etiam quasi utrasque manus nostras „ Germanos duos fratres, scilicet fratrem „ Bernonem virum sapientem & religiosum, „ & fratrem ipsius Rivvinum, qui nobis „ valde charus est & familiaris & nobilis: „ & honorandum Principem Imperii nostri „ Rogerium Illustrem Comitem de Adriano, (44) cujus fidem & constantiam sæpiùs experti sumus, & Gualterum fidelem „ nostrum. Istis itaque ea, quæ in literis „ non continentur, industriæ tuæ referenda „ commisimus: quorum verbis fidem adhibeas, & quæ tibi dixerint, tanquam à „ nobis dicta credas. De Ruthenis verò, „ pro quibus patri tuo divæ recordationis „ Joanni Imperatori, per fidelissimum Capellanum nostrum Adalbertum, & per „ Comitem Alexandrum de Gravina scripsimus, & de loco, in quo nostris Teutonicis ad honorem Dei Ecclesiam ædificari „ volumus, & de nobilibus Baronibus Apuliæ, Alexandro videlicet Clarimontis, „ Philippi de Surre, & Henrico Comite, „ & Senne Pustel, ille noster præcordialis „ Wirtzburgensis Episcopus, & cæteri fa-

„ milia-

(36) C. MS. cum Deo.
(37) C. MS. nobilitatem.
(38) C. MS. gratia verè Romanorum.
(39) C. MS. suo Manuel Porphirogenito.
(40) C. MS. floruit admodum mirati sumus. Si &c.
(41) *fortè* arcendo.
(42) C. MS. præsenciæ.
(43) C. MS. quod nobilitati.
(44) C. MS. de Ariano.

„ miliares nostri voluntatem nostram tibi „ referent, quibus tanquam nobis credas. „ Super his omnibus fidelem Apocrisiarium „ tuum NiKephorum, licèt in principio „ legationis suæ nos conturbaverit, tibi at- „ tentiùs commendamus, & quia constan- „ ter perduravit, ut eum remuneres, roga- „ mus. (45) Vale.

CAP. XXV.

De Friderico juniore, & de his quæ gessit apud VVolfrateshusen.

Creverat Fridericus, Friderici strenuissimi Ducis filius, militiæque cingulum jam sumpserat, nobilis patris futurus hæres nobilior. Igitur bonæ indolis virtutem non dissimulans, educatus, ut assolet, ludis militaribus, ad seria tandem tyrocinandi (46) accingitur negotia, adhuc patre vivente, terramque suam plenariè tenente. Nam & Comitem quendam nobilem Henricum de Wolfrateshusen hostem denuncians, Bajoariam cum magna militum copia ingreditur. Norici, & maximè Comites, & Nobiles, velut tyrocinium celebraturi, quod modò nundinas vocare solemus, in prædicti Comitis castro se recipiunt. Itaque strenuissimus superveniens adolescens, Noricos ante murum stantes, ipsumque armatos expectantes, non ut jocando, sed utrem seriam agendo, viriliter aggressus est, diuque & fortiter utrisque pugnantibus, tandem ut hostes castro se reciperent, coëgit. Versis in fugam Noricis, ac ex angustia portarum artatis, Comes quidam Conradus de Dachovve tunc Nobilis Comes, postea Dux factus Croatiæ & Dalmatiæ, qui incautus (47) extra remanserat, ab hostibus capitur. (48) Sicque adolescens præfatum ducens Comitem, ad propria cum victoria revertitur. Cùmque à multis sibi suaderetur, ut pecuniam magnam ab eo extorqueret, ipse ex innata sibi nobilitate, pravorum declinavit consilia. Nam sicut fortiter captum, sic eum liberaliter dimissum, ad propria redire sinè pecuniæ exactione permisit.

CAP. XXVI.

Quomodo etiam Bertolfum Ducem superavit.

Post hæc Conrado Duci, supradicti Bertolfi Ducis filio, bellum indicit: captoque supra memorato Alemanniæ oppido Turego, præsidia ibidem posuit. Dehinc junctis sibi etiam quibusdam de Bajoaria Nobilibus, præfati Ducis terram cum magna manu militum introivit, atque ad ultima penè Alemanniæ procedens, ad Zaringen usque ejusdem Ducis castrum pervênit, nullo sibi obviante, vel resistere valente. Non multo post etiam arcem ipsius quandam, quæ cunctis adhuc cernentibus inexpugnabilis esse videtur, cepit & expugnavit: ac contra multorum opinionem, fortissimum & ditissimum Ducem tam acriter debellavit, ut ad patrem, patruumque suum supplicem eum venire, ac pacem petere cogeret. Hæc & alia tam ardua in ipsa puerili ætate gessit negotia, ut non immeritò cum multorum stupore, de ipso dici posset illud Evangelii: (*Luc.* I.) *Quis putas puer iste erit?*

CAP. XXVII.

Quomodo instinctu Arnoldi, Romani adversùs suum Pontificem concitantur, & Senatoriam dignitatem instaurare moliuntur.

His diebus Arnoldus quidam religionis habitum habens, sed eum minimè, ut ex doctrina ejus patuit, servans, ex Ecclesiastici honoris invidia Urbem Romam ingreditur, ac senatoriam dignitatem, equestremque ordinem renovare ad instar antiquorum volens, totam penè Urbem, ac præcipuè populum, adversùs Pontificem suum concitavit. Unde & ad eorundem temeritatis, vel potiùs fatuitatis corroborationem, ab eis ad Principem destinatum, tale scriptum invenitur.

CAP. XXVIII.

Epistola Romanorum ad Regem.

Excellentissimo atque præclaro Urbis & Orbis totius Domino Conrado, Dei gratiâ, Romanorum Regi semper Augusto, Senatus Populusque Romanus, salutem, & Romani Imperii felicem & inclytam gubernationem.

„ Regali Excellentiæ per plurima jam „ scripta nostra facta & negotia di- „ ligenter exposuimus: quomodo in vestra „ fidelitate permaneamus, ac pro vestra „ Imperiali Corona exaltanda, & omni mo- „ do augenda, quotidie decertamus. Ad „ quæ quia regalis industria, ut postulavi- „ mus, rescribere dignata non fuit, planè „ tanquam filii & fideles de Domino & Pa- „ tre satis miramur. Nos enim quicquid „ agimus, pro vestra fidelitate & honore „ facimus. Et quidem Regnum & Impe- „ rium Romanorum, vestro à Deo regimini „ concessum, exaltare atque amplificare „ cupientes, in eum statum, quo fuit tem- „ pore Constantini & Justiniani, qui totum „ orbem vigore Senatus, & populi Romani „ suis tenuere manibus, reducere, Senatu „ pro his omnibus Dei gratiâ restituto, & „ eis qui vestro Imperio semper rebelles „ erant, quique tantum honorem Rom. Im- „ perio subripuerant, magna ex parte con- „ culcatis, quatenus ea, quæ Cæsari & Im- „ perio deberentur, (49) per omnia & in „ omnibus obtineatis, vehementer atque „ unanimiter satagimus, atque studemus. „ Et ob hujus rei effectum, bonum princi- „ pium ac fundamentum fecimus. Nam pa- „ cem & justitiam omnibus eam volentibus „ observamus, fortitudines, idest, turres „ & domos potentum Urbis, qui vestro „ Imperio unà cum Siculo & Papa resistere „ para-

(45) C. MS. vel de hoc hactenus.
(46) C. MS. tyrocinanda.
(47) C. MS. incautiùs.
(48) C. MS. ab hostibus circundatus capitur.
(49) C. MS. pertinent.

„ parabant, cepimus, & quasdam in vestra „ fidelitate tenemus, quasdam verò subvertentes solo coæquavimus. Sed pro his omnibus „ quæ vestræ dilectionis fidelitate facimus, „ Papa Frangipanes, & filii Petri Leonis, „ homines & amici Siculi, excepto Jordano „ nostro fidelitate in vestra vexillifero & adjutore, Tolomæus quoque, & alii plures „ undique nos impugnant, ne liberè, ut decet, Imperialem regio capiti valeamus imponere coronam. At nos, quoniam amanti „ nullus labor gravis est, licèt inde plurima „ damna sustineamus, pro vestro amore & „ honore gratanter patimur. Scimus namque „ nos à vobis proinde præmium, sicut à patre, accepturos, vosque in eos sicut in Imperii hostes vindictam daturos. Cùm tanta „ igitur nostra in vobis fidelitas sit, tantaque „ pro vobis sustineamus, precamur ne spes „ ista nobis deficiat, ne regia dignitas nos „ vestros fideles & filios despiciat. Neque si „ in regalibus auribus aura sinistra de Senatu „ & nobis flaverit, in eam intendat, aut respiciat: quia qui de nobis vestræ altitudini „ mala suggerunt, & de vestra & nostra, „ quod absit, dissensione lætari volunt, & „ utrosque, ut soliti sunt, callidè opprimere „ moliuntur. Sed circa hæc ne fiat, regalis „ prudentia, ut decet, solicita sit & provida: „ reminiscaturque vestra solertia, quot & „ quanta mala Papalis Curia, & dicti quondam cives nostri Imperatoris (50), qui fuerunt ante vos, fecerint: & nunc deteriora „ vobis cum Siculo facere tentaverunt: sed „ nos Christi gratiâ in vestra fidelitate viriliter eis resistimus, ac plures ex illis ab Urbe, sicut pessimos hostes Imperii, ut sunt, „ pepulimus. Appropinquet itaque nobis Imperialis celeriter vigor: quoniam quicquid „ vultis in Urbe obtinere, poteritis: & urbe „ (51) breviter ac succinctè loquamur, potenter in Urbe, quæ caput mundi est, ut „ optamus, habitare, toti Italiæ ac Regno „ Teutonico, omni Clericorum remoto obstaculo, liberiùs & meliùs quàm omnes ferè „ antecessores vestri, dominari valebitis. Sinè „ mora ergo precamur, ut veniatis, & interim de statu vestro, quem semper desideramus salubrem & prosperum, de his regalibus literis ac nunciis nos lætificare dignemini: sumus enim per omnia vestræ voluntati semper obtemperare parati. Sciatis „ præterea, quia pontem Milvium extra Urbem parùm longè per tempora multa pro „ Imperatorum contrario destructum: nos, „ ut exercitus vester per eum transire queat, „ ne Petrileones per castellum Sancti Angeli „ vobis nocere possint, ut statuerant cum „ Papa & Siculo, magno conamine restauramus, & in parvi temporis spatio muro fortissimo, & silicibus, juvante Deo, complebitur. Concordiam autem inter Siculum & „ Papam hujusmodi esse accepimus. Papa „ concessit Siculo virgam & annulum, dalmaticam & mitram, atque sandalia, & ne „ ullum mittat in terram suam legatum, nisi „ quem Siculus petierit: & Siculus dedit ei „ multam pecuniam pro detrimento vestro & „ Romani Imperii, quod, Dei gratiâ, vestrum existit. Hæc omnia solicitè vestra „ animadvertat, optimè Rex, prudentia.

(50) C. MS. Imperatoribus.
(51) C. MS. & ut breviter.

Rex valeat, quicquid cupit obtineat, super hostes,
Imperium teneat, Romæ sedeat, regat orbem.
Princeps terrarum, ceu fecit Justinianus,
Cæsaris accipiat Cæsar, quæ sunt sua Præsul,
Ut Christus jussit Petro solvente tributum.

„ Nos de cætero Legatos nostros, precamur, ut benignè recipiatis, & quod vobis „ dixerint credatis: quia scribere cuncta nequivimus: sunt enim nobiles viri, Guido „ Senator, Jacobus filius Sixti procuratoris, „ & Nicolaus eorum socius.

At Christianissimus Princeps hujusmodi verbis sive næniis præbere aures abnuit: quinimò venientes ad se ex parte Romanæ Ecclesiæ viros magnos & claros, quorum unus Guido Pisanus, ejusdem Curiæ Cardinalis & Cancellarius erat, renovationemque antiquorum privilegiorum suorum postulantes honorificè suscepit, & honestè dimisit.

CAP. XXIX.

De diversis præliis per expeditionem Hierosolymitanam sopitis.

EA tempestate, ubique terrarum bellorum turbine orbem replente, fermèque totum Imperium seditionum motibus involvente (nam & in Alemannia inter prædictum adolescentem Fridericum, & prænominatum Ducem Conradum, hoc dissensionis malum agitabatur: in Bajoaria inter Henricum Leopaldi Marchionis filium, ejusdem terræ Ducem, & item Henricum Ratisponensem Episcopum, gravissimum bellum excitatum in dies augmentabatur: in Belgica Gallia viris magnis & egregiis Alberone Treverorum Archiepiscopo, & Henrico Namurcense Comite debellantibus, omniaque præda & incendio commiscentibus, maximum Reipublicæ dispendium expectabatur: Polonia quatuor fratribus, tribus cum quarto pro Ducatu contendentibus, maximam effusionem sanguinis minabatur) cæteris quoque Imperii Provinciis hujus mali non extorribus, repentè per dexteram Excelsi, tanta facta est mutatio, ut, sopitis omnibus his bellorum tempestatibus, in brevi totam terram quiescere, & innumerabiles ex Gallia & Germania contra inimicos Crucis, Crucibus acceptis, militiam profiteri cerneres. Sed antequam hujus tam inauditæ mutationis historiam attingamus, pauca de priori turbulentia præmittenda sunt.

CAP. XXX.

Qualiter castrum Regis Ungariæ Bosan, quod & Bresburg, captum & requisitum sit, & de Boritio.

IGitur eo tempore, quo prædictus Henricus Noricorum Dux cum prænominato Henrico Ratisponensium Episcopo, civibusque suis, ac Styrensi Marchione Odoacro gravissimam guerram agitabat. Quidam milites de Orientali Marchia egressi, Pannoniam latenter ingrediuntur, ac noctu (52) castrum Bosan, quod & Bresburg (53), quod olim Imperator Henricus obsidione cinxerat, ex improvisò aggressi, capiunt: quibusdam comprehensis, non-

(52) ac noctu *non legitur in MSto.*
(53) quod & Bresburg *in MSto desideratur.*

nonnullis occisis, aliis per fugam elapsis. Quod audiens Rex Ungariæ Gerza, Beli Regis filius, præmissis quibusdam Comitibus suis, qui, quare, vel qualiter hoc factum fuerat, inquirerent: ipse eosdem subsecutus, ad liberationem castri cum magna Ungarorum properat multitudine. Comites, qui præcesserant, ab oppidanis, cujus rei causâ tam gravem Regi intulerint injuriam, solerter percunctantur. Qui responderunt: Se nec pro Romanorum Principe, nec pro Duce suo hoc fecisse, sed pro Domino suo Boritio. Erat autem Boritius Colomanni quondam Regis Ungariæ filius, prædictum Regnum Ungariæ (ut in prioribus Chronicis dictum est) jure hæreditario repetens, ac ob hoc adipiscendum, utrosque Principes, Romanorum scilicet ac Græcorum, frequenter sollicitans, multosque ex militibus nostris ad favorem suum pecunia inducens. Igitur Rex Ungariæ superveniens, castraque ponens, oppidum cinxit, diversis instrumentis, tormentorumque generibus adhibitis, ac sagittariis oppido circumfusis. Teutonici, eo quòd Dux in superioribus Bajoariæ partibus moraretur, Princeps verò in remotis Regni maneret locis, cùm nullum liberationis suæ solatium haberent, de facienda cum Ungaris pace pertractare incipiunt. Ita, ne multis morer, mutuò colloquentes, accepto à Rege sub jurejurando promisso trium millium librarum in pondere, castrum sibi reddunt, ipsique ad propria redeunt. Rex autem Ungarorum damnum sibi à Teutonicis illatum graviter ferens, Ducem Noricum habens suspectum, hostem denunciat, exercitumque maximum per totam Regni sui latitudinem colligit. Sed antequam de egressione hujus gentis dicamus, breviter quædam de ipsius terræ situ, nationisque ritu prælibanda videntur.

CAP. XXXI.

De situ Ungariæ, & more gentis.

HÆc enim Provincia, eo quòd circumquaque sylvis & montibus, & præcipuè Apennino clauditur, ex antiquo Pannonia dicta, intus planicie campi latissima, de cursu fluminum & amnium conspicua, nemoribus diversarum ferarum generibus plenis conferta, tam innata amœnitate faciei læta, quàm agrorum fertilitate locuples esse cognoscitur, ut tanquam paradisus Dei, vel Ægyptus spectabilis esse videatur. Habet enim pulcherrimum, ut dixi, naturaliter spectaculum, sed ex barbarie gentis (54) mœnium vel ædium rarum ornatum, terminosque non tam montium vel sylvarum, quàm cursu maximorum fluminum septos. Attingitur ab Oriente ubi Sovva famosus fluvius Danubio recipitur, Bulgaria: ab Occidente, Moravia & Orientali Teutonicorum Marchia: ad Austrum, Croatia, Dalmatia, Histria, vel Carinthia: ad Septentrionem, Boëmia, Polonia, Rutenia. Inter Austrum & Orientem Roma (55): inter Aquilonem, & item Orientem, Pecenarorum (56) & Falonum, maximam venationum copiam habente, sed vomere ac rastro penè experte campania. Crebras verò Barbarorum irruptiones passa, haud mirum, si moribus, aut lingua agrestis manet & insulsa. Nam primò (quod alibi latiùs à nobis dictum est) Hunnorum, qui juxta Jordanum ex incubiis & meretricibus orti fuerant, direptioni patuit; postmodum Avarorum crudis & immundis carnibus vescentium conculcationi: ad ultimum Ungarorum à Scythia egressorum, qui & adhuc eam incolunt, relicta est possessioni. Sunt autem prædicti Ungari facie tetri, profundis oculis, statura humiles, moribus & lingua barbari & feroces, ut jure fortuna culpanda, vel potiùs divina patientia sit admiranda, quæ, ne dicam hominibus, sed talibus hominum monstris tam delectabilem exposuit terram. In hoc tamen Græcorum imitantur solertiam, quòd nullam rem magnam sine crebra & longa consultatione aggrediuntur. Denique cùm vilissima in vicis, vel oppidis ibi, idest ex cannis tantùm, rara ex lignis, rarissima ex lapidibus habeantur habitacula, toto æstatis vel autumni tempore papiliones inhabitant. Ad Curiam Regis sui singulis ex primoribus sellam secum portantibus conveniunt, ac de suæ Reipublicæ statu pertractare & discutere non negligunt: hyemis algore in domiciliis, qui habent, id ipsum facientes. At omnes sic Principi suo obsequuntur, ut unusquisque, ne dicam manifestis illum contradictionibus exasperare, sed & occultis susurris lacerare nefas arbitretur. Hinc est, ut cùm prædictum Regnum per LXX. vel ampliùs divisum sit Comitatus, de omni justitia ad Fiscum Regium duæ lucri partes cedant, tertia tantùm Comiti remaneat, nullusque in tam spatioso ambitu, Rege excepto, monetam vel telonium habere audeat. Quòd si aliquis ex Comitum ordine Regem vel in modico offenderit, vel etiam de hoc quandoque non justè infamatus fuerit: quilibet infimæ conditionis lixa, à Curia missus, eum, licèt satellitibus suis stipatum, solus comprehendit, in vinculis ponit, ad diversa tormentorum genera trahit. Nulla sententia à Principe, sicut apud nos moris est, per pares suos exposcitur: nulla accusato excusandi licentia datur; sed sola Principis voluntas apud omnes pro ratione habetur. Si quando verò exercitum Rex ducere voluerit, cuncti sine contradictione quasi in unum corpus adunantur. Coloni quidem, qui in vicis morantur, novem decimum, vel etiam septem octavum, vel infra, si necesse fuerit, cum supellectili ad bellum necessaria instruunt, cæteris pro cultura terræ domi relictis. Qui verò de militum ordine sunt, nulla occasione, nisi gravissima, domi remanere audebunt. At in ipsa Regis acie hospites, quorum ibi magna copia est, & qui apud eos Principes dicuntur, latus Principis ad muniendum ambiunt. Omnes penè tetri, tetris in armis procedunt: nisi quòd jam ab hospitibus, quos nunc solidarios dicimus, educati, vel ab eisdem etiam geniti, quandam non innatam, sed quasi extrinsecus affixam virtutem trahentes, Principes tantùm & hospites nostros in pugnandi peritia, armorumque splendore imitantur. Sed de prædictæ gentis ritu hæc dicta sufficiant.

CAP.

(54) C. MS. barbaræ gentis ritu.
(55) C. MS. Rama.
(56) C. MS. Pecenatorum.

CAP. XXXII.

De pugna habita inter Regem Ungariæ, & Ducem Henricum.

IGitur Rex ad portam Mesiam, LXX. pugnatorum millia, vel ampliùs habens, erupit, in campoque inter portam præfatam, & fluvium Lithahe, qui Teutonicâ linguâ Virvelt & Lervelt, quod nos vacantem campum dicere possumus, castra posuit. Dux etiam cum suis non longè ex altera parte ejusdem fluvii, qui Imperii Romani, & Regni illius ex uno Danubii latere, (nam ex altero Maraha fluvius) limes est, suos convocans, itidem castrametatur, missis exploratoribus, qui statum hostium diligenter inquirendo ediscerent. Altera die Rex in prædicto campo ad quandam ligneam Ecclesiam accedit, ibique ab Episcopis, nam eousque in puerilibus annis positus, nondum militem induerat, accepta sacerdotali benedictione ad hoc instituta, armis accingitur. Post hæc acies ordinat, militem instaurat, positis in capite duabus alis, in quibus sagittarii, quatenus vim hostium eminus repellerent, erant, & è regione una magna acie, cui avunculus suus Bela Dux præerat, in propria legione (ut ajunt) plusquam XII. millia equitum retinens. Dehinc fluvium Litahe ex improviso exploratoribus Ducis non bene propter quod missi erant, observantibus, transvadando permeat; apposito mox in vicinis igne Dux itidem acies instituerat, & jam quid facto opus esset consultabat, frustra exploratores, qui aut dolo, aut pigritia tardabant, expectans. Cùmque alii pugnandum, nonnulli ex alio latere amnis Viscahe, super quem residebat, à termino ad duo tantùm Teutonica milliaria distantem expectandum, atque robur hostium meliùs explorandum consuluere, subitò fumus apparens, ignis, & hostium certum signum dedit quibusdam ex nostris putantibus, ac dicentibus ab hostibus in fugam versis propria castra ignibus data esse. Itaque Dux, est enim manu fortis, mente audax, sed moræ impatiens, subitò arma corripit, & secus quàm disciplina militaris, & ordo exposcit, non pedetentim incedens, sed præcipitanter advolans, in hostem ruit, suis gregatim adventantibus, & dirupto legionum ordine confusè venientibus. Denique ex præpetis cursus nimia velocitate, sagittariorum impetum, qui in duabus præcedentibus alis positi erant, prævênit, ac illas cum duobus Comitibus, qui eisdem præerant, fermè funditus delevit. Post hæc illas duas magnas acies, Regis scilicet, & avunculi sui Ducis impegit, ex Regis legione nullo egrediente, sed tanquam in modum sylvæ fixa immmobiliter manente. Jamjam Ungari de fuga cogitabant, dorsaque vertere volebant, & ecce Teutonici, qui in posterioribus alis Ducem suum sequebantur, fugam ineunt, Duce ignorante, vel ea quæ fiebant, ex pulveris multitudine, quæ illis in partibus siccitatis tempore maximus esse solet, conspicere non valente. Barbari tunc primò vires sumunt, Ducique tanquam à suis destituto circumfunduntur. Dux tunc demum terga hosti dare compellitur, ac tam pugnacis dextræ, quàm pulveris aërem obducentis beneficio belli periculis exemptus, in vicinum oppidum Viennis, quod olim à Romanis inhabitatum Favianis dicebatur, declinavit. Ungari usque ad prædictum fluvium tantùm Viscahe hostes persequentes ad propria redeunt. Cecidit in hoc prœlio virorum nobilium & illustrium pars magna, vulgi verò multitudo innumerabilis, major tamen, ut dicitur, ex Ungaris. Cujus rei, & tam dedecori facinoris ultio nondum facta, Deo opitulante, à victrice præsentis Imperatoris dextra futura expectatur.

CAP. XXXIII.

Quomodo Rogerius triremes in Græciam destinat, captis atque expugnatis quibusdam civitatibus ac arcibus, captivos abducens (57).

CIrca idem tempus Rogerius Siculus, aptatis in Apulia, Calabria, Sicilia triremibus & biremibus, quas modò galêas seu sagittas vulgò dicere solent, aliisque navibus bellicis onerariis, classem in Græciam destinat, præfectis eis Ducibus strenuis, & in navali prœlio gnaris. Armatis itaque navibus, Græciæ fines ingrediuntur, ac Mutino sinè impedimento, gravique negotio capto, ad Gurfol usque fortissimum Græciæ castrum procedunt. Quod dum nulla capere vi prævalerent, ad dolos & ingenia se vertunt. Igitur præmissis quibusdam, ut dicitur, qui se quempiam mortuum humandi gratiâ deferre simularent. Est enim in prædicta arce castri, sicut Græcis mos est, congregatio Clericorum seu Monachorum. Idem castrum irruunt, arcem occupant, Græcis ejectis, præsidiisque suis ibidem locatis. Inde ad interiora Græciæ progressi, Corinthum, Thebas, Athenas, antiqua nobilitate celebres expugnant, ac maximâ ibidem prædâ direptâ, opifices etiam, qui sericos pannos texere solent, ob ignominiam Imperatoris illius, suique Principis gloriam, captivos deducunt. Quos Rogerius in Palermo Siciliæ Metropoli collocans, artem illam texendi suos edocere præcepit, & exhinc prædicta ars illa priùs à Græcis tantùm inter Christianos habita, Romanis patere cœpit ingeniis. Sed ut ad id, unde paulisper digressi fuimus, stilus redeat, de pacis serenitate, quæ post hanc orbis conflictationem, contra multorum opinionem subitò reluxit, breviter aliqua dicenda essent.

CAP. XXXIV.

Quomodo auctoritate Sedis Apostolicæ transmarina expeditio persuasa est.

EUgenio in urbe Roma sedente, Conrado in eadem, Lodovico in occidentali Francia regnantibus, imperante in urbe regia Manuel, Hierosolymis Falcone, Lodovicus dum occultè (58) Hierusalem eundi desiderium haberet, eo quòd frater suus Philippus eodem voto astrictus, morte præventus fuerat, diutiùs protelare nolens propositum, quibusdam ex Principibus suis vocatis, quid in mente volveret, aperuit. Erat illo in tempore in Gallia Cœnobii Clarævallensis Abbas quidam Ber-

(57) *In C. MS. legitur hic titulus:* De pugna Rogerii contra Græcos.

(58) C. MS. occultum.

Bernardus dictus, vita & moribus venerabilis, religionis ordine conspicuus, sapientia, literarumque scientia præditus, signis & miraculis clarus. Hunc Princeps vocandum, ab eoque quid de hac re fieri oporteret, tanquam à divino oraculo consulendum decernit. Vocatur præfatus Abbas, consiliumque ipsius super prædicti deposcitur Principis voluntate. Ille de tam grandi negotio, ex propriæ auctoritatis arbitrio responsum dare frivolum judicans, ut ad Romani Pontificis audientiam, & examen deferatur, optimum esse respondit. Itaque missa ad Eugenium legatione, totum illi negotium aperitur. Qui antecessorum suorum exempla revolvens, quòd videlicet Urbanus hujusmodi occasione transmarinam Ecclesiam, duasque Patriarchales sedes, idest Antiochiam & Hierosolymam, ab obedientia Romanæ Sedis scissas, in pacis unitatem receperit, votis prædicti Regis pro dilatando Christianæ religionis ritu annuit, auctoritate prædicandi, animosque cunctorum ad hoc commovendi, prænominato Abbati, qui apud omnes Galliæ ac Germaniæ populos, ut Propheta, vel Apostolus habebatur, concessa. Unde ejus scriptum tale ad Regem, Principesque suos directum invenitur.

CAP. XXXV.

Epistola Eugenii Papæ super prædicta re.

Eugenius Episcopus servus servorum Dei, charissimo filio (59) *Ludovico illustri & glorioso Francorum Regi, & dilectis filiis Principibus, & universis Dei Fidelibus per Galliam constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem.*

„ QUantùm prædecessores nostri Romani „ Pontifices per liberationem Orientalis „ Ecclesiæ laboraverunt, antiquorum relatio„ ne didicimus, & in gestis eorum scriptum „ reperimus. Prædecessor etenim noster feli„ cis memoriæ Papa Urbanus, tanquam tuba „ intonuit (60) & ad ipsius deliberationem „ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ filios de diversis „ mundi partibus solicitare curavit. Ad ipsius „ siquidem vocem Ultramontani, & præcipuè „ Francorum regni fortissimi, & strenui bel„ latores, & illi etiam de Italia, charitatis „ ardore succensi convenerunt, & maximo „ congregato exercitu, non sinè magna pro„ prii sanguinis effusione, divino eos auxilio „ comitante, civitatem illam, in qua Salva„ tor noster pro nobis pati voluit, & glorio„ sum ipsius sepulchrum Passionis suæ nobis „ memoriale dimisit, & quamplures alias, „ quas prolixitatem vitantes memorare super„ sedimus, à Paganorum spurcitia liberarent. „ Quæ per gratiam Dei, & patrum vestro„ rum studium, qui per intervalla temporum „ eas defendere, & Christianum nomen in „ partibus illis dilatare pro viribus studue„ runt, usque ad nostra tempora à Christianis „ detentæ sunt, & aliæ urbes infidelium ab „ ipsis viriliter expugnatæ. Nunc autem no„ stris, & ipsius populi peccatis exigentibus, „ quod sinè magno dolore, & gemitu pro„ ferre non possumus, Edissa civitas, quæ „ nostrâ linguâ Rohais dicitur, quæ etiam, ut „ fertur, cùm quondam in Oriente tota terra „ à Paganis detineretur, ipsa sola sub Chri„ stianorum potestate domino serviebat, ab „ inimicis Crucis Christi capta est, & multa „ Christianorum castella ab ipsis occupata, „ ipsius quoque civitatis Archiepiscopus cum „ Clericis suis, & multi alii Christiani ibi„ dem interfecti sunt, & Sanctorum reliquiæ „ in infidelium conculcationem datæ sunt, & „ dispersæ. In quo quantum Ecclesiæ Dei, & „ toti Christianitati periculum immineat, & „ nos cognoscimus, & prudentiam vestram „ latêre non credimus. Maximum namque „ nobilitatis, & probitatis indicium fore co„ gnoscitur, si ea quæ patrum strenuitas ac„ quisivit, à vobis filiis strenuè defendantur. „ Verumtamen si, quod absit, secus contige„ rit, patrum fortitudo in filiis imminuta pro„ batur. Universitatem itaque vestram in Do„ mino commonemus, rogamus, atque præ„ cipimus, & in peccatorum remissionem in„ jungimus, ut qui Dei sunt, & maximè po„ tentiores, & nobiles viriliter accingantur, „ & infidelium multitudini, quæ se tempus „ victoriæ super nos adeptum lætatur, sic oc„ currere, & Ecclesiam Orientalem tanta pa„ trum vestrorum, ut prædiximus, sanguinis „ effusione, ab eorum tyrannide liberatam, „ ita defendere, & multa captivorum millia „ confratrum nostrorum, de ipsorum mani„ bus eripere studeatis, ut Christiani nominis „ dignitas vestro tempore augeatur, & vestra „ fortitudo, quæ per universum mundum lau„ datur, integra, & illibata servetur. Sit „ vobis etiam in exemplum bonus ille Mata„ thias, qui pro paternis legibus conservan„ dis, seipsum cum filiis & parentibus suis „ morti exponere, & quicquid in mundo pos„ sidebat relinquere nullatenus dubitavit, „ atque tandem, divino cooperante auxilio, „ per multos tamen labores tam ipse, quàm „ sua progenies de inimicis viriliter triumpha„ vit. Nos autem vestrorum quieti, & ejus„ dem Ecclesiæ destitutioni paterna sollicitu„ dine providentes, illis qui tam sanctum, „ tamque pernecessarium opus, & laborem „ devotionis intuitu suscipere, & perficere „ decreverint, illam peccatorum remissionem, „ quam præfatus prædecessor noster Papa Ur„ banus instituit, auctoritate nobis à Deo „ concessa concedimus, & confirmamus, at„ que uxores & filios eorum, bona quoque „ & possessiones sub Sanctæ Ecclesiæ, nostra „ etiam, & Archiepiscoporum, Episcoporum, „ & aliorum Prælatorum Ecclesiæ Dei prote„ ctione manere decernimus. Auctoritate „ etiam Apostolica prohibemus, ut de omni„ bus, quæ cùm Crucem acceperint, quietè „ possederint, nulla deinceps quæstio movea„ tur, donec de ipsorum reditu vel obitu cer„ tissimè cognoscatur. Præterea, quoniam „ illi, qui Domino militant, nequaquam in „ vestibus pretiosis, nec cultu formæ, nec „ canibus, vel accipitribus, vel aliis, quæ por„ tendant lasciviam, debent intendere, pru„ dentiam vestram in Domino commonemus, „ ut qui tam sanctum opus incipere decreve„ rint, ad hæc non intendant; sed in armis, „ equis, & cæteris, quibus infideles expu„ gnent, totis viribus studium & diligentiam „ adhi-

(59) C. MS. Karissimo in Christo filio.

(60) C. MS. tuba cœlestis intonuit.

„ adhibeant. Quicunque verò ære premuntur „ alieno, & tam sanctum iter puro corde in- „ cœperint, & de præterito usuras non sol- „ vant: & si ipsi, vel alii pro eis occasione „ usurarum astricti sunt sacramento vel fide, „ Apostolica eos auctoritate absolvimus. Li- „ ceat eis etiam terras sive cæteras possessio- „ nes suas (postquam commoniti propinqui, „ sive domini, ad quorum feudum pertinent, „ pecuniam commodare aut noluerint, aut „ non valuerint) Ecclesiis, vel personis Ec- „ clesiasticis, vel aliis quoque Fidelibus, li- „ berè, sinè ulla reclamatione, impignorare. „ Peccatorum remissionem & absolutionem „ juxta præfati prædecessoris nostri institutio- „ nem, omnipotentis Dei, & Beati Petri „ Apostolorum Principis auctoritate, nobis à „ Deo concessa, talem concedimus, ut qui „ tam sanctum iter devotè incœperit, & per- „ fecerit, sive ibidem mortuus fuerit, de om- „ nibus peccatis suis, quibus corde contrito „ & humiliato confessionem susceperit, abso- „ lutionem obtineat, & sempiternæ retribu- „ tionis fructum ab omnium remuneratione „ percipiat. Datum Vetrallæ, Kalendis De- „ cembris.

CAP. XXXVI.

Quomodo prædicatione Bernardi Clarævallensis Abbatis, Rex Franciæ cum suis Principibus Cruces acceperunt.

IGitur ut ad narrationis seriem redeamus, Bernardus Abbas venerabilis, concessa sibi Apostolicæ Sedis auctoritate non abusus, gladio verbi Dei fortiter accingitur, ac excitatis ad transmarinam expeditionem multorum animis, tandem Curia generalis apud Verzelacum Galliæ oppidum, ubi Beatæ Mariæ Magdalenæ ossa recondita sunt, indicitur, convocatis ex diversis Galliæ provinciis optimatibus, virisque illustribus. Ibi Lodovicus Francorum Rex, Crucem à prætaxato Abbate cum multa mentis alacritate sumens, militiam transmarinam professus est cum Theoderico Flandrensi, & Henrico Theobaldi Blesensis filio, Comitibus, aliis de regno suo Baronibus, virisque Nobilibus.

CAP. XXXVII.

Quomodo ad prædicationem cujusdam Rudolphi, orientalis Francia ex magna parte eandem militiam professa est, & de persecutione contra Judæos.

INter hæc Rudolphus (*) Monachus, vir quidem religionis habitum habens, religionisque severitatem solerter imitans, sed literarum notitia sobriè imbutus, eas partes Galliæ, quæ Rhenum attingunt, ingreditur, multaque populorum millia ex Agrippina, Moguntia, Vormatia, Spira, Argentina, aliisque vicinis civitatibus, oppidis, seu vicis, ad accipiendam Crucem accendit. Hoc tamen doctrinæ suæ non vigilanter interserens, quòd Judæi in civitatibus, oppidisque passim manentes, tanquam Christianæ religionis hostes trucidarentur. Quod doctrinæ semen in multis Galliæ, Germaniæque civitatibus vel oppidis tam firmiter radicem figens germinavit, ut plurimis ex Judæis hac tumultuosa seditione necatis, multi sub Principis Romanorum alas tuitionis causâ confugerent. Unde factum est, ut non pauci ex ipsis hujusmodi immanitatem fugientes, in oppido Principis, quod Noricum, seu Norenberg appellatur, aliisque municipiis ejus ad conservandam vitam se reciperent.

(*) *Alii* Radulphus.

CAP. XXXVIII.

Dehortatio Clarævallensis Abbatis ab hac re.

AT præfatus Claævallensis Abbas hujusmodi doctrinam præcavendam docens ad Galliæ, Germaniæque populos nuncios, seu literas destinavit, in quibus ex auctoritate sacræ paginæ luculenter ostendit Judæos ob scelerum suorum excessus, non occidendos, sed dispergendos fore. Unde & Psalmographi testimonium induxit, in LVII. Psalmo dicentis: *Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos*. Et item: *Disperge illos in virtute tua*.

CAP. XXXIX.

Quomodo idem Abbas Regi Conrado, & multis Principibus Crucem accipere persuasit, & de obitu senioris Friderici Ducis.

IGitur innumerabilibus in occidentali Gallia ad transmarinam expeditionem excitatis, Bernardus prædicationis nomine movendum orientale Francorum regnum aggredi disponit, tam ob hoc ut animum Principis Romanorum sacræ exhortationis verbo, ad accipiendam Crucem emolliret, quàm ut Rudolfo, occasione Judæorum crebras in civitatibus seditiones populo contra dominos suos moventi silentium imponeret. Audiens hoc Princeps, generalem Curiam in Nativitate Domini apud Spiram civitatem celebrandam indixit. Quò veniens prædictus Abbas, Principi cum Friderico fratris sui filio, aliisque Principibus, & viris illustribus Crucem accipere persuasit, plurima in publico, vel occulto faciendo miracula. Moguntiam quoque veniens, Rudolfum in maximo favore populi morantem invênit. Quo accersito, permonitoque ne contra Monachorum regulam, per orbem vagando propria auctoritate verbum prædicationis assumeret. Tandem ad hoc eum, ut sibi promissâ obedientiâ, in cœnobium suum transiret, induxit, populo graviter indignante, & nisi ipsius sanctitatis consideratione revocaretur, etiam seditionem movere volente.

Inter hæc Fridericus Dux nobilissimus, in Gallia manens gravi infirmitate detinebatur, acrem in mente contra Dominum, & fratrem suum Conradum Regem, indignationem gerens, quòd filium suum Fridericum, quem ipse tanquam primogenitum, ac nobilissimæ prioris comparis suæ filium unicum committendo ipsius gratiæ, cum filio suo parvulo secundam uxorem, totius terræ suæ hæredem fecerat, Crucem permiserat accipere. Quem prædictus Abbas visitandi gratiâ adiit, & benedicens ei in orationes recepit. Ipse tamen vim doloris non sustinens, non multis post die-

diebus vivendi finem fecit, ac in Monasterio, quod Sanctæ Walpurgis vocatur, in terminis Alsatiæ sito, humatus est, successitque ei in ducatu filius suus Fridericus.

CAP. XL.

Quòd multi de Principibus, & innumerabilis multitudo apud Ratisbonam Crucem acceperunt, & quòd Saxones contra alios Paganos expeditionem professi sunt.

POst hæc Princeps Bajoariam ingreditur, ibique mense Februario generalem Curiam celebravit, ducens secum vice Clarævallensis Abbatis, Eberacensem Abbatem Adam, virum religiosum, & honestè eruditum. Qui Missarum solennia ex more celebrans, invocatâque Sancti Spiritus gratiâ, ambonem ascendit, ac lectis Apostolicæ Sedis, & Clarævallensis Abbatis literis, brevi exhortatione facta, penè omnibus, qui aderant, præfatam militiam, profiteri persuasit. Neque enim persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, vel artificiosæ, juxta præcepta Rhetorum, orationis circuitus insinuatione egebat, cunctis qui aderant, ex priori rumore excitatis, ad accipiendam Crucem ultro accurrentibus. Accepere eâdem horâ Crucem tres Episcopi, videlicet Henricus Ratisponensis, Otto Frisingensis, Reginbertus Pataviensis, & Dux Noricorum Henricus, frater Regis, de ordineque Comitum, Nobilium, virorum illustrium innumerabiles. Tanta etiam (mirum dictu!) prædonum & latronum advolabat multitudo, ut nullus sani capitis hanc tam subitam, quàm insolitam mutationem, ex dextera excelsi pervenire non cognosceret, cognoscendo attonita mente non obstupesceret. Guelfo quoque Henrici prioris Ducis frater, de nobilissimis regni Optimatibus, in ipsa Nativitatis Dominicæ nocte, in propria villa Bitengou eandem militiam cum multis professus fuerat. Sed & Dux Boëmorum Labeslaus, & Styrensis Marchio Odoacer, & Carinthiæ illustris Comes Bernardus, non multo post, cum magno suorum comitatu, Cruces accepere. Saxones verò, quia quasdam gentes spurcitiis Idolorum (61) deditas vicinas habent, ad orientem proficisci abnuentes, Cruces itidem easdem gentes bello (62) attentaturi assumpserunt, à nostris in hoc distantes, quòd non simpliciter vestibus assutæ, sed à rota subter posita, in altum protendebantur.

CAP. XLI.

Epistola Clarævallensis Abbatis super hac re.

EXemplar autem epistolæ Clarævallensis Abbatis, in Orientale Francorum Regnum destinatæ, tale est.

Dominis & Patribus charissimis, Archiepiscopis, Episcopis, & universo Clero, & Populo Orientalis Franciæ, & Bajoariæ, Bernardus Claravallensis vocatus Abbas, spiritu fortitudinis abundare.

„ SErmo mihi ad vos de negotio Christi, „ in quo est utique salus vestra. Nec dico ut excuset indignitatem personæ loquentis auctoritas Domini, excuset & consideratio propriæ utilitatis. Modicus quidem sum, „ sed non modicè cupio vos in visceribus „ Christi Jesu. Ea mihi nunc ratio scribendi „ ad vos, ea causa, ut universitatem vestram „ literis audeam convenire. Agerem id libentiùs viva voce, si, ut voluntas non deest, „ suppeteret & facultas: *Ecce nunc* fratres „ *tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis,* „ (*2. Corinth. 6.*) *Psal. 17.* copiosæ salutis. „ Commota est siquidem, & contremuit terra, quia cœpit Deus cœli perdere terram „ suam. Suam, in qua visus est, & annis „ plusquam triginta homo cum hominibus „ conversatus est. Suam utique, quam illustravit miraculis, quam dedicavit sanguine „ proprio, in qua primi resurrectionis flores „ apparuerunt. Et nunc, peccatis nostris exigentibus, Crucis adversarii caput extulere „ sacrilegum, depopulantes in ore gladii terram benedictam, terram promissionis. Prope est, si non fuerit qui resistat, ut in ipsam „ Dei viventis irruant civitatem, ut officinas „ nostræ redemptionis evertant, ut polluant „ loca sancta agni immaculati purpurata cruore. Ad ipsum (proh dolor) religionis Christianæ sacrarium inhiant ore sacrilego, lectumque ipsum invadere & conculcare conantur, in quo propter nos vita nostra obdormivit in morte. Quid facitis viri fortes? „ quid facitis servi Crucis? Ita ne dabitis sanctum canibus, & margaritas porcis? Quàm „ multi illic peccatores, confitentes peccata „ cum lachrymis, veniam obtinuere, postquam parùm gladiis eliminata est spurcitia „ Paganorum. Videt hoc malignus, & invidet: dentibus frendet, & tabescit. Excitat „ vasa iniquitatis suæ, ne ulla quidem jam „ pietatis signa aut vestigia relicturus, si quando fortè (quòd Deus avertat) obtinere valuerit. Verùm id quidem omnibus seculis „ deinceps inconsolabilis dolor, quia irrecuperabile damnum: specialiter autem generationi huic pessimæ infinita confusio, & „ opprobrium sempiternum. Quid tamen arbitramur fratres? Nunquid abbreviata est „ manus Domini, aut impotens facta est ad „ salvandum? quòd ad tuendam & restituendam (63) sibi hæreditatem suam exiguos „ vermiculos vocat? Nunquid non potest mittere Angelorum plus quàm XII. legiones, „ aut certè tantùm dicere verbo, & liberabitur terra? Omnino subest ei cùm voluerit, „ posse. Sed dico vobis, tentat vos Dominus „ Deus vester. Respicit super filios hominum, „ ut si fortè sit qui intelligat, & requirat, & „ doleat vicem ejus. Miseratur enim populum suum Deus, & lapsis graviter providet „ remedium salutis. Considerate quanto ad „ solvendos vos artificio utitur, & obstupescite. Intuemini pietatis abyssum, & confidite „ peccatores. Non vult mortem vestram, sed „ ut convertamini, & vivatis: quia sic quærit occasionem non adversùm vos, sed pro „ vobis, &c. In quibus & circa eandem, „ oratorum more vel ordine, versatur materiam. Et quòd Judæi non sint occidendi, „ ratione probat & auctoritate. Unde est illud: Beatam dixerim generationem, quam „ apprehendet tam uberis indulgentiæ tempus,

(61) Idolorum *non legitur in MSto.*
(62) bello *deest in MSto.*
(63) & restituendam *desideratur in MSto.*

„ pus, quam invênit superstitem annus iste „ placabilis Domino, & verè Jubilæus. Diffunditur enim hæc benedictio in universum „ Mundum, & ad signum vitæ convolant uni- „ versi. Quia ergo fœcunda est terra vestra „ virorum fortium, & robusta noscitur juven- „ tute referta: sicut laus est vestra in univer- „ so Mundo, & virtutis vestræ fama replevit „ orbem, accingimini & vos viriliter, & fe- „ licia arma corripite. Et de Judæis sic: „ *Deus*, inquit Ecclesia, *ostendit mihi super* „ *inimicos meos, ne occidas eos*: vivi quidam „ apices nobis sunt, repræsentantes jugiter „ Dominicam Passionem: & plura alia in „ hunc modum.

CAP. XLII.

Quòd hujus rei occasione, subitò pax incredibilis facta est.

IGitur non solùm ex Romano Imperio, sed etiam ex vicinis Regnis, idest Occidentali Francia, Anglia, Pannonia, innumeris (64) populis ac nationibus, hac expeditionis fama ad sumendam Crucem commotis, repentè sic totus penè Occidens siluit, ut non solùm bella movere, sed & arma quempiam in publico portare nefas haberetur.

CAP. XLIII.

Quomodo Conradus Rex filium suum Henricum socium Regni legit, & coronari fecit, & de filio Ducis Henrici.

AT Conradus Romanorum Rex Principes convocans, in oppido Orientalis Franciæ Franconefurt (quod Latinè vadum Francorum dici potest, eo quòd Carolus ad debellandos Saxones, cum Francis proficiscens, vadum illò Mogi fluminis, qui Moguntiæ Rheno illabitur, invenisse dicitur) generalem Curiam celebrat: ibique filio suo Henrico adhuc puero, per electionem Principum Rege constituto, in palatio Aquis eum Dominica medianæ Quadragesimæ, Regem inungi ac coronari jubens, Regni participem legit. Ad prædictam Curiam Henricus, Henrici (de quo supra dictum est) Noricorum Ducis filius, qui jam adoleverat, vênit, Ducatum Noricum, quem patri suo non justè abjudicatum asserebat, jure hæreditario reposcens. Quem Princeps multa prudentia & ingenio inductum, usque ad reditum suum suspendens, quietè expectare persuasit.

CAP. XLIV.

Quòd Rex Conradus in transmarinam expeditionem procinctum movit, subsequente eum Rege Francorum cum suis.

ITaque hyemalis algoris austeritate detersa, cùm Veris benigna humiditate ex telluris partu flores & herbæ procrearentur, camporumque viriditas lætam terræ faciem monstrans orbi arrideret, Conradus Rex à Norico castro cum suis procinctum movens, per Danubium iturus, Ratisponæ naves ingreditur, ac in Ascensione Domini, in Orientali Marchia, juxta Burgum, qui Ardacher vocatur, castra ponens, suos qui jam adventabant, duobus seu tribus diebus expectavit. Inde usque ad terminos fermè Regni sui procedens, non longè à fluvio Viscahe mansionem locavit: celebrataque ibi Sancta Pentecoste, cum universis penè copiis suis Litahe transiens, in Pannonia tentoria fixit, aliis per Danubium navigantibus, aliis per terram euntibus. Tantam autem post se multitudinem traxit, ut & flumina ad navigandum, camporumque latitudo ad ambulandum vix sufficere videretur: quem Francorum Rex Ludovicus, non multò post cum suis subsecutus est, ducens secum ex nostris Lotharingos, quorum Principes seu Primores erant, Stephanus Metensis, Henr. Tullensis Episcopi, Reginaldus Munzunensis, Hugo Waidemontensis Comes, & de Italia Amedeum Taurinensem, fratremque ejus Guilhelmum Marchionem de Monte-Ferrato avunculos suos, & alios quamplures. Verùm quia peccatis nostris exigentibus, quem finem prædicta expeditio sortita fuerit, omnibus notum est: nos qui non hac vice tragœdiam, sed jucundam scribere proposuimus historiam, aliis, vel aliàs hoc dicendum relinquimus. Qualiter etiam Saxones, vicinas, ut dixi, gentes aggressi, Principibus inter se discordantibus, ad propria remeaverint, à memoria eorum qui adhuc supersunt, nondum excidit. Attamen ne Friderici Principis, qui in præsentiarum est, fortuna, quæ ei ab adolescentia etiam in periculis gravibus, usque ad præsentem diem nunquam ad plenum nubilosum vultum ostendit, silentio tegatur, unum de omnibus & pro omnibus quæ nobis in eadem via acciderunt, casum ponere volui.

CAP. XLV.

Brevis narratio de eventu hujus expeditionis.

PErmeatâ magno labore, viarumque difficultatis dispendio post Pannoniam Bulgariâ, emensâque, transmisso Hebro, superiore Thraciâ, cùm jam per aliquot dies in locis fertilissimis per inferiorem Thraciam, cum multa mentis lætitia ambulantes, urbi Regiæ accederemus. VII. Idus Septemb. idest proxima ante Nativitatem Beatæ Mariæ feria, vallem quandam juxta oppidulum Cherevach dictum, campi viriditate lætam, amniculi cujusdam medio decursu conspicuam attingimus. Cujus loci amœnitate capti omnes, illic tentoria figere, jocundumque Dei Genetricis semperque Virginis ortum cum magna jocunditate celebraturi, ea die ibidem pausare disponimus, solo cum suis Duce Friderico, avunculoque ejus VVelfone, (nam Lotharingiorum legio nondum se nobis junxerat), in latere cujusdam montis è regione juxta nos castrametante. Erat in vicino mare Proponticum, quod modò brachium sancti Georgii ab indigenis dicitur, duoque super litus ejus, unde mercatum expectabamus, oppida parva, & natura salubria. Hoc mare olim Hellespontiacum, à nota Phrixis & Helles fabula, vel Proponticum velut ante Ponticum dicebatur, eo quòd à Pontico mari duorum maximorum fluminum Tanais & Danubii impetu propulsum, quasi tenuiter fluens, ut volunt, in Adriatico seu Thyrreno mari, juxta Trojam antiquam recipia-

(64) C. MS. in universis.

piatur. Fateor, toto expeditionis tempore nunquam lætiora habuimus tabernacula, nunquam, quantum ad sensus judicium, majorem ambitum occupaverant tentoria. Et ecce circa vigiliam matutinam nubecula quædam parva exorta, imbrem mitem produxit. Quem subitò tantus pluviarum, ventorumque impetuosus turbo subsecutus est, ut concussis & solutis, seu ad terram dejectis tabernaculis, gravissimè qui post matutinorum laudes lectis nos receperamus, excitaret, clamor totum vicinum replens aërem, attollitur. Amniculus enim an ex refluxione proximi maris, imbriumve multitudine, an ex cataractis ruptis in cœlo, ex supernæ majestatis ultione tantùm intumuerat, ex tumoreque præter morem inundaverat, ut totum cooperiret exercitum. Quid ageremus? Divinam id animadversionem potiùs quàm naturalem inundationem esse considerantes, ampliùs attoniti fuimus. Ad equorum tamen robur convolamus, unusquisque prout potuerat, amnem transire gestiens. Videres alios natantes, alios equis adhærentes, alios, ut periculum effugerent, per funes miserabiliter trahi, alios in flumen inordinatè ruentes, ex eo quòd aliis impræmeditatè implicarentur, demergi, populosque (65) quòd possent pretergredi æstimantes, fluminis ictu abripi, cautibus opprimi, vique gurgitum absorptos, animam reddere in flumine. Nonnullos natandi indoctos, ubi natantes apprehendissent, ut evaderent, tenere, sicque astrictos defatigare, donec resupini cessantibus brachiorum remigiis, utrique submersi suffocarentur. Aliqui ergo de nobis in tentoria Friderici Ducis, quæ sola ab hac perniciosa clade penitùs illæsa manebant, nos transtulimus, ibique sacra Missarum solennia audientes, non cum gaudio, sed cum multa amaritudine cordis, nostrorum luctum & gemitum audientes: *Gaudeamus*, cecinimus. Denique alii amnem cum magno timore ac labore transmeabant, alii adunatis rhedis, aliisque quæ habere poterant instrumentis adhibitis, contra impetum aquæ quasi desperati repagulum ponebant, transitum inundationis præstolantes. Quantum verò damnum tam in personis, quàm in rebus, & utensilibus ad tam longam viam necessariis, exercitus noster ibi acceperit, dicere non oportet. Cerneres sequenti die, cum mitigatis aquis, terrarum facies appareret, omnibus nobis hac & illac dispersis, tam tristissimum tabernaculorum nostrorum aspectum, quàm perendie poteras videre lætissimum, ut non immeritò quanta divinæ celsitudinis esset potentia, quàmque humanæ jocunditatis nihil firmi habens, velox momentum, luce clarius appareret. Sed de his hactenus.

CAP. XLVI.

De Giliberto Pictaviensi Episcopo quomodo à suis Clericis super doctrina sua pulsatus est.

FUit illis in diebus in Aquitania Galliæ civitate Pictavis Episcopus, Gilebertus nomine, hic ex eadem civitate oriundus, ab adolescentia usque ad ultimam senectutem, in diversis Galliæ locis Philosophiæ studium colens, re & nomine magistri officium administrarat, noviterque ante hos dies ad culmen pontificale in præfata civitate sublimatus fuerat, consuetus ex ingeniis subtilis magnitudine, ac rationum acumine, multa præter communem hominum morem dicere. Is igitur cùm quadam vice Conventum de sua diœcesi Clericorum magnum celebrans sermoni, quem fortè gratiâ exhortandi habebat, quædam de fide S. Trinitatis interfereret, à duobus Archidiaconibus suis Arnaldo & Calone, tanquam contra Catholicæ normam Ecclesiæ doctrinam instituens, ad Summi Pontificis, Romanæque Sedis examen, interposita appellatione, vocatur. Sic utrique viam carpunt, Romanoque Pontifici Eugenio ab Urbe in Gallias tendenti, Senis civitate Thusciæ occurrunt. Quibus Romanus Antistes auditis, causâque viæ cognitâ, breviter respondit se Gallias introire, ibique de hoc verbo, eo quòd propter literatorum virorum copiam ibidem manentium, opportuniorem examinandi facultatem haberet, pleniùs velle cognoscere. Archidiacones in Gallias redeunt, ac consulto Bernardo supra memorato Abbate, eum in commodum causæ suæ adversùs Episcopum inclinant.

CAP. XLVII.

Quomodo Abbas Claræwallensis contra eum inductus est, & de Petro Abailardo.

ERat autem prædictus Abbas, tam ex Christianæ religionis fervore zelotypus, quàm ex habitudinali mansuetudine quodammodo credulus, ut & magistros, qui humanis rationibus, sæculari sapientia confisi, nimium inhærebant, abhorreret, & si quicquam ei Christianæ Fidei absonum de talibus diceretur; facilè aurem præberet. Ex quo factum est, ut non multò ante hos dies ipso auctore, primò ab Episcopis Galliæ, post à Romano Pontifice Petro Abailardo, silentium impositum fuerit. Petrus iste ex ea Galliæ provincia, quæ nunc ab incolis Britannia dicitur, originem trahens. (Est enim prædicta terra Clericorum acuta ingenia & artibus applicata habentium, sed ad alia negotia penè stolidorum ferax, quales fuerunt duo fratres Bernardus & Theodoricus viri doctissimi) is, inquam, literarum studiis, aliisque facetiis ab ineunte ætate deditus fuit: sed tam arrogans, suoque tantùm ingenio confidens, ut vix ad audiendos magistros ab altitudine mentis suæ humiliatus descenderet. Habuit tamen primò præceptorem Rozelinum quendam, qui primus nostris temporibus in Logica sententiam vocum instituit, & post ad gravissimos viros Anselmum Laudunensem, Guilhelmum Campellensem Catalauni Episcopum migrans, ipsorumque dictorum pondus, tanquam subtilitatis acumine vacuum judicans, non diu sustinuit. Inde magistrum induens, Parrhisius vênit, plurimùm in inventionum subtilitate non solùm ad Philosophiam necessariarum, sed & pro commovendis ad jocos animis hominum utilium valens. Ubi occasione quadam satis nota non bene tractatus, monachus in monasterio S. Dionysii effectus est. Ibi die noctuque lectioni ac meditationi incubans, de acuto acutior, de literato efficitur literatior, in tantum, ut post aliquod tempus ab obedientia Abbatis sui solutus, ad publicum

(65) C. MS. plurimosque.

cum prodiret, docendique rursus officium assumeret. Sententiam ergo vocum seu nominum in naturali tenens facultate, non cautè Theologiæ admiscuit. Quare de S. Trinitate docens & scribens, tres personas, quas sancta Ecclesia non vacua nomina tantùm, sed res distinctas, suisque proprietatibus discretis, hactenus & piè credidit, & fideliter docuit, nimis attenuans, non bonis usus exemplis, inter cætera dixit: *Sicut eadem oratio est propositio, assumptio, & conclusio, ita eadem essentia est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*. Ob hoc Suessionis provinciali contra eum Synodo sub præsentia Romanæ Sedis legati congregata, ab egregiis viris, & nominatis magistris, Alberico Remense, & Leutaldo Novariense, Sabellianus hæreticus judicatus, libros quos ediderat, propria manu ab Episcopis igni dare coactus est, nulla sibi respondendi facultate, eo quòd disceptandi in eo peritia ab omnibus suspecta haberetur, concessa. Hæc sub Ludovico seniore Francorum Rege facta sunt.

CAP. XLVIII.

Epistolæ pro ejus condemnatione ad Summum Pontificem, & ejusdem Pontificis responsiva.

Post hæc dum rursus pluribus diebus legeret, maximamque post se sociorum multitudinem traheret, sedente in urbe Roma Innocentio, in Francia verò Lodovico, superioris Lodovici filio, regnante, ab Episcopis, Abbateque Bernardo denuo ad audientiam apud Senonas evocatur, præsentibus Lodovico Rege, Theobaldoque Palatino Comite, & aliis Nobilibus, de populoque innumeris. Vbi dum de fide sua discuteretur, seditionem populi timens, Apostolicæ Sedis præsentiam appellavit. Episcopi verò simul & Abbas, missa ad Romanam Ecclesiam legatione, ac eis pro quibus impetebatur capitulis, damnationis ejus sententiam in literis reportaverunt (66) quarum exemplar hoc est.

Reverendissimo Domino, & dilectissimo Patri, Dei gratiâ Summo Pontifici Innocentio S. Remensis Archiepiscopus, Jozelinus Suessionis, Guilhiel. Cataulanensis. A. Anebanensis Episcopi, debitæ subjectionis voluntarium obsequium.

„ Auribus occupatis ad plurima, verbum facimus breve de prolixo negotio, pro eo maximè quod idipsum plenius, & diffusius continetur in literis Domini Senonensis. Petrus Abailardus Christianę Fidei meritũ evacuare nititur, dum totum, quod Deus est, humana ratione arbitratur comprehendere. Ascendit usque ad Cœlos, & descendit usque ad abyssos. Nihil est, quod lateat eum, sive in profundum inferni, sive in excelsum supra. Homo est magnus in oculis suis, disputans de Fide contra Fidem, ambulans in magnis & mirabilibus super se, scrutator majestatis, hæresum fabricator. Jamdudum fecerat librum de S. Trinitate, sed sub Legato Romanæ Ecclesiæ, igne (67) examinatus est, quia inventa est in eo iniquitas. Maledictus qui reædificat ruinas Hiericho. Surrexit à mortuis liber ille, & cum eo multorum hæreses, quæ dormierant, surrexerunt, & apparuerunt multis. Denique jam extendit palmites suos usque ad mare, & usque Romam propagines ejus. Hæc gloriatio hominis illius, quòd liber suus in Curia Romana habet ubi caput suum reclinet (68); hinc confortatus, & confirmatus est error illius. Proinde cum fiducia prædicat verbum iniquitatis usquequaque. Propterea, cùm in conspectu Episcoporum super his eum argueret Abbas Claræ vallensis, zelo justitiæ & Fidei armatus, ille nec confessus est, nec negavit, sed à die, à loco, & judice, quem ipse sibi elegerat, sinè læsione, sinè gravamine, ut prolongaret iniquitatem, Sedem Apostolicam appellavit. Episcopi, qui propter hoc unum convenerant, vestræ reverentiæ deferentes, nihil in personam ejus egerunt, sed tantummodo capitula à Sanctis olim Patribus condemnata, medicinali necessitate, ne morbus serperet, adjudicaverunt. Quia ergo homo ille multitudinem trahit post se, & Populum, qui sibi credat, habet: necesse est, ut huic morbo celeri medicina occurratis.

Serò enim medicina paratur,
Cùm mala per longas convaluere moras.

„ Processimus nos in hoc negotio quousque ausi sumus. Tuum Beatissime Pater est de cætero providere, ne aliqua hæreticæ pravitatis macula decor Ecclesiæ contaminetur. *Tibi commissa est Sponsa Christi, o amice Sponsi.* (2. *Corin.* 11.) Tuum est eandem uni viro virginem castam exhibere Christo.

Rescriptum verò Innocentii tale:

Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Henrico Senonensi, Reinaldo Remensi Archiepiscopis, eorumque suffraganeis, & charissimo in Christo filio Bern. Clarevallensi Abbati, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

„ Testante Apostolo, sicut unus Deus, una Fides esse dinoscitur: in qua tanquam immobili fundamento, præter quã nemo aliud potest ponere, firmitas Catholicæ Ecclesiæ inviolata consistit. Inde est, quòd Beatus Petrus Apostolorum Princeps, pro eximia hujus Fidei confessione audire meruit: *Tu es*, inquam, *Beatus Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. (Matth. 16.) Petram utique firmitatem Fidei, & Catholicæ unitatis soliditatem manifestè designans. Hæc siquidem est inconsutilis tunica Redemptoris nostri, super quam milites sortiti sunt, sed eam dividere minimè potuerunt. Contra quam in initio fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania. Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum. Verùm Apostoli Duces Dominici gregis, & eorum successores Apostolici viri, ardore charitatis, & zelo rectitudinis succensi, Fidem defendere, & eam in cordibus populorum proprii sanguinis effusione plantare non dubitaverunt. Demum cessante persecutorum rabie, imperavit ventis, & fa- „ cta

(66) C. MS. expetiverunt.
(67) igne *non habetur in MSto*.
(68) Hæc gloriatio hominis illius, quod Liber suus in Curia Romana habet ubi caput suum reclinet *non leguntur in MSto*.

„ cta est in Ecclesia tranquillitas magna. Sed „ quia hostis humani generis semper circuit, „ quærens quem devoret, ad expugnandam „ sinceritatem Fidei, fraudulentam hæretico- „ rum fallaciam subinduxit. Contra quas veri „ Ecclesiarum Rectores viriliter insurgentes, „ eorum prava dogmata cum ipsorum aucto- „ ribus condemnarunt. In magna namque „ Nicæna Synodo, Arrius Hæreticus est dam- „ natus. Constantinopolitana Synodus Mani- „ chæum hæreticum debita sententia condem- „ navit. In Ephesina Synodo Nestorius con- „ dignam sui erroris condemnationem recepit, „ Chalcedonensis quoque Synodus Nestoria- „ nam hæresin & Euthicianam cum Dioscoro, „ & ejus complicibus, justissima sententia con- „ futavit. Martianus præterea licèt laicus, „ Christianissimus tamen Imperator, Catholi- „ cæ Fidei amore succensus, prædecessori no- „ stro Sanctissimo Papæ Joanni scribens, ad- „ versùs eos qui sacra Mysteria profanare „ contendunt, inter cætera sic loquitur, di- „ cens: *Nemo clericus vel militaris, vel alte-* „ *rius cujuslibet conditionis, de Fide Christia-* „ *na publicè conetur in posterum tractare.* „ *Nam injuriam facit judicio Reverendissimæ* „ *Synodi, si quis semel judicata, & rectè dispo-* „ *sita revolvere, & iterum disputare contendit:* „ *& in contemptores hujus legis tanquam in* „ *sacrilegos pœna non deerit. Igitur si quis* „ *clericus erit, qui publicè tractare de religio-* „ *ne ausus fuerit, à consortio clericorum remo-* „ *vebitur*. Dolemus autem, quoniam sicut „ literarum vestrarum inspectione, & missis à „ fraternitate vestra nobis errorum capitulis „ cognovimus, in novissimis diebus quando „ instant periculosa tempora, M. P. Abailardi „ perniciosa doctrina, & prædictorum hære- „ ses, & alia perversa dogmata Catholicæ „ Fidei obviantia, pullulare cœperunt. Ve- „ rùm in hoc maximè consolamur, & Omni- „ potenti Deo gratias agimus, quòd in parti- „ bus vestris pro patribus tales filios suscita- „ vit, & in tempore Apostolatus nostri in Ec- „ clesia sua tam præclaros voluit esse pasto- „ res, qui novi hæretici studeant calumniis „ obviare, & immaculatam sponsam uni viro „ virginem castam exhibere Christo. Nos „ itaque qui in Cathedra Sancti Petri, cui à „ Domino dictum est: *Et tu aliquando con-* „ *versus confirma fratres tuos*, licèt indigni, „ residere conspicimur, communicato fratrum „ nostrorum Episcoporum Cardinalium consi- „ lio, destinata nobis à vestra discretione ca- „ pitula, & universa ipsius Petri dogmata, „ Sanctorum Canonum auctoritate, cum suo „ auctore damnavimus, eique tanquam hære- „ tico perpetuum silentium imposuimus. Uni- „ versos quoque erroris sui sectatores & de- „ fensores, à fidelium consortio sequestrandos, „ & excommunicationis vinculo innodandos „ esse censemus. Datum Laterani XII. Kalend. „ Augusti.

CAP. XLIX.

De apologetico ejusdem Petri, & super quibus capitulis putabatur, & obitu ejus.

Petrus damnationem sui dogmatis à Romana Ecclesia confirmatam cognoscens, ad Cluniacense cœnobium se contulit, Apologeticum scribens, prædictorum capitulorum, partim verba, ex toto autem, sensum negans, qui sic incipit: Ne juxta Boëtianum illud, prœmiis nihil afferentibus tempus teratur, ad rem ipsam veniendum est, ut innocentiam meam ipsa rerum veritas potiùs quàm verborum excuset prolixitas. Hæc autem pauca de multis contra eum posita sufficiant capitula.

Quòd Pater sit plena potentia, Filius quædam potentia, Spiritus Sanctus nulla potentia.

Quòd Spiritus Sanctus non sit de substantia Patris.

Quòd Spiritus Sanctus sit anima mundi.

Quòd Christus non assumpsit carnem, ut nos à jugo Diaboli liberaret.

Quòd non peccaverunt qui Christum ignoranter crucifixerunt. Ipse verò non multis post diebus, coram fratribus suis fidem suam humiliter exponens, in eodem vitam finivit cœnobio.

CAP. L.

De studio Giliberti, & de quibus impeteretur Capitulis.

Igitur ut ad id à quo digressa fuit, redeat oratio, prætaxati Archidiacones adscito sibi tantæ auctoritatis & æstimationis viro, Abbate Bernardo Episcopum Gilibertum eàdem, qua prædictum Petrum, viâ damnare attentabant. Sed nec eadem causa, nec similis erat materia. Iste enim ab adolescentia magnorum virorum disciplinæ se subjiciens, magisque illorum ponderi, quàm suo credens ingenio, qualis primò fuit Hilarius Pictaviensis, post Bernardus Carnotensis, ad ultimum Anshelmus & Radulphus Laudunenses Germani fratres, non levem ab eis, sed gravem doctrinam hauserat, manu non subitò ferulæ subducta, à scientia haud censura morum, vitæque gravitate discordante, non jocis vel ludicris, sed seriis rebus mentem applicarat. Hinc erat, ut tam gestu, quàm voce pondus servans, sicut in factis, (69) sic in dictis se ostenderet difficilem, ut nunquam puerilibus, vix autem eruditis, & exercitatis quæ ab eo dicebantur, paterent animis. Is itaque primò Antisiodorum, post Parrhisius vocatus est. Erant inter cætera quæ illi objiciebantur, de Divina Majestate quatuor capitula.

Quòd videlicet assereret Divinam Essentiam non esse Deum.

Quòd proprietates Personarum non essent ipsæ Personæ.

Quòd Theologicæ Personæ in nulla prædicarentur propositione.

Quòd Divina Natura non esset incarnata. Et præter hæc alia minora, id est.

Quòd meritum humanum attenuando nullum mereri diceret præter Christum.

Quòd Ecclesiæ sacramenta evacuando, diceret nullum baptizari, nisi salvandum, & cætera in hunc modum.

CAP. LI.

Quibus testibus convinci putabatur posse.

Itaque præsidente cum Cardinalibus Episcopis, aliisque Viris Venerabilibus, & eru-

(69) C. MS. factis gravem, sic &c.

eruditis in jam dicta civitate Parrhisius, summo Pontifice Eugenio, prædictus Episcopus Gilibertus consistorio præsentaretur, de his Capitulis responsurus. Producuntur contra eum duo magistri, Adam de Parvoponte, vir subtilis & Parrhisiensis Ecclesiæ Canonicus recenter factus, Hugo de Campo-florido, Cancellarius Regis, asserentibus eis, & quasi sub sacramento pollicentibus, se aliqua ex his de proprio ejus ore audisse, non sinè multorum qui aderant admiratione, viros magnos, & in ratione disserendi exercitatos, pro argumento juramentum afferre.

CAP. LII.

Subtilis ejusdem responsio.

IBidem dum hincinde multa sibi objicerent, pluriumque impulsationibus ad responsionem de re tam ineffabili cogeretur, intra cætera dixisse traditur audacter. *Confiteor Patrem alio esse patrem, alio Deum, nec tamen esse hoc & hoc.* Cujus dicti obscuritatem tanquam verborum prophanam novitatem, tam impatienter magister Johelinus Suessionensium Episcopus excepit, ut, juxta proverbium, *medium vitando incurreret ripam*. Nondum enim auctoritatem illam Augustini legerat, vel fortassis lectam intellexerat, qua de eodem altissimo loqui gestiens secretò, inter cætera dicit: *Sic aliud est Deo esse, aliud subsistere, sicut aliud Deo esse aliud Patrem esse, vel Dominum esse. Quod enim est, ad se dicitur, Pater autem ad filium, & Dominus ad servientem creaturam.* Ait ergo prædictus Episcopus: *Quid est quod dicis, Esse Deum nihil est?* Erat quippe quorundam in Logica sententia, cùm quis diceret Socratem esse, nihil diceret. Quos præfatus Episcopus sectans, talem dicti usum haud præmeditatè ad Theologiam verterat. Quo verbo omnium penè auditorum ab illo in se retorsit spicula. Post hoc sedato clamore, cùm à circumstantibus rogaretur Episcopus Gilibertus, ut quare in Theologia personas in tantum distingueret, aperire vellet, breviter respondit. *Quia omnis persona est per se una.* Et ita non sinè magno multorum qui aderant stupore, conventus ea die solvitur.

Alia rursus die in causam ductus, pulsatusque de novitate dictionis, eo quòd in prosa de S. Trinitate tres personas tria singularia vocaverit; N. Rothomagensis Archiepiscopus causam aggravavit, dicens: Deum potiùs debere dici unum singulare, quàm tria singularia: non tamen sinè multorum scandalo, cùm Hilarius in libro de Synodis dicat: *Sicut duos Deos dicere profanum est, ita singularem & solitarium dicere sacrilegium est.* Et idem in eodem: *Nihil solitarium ex divinis sacramentis ad suspicionem audientium, & ad occasionem blasphemantium proferamus.*

CAP. LIII.

Excursus Theologicus.

EPiscopus verò Pictaviensis in præfatis dictis suis se habuisse simplicem sensum testabatur, affirmans per singularia non Theologicas personas, sed ipsarum excellentiam intellexisse, secundùm quod antonomasicè Paulum solemus vocare Apostolum, vel gloriosam Dei

A Genitricem, Virginem singularem: eò quòd nec est, nec fuit, nec erit talis virgo, quæ videlicet simul sit mater & virgo. Ea rationis proportione trium personarum excellentiam se considerasse, cùm tria singularia diceret, asserebat: cùm nec sit, nec fuerit, nec futurus sit talis Pater, qui scilicet sit Pater & Deus: atque in eundem modum talis Filius, talis Spiritus Sanctus. Quia verò personam in Theologia tanquam rem per se unam, prænominatum virum intellexisse diximus, in ipsius sensum paulisper introire libet, quatenus ejusdem judicium dictionis faciliùs posteris pateat: Ad cujus intelligentiam hæc divisio præmittenda videtur. B In naturis proprietas substantialis, alia universalis, alia est singularis, vel individualis, vel particularis. Individualis alia personalis, alia non. Personam autem à personalitate, quasi denominativè sumptam, voco: non quam Græci ab anteponendo πρόσωπον, Latini à personando dicunt: sed eam quam Boëtius in libro de Persona & natura, contra Euticen & Nestorium disputans, à Græcis ὑπόστασιν, non Etymologiam vocis, sed rei rationem secutus, personam vocavit, secundùm hoc & sic eam diffiniens: *Persona est rationalis naturæ individua substantia.* Universalem verò dico, non ex eò quòd una in pluribus sit, quod est impossibile: sed ex hoc, quòd plura C in similitudine vivendo, ab assimilandi unione universalis, quasi in unum versalis dicatur. Qualis est à plurium similitudine major corporeitas, minor animalitas, minima, vel ultima humanitas significata: Unde Boëtius: *Species est forma individuorum, & ultima similitudo, post hanc enim non similitudo, sed dissimilitudo potiùs occurrit*; Ex quo patet alterum membrum, quare videlicet singularem, individualem, vel particularem dixerim proprietatem, eam nimirum, quæ suum subjectum non assimilat aliis, ut humanitas, sed ab aliis dividit, discernit, partitur, ut ea, quam ficto nomine solemus dicere Platonitas, à dividendo individua, à partiendo particularis, à dissimilando singularis dicta. D Nec opponas, quòd potiùs à dividendo dividuam, quàm individuam dici oporteat. Nam cùm suum subjectum non solùm ab aliis dividat, vel dissimilet, sed etiam in sua individualitate & dissimilitudine tam firmiter manere faciat, ut nec sit, nec fuerit, nec futurum sit aliud subjectum, quod secundùm ejusmodi proprietatem illi assimilari queat, meliùs individuum privando, quàm dividuum ponendo vocatur; ejusque oppositum quod dividendo pluribus communicat, & communicando dividit, rectiùs dividuum dici debet. Sed notandum, quòd individuum, & singulare non sunt ad se convertentia; nam omne individuum singulare, sed non omne singulare individuum; E hæc enim albedo singulare est, sed non individuum. Denique in naturis nullum simplex individuum esse potest. Item non omne individuum personale, sed omne personale individuum, secundùm præmissam subdivisionem, qua dictum est: Individuum aliud personale, aliud non; quod ex anteposita personæ diffinitione faciliùs patebit. Cùm enim omne esse ex forma sit, quodlibet subsistens rem & nomen à sua capit forma; item cùm omnis diffinitio alterius sit, & alteri conveniat, non sinè rationis via altero pro altero uti licet. Persona ergo à suo esse, quod ficto nomine personalitas dici potest, vocabulum tra-

trahit, sed in diffinitione individua substantia tantùm persona non dicitur, nisi cum adjunctione rationalis naturæ. Cujus rei causa videndum est apud Græcos, qui dicendi inopes non sunt, aliud οὐσίαν, aliud οὐσίωσιν, aliud ὑπόστασιν vocari. At nos οὐσίαν essentiam, οὐσίωσιν subsistentiam dicere possumus, ὑπόστασιν ex Latini eloquii penuria uno non valentes verbo exprimere. Nam cùm tam apud nos, quàm apud illos substantia, vel hypostasis à substando notetur, in hoc est differentia, quòd nostra substantia ad cuncta quæ substant, est vaga; eorum verò hypostasis ad ea tantùm, quæ in rationali substant natura, est accommoda. Quare Latinus Interpres, cùm verbum ex verbo non posset exprimere, maluit sensum ex sensu retinendo, personam potiùs quàm substantiam transferre. Unde & personæ prædicta adhibetur diffinitio; Persona est rationalis naturæ individua substantia. Patet igitur quòd non omne individuum est persona, quia non omnis individua substantia est rationalis natura; sicut esse hujus Berilli singularis, vel (ut consortio rationis utar) ipse Berillus vel est individuum, vel individua substantia, non tamen rationalis natura; quamvis etiam si rationalis naturæ esset, tamen nondum plenariè Berillus individua substantia dici posset. Neque enim individuam substantiam dicere solemus eam rem singularem, quæ cum alia itidem re singulari, ad aliquod totum constituendum convenire valens, non est per se una. Nam per se unum est, quod nec actu, nec natura potest, potuit, poterit cum alio ad constituendum aliquod totum concurrere. Ex quo fit, ut hæc anima, quæ substantia est, & rationalis naturæ, tamen quia hoc modo non est per se una, vel individua, eo quòd cum hoc corpore ad constituendum hunc hominem conveniat, non videatur dici persona; cùm (secundùm quod ostensum est) ab ea removeatur diffinitio hæc: Persona est rationalis naturæ individua substantia. Quare & diffinitum; juxta Logicorum regulam, à quocumque diffinitio & diffinitum. Hic leo etiam, quanquam præfato modo res sit per se una & individua; tamen quia rationalis naturæ non est, secundùm strictam personæ acceptionem, persona dici nequit. Restat ut hic Angelus, & hic homo tantùm plenariè in naturalibus personæ vocentur. Prædictus ergo Episcopus duas in naturalibus regulas ponens, quæ tales sunt; *Diversorum subsistentium diversas esse subsistentias*; *Diversarum personarum diversas esse personales proprietates*; unam à Theologia exclusit, alteram admisit. Priorem enim, qua totidem dicuntur subsistentiæ quot subsistentes, cùm ab Orthodoxis inter Arrium & Sabellium dividentibus, tres personæ & una credatur essentia, penitùs amovit; alteram admittens, cùm nulla personalis proprietas in S. Trinitate Patris sit quæ Filii, vel è converso. Ex quo personam à præmisso naturalium usu, non ab eo quod πρόσωπον vocatur, ad Theologiam transsumptam asserebat, illud Hilarii frequenter inducens, *Absit ut idem nunc se Patrem, nunc se Filium larvari similitudine mentiatur*; inde eas personas & jam per se unas dicebat. Quòd autem aliò Patrem dixit, aliò Deum esse, nec tamen hoc & hoc, hunc sensum habuit; Deus in substantia prædicatur, Pater ad aliquid; quæ diversa prædicamenta esse etiam in Theologia, ex libro Boëtii, quem de S. Trinitate scripsit, probatur; nec propter hoc rectè concludi, si est aliò Pater, aliò Deus; ergo est hoc & hoc, cùm hoc non rectè concludatur, nisi priùs concesso, quòd utraque de Deo prædicentur in substantiam; ut cùm dicimus, Deus est bonus, sapiens, omnipotens. Hæc enim cùm prædicentur in substantiam, si diversa essent, proculdubio Deus esset hoc & hoc; Cùm verò idem sit, Deum esse sapientem, quod bonum, ut bene contra usum naturalium liceat dicere, est sapientia bonus, bonitate sapiens, ac si ita in naturalibus procederem. Hæc margarita est albedine candida, candore alba; non est hoc & hoc, sed est hoc. Quid senserit posui, quid sentiendum sit, judicent alii. Sed hæc hactenus. Nunc ad historiæ seriem redeamus.

CAP. LIV.

Qualiter causa Episcopi usque ad Generale Concilium dilata est, & de hæretico Per-Eum.

DUm ita per aliquot dies, jam sæpe dictus Episcopus coram Summo Pontifice de fide sua in civitate Parrhisius discuteretur: sentiens Papa, utpote vir cautus & religiosus, causæ difficultatem, protelandam eam usque ad universale Concilium adjudicavit. Erat enim in proxima medianæ Quadragesimæ Dominica, apud illius Galliæ metropolim Remis generale indictum Concilium: tam ex eo quòd prætaxatus Papa persecutionem populi sui declinando, in Galliis morabatur: quàm ob hoc, quòd quidam penè laicus, hæretici honorem in vaccis populorum affectans, examini Ecclesiæ reservandus in vinculis tenebatur. Iste in angulis Galliæ, idest, circa Britanniam & Guasconiam, eo quòd remotis ibi à corde Franciæ populis, simplicitas, vel potiùs (ut ita dixerim) stultitias, cui facilè error obrepere solet, abundat, verbum prædicationis assumpserat, eumque tanquam Dei filium se nominans, multam post se rudis populi traxit multitudinem, dicens: quòd ipse esset per quem omnis oratio concluditur, cùm dicimus, *Per eum.* &c.

CAP. LV.

De condemnatione ejusdem Eum, & de gestis Concilii, ad quod nuncii Henrici junioris Romanorum Regis venerunt.

IGitur volvente tempore, cùm eadem mediana quadragesima adveniret, dumque à Turcis populi dispersi Hierusalem tendentes per altum navigaremus æquor, in Basilica Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ, Remis, Præsidente Summo Pontifice Eugenio, sedit Concilium, productus fuit ibi, ut fingere liceat, cum scriptulis suis prædictus Eum, vir rusticanus, & illiteratus, nec hæretici nomine dignus, ac pro contumaci fatuitate, vel fatua contumacia sua puniendus, Sigerio Abbati S. Dionysii, qui Regni negotia ob absentiam Regis in Occidentali Francia, juxta illius cœnobii prærogativam, administrabat, commissus, ab eoque arctæ custodiæ mancipatus, vitam in brevi finivit. Venerunt ad prædictum Concilium cum Bulla Aurea nuncii junioris Romanorum Regis Henrici, tam de sublimatione sua

sua ad Imperium Romano Pontifici significantes, quàm de tribus fratribus Poloniæ, qui ejecto quarto & seniore, Ducatum intra se diviserant, ac de Episcopis illius provinciæ, qui super hoc patri ipsorum juramentum præstiterant, querimoniam facientes. Famæ quoque malum, omnibus motabilibus velocius, juxta illud:

Fama malum, quo non aliud velocius ullum,
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.

immensitatem soli, ex naturæ suæ celeritate transvolans, de expeditionis nostræ eventu certa promens indicia, in auribus oreve omnium ibi versabatur.

CAP. LVI.

Quomodo Episcopus Gilibertus post Concilium discussus est, & responsio ejusdem: & qualiter Gallicani Episcopi convenientes, fidem suam in scripto digesserunt.

Itaque finita Synodo, salutiferisque ad innovationem seu confirmationem antiquorum ibidem promulgatis decretorum capitulis, prudentiores & viciniores, ad causam Episcopi Giliberti terminandam reservantur. Decursa medianæ quadragesimæ hebdomada, sacroque Dominicæ passionis tempore inchoante, Episcopus Pictavinus, manente adhuc summo Pontifice Remis, rursus ad judicium trahitur: in cubiculo ubi Urbis Episcopus cum senioribus sedit, vocatur, & ab eo quid de fide Sanctæ Trinitatis sentiat, subtiliter interrogatur. Ille Orthodoxorum Patrum, quas non in schedulis, sed in corpore librorum integras attulerat, legi faciens auctoritates, eandem se quam illi fidem tenere asserebat. Cùmque hujuscemodi sermone, seu legendi prolixitate dies detineretur, tanquam tædio affectus Romanus inquit antistes: Multa frater dicis, multa, & ea fortassis quæ à nobis non intelliguntur, legi facis. Sed simpliciter à te cognoscere velim; anne illam summam essentiam, qua tres personas profiteris unum Deum, credas esse Deum? Qui diutina collatione fatigatus, minùs præmeditatè respondit: Non. Quod dictum mox ab ejus ore raptum Notarius excepit, scribens in hunc modum: Episcopus Pictaviensis scripsit & dixit, quòd divina essentia non est Deus. In Commentario enim super Boëtium de Trinitate, ubi auctor Theologica à naturalibus prædicamenta discernens, inter cætera posuit, Substantia qua Deus est, iste apposuit, non quæ Deus est; idest, ut non ad subsistentem, sed ad subsistentiam referatur. Sicque in hæc verba conventus ea die dimittitur. Episcopus totum quod superfuit illius diei spatium, cum nocte sequente, amicos suos ex Cardinalibus, quos habuit non paucos, circuit.

In crastino ipso denuo coram Summo Pontifice in causa posito, recitatur scriptum, cujus ut ab eo reddatur ratio, exposcitur. Ipse se hoc non simpliciter concessisse asserebat. Dicebat enim hoc nomen *Deus*, quandoque in designatione naturæ, quandoque in designatione personæ unius etiam poni. In designatione naturæ, ut cùm dicitur, *Deus tuus unus est*: personæ, ut cùm dicitur, *Pater est Deus, Filius est Deus*: personæ & unius tantùm de tribus, ut ibi, *Ascendit Deus in jubilatione*: quod de persona Filii dictum esse nemo ambigit. Quare & ajebat se, divinitatem esse Deum, in illo tantùm sensu concedere, quo Deus ponitur pro natura. In eo verò absolutè concedere non audere, quo pro qualibet personarum hoc nomen Deus accommodatur; ne videlicet si indeterminatè profiteretur divinitatem esse Deum, idest, quamlibet personarum; cogeretur sinè determinatione concedere quicquid de qualibet personarum, & de essentia; sicque in hanc incideret absurditatem, ut sicut personam Filii, ita divinam essentiam indeterminatè incarnatam, passam confiteretur. Ex qua absurditate facilè sensus hæreticus, juxta Sabellium emergeret, ut eadem res diceretur & generans, & genita, & eadem seipsam genuisse. Quòd autem inter naturam & personam non Mathematica abstractione, sed Theologica consideratione, quoquo modo divideret ratio, & ratione, & auctoritate probare nitebatur. Ratione, ne videlicet juxta Arrium, sicut personarum, ita & pluralitatem admitteret essentiarum; vel secundùm Sabellium, ad essentiæ singularitatem, Christianæ Fidei religio pluralitatem restringeret personarum, hac Theoderici contra Sabellium utens auctoritate: *Oportet ergo desiderantem spirituales divitias, & volentem Christianorum dogmata vendicare, rerum non ignorare proprietatem, ne fortè aliud pro aliis intelligens, circa dogmata peccet. Qui enim naturam & personam idem esse intelligit, aut in divisionem Arrii incidit, aut in confusionem Sabellii.* Et illa Hilarii, *Discerne igitur ò hæretice, spiritum Christi ab spiritu Dei, & excitati à mortuis Spiritum Christi à Spiritu Dei, Christum à mortuis excitantis. Et quæro nunc, in Spiritu Dei utrum naturam, aut rem naturæ significatam existimes? Non idem est enim natura, quod naturæ res est. Sicuti non idem est homo, & quod hominis est, nec idem ignis, & quod ipsius ignis est: & secundùm hoc non idem est Deus, & quod Dei est.* Item quòd non natura, sed Filii persona carnem suscepisse credenda sit, hac auctoritate Toletani Concilii ostendit: *Solum verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Et cùm tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis: solus tamen accepit hominem in singularitate personæ, non unitate divinæ naturæ: idest, id quod est proprium Filii, non quod commune Trinitati.* Quam auctoritatem cùm determinare vellet Claravallensis Abbas, aliqua verba quæ Cardinalibus displicerent, protulit: Episcopo Pictaviano dicente, *Et hoc scribatur.* Ad quod ille respondit: Scribatur stylo ferreo, ungue adamantino. Moxque ad publicum progressus, omnes quos poterat convocavit. Ibi cum Archiepiscopis, virisque religiosis & eruditis, contra quatuor prædicta, quæ Pictaviano Episcopo imponebantur capitula, fidem suam in hunc modum, ipse cum aliis, & alii cum ipso exposuerunt.

Credimus simpliciter naturam divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu Catholico posse negari, quin divinitas sit Deus, & Deus divinitas. Si verò dicitur, sapientia sapientem, magnitudine magnum, æternitate æternum, unitate unum, divinitate Deum esse, & alia hujusmodi, credamus non nisi ea sapientia quæ est ipse Deus, sapientem esse: non nisi magnitudine quæ est ipse Deus, magnum esse; non nisi ea æternitate, quæ est ipse Deus, æternum esse: non nisi ea unitate, qua ipse est, unum esse,

esse, non nisi ea divinitate Deum, quæ est ipse, idest, seipso sapientem, magnum, æternum, unum Deum.

Cùm de tribus personis, Patre, Filio, Spiritu Sancto loquimur, ipsas unum Deum, unam divinam substantiam fatemur esse: & è converso, cùm de uno Deo, una divina substantia loquimur, ipsum unum Deum, unam divinam substantiam, esse tres personas profitemur.

Credimus solum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum æternum esse, nec aliquas omnino res, sive relationes, sive proprietates, sive singularitates, vel unitates dicantur, & hujusmodi alia à Deo esse, quæ sint ab æterno, & non sint Deus.

Credimus ipsam divinitatem (sive substantiam divinam, sive naturam divinam dicas) incarnatam, sed in Filio esse.

CAP. LVII.

Quòd Cardinales Romanæ Ecclesiæ de hoc indignati sint, & oratio eorum contra Papam Eugenium, & quomodo tandem hæc contentio finem habuerit, & quomodo Gilibertus Episcopus evaserit.

QUod Gallicanæ Ecclesiæ factum tam graviter sacer Cardinalium Senatus accepit, ut cum magna mentis indignatione Curiam intraret, ac tanquam unum corpus effecti, una omnes voce Pontifici suo dicerent: Scire debes, quòd à nobis, per quos tanquam per cardines universalis Ecclesiæ volvitur axis, ad regimen totius Ecclesiæ promotus, à privato universalis Pater effectus, jam deinceps te non tuum, sed nostrum potiùs esse oportere: nec privatas & modernas amicitias antiquis & communibus præponere, sed omnium utilitati consulere, Romanæque Curiæ culmen ex officii tui necessitudine curare & observare debere. Sed quid fecit Abbas tuus, & cum eo Gallicana Ecclesia; qua fronte, quo ausu cervicem contra Romanæ Sedis primatum & apicem erexit? Hæc est enim sola quæ claudit, & nemo aperit: aperit, & nemo claudit. Ipsa sola de Fide Catholica discutere habens, à nullo, etiam absens, in hoc singulari honore præjudicium pati potest. Sed ecce Galli isti, etiam faciem nostram contemnentes, super Capitulis quæ his diebus nobis assidentibus agitata sunt, tanquam finituræ sententiæ ultimam manum apponendo, nobis inconsultis fidem suam scribere præsumpserunt. Certè si in Oriente, utpote Alexandria, vel Antiochia, coram omnibus Patriarchis hujusmodi tractaretur negotium, nihil firma stabilitate solidum sinè nostra diffiniri valeret auctoritate; quinimò, juxta antiquorum Patrum instituta vel exempla, Romano servaretur examini terminandum. Quomodo ergo isti in nostra præsentia usurpare audent quod etiam remotioribus & majoribus nobis non licet? Volumus igitur huic tam temerariæ novitati celeriter assurgas, ipsorumque contumaciam punire non differas. Quos Romanus Pontifex blando mitigans eloquio, Abbate ad se vocato, de hoc facto, qualitateve facti solerter inquirit. Cui ille humiliter, & cum reverentia respondit; Se, vel Dominos Episcopos nihil de præfatis Capitulis diffinisse; sed quia ab Episcopo Pictavino audierat, ut fides sua scriberetur; idcirco quia solus nollet, illorum auctoritate ac testimonio simpliciter se quod sentiret, exposuisse. Hocque tam humili, quàm modesto ipsius responso, prædicta Cardinalium indignatio conquievit, ita tamen, ut præfatum scriptum tanquam inconsulta Curia prolatum, velut auctoritatis pondere carens, pro symbolo in Ecclesia, quod in Conciliis contra hæreses congregatis fieri solet, non haberetur. Benedictus per omnia Deus, qui sic Ecclesiæ suæ, sponsæ suæ providit, ne vel summa membra à capite suo dissiderent, vel tantus religiosarum & discretarum personarum numerus Gallicanæ Ecclesiæ, aliquod judicii pondus à Sede Romana reportans, schismatis non parvi occasio esset.

Hæc pauca ex multis de illius Concilii agenda dixisse sufficiat, hoc tamen apposito, quòd de tribus Capitulis propter præmissam tumultuationem nihil diffiniri potuit. Nec mirum. In quarto enim non multùm ab aliis discordabat Episcopus Gilibertus, cùm illi profiterentur naturam incarnatam, sed in Filio, iste personam Filii incarnatam, non sinè sua natura. De prædicatione personarum quid diffinirent, cùm ejus usum quidem, quid scilicet propriè prædicari diceret, ab aliis magistris etiam in naturalibus alienum non haberent. De proprietatibus, an personæ essent, tam ob prædictam causam, quàm ob Theologicas rationes, quæ hinc inde habentur, suppressum est. De primo tantùm Romanus Pontifex diffinivit, ne aliqua ratio in Theologia inter naturam & personam divideret, neve Deus divina essentia diceretur ex sensu ablativi tantùm, sed etiam nominativi. Unde adhuc à probatioribus ejusdem Episcopi auditoribus tenetur, ne ratio ibi discernat in intelligendo, sed in dicendo. Episcopus verò præmissam Summi Pontificis sententiam reverenter excipiens, Archidiaconis suis in gratiam receptis, cum ordinis integritate, & honoris plenitudine, ad propriam Diœcesim remeavit.

Utrum autem prædictus Abbas Claravallensis in hoc negotio an humanæ infirmitatis fragilitate, tanquam homo deceptus fuerit, vel Episcopus tanquam vir literatissimus propositum astutè celando, Ecclesiæ judicium evaserit, discutere, vel judicare nostrum non est. Quòd enim sancti & sapientes viri, corruptibili carne circundati frequenter in talibus fallantur, & novis & antiquis probatur testimoniis. Nam ut de illo taceam, quod Beatus Gregorius Sancto David, in quem Spiritus Domini directus asseritur, ad patriam, à qua à filio propulsus fuerat, revertenti, à servo Miphiboset cum xeniis occurrenti surreptum inducit, exemplo, Christianis temporibus Beatus Epiphanius Salaminæ Cypri Episcopus, tam eximiæ, ut mortuum quoque suscitaret, sanctitatis, adversùs Joannem Chrysostomum, cujus hodie in Ecclesia viget memoria, tam acriter ab æmulis induci potuit, ut eum in propria civitate declinans, communicareque nolens, etiam populum sibi commissum, quantum in ipso fuit, contra illum concitaret. Quod in priori nostra ex tripartita sumptum historia pleniùs dictum est. Hactenus ista.

CAP.

CAP. LVIII.

De exercitu nostro, & Rege Francorum, ubi in transmarinis applicuerit, & quando Hierosolymam venerit, & de Rege Conrado, & de præfato Rege Ludovico, qualiter & ubi se invicem viderint.

DUm hæc & hujusmodi aguntur in Gallia, exercitus noster (ut supra dictum est) navigandi labore dispersus, pelagus operiebat, quolibet prout poterat, & quando, diversa per loca litus attingere conante. Nam Ludovicus Francorum Rex juxta Antiochiam, patrui comparis suæ Principis terram, circa mediam Quadragesimam applicuit, in eo loco, qui portus S. Simeonis vocatur: aliis ex nostris apud Ptolemaidam, quæ & Achon, aliis apud Tyrum & Sidonem (70), in Sarepta oppido Sidoniorum, non sine naufragii metu, optatum portum capientibus; nonnullis ipsum naufragium passis, quibusdam aquis absorptis, cæteris seminudis evadentibus. Illi ergo qui tam maturè applicuerant, circa Palmas Civitatem Sanctam intravere, Dominicam passionem, Sanctamque Resurrectionem, singula loca ubi hæc facta sunt, circumeundo, ac (ut dicitur) oculo ad oculum videndo, cum multa cordis devotione celebrantes.

At Conradus Romanorum Princeps, habens adhuc in Comitatu suo ex Principibus Ortlibum Basiliensem Episcopum, Arnaldum Cancellarium suum, Fridericum Ducem Suevorum, Henricum Ducem Bajoariorum, Guelfonem Ducem, aliosque Comites, virosque illustres & nobiles, in ipsa Paschali hebdomada Ptolemaidæ applicans, ac post paucos dies Hierosolymam veniens, in magna Cleri & Populi jucunditate, cum ingenti honore suscipitur. Mortuus tunc fuit in comitatu Regis vir clarissimus Fridericus Ratisponensis Ecclesiæ Advocatus, ac ad Urbem Sanctam deportatus, & in cœmiterio militum Templi non longè ab antiquo Templo Domini sepultus. Rex per aliquot ibi dies in palatio Templariorum, ubi olim regia domus, quæ & Templum Salomonis, constructa fuit, manens, & sancta ubique loca peragrans, per Samariam & Galilæam Ptolemaidam rediit, omnes adventantes quos poterat milites, pecunia ad remanendum inducens. Convenerat enim cum Rege illius terræ, & Patriarcha, militibusque Templi circa proximum Julium, in Syriam ad expugnationem Damasci exercitum ducere. Qua de re multâ largè dispersâ pecuniâ, militem quem tunc poterat collegit. Rex etiam Franciæ Ludovicus idem pro posse suo sectans, de Antiochia reversus, apud Tyrum manebat. Ambo itaque inter Tyrum & Ptolemaidam, in loco, qui Palma nomen à re sortitus appellatur, mense Junio, circa nativitatem S. Joannis Baptistæ conveniunt, de die, loco, ubi, & quando exercitus instauraretur, ordinantes. Nondum tamen ex tot & tantis attritionibus fastus inter eos regalis decoctus conquieverat. Unde quem & proventum, & eventum hæc quoque Damascena sortita fuerit expeditio, aliàs, & fortassis ab aliis, dicenda erunt.

CAP. LIX.

De reditu Regis Conradi, & quòd Fridericum Ducem ante se remiserit.

EXpleta verò hac expeditione, Principes ad propria redire disponunt: Romanus quidem per Græciam, alter verò per Calabriam & Apuliam. Itaque Conradus Romanorum Princeps, naves apud Ptolemaidam ingressus, ac per æquor navigans, fratrem & amicum suum Manuel, Regiæ Urbis Principem, in Achajæ seu Thessaliæ finibus inveniens, adiit, cum eoque tanquam ex longa via fatigatus, laboribusque fractus, & non modica infirmitate correptus, per aliquod temporis spatium quievit. Ibi de reditu ordinans, Fridericum Ducem fratris sui filium, ad cognoscendum, vel potiùs ad corroborandum Imperii statum præmisit. Qui per Bulgariam, Pannoniamque iter faciens, mense Aprili ad propria rediit, & illic quosdam ex propriis ministerialibus suis pro bono pacis, boni judicis exercens officium suspendio peremit. Porrò patruus suus Rex, transactis aliquot quibus in Græcia quieverat diebus, habens secum prædictum Basiliensem Episcopum, & Cancellarium Arnaldum, fratremque suum Noricorum Ducem Henricum (nam Guelfo Dux per Calabriam & Apuliam reversus fuerat) per Illyricum, Dalmaticumque remigans æquor, in propriis Imperii sui finibus apud Polam Histriæ civitatem applicuit, ibique sonipede insidens, ac per Aquilejam transiens, in Juvania (quæ nunc Saltzeburga dicta Bajoariæ Metropolitana Sedes esse noscitur) Pentecosten celebravit, expletis ab eo, quo idem festum in Pannoniæ finibus egerat, duobus annis. Inde Ratisponæ cum magna Principum frequentia Curiam celebravit.

CAP. LX.

Excursus ad excusandum eventum illius expeditionis.

POrrò quia nonnulli ex pusillis Ecclesiæ fratribus scandalizati mirantur, mirando scandalizantur de prætaxatæ nostræ expeditionis labore, quòd tam arduo & bono inchoata principio, tam humilem, & non bonum exitum acceperit, ipsis hoc modo respondendum videtur. Nihil verè dici bonum potest, illo solo excepto, qui non aliunde, sed ex se habens quod est, & verissimè esse, & verissimè bonus esse dicitur, juxta illud, *Nemo bonus nisi solus Deus*. Cætera verò ab eo, non ex ipsius essentiæ sectione, sed ex ejusdem bonitatis denominatione bona dicuntur. Quicquid autem in naturalibus bonum vocatur, aut id fit simpliciter, aut secundùm quid. Sed si simpliciter fit, tunc datum naturæ dicitur, sicut concessum gratiæ donum, juxta illud: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est*. Ipsum verò datum naturæ, quod simpliciter bonum diximus, velut in civili facultate generalissimum, per donum gratiæ, tanquam per differentiam, ad constituendam quodammodo speciem informatur, secundùm quòd aliqua dicimus justa, sobria. Cùm ergo ali-

(70) C. MS. Tirum, aliis inter Tyrum & Sidonem.

aliqua simpliciter in nativis bona dicuntur, proculdubio bonum naturæ intelligitur. Unde dictum est: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*. Quomodo lapis & lignum erit bonum? Cùm autem ad ejus proximam speciem descendimus, universalitate generis per specificam differentiam, quam donum gratiæ diximus, ad rationalem restricta naturam, illam tantùm solemus dicere justam vel sobriam; nunquam verò lapidem, sicut bonum sic vocamus sobrium vel justum. Denique ut verbis Boëtii in libro Regularum utar, qui bonum generale, justum speciale ponens, adnectit; Nec species descendit in omnia, idest ut de omnibus quæ supponuntur generi, prædicetur. Ita ex opposito dicere licet, quòd genus ad ea tantùm ad quæ species prædicatione sua non contrahatur. Juxta Logicorum enim regulam; *Methodus à genere ad destruendum, à specie valet ad construendum*. Sicut ergo cùm simpliciter aliquid bonum dico, naturæ datum, quod velut univocè de suis speciebus prædicatur, intelligo, sic cùm secundùm quid aliquid bonum assero, utilitatem potiùs quàm naturæ fontem intueor. Quo usu ejus acceptio ad infinita æquivocatur. Hinc dicimus equum bonum ex usu vectigandi, vestem bonam ex utilitate induendi, alimentum bonum ex emolumento nutriendi. Item eadem ratione quòd alteri speciei bonum, alteri asseritur malum. Verbi gratiâ, Jusquiamum alit passerem, necat hominem. Eadem quoque res alia consideratione ejusdem speciei contentis, vel etiam eidem singulari erit bona, & erit non bona. Unde & solemus dicere, bonum est isti calorem febrilem sentienti bibere aquam; bonum est illi propter infirmitatem stomachi, juxta Apostolum, modico vino uti. Nec ex hoc sequitur, si secundùm quid bonum, isti vel illi simpliciter esse bonum; sicut non sequitur; si Æthiops est albus dente, ergo est albus, vel è converso, non est niger dente, ergo non est niger. Quod etiam ex divinæ paginæ usu patet. Velut cùm dicimus; Non erat bonum Judæis, vel Judæ Christum tradere, vel crucifigere, etsi nobis esset bonum. Sicut verò in humana Philosophia album habere dentem, non aufert Æthiopi esse nigrum, sic in divina pagina malum Judæorum non demit universitati Passionem Christi non esse bonam.

Ex quo fit à simili propter eandem causam, de prædicta nostra expeditione, quòd si non fuit bona pro dilatatione terminorum, vel commoditate corporum, bona tamen fuit ad multarum salutem animarum, sic tamen ut bonum, non pro dato naturæ, sed pro utili semper accipias. Et ex eo usu hæc emergat subdivisio, ut (sicut supra diximus) bonum quandoque simpliciter dici, quandoque secundùm quid, & quando secundùm quid dicitur, ad diversum usum utilis æquivocari; ita hoc bonum idem utile, quandoque simpliciter, quandoque secundùm quid vocari. Quamvis si dicamus, Sanctum illum Abbatem Spiritu Dei ad excitandos nos (71) afflatum fuisse, sed nos ob superbiam, lasciviamque nostram salubria mandata non observantes, meritò rerum, personarumve dispendium deportasse, non sit à rationibus vel antiquis exemplis dissonum, quanquam & Spiritus Prophetarum non semper subsit Prophetis. Qualiter verò prædictus bonus vir ei libro, quem Eugenio Papæ de Consideratione scribens super hac re, ad excusationem sui Apologeticum interseruerit, curiosus rerum indagator invenire potest.

(71) C. MS. non afflatum.

CAP. LXI.

Quomodo, & quibus Epistolis idem Rex à Papa Eugenio exceptus sit.

QUomodo autem Eugenius Papa Romanorum Principem de tam gravi tribulatione redeuntem, paternis consolationum verbis exceperit, subter annotatum est.

Eugenius Episcopus servus servorum Dei charissimo in Christo filio Conrado, Dei gratiâ, Romanorum Regi Illustri, salutem, & Apostolicam benedictionem.

„ CUm in hoc mundo cuncta mutabilitatis „ ordo corrumpat, sicut nec prosperis „ elevari, ita nec frangi adversis, confidentes de Divina miseratione, debemus, quia „ Dei & hominum mediator admiranda dispensatione consuevit omnem filium quem „ recipit, adversitatibus flagellare, ut dum „ ipsum per amorem ad æterna præmia vocat, præsens mundus ejus animum perturbationes quas ingerit, à seipso repellat, „ tantoque faciliùs ab hujus seculi amore recedat, quantò magìs impellitur, dum vocatur. Quod in Israëlitico populo (72), „ Moyse vocante & Pharaone signatur. Moyses namque tunc ad vocandum missus est, „ cùm Pharao duris eum operibus perurgebat, quatenus alter vocando pertraheret, „ alter impelleret sæviendo, ut plebs in servitio turpiter fixa, vel provocata bonis, vel „ impulsa molestiis moveretur. Hoc itaque „ rationis debito incitati, discretionem tuam „ commonemus, & exhortamur in Domino, „ quatenus tribulationes, quas tibi & exercitui tuo Omnipotens Deus irrogavit, patienter supportes, & in eo spem tuam „ constituas, qui quem vult permittit affligi, & confidentes in se, misericorditer „ liberare consuevit. Si enim patientiam & „ humilitatem in adversis perfectè tenueris, „ per desertum hujus vitæ, sub protectione „ columnæ nubis & ignis, id est patientiæ solatio, & charitatis ardore intrepidus perducèris. Quia igitur personam tuam vera charitate diligimus, & de te valde confidimus, „ si post tuum reditum sinè dilatione, de his, „ quæ ad honorem Sanctæ Ecclesiæ & Regni „ spectare noscuntur, tecum mutuis potuissemus tractare colloquiis, nobis utique gratum fuisset. Verùm quia id nobis temporis „ qualitas denegavit, & de tua salute sumus „ solliciti, quosdam de fratribus nostris, postquam te ad Longobardiæ partes, auctore „ Domino, incolumem pervenisse accepimus, „ sicut per venerabiles fratres nostros, Artuvicum Bremensem Archiepiscopum, & Anshelmum Havelburgensem Episcopum tibi „ significavimus, ad tuam Serenitatem duximus destinandos, ut affectum & benevo- „ len-

(72) *Ab* Israëlitico populo *usque ad subsequens Cap. LXII. nil habet Codex MStus.*

„ lentiam, quam erga te gerimus, tibi exponerent, & quod de te audire cupimus, ipsorum relatione nosceremus. Quibus dedimus in mandatis, ut tibi tanquam charissimo filio nostro, & Catholico Principi, atque speciali Romanæ Sanctæ Ecclesiæ defensori, ipsius Ecclesiæ statum & nostrum exponerent. Qui siquidem in Tusciam usque progressi, ex quo te ad Teutonicas partes pertransisse noverunt, longitudinem viæ, & difficultatem itineris propter æstatis intemperiem metuentes, ad nostram præsentiam redierunt. Cæterùm quia statum tuum, & dilecti filii nostri Henrici junioris Regis, quem post discessum tuum paterno affectu dileximus, & in posterum actiones ejus prosperari in Domino peroptamus, cognoscere cupimus, cùm fratres nostri propter æstatis fervorem, laborem tanti itineris perficere non valerent, per fidelem nostrum Franconem latorem præsentium, & Apostolica scripta tuam Excellentiam visitantes, Nobilitatem tuam monemus, & exhortamur in Domino, quatenus ea, quæ circa te & ipsum geruntur, & statum Regni, per eundem Franconem nobis studeas intimare, & hoc tempore devotionem, quam erga matrem tuam Sanctam Romanam Ecclesiam geris, ostendas, ut nostro respondere affectui congruè videaris, & B. Petri Apostolorum Principis intercessionibus, cui te totum debes exponere, Creatoris nostri largiorem debeas gratiam promereri. Datum in Tusculano 8. Kal. Julii.

CAP. LXII.

De obitu Henrici junioris Regis, & Hartliebi Trajectensis Episcopi, & Arnaldi Coloniensis Episcopi.

Circa idem tempus filius Regis Henricus, quem ipse, ut supra dictum est, per electionem Principum Regem ordinaverat, diem obiit, habens adhuc alium fratrem parvulum nomine Fridericum.

Ea quoque tempestate in inferiori Trajecto Frisiæ urbe, Hartliebo ejusdem Ecclesiæ Pontifice obeunte, grave schisma ibidem oritur: quibusdam Fridericum Adulfi Comitis filium, aliis Hermannum Ecclesiæ S.Gereonis in suburbio Coloniensi sitæ Præpositum, in illius Ecclesiæ Præsulem eligentibus. Illi verò qui Hermannum elegerant, alios præoccupantes, Principem apud Noricum castrum adeunt, ab eoque investituram regalium suscipiunt. Quos altera pars in civitatem Galliæ Spiram subsecuta, inducias ab eo usque ad proximos dies Rogationum in palatium Noviomagense accepit. Inter hæc Arnaldus quoque Coloniensis Archiepiscopus, vir ad omnia Ecclesiastica & secularia negotia inutilis, vitam finivit.

Igitur Conradus Rex tam de subrogatione Coloniensis, quàm super determinatione illius controversiæ, quæ in Trajectensi Ecclesia agitabatur, examen laturus, inferiores Rheni partes adiit, habens secum ex Bajoaria Ottonem Frisingensem, ex Saxonia Albertum Misnensem Episcopos. Cùmque ad Bobardiam villam regalem, in territorium Treverorum super Rhenum positam venisset, legatos obvios habuit nunciantes; Arnaldum Cancellarium suum in præfata Coloniensi Ecclesia electum esse, sed eum hujus rei assensum usque ad adventum ipsius distulisse. Quod verbum gratanter Rex accepit, ac inde extra viam paulisper digrediens, duas arces fortissimas, quarum altera super Mosellam Cohina, altera super Rheni littus posita, Rinecca dicebatur, expugnavit: in Cohina præsidia ponens, alteram igni tradens. Ibi prænominatum Coloniensem Electum excipiens, cum eoque ad inferiora descendens, capellam operosam, quam ille non longè à Colonia in proprio fundo construxerat, à prædictis, quos secum duxerat, Episcopis, consecrari fecit. Inde naves ingressus, ac per Rhenum remigans, Coloniam Agrippinam venit, cum maximo Cleri ac populi tripudio susceptus. Igitur finita, ut assolet, processionis solennitate, Rex in Principali B. Petri Ecclesia sedens, Arnaldum renitentem valde & reclamantem, Pontificatus simul & Ducatus Regalibus investit, sicque ad Noviomagense palatium Trajectensium causam judicaturus venit.

Trajectenses Fridericum in civitate non sinè fastu habebant, Hermanno ejecto. Itaque conductum primò de personarum incolumitate petentes, cum magna multitudine navium à Rheno per Wal fluvium, qui ab eo scissus ipsius brachium esse noscitur, veniunt. Quos Rex in causa ponens, ad pacemque cum adversariis suis sinè litis contestatione revocare volens, cùm hoc modo procedere non posset, tandem eis juris districtionem obtulit. Illi viaticum redeundi postulaverunt, dicentes: Se eo quòd causa ipsa tanquam Ecclesiastica ad Ecclesiasticum Judicem, idest, ad aures Summi Pontificis translata esset, respondere coram cincto Judice non posse. Contra quos, utpote adversùs Romanum Principem agentes majestatis reos (73), quia incontinenti propter præstitum commeatum ulcisci non valuit, acerba Rex usus conquestione: mox etiam pro hujus temeritatis debita vindicta sumenda, ad civitatem ipsorum processisset, nisi quòd propter quorundam Noricorum Comitum insolentiam, in eandem revocabatur Provinciam.

CAP. LXIII.

Conradus Rex ad inferiores Rheni partes proficiscitur, & quomodo post auditam causam Trajectensium, Bajoariam ingressus est, & ibi omnibus bene compositis Babenbergæ diem obiit.

Igitur proximam Pentecosten in Confluentia, ubi & nuncios Regis Hispanorum jam diu secum moratos dimisit, sub Corona incedendo celebrans, Bajoariam ingreditur: Ratisponæque Curiam habens, duos ex Cardinalibus Romanæ Sedis Legatos, Jordanum scilicet, & Octavianum obvios excepit. Post hæc Palatino Comite Ottone ob filiorum suorum excessus proscripto, vicinum ejus castrum, Chelcheim dictum, rapido Danubii fluminis ambitu clausum, obsidione cingit, eumque ad hoc ut unum filiorum suorum obsidem dare, coëgit. Inde in Gallias rediens, Trajectensium negotium, revocatis omnibus ad subjectionem Hermanni, cum Imperii honore

(73) C. MS. majestatis contemtores.

re terminavit: ac ne aliquis in posterum ejus facti scrupulus haberetur, à Romana Sede ratihabitionem obtinuit. Ipse verò non multo post omnibus bene in Gallia & Germania compositis, cùm etiam jurata expeditione in proximo Imperii Coronam accepturus esset, non sinè suspicione quorundam, quos ex Italia habuit, Medicorum, quasi ex Rogerii Siculi metu submissorum, morbo corripitur: sicque tamen tanto non fractus infirmitatis dolore Curiam celebraturus Babenberg venit: ubi cum multorum planctu raptus, prioris fortitudinis in ultimo discrimine retinens animum, proximâ à capite jejunii sextâ feriâ, idest XV. Kal. Martii vitam finivit: Regalia Duci Friderico, cum unico suo item Friderico, commendans. Erat enim tanquam vir prudens de filio suo adhuc parvulo, ne in Regem sublimaretur, quasi desperatus: idcirco & privatæ & Reipublicæ meliùs profuturum judicabat, si is potiùs qui fratris sui filius erat, ob multa virtutum suarū clara facinora, sibi succederet. Volentibus verò familiaribus suis, juxta ejus (ut asserebant) petitionem, eum ad Laureacense Monasterium deferre, ibique in proprio fundo juxta patrem humare, Babenbergensis Ecclesia hoc contumeliosum sibi fore judicans, non permisit: quinimò convenientissimum & honestissimum & Ecclesiæ illi, & Imperio decernens, juxta tumbam Imp. Henrici, ejus loci fundatoris, qui nuper auctoritate Romanæ Ecclesiæ in loca sancta levatus, pro sancto habetur, Regio cultu eum sepelivit.

Hæc & alia, Augustorum invictissime, Excellentiæ tuæ scribuntur: quædam tibi ut tibi, quædam tibi, sed non ut tibi, quæ acutus Clericorum tuorum discernere debebit oculus. Verùm quia juxta quod proposui, decursis summatim avi, patris, patruique tui, non sinè aliqua tui mentione factis, ad tua principaliter gesta venimus, huic primo Volumini, quiescendi paulisper causa, finem imponere liceat: ut ad ea, quæ de tua dicenda erunt magnificentia, faciliùs (74) resumatur spiritus.

(74) C. MS. fortior.

LIBRI PRIMI FINIS.

OTTO.

OTTONIS FRISINGENSIS EPISCOPI DE GESTIS FRIDERICI I. IMP. AUG. LIBER SECUNDUS.

PROLOGUS.

Non sum nescius Imperatorum, seu Regum decus, dum gestorum tuorum magnificentiam prosequi conor, crebrescentibus victoriis stilum materiæ succubiturum. Inter duo tamen (ut ita dixerim) mala, melius fore judicavi, minùs dicendo à materia opus superari, quàm cuncta tacendo gloriosa facta silentio tecta deperire. Verùm, quia priorem libellum usque ad Regni, seu Imperii tui ortum in obitu gloriosissimi patrui tui Conradi Regis terminavi, huic Secundo operi de tui Principatus gloria contenturo, tale (Deo favente) imponatur initium.

CAPUT PRIMUM.

De electione Friderici Ducis Suevorum (qui fuit fratruelis Conradi Regis) ad Imperium.

Anno ab urbe condita MDCCC. ab Incarnatione verò Domini MCLII. (1) decedente ab hac luce vernali tempore (2), ideft, sextâ feriâ proximâ (ut dictum est) (3) post caput jejunii, in civitate Babenbergensi, piissimo Rege Conrado, III. Nonas Martii, ideft, tertiâ feriâ post *Oculi mei*, in oppido Franconefurt, de tam immensa transalpini Regni latitudine, universum (mirum dictu!) Principum robur, non sinè quibusdam ex Italia Baronibus, tanquam in unum corpus coadunari potuit. Ubi cùm de eligendo Principe Primates consultarent (nam id Juris Romani Imperii apex, videlicet non per sanguinis propaginem descendere, sed per Principum electionem Reges creare, sibi tanquam ex singulari vendicat prærogativa) tandem ab omnibus Fridericus Suevorum Dux, Friderici Ducis filius petitur, cunctorumque favore in Regem sublimatur.

CAP. II.

Ratio quare in eum tam facilè consenserit universitas Principum.

Hujus consultationis summa, in illamque personam tam unanimis assensus ratio, ut recolo, hæc fuit. Duæ in Romano orbe apud Galliæ, Germaniæve fines famosæ familiæ hactenus fuere: una Henricorum de Gueibelinga, alia Guelforum de Altdorfio: altera Imperatores, altera magnos Duces producere solita. Istæ, ut inter viros magnos, gloriæque avidos assolet fieri, frequenter sese invicem æmulantes, Reip. quietem multotiens perturbarant. Nutu verò Dei, ut creditur, paci populi sui in posterum providentis, sub Henrico quinto (4) factum est, ut Fridericus Dux pater hujus, qui de altera, ideft, de Regum familia descenderat, de altera Henrici scilicet Noricorum Ducis filiam in uxorem acciperet, ex eaque Fridericum, qui in præsentiarum est & regnat (5), generaret. Principes ergo non solùm industriam ac virtutem jam sæpe dicti juvenis, sed etiam hoc quòd utriusque sanguinis consors, tanquam angularis lapis, utrorumque horum parietum dissidentiam unire posset, considerantes, caput regni eum constituere adjudicaverunt: plurimùm Reip. profuturum præcogitantes, si tam gravis & diutina inter maximos Imperii viros, ob privatum emolumentum simultas, hac demum occasione, Deo cooperante, sopiretur. Ita non Regis Conradi zelo, sed universitatis (ut dictum est) boni intuitu, hunc Fridericum, ejus filio item Friderico adhuc parvulo præponere maluerunt. Hac consideratione & ordine electio Friderici celebrata est.

CAP. III.

Quòd post acceptam fidelitatem à Principibus, Aquisgrani consecratur, secumque Fridericus Monasteriensis Episcopus.

Astrictis igitur omnibus, qui illò confluxerant, fidelitate & hominio Principibus, cum paucis, quos ad hoc idoneos judicavit, cæteris in pace dimissis, Rex cum multa jucunditate quintâ feriâ naves ingreditur, ac per Mogum & Rhenum navigans, in villa regali Sinciche applicuit, ibi equos ascendens, in proximo Sabbato Aquisgranum vênit. Sequenti die, ideft ea Dominica, qua *Lætare Hierusalem* canitur, ab Episcopis à Palatio in Ecclesiam Beatæ Mariæ semper Virginis deductus, cum omnium, qui aderant, applausu, ab Arnoldo Coloniensi Archiepiscopo, aliis cooperantibus coronatus, in sede Regni Francorum, quæ in eadem Ecclesia à Carolo Magno posita est,

(1) C. MS. MCLIV.
(2) C. MS. tempore XV. Cal. Martii ideft &c.
(3) (ut dictum est) *in MSto non legitur.*
(4) C. MS. Heinrico verò.
(5) & regnat *non occurrit in MSto.*

est, collocatur, non sinè multorum stupore, quòd in tam parvo temporis spatio, non solùm tanta Principum, seu de Regno Nobilium confluxerat multitudo, sed & quòd de Occidentali Gallia, ad quam nondum hujus facti rumor pervenisse putabatur, nonnulli advenerant. Nec prætereundum æstimo, quòd dum finito unctionis sacramento, diadema sibi imponeretur, quidam de ministris ejus, qui pro quibusdam excessibus gravibus, à gratia sua adhuc privati, sequestratus fuerat, circa mediam Ecclesiam ad pedes ipsius se projecit, sperans ob præsentis diei alacritatem, ejus se animum à rigore justitiæ emollire posse. Ipse verò mentem in priori séveritate retinens, & tanquam fixus manens, constantiæ suæ omnibus nobis non parvum dedit indicium, dicens: non ex odio, sed justitiæ intuitu illum à gratia sua exclusum fuisse. Nec hoc etiam sinè admiratione plurium, quòd virum juvenem; tanquam senis indutum animo, tanta flectere à rigoris virtute ad remissionis vitium non potuit gloria. Quid multa? Non illi misero intercessio Principum, non arridentis fortunæ blandimentum, non tantæ festivitatis instans gaudium suppeditare poterant, ab inexorabili inexauditus abiit.

Sed & hoc silentio tegendum non erit, quòd eadem die, in eadem Ecclesia, Monasteriensis Electus item Fridericus, ab eisdem, à quibus & Rex, Episcopis, in Episcopum consecratur, ut revera summus Rex & Sacerdos præsenti jucunditati, hoc quasi prognostico interesse crederetur: quia in una Ecclesia, una dies duarum personarum, quæ solæ Novi ac Veteris Testamenti institutione sacramentaliter unguntur, & Christi Domini ritè dicuntur, vidit unctionem.

CAP. IV.

Qui legati ad Urbem, & in Italiam destinati sint, & quò Rex divertit.

PEractis omnibus, quæ ad Coronæ decorem spectabant, Princeps in palatii secreta se recipit, vocatisque prudentioribus, seu majoribus ex numero Principum, de statu Reip. consultans, Legatos ad Romanum Pontificem Eugenium, Urbem ac totam Italiam destinandos disponit, de promotione sua in Regnum significaturos. Mittuntur itaque Hilinus Treverensis Electus, & Eberhardus Babenbergensis Episcopus, viri prudentes, & literati. Dehinc Trajectensium contumaciam, qua (ut superiùs dictum est) in patruum suum Conradum Regem usi fuerant, ulturus, inferiores Rheni partes adiit: ipsisque pecuniaria pœna multatis, ac Herimano Episcopo confirmato, ad superiora remeando Sanctum Pascha Coloniæ Agrippinæ celebravit. Inde per Guesfaliam transiens, Saxoniam intravit.

CAP. V.

Quomodo litem duorum consanguineorum de Regno Daciæ deciderit.

ERat illo tempore in Regno Danorum inter duos consanguineos, Petrum scilicet, qui & Suevus, & Guvotonem (6) de Regno gravis controversia. Quos Rex ad se venire præcipiens, Curiam magnam in civitate Saxoniæ Martinopoli, quæ & Merseburg, cum multa Principum frequentia habuit. Eò præfati juvenes venientes, ejus se mandato humiliter supposuerunt, eorumque ad ultimum causa, judicio seu consilio Primatum, sic decisa fuisse dicitur. Guvoto relictis sibi quibusdam provinciis, regium nomen per porrectum gladium abdicaret. Est enim consuetudo Curiæ, ut regna per gladium, provinciæ per vexillum à Principe tradantur, vel recipiantur. Petrus verò accepto ab ipsius manu regno, fidelitate & hominio ei obligaretur. Ita coronâ regni per manum Principis sibi impositâ, in die sancto Pentecostes ipse coronatus, gladium Regis sub corona incedentis portavit. Gualdemarus etiam, qui ejusdem sanguinis particeps fuit, Ducatum quendam Daniæ accepit.

CAP. VI.

Quomodo Rex controversiam, quæ in Magdeburgensi Ecclesia orta fuit, terminaverit, & quòd Ungaris bellum indicere voluerit.

CIrca idem tempus Magdeburgensis Ecclesia, quæ Saxoniæ Metropolis esse dignoscitur, Pastore suo viduata, ad electionem faciendam resedit. Dumque alii ejusdem Ecclesiæ Præpositum Gerardum, alii Decanum eligerent; divisis hinc inde personis, Regem adhuc in Saxonia morantem, adire disponunt. Quos dum multis modis ad unitatem, & vinculum pacis Princeps reducere satageret, ac proficere non valeret, alteri parti, idest Decano cum suis persuasit, ut Guicmannum Cicensem Episcopum, virum adhuc juvenem, sed nobilem eligerent; eique accersito regalia ejusdem Ecclesiæ concessit. Tradit (7) enim Curia, & ab Ecclesia, eo tempore quo sub Henrico Quinto de investitura Episcoporum decisa fuit inter regnum & sacerdotium controversia, sibi concessum autumat, quòd obeuntibus Episcopis, si fortè in eligendo partes fiant, Principis arbitrii esse, Episcopum quem voluerit, ex Primatum suorum consilio ponere; nec electum aliquem ante consecrandum, quàm ab ipsius manu regalia per sceptrum suscipiat. Rex omnibus in Saxonia bene ordinatis, cunctisque Principibus illius provinciæ ad nutum suum inclinatis, Bajoariam ingreditur, ac Ratisponæ Norici Ducatus Metropoli, in festivitate Apostolorum in Monasterio Sancti Emmeranni, nam major Ecclesia, cum quibusdam civitatis vicis conflagraverat) coronatur. Ad eandem Curiam legati ad Eugenium Papam, Urbem, ac cæteras civitates Italiæ directi, læta reportantes redeunt. Ibi etiam Princeps, eo quòd omnibus in proprii Imperii finibus ad ejus voluntatem compositis, virtutem animi, quam intus gerebat, extra ferri disponeret, Ungaris bellum indicere, ipsosque ad Monarchiæ apicem reducere volebat. Sed cùm assensum super hoc Principum, quibusdam de causis latentibus, habere non posset, ad effectum tunc perducere ea, quæ volvebat mente, non valens, ad opportuniora tempora distulit.

CAP.

(6) C. MS. Guittonem.

(7) C. MS. Tamdem.

CAP. VII.

Quomodo propter litem duorum Ducum terminandum, apud Herbipolim Curiam celebravit, & ibi expeditionem in Italiam juravit (8).

ERat verò multa Sereniſſimi Principis anxietas, cùm omnia proſperè in Regno agerentur, qualiter controverſia, quæ inter ejus carnem & ſanguinem, ideſt Henricum patruum ſuum, & itidem Henricum avunculi ſui filium, Duces, de Norico Ducatu agitabatur, ſinè ſanguinis effuſione terminari poſſet. Fuit namque Henricus iſte Henrici quondam Norici Ducis filius, quem (ut alibi dictum eſt,) Conradus Rex à Bajoaria ejectum, in Saxonia manere compulerat, Ducatumque ipſius primùm Leopaldo Marchionis Leopaldi filio, ac deinde fratri ipſius huic Henrico conceſſerat. Rex ergo prædictam litem judicio vel conſilio deciſurus, utrique autumnali tempore menſe Octobri in civitate Herbipoli Curiam præfigit: quò dum alteri, ideſt Henrici Ducis filius veniret, alter ſe abſentaret, iterum & iterum vocatur. In eadem Curia exulibus Apuliæ, quos Rogerius de ſolo natali propulerat, lachrymabiliter conquerentibus, ac ad pedes Principis miſerabiliter ſe projicientibus, expeditio Italica tam pro afflictione horum, quàm pro corona Imperii accipienda, paulò minùs, quàm ad duos annos jurata eſt.

CAP. VIII.

Quòd Gerardus Magdeburgenſis Præpoſitus Guicmannum Cicenſem Epiſcopum Romæ accuſavit, & epiſtola Papæ ſuper hoc.

POrrò Gerardus Præpoſitus Romam pergens, Eugenium Papam adiit, eique cauſam Magdeburgenſis Eccleſiæ aperiens, Guicmannum à Principe (ut ſupra dictum eſt) per electionem alterius partis ibi locatum, multis modis de intruſione accuſavit. Hanc rem quàm graviſſimè Romanus Pontifex exceperit, tam ex literis, in quibus nonnullis Epiſcopis, qui pro eo ob amorem Regis Romanæ Eccleſiæ ſcripſerant, reſpondit, quàm ex Cardinalium, qui poſtmodum ad tranſalpina directi ſunt, viva voce percepimus. Literarum autem talis tenor fuit.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus Eberhardo Saltzburgenſi, Artvvico Bremenſi, & Hillino Treverenſi Archiepiſcopis, Eberhardo Babenbergenſi, Hermanno Conſtantienſi, Henrico Ratiſponenſi, Ottoni Friſingenſi, Conrado Patavienſi, Danieli Pragenſi, Anshelmo Havelburgenſi, & BurcKardo Eiſtadenſi Epiſcopis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

„ LIteras, quas pro cauſa Magdeburgenſis „ Eccleſiæ veſtra nobis prudentia dele„ gavit, debita benignitate ſuſcepimus. In „ lectione autem & cognitione earum ſtupore „ nimio, & admiratione repleti ſumus, eo „ quòd longè aliud in eis quàm vobis ex offi„ cio Pontificatus immineat, perſpeximus con„ tineri. Cùm enim in Eccleſiæ vertice ſitis „ ex divina providentia conſtituti, ut de me„ dio ejus, quæ fuerint nociva propellere, „ quæ utilia debeatis attento ſtudio conſerva„ re, in cauſa iſta, ſicut ex ſuggeſtione lite„ rarum veſtrarum nobis innotuit, non quod „ expediat Eccleſiæ Dei, quod ſacrorum Ca„ nonum ſanctioni concordet, quod exinde à „ cœleſti arbitrio approbetur, ſed quod ter„ renis Principibus placeat, attendiſtis, & „ qui eorum animos à ſua minùs recta debui„ ſtis deflectere intentione, atque ubi eſſet „ via Domini, demonſtrare. Non perſuaſiſtis „ quod rectum eſt, nec ſtetiſtis murus pro „ domo Iſraël; quinimò ipſis, ut ait Prophe„ ta, parietem ædificantibus, vos (quod ſinè „ grandi animi rancore vix dicimus) liniviſtis „ illum luto abſque paleis. Non ita ſentiebat „ Princeps Apoſtolorum, qui ex fidei ſuæ con„ feſſione, ut totius Eccleſiæ ſundamentum „ eſſet, accepit; ſed comminantibus ſeculi „ filiis, & Apoſtolis, ſi prædicarent in nomi„ ne Jeſu, mortis exterminium intentantibus, „ confiſus de Domini virtute reſpondit; *Opor„ tet obedire Deo magìs, quàm hominibus.* „ Vos autem ne à terrenis videamini Princi„ pibus diſſentire, illi cauſæ favorem veſtrum „ impenditis, cui & Eccleſiaſticæ auctoritas „ conſtitutionis, & ſupernæ voluntatis exa„ men pro certo creditur obviare. Cùm enim „ translationes Epiſcoporum ſinè manifeſtæ „ utilitatis & neceſſitatis indicio, divinæ legis „ oraculum non permittat: cùm etiam multò „ amplior, quàm in aliis electionibus Cleri & „ Populi eas debeat prævenire concordia: in „ facienda translatione de venerabili fratre „ noſtro Guicmanno Cicenſi Epiſcopo, nihil „ horum eſt, ſed ſolus favor Principis expe„ ctatur: & nec inſpecta neceſſitate illius „ Eccleſiæ, nec conſiderata utilitate perſonæ, „ Clero nolente, imò (ut dicitur) ex parte „ maxima reclamante, in Magdeburgenſi eum „ dicitis Eccleſia ſupplantandum. Super quo „ tanto ampliùs admiramur, quanto perſona „ illa, cujus gravitatis ſit atque ſcientiæ, ab „ anteactis agnovimus, ac perinde quantum „ Eccleſiæ illi ſit utilis, non penitùs ignora„ mus. Quoniam igitur quicunque tempora„ lis auræ flatibus agitentur, nos in illius pe„ træ ſoliditate fundati, quæ in fundamento „ meruit Eccleſiæ collocari, ſicut non debe„ mus, ita nec volumus omni vento circum„ ferri doctrinæ, aut à ſacrorum Canonum „ rectitudine impulſu aliquo deviare: per „ præſentia vobis ſcripta mandamus, quate„ nus cauſæ iſti favorem ulteriùs non præſte„ tis, & apud chariſſimum filium noſtrum „ Fridericum, quem Deus hoc tempore pro „ ſervanda libertate Eccleſiæ in eminentiam „ Regni evexit, afficere veſtris exhortationi„ bus ſtudeatis, ut & ipſe à ſua ſuper hoc „ intentione deſiſtat, & contra Deum, contra „ ſacros Canones, contra Regiæ dignitatis of„ ficium, eidem cauſæ favorem ſuum ulteriùs „ non impendat, ſed Eccleſiæ Magdeburgenſi, „ ſicut & aliis Eccleſiis Regni à Deo ſibi „ commiſſi, liberam facultatem, quem vo„ luerit ſecundùm Deum eligendi relinquat, „ & electionem ipſam poſtmodum favore ſuo, „ ſicut

(8) C. MS. jurari fecit.

„ ficut decet Majestatem Regiam, prosequa-
„ tur. Nos enim, si quod de supradicto fra-
„ tre nostro facere nititur, videremus ratione
„ fulciri, nec voluntati ejus, nec postulatio-
„ ni vestræ duceremus aliquatenus obvian-
„ dum. Contra Deum autem, & facrorum
„ Canonum sanctiones, nulli omnino petitio-
„ ni possumus præbere consensum. Datum
„ Signiæ XVI. Kalend. Septemb.

CAP. IX.

Quomodo per duos Cardinales assensu Principis, quidam Episcopi depositi sunt, & de duobus Ducibus Henricis.

AT Rex in proximo Pascha Babenberg coronam gestans, duos Cardinales, videlicet Bernardum Presbyterum, & Gregorium Diaconum ad depositionem quorundam Episcoporum, ab Apostolica Sede destinatos, secum habuit. Proximam dehinc Pentecosten Vormatiæ ferians, Henricum Moguntinæ Sedis Archiepiscopum, virum pro distractione Ecclesiæ suæ frequenter correptum, nec correctum, per eosdem Cardinales deposuit, ac Arnaldum Cancellarium suum per quorundam ex Clero & populo, qui illuc venerant, electionem, ei subrogavit. Ad prædictam Curiam prænominati Duces, ambo Henrici pro Ducatu Norico, ut dictum est, contendentes venerunt, sed altero quòd legitimè vocatus non fuerit, prætendente, debitum finem negotium ibi habere non potuit. Iidem etiam Cardinales permissu Principis BurchKardum Eistetensem senio gravem, de inutilitate causantes, itidem submovere. Dumque post hæc in Magdeburgensem & quosdam alios sententiam ferre cogitarent, à Principe inhibiti, & ad propria redire jussi sunt.

CAP. X.

Quòd mortuo Eugenio, Anastasius subrogatur, & quòd Cardinalis Gerardus insolenter agere volens, prohibitus & in via mortuus est, & Guicmannus in Episcopatu confirmatus.

EA tempestate Eugenius Papa, vir justus, & religione insignis, ab hac luce transiens, Anastasio homini veterano, & in consuetudine illius Curiæ exercitato Sedem reliquit. A quo dum Cardinalis quidam Gerhardus nomine, ad terminandam Magdeburgensis Electi causam missus fuisset, ac Principem in eadem civitate Natale Domini celebrantem adiisset, cùm quædam ibi secus illius nutum tractare vellet, indignationem ejus incurrens, infectis negotiis, pro quibus venerat, mandatis sævioribus, inglorie redire coactus, in via etiam vita decessit. Verùm Princeps missis ad Anastasium cum Guicmanno nuntiis, non solùm facti sui ratihabitionem, sed etiam pallium obtinere eum fecit, non finè quorundam scandalo, qui ne unquam id fieret, immobiliter fixum Romanos tenere à proprio ipsorum ore audierant. Exhinc non solùm in secularibus, sed & in Ecclesiasticis negotiis disponendis, auctoritas Principis plurimùm crevit.

CAP. XI.

Quòd Legatos in Græciam destinaverit, & quòd Henrico Saxonum Duci Ducatus Bajoariæ adjudicatur, & quòd Rex in Italiam procinctum movit.

CIrca idem tempus, mense Septembri, Principes, majoresque Bajoariæ à Rege Ratisponæ convocantur, sed nihil ibi de bono pacis in illa Provincia, propter duorum Ducum litem, terminari poterat. Rex tamen quia non multò ante hac per Apostolicæ Sedis Legatos, ab uxore sua ob vinculum consanguinitatis separatus fuerat, producenda alia pertractans, ad Manuel Græcorum Imperatorem tam pro hoc negotio, quàm pro Guilhelmo Siculo, qui Patri suo Rogerio noviter defuncto successerat, utriusque Imperii invasore debellando, in Græciam Legatos destinandos ordinat, sicque Primatum suorum consilio, Anshelmus Hamelburgensis (9), & Alexander Apuliæ quondam Comes, sed à Rogerio cum cæteris ejusdem Provinciæ nobilibus, ob suspicionem dominandi propulsus, eandem legationem suscipiunt.

Proximo dehinc mense Decembri utrique Duces, Henricus, itidem & Henricus, in civitate Spira, Principis adsistunt judicio, sed iterum altero de legitima vocatione se excusánte, res protelatur. Itaque Fridericus dum jam ferè per biennium ad decidendam litem duorum Principum, sibi (ut dictum est) ex propinquitate sanguinis tam affinium laborasset: tandem alterius instantiâ, qui in paternam hæreditatem, à qua diu propulsus fuerat, redire cupiebat, flexus, imminente etiam sibi expeditionis labore, in qua eundem juvenem militem, sociumque viæ habere debuit, finem negotio imponere cogebatur. Proinde in oppido Saxoniæ Goslaria Curiam celebrans, utrosque Duces, datis edictis, evocavit. Ubi dum altero veniente, alter se absentaret, judicio Principum alteri, idest Henrico Saxoniæ Duci, Bajoariæ Ducatus adjudicatur.

Post hæc Princeps de Saxonia in Bajoariam se recipiens, ac inde per Alemanniam transiens, anno Regni sui tertio, in Campania (10) Lici fluminis termino Bajoariæ, contra civitatem Augustensem, circa principium mensis Octobris militem in Italiam iturus collegit, finitis ex quo jurata fuerat primò expeditio, duobus annis. Nec illustrem animum à tam illustri facto, ex recenter prolata in tam magnum Imperii Principem sententia, & ex hinc obortum non parvum aliorum Principum murmur revocare poterat, quin omnia, quæ retro erant, tanquam floccipendens, Deo se committendo in anteriora extenderetur. Per Brixinoram itaque & vallem Tridentinam transiens, emensis Alpium angustiis, in campestribus Veronensium, juxta stagnum Gardæ, castrametatur. Ubi dum de processu ad ulteriora cum Principibus consilium iniret, primò cœli Principem conciliandum decrevit. Denique miles per claustra montium transiens, ob difficultatem locorum victui necessaria invenire nequiens, dum penuriam magnam, quod in exercitibus molestum esse solet, pateretur, non-

(9) C. MS. Hamelburgensis Episcopus, &.

(10) C. MS. in campo.

nonnulla sacra loca violarat. Ad hæc, quamvis prædictam necessitudinis excusationem habere viderentur, expianda, Rex à toto exercitu collectam fieri jubet; & sic non modicam coadunatam pecuniam per quosdam religiosos viros, duobus Episcopis, Tridentino scilicet & Brixinorensi remittendam, ac per singula Sanctorum loca, quæ damnum passa fuerant, dividendam statuit, pulchrè communi utilitati consulens, pulchrè rectoris officium implens, ut maxima adorsurus negotia, ante omnia Rectorem & Plasmatorem omnium, sinè quo nihil bene inchoatur, nihil prosperè consummatur, placandum, ejusque offensam à populo suo avertendam intenderet.

CAP. XII.

Quomodo apud Roncalias quibusdam Episcopis regalia abjudicata sint.

INde castra movens in campo Roncaliæ super Padum, non longè à Placentia, mense Novembri resedit. Est autem consuetudinis Regum Francorum, quæ & Teutonicorum, ut quotienscunque ad sumendam Romani Imperii coronam, militem ad transalpizandum coëgerint, in prædicto campo mansionem faciant. Ibi ligno in altum porrecto scutum suspenditur, universorumque equitum agmen feuda habentium, ad excubias proxima nocte Principi faciendas, per Curiæ præconem exposcitur, quod sectantes qui in ejus Comitatu fuerunt, singuli singulos beneficiatos suos per præcones exposcunt. At sequenti die quicunque nocturnis vigiliis defuisse deprensus fuerat, denuo ad præsentiam Regis, aliorumque Principum, vel virorum illustrium evocatur sicque omnes omnium beneficiati, qui sinè bona voluntate dominorum suorum domi remanserunt, in feudis condemnantur. Hunc morem Principe secuto, non solùm laicorum feuda, sed & quorundam Episcoporum, idest, Harduici Bremensis, & Ulrici Halberstatensis regalia personis tantùm, quia nec personis, sed Ecclesiis perpetualiter à Principibus tradita sunt, abjudicata fuere. Sed quoniam hujus terræ mentio habita est, de ipsius situ ac ritu, & à quibus priùs inhabitata, quove nomine dicta, à quibus postmodum possessa, quo censeatur vocabulo, paucis absolvam.

CAP. XIII.

De situ Italiæ, & more gentis ejusdem. Item de situ & superbia Mediolani, & de consuetudine & justitia Regni, atque de diversis querimoniis ad Principem delatis.

HÆc Pyrenæo, seu Apennino altissimis & scopulosissimis alpibus in oblongum ductis, hinc inde septa, tanquam eorundem, vel potiùs ejusdem montis umbilicus: utve deliciarum hortus, à Tyrrheno mari usque ad Adriatici æquoris oram protenditur, habens ad Septentrionem Pyrenæas (ut dictum est) Alpes: ab Austro Apenninum, qui modò mutato nomine mons Bardonis vulgò dicitur: ab Occidente Tyrrhenum, ab Oriente Adriaticum æquor. Padi vel Eridani fluminis, quem unum inter tria Europæ flumina famosissima Topographi ponunt, cæterorumque amnium decursu irrigua, soli dulcedine, cœlique temperie: frumenti, vini & olei ferax: intantum ut arbores fructiferas, præcipuè castaneas, ficeta, & oliveta instar nemorum educet. Romanorum Colonia ulterior Italia olim dicebatur, tribus distincta Provinciis, Venetia, Æmilia, Liguria: quarum primæ Aquileja, secundæ Ravenna, tertiæ Mediolanum Metropoles fuere. At in ipso Apennino, ubi & Urbs Roma sita esse noscitur (quæ modò Tuscia vocatur, eo quòd Apennino inclusa, Urbem quoque ipsam in sinu suo contineat) interior Italia jure dicta est. Illa verò quæ post emensionem montium campania excipitur, unde & à re nomen trahens, Campania adhuc dici solet, ac usque ad Farum, brachium maris, navibus ob syrtes importunum, Siciliam à solido sejungens, producitur. Nam Sicilia Europam terminans, Sardiniæ, cæterisque Italiæ Insulis adnumeratur. Olim citerior Italia, vel major Græcia vocabatur, nunc Apulia vel Calabria dicta. Quamvis aliqui hanc & mediam pro una reputantes Italia, citeriorem seu majorem Græciam dicere maluerint Italiam, non tres, sicut præmissum est, sed duas tantùm, ulteriorem & citeriorem ponentes Italias. Nonnulli tamen prædictas Alpes Apenninum & Pyrenæum eadem montana esse volunt, eo quòd circa eas partes, qua Janua civitas in navalibus prœliis satis exercitata, super Tyrrhenum æquor sita est, conveniendo, prædictam claudant Provinciam: in argumentum suæ assertionis inducentes, quòd Pannonia, juxta Isidorum, tanquam Apennino clausa nomen accepit, quam non Apenninus, qui mons Bardonis, sed Pirenææ attingunt Alpes. Patet, ut arbitror, cur hanc terram duorum montium, vel ejusdem, supra umbilicum dixerim, Barbarorum verò incursionibus, ac dominationi, qui à Scanzia Insula cum Alboin Duce venientes, Pannonias primò inhabitarunt, subjacere incipiens, ab eisdem, eo quòd ad augendum exercitum, fœminis reflexis ad mentum crinibus, sicque virilem & barbatam faciem imitantibus, & idcirco Longobardis à longis barbis vocitatis, & ipsa Longobardia appellari consuevit. Ex quo contingit, ut circa Hexarchatum Ravennatensem artatis antiquis ejusdem Provinciæ incolis, ea pars Italiæ, quæ antea Æmilia dicebatur, nunc Romaniola, quod diminutivum à Roma tractum noscitur, vulgò usque hodie dici soleat. Veruntamen Barbaricæ deposito feritatis rancore, ex eo forsan, quòd indigenis per connubia juncti, filios ex materno sanguine, ac terræ aërisve proprietate aliquid Romanæ mansuetudinis & sagacitatis trahentes, genuerint, Latini sermonis elegantiam, morumque retinent urbanitatem. In civitatum quoque dispositione, ac Reip. conservatione, antiquorum adhuc Romanorum imitantur solertiam. Denique libertatem tantopere affectant, ut potestatis insolentiam fugiendo, Consulum potiùs, quàm imperantium regantur arbitrio. Cùmque tres inter eos ordines, idest Capitaneorum, Valvassorum, & Plebis esse noscantur, ad reprimendam superbiam, non de uno, sed de singulis prædicti Consules eliguntur, neve ad dominandi libidinem prorumpant, singulis penè annis variantur. Ex quo fit, ut tota illa terra intra civitates ferme divisa, singulæ ad commanendum secum diœcesanos compulerint, vixque aliquis Nobilis, vel vir magnus, tam magno ambitu inveniri queat,

qui

qui civitatis suæ non sequatur imperium. Consuerunt autem singuli singula territoria, ex hac comminandi potestate, Comitatus suos appellare. Ut etiam ad comprimendos vicinos materia non careant, inferioris conditionis juvenes, vel quoslibet contemptibilium etiam mechanicarum artium opifices, quos cæteræ gentes ab honestioribus & liberioribus studiis, tanquam pestem propellunt, ad militiæ cingulum, vel dignitatum gradus assumere non dedignantur. Ex quo factum est, ut cæteris orbis civitatibus, divitiis, & potentia præemineant. Juvantur ad hoc non solùm (ut dictum est) morum suorum industria, sed & Principum in transalpinis manere assuetorum absentia. In hoc tamen antiquæ Nobilitatis immemores, Barbaricæ fœcis retinent vestigia: quòd cùm legibus se vivere glorientur, legibus non obsequuntur. Nam Principem, cui voluntariam exhibere deberent subjectionis reverentiam, vix aut nunquam reverenter suscipiunt: vel ea, quæ secundùm legum integritatem sanciverit, obedienter excipiunt, nisi ejus, multi militis astipulatione coacti, sentiant auctoritatem. Ob ea frequenter contingit, ut quamvis civis lege flectendus, adversarius armis cogendus secundùm leges sit: ipsum tamen, quem ut proprium Principem mitem suscipere oportebat, sæpiùs jura propria exposcentem, hostiliter excipiant. Ex quo duplex Reipub. nascitur detrimentum, ut Princeps ad subjugationem civis in colligendo exercitu distrahatur: & civis, non sinè magno rerum suarum dispendio, ad obedientiam Principis compellatur. Quare eadem ratione qua populum super hoc incusat temeritas: sic Principem apud Deum & homines excusare debebit necessitas.

Inter cæteras ejusdem gentis civitates Mediolanum primatum nunc obtinet, inter Padum & Pyrenæum sita. Ticino & Adua ab eodem Pyrenæo nascentibus, ac in Pado se recipientibus, & ob hoc sinum quendam fertilissimum in modum insulæ facientibus media posita, rite Mediolanum vocatur: quamvis nonnulli ex quodam portentuoso sue, unam medietatem setas, & alteram lanam habente, à fundatoribus Mediolanum dictam putent. Hæc ergo non solùm ex sui magnitudine, virorumve fortium copia, verùm etiam ex hoc, quòd duas civitates vicinas, in eodem sinu positas, idest, Cumam & Laudam ditioni suæ adjecit, aliis (ut dictum est) civitatibus celebrior habetur. Porrò ut in rebus caducis ex arridentis fortunæ blandimento fieri solet, rebus secundis elata, in tantam elationis extumuit audaciam, ut non solùm vicinos quosque infestare non refugiat: sed & ipsius Principis Majestatem non reformidando, ejus ausa fuerit incurrere recenter offensam. Quod quibus de causis exordium sumpserit, breviter aperiam. Interea quædam de justitia regni dicenda videntur.

Mos enim antiquis, ex quo Imperium Romanum ad Francos derivatum est, ad nostra usque deductus est tempora, ut quotiescunque Reges Italiam ingredi destinaverint, gnaros quoslibet de familiaribus suis præmittant, qui singulas civitates seu oppida peragrando, ea, quæ ad Fiscum Regalem spectant, quæ ab Accolis Fodrum dicuntur, exquirant. Ex quo fit, ut Principe adveniente plurimæ civitates, oppida, castella, quæ huic justitiæ vel omnino contradicendo, vel integraliter non persolvendo, reniti conantur, ad solum usque prostrata, proterviæ suæ documentum posteris ostendant. Alia itidem ex antiqua consuetudine manasse traditur justitia, ut Principe Italiam intrante, cunctæ vacare debeant dignitates & magistratus, ac ad ipsius nutum secundùm scita legum, Jurisqueperitorum judicium, universa tractari. Tantam ei quoque judices terræ recognoscere dicuntur jurisdictionem (11), ut ex omnibus, quæ terra producere solet, usui necessariis, exceptis vix bubus & seminibus, ad excolendam terram idoneis, de cæteris quantum necesse fuerit militi profuturis, ad regios usus suppeditate æquum arbitrentur.

Igitur Rege apud Roncalias per quinque, ut ajunt, dies sedente, & ex Principum, ac de universis penè civitatibus Consulum seu Majorum conventu Curiam celebrante, diversa hinc inde diversis ex querimoniis emersere negotia. Inter quæ Guilhelmus Marchio de Monte-Ferrato, vir nobilis & magnus, & qui penè solus ex Italiæ Baronibus civitatum effugere potuit Imperium, simul & Astensis Episcopus, gravem uterque super Astensium, alter, idest Marchio, super oppidanorum Kaire conquestionem facientes insolentia. Neque enim multum ad Principis triumphi titulum, respectu ipsius gestorum fortium, facere arbitramur, si de castellis, rupibus, oppidis, villisque magnis, quæ ab ingressu suo non solùm militari ordine, sed etiam armigerorum tumultuationis assultu subversa sunt, diceremus, ad majora festinantes. Aderant etiam Cumanorum seu Laudensium Consules, de attritionis suæ diutina miseria, lachrymabilem super Mediolanensium superbia facientes querimoniam, præsentibus duobus Consulibus ejusdem civitatis, Oberto de Orto, & Gerardo Nigro. Princeps igitur his de causis superiores Italiæ partes aditurus, per Mediolanensium fines transire volens, prædictos Consules tanquam viæ duces futuros, & de idoneis tabernaculorum locis dispondituros, secum retinuit. Venerunt etiam ad eandem Curiam Legati Januensium, qui non longè ante hæc ipsa, captis in Hispania inclytis civitatibus, & in sericorum pannorum opificio prænobilissimis, Almaria & Ulyxibona, Sarracenorum spoliis onusti redierant, leones, struthiones, psittacos, cum cæteris pretiosis muneribus Principi præsentantes.

CAP. XIV.

Quibus occasionibus Rex in Mediolanenses arma converterit.

FRidericus ergo ad superiora (ut dictum est) ulterioris Italiæ, profecturus, à Roncaliis copias ducens, in territorio Mediolanensium castra posuit. Dumque à prænominatis consulibus per arida, ubi nec stipendia inveniri, nec ex mercatu haberi possent, circunduceretur loca: indignatione motus, jussis primò ut ad propria redirent Consulibus, in Mediolanenses arma convertit. Accessit ad hujus indignationis cumulum, quòd ex maxima imbrium effusione totus exacerbatus fuisse dicitur exercitus, ut ex hac duplici inediæ videlicet & cœli inclementiæ molestia, cuncti, prout poterant, Principem adversùs eos concitarent. Alia itidem

(11) C. MS. debent juris ditione n.

dem hujus commotionis causa non parva fuit, quòd Princeps temeritatis illorum in hoc tumorem præsenserat, quòd non solùm civitates, quas destruxerant, reædificari pati nollent, quin etiam ad iniquitatis illorum assensum, ipsius nobilem & incorruptum hactenus animum pecunia inclinare ac corrumpere satagebant. Rex castra de aridis locis movens, ad fertilia ipsius territorii habitacula non longè à civitate se transferens, militem lassatum refecit.

CAP. XV.

Quædam oppida ac castra Mediolanensium evertuntur, & de Novaria, suoque Comite.

ERat in vicino oppidum quoddam satis populosum Rosatum, ubi Mediolanenses circiter quingentorum equitum armatorum præsidia locaverant. Jubentur ergo equites ad civitatem redire, direptisque omnibus usui necessariis, ipsum oppidum flammæ datur. Ibi quidam ex equitibus Principis usque ad portas Mediolanensium progressi, quibusdam vulneratis, quosdam cepere. Mediolanenses non solùm damno præsentium, sed & metu futurorum stupefacti, Gerardi Consulis, tanquam hujus mali auctoris, domum, Principis iram mitigaturi, dirimunt. At Princeps hujus rei nihil pensi habens, ad Ticinum usque amnem, majores his clades irrogaturus, procedit. Is amnis à Pyrenæo, ut supra ostensum est, surgens, & Padum seu Eridanum juxta Papiam, quæ exhinc Ticinum vocatur, influens, Insulam Mediolanensium ab Occidentali latere cingit. Ibi duos pontes ligneos, quos ipsi ob incursum in Papienses & Novarienses construxerant, ac ob illorum impetum reprimendum propugnaculis munierant, occupat, transmissoque per eos milite, ignibus tradit. Denique tria ipsorum castra munita & decora, idest Mummam, Gailardam, Tricam, quæ ad expugnationem Novariensium in ipsorum territorio firmaverant, expugnata cremantur. Est autem Novaria civitas non magna, sed ex quo ab Imperatore Henrico olim eversa reædificari cœpit muro novo, & vallo non modico munita, Comitem habens in sua diœcesi Guidonem Blanderatensem, qui præter morem Italicum, totum ipsius civitatis territorium, vix ipsa civitate excepta, Mediolanensium possidet auctoritate: inhiantibus adhuc Mediolanensibus, ut & hanc simul & Papiam, sicut alias absorbeant civitates. Facta est hæc victoria mense Decembri, Nataleque Domini circa prædictorum excidium castrorum à Principe cum magna celebratur alacritate.

CAP. XVI.

De subversione Kairæ & Astæ, & de treuga militum.

POst hæc Princeps per Vercellum & Taurinum transiens, transvadato ibi Pado ad inferiora versùs Papiam iter reflectit. Verùm oppidani Cairæ, simul & Astenses cives, eo quòd præcepta Principis de exhibenda Marchioni suo Guilhelmo de Monte-Ferratò justitia minimè paruissent, tanquam rebellionis rei hostes judicati proscribuntur. Ad quorum puniendam contumaciam dum Rex exercitum ducit, illi relictis munitionibus velut viribus suis diffidentes, ad vicina montana diffugiunt. Rex primò Cairam veniens, inventis sufficienter victualibus, per aliquot ibi dies mansit. Turres, quæ non paucæ ibidem fuere, destruxit, oppidumque succendit. Inde Astam procedens, vacuamque non opibus sed habitatore reperiens civitatem, non paucis ibi diebus manens, igni eam & direptioni dedit. Ante verò quàm abinde castra moverentur, consilio Sapientum Rex habito, propter crebras, quæ in exercitu ortæ fuerant seditiones, aliqua militi in posterum profutura ordinare disponit. Non solùm ergo edicto dato, sed & à singulis majoribus & minoribus sacramento præstito, legem dedit, ne quis infra castrorum ambitum gladium ad quodlibet commilitonis nocumentum portare auderet, adjiciens pœnam, ut quicunque hanc treugam violando, quempiam de sociis vulneraret, manu mutilaretur, vel etiam capite obtruncaretur. Hacque tam sapienti, quàm necessaria lege data, de cætero juvenilium irrationabilis impetus animorum conquievit.

CAP. XVII.

De Terdona, & quare obsessa sit, & de ejus situ, atque præsidiis, & quomodo obsessa ac impugnata, qualiterve à suis defensa fuerit.

FUit non longè ab eo loco civitas Terdona, natura & arte munita, Mediolanensibus amica, ipsisque contra Papienses fœdere juncta. Igitur Papiensibus conquerentibus plus à Terdona se quàm à Mediolano molestari, eo quòd quamvis civitas Papia in sinu quidem Mediolanensium posita, robur tamen comitatus sui ultra Ticinum fluvium habeat, isti nullo montis seu fluminis objectu expositum, jussa est à Principe à Mediolani (12) contubernio recedere, Papiæque sociari. Quod dum facere recusaret, dumque magis seditiosè & inimicè, quàm pacificè & amicè Regibus, civitati adhærere delegisset, tanquam majestatis rea, & ipsa inter hostes Imperii adnumerata proscribitur. Princeps Terdonensium sicut & Astensium vindicaturus insolentiam, ab Asta castra movens, in Marchia quadam, quæ Busca dicitur, tentoria fixit. Ibi per aliquot dies moram faciens, quosdam ex militibus cum fratre suo Conrado, Bertolfo Burgundionum Duce, Ottone Vexillifero suo, ex Bajoaria Palatino Comite præmittendos, situmque civitatis exploraturos decrevit. Qui transmisso amne, qui Tanera vulgò dicitur, usque ad ipsam civitatem decurrentes, ac omnia circumspicientes, non longè ab ea super prædictum amnem metantur castra. Tertia dehinc luce Rex suos insecutus, altera fluminis ripa tabernacula fixit, suis ex prædicti amnis inundatione, qui ex subita imbrium multitudine plus solito excreverat, jungi non valens. Attamen non multo post, fluvio aliquantisper mitigato, transvadandi labore suis adjunctus, ad civitatem properavit. Primoque assultu suburbia muro, turribus suffulta cepit & expugnavit, civibus vix ad superiorem civitatis arcem se recipiendi,

(12) objectu expositum, jussa est à Principe à Mediolani *in MSto non leguntur*.

di, ex noctis, quæ jam incumbebat, & supervenientis tempestatis beneficio, facultatem habentibus. Est autem Terdona penè in pede Apennini montis, ex ea qua Apenninus & Pyrenæus, ut supra dictum est, junguntur, parte sita, campaniam Papiæ seu Mediolani tanquam è specula prospiciens. In monte terete, scopulosam faciem in prærupto laterum prætendente, posita: turribus, & præcipuè una lateritia, à Tarquinio Superbo olim facta, quæ & Rubea nunc ab indigenis dicebatur superba: in declivo montis suburbio, ex murorum ambitu, ac turrium celsarum, populique multitudine, cujusdam amniculi per medium transeuntis insignis.

Princeps Nobilis, capto (ut dictum est) suburbio, arcem ipsam seu civitatem obsidione clausit. Erat autem prædicta arx non solùm suis viribus, sed etiam Mediolanensium fortitudine, & vicinorum Baronum, quorum unus Marchio Opitius, cognomento Malaspina fuit, præsidiis munita, obque tantæ opis confidentiam, ad propellendam Principis iram instrui ausa. Initiata est hæc celebris Terdonæ obsidio mense Februario incipiente, post caput jejunii proxima Quadragesimæ hebdomada. Receptis igitur ad angustias arcis Terdonensibus, tantaque multitudine velut uno carcere inclusis, mons ipse circumquaque à Principe, ne ullus effugiendi pateret miseris aditus, obsidione vallatur: Principe ipso ex Occidentali parte, Henrico Duce Saxoniæ in suburbio, quod Meridiem versùs Apenninum respicit, Papiensibus in campania, quæ contra Papiam seu Mediolanum ad Orientem vel Aquilonem extenditur, residentibus. Nec mora, machinæ, diversorumque tormentorum genera fabricantur, sagittarii, balistarii, fundibularii arcem circumseptam observant. Tentabat omnia virtus Principis, & ubi infirmiora arcis videbat loca, valentiori urgebat manu. At Terdonenses artissimis septi claustris effugii locum non habentes ex desperatione audaciam sumunt. Nulla enim (ut ait ille Historiographus) promptiorem bello militem reddit, quàm necessitas prœliandi ex prærupto periculorum. Urgentur jaculis, urgentur balistis, quodque his gravius est, propria remordentur conscientia: eo quòd proprio Principi rebellando, quicunque ex eis deprehensi fuissent, patibuli, quod in præsentiarum erectum cernebant, expectabant supplicium. Sicut enim est magna miseris tyrannicæ obviantibus immanitati consolatio, conscientiæ spes: sic è converso tali Principi, qui non solùm legitimus judex, sed & primus præsul dici potest, reluctari conantibus, miseriæ miseriam cumulat, contra conscientiam debitæ sententiæ metus. Crebris tamen excursionibus, quasi nullo timoris periculo urgerentur, militem in castris manentem lacessebant, juvenilesque animi, laudis (ut assolet) avidi, virium suarum experientiam utrobique capessebant: illis pro salute, istis pro triumpho dimicantibus. Nec hoc sinè utriusque partis damno. Nam & ex nostris duo Nobiles juvenes, Kadolus ex Bajoaria, & Joannes de Saxonia, pluribus sauciatis, necantur. Ex illis verò, exceptis his quos occisos, vel vulneratos intus celabant, nonnulli vivi deprehensi, ligni supplicio in oculis omnium pœnas meritas luebant. Ferunt quadam die lapidem vi tormenti ex balista, quam modò *margam* (*) vulgò dicere solent, propulsum, ad superiora mœniorum loca conscendisse, ex collisione parietum tribus fractis frustis, tres simul milites armatos inter majores civitatis, juxta principalem Ecclesiam de suæ Reipublicæ statu consultantibus stantes, uno ictu percussisse, necique dedisse.

Quia verò castra Papiensium majorem incursum cæteris sustinebant, junguntur eis ex Imperio Principis Guilhelmus Marchio de Monte-Ferrato, & quidam alii ex Italicis Baronibus. Erat enim ex ea parte puteus seu fons, quo solò poterant oppidani uti: & idcirco Papiensibus prohibentibus, illisque suprema necessitudine, cujus proprium est periculorum discriminis immemorem esse, audacter decertantibus, major, imò quasi quotidiana instabat conflictatio. Nam amniculus, qui medius (ut supra ostensum est) percurrebat suburbium, ex ruina turrium, cæterorumve mœnium, à proprio alveo excussus, ne in ipsorum usum etiam feculentus provenire posset, à Duce Saxoniæ, suisque acriter servabatur. Videns Princeps plus cupito obsidionem produci, (anhelabat enim ad accipiendam Orbis & Urbis Monarchiæ coronam) non solùm turres machinis quati, sed etiam inusitato satis utens artificio, cuniculos versùs turrim Tarquinii, quæ Rubea dicebatur, fieri jubet: ut sic ad turrem ipsam per ipsos subterraneos meatus procedentes, fundamento læso, eam ruinæ darent. Nam cùm prædicta civitas non in modum aliarum civitatum vallo seu fossa, sed præruptis undique prope interclusa rupibus, naturali præsidio muniatur: ex illa tantùm parte aliquantisper remissior, hispidæque rupis firmamento carens, prædictæ turris munimentum, magnique fossati robur, tanquam hujus suæ imbecillitatis adjumentum, artificialiter admisit. Oppidani, non sinè quorundam ex nostris proditionis suspicione, ingenium præsentiunt, commentisque usi, juxta fundamentum turris & ipsi cuniculos faciunt: sicque quibusdam ad eversionem turris procedentibus, suffocatis, cæteri à cœpto desistunt. Post hæc Rex naturam naturæ ope vincere volens, idest, ut naturæ præsidiis septos per inopiam cogeret potus, prædictum fontem humanis usibus inutilem facere disponit. Injiciuntur ibi hominum, pecorum fœtida & putrescentia cadavera. Sed nec sic repelli poterat misera oppidanorum aviditas. Aliud itidem invenitur ingenium. Incutiuntur prædicto fonti ardentes faculæ, sulphureas & piceas flammas ferentes, sicque aquæ ipsæ, humanis usibus deinceps inutiles, amaricantur.

CAP. XVIII.

De invasione cujusdam castri.

Erat in vicinio castrum quoddam Mediolanensium N. vocitatum, natura & ingenio munitum. Fiunt in castris, cernentibus Terdonensibus, scalæ, cæteraque pro ascendendis muris instrumenta utilia, oppidanis arbitrantibus ad ipsorum hæc fieri nocumentum. Deliguntur gnari quique & fortes de equitum ordine viri, præfectisque sibi duobus Ducibus, Ber-

(*) *Lege* Manganum.

Bertolfo Duce, & Ottone Palatino Comite, ad prædictumque castrum eo tempore, quo noctis beneficio propositum celari poterat, properatur. Nec mora, jactis ad murum scalis, ad superioris convexa tendunt, castrum ingrediuntur, ac sinè dubio cunctis sopore depressis, voto potiti fuissent, nisi ex præmaturata clamoris concitatione oppidani excitati, ad fugamque parati, vix tandem fiduciâ sumptâ, ad arma convolassent.

CAP. XIX.

De audacia cujusdam scutiferi, & de miserabili conquestione Terdonensium.

Nec prætereundum erit, de cujusdam præruptæ audaciæ stratoris virtute, qui dum tædio longæ obsidionis affectus, cæteris assiliendi arcem exemplum dare vellet, gladio tantùm, & clypeo, parvaque (ut id genus hominum solet) securi, quæ sellæ ab eis alligatæ portantur, usus, aggerem, qui turri Rubeæ præjacet, aggreditur, viamque securi qua pedem figeret, faciens, montem ascendit. Non illum crebri lapidum ictus, qui à machinis Principis contra turrim, vi tormentorum propellebantur, deterrere: non eum jaculorum, seu saxorum ab arce ad modum imbrium, non interpolati jactus revocare poterant: ad turrim usque jam semidirutam processit, ibique viriliter dimicando, militem etiam armatum ad terram ictibus dejecit, atque inter tot periculorum discrimina illæsus, ad castra redire potuit. Quem Rex ad se vocatum, militari cingulo ob tam præclarum facinus, honorandum decrevit. At ille cùm se plebejum diceret, in eodemque ordine velle remanere, sufficere sibi conditionem suam, honestè donatum, ad propria redire permisit contubernia.

Sed ut ad id, unde digressi sumus, redeamus. Urgentur aquis amaricatis oppidani, intolerabili potus inedia, gravi sitis molestia. Appropinquabat Paschale Festum, & Princeps religionis intuitu quatuor diebus, idest à quinta Cœnæ Domini feria, usque ad proximæ Paschalis hebdomadæ secundam feriam, ab arcis impugnatione cessandum statuit. Itaque proximâ dehinc feriâ, idest ea die, qua Passio Domini in Parasceve à cunctis Christicolis celebratur, Clerici & Monachi cum oppidanis inclusi, vestibus sacris induti, cum crucibus, thuribulis, cæterisque Christiani ritus ornamentis, portis apertis egressi, ad tentoria Principis venire cupiebant. Quos Rex de longè prospiciens, missis in occursum Episcopis virisque literatis, cur, & ad quid venirent, inquisivit. At illi, Terdonæ nos ajunt, infelix portio, ad pedes regalis Excellentiæ venire desiderabamus, calamitates deploraturi, quas sustinemus non merito nostro, sed perditæ civitatis, perditissimorumque civium contagio. Nunc autem quia ad præsentiam non admittimur Principis, liceat interim pedibus vestræ provolvi benignitatis, obnixè postulantes: ut humanitatis gratiâ nos homines animadvertendo, humanæ miseriæ tanquam vestram sortem in nobis recognoscatis. Neque pro condemnata civitate, nec pro civibus majestate reis preces afferimus. Quos o utinam nunquam nostri vidissent oculi, nunquam eis sors junxisset, quorum nobis sors tam futura fuerat obnoxia. Nunquid insons cum sonte, cum nocente innocens, innoxius cum reo, pari pœna ab æquo judice plectendus erit? Vallamur claustrorum diuturnitate, quatimur tormentorum acerbitate, sitis infesta ariditate, piceas ac sulphureas, usibusque humanis ineptas aquas haurire cogimur: unde (quod magis dolendum est) non nobis hoc Sacrosancto Dominicæ Passionis tempore Deo servire licet, quia nec libet. Astantes enim sacris altaribus, sagittarum terremur spiculis, saxorum percellimur ictibus: sicque semper ad omnem etiam naturalem motum pavidi, à mentis tranquillitate tanquam amentes circumferimur. Non securi in lectulis, non in oratorio imperculsi, animum ex periculorum instantia distractum, ad offerendum Deo sacrificium pacis colligere pacificum non valemus. Quid fecimus? quid luimus? Nunquid Mediolano associati, rea contra Papiam arma tulimus? Nunquid ex fœdere seditiosæ civitatis iram Principis incurrimus? At nos hactenus armorum ignari, ne dicam cum factiosis, sed nec ullis mortalibus confœderati, soli Deo armis spiritualibus, non carnalibus instructi militare consuevimus. Sinè nostro consilio miles armatur: nobis inconsultis, imò ignorantibus in prælio certatur: Consulum, majorumque civitatis hæc est dispositio, illorum nutu hæc geruntur, Procerum motus (ut dicitur) hæc cuncta sequuntur. Ad nos nihil spectat, nisi Ecclesiasticarum excubiarum sollicitudo, pro Regum, cæterorumve in sublimitate positorum tranquillitate ad Regem Regum Deum quotidiana effiagitatio. At dicet aliquis: Ex hostis contubernio & tu judicaris hostis. Sis ejus in pœna socius, cujus fuisti in malefactis socius. Nam tangens picem coinquinatur. Cum perverso manens pervertitur. Dicit enim Psalmista: *Cum sancto sanctus eris, & cum perverso perverteris*. (*Psalm.* 18.) Nunquid nostro magis arbitrio, quàm divina providentia civibus his commanendi necessitudine, non ex malefaciendi assensione adjuncti sumus? Nunquid non cum Babylonicis, qui affectu, non loco fugiendi sunt, nos non Babylonici in uno septo esse possumus? Possum cum malefactore esse, nec tamen malefactoris socius, vel amicus jure dici. Possum necessitatis lege sic personæ jungi, ut personæ non jungar vitio jure naturæ in homine: naturam sic hominis diligere, ut naturæ abhorream casum. Nam qui ex inducto Sapientis, vel Psalmographi testimonio, scilicet quòd ex contubernio bonorum bonus, ex consortio malorum malus fiat, probare nititur, non sic auctoritatem notabit, quasi non de quodam sic, & de quodam non sic, sed de omni sic & semper accipiatur: verùm etsi de quodam sic & de quodam non sic, non tamen de omni sic vel semper, sed ut frequentiùs dictum putet. Quem usum in naturalibus non Mathematicorum, sed Physicorum sequuntur artes. Nec ritè pice tangi ex commanendi, sed consentiendi dicetur ratione. Quamvis & alium prædictæ auctoritati, prophetiæ præcedentia & consequentia generent sensum, ut non de nobis, sed de Creatore hæc asserantur, qui scilicet, sicut sancto sanctus apparet, misericorditer eum justificando: sic perverso perversus putatur, justè illum puniendo, ea locutione, vel proportionis ratione, qua linea recta curvo parieti apposita, irrationali sensus opinione, non recta videtur. Unde

Unde & alibi ab eodem Propheta dicitur : *Quàm bonus Israël Deus his , qui recto sunt corde* . Et hîc subsequenter adnectitur : *Quoniam tu populum humilem salvum facies , & oculos superborum humiliabis* . (*Psalm.* 73.) Imitetur Princeps terræ Principem Cœli, & si in eadem civitate cum superbo humilis inveniatur , non tamen cum superbo humilis puniatur . Miseremini ergo Domini & Patres conditionis nostræ, respicite in nobis quæ gestamus stigmata Christi : & quos ad pietatem non flectit nostræ calamitatis acerbitas, inclinet saltem character Domini. Sed heu mortalium sortem ! Commenta Papiæ luis Terdona , non tua delicta . Accusas de malefactis Papia Terdonam, cùm tu , si comparationem dissimulando qualitatum admittis , pejus feceris . At inquies , improbæ civitati , suaque contumaci superbia vicinos quosque prementi fœdere nexa, ab æquo Principe jure pœnas subire debes . Esto . Mediolano associata est Terdona . Quare non illius gratia , sed tuo metu , non ut per illius potentiam imperaret, sed ut per ejus vires à tua excuteretur violentia . Sensi rem meam (inquit Terdona) agi , dum paries proximus , Lunellum dico , arderet , sub Mediolani consugi alas . Mediolanum judicas , quòd Cumas legitima occasione destruxerit . Teipsam non respicis , quæ Lunellum Imperiale oppidum , magna & robusta equitum manu stipatum , Palatini Comitis tui habitatione inclytum, oppidanis ipsis ad colloquium pacis dolo vocatis , fraudulenterque captis , ad solum usque sinè causa prosternere non timueris . Factus est ille inter Italiæ Proceres Nobilissimus inquilinus tuus , qui debuit esse Dominus . Reddit tibi vectigal , cui tu Principis vicem gerenti vectigal persolvere solebas . Videat Princeps , & animadvertat qua honestate sui , Imperiive honore ipsius lateri judicium de Italis laturus assideat . Vectigalis tuus consideret , quo decore securis , quo rei in Italia jure plectendi sunt , ante ipsum deferatur , qui sub tuis modò militat signis . Judicetur igitur à justo rerum Arbitro æqua lance , primò Ticinum , ejusque exemplo cæterarum Italiæ urbium corrigantur excessus . Sed quid ad nos de talibus ?

Tractent fabrilia fabri .

Nos miserum vulgus , nos Dei tantùm servitio mancipati , nostram intueamur sortem . Nihil ad nos de tyrannis terræ , atque o utinam felix nimium prior ætas , atque aurea Saturni redirent secula , ut colonus terræ sarculo , ligoneque & rastro , non cum naturæ consorte , sed cum terra pugnaret : sicque ordo Deo sacratus, orationibus , obsecrationibus liberè invigilare posset . Pereat qui ad cruentandum hominum genus arma extulit, qui beluina feritate hominem se non recognoscens , humanum sanguinem primò fudit . Ad nos redeamus . Nihil fecimus, alienas ob culpas plectimur . Nobis quæsumus pietas parcat Principis, & si miserrimæ non vult ignoscere civitati , nos saltem inermes jam ex fœtore pestilentiæ morbidos , & jam morti propinquos , libertati datos, de tam gravibus claustris exire permittat : Hæc dicunt , & manus ad cœlos tendentes , lachrymisque obortis rigantes genas, cum magno ejulatu ad pedes eorum, qui missi fuerant , se prosternunt .

CAP. XX.

Quòd multis malis attriti Terdonenses de pace cogitant .

COgnitis his Princeps animum quidem intus ad misericordiam flexum præsensit , sed dissolutionis suspicionem vitans extra eum in prioris severitatis constantia servavit , illis ut ad arcem redeant jussis . Condescendebat miseræ Cleri sorti , sed subridebat superbi populi fortunæ, quem hoc indicio quasi desperatum , & desolationi proximum animadvertebat . At oppidani nondum tot malis victos se fingentes, infra quatuor dies, quibus pro Christiani cultus devotione Principem hostibus pacem dedisse diximus , baleare tormentum instruunt , ignorante Principe , ac eos treugam datam observare æstimante . Finito, ut dictum est , quatriduo , oppidani rursus machinis pulsantur . Illi suo quod fecerant vim tormenti propellentes , unum etiam quo magis infestabantur , quatiendo frangunt . Quo sinè mora reparato , acriùs solito urgentur . Tot impulsionum , ac maximè sitis defatigatione fracti , ultimaque desperatione correpti Terdonenses, tandem de reddenda per deditionis præsidium pertractant arce .

CAP. XXI.

De eversione civitatis , & quomodo Rex apud Papiam triumphum agens coronatur , & inde in Tusciam iter, & quomodo Rex ad urbem tendens, Romanum Pontificem obvium habuit , & de Arnaldo schismatico .

IGitur tertiâ post Paschalem solennitatem hebdomadâ, mense Aprili, animabus solùm ex miseratione & mansuetudine Principis saluti & libertati datis, civitas primò direptioni exposita , excidio & flammæ mox traditur . Eripitur ibi de gravi qua tenebatur captivitate , quidam ex Græcorum Proceribus , quem Opitius cognomento Malaspina , malè propter pecuniæ exactionem ceperat , asperisque locis inclusum in ipsa arce tenebat . Videres miseros oppidanos , cùm jam securitate concessa , de miseris claustrorum ergastulis ad liberam prodirent aëris temperiem , funebri facie tanquam de bustis egredientes imitari , in semet prætendentes , quod dicitur omnium miserabilius esse , claudi obsidione .

Peractâ victoriâ, Rex à Papiensibus ad ipsorum civitatem triumphum sibi exhibituris invitatur, ibique eâ dominicâ, qua *Jubilate* canitur , in Ecclesia S. Michaëlis , ubi antiquum Regum Longobardorum palatium fuit , cum multo civium tripudio coronatur . Deductis ibi cum magna civitatis lætitia & impensa tribus diebus , inde per Placentiam transiens , juxta Bononiam Pentecosten celebrat , ac ibidem transcenso Apennino citeriorem Italiam , quæ modò Tuscia vocari solet, perlustrat. Illic Pisanos viros in Insulis , & transmarinis civitatibus potentes obvios habuit : eisque ut naves contra Guilhelmum Siculum armarent , in mandatis dedit . Circa idem tempus Anselmus Havelburgensis Episcopus à Græcia reversus, Ravennatensem Archiepiscopatum per Cleri & Populi electionem , simul & ejusdem Pro-

Provinciæ Exarchatum, laboris sui magnificam recompensationem à Principe accepit.

Igitur Rex ad Urbem tendens, circa Viterbium castrametatur. Quò Romanus Antistes Adrianus cum Cardinalibus suis veniens, ex debito officii sui honorificè suscipitur, gravique adversùs populum suum conquestione utens, reverenter auditus est. Prædictus enim populus, ex quo Senatorum ordinem renovare studuit, multis malis Pontifices suos affligere temeritatis ausu non formidavit.

Accessit ad hujus seditiosi facinoris argumentum, quòd Arnoldus quidam Brixiensis, de quo supra dictum est, sub typo religionis, & ut Evangelicis verbis utar, sub ovina pelle lupum gerens, Urbem ingressus, ad factionem istam rudis populi animis præmolli dogmate ad animositatem accensis, innumeram post se duxit, imò seduxit multitudinem. Arnaldus iste ex Italia civitate Brixia oriundus, ejusdemque Ecclesiæ Clericus, ac tantùm Lector ordinatus, Petrum Abailardum olim præceptorem habuerat. Vir quidem naturæ non hebetis, plus tamen verborum profluvio, quàm sententiarum pondere copiosus. Singularitatis amator, novitatis cupidus: cujusmodi hominum ingenia ad fabricandas hæreses, schismatumque perturbationes sunt prona. Is à studio à Gallis in Italiam revertens, religiosum habitum, quo ampliùs decipere posset induit, omnia lacerans, omnia rodens, nemini parcens. Clericorum ac Episcoporum derogator, Monachorum persecutor, laicis tantùm adulans. Dicebat enim nec Clericos proprietatem, nec Episcopos regalia, nec Monachos possessiones habentes, aliqua ratione salvari posse. Cuncta hæc Principis esse, ab ejusque beneficentia in usum tantùm laicorum cedere oportere. Præter hæc de Sacramento Altaris, Baptismo parvulorum non sanè dicitur sensisse. His aliisque modis, quos longum est enumerare, dum Brixiensem Ecclesiam perturbaret, laicisque terræ illius prurientes erga Clerum aures habentibus, Ecclesiasticas malitiosè exponeret paginas (13), in magno Concilio Romæ sub Innocentio habito, ab Episcopo civitatis illius, virisque religiosis accusatur. Romanus ergo Pontifex, ne perniciosum dogma ad plures serperet, imponendum viro silentium decernit: sicque factum est. Ita homo ille de Italia fugiens, ad transalpina se contulit: ibique in oppido Alemanniæ Turego officium Doctoris assumens, perniciosum dogma aliquot diebus seminavit. Comperta verò morte Innocentii, circa principia Pontificatus Eugenii, Urbem ingressus, cùm eam contra Pontificem suum in seditionem excitatam invenisset, viri sapientis haud sectatus consilium, de hujusmodi dicentis: *Ne in ejus ignem ligna struas*, ampliùs eam in seditionem excitavit: proponens antiquorum Romanorum exempla, qui ex Senatus maturitatis consulto, & ex juvenum animorum fortitudinis ordine & integritate, totum orbem terræ suum fecerint. Quare reædificandum Capitolium, renovandam dignitatem Senatoriam, reformandum equestrem ordinem docuit. Nihil in dispositione Urbis ad Romanum spectare Pontificem, sufficere sibi Ecclesiasticum judicium debere. In tantum verò hujus venenosæ doctrinæ cœpit invalescere malum, ut non solùm nobilium Romanorum, seu Cardinalium diruerentur domus, & splendida palatia: verùm etiam de Cardinalibus Reverendæ personæ, inhonestè sauciatis quibusdam, à furenti plebe tractarentur. Hæc & his similia cùm multis diebus, idest, à morte Cœlestini, usque ad hæc ab eo incessanter & irreverenter agerentur tempora, cùmque sententiâ Pastorum justè in eum, & canonicè prolatâ, ejus judicio tanquam omnino auctoritatis vacua, contemnerentur: tandem in manus quorundam incidens, in Tusciæ finibus captus, Principis examini reservatus est, & ad ultimum à Præfecto Urbis ligno adactus, ac rogo in pulverem redacto funere, ne à stolida plebe corpus ejus venerationi haberetur, in Tyberim sparsus.

Sed ut ad id, unde digressus est stylus, redeat, junctis sibi in Comitatu rerum apicibus, ac per aliquot dies unà procedentibus, quasi inter spiritalem Patrem & Filium dulcia miscentur colloquia, & tanquam ex duabus principalibus Curiis unâ Republicâ effectâ, Ecclesiastica simul & secularia tractantur negotia.

CAP. XXII.

De Legatis Romanorum, & eorum legatione, & quale responsum à Principe acceperint. Item qualiter hortatu Summi Pontificis Leoninam urbem, & Ecclesiam Sancti Petri Princeps occupari fecerit.

At Romanorum cives de Principis adventu cognoscentes prætentandum ipsius animum legatione adjudicarunt. Ordinatis ergo legatis industriis & literatis, qui eum inter Sutrium & Romam adirent, accepto priùs de securitate viatico, sicque præsentatis Regalis Excellentiæ consistorio viris, taliter adorsi sunt:

„ Urbis Legati nos, Urbis non parvum momentum, Rex optime, ad tuam à Senatu Populoque Rom. destinati sumus Excellentiam. Audi serena mente, benignis auribus, quæ tibi ab alma orbis Domina deferuntur Urbe, cujus in proximo, adjuvante Deo, futurus es Princeps, Imperator, & Dominus. Pacificus si venisti, imò quia ut arbitror, venisti, gaudeo. Orbis Imperium affectas, coronam præbitura gratanter assurgo, jocanter occurro. Cur enim suum visitaturus populum non pacificè adveniret, non gloriosa munificentia respiceret, qui indebitum Clericorum excussurus jugum, ipsius magna ac diutina expectatione præstolatus est adventum? Revertantur opto pristina tempora, redeant rogo inclytæ Urbis privilegia, orbis Urbs sub hoc Principe recipiat gubernacula, refrenetur hoc Imperatore, ac ad Urbis reducatur Monarchiam orbis insolentia. Tali rector Augusti sicut nomine, sic induatur & gloria. Scis quòd urbs Roma ex Senatoriæ dignitatis sapientia, ac equestris ordinis virtute & disciplina, à mari usque ad mare palmites extendens, non solùm ad terminos orbis dilatavit, quinetiam Insulas extra orbem positas orbi adjiciens, Principatus illic propagines propagavit. Non illos procellosi fluctus „ æquo-

(13) C. MS. personas.

„ æquorum, non hos ſcopuloſæ & inacceſſi-
„ biles rupes Alpium tueri poterant, Roma-
„ na virtus indomita cuncta perdomuit. Sed
„ exigentibus peccatis, longè poſitis à nobis
„ Principibus noſtris, nobili illo antiquitatis
„ inſigni, Senatum loquor, ex inerti quorun-
„ dam deſidia neglectui dato, dormitante pru-
„ dentia, vires quoque minui neceſſe fuit.
„ Aſſurrexi tuæ, ac divæ Reipublicæ profu-
„ turum gloriæ, ad ſacrumſanctum Urbis Se-
„ natum, equeſtremque ordinem inſtauran-
„ dum, quatenus hujus conſiliis, illius armis,
„ Romano Imperio, tuæque perſonæ, antiqua
„ redeat magnificentia. Nunquid hoc placere
„ non debebit tuæ nobilitati? Nonne etiam
„ remunerabile judicabitur tam inſigne faci-
„ nus, tamque tuæ competens auctoritati?
„ Audi ergo Princeps patienter & clementer
„ pauca de tua, ac de mea juſtitia, priùs ta-
„ men de tua, quàm de mea. Etenim:

Ab Jove Principium &c.

„ Hoſpes eras, civem feci. Advena fuiſti ex
„ tranſalpinis partibus, Principem conſtitui.
„ Quod meum jure fuit, tibi dedi. Debes
„ itaque primò ad obſervandas meas bonas
„ conſuetudines, legeſque antiquas, mihi
„ ab anteceſſoribus tuis Imperatoribus idoneis
„ inſtrumentis firmatas, ne barbarorum vio-
„ lentur rabie, ſecuritatem præbere: officia-
„ libus meis, à quibus tibi in Capitolio ad-
„ clamandum erit, uſque ad quinque millia
„ librarum expenſam dare, injuriam à Repub.
„ etiam uſque ad effuſionem ſanguinis propel-
„ lere, & hæc omnia privilegiis munire, ſa-
„ cramentique interpoſitione (14) propria ma-
„ nu confirmare.

Ad hæc Rex tam ſuperbo, quàm inuſitato orationis tenore, juſta indignatione inflammatus, curſum verborum illorum de ſuæ Reipublicæ ac Imperii juſtitia, more Italico longa continuatione, periodorumque circuitibus ſermonem producturum interrupit, & cum corporis modeſtia, oriſque venuſtate regalem ſervans animum, ex improviſo non improviſè reſpondit:

„ Multa de Romanorum ſapientia, ſeu for-
„ titudine hactenus audivimus, magìs tamen
„ de ſapientia. Quare ſatìs mirari non poſſu-
„ mus, quòd verba veſtra plus arrogantiæ tu-
„ more inſipida, quàm ſale ſapientiæ condita
„ ſentimus. Antiquam tuæ proponis Urbis
„ nobilitatem, divæ tuæ Reipublicæ veterem
„ ſtatum ad ſydera ſuſtollis. Agnoſco, agno-
„ ſco, ut & tui Scriptoris verbis utar: fuit,
„ fuit quondam in hac Republica virtus.
„ Quondam dico, atque ò utinam tam vera-
„ citer, quàm libenter nunc dicere poſſemus.
„ Senſit Roma tua, imò & noſtra viciſſitudi-
„ nes rerum. Sola evadere non potuit, æter-
„ na lege ab auctore omnium ſancitam cun-
„ ctis ſub lunari globo degentibus ſortem.
„ Quid dicam? Clarum eſt qualiter primò
„ nobilitatis tuæ robur ab hac noſtra Urbe
„ tranſlatum ſit ad Orientis urbem regiam,
„ & per annorum curricula, ubera delitiarum
„ tuarum Græculus eſuriens ſuxerit. Super-
„ vênit Francus, verè nomine & re nobilis,
„ eamque quæ adhuc in te reſidua fuit, inge-
„ nuitatem fortiter eripuit. Vis cognoſcere
„ antiquam tuæ Romæ gloriam Senatoriæ di-
„ gnitatis gravitatem, tabernaculorum diſpo-
„ ſitionem, equeſtris ordinis virtutem & diſci-
„ plinam, ad conflictum procedentis inteme-
„ ratam ac indomitam audaciam? Noſtram
„ intuere Rempublicam. Penes nos cuncta
„ hæc ſunt. Ad nos ſimul omnia hæc cum
„ Imperio dimanarunt. Non ceſſit nobis nu-
„ dum Imperium: virtute ſua amictum vênit,
„ ornamenta ſua ſecum traxit. Penes nos ſunt
„ Conſules tui: penes nos eſt Senatus tuus: pe-
„ nes nos eſt miles tuus. Proceres Francorum
„ ipſi te conſilio regere, Equites Francorum ipſi
„ tuam ferro injuriam propellere debebunt.
„ Gloriaris me per te vocatum eſſe, me per te
„ primò civem, poſt Principem factum, quod
„ tuum erat à te ſuſcepiſſe. Quæ dicti novitas
„ quàm ratione abſona, quàm veritate vacua
„ ſit, æſtimationi tuæ, prudentumque relin-
„ quatur arbitrio. Revolvamus modernorum
„ Imperatorum geſta, ſi non divi noſtri Prin-
„ cipes Carolus & Otto, nullius beneficio
„ traditam, ſed virtute expugnatam Græcis,
„ ſeu Longobardis Urbem, cum Italia eri-
„ puerint, Francorumque appoſuerint termi-
„ nis. Docet hæc Deſiderius & Berengarius
„ tyranni tui, in quibus gloriabaris, quibus
„ tanquam Principibus innitebaris. Eos à Fran-
„ cis noſtris non ſolùm ſubactos & captos
„ fuiſſe, ſed & in ſervitute ipſorum conſe-
„ nuiſſe, vitam finiſſe, vera relatione didici-
„ mus. Cineres ipſorum apud nos reconditi,
„ evidentiſſimum hujus rei repræſentant indi-
„ cium. Sed dicis: Vocatione mea veniſti.
„ Fateor, vocatus fui. Redde cauſam quare
„ vocatus fuerim. Ab hoſtibus pulſabaris,
„ nec propria manu, Græcorumve mollitie
„ liberari poteras. Francorum virtus invita-
„ tione adſcita eſt. Implorationem potiùs
„ quàm vocationem hanc dixerim. Imploraſti
„ miſera felicem, debilis fortem, invalida va-
„ lidum, anxia ſecurum. Eo tenore vocatus,
„ ſi vocatio dicenda eſt, veni. Principem tuum
„ militem meum feci, teque deinceps uſque
„ in præſentiarum in meam ditionem tranſfu-
„ di. Legitimus poſſeſſor ſum. Eripiat quis
„ ſi poteſt clavam de manu Herculis. Siculus
„ in quo confidis, fortè hæc faciet? Ad prio-
„ ra reſpiciat exempla. Nondum facta eſt
„ Francorum, ſive Teutonicorum manus inva-
„ lida. Deo largiente, vitaque comite, &
„ ipſe temeritatis ſuæ quandoque capere po-
„ terit experimenta. Juſtitiam tuam, quam
„ tibi debeam, exquiris. Taceo quòd Prin-
„ cipem populo, non populum Principi leges
„ præſcribere oporteat. Prætermitto quòd
„ quilibet poſſeſſor poſſeſſionem ſuam ingreſ-
„ ſurus, nullum conditionis præjudicium pati
„ debeat. Ratione contendamus. Proponis,
„ ut mihi videtur, trium ſacramentorum
„ exactionem. De ſingulis reſpondeo. Dicis
„ me debere jurare, ut leges anteceſſorum
„ meorum Imperatorum, eorum privilegiis
„ tibi firmatas, & bonas conſuetudines tuas
„ obſervem. Apponis etiam, quòd patriæ
„ uſque ad periculum capitis tuitionem ju-
„ rem. Ad iſta duo ſimul reſpondeo. Ea quæ
„ poſtulas, aut juſta ſunt, aut injuſta. Si in-
„ juſta ſunt, nec tuum erit poſtulare, nec
„ meum concedere. Si juſta, recognoſco me
„ hæc & debendo velle, & volendo debere.
„ Quare ſuperfluum erit voluntario debito, &
„ debitæ voluntati ſacramentum apponere.
Quo-

(14) C. MS. Sacramentiſque interponere.

„ Quomodo enim tibi tuam justitiam infringerem, qui quibuslibet infimis etiam quod suum est, servare cupio? Quomodo patriam, & præcipuè Imperii mei sedem, usque ad periculum capitis non defenderem, qui & ipsius terminos non sinè ejusdem periculi æstimatione, quantum est in me, restaurare cogitaverim? Experta est hoc Dania nuper subacta, Romanoque reddita orbi, & fortasse plures Provinciæ, pluraque sensissent regna, si præsens negotium non impedisset. Ad tertium venio Capitulum. Affirmas pro pecunia quadam juramentum præberi à mea deberi persona. Proh nefas! A tuo Roma exigis Principe, quod quilibet lixa potiùs petere deberet ab institore. A captivis hæc penes nos exiguntur. Num in captivitate detineor? Num vinculis hostium urgeor? Nonne multo & forti stipatus milite inclytus sedeo? Cogetur Princeps Romanus contra suam voluntatem cujuslibet præbitor esse, non largitor? Regaliter & magnificè hactenus mea cui libuit, & quantum decuit, & præcipuè bene de me meritis dare consuevi. Sicut enim à minoribus debitum rite expetitur obsequium: sic à majoribus meritum justè rependitur beneficium: hunc quem alibi à divis parentibus meis acceptum servavi morem, civibus cur negarem? Urbemque meo introitu lætam non facerem? Sed meritò non justa injustè petenti cuncta justè negantur.

Hæc dicens, & non sinè condigna mentis indignatione orationem terminans, conticuit. Porrò quibusdam ex circumstantibus inquirentibus ab his, qui missi fuerant, an plura dicere vellent, paulisper deliberantes in dolo responderunt, se priùs ea quæ audierant, concivibus suis referre, & tunc demum ex consilio ad Principem redire velle. Sic accepto commeatu, à Curia egredientes, ad Urbem cum festinatione revertuntur. Rex dolum præsentiens, consulendum super hoc negotio patrem suum Romanum Pontificem decernit. Cui ille: *Romanæ plebis fili, adhuc meliùs experieris versutiam. Cognosces enim in dolo eos venisse, & in dolo redisse. Sed Dei nos adjuvante clementia, dicentis: Comprehendam sapientes in astutia sua, prævenire eorum poterimus versutas insidias. Maturatò igitur præmittantur fortes & gnari de exercitu juvenes, qui Ecclesiam Beati Petri, Leoninumque occupent castrum. In præsidiis equites nostri ibi sunt, qui eos, cognita voluntate nostra, statim admittent. Præterea Octavianum Cardinalem Presbyterum, qui de Nobilissimo Romanorum descendit sanguine, fidelissimum tuum, eis adjungemus.* Sicque factum est. Eliguntur proxima nocte penè usque ad mille armatorum equitum lectissimi juvenes, summoque diluculo Leoninam intrantes urbem, Ecclesiam Beati Petri, vestibulum & gradus occupaturi, observant. Redeunt ad castra nuncii hæc læta reportantes.

CAP. XXIII.

Quomodo Rex in eadem Ecclesia Sancti Petri Coronam Imperii acceperit: & de excursu Romanorum, & clade ac victoria Imperatoris.

Sole orto, transactâ jam primâ horâ, præcedente cum Cardinalibus & Clericis Summo Pontifice Adriano, ejusque adventum in gradibus præstolante, Rex castra movens, armatus cum suis per declivum montis Gaudii descendens, eâ portâ, quam auream vocant, Leoninam urbem, in qua Beati Petri Ecclesia sita noscitur, intravit. Videres militem tam armorum splendore fulgentem, tam ordinis integritate decenter incedentem, ut rectè de illo dici posset: *Terribilis ut castrorum acies ordinata*: (*Cant. 6.*) & illud Machabæorum, *Refulsit Sol in clypeos aureos & æreos, & resplenduerunt montes ab eis.* (*1. Mach. 6.*) Mox Princeps ad gradus Ecclesiæ Beati Petri veniens, à Summo Pontifice honorificè susceptus, ac usque ad confessionem Beati Petri deductus est. Dehinc celebratis ab ipso Papa Missarum solennibus, armato stipatus Rex milite, cum benedictione debita Imperii Coronam accepit, Anno Regni sui IV. Mense Junio, XIV. Kal. Julii cunctis, qui aderant, cum magna lætitia acclamantibus, Deumque super tam glorioso facto glorificantibus. Interim à suis pons, qui juxta castrum Crescentii ab urbe Leonina usque ad ingressum ipsius extenditur Urbis, ne à furente populo celebritatis hujus jucunditas interrumpi posset, servabatur. Peractis omnibus, Imperator cum Corona solus equum phaleratum insidens, cæteris pedes euntibus, per eandem, qua introierat, portam ad tabernacula, quæ ipsis muris adhærebant, revertitur. Romano Pontifice in palatio, quod juxta Ecclesiam habebat, remanente.

Dum hæc agerentur, Romanus populus cum Senatoribus suis in Capitolio convenerant. Audientes autem Imperatorem sinè sua adstipulatione Coronam Imperii accepisse, in furorem versi, cum impetu magno Tyberim transeunt: ac juxta Ecclesiam Beati Petri procurrentes, quosdam ex stratoribus, qui remanserant, in ipsa sacrosancta Ecclesia necare non timuerunt. Clamor attollitur. Audiens hæc Imperator, militem ex æstus magnitudine, sitisque ac laboris defatigatione recreari cupientem, armari jubet. Festinabat eo ampliùs, quo timebat furentem plebem in Romanum Pontificem Cardinalesque irruisse. Pugna conferitur ex una parte juxta castrum Crescentii cum Romanis, ex altero latere juxta piscinam cum Transtyberinis. Videres nunc hos istos versùs castra propellere, nunc hos illos ad pontem usque repellere (15). Adjuvabantur nostri, quòd à castro Crescentii saxorum ictibus, seu jaculorum non lædebantur spiculis. Mulieribus etiam, quæ in spectaculis stabant, suos (ut ajunt) adhortantibus, ne propter inertis plebis temeritatem tam ordinatum equitum decus, ab his, qui in arce erant, prædictis modis sauciaretur. Dubia itaque sorte dum diu ab utrisque decertaretur, Romani tandem atrocitatem nostrorum non ferentes, coguntur cedere. Cerneres nostros tam immani-

(15) nunc hos illos ad pontem usque repellere *In MSto hæc non habentur.*

niter quàm audacter Romanos cædendo sternere, sternendo cædere, ac si dicerent: Accipe nunc Roma pro auro Arabico Teutonicum ferrum. Hæc est pecunia, quam tibi Princeps tuus pro tua offert Corona. Sic emitur à Francis Imperium. Talia tibi à Principe tuo tibi redduntur commercia, talia præstantur juramenta. Prælium hoc à decima penè diei hora usque ad noctem protractum est. Cæsi fuerunt ibi, vel in Tyberi mersi penè mille, capti ferme ducenti, sauciati innumeri, cæteri in fugam versi, uno tantùm ex nostris (mirum dictu) occiso, uno capto. Plus enim nostros intemperies cœli, æstusque illo in tempore maximè circa Urbem immoderatior, quàm Romanorum lædere poterant arma.

CAP. XXIV.

Imperator regressus ab Urbe, quò diverterit, & quid fecerit. De eversione Spoleti. De Legatis & muneribus Græcorum, & quos Imperator remiserit.

Finito tam magnifico triumpho, Imperator ad castra rediit, ibique & se & suis, fessa lectulis recipientibus membra, nocte illa conquievit. Altera die cùm mercatum à civibus amaricatis habere non posset, laborantem ciborum inedia militem ad superiora duxit, ac paulisper ad campi planitiem procedens, tentoria locavit. Dehinc juxta montem Soractem, in quo Beatum Sylvestrum olim persecutionem fugientem tradunt latuisse, Tyberim transvadans, in quadam valle campi viriditate amœna, cujusdam amnis cursu conspicua, non longè à civitate Tyburto, militem tam crebris laboribus defatigatum, aliquantum quiescere permisit. Adventabat toti Ecclesiæ, & præcipuè Romanæ Urbis Pontifici & Imperatori venerabile festum Petri & Pauli. Ea ergo die Missam Adriano Papa celebrante, Imperator coronatur. Tradunt Romanorum ibi Pontificem inter Missarum solennia cunctos, qui fortasse in conflictu cum Romanis habito sanguinem fuderant, absolvisse: allegationibus usum, eo quòd miles proprio Principi militans, ejusque obedientiæ astrictus, contra hostem Imperii dimicans, sanguinem fundens, jure tam poli quàm fori, non homicida, sed vindex affirmetur. Inde castra movens, inter Urbem & Tusculanum resedit.

Jam tempus imminebat, quo Canis, ad morbidum pedem Orionis micans exurgere deberet. E vicinis stagnis, cavernosisque, ac ruinosis circa Urbem locis tristibus erumpentibus & exhalantibus nebulis, totus vicinus crassatur aër, ad hauriendum mortalibus lethifer, ac pestilens. Urgebatur hoc incommodo in Urbe civis, hoc tempore ad montana consuetus fugere: in castris miles, tanta desuetus aëris intemperie. Nec dubium quin civis ad obedientiam Pontifici, ad deditionem Principi suo venisset, si miles extra tantum incommodum pati potuisset. Verùm innumeris hac cœli corruptione in morbos gravissimos incidentibus, Princeps dolens ac nolens, suisque tantùm morem gerens, ad vicina montana transferre cogitur tabernacula. Itaque proximum ascendens Apenninum super Nar fluvium, de quo Lucanus:

Sulphureas Nar albus aquas, ...

tentoria fixit, circa Tyburtum à Romano Pontifice relictis sibi captivis, divisus. Ibi per aliquot dies manens, acceptoque prudentum consilio, corruptum quem biberant aërem pharmacis propellendum, exercitum quantum poterat (16) recreavit.

Peractis ibi aliquot diebus, cùm Fodrum à vicinis civitatibus, & castellis, & oppidis exquireretur, Spoletani indignationem Principis incurrunt. Dupliciter enim peccaverant, cùm DCCC. librarum facti essent obnoxii, partim defraudando, partim salsam monetam dando. Adauxit hujus indignationis cumulum, quòd Guidonem Comitem, cognomento Guerram, inter omnes Tusciæ proceres opulentiorem, de Apulia in legatione Imperatoris ad ipsum redire volentem, in sua civitate hospitatum comprehendere, captumque tenere ausi sint. Quodque his pejus erat, præceptum Principis, eum relaxari jubentis, contempserunt. Imperator ergo plus de captivitate Proceris sui, quàm de fraudatione pecuniæ motus, in Spoletanos transtulit arma. Illi murorum ambitu, altissimarumque turrium muniminis multitudine non contenti (17), extra muros cum fundibulariis & sagittariis egressi, occurrendum Principi putantes, quos poterant percutiebant, & quos poterant figebant. Videns hoc Princeps: Ludus, ait, hic puerorum, non virorum videtur concertatio. Dixit: suosque fortiter in adversarios ruere jubet. Quo sinè mora facto, vallorumque obstaculis, tanquam plano ex ferventium animorum fortitudine transmissis, cæduntur Spoletani, ac aliquandiu viriliter resistentes cedere coguntur. Urbis refugio se recipere volentibus, miles qui à tergo imminebat, simul recipitur, fortuna juvante virtutem. Civitas direptioni datur, & antequam asportari usui hominum pro futura possent, à quodam apposito igne concrematur. Cives qui ferrum flammamque effugere poterant in vicinum montem seminudi, vitam tantùm servantes, se recipiunt. Protendebatur conflictus iste à tertia usque ad nonam. Nullus in illa concertatione privatus Principe strenuior: nullus nec gregarius miles ad sumenda arma promptior: nullus ad periculorum exceptionem nec conductitius eo paratior. Denique ea ex parte qua Majoris Ecclesiæ Pontificalem Sedem versùs ex convexo montis inaccessibilior civitas videbatur, ipse non solùm suos ad assultum adhortatione urgebat, minis cogebat, verùm etiam aliis exempla præbebat, non sinè maximo periculo montem in propria persona ascendens, eamque irrupit. Transacto Spoletanorum excidio, Princeps ea nocte ibi victor remansit. Postera die, eo quòd ex adustione cadaverum totus in vicino corruptus aër intolerabilem generaret nidorem, ad proxima exercitum transtulit loca, duobus diebus ibi manens, donec igni residua in usus exercitus, non miserorum Spoletanorum cederent spolia.

Post hæc ad maritima Adriatici æquoris loca procedit exercitus. Ibi in confiniis Anconæ Imperator castra ponens, Palæologum (quod nos *veterem sermonem* dicere possumus) nobilissimum Græcorum, regalisque sanguinis procerem, & Marodocum egregium virum ex parte Principis sui Constantinopolitani venientes, muneraque non parva deferentes obvios ha-

(16) quantum poterat *abest à MSto*.

(17) C. MS. conterriti.

habuit. Quibus auditis, causâque viæ cognitâ, per aliquot dies secum detinuit. Dehinc accepto Principum, qui cum ipso erant, consilio, Guibaldum Corbejensem, simul & Stabulensem Abbatem regalem, virum prudentem, ac in Curia magnum, in Græciam, legatione ipsius ad Regiæ urbis Principem functurum, destinavit.

CAP. XXV.

Quomodo exules Apuliæ terram suam receperunt, & quomodo Imperator propter nimiam intemperiem aëris multis extinctis, invitus ad transalpina ire cogitur, & quibus viis singuli Principes redierunt.

INter hæc Princeps Capuæ, Andreas Apuliæ Comes, cæterique ejusdem Provinciæ exules, Campaniam & Apuliam cum legatione Imperatoris ingredientes, civitates, castella, cæteraque, quæ olim habebant municipia, sinè contradictione recipiunt: accolis terræ putantibus Imperatorem è vestigio ipsos subsecuturum. At Princeps diu cum proceribus, majoribusque de exercitu consultans, plurimùm ad inclinandos animos eorum, ut in Apuliam descenderent, laboravit. Verùm excandescente ampliùs in exercitum canis rabie, vixque aliquibus residuis, qui æstus fervore, & aëris intemperie corruptionem non sentirent, sauciatis quoque de civitatum, castellorum, oppidorum expugnatione pluribus, nonnullisque extinctis, non sinè cordis amaritudine ad transalpina redire cogitur. Igitur signo dato, cunctis ad patriam licentia repedandi conceditur. Intrabant alii naves per Adriaticum æquor, ac insulam, quæ modò Venetia dicitur, ad propria reversuri. Inter quos Primates fuere. Peregrinus Aquilejensis Patriarcha, Eberhardus Babenbergensis Episcopus, Bertolfus Comes, Henricus Carentanorum Dux, Odoacer Stirensis Marchio. Alii ad Occidentales partes Longobardiæ, nonnulli per Montem-Jovis, alii per vallem Moriannæ transituri carpebant iter. Complures adhuc Imperatori adhærebant. Fridericus itaque victor inclytus, triumphator, ab Anconensium territorio castra movens, per Senogalliam, ubi Senones Gallos olim Romani mansisse autumant, Fanum & Imolam transiens, Apennino transmenso, in plano ulterioris Italiæ juxta Bononiam super Rhenum resedit. Inde per planam Italiam transmisso, juxta Beati Benedicti cœnobium (18) navibus Eridano ad campestria Veronensium revertitur, circa principia mensis Septembris.

CAP. XXVI.

De dolo Veronensium ad pontem super Athesim. Item de insidiis eorum in arcto montis: quomodo item victi & capti.

ESt autem antiqua Veronensium consuetudo, & quasi longinquo Imperatorum utuntur privilegio, ut Principes Romanorum seu ad Urbem ex transalpinis partibus venientes, seu inde redeuntes, ne per ipsorum civitatem veniendo depopulationi subjaceant, paulisper sursum à civitate per pontem navibus ab eis factum, Athesim transeant. Hunc morem Veronenses fraudulenter secuti, pontem quidem ex navibus fecerant, sed ex ligamentorum tenaculis tam debilem, ut potiùs muscipulam quàm pontem diceres. Alio itidem commento pernitioso usi fuerant. Ex superioribus amnis partibus validas lignorum strues in plures congesserant fasces, quatenus per hoc hujus rei ignarum deciperent militem: idest, ut postquam altera pars transiret, altera ponte per hæc diabolica machinamenta dirupto remaneret, ipsi in alteros irruerent; inciderunt iniqui in foveam, juxta Scripturam, quam fecerunt. Denique, nutu Dei, saluti Principis exercitusque sui prævidentis, factum est, ut & miles periculosè, sinè damno tamen, transiret, & prædictæ strues supervenientes ponte diruto quosdam ex hostibus, qui exercitum subsecuti fuerant, eodem quo venerant meatu reverti se putantes, interciperent. Qui mox omnes sicut traditores trucidati sunt. Ea nocte fessus laboribus in vicino resedit miles.

Erant in imminenti fauces montium, saxumque fortissimum prope in declivo rupis inaccessibilem servans viam. Oportebat per de subtus exercitum transire. Talis est enim ibi natura locorum. Ex una parte labitur Athesis fluvius invadabilis, ex altera prærupta montis præcipitia viam stringunt, & vix semitam artissimam faciunt. In hac arce, quodam Alberico Nobili Veronensium equite auctore, latrunculorum prædandi causâ convolaverat multitudo. Igitur adventante exercitu, quidam ex eis, qui ea die, qua Athesis transmissa est, transire cupiebant, pacificè ex industri dolo angustias à latronibus transpedare permittuntur. Venientibus sequenti luce aliis, latrones ad saxorum moles currunt, transmeandi facultatem præpediunt. Principem ea latêre non poterant. Erant adhuc in comitatu suo duo Veronensium civium Illustres equites, qui eum ad Urbem profecuti, ac inde usque ad præsentem locum secuti fuerant, Garzabanus, & Isaac. Hos Princeps ad prædictos latrones destinandos putavit, ut ita communicato concivium suorum consilio, à cœpta faciliùs desisterent malitia. Illi eos nec audire, sed ictibus propellere: Imperator rursum aliis eò destinatis, illos ab incœpto desistere jubet. At illi in pertinaci obstinatione sua remanentes, lapides itidem jactare cœperunt, dicentes: Imperatorem ibi nunquam transiturum, nisi à singulis equitibus loricam vel equum haberent, & insuper non modicam pecuniam à Principe. Audiens hæc Imperator: Dura est, inquit, hæc conditio, durum est latroni Principem tributa persolvere? Quid faceret? quò se verteret? flumen transvadaret? ad transvadandum aptus natura renitente non erat. Ingenio transiret? pons dirutus fuit. Civitatem versùs descenderet? sed & ibi mons ad flumen se stringens, clausuram fecerat, quam Veronensium præsidia observabant. Ad consueta priorum virtutum se vertit insignia. Oportebat enim, qualicunque prædictam arcem expugnari ingenio. Jubet sarcinas deponi, tentoria quasi erigi, ac si eadem ibidem nocte figenda forent tabernacula. Hîc, inquit, tanquam patriæ nobis arridente vestibulo, tot decursis periculis laborum

(18) C. MS. Cœnobium ponte de navibus.

rum nostrorum consummationem, hîc habebimus. Sic suos alloquens, ac si illo Vergiliano uteretur:

O socii, neque enim ignari sumus ante malorum,
O passi graviora, dabit Deus his quoque finem.
Forsan & hæc olim meminisse juvabit.

omnes armari jubet. Deinde, vocato Garzabano & Isaac, de situ locorum, quove aperiri possit via ingenio, inquirendo solerter edoceri petit. At illi: Cernis eam quæ super arcem dependet rupem, eminentia sua terribilem, & fragosis locis, saxorumque asperitate quasi inaccessibilem? Illam nisi fortè ab eis observetur, si incautis præcidere poteris, propositum tenebis. Nec mora, mittuntur cum Ottone vexillifero quasi ducenti lectissimi juvenes armati. Illi per devia sylvarum & montium, per concava & confragosa Alpium oberrando loca, tandem cum multo sudore ad prædictam perveniunt rupem. Quæ dum quasi ferro abscissa, nullum ascendendi aditum militi offerret, curvatur alius, ut socium dorso levet, alius ad erigendum commilitonem suum humeros præbet, post hæc de hastis facientes scalam (nam gravabatur admodum hac naturali ut ita dicam scala armatus eques) cuncti ad summitatem perveniunt rupis. Exeritur ab Ottone Imperatoris vexillum, quod ab eo priùs latenter gestabatur. Hoc signo tanquam victoriam præsagiente, clamor & cantus attollitur: exercitus qui in valle manebat, ad assultum properat. Latrunculi hujus rei incauti, putabant enim prædictam rupem cunctis mortalibus inpermeabilem, solis avibus perviam fore, viso quòd ex infernis & supernis urgerentur locis, desperatione corripiuntur, fugamque moliuntur: sed fugæ locus non erat. Quicunque enim ex eis præcipitii præsidio se committeret, ex collisione hincinde saxorum confractus, membratimque discerptus, antequam ad solum perveniret, animam in inani ponebat. Tanta erat saxi eminentia, tanta fuit hispidæ rupis scabrosa malitia. Quid plura? Uno autem solo (19), qui cavernosis locis absconsus, delitescens mortem evasit, cæteri omnes obtruncantur, duodecim cum Alberico captis, ac ad supplicium reservatis. Erant penè omnes qui deprensi in vinculis tenebantur, equestris ordinis.

Præsentatis igitur prædictis viris Principi, ad patibulique supplicia adjudicatis, unus ex eis inquit. Audi, Imperator nobilissime, miserrimi hominis sortem. Gallus ego natione sum, non Lombardus, ordine quamvis pauper eques, conditione liber: casu, non industria his latronibus adjunctus, pro resartienda familiaris rei penuria. Promiserunt se ducturos me ad loca talia, ubi mea posset relevari inopia. Credidi miser, consensi credulus, ductus sum ab iniquis, & seductus ad hæc infortunia. Quis enim in quolibet mortalium tam præcipitatæ mentis speraret insaniam, tam furentis animi expectaret audaciam? Quis à proprio cliente has suo Principi Urbis & Orbis dominatori necti crederet insidias? Parce Princeps, parce misero, parce miserabiliter seducto. Hunc solum Imperator gloriosus de cæteris sententia mortis eripiendum decrevit. Hoc ei tantùm pro pœna imposito, ut funibus cervicibus singulorum appositis, ligni supplicio commilitones plecteret. Sicque factum est. Non illis miserrimis profuit multa, quam pro vita redimenda promittebant pecunia. A districto judice patibulo adpensi sunt. Cæteri omnes, qui per decliva montium dispersi jacebant, ut cunctis transeuntibus temeritatis suæ præberent documenta, in ipsa via in cumulos acti. Fuerunt autem, ut dicitur, quasi quingenti.

CAP. XXVII.

De fœlici exitu Principis in Bajoariam.

PRinceps transitis locorum angustiis, jam cunctis emensis periculis nocte illa in Tridentinorum territorio castra lætus locavit. Dehinc per Tridentum, vallemque Tridentinam transiens, ad Bauzanum usque pervênit. Hæc villa in termino Italiæ, Bajoariæque posita, dulce vinum, atque ad vehendum in exteras regiones naturale Noricis mittit. Inde multis se ad propria dispergentibus domicilia, per Brixinoram iter agens, ad Bajoariæ planitiem eodem ferme quo inde egressus fuerat tempore, vertente anno rediit. Hæc de expeditionis processu, & proventu pauca de multis enarrasse sufficiat. Neque enim cuncta ibi fortiter gesta à nobis ea ordinis integritate, stilique urbanitate dici poterant, ac si oculis nostris illa vidissemus. Nam antiquorum mos fuisse traditur, ut illi, qui res ipsas prout gestæ fuerunt, sensibus perceperant, earundem scriptores existerent. Unde & historia ab ἱστορεῖν, quod in græco *videre* sonat appellari consuevit. Tanto enim quisque ea quæ vidit, & audivit, pleniùs edicere poterit, quanto nullius gratia egens, hac illacque ad inquisitionem veritatis non circumfertur dubiè anxius, & anxiè dubius. Durum siquidem est scriptoris animum, tanquam proprii extorrem examinis, ad alienum pendere arbitrium.

CAP. XXVIII.

Imperator patruum suum hortatur ad transigendum cum Duce Saxoniæ.

IGitur consummato feliciter viæ labore, Princeps ad familiaria remeans domicilia, alloquitur in confinio Ratisponensium patruum suum Henricum Ducem, ut ei de transactione facienda cum altero Henrico, qui jam (ut dictum est) Ducatum Bajoariæ judicio Principum obtinuerat, persuaderet. Cui dum ille tunc non acquiesceret, iterum diem alium, quo eum super eodem negotio per internuncios conveniret, in Bajoaria versùs confinium Boëmorum constituit. Quò Princeps veniens, Labezlaum Ducem Boëmiæ, Albertum Marchionem Saxoniæ, Hermannum Palatinum Comitem Rheni, cum aliis viris magnis obvios habuit. Tantus etenim eos qui remanserant, ob ipsius gestorum magnificentiam, invaserat metus, ut omnes ultro venirent, & quilibet familiaritatis ejus gratiam obsequio contenderet invenire. Quantum etiam Italis timorem incusserit factorum ejus memoria, ex Legatis Veronensium perpendi potest, quod in proximo, Deo largiente, pleniùs dicendum erit. At cùm multis modis ad transigendum, nos, qui

(19) C. MS. uno, ut ajunt, solo.

qui mediatorum ibi vice fungebamur, operam daremus, infecto adhuc negotio, insalutati ab invicem separati sunt.

CAP. XXIX.

Quomodo apud Ratisponam Henricus in possessionem Bajoariæ Ducatus mittitur, & de controversia inter Moguntinum Archiepiscopum, & Hermannum Palatinum Comitem de Rheno, & qualiter Ratisponensis Episcopus Hardevicus in gratiam Principis redierit. Item de Legatis & excusatione Veronensium, ac eorundem reconciliatione, & qua satisfactione Moguntinus Archiepiscopus, & Palatinus Comes in pacem redierint.

POst hæc, mediante Octobre, Imperator Ratisponam Norici Ducatus Metropolim, Curiam celebraturus ingreditur, habens secum Henricum, Henrici Ducis filium, in possessionem ejusdem Ducatus mittendum. Hæc civitas super Danubium, qui unus trium famosissimorum fluminum in Europa à Topographis dicitur, ex ea parte qua prædicto amni duo navigabilia, Rhenus scilicet & Naba, illabuntur flumina, posita, eo quòd ratibus opportuna bonaque sit, vel à ponendo ibi rates, Ratisbona, vel Ratispona vocatur: Bajoariorum quondam Regum, modò Ducum sedes. Venerunt ad eam Curiam Arnaldus Moguntinus Archiepiscopus, & prædictus Hermannus Rheni Palatinus Comes, uterque alter de altero querimoniam facientes. Denique manente in Italia Principe, totum penè transalpinum Imperium seditionibus motum, ferro, flamma, publicisque congressionibus turbatum, absentiam sui sensit præsulis. Inter quos duo hi Principes tanto ad nocendum efficaciores, quanto fortiores, totam penè Rheni provinciam, & præcipuè Moguntinæ civitatis nobile territorium præda, cæde, & incendiis, commacularant. Igitur, sedente ibi in publico consistorio Imperatore, jam sæpe nominatus Henricus Dux possessionem suam, patrumque suorum recipit sedem. Nam & proceres Bajoariæ hominio & sacramento sibi obligantur, & cives non solùm juramento, sed etiam, ne ullam vacillandi potestatem haberent, vadibus obfirmantur.

Impetitur ibi Hardevicus, qui noviter per electionem Cleri & populi, & Metropolitani sui consecrationem, Pontificatum ejusdem civitatis acceperat. Regalia siquidem, quæ juxta rationes Curiæ, nulli Episcoporum militi, antequam de manu Principis suscipiantur, tradere licet, ipse hujus rei nescius, impræmeditatè morante adhuc in Italia Principe tradiderat, ob ea in causam positus, dum & factum inficiari, qualitatemve facti defendere nequit, compositionis incurrit noxam. Cæteri quoque qui ab eo susceperant, quique juxta suam conditionem & sortem, in plusve minusve, consimili pœna damnantur. Est enim lex Curiæ, quòd quisquis de ordine Principum Principis sui iram incurrens, compositionem persolvere cogatur, centum librarum debitor existat: cæteri minoris ordinis viri, sive ingenui, sive liberi, vel ministri, decem.

Ad eandem Curiam Episcopus Veronensis à populo suo ad Imperatorem destinatus vênit, habens secum prædictos duos equites, Garzabanum & Isaac. Qui cùm præsentiæ Principis admissus fuisset, inquit: *Princeps gloriosissime, fidelissimi tui Veronenses ad tuam destinaverunt nos magnificentiam. Neque enim ego, qui ejusdem civitatis quamvis indignus Episcopus vocor, priùs hanc legationem suscipere volui, donec omnibus in majore Ecclesia congregatis, tanquam Deo teste, ea quæ ore proferebantur, corde se tenere unanimiter assererent. Denique credendum non est, populum animi virtute præstantem, rerum abundantia pollentem, pastorem animarum suarum deceptionis bajulum facere. Alium invenire poterant fraudis idoneorem ministrum. Præterea hi mihi collegæ juncti sunt, quorum tu fidem in negotiis, fortitudinem in prœliis, proxima tua expertus es expeditione. Crede ergo Domine, crede quod dicimus. Populus tuus Veronensis, tuus est peculiaris populus, tibi tanquam Domino & Imperatori fideliter devotissimus, & devotè fidelissimus. Audierunt dum per eorum fines transires, quosdam latrunculos angustias viarum observare ausos fuisse: cognoverunt etiam te eosdem debita animadversione punisse. Audivit hæc Verona & lætata est. Non reputat suos cives Majestatis tuæ insidiatores. Absit ut suos cives putet, qui latrocinio inserviunt. Audivit rursum, unde non mediocriter indoluit, hujus te rei suspicionem de tua habere civitate. Ad hoc missi sumus. Quicunque hoc Tuæ insinuavit Serenitati, criminator fuit, aliena felicitate lividus. Delatorem eum scias, non cognitorem. Nunquid non sacramento fidelitatis tibi obligata est Verona? Nunquid cùm ab ea recederes, in tua non remansit gratia? Offenderetne sub bonæ fidei pallio per fidem Verona Principem, quæ hoc modo lædere non solet æqualem? Visne amplius? Sed si his credere non placet allegationum rationibus, excusat se super hoc facto Verona. Famam purgare, innocentiam probare, judicio Curiæ parata est coram Tuæ Majestatis excellentia. Recipiat ergo bonus Princeps devoti populi sui purgationem innocentiæ, & convertat indignationis suæ aculeos contra Mediolanensium & Romanorum superbiam.* Hac legatione accepta, Imperator cum Principibus consilium capit. Postea sicut cognovimus, in gratiam recepta est Verona. Nam & magnam pecuniam dedit, ac militiam, quam habere posset, contra Mediolanenses ducere sacramento firmavit.

Inde ad partes Rheni se conferens, proximum Natale Domini Vormatiæ celebravit. Ea namque regio, quam Rhenus nobilissimus fluvius, ex trium Europæ nominatissimorum fluviorum unus, intersecat, ex una ripa Galliæ, ex altera Germaniæ limes, in frumento & vino opima, venationibus & piscationibus copiosa. Habet enim ex parte Galliæ vicinum Vosagum & Ardennam, ex parte Germaniæ sylvas non mediocres, barbara adhuc nomina retinentes: in transalpinis manentes Principes diutissimè servare potest. Ad hanc Curiam Arnaldus Moguntinus Archiepiscopus, & Hermannus Palatinus Comes venientes, de hoc, quòd absente Principe terram illam (ut supra dictum est) præda & incendio perturbarant, in causam ponuntur: ambobusque cum complicibus suis reis inventis, alteri ob senii morumque gravitatem, & Pontificalis ordinis reverentiam parcitur, alter pœna debita plectitur. Denique vetus consuetudo pro lege apud Francos & Suevos inolevit, ut si quis nobilis, ministerialis, vel colonus, coram suo Judice pro hujusmodi excessibus reus inventus fuerit, an-

antequam mortis sententia puniatur, ad confusionis suæ ignominiam, nobilis canem, ministerialis sellam, rusticus aratri rotam (20) de Comitatu in proximum Comitatum gestare cogatur. Hunc morem Imperator servans, Palatinum istum Comitem, magnum Imperii Principem, cum decem Comitibus complicibus suis, canes per Teutonicum milliare portare coëgit. Hoc tam districto judicio per totam transalpini Imperii latitudinem promulgato, tantus omnes terror invasit, ut universi magis quiescere, quàm bellorum turbini inservire vellent. Accessit ad hujus tam magni boni augmentum, quòd Princeps circumquaque non impigrè discurrens, nonnullorum raptorum castra, munitiones, receptacula diruit, quosdam comprehensos capitali sententia plectendo, alios patibuli tormento torquendo: sola Bajoaria, propter prænominatam litem, hujus gratiæ particeps nondum fieri meruit.

CAP. XXX.

De obitu Arnaldi Coloniensis Archiepiscopi, & quòd Princeps prænominatos Duces ad concordiam revocare satagebat, & de nuptiis Imperatoris cum Beatrice, Reinaldi filia, Herbipoli celebratis; & quare. Item de Legatis à Græcia reversis, & quare Græcorum Legati ad præsentiam Imperatoris non admitterentur.

EOdem anno inter Pascha & Pentecosten Arnaldus Coloniensis Archiepiscopus, vir honestus, suæque Ecclesiæ reparator, diem obiit. Imperator ad Bajoariam rediens, dies Pentecostes in quodam castro Ottonis Palatini privatus erat. Proximâ dehinc feriâ tertiâ, non longè à civitate Ratispona patruum suum Henricum Ducem alloquens, ad transactionem cum altero itidem Henrico faciendam tunc demum inclinavit. Præponebat hoc Princeps omnibus eventuum suorum succéssibus, si tam magnos, sibique tam affines Imperii sui Principes, sinè sanguinis effusione in concordiam revocare posset. Sequenti dehinc hebdomada, in civitate Orientalis Franciæ Herbipoli, regio apparatu, multa Principum astipulatione, juncta sibi Beatrice Reinaldi Comitis filia, nuptias celebrat. Reinaldus iste de antiqua & illustri Burgundiorum prosapia originem trahens, illius Burgundiæ Comes dicebatur, quæ olim à Rudolfo Rege Imperatori Henrico Conradi filio, cum testamento relicta, Regnum erat. Hæc eadem Provincia est, à qua Conradus Dux, ejusque filius Bertolfus Duces vocari consueverunt. Quæ verò hujus disceptationis causa fuerit, paucis absolvam. Mos in illa, qui penè in omnibus Galliæ Provinciis servatur, remansit, quòd semper seniori fratri, ejusque liberis, seu maribus, seu fœminis, paternæ hæreditatis cedat auctoritas, cæteris ad illum tanquam ad Dominum respicientibus. Ex qua consuetudine factum est, ut Guilhelmus, qui dicebatur puer, hujus ex parte patris consanguineus, Conradi verò Ducis sororis filius, rerum summam, dum adhuc viveret, illa in Provincia haberet. Quod (21) fraude suorum rebus humanis exempto, Reinhaldo Comiti jure hæreditario dominium cessit. Actum est hoc sub Henrico V. seu Lothario II. Verùm prædictus Comes nimis justitiæ suæ confisus, erat enim homo lenis, & ex nimia lenitate remissus, Curias Principis adire neglexit. Ex quo factum est, ut indignatione motus Princeps, prædictam terram Conrado Duci concederet, sicque uterque vicina sibi vendicaret loca. Longa itaque concertatione in tantum, ut etiam in campo congressu publico ab eis pugnaretur, penè usque in præsentiarum deducta est hæc controversia: donec recenter ab Imperatore, sicut cognovimus, eo tenore decisa est: Quòd Bertolfus prædicti Conradi filius, in negotii transactionem, tres civitates inter Juram & Montem-Jovis, Losannam, Gebennam & N. accepit, cæteris omnibus Imperatrici relictis. Protenditur etenim hæc Provincia penè à Basilea, idest à castro, quòd Mons-Biliardi vocatur, usque ad Isaram fluvium, de quo Lucanus:

—hi vada liquerunt
Isaræ, —

junctam habens dominatui suo eam terram, quæ propriè Provincia vocatur, & ab eo flumine porrigitur usque ad ea loca, quà Rodanus mari recipitur, & Arelatum civitas sita est. At Reinaldus iste Simonis Lotharingiorum Ducis filiam ducens, ab ea tantùm hanc puellam suscepit, ipsamque non multò post moriens, secundùm prædictum morem, totius terræ suæ hæredem reliquit. Quam Imperator (ut ostensum est) in matrimonio sortitus, non solùm Burgundiam, sed & Provinciam Imperio jamdiu alienatas, sub uxoris titulo (ut postmodum pleniùs dicetur) familiariter possidere cœpit.

Ad eam Curiam Guibaldus Corbejensis Abbas, à Græcia rediens, vênit. Nam Legati Græcorum, qui cum eo ad Imperatorem destinati fuerant, apud Juvaniam relicti, præsentiæ Principis non admittebantur. Cujus rei ratio hæc fuit. Cùm ab eo circa Anconam recessissent, literas quasdam sigillo suo clausas per surreptionem acceperant. Igitur redeunte ad transalpina Principe, Græci Campaniam simul & Apuliam ingrediuntur, ostensisque Imperialibus literis, maritima sibi à Principe concessa fuisse mentiuntur (22): sicque indigenas quosque non solùm auctoritate Imperatoris terrendo, sed & auro corrumpendo, totam Provinciam ad suam ditionem inclinant. Inde Barrum usque procedentes, arcem ubi Guilhelmi præsidia posita erant, expugnant. Mortuus fuit ibi Palæologus, & ad terram suam deportatus. Adjuvabantur non solùm Exulum, videlicet Principis Capuani, Andreæ Comitis, aliorumque, qui noviter terras suas receperant auxilio: sed & Roberti Cavillensis cujusdam Comitis, magni de terra illa viri, quem per pecuniam sibi allexerant. Præterea totus penè populus in civitatibus oppidisque manens, eo quòd jamdiu Guilhelmi hujus, patrisque sui (23) Rogerii tyrannide premeretur, tanquam de jugo tam gravi liberari optans, illis adhærebat. Diffamabatur non solùm per vicinas regiones, sed & ad nos usque pervênit, Guilhelmum vel vitam finisse, vel ex vi morborum sensum amisisse: Græcos jam omnes illas possidere provincias. Audivit hoc Princeps, indignationeque motus consultabat diutissimè, an prædicti Legati, qui ex parte Principis sui Manuel advenerant, præsen-

(20) rusticus aratri rotam *deest in MSto*.
(21) C. MS. quo.
(22) C. MS. fuisse loca mentiuntur.
(23) C. MS. hujus, ut pridem patris sui.

sentiæ suæ admittendi, vel tanquam traditores puniendi, vel contemptibiliter facultatem redeundi accepturi forent. Tandem inclinatus quorundam precibus, audientiam eis præstare disponit, & ob hoc dies eis in Norico castro, Mense Julio, præscribitur.

CAP. XXXI.

Quare expeditionem contra Mediolanenses indixerit, & exemplar literarum de hoc. Item de guerra Papiensium & Mediolanensium.

Ipse verò quamvis Guilhelmum odisset, nolens tamen Imperii sui limites tyrannica Rogerii rabie usurpatos ab exteris eripi, expeditionem illic jurari fecit. Non multò tamen post, ex quo cognovit Guilhelmum, susis Græcis, Apuliam & Calabriam recepisse, consilium mutavit, & ad compescendam Mediolanensium contumaciam iram convertit. Unde ejus tale scriptum ad Principes destinatum invenitur:

Fridericus Dei gratiâ Romanorum Imperator, & semper Augustus, dilecto patruo suo Ottoni Frisingensi Episcopo, gratiam suam & omne bonum.

„Quia divinæ providentiæ clementiâ, Urbis & Orbis gubernacula tenemus, juxta diversos eventus rerum, & successiones temporum, sacro Imperio & divæ Reipublicæ consulere debemus. Cùm enim ea, quæ necessitatis causâ instituta fuerint, cessante necessitate, cessare debeant: expeditionem, quam proximè Wirtzeburg propter invasionem Græcorum in Apuliam jurari præcepimus, post fugam eorum tibi, cæterisque Principibus relaxamus, ut ad alia Imperii negotia promptiores eos invenire possimus. Verùm quia Mediolanensium superbia jamdiu caput contra Romanum Imperium erexit, & modò sua fortitudine totam Italiam subvertere, vel suo nititur dominio subjugare: ne & tanta præsumptio nostro tempore prævaleat, vel gloriam nostram plebs improba usurpare, vel conculcare valeat, futuris casibus viriliter occurrere, & ad destructionem eorum omne robur Imperii excitare intendimus. Ex judicio igitur Principum expeditionem contra Mediolanum à proxima Pentecoste ad annum juratam tibi indicimus, quàm intimè rogantes & præcipientes, quatenus ad eam nobiscum peragendum, à vigilia Pentecostes ad annum, Ulmæ nobis indubitanter occurras: certus, quòd nec te, nec aliquem Principum nostrorum Montem Apenninum transire cogemus.

Denique Princeps ad transalpina rediens, sicut Francis præsentiâ suâ pacem reddidit, sic Italis absentiâ subtraxit. Nam non solùm Apulia & Campania hujus mali, ut ostensum est, particeps fuit, sed ulterior Italia, absentiam sui sentiens Principis, immunis ab hoc turbine esse non potuit. Mediolanenses siquidem mox reædificatâ Terdonâ, Papiensium renovant bellum, duobus super Ticinum fabricatis pontibus, fines eorum irrumpunt, oppidum quoddam Vigevenum (ubi multi ex ipsis simul cum Marchione Guilhelmo fuerunt) obsidione vallant, ac tandem artificiosè ad deditionem coactos, pacem petere, & obsides dare compellunt. Sed cùm duras nimium pacis conditiones audissent, rursus rebellare tentabant Papienses. Igitur Mediolanenses per pontes, quos fecerant transmeantes, Lunellum reædificant, totumque penè territorium Papiensium crudeliter depopulantur.

CAP. XXXII.

De Schismate Coloniensis Ecclesiæ propter electionem Friderici & Gerardi. De morte Boritii, & Legatis Græcorum. De contentione Coloniensis Cleri coram Principe.

Ea tempestate, defuncto (ut dictum est) Arnaldo Coloniensi Archiepiscopo, Ecclesia illa ad electionem faciendam conveniens, gravissimè scissa est: Præpositis & Abbatibus Gerardum Bunnensem Præpositum, majoris verò Ecclesiæ Canonicis, qui tunc temporis Præposito & Decano carebant, Fridericum Adolfi Comitis filium, eligentibus. Itaque Imperatore mense Julio, in Norico castro, ubi Græci ejus Majestati præsentandi erant, morante, utræque istæ partes causam suam Principi ostensuræ veniunt. Non longè ante hæc tempora Græcorum Princeps cum Boritio contra Ungaros copias mittens, magnum sui detrimentum accepit exercitus, intantum, ut & Boritius à quodam qui secum venerat Cumano, qui & Scytha, sagitta transfixus necaretur. Ea propter prædicti nuncii, non solùm ob firmandum connubium ad Imperatorem venerant, sed etiam ad indicandam suam de Ungaris, auctoritate Principis, injuriam, in utroque frustrati sunt. Nam & Imperator aliam sibi (ut prædictum est) in matrimonio junxerat, & expeditio contra Ungaros (postulabant enim eam proximo Septembri fieri) tam celeriter fieri vel ordinari non poterat. Admittuntur tamen ejus conspectui, scripta recipiuntur. Remittitur cum eis Stephanus Capellanus Imperatoris, per quem Princeps de illius Principis voluntate ampliùs cognoscat. Sed de Græcis dicta hunc teneant locum. Procedunt Colonienses, advocatos exposcunt, de sua utrique electione per triduum coram Principe decertant & conrixantur. Tandem Princeps utrorumque auditis allegationibus, consilio & judicio quos secum habebat Episcoporum, aliorumque Principum, prædictam causam ad Curiam Ratisponensem, ubi consilium pro terminanda duorum Ducum lite publicari debuit, producendam decrevit.

CAP. XXXIII.

De transactione duorum Ducum. De pace facta in Bajoaria, & de decisione litis inter Colonienses.

Igitur mediante jam Septembre, Principes Ratisponæ conveniunt, ac per aliquot dies præsentiam Imperatoris præstolabantur. Dehinc Principe patruo suo in campum occurrente, manebat enim ille ad duo Teutonica milliaria sub papilionibus, cunctis Proceribus, virisque magnis accurrentibus, consilium quod jamdiu secretò retentum celabatur, publicatum est. Erat autem hæc summa (ut recolo) concordiæ.

diæ. Henricus major natu, Ducatum Bajoariæ per VII. vexilla resignavit. (24) quibus minori (25) traditis, ille duobus vexillis Marchiam Orientalem cum Comitatibus ad eam ex antiquo pertinentibus, reddidit. Exinde de eadem Marchia cum prædictis Comitatibus, quos tres dicunt, judicio Principum, Ducatum fecit: eumque non solùm sibi, sed & uxori cum duobus vexillis tradidit: neve in posterum ab aliquo successorum suorum mutari posset, aut infringi, privilegio confirmavit. Acta sunt hæc anno Regni ejus V. Imperii II. Itaque ad civitatem, juxta quod præoptaverat, inter patruum & avunculi sui filium terminatâ sinè sanguinis effusione controversiâ, lætus rediit, ac statim sequenti die in publico residens consistorio, ne Bajoaria ulteriùs totius Regni quietis immunis esset, treugam proxima Pentecoste ad annum jurari fecit. Porrò tanta ab ea die usque in præsentiarum toti transalpino pacis jucunditas arrisit Imperio, ut non solùm Imperator & Augustus, sed & Pater patriæ jure dicatur Fridericus. Enimverò antequam hæc Curia terminaretur, præsentatis sibi iterum de Coloniensi Ecclesia utrisque partibus alteram electionem, eam videlicet, quæ à Canonicis majoris Ecclesiæ facta fuit, validiorem judicans, Fridericum Adolfi Comitis filium, de regalibus investit, sicque eum à Romano Pontifice consecrandum ad Urbem misit.

Tanta sunt quæ de Tuæ Majestatis virtutibus dici possent, Augustorum optime, quòd si simul sinè interpolatione insipienter effundantur, scribentis præfocare possent animum. Quare huic secundo Operi terminus detur, ut ad ea, quæ dicenda restant, tertio locus servetur Volumini (26).

Hucusque Otto Episcopus Frisingensis Chronica illa deduxit.

(24) C. MS. vexilla Imperatori resignavit.
(25) C. MS. juniori.

(26) *Post* Volumini *MStus habet*: Incipit Prologus sequentis operis. Viris &c.

LIBRI SECUNDI FINIS.

RADE-

RADEVICI CANONICI FRISINGENSIS IN SUAM APPENDICEM PROOEMIUM.

VIRIS PRUDENTISSIMIS, PACE, ET MILITIA EXERCITATIS, ULRICO ET HENRICO, SACRI PALATII UNI CANCELLARIO, ALTERI NOTARIO (1),

RADEVICUS (2)

Sanctæ Frisingensis Ecclesiæ professione Canonicus, ordine Diaconus, licèt indignus, simul cum intellectu spiritu pietatis abundare.

INterrogans generationem pristinam, & diligenter investigans patrum memoriam, multis experimentis invenio, humanarum rerum nihil firmum, nihil perpetuum: sed dies hominis velociùs transire, quàm à texente tela succiditur, & vitam ejus velociùs umbra aut vento declinare. Quod cùm multis & magnis clarum sit experimentis, etiam præsentis Operis pagina suum nobis exinde præbet documentum, quæ ab auctore suo felicis memoriæ, venusti sermonis inchoata (3), ipso (proh dolor!) infausta morte prævento, nostræ parvitati, velut abortiva, & quasi de Domini sui (4) funere rapta, ejus jussu, pariterque Serenissimi & Divi Imperatoris Friderici nutu, fovenda & promovenda committitur. Parendum ergo tam magnis præceptoribus deliberavi, malens potiùs de rudis informitate sermonis subire judicium, quàm de perfida desidia, seu deside perfidia notari, si tam clari ac magni viri, mihique charissimi Domini, tam præclaræ materiæ cœptum Opus & memoriale, pariter cum illo in interitum atque oblivionem passus fuissem venire. Et vestræ quidem prudentiæ potissimùm labor iste debebatur, apud quos exacta fides historiæ reperitur: sed præjudicantibus vobis in hac parte diversarum occupationum curis, non tam vacat ad scribendum distractos animos applicare, quàm scriptis aliorum accusationem, vel debitam laudationem accommodare. Quidam enim, ut ait Josephus, non quòd rebus interfuerint, sed incertos & incongruos narrantium sermones auribus colligentes, oratorum more perscribere solent. Qui verò præsto fuerunt, aut vincentis Principis obsequio, aut odio eorum qui victi sunt, contra fidem rerum falsa confirmant. A quorum parte utrinque me beatum æstimo, qui in his, quæ audivi, non passim quorumlibet relatorum rumusculis sum me perpessus abrumpi: nec in his, quæ per me cognovi, gratia Principis, seu favore meæ gentis falsum quippiam addidi. Si quis autem superioris Operis facundiam, habita collatione cum arido nostri ingenii eloquio contulerit, veniam placatus tribuat. Fateor equidem, quòd tenuis mihi spiritus est, ad excitandam (5) minutam tibiam, nec dum ad implendam superioris auctoris venerabilis præsulis tam magnificam & copiosam scribendi & dicendi tubam. Sed ubi eloquentiæ & styli me superat pondus, sensus & integra veritas rerum gestarum, Deo propitiante, exæquabit. Vos itaque ambos in hoc Opere præceptores, testes & judices eligo: rogans, ut exactum à me laborem sinè contumelia suscipiatis, & qui rebus ipsis tanquam familiares & conscii secretorum interfuistis, si quid corrigendum est, ad regulam veritatis emendare, si quid parum, aut superfluè dictum est, vel radere, vel superaddere, quantum satis est, non pigritemini. Ego etenim revera, nisi vestra fretus ope ac studio, sub hoc fasce succumberem. Frustra per me conatus tanti Imperatoris gesta attingere, cujus si quis magnitudinem animi & Imperii cum annis conferat, ætatem ultra putet. Ita enim latè & magnificè per orbem terrarum arma circumtulit, tantum operum pace, belloque gessit, ut qui res ejus legerit, non unius, sed multorum facta Regum seu Imperatorum arbitretur.

---

(1) C. MS. Pronotario.
(2) C. MS. Radebinus.
(3) C. MS. inchoata principio ipso.
(4) C. MS. de finu Domini sui.
(5) C. MS. exercitandam vel minutam.

RADEVICI FRISINGENSIS CANONICI APPENDICIS AD OTTONEM DE REBUS GESTIS FRIDERICI I. IMP. AUG.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De procinctu contra Polonos. De situ terræ, & more illius gentis.

ORdinato in Alemanniæ partibus summa prudentia Imperio, tota terra illa jam inusitatam & diu incognitam tranquillitatem agebat. Ea denique pax in Germania erat, ut mutati homines, terra alia, cœlum ipsum mitius, molliusque videretur. Imperator autem tanta quiete non ad otium, non ad voluptatum illecebras abutebatur. Indignum siquidem ratus est, si exercitatum bellicis negotiis animum sinè utilitatibus Imperii per desidiam dissolvi pateretur. Anno itaque ab Incarnatione Domini MCLVII. mense Augusto contra Polonos procinctum movet. Est autem Polonia, quam modò Sclavi inhabitant, sicut placet his, qui situs terrarum descriptionibus notant, in finibus superioris Germaniæ, habens ab Occidente Oderam fluvium, ab Oriente Istulam, à Septentrione Ruthenos & mare Scythicum, à Meridie sylvas Boëmorum. Terra utique naturalibus firmamentis munitissima, natio tam propria feritate, quàm vicinarum contiguitate gentium penè barbara, & ad pugnandum promptissima. Ajunt enim ejus maris, quod illius terræ litus alluit, tales esse provinciarum habitatores, qui famis tempore semet devorent: & cùm perpetuis rigeant algoribus, ideoque nullam possint agriculturam in quibusdam locis exercere, venationibus & mortibus dediti sunt. Omnes autem piraticam exercent, & insulas Oceani, Hyberniam & Britanniam, Daciam quoque inquietam, licèt in alio litore reperiantur. Talium (ut assolet) nationum vicinia, nonnihil atrocitatis tanquam de rubiginoso ferro cariem sibi Poloni affricuere. Unde nec Principibus suis fidem, nec naturâ propinquis debitam inveniuntur gratiam conservare.

CAP. II.

Quæ causa fuerit illius expeditionis.

AT hujus expeditionis hæc ratio fuit. Boitzlaus, Cazimerus, & tertius item Lobizlaus, qui Gertrudem neptem Imperatoris, filiam Leopaldi Marchionis Austriæ sortitus fuerat uxorem, totam terram funiculo

A hæreditatis tenere debebant: majore natu, quem ultimo posuimus loco, nomen & honorem Ducis habente. Quo à fratribus per vim cum regalis sanguinis uxore projecto, & ad Conradum Romani Imperii tunc Principem perfuga profecto, & clementer recepto, missa ad prænominatos tyrannos crebra legatione, ut in pristinum statum fratrem reciperent, Rex spretus est, Ducisque exilium usque ad obitum Regis duravit. Divo autem Principe Friderico rerum summam gubernante, pari modo mandatum ejus floccipendere sibi impunè arbitrabantur. Cessit verò his secus ac rati sunt. Nam & altioris spiritus, & acrioris ingenii Principem, multiplicatæ injuriæ ulteriùs dissimulare facinus non sinebant. Accessit siquidem ad hæc, quòd vel debitum fidelitatis sacramentum offerre, vel solitum singulis annis tributum quingentarum marcarum, publico ærario inferre jam desueverant, talibusque indiciis apertè se ab Imperio descivisse, & non clanculum, sed evidentem rebellionem moliri protestabantur.

CAP. III.

Quomodo Imperator Poloniam intraverit, & quid ibi fecerit.

IMperator ergo cum magnis copiis Poloniam, quamvis arte & natura admodum munita sit, ita ut priores Reges seu Imperatores vix magna difficultate ad fluvium Oderam pervenissent, fretus ope divina, quæ visibiliter exercitum præcessit, clausuras illorum, quas in angustis locis præcisa densitate sylvarum fecerant, & magna mole ingeniosè obstruxerant, penetravit, & XI. Kalend. Septembris prænominatum amnem, qui ex illa parte totam Poloniam quasi murus ambit, & profunditate sui gurgitis omnes excludit aditus, præter opinionem incolarum, cum magno exercitu transvadavit. Tantum enim omnes tenebat transeundi desiderium, ut alii natandi, alii, quodlibet instrumentum fors obtulisset, eo pro navicula utendo transirent. Quo viso, Poloni de tam improviso malo perculsi, & vehementer exterriti, cùm jam nihil præter exitium sui, & destructionem terræ superesse viderent, quamvis auxilio vicinarum gentium, Ruthenorum videlicet, Parthorum, Pruschorum & Pomeranorum, maximum collegissent exercitum, in sola fuga spem vitæ constituunt:

adeò desperatione correpti, ut proprium solum, propriam patriam suis manibus incendendo vastarent, insuper & arces ac munitiones destruerent. Inter quas munitissima castra, Glogovia videlicet, & Bitum, quæ priùs ab hoste capta non fuerant, ne à nostris ibidem præsidia ponerentur, cremaverunt. Imperator fugientes insecutus, & territorium Episcopii, quod vocatur Uratislavia, transcurrens, in Episcopatum Posnaniensem totamque terram etiam ipse igne & gladio depopulatus est, indignum æstimans eis parcere, qui in seipsos tam crudeles hostes inventi fuissent.

CAP. IV.

Quomodo Dux eorum ad deditionem venerit.

Bolezlaus Dux rebus suis ultimum fatum cernens imminere, cùm totam terram, populumque suum periclitari, & prope esse ad interitum cerneret, Barones & Principes nostros tum per nuncios, tum in propria persona conveniens, multis precibus, multis lachrymis, multis quoque promissionibus, ut sub jugum Romanæ ditionis, & in gratiam Principis recipi mereretur, postulavit. Salutare secutus consilium, ante intollerabilem calamitatem rebellionis mutare sententiam: debere autem dedignari dominos humiliores, non eum cujus in potestate sit Romanum Imperium. Imperator jamdudum edoctus hanc Nobilitatem:

parcere prostratis, & debellare superbos.

præmaturam, subitam, & à Deo datam nolens cruentare victoriam, Ducem ad deditionem recipiendum decrevit.

CAP. V.

De conditionibus pacis, & reditu Imperatoris.

Itaque in prædicto territorio Episcopatus Posznaniensis, circa partes Crisguvæ, præfatus Dux pedibus Imperatoris provolutus, interventu Principum, hoc tenore in gratiam receptus est. Primò juravit pro se, & pro omnibus Polonis, quòd frater suus exul ad ignominiam Romani Imperii non fuerit expulsus. Deinde pollicitus est dare duo millia marcarum Imperatori, & Principibus mille, Imperatrici XX. marcas auri, Curiæ CC. marcas argenti, ob eam negligentiam, quòd ad Curiam non venerat, nec de terra debitam fecerat fidelitatem. Juravit quoque Italicam expeditionem. Deinde juravit, ut in proxima Nativitate Domini ad Curiam Magdeburg celebrandam venire deberet, juxta judicium & sententiam Polonorum & Boëmorum, super querimonia fratris sui expulsi plenariè responsurus. Sicque jurata Principi fidelitate, sicut mos est, & de supradictis omnibus fideliter adimplendis acceptis obsidibus, Gazimero videlicet fratre Ducis, & aliis Nobilibus, gloriosam adeptus victoriam, Deo Duce feliciter Augustus revertitur. Ipse tamen Dux dolis plenus, & acerbam dominationis cupidinem mente gerens, jamjam suis promissionibus (ut postmodum patuit) moliebatur insidias. Nam nec ad Curiam vênit, nec sufficientes pro se procuratores misit: Italicam quoque expeditionem, violato sacramento, mentitus est.

CAP. VI.

De indignatione Principis adversùs Græcorum Legatos.

Non multo post apud Herbipolim civitatem, Constantinopolitani Imperatoris Legati coram Principe cum muneribus suam peragunt legationem: quia tamen verba eorum in quibusdam fastum regalem, & Græcum in subornato sermone videbantur sapere tumorem, Imperator eos despexit: & nisi in melius commutatâ sententiâ commodiùs sibi prospexissent, si fieri poterat salvo Nunciorum privilegio, dissimulationem agente Principe, prope fuit, ut à quibusdam ignominiosum & ærumnosum accepissent responsum. Placatus tamen multis eorum precibus & lachrymis Imperator, veniam insuper his (1) donavit: accepta sponsione, quòd deinceps spernentes ampullosa, non nisi eam, quam deceret Romanum Principem, & Urbis ac Orbis Dominatorem, reverentiam suis salutationibus apportarent. Indulgentiam & gratiam consequuti Fridericum Ducem Sueviæ filium Conradi Regis, adhuc adolescentulum, in præsentia sua gladio accingi, & militem profiteri postulant, & impetrant. Amita siquidem sua Hirena Imperatrix Constantinopolitana, & antea & nunc, multis & magnificis eundem puerum visitaverat largitionum muneribus, idque Legatis in mandatis dedisse traditur, ne quando nisi completo negotio in Græciam reverterentur: astipulante sibi cum magno favore proprio marito, ob gratiam & antiquam amicitiam cum patre pueri Rege Conrado habitam.

CAP. VII.

De Legatis Regis Angliæ & ejus muneribus, & exemplar literarum ejusdem.

Ibidem tunc affuere etiam Henrici Regis Angliæ Missi, varia & pretiosa donaria, multo lepore verborum adornata, præsentantes. Inter quæ Papilionem unum quantitate maximum, qualitate bonissimum perspeximus. Cujus si quantitatem requiris, non nisi machinis, & instrumentorum genere, & adminiculo levari poterat: si qualitatem, nec materia, nec opere ipsum putem aliquando ab aliquo hujusce apparatu superatum iri. Literas quoque mellito sermone plenas pariter direxerat. Quarum hic tenor fuit:

Præcordiali amico suo Friderico, Dei gratiâ, Romanorum Imperatori invictissimo, Henricus Rex Angliæ, Dux Normanniæ & Aquitaniæ, & Comes Andegavensis, salutem, & veræ dilectionis concordiam.

„ Excellentiæ Vestræ quantas possumus „ referimus grates, Dominantium Optime, quòd nos nunciis vestris visitare, salutare literis, muneribus prævenire, & quod „ his charius amplectimur, pacis & amoris „ invicem dignatus estis fœdera inchoare. „ Exultavimus & quodammodo animum nobis „ crescere, & in majus sensimus evehi, dum „ vestra promissio, in qua nobis spem dedistis „ in disponendis Regni nostri negotiis, alacrio-

(1) C. MS. superbis.

„ criores nos reddidit & promptiores. Exultavimus, inquam, & tota mente Magnificentiæ Vestræ assurreximus, id vobis in sincero cordis affectu respondentes, quòd quicquid ad honorem vestrum spectare noverimus, pro posse nostro effectui, mancipare parati sumus. Regnum nostrum, & quicquid ubique nostræ subjicitur ditioni, vobis exponimus, & vestræ committimus potestati, ut ad vestrum nutum omnia disponantur, & in omnibus vestri fiat voluntas Imperii. Sit igitur inter nos & populos nostros dilectionis & pacis unitas indivisa, commercia tua (2): ita tamen ut vobis, qui dignitate præeminetis, imperandi cedat auctoritas, nobis non deerit voluntas obsequendi. Et sicut Vestræ Serenitatis memoriam vestrorum excitat in nobis munerum largitio, sic vos nostri quoque reminisci præoptamus, mittentes quæ pulchriora penes nos erant, & vobis magis placitura. Attendite itaque dantis affectum, non data, & eo animo quo dantur excipite. De manu Beati Jacobi, super qua nobis scripsistis, in ore Magistri Heriberti, & Guilhelmi Clerici nostri verbum posuimus, teste Thoma Cancellario apud Norhant.

CAP. VIII.

De nunciis diversarum nationum, & de Curia apud Bisuntium celebrata, & Nunciis Adriani Papæ.

Aderant præterea diversarum nationum, utpote de Dacia, Pannonia, Italia, seu de Burgundia, diversæ legationes, quarum portitores se mutuò videntes, atque certatim munera & supplicationes afferentes, singuli singulis stuporem pariter & admirationem addidere. Mense Octobri mediante, Imperator apud Bisuntium Curiam celebraturus, in Burgundiam iter aggreditur. Est autem Bisuntium una Metropoleos ejus tertiæ partis, in quas Imperator gloriosus Carolus Magnus suum inter tres filios suos, omnes regio nomine gaudentes, divisit Imperium: sita super amnem Touba. In qua civitate penè omnibus Proceribus terræ illius adunatis, multis quoque exterarum gentium (3), utpote Romanis, Apulis, Tuscis, Venetis, Italis, Francis, Anglis & Hispanis, per Legatos suos Imperatoris adventum præstolantibus, festivissimo apparatu, & solenni favore excipitur. Tota siquidem terra eundem fortissimum cognoscens, & clementissimum, amore pariter & timore permixto, novis illum fascibus honorare, novis laudibus attollere satagebat.

At priusquam ad ejus provinciæ negotia, seu ordinationem stylus se porrigat, de Legatis Romani Pontificis Adriani, ad quid venerint, & quomodo recesserint, quia & auctoritas ejus partis major, & causa gravior, dicendum nobis erit. Prolixitatem hujus narrationis non causabitur, qui materiæ pondus, ac temporis, quo hæc tempestas protracta est, & protrahitur, diuturnitatem diligenter considerabit. Personæ Nunciorum erant Rolandus Tit. S. Marci Presbyter Cardinalis, & Cancellarius S. Romanæ Ecclesiæ, & Bernardus Tit. S. Clementis Presbyter Cardinalis, ambo divitiis, maturitate & gravitate insignes, & penè omnibus aliis in Romana Ecclesia auctoritate majores. Causa verò adventus eorum speciem sinceritatis videbatur habere, sed fermentum & occasionem malorum latuisse (4), postmodum evidenter deprehensum est. Principe ergo die quodam à strepitu, & populi tumultu declinante in cujusdam Oratorii privatiore recessu, prædicti Nuncii in conspectum ejus deducti, ab eoque, ut oportebat, sicut qui boni se Nuncii bajulos assererent, benignè & honestè recepti sunt. Exordium autem sermonis illorum in fronte ipsa notabile comparuit, quod tale fuisse dicitur: *Salutat vos Beatissimus Pater noster Papa Adrianus, & universitas Cardinalium S. Romanæ Ecclesiæ. Ille ut pater, illi ut fratres.* Paucisque interpositis, literas quas ferebant protulere. Quas, & aliarum, quæ in hac turbulentia hinc inde discurrebant, rescripta literarum, idcirco huic Operi interserere curavi, ut quivis lector, qui in partem declinare voluerit, non meis verbis vel assertionibus, sed ipsarum partium propriis scriptis tractus & vocatus, liberè eligat, utri parti suum velit accommodare favorem. Tenor denique literarum talis erat.

CAP. IX.

Exemplar literarum ejusdem.

Adrianus Episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Friderico illustri Romanorum Imperatori, salutem, & Apostolicam benedictionem.

„ Imperatoriæ Majestati paucis retroactis diebus recolimus scripsisse, illud horrendum & execrabile facinus, & piaculare flagitium tempore nostro commissum, in Teutonicis partibus, sicut credimus, aliquando intentatum, Excellentiæ Tuæ ad memoriam revocantes, non sinè grandi admiratione ferentes, quòd absque digna severitate vindictæ usque nunc transire passus sis, tam perniciosi sceleris feritatem. Qualiter enim venerabilis frater noster E. Londonensis Archiepiscopus, dum à Sede Apostolica remearet, à quibusdam impiis & sceleſtis (quod sinè grandi animi mœrore non dicimus) in partibus illis captus fuerit, & adhuc in custodia teneatur: qualiter etiam in ipsa captione prædicta, viri impietatis, semen nequam, filii scelerati, in eum & in suos evaginatis gladiis violenter exarserint, & eos ablatis omnibus, quam turpiter atque inhonestè tractaverint: & Tua Serenissima Celsitudo cognoscit, atque ad longinquas & remotissimas regiones fama tanti sceleris jam pervênit. Ad cujus utique vehementissimi facinoris ultionem, sicut is cui bona placere, mala verò displicere credimus, constantiùs exurgere debuisti, & gladium, qui tibi ad vindictam maledictorum (5), laudem verò bonorum est ex divina provisione concessus, in cervicem desævire oportuit impiorum, & gravissimè conterere præsumptores. Tu verò ad ipsum ita dissimulasse diceris, sævitiam neglexisse, quòd eosdem non est quare pœniteat commisisse reatum: quia impuni-„ ta-

(2) C. MS. commercia tuta.
(3) C. MS. ~~gentium hominibus~~, utpote.
(4) C. MS. malorum intus latuisse.
(5) C. MS. malorum.

„ tatem sacrilegii quod gesserunt, jamjam „ sentiunt invenisse. Cujus quidem dissimula„ tionis & negligentiæ causam penitùs igno„ ramus: quoniam nos in aliquo Serenitatis „ Tuæ gloriam offendisse, conscientiæ scrupu„ lus nostrum animum non accusat: sed per„ sonam tuam sicut charissimi & specialis filii „ nostri & Principis Christianissimi, quem in „ Apostolicæ confessionis petra non ambigi„ mus per Dei gratiam solidatum, sincera „ (6) semper dilexerimus charitate, & debi„ tæ tractavimus benignitatis affectu. Debes „ enim gloriosissime fili, ante oculos mentis „ reducere, quàm gratanter & quàm jucundè „ alio anno Mater tua Sacrosancta Romana „ Ecclesia te susceperit, quanta cordis affe„ ctione tractaverit, quantam tibi dignita„ tis plenitudinem contulerit, & honoris, & „ qualiter Imperialis insigne Coronæ liben„ tissimè conferens, benignissimo gremio suo, „ tuæ sublimitatis apicem studuerit confo„ vere: nihil prorsus efficiens quod Regiæ „ voluntati vel in minimo cognosceret ob„ viare. Neque tamen pœnitet nos desideria „ tuæ voluntatis in omnibus implevisse, sed „ si majora beneficia Excellentia Tua de „ manu nostra suscepisset, si fieri posset, „ considerantes quanta Ecclesiæ Dei & nobis „ per te incrementa possint & commoda pro„ venire, non immeritò gauderemus. Nunc „ autem quia tam immensum facinus, quod in „ contumeliam universalis Ecclesiæ & Imperii „ tui noscitur etiam commissum, negligere „ ac dissimulare videris, suspicamur utique „ ac veremur, ne fortè in hanc dissimula„ tionem & negligentiam propter hoc tuus „ animus sit inductus, quòd suggestione per„ versi hominis zizania seminantis, adversùs „ clementissimam Matrem tuam Sacrosanctam „ Romanam Ecclesiam, & nos ipsos indigna„ tionem (quod absit) aliquam conceperis, „ vel rancorem.

„ Ob hoc igitur, & ob alia omnia negotia „ quæ cognoscimus imminere, duos de me„ lioribus & charioribus quos circa nos ha„ bemus, dilectos scilicet filios nostros, „ Bernhardum S. Clementis Presbyterum, „ Rolandum S. Marci Presbyterum Cardina„ lem, & Cancellarium nostrum, viros uti„ que religione, prudentia, & honestate con„ spicuos, Serenitati Tuæ de latere nostro, „ ad præsens duximus destinandos: Excellen„ tiam Tuam rogantes attentiùs, quatenus „ eos tam honorificè, quàm benignè recipias, „ honestè tractes, & ea quæ ipsi super hoc, „ & super aliis, ad honorem Dei & Sacro„ sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad decus etiam „ & exaltationem Imperii pertinentia, ex par„ te nostra, Imperatoriæ proposuerint digni„ tati, sicut si ab ore nostro procedant, abs„ que ulla hæsitatione suscipias, & ipsorum „ verbis tanquam si ea contingeret nos pro„ ferre, fidem non dubites adhibere.

CAP. X.

Qualiter Imperator talem legationem Papæ graviter tulerit, & literæ per ambitum Imperii super hoc directæ.

Talibus literis lectis, & per Reinaldum Cancellarium fida satìs (7) interpretatione diligenter expositis, magna Principes qui aderant indignatione commoti sunt: quia tota literarum continentia non parum acedinis habere, & occasionem futuri mali jamjam fronte sua præferre videbatur. Præcipuè tamen universos accenderat, quòd in præmissis literis inter cætera dictum fuisse acceperant, dignitatis & honoris plenitudinem sibi à Romano Pontifice collatam, & insigne Imperialis Coronæ de manu ejus Imperatorem suscepisse; nec ipsum pœnitere, si majora beneficia de manu ejus suscepisset, habita consideratione, quanta Ecclesiæ Romanæ per ipsum possent incrementa & commoda provenire. Atque ad horum verborum strictam expositionem, ac præfatæ interpretationis fidem auditores induxerat, quòd à nonnullis Romanorum temerè affirmari noverant, Imperium Urbis, & Regnum Italicum donatione Pontificum Reges nostros hactenus possedisse, idque non solùm dictis, sed & scriptis atque picturis repræsentare, & ad posteros transmittere. Unde de Imperatore Lothario in palatio Lateranensi super hujusmodi picturam scriptum est:

Rex venit ante fores, jurans priùs urbis honores,
Post homo fit Papæ, sumit quo dante Coronam.

Talis pictura talisque superscriptio Principi, quando alio anno circa Urbem fuerat, per fideles Imperii delata, cùm vehementer displicuisset, amica priùs invectione præcedente, laudamentum à Papa Adriano accepisse memoratur, ut & scriptura pariter atque pictura talis de medio tolleretur, ne tam vana res summis in orbe viris litigandi & discordandi præbere posset materiam.

His omnibus in unum collatis, cùm strepitus & turba inter Optimates Regni de tam insolita legatione magìs ac magìs invalesceret, quasi gladium igni adderet, dixisse ferunt unum de legatis: A quo ergo habet, si à Domino Papa non habet Imperium? Ob hoc dictum eò processit iracundia, ut unus eorum, videlicet Otto Palatinus Comes de Bajoaria, ut dicebatur, propè exerto gladio cervici illius mortem intentaret. At Fridericus auctoritate præsentiæ suæ interposita, tumultum quidem compescuit: ipsos autem legatos securitate donatos, ad habitacula deduci, ac primo mane via sua proficisci præcepit: addens in mandatis, ne hac, vel illac, in territoriis Episcoporum, seu Abbatum vagarentur, sed recta via, nec ad dextram, nec ad sinistram declinantes, reverterentur ad Urbem. Ipsis itaque sinè efficacia revertentibus, id quod factum fuerat ab Imperatore per universum Regni ambitum providè literis declaratur, quarum hic tenor fuit.

„ Cùm Divina potentia, à qua omnis pote„ stas in Cœlo, & in Terra, nobis Christo ejus „ Regnum & Imperiũ regendum commiserit, „ & pacem Ecclesiarũ Imperialibus armis con„ servandam ordinaverit: non sinè maximo do„ lore cordis conqueri cogimur dilectioni ve„ stræ, quòd à capite S. Ecclesiæ, cui Christus „ pacis ac dilectionis suæ characterẽ impressit, „ causæ dissensionũ, seminarium malorum, pe„ stiferi morbi venenũ, manare videntur. De „ quibus, nisi Deus avertat, totum corpus Ec„ clesiæ commaculari, unitatem scindi, inter „ Regnum & Sacerdotium schisma fieri perti„ mescimus. Cùm enim nuper in Curia Bisuntii „ essemus, & de honore Imperii & salute Ec„ cle-

(6) C. MS. solidatum sinè causa, sincera.

(7) C. MS. nimis.

„ clesiarum debita sollicitudine tractaremus, venerunt Legati Apostolici, asserentes, se talem legationem nostræ afferre Majestati, unde honor Imperii non parvum accipere deberet incrementum. Quos cùm prima die adventus sui honorificè suscepissemus, & secunda (ut mos est) ad audiendam legationem eorum cum Principibus nostris consedissemus, ipsi quasi de mammona iniquitatis inflati, de altitudine superbiæ, de fastu arrogantiæ, de execrabili tumidi cordis elatione, Legationem Apostolicis literis conscriptam nobis præsentaverunt, quarum tenor talis erat: quòd præ oculis mentis semper deberemus habere qualiter Dominus Papa insigne Imperialis Coronæ nobis contulerit, neque tamen pœnitentia moveretur, si majora Excellentia nostra ab eo beneficia suscepisset. Hæc erat illa paternæ dulcedinis legatio, quæ unitatem Ecclesiæ & Imperii confovere debuit, quæ vinculo pacis utrumque colligare studuit, quæ ad utriusque concordiam & obedientiam animos audientium allexit. Certè ad vocem illam nefandam, & omni veritate vacuam, non solùm Imperialis Majestas debitam indignationem concepit, verùm omnes Principes qui aderant, tanto furore & ira sunt repleti, quòd sinè dubio illos duos iniquos presbyteros mortis sententia damnassent, nisi hoc nostra intercepisset præsentia. Porrò quia multa paria literarum apud eos reperta sunt, & schedulæ sigillatæ, ad arbitrium eorum adhuc scribendæ, quibus (sicut hactenus consuetudinis eorum fuit) per singulas Ecclesias Teutonici Regni conceptum iniquitatis suæ virus respergere, altaria denudare, vasa domus Dei asportare, Cruces excoriare, nitebantur, ne ultra procedendi facultas eis daretur, eadem qua venerant via ad Urbem eos redire fecimus. Cùmque per electionem Principum, à solo Deo Regnum & Imperium nostrum sit, qui in Passione Christi Filii sui duobus gladiis necessariis regendum orbem subjecit, cùmque Petrus Apostolus hac doctrina mundum informaverit, *Deum timete, Regem honorificate*: quicunque nos Imperialem Coronam pro beneficio à Domino Papa suscepisse dixerit, divinæ institutioni, & doctrinæ Petri contrarius est, & mendacii reus erit. Quia verò hactenus honorem ac libertatem Ecclesiarum, quæ jamdiu indebitæ servitutis jugo depressa est, à manu Ægyptiorum studuimus eripere, & omnia eis dignitatum suarum jura conservare intendimus, universitatem vestram super tanta ignominia nobis & Imperio condolere rogamus: sperantes ne honorem Imperii, qui à constitutione Urbis, & Christianæ religionis institutione, ad vestra usque tempora gloriosus & imminutus extitit, fidei vestræ indivisa sinceritas, tam inaudita novitate, tam præsumptuosa elatione imminui patiatur: scientes omni ambiguitate remota, quòd mortis periculum ante vellemus incurrere, quàm nostris temporibus tantæ confusionis opprobrium sustinere.

CAP. XI.

De negotiis in Burgundia bene gestis.

HIs ita gestis, Fridericus ad ordinanda Imperialia negotia in Regno Burgundiæ animum intendit. Cùmque Burgundia aliquando per se fortes Reges habuisset, & per eos suis gentibus præcepta dare solita fuisset, ex appetitu libertatis, quæ (ut dicitur) res inæstimabilis est, jamdudum insolentiam & desuetudinem induerat obsequendi. Ea itaque terra, quæ non nisi multo labore, ac bellico sudore subigenda putabatur, ita Deo ordinante, paruit, quòd nisi alia in Regno disponenda inevitabiliter Imperatorem retraxissent, familiariter & cum paucis usque Arelatum sedem Regni Burgundiæ procedere potuisset. Denique (quod modò viventium excedit memoriam hominum aliquando contigisse) Stephanus Viennensis Archiepiscopus, & Archicancellarius de Burgundia, & Eraclius Archiepiscopus, & Primas Lugdunensis, & Odo Valent. Episcopus, & Ganfredus Avinionensis, & Silvio magnus Princeps & præpotens de Claria, tunc ad Curiam venientes, Friderico fidelitatem fecerunt atque hominium, & beneficia sua de manu illius reverenter susceperunt. Arelatensis autem Archiepiscopus, & alii omnes Archiepiscopi, Episcopi, Primates, & Nobiles venissent, idemque fecissent, nisi mora Principem adeundi compendio suæ brevitatis præstitisset impedimentum. Missis tamen per honestos valde, & industrios nuncios literis, omnimodam subjectionem, & debitam fidelitatem Imperio Romano compromiserunt. Ludovicus quoque Rex Francorum usque (*) Duinum occurrerat ad colloquium Imperatoris, sed eo versùs Alemanniam iter agente, cœptum non processit. Directis autem uterque Principum nunciis, Imperator quidem Cancellario suo prænominato Reinaldo, & Comite Udalrico de Lenzeburg, Rex verò etiam suo Cancellario magistro Alderico, sese per illos mutuò salutarunt. Reliquum (**) legationis, ut videbatur quidem utilitati, re autem vera, regali potiùs fastui studere utrinque videbatur. Nam sicut egomet (referente venerabili Viro Henrico Trecense Episcopo) cognovi, Ludovicus audito quòd strenuè partibus illis Fridericus prævaluisset, pertimuit, nec jam ad colloquium, quod suspectum habebat, sed ad bellum se ratus proficisci, clanculum non parvas copias collegerat, adeò quòd IX. Episcopos cum sua militia una nocte in Trecensi civitate tunc hospitasse memoratus Præsul memoraret. Cùmque tota terra illa non minimo metu nutaret, ipsa trepidatio nobis pro victoria putabatur.

CAP. XII.

Quòd Poloni fidem & sacramenta mentiti sunt: & de nunciis Gaisæ Regis Ungariæ, & fratre ejus Stephano.

REversus de Burgundia Imperator, rebus feliciter gestis, prædiisque conjugis suæ Imperatricis, de qua supra dictum est, ad arbitrium suum dispositis, in Saxoniam iter flectit, diesque Nativitatis Domini in civitate Magdeburg celebravit, experimentum accipiens de Polonis, qui (ut præfati sumus) suis negotiis tunc finem facere debuerant, quòd ipsi avaritia pariter & ambitione cœcati, de promissis fidem & Sacramenta vile quid judicarent. Deinde in Bajoariam tendens, Ratisponæ

(*) *Al.* Divionum.

(**) *Al.* relationis.

ponæ Curiam magna cum frequentia Principum, in octava Epiphaniæ agit. Ibi inter cæteros qui tunc crebri aderant, etiam Regis Ungariæ Gaisæ (8) legati affuere. Siquidem frater ejus nomine Stephanus (9), quorundam criminationibus Regi delatus fuerat, quasi ad Regnum aspiraret, atque in ea re avunculum amborum, Belum virum valde prudentem, ac ad innovandas res idoneum, suasorem habere putabatur, pro eo quòd honorificentiùs habito adolescenti, per studia colendi, ferociæ visus est nutrimenta suggerere. Rex autem suspectum habens tantum fratris honorem, & pejora re ipsa de illo veritus, non tam ipsum quàm amicos & familiares ejus jam apertè insimulans, omnia facta, seu dicta eorum in crimina vertebat: multisque adversùs fratrem vulgatis, pluribus ad contestandum subordinatis, per insidias necem fratris dicebatur adoptare. Is antehac compertum habens, quòd Romanum Imperium totius orbis esset asylum, fugiens ad Imperatorem evasit, ærumnasque suas, ac erga se germani crudelem acerbitatem, lachrymabili conquestione deploravit: criminationumque suarum invidiam diluendo, ficta quæ adversùm se dicebantur asserere, & purgationis suæ fidem omnibus constare: nunquam calumniatores defore, dum extet cui persuadeatur: iniquissimum esse quòd fratri non sufficeret paterno eum Regno expulisse, nisi de capite quoque suo, & vita innocentissima supplicium sumeretur.

Tali deprecatione permotus Fridericus, missis in Ungariam legatis, de restitutione juvenis cogitabat, Imperialem precibus adjungens dignitatem & auctoritatem. Rex itaque adversùs fratrem, duos de Optimatibus Regni sui dirigit ad Curiam, Episcopum Gervasium de Castro ferreo, & Comitem Heidenricum, viros opulentos, & copia dicendi satis instructos, per quos & objecta diluere, & de fratris ejectione invidiam in eum qui passus erat, retorquere satageret, prosequens injurias & peccata plurima in se admissa: Regni consortio secum illum participasse, solo nomine se illo priorem tantùm fuisse, quamdiu germanitatis jura inter se inviolata mansissent. Deinde pravorum consilia secutum, quæ ad pessima studia lubricam in adolescente ætatem impellebant, ita factum, quemadmodum in corpore, ubi semper dum aliqua pars tumescit, suaque corruptione totum corpus debilitat & inficit, ex quo curari desperatur, rescindi oportere. Bellum ultro inferentem, postquam superatus sit, queri quòd injuriam facere nequivisset: fugam ipsum simulasse, in Regno manere licuisse, donec odia omnium & inimicitias adeò contra se firmaverit, ut velut crudelem hostem, & Regni insidiatorem pellendum arbitrarentur, antequam facinoribus suis illud cruentari, & Principatus ejus Monarchiam scindi ac dilacerari contigisset.

Imperator partibus auditis, cùm videret rem eò venturam, quòd aut in communi dividendo, aut in unius cujusvis condemnatione litem opus esset terminari, conferens quoque in corde suo plurium negotiorum occupationes, ad opportuniora tempora decisionem hujus litis placuit protelandam. Itaque rogatus ab adolescente, per Venetias illum transmittit in Græciam. Legatos quoque Regis, acceptis ab eis muneribus fermè ad mille talenta, simulque eos sua liberalitate honoratos, ad Principem suum cum pacis legatione remeare concessit.

CAP. XIII.

Quomodo apud Ratisponam Labezlaus Dux Boëmorum ex Duce Rex creatur, & quomodo etiam Ottonem Frisingensem Episcopum, & Henricum Austriæ Ducem concordarit.

In eadem Curia Dux Boëmorum Labezlaus, vir ingenio validus, viribus præpollens, consilio, manu, audaciaque magnus, cujus antehac industriæ, obsequii, multa præcesserant experimenta, maximèque nuper in expeditione Polonica magna (10) virtus claruerat, adeò ut ob merita sua omnibus charus esset, ab Imperatore, ac Imperii primis, ex Duce Rex creatur, anno ab Incarnatione Domini MCLVIII. (11) Suscepto itaque privilegio de usu diadematis, aliisque regni insignibus, lætus revertitur, & ad Italicam expeditionem Rex pariter cum Imperatore fastu regali profecturus accingitur. Ibidem etiam patruos suos, Ottonem Frisingensem Episcopum, & Henricum Ducem Austriæ diffidentes, eo quòd præfatus Antistes germano fratri, prædia Ecclesiæ illicitè sibi usurpare volenti, omnino contradiceret, in pristinam pacem, & fraternam concordiam revocavit.

CAP. XIV.

Qualiter Fridericus Imperator partes Rheni peragraverit, & quomodo consiliis religiosorum ad expeditionem contra Mediolanenses se præparaverit.

His in Bajoaria peractis, Fridericus Ribuariorum fines ingreditur, inferioresque Rheni partes peragrans, nullos sibi dies otiosos transire passus est: eos se ratus perdidisse, in quibus non aliquid de utilitatibus Imperii, de jure & justitia inter omnes gentes conservanda disposuisset. Inde fuit quòd tam valido cis Alpes Imperio ita providè consuluisset, ferocitatem tantarum gentium, tanto consilio, ac sinè armis delinisset, ut quod dictu mirum est, jam non regni Rector, sed unius domus, unius Reipub. paterfamilias haberetur. Post celebratum apud Ecclesiam Sancti Guberti (12) Pascha, rursus ad superiores Vangionum partes iter reflexit: ac in domum regalem, quam apud Lutra ædificaverat, divertens, domui suæ, & familiaribus negotiis ordinandis aliquot dies indulget. Instabat jam tempus, quo Reges ad bella proficisci solent, ipseque in proximo ad transalpina exercitum ducturus, primò omnium in Deo spem suam reponens, ascitis religiosis, & probatis in Sanctitate viris, tanquam divinum eos oraculum consultabat, atque illorum persuasionibus Ecclesiis Dei multa donaria Imperiali largitate dispergebat: Quibus in negotiis specialem habebat Præceptorem, & salutis animæ suæ fidum Secretarium Hartemannum Brixinorensem Episcopum, virum,

(8) Gaisæ *C. MS. non habet*.
(9) Stephanus *C. MS. non habet*.
(10) C. MS. maxima.
(11) C. MS. MCLXIII.
(12) C. MS. apud Quintilinburch.

rum, qui tunc inter Germaniæ Episcopos singularis Sanctitatis opinione, & austerioris vitæ conversatione præeminebat. Hoc ad se adscito, de secretis suis pii se Pontificis submisit devotè consiliis, religiosi ac Christianissimi Principis officium exercens, quatenus iturus ad bellum, spiritalibus armis ante muniret animam, quàm corpus, ante cœlestibus se disciplinis præstrueret, quàm ad pugnam iturum militem militaribus instruere præceptis curaret. Causas autem belli exponens, dum eas justas tam memoratus Antistes, quàm reliqui Sacerdotes cognovissent, ne dignitas Imperialis ab indignis imminueretur, & sic pax & tranquillitas Ecclesiarum turbaretur, salutaribus mandatis præmonitum & præmunitum ad proficiscendum contra rebelles animarunt.

CAP. XV.

Recapitulatio de Legatis Romani Pontificis, & exemplar literarum Adriani Papæ.

CUm hæc agerentur, Legati Sedis Apostolicæ Rolandus & Bernhardus reversi, quantas injurias sustinuerint, in quo periculo fuerint, exponunt, gravibus graviora adjicientes, ut in ultionem eorum, quæ se pertulisse dixerunt, Romanæ Urbis Episcopum provocarent. In hoc negotio Clerus Romanus ita inter se divisus est, ut pars eorum partibus faveret Imperatoris, & eorum qui missi fuerant incuriam seu imperitiam causarentur, quædam verò pars votis sui Pontificis adhæreret. Unde de hac tempestate dicturi, sicut supra diximus, lectorem non nostris verbis niti volumus, sed ponentes Epistolas hincinde directas, ex eis colligat quam partem tueatur, cuive fidus velit permanere. Nobis autem indulgentiam petimus, qui potiùs utramque personam Sacerdotalem scilicet, & Regalem reverentia debita veneramur, quàm temerè de altera judicare præsumamus. Exemplar itaque literarum à Summo Pontifice ad Archiepiscopos & Episcopos super his directarum tale fuit.

„ QUoties aliquid in Ecclesia contra honorem Dei & salutem Fidelium attentatur, fratrum & Coëpiscoporum nostrorum, & eorum præcipuè qui Spiritu Dei aguntur cura debet existere, ut ea, quæ malè gesta sunt, gratam Deo correctionem debeant invenire. Hoc autem tempore, quod absque nimio mœrore non dicimus, charissimus filius noster Fridericus Romanorum Imperator tale quid egit, quale temporibus antecessorum suorum non legimus perpetratum. Cùm enim nos duos de melioribus fratribus nostris, Bernhardum Tit. S. Clementis, & Rolandum Cancellarium nostrum Tit. S. Marci Presbyteros Cardinales, ad ipsius præsentiam misissemus, ipse cùm primùm ad ejus præsentiam pervenerunt, alacriter visus est eos recepisse. Sequenti verò die cùm redirent ad eum, & literæ nostræ in ejus auribus legerentur, accepta occasione cujusdam verbi, quod ipsarum literarum series continebat, *insigne* videlicet *coronæ beneficium tibi contulimus*, in tantam animi commotionem exarsit, ut convitia, quæ in nos & Legatos nostros dicitur conjecisse, & quàm inhonestè ipsos à præsentia sua recedere, ac de terra sua velociter exire compulerit, & audire opprobrium, & lamentabile sit referre. Eis autem ab ipsius præsentia excedentibus, facto edicto, ne aliquis de Regno vestro ad Apostolicam Sedem accedat, per omnes fines ejusdem Regni custodes dicitur posuisse, qui eos, qui ad Sedem Apostolicam venire voluerint, violenter debeant revocare. Super quo facto licèt aliquantulum perturbemur, ex hoc tamen in nobis ipsis majorem consolationem accipimus, quòd ad id de vestro & Principum consilio non processit. Unde confidimus eum à sui animi motu, consilio & persuasione vestra facilè revocandum. Quocirca fratres, quoniam in hoc facto non solùm nostra, sed vestra, & omnium Ecclesiarum res agi dinoscitur, charitatem vestram monemus, & exhortamur in Domino, quatenus opponatis vos murum pro domo Domini, & præfatum filium nostrum ad viam rectam quàm citiùs reducere studeatis: attentissimam sollicitudinem adhibentes, ut à Reinaldo Cancellario suo, & Palatino Comite, qui magnas blasphemias in præfatos Legatos nostros, & matrem vestram Sacrosanctam Romanam Ecclesiam evomere præsumpserunt, talem & tam evidentem satisfactionem faciat exhiberi: ut sicut multorum aures amaritudo sermonis eorum offendit, ita etiam satisfactio multos ad viam rectam debeat revocare. Non acquiescat idem filius noster consiliis iniquorum, consideret novissima & antiqua, & per illam viam incedat, per quam Justinianus, & alii Catholici Imperatores incessisse noscuntur. Exemplo siquidem & imitatione illorum, & honorem in terris, & felicitatem in cœlis sibi poterit cumulare. Vos etiam, si eum ad rectam semitam reduxeritis, & Beato Petro Apostolorum Principi gratum dependetis obsequium, & vobis, & Ecclesiis vestris conservabitis libertatem. Alioquin noverit antedictus filius noster, ex admonitione vestra, noverit ex promissionis Evangelicæ veritate, quòd Sacrosancta Romana Ecclesia super firmissimam petram, Deo collocante, fundata, quantocunque ventorum turbine quatiatur, in sua firmitate, protegente Domino, in seculum seculi permanebit. Nec autem, sicut nostis, deceret eum tam arduam viam absque vestro consilio attentasse. Unde credimus, quòd auditis admonitionibus vestris facillimè poterit ad frugem sanioris studii, sicut vir discretus, & Imperator Catholicus revocari.

CAP. XVI.

Quid Episcopi Alemanniæ rescripserint.

HIs literis, talique legatione percepta, Præsules Alemanniæ communicato in unum assensu & consilio, Sedi Apostolicæ in hæc verba rescribunt:

„ QUamvis sciamus, & certi simus, quòd Ecclesiam Dei fundatam supra firmam petram, neque venti, neque flumina tempestatum possint dejicere: nos tamen infirmiores & pusillanimes si quando hujusmodi contigerint impetus, concutimur, & contremiscimus. Inde nimirum graviter conturbati sumus, & conteriti su-

„ per

„ per his, quæ inter vestram Sanctitatem, & „ filium vestrum devotissimum Dominum no„ strum Imperatorem, magni mali, nisi Deus „ avertat, seminarium præbitura videntur. „ Equidem à verbis illis quæ in literis vestris „ continebantur, quas per nuncios vestros „ prudentissimos & honestissimos, Dominum „ Bernardum, & Dominum Rolandum Can„ cellarium, venerabiles Presbyteros Cardi„ nales, misistis, commota est universa Resp. „ Imperii nostri, aures Imperialis potentiæ ea „ patienter audire non potuerunt, neque au„ res Principum sustinere: omnes ita continue„ runt aures suas, quòd nos, salvâ gratiâ ve„ stræ sanctissimæ paternitatis, ea tueri propter „ sinistram ambiguitatis interpretationem, vel „ consensu aliquo approbare, nec audemus, „ nec possumus, eo quòd insolita & inaudita „ fuerunt usque ad hæc tempora. Literas au„ tem, quas nobis misistis, debita cum reve„ rentia suscipientes & amplectentes, com„ monuimus filium vestrum Dominum no„ strum Imperatorem, sicut jussistis, & ab eo „ responsum, Deo gratias, accepimus tale, „ quale decebat Catholicum Principem in hunc „ modum: Duo sunt quibus nostrum regi „ oportet Imperium, leges sanctæ Imperato„ rum, & usus bonus prædecessorum, & Pa„ trum nostrorum. Istos limites Ecclesiæ nec „ volumus præterire, nec possumus: quicquid „ ab his discordat, non recipimus. Debitam „ patri nostro reverentiam libenter exhibemus; „ liberam Imperii nostri coronam divino tan„ tùm beneficio ascribimus, electionis primam „ vocem Moguntino Archiepiscopo, deinde „ quod superest, cæteris secundùm ordinem „ Principibus, recognoscimus, regalem un„ ctionem Coloniensi, supremam verò, quæ „ Imperialis est Summo Pontifici, quicquid „ præter hæc est, ex abundanti est, à malo „ est. Cardinales in contemptum Dilectissimi „ & Reverendissimi Patris nostri, & consecra„ toris, à finibus terræ nostræ coëgimus non „ exire (13). Sed cum his, & pro his quæ „ & scripta, & scribenda ferebant in dedecus „ & scandalum Imperii nostri, ultra eos pro„ dire pati nolumus. Introitum & exitum Ita„ liæ nec clausimus edicto, nec claudere aliquo „ modo volumus peregrinantibus, vel pro suis „ necessitatibus rationabiliter cum testimonio „ Episcoporum & Prælatorum suorum Roma„ manam Sedem adeuntibus. Sed illis abusio„ nibus, quibus omnes Ecclesiæ Regni nostri „ gravatæ & attenuatæ sunt, & omnes penè „ claustrales disciplinæ emortuæ & sepultæ, „ obviare intendimus. In capite orbis Deus „ per Imperium exaltavit Ecclesiam, in capite „ orbis Ecclesia (non per Deum ut credimus) „ nunc demolitur Imperium. A pictura cœpit, „ ad scripturam pictura processit, scriptura „ in auctoritatem prodire conatur. Non pa„ tiemur, non sustinebimus: coronam ante „ ponemus, quàm Imperii coronam unà nobis„ cum sic deponi consentiamus. Picturæ de„ leantur, scripturæ retractentur, ut inter „ Regnum & Sacerdotium æterna inimicitia„ rum monumenta non remaneant. Hæc & „ alia, utpote de concordia Rogerii & Gui„ lhelmi Siculi, & aliis quæ in Italia facta „ sunt conventionibus, quæ ad plenum pro„ sequi non audemus, ab ore Domini nostri „ Imperatoris audimus. Absente autem Pala„ tino Comite, & in præparatione expeditio„ nis in Italiam præmisso, à Cancellario ibi„ dem adhuc præsente aliud non audivimus, „ nisi quod humilitatis erat & pacis, præter „ quòd eis pro periculo vitæ, quod à populo „ imminebat, pro viribus suis astiterit, cun„ ctis, qui ibi aderant, hujus rei testimonium „ ei perhibentibus. De cætero Sanctitatem ve„ stram suppliciter rogamus & obsecramus, „ ut nostræ parcatis infirmitati, ut magnani„ mitatem filii vestri, sicut bonus pastor, le„ niatis scriptis vestris scripta priora suavitate „ mellita dulcorantibus, quatenus & Ecclesia „ Dei tranquilla devotione lætetur, & Impe„ rium in suæ sublimitatis statu glorietur: ipso „ mediante & adjuvante, qui mediator Dei & „ hominum factus est, homo Christus Jesus.

CAP. XVII.

Quòd procinctum movens apud Augustam, & Nuncios Romani Pontificis audivit.

FEliciter ergo procinctum movens, ac apud Augustam Rhetiæ civitatem super ripam Lici fluminis castra ponens, confluentem ex diversis partibus militem per septem dies operitur. Interea Romanus Antistes de adventu Principis certior effectus (nam Legati ejus, videlicet Reinaldus Cancellarius, & Otto Palatinus Comes, quorum supra meminimus, jamdudum Italiam intraverant) in melius mutato consilio, ad leniendum ejus animum Nuncios mittit, Henricum videlicet Cardinalem Presbyterum Tit. S. Nerei & Achillei, & Jacinctum Cardinalem Diaconum Sanctæ Mariæ in schola Græca, viros prudentes in secularibus, & ad Curialia negotia pertractanda prioribus missis multò aptiores.

CAP. XVIII.

De Legatis Principis, quos misit in Italiam.

VErùm antequam horum iter & negotia prosequamur, non ab re est de præfatis regalium Nunciorum personis & gestis pauca de multis prælibare. Inerat utique his præclaris viris personarum spectabilitas gratiosa, generis nobilitas, ingenium sapientia validum, animi imperterriti: quippe (ut aliàs de quibusdam dicitur) (14) quibus nullus labor insolitus, non locus ullus asper, non armatus hostis formidolosus. Nullius sibi delicti, nullius libidinis gratiam faciebant. Laudis avidi, pecuniæ liberales erant, gloriam ingentem, divitias honestas volebant. Ætas juvenilis, eloquentia mirabilis, prope moribus æquales; præter quòd uni ex officio & ordine Clericali necessaria inerat mansuetudo & misericordia (15): alteri, quem non sinè causa portabat, gladii severitas dignitatem addiderat. His moribus, talibusque studiis sibi laudem, Imperio gloriam, & utilitates non modicas, domi, militiæque peperere, adeò quòd tunc temporis penè nihil ingens, nullum exquisitum virtutis facinus in ea expeditione gestum est, in quo hos heroas (16), aut primos, aut de primis non compererim extitisse.

CAP.

(13) C. MS. exire non coëgimus.
(14) (ut alias de quibusdam dicitur) *desideratur in MSto.*
(15) C. MS. paulo mitior animus.
(16) C. MS. viros.

CAP. XIX.

Quomodo præcurſores Imperatoris in Italia caſtrum Rivola in deditionem accipiunt, & juramentum quale Imperatori facere promiſerint Epiſcopi, atque aliæ civitates.

ITaque in primo ſuo ingreſſu in Italiam, caſtrum, quod Rivola vocatur, ſuper Clauſuram Veronenſium ſitum, naturâ loci inexpugnabile, in deditionem accipiunt: exiſtimantes præſidio ejuſdem in tam ſtrictis locorum faucibus noſtros clementiorem aditum veniendi & redeundi invenire. Excepti cum magna frequentia & honorificentia Epiſcopi civiumque Veronenſium, tam illic, quàm in aliis civitatibus fidelitatem Imperatori, & adminiculum expeditionis, tactis ſacroſanctis Evangeliis, promitti fecerunt, viamque venturo Imperatori præparantes, ejus adventus fidi & utiles præcurſores extitere. Sanè hæc eſt forma ſacramenti, in qua omnes juraverunt.

Ego juro quòd amodo in antea ero fidelis Domino meo Friderico Romanorum Imperatori contra omnes homines, ſicut jure debeo Domino & Imperatori, & adjuvabo eum retinere coronam Imperii, & omnem honorem ejus in Italia, nominatim & ſpecialiter civitatem illam, & quicquid in ea juris habere debet, vel in omni virtute Comitatus vel Epiſcopatus N. Regalia ſua ei non auferam ibidem, nec alibi, & ſi fuerint ablata, bona fide recuperare & retinere adjuvabo. Neque in conſilio ero neque in facto, quòd vitam, membrum, vel honorem ſuum perdat, vel mala captione teneatur. Omne mandatum ejus, quod ipſe mihi fecerit, per ſe, vel Epiſtolam ſuam, aut per Legatum ſuum, de facienda juſtitia, fideliter obſervabo, & illud audire, vel recipere, vel complere nullo malo ingenio evitabo. Hæc omnia obſervabo fide bona, ſinè fraude. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta quatuor Evangelia.

CAP. XX.

Quomodo Legati Principis ab Italis recepti, & quid patraverint, & cur Otto Comes palatii in Guilhelmum quendam Ravennatenſem nobilem manum miſerit.

A Verona per Mantuam iter agunt, & venientes Cremonam, celebre colloquium, & ſi mavis, Curiam tenuere, occurrentibus eis ad eam civitatem Archiepiſcopis Ravennate & Mediolanenſe, & de Suffraganeis eorum XV. Epiſcopis, necnon Comitibus, Marchionibus, Conſulibus, & primis omnium circa jacentium civitatum: idque veraciter aſſerere potero, multis ante hæc Regibus denegatam eam, quam tunc probitate ſua evicerunt iſti Legati Principis, magnificentiam & gloriam. Inde per Romaniolam & Æmiliam iter agentes, Exarchatum Ravennatem viſitant, nuſquam ſegnes, nuſquam incauti peragere, quæ negotiis Principis, ac Regni utilitatibus profutura noviſſent. Inde per Ariminum versùs Anconam tendunt. Compererant enim Logothetam ſeu Palæologum cum aliis Nunciis Conſtantinopolitani Imperatoris ibidem morari: ſpecie quidem, quo adversùs Guilhelmum Siculum largitione pecuniæ milites, qui ſolidarii vocantur, colligerent, re autem vera, ut civitates maritimas (quod ſæpiùs ante hac attentatum novimus) ſeu vi, ſeu dolo, ſub Græcorum redigerent ditionem. Cùmque Ravenna exeuntes, non longè adhuc à civitate proceſſiſſent, obvios habuere non paucos de melioribus terræ, qui ad præfatos Græcorum Legatos ierant, & cum ipſis colloquium familiare tenuerant. Qua de re commoti & in iram verſi, pro eo quòd ſe deſpexiſſe, & Græcos ſpe lucri (17) ſibi præpoſuiſſe viderentur, Otto palatii Comes, nec ſuorum paucitate, nec illorum remoratus numeroſitate, gladio exerto in meliorem & Nobiliorem omnium Ravennatenſium, nomine Guilhelmum, cognomento Maltraverſar, manum miſit, ſeque eum captivum abducturum comminatus eſt: omnibus aliis præ timore & pavore ſilentibus, & non contradicentibus. Magna & miranda præfati Comitis animoſitas, quem nec copioſus ejuſdem Nobilis viri comitatus terruit, nec vicinæ civitatis metus permovit quin ut Legatus Imperii, ubi ratio poſtulabat, auctoritate Imperiali uteretur. Tandem lenioribus verbis, & multa ſupplicatione mitigatus & placatus, cœptum iter peregit, ac contra Græcos, qui (ut diximus) apud Anconam tunc morabantur, profecturus, non parvam militiam collegit, & prope civitatem caſtra poſuit. Evocatos itaque ad ſe, verbis minacibus, & valde gravibus adorſi ſunt: qua temeritate ſinè Principis conſcientia talia præſumpſiſſent, non ſe ignorare Danaum inſidias, & Græcam aſtutiam, ſimulata humilitate (18) maleficia volviſſe, callidiſſima fraude compoſita, in amicos deputaſſe, quod contra inimicos ſtruxiſſe putabantur. Cùmque manifeſtis indiciis hoſtes Romani Imperii convincantur, non aliud ſupereſſe, quàm ut pro crimine læſæ majeſtatis de ipſis omnibus ſupplicium ſumatur.

Talibus invectionibus perterriti Græci, atque animo conſternati, multa ſupplicatione verba excuſationis depromunt, partemque ſuam quibus poſſunt argumentis purgare conantur. Nequaquam ſe ignorare legem Juliam Majeſtatis, quæ in eos qui contra Imperatorem, vel Rempub. aliquid moliti, ſuum vigorem extendit. Verùm ab hoc ſuam ipſorum conſcientiam ſeſe beatos facere, ficta pro veris non recipienda. Magis eos credere debere benignitatibus & obſequiis ſæpiſſimè à Græcis in noſtros experimento probatis. Teſtis horum ſit Alemannia tota, teſtis pietatis ſit ipſe Imperator, nunc Princeps Orbis terrarum, qui hæc aliquando viderit, & re ipſa expertus fuerit. Æquitas in vivos, miſericordia in mortuos, honor in Principem, munificentia in Optimates: hæc eſſe affectus ſui erga noſtros probationes certiſſimas, fictiſque criminationibus veriores. His & ſimilibus ſe cum magna mentium contritione, Græcis de objectis excuſantibus, dum nulla fraudis deprehendi potuiſſent indicia, acceptis ab eis magnificis muneribus, in Græciam eos pacificè remigrare concedunt, ipſique Mutinum revertuntur.

CAP.

(17) ſpe lucri *non habetur in MSto.*

(18) C. MS. humanitate.

CAP. XXI.

Qualiter se Legati erga Nuncios Romani Pontificis habuerint, & quid iisdem Romanis in via acciderit.

HIsdem diebus Henricus & Jacinctus, supra dicti Nuncii Adriani Papæ, Ferrariam venerant, auditoque quòd Legati Imperatoris Mutinum rediissent, non sperantes ipsos sibi occurrere, humilitatis formam præbentes, quod insolitum antea fuerat, ad eos pergunt: expositâque causâ legationis, quòd scilicet ea, quæ pacis essent, & honori Imperio, in mandatis haberent, dimittuntur. Jam verò adventum illorum per omnes partes illas, ubi arta montium transituri erant, fama nuntiaverat, multosque mortalium rerum alienarum cupidos id contra eos animaverat, quod penè neminem latebat, Majestatem Imperialem Romanis infensam existere, quodque vitio aviditatis quisque ardebat, ac si Regiæ voluntati obsequeretur, temerarius intendebat: sperans, in hoc casu latrocinium honestiori nomine posse palliari. A Ferraria itaque Veronam, à Verona per vallem Tridentinam iter agunt, habentes secum gratiâ majoris securitatis venerabilem Episcopum Tridentinum Albertum. Sed prævaluit auri sacra fames, quæ quos arripuit, nil unquam honestum, nil moderatum sentire, vel appetere permittit. Nam Fridericus & Henricus Comites, quorum in illis partibus non parum poterat violentia, tam Cardinales, quàm Episcopum captos, spoliatos in vinculis ponunt, donec Romanus quidam datus in obsidem, Nobilis vir, germanus Jacincti, Episcopum autem evidenter divina potentia liberavit. Hanc tamen immanitatem Henricus Nobilissimus Dux Bajoariæ & Saxoniæ, ob amorem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & honorem Imperii, non multo post probè vindicavit. Namque & vadem eripuit, & Comites multis malis attritos, ad deditionem & satisfactionem coëgit.

CAP. XXII.

Quæ verba Nuntii Romani apportaverint, item excusatoriæ literæ Adriani Papæ.

FRiderico igitur, ut jam dictum est, castra in campestribus Augustæ civitatis metato, ad suam eosdem Legatos admittit præsentiam, eisque clementer receptis, causam adventus exquirit. Illi reverenter, ac demisso vultu, voce modesta, tale suæ legationis assumunt principium.

Præsul Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Vestræ Excellentiæ devotissimus in Christo pater salutat vos, sicut charissimum & specialem (19) *Sancti Petri filium. Salutant etiam vos venerabiles fratres nostri, Clerici autem vestri, universi Cardinales, tanquam Dominum & Imperatorem Urbis & Orbis. Quanta dilectione Sancta Romana Ecclesia amplitudinem & honorem Imperii vestri amplectatur, quàm sinè conscientia peccati vestram satis invita sustinuerit indignationem, & scripta præsentia, & in ore nostro positæ vivæ vocis officium declarabit*. Post hæc verba literas efferunt, quæ venerabili Ottoni Frisingensi Episcopo ad legendum, simul & interpretandum datæ sunt, viro utique, qui singularem habebat dolorem de controversia inter Regnum & Sacerdotium. Exemplar literarum hoc est.

„ EX quo universalis Ecclesiæ curam, Deo „ (prout ipsi placuit) disponente, suscepimus, ita in cunctis negotiis Magnificentiam Tuam honorare curavimus, ut de die in diem animus tuus magis ac magis in amore nostro, & veneratione Sedis Apostolicæ debuisset accendi. Unde sinè grandi admiratione non ferimus, quòd cùm audito ex suggestione quorundam animum tuum aliquantulum contra nos fuisse commotum, duos de melioribus, & majoribus fratribus nostris, Rolandum scilicet Cancellarium tit. S. Marci, & Bernhardum tit. S. Clementis Presbyteros Cardinales, qui pro Tuæ Majestatis honore in Romana Ecclesia solliciti semper extiterant, pro voluntatis tuæ cognitione ad tuam præsentiam destinavimus (20), aliter quàm Imperialem decuerit honorificentiam, sunt tractati. Occasione siquidem cujusdam verbi, quod est, *Beneficium*, tuus animus (sicut dicitur) est commotus, quòd utique nedum tanti viri, sed nec cujuslibet minoris animum meritò commovisset. Licèt enim, hoc nomen, quod est *Beneficium*, apud quosdam in alia significatione, quàm ex impositione habeat, assumatur: tunc tamen in ea significatione accipiendum fuerat, quam nos ipsi posuimus, & quam ex institutione sua noscitur retinere. Hoc enim nomen ex *bono* & *facto* est editum, & dicitur beneficium apud nos, non feudum, sed bonum factum. In qua significatione in universo Sacræ Scripturæ corpore invenitur, ubi ex beneficio Dei non tanquam ex feudo, sed velut ex benedictione, & bono facto ipsius gubernari dicimur, & nutriri. Et Tua quidem Magnificentia liquidò recognoscit, quòd nos ita bene & honorificè Imperialis dignitatis insigne tuo capiti imposuimus, ut bonum factum valeat ab omnibus judicari. Unde quòd quidam verbum hoc, & illud, scilicet: *Contulimus tibi insigne Imperialis Coronæ*, à sensu suo visi sunt ad alium retorquere: non ex merito causæ, sed de voluntate propria, & illorum suggestione, qui pacem Regni & Ecclesiæ nullatenus diligunt, hoc egerunt. Per hoc enim vocabulum: *Contulimus*, nil aliud intelleximus, nisi quod superiùs dictum est, *imposuimus*. Sanè quod postmodum personas Ecclesiasticas à debita Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ visitatione, ut dicitur, revocare jussisti, si ita est, quàm inconvenienter actum sit, tua, Fili in Christo charissime, discretio, ut credimus recognoscit. Nam si aliquid apud nos amaritudinis habebas, per Nuntios & literas tuas nobis fuerat intimandum, & nos honori tuo curavissemus, sicut filii charissimi, providere. Nunc igitur quoniam ad commonitionem dilecti filii nostri Henrici Bajoariæ & Saxoniæ Ducis, duos de fratribus nostris Henricum tit. S. Nerei & Achillei, & Jacinctum S. Mariæ in Cosmidin „ Dia-

(19) C. MS. spiritualem.

(20) C. MS. dreximus.

„ Diaconos Cardinales, prudentes siquidem „ & honestos viros, ad tuam præsentiam destinavimus, Celsitudinem Tuam monentes „ & hortantes in Domino, quatenus eos honestè, & benignè recipias, & quod ab eis „ ex parte nostra Tuæ Magnificentiæ fuerit „ intimatum, à sinceritate cordis nostri noverit Tua Excellentia processisse, ac per hoc „ cum eisdem filiis nostris, mediante jam dicto filio nostro Duce, ita Celsitudo Tua „ studeat convenire, ut inter te ac matrem „ tuam Sacrosanctam Romanam Ecclesiam, „ nullius discordiæ seminarium debeat remanere.

CAP. XXIII.

Quomodo Imperator Legatis Pontificis reconciliatus fuerit.

LEctis, & benigna interpretatione expositis literis, Imperator mitigatus est, clementiorque factus, quasdam causas alio loco memorandas, quæ seminarium discordiæ præstarent, si non congrua emendatio interveniret, Legatis per capitula distinxit. Quibus ad nutum Principis, & per omnia bene respondentibus, Præsulemque Romanum in nullo Regiæ dignitati derogare, sed honorem ac justitiam Imperii semper illibatam conservare pollicentibus, pacem & amicitiam tam Summo Pontifici, quàm omni Clero Romano reddidit, eamque signo pacis & osculo, absentibus per præsentes destinavit. Sicque hilariores facti Legati, donatique regalibus muneribus, divertunt in Civitatem.

CAP. XXIV.

De Nunciis Regis Daciæ, petentes investituram suo Regi mittere.

EOdem loco, iisdemque diebus Nuntii Regis Daciæ nuper electi, Principis adeunt præsentiam, postulantes, quatenus investituram de Regno suo Regi mittere, ac electionem de ipso factam ratihabitione confirmare dignaretur. Exaudivit eos Imperator, præbito & accepto ab eis sacramento jurisjurandi: post reditum suum de Italia, infra XL. dies Regem ad Curiam venturum, & Regni administrationem de manu Principis, debitæ fidelitatis interposita securitate, suscepturum.

CAP. XXV.

Quot & quibus viis exercitus montana transivit, & quomodo Brixienses primo impetu attriti sunt.

INterea confluente ad ipsum undique versùs copioso exercitu, Nuntii diversorum Principum aulam replevere, quibus locis singuli eorum cum singulis exercitibus per arctiora montium loca transirent, Imperatorem consultantes. Tantæ siquidem erant auxiliariorum copiæ, quòd plurium viarum meatus vix eos præ multitudine sustinere potuisset, videlicet Francorum, Saxonum, Ribuariorum, Burgundionum, Suevorum, Bajoariorum, Lotharingiorum, Boëmorum, Ungarorum, Carentanorum, & cum his aliæ nonnullæ Celticæ seu Germanicæ nationes: viri fortes, bellatores, infinitæ multitudinis, vario armorum apparatu: juventus valida, & ad bellorum motus imperterrita. Fridericus habito consilio, & provida circumspectione usus, hoc modo eis vias, & Alpium transitus censuit distribuendos. Dux Austriæ Henricus, & item Henricus Dux Carentanus, & simul cum eis copiæ Ungarorum, fermè DC. sagittarii electi, pariterque Comites & Barones illarum terrarum, per Canalem, & Forum-Julii, atque Marchiam Veronensem. Dux Bertolfus de Zaringen, vel potiùs Burgundiæ, cum Lotharingis, per viam Julii Cæsaris, quæ modò Mons-Jovis vocatur. Multa pars Francorum, Ripariolorum, ac Suevorum per Clavennam, & lacum Cumanum. Princeps ipse habens in comitatu suo Regem Boëmiæ, Ducem Sueviæ, videlicet Fridericum filium Regis Conradi, fratrem suum Conradum Palatinum Comitem de Rheno, Fridericum Coloniensem, Arnaldum Moguntinum, Hellinum Treverensem Archiepiscopos, cum Episcopis Conrado Eistetensi, Daniele Pragensi, Hermanno Verdensi, Gebehardo Herbipolensi, & Abbatibus regalium Cœnobiorum, videlicet Fuldensi, Augiensi. Taceo Marchiones, Comites clarissimos, & valde potentes, quorum nomina si coner perstringere, delicato seu pigro lectori onerosus existam. His omnibus stipatus agminibus, imò divino comitatus præsidio, divus Augustus Alpium fauces felici procinctu cœpit urgere. Jam angustias montium lætus exierat exercitus, jam in planis Italiæ campestribus castrametati fuerant, primaque venientium impetum Brixia temerè in locis munitis, & militum suorum fortitudine confisa, armis ausa fuit excipere. Sed momento temporis laceratis ejus viribus, subacta est. Primò à Rege Boëmorum graviter attrita: deinde in adventu Principis, datis LX. vadibus, simulque non modica pecunia, in deditionem pactionis (21) recepta.

CAP. XXVI.

Quomodo pacem in exercitu Princeps jurari fecerit, & de legibus pacis.

REsidente Augusto, & ex diversis civitatibus Italiæ venientem militem præstolante, consilio inito, commodè & religiosè satis, priùs de pacis quàm de belli tractat negotiis. Conventum ergo Principum cogens, leges pacis in exercitu conservandas tales constituit:

Statuimus, & firmiter observari volumus, ut nec miles, nec serviens litem audeat movere. Quòd si alter cum altero rixatus fuerit, neuter debet vociferari signa castrorum, ne inde sui concitentur ad pugnam. Quòd si lis mota fuerit, nemo debet accurrere cum armis, gladio scilicet, lancea, vel sagittis: sed indutus lorica, scuto, galea, ad litem non portet nisi fustem, quo dirimat litem. Nemo vociferabitur signa castrorum, nisi quærendo hospitium suum. Sed si miles vociferatione signi litem commoverit, auferetur ei omne suum harnascha, & ejicietur de exercitu. Si servus fecerit, tondebitur, verberabitur, & in maxilla comburetur, vel

(21) C. MS. deditionis pactionem.

vel dominus suus redimat eum cum omni suo barnascha.

Qui aliquem vulneraverit, & hoc se fecisse negaverit, tunc si vulneratus per duos veraces testes, non consanguineos suos, illum convincere potest, manus ei abscindatur. Quòd si testes defuerint, & ille juramento se expurgare voluerit, accusator si vult, potest juramentum refutare, & illum duello impetere.

Si quis homicidium fecerit, & à propinquo occisi vel amico, vel socio, per duos veraces testes non consanguineos occisi, convictus fuerit, capitalem sententiam subibit. Verùm si testes defuerint, & homicida se juramento expurgare voluerit, amicus propinquus occisi duello eum potest impetere.

Si extraneus miles pacificè ad castra accesserit, sedens in palefrido sinè scuto & armis, si quis eum læserit, pacis violator judicabitur. Si autem sedens in dextrario, & habens scutum in collo, lanceam in manu, ad castra accesserit, si quis eum læserit, pacem non violavit.

Miles qui mercatorem spoliaverit, dupliciter reddet ablata, & jurabit quòd nescivit illum mercatorem. Si servus, tondebitur, & in maxilla comburetur, vel dominus suus reddet pro eo rapinam.

Quicunque aliquem spoliare Ecclesiam vel forum viderit, prohibere debet; tamen sinè lite: si prohibere non potest, reum accusare debet in Curia.

Nemo aliquam mulierem habeat in hospitio: qui verò habere præsumpserit, auferetur ei omne suum harnasch, & excommunicatus habebitur, & mulieri nasus abscindetur.

Nemo impugnabit castrum, quod à Curia defensionem habet.

Si servus furtum fecerit, & in furto fuerit deprehensus, si priùs fur non erat, non ideo suspendetur, sed tondebitur, verberabitur, & in maxilla comburetur, & ejicietur de exercitu, nisi dominus redimat eum cum omni suo harnasch. Si priùs fur erat, suspendetur.

Si servus aliquis culpatus non in furto fuerit deprehensus, sequenti die expurgabit se judicio igniti ferri, vel dominus juramentum pro eo præstabit. Actor verò jurabit, quòd aliam ob causam non interpellat eum de furto, nisi quòd putat culpabilem.

Si quis invenerit equum alterius, non tondebit eum, nec ignotum faciet, sed dicet Marscalco, & tenebit non furtivè, & imponet ei onus suum. Quòd si ille, qui amisit equum, in via deprehenderit oneratum, non dejiciet onus illius, sed sequens ad hospitium, recipiet equum suum.

Si quis verò villam, vel domum incenderit, tondebitur, & in maxillis comburetur, & verberabitur.

Faber non comburet carbones in villa, sed portabit ligna ad hospitium suum, & ibi comburet: quod si in villa fecerit, tondebitur, verberabitur, & in maxillis comburetur.

Si quis aliquem læserit, imponens ei quòd pacem non juraverit, non erit reus violatæ pacis: nisi ille probare possit duobus idoneis testibus, quòd pacem juraverit.

Nemo recipiet servum, qui sinè domino est: quod si fecerit, reddet in duplo quicquid ille abstulerit.

Quicunque foveam invenerit, liberè fruatur ea. Quòd si ablata fuerit ei, non reddet malum pro malo, non ulciscetur injuriam suam, sed conqueretur Marscalco justitiam accepturus.

Sed si mercator Teutonicus civitatem intraverit, & emerit mercatum, & portaverit ad exercitum, & cariùs vendiderit in exercitu: Camerarius auferet ei omne forum suum, & verberabit eum, & tondebit, & comburet in maxilla.

Nullus Teutonicus habeat socium Latinum, nisi sciat Teutonicum: sed si habuerit, auferetur ei quicquid habet.

Si miles militi convitia dixerit, negare potest juramento: si non negaverit, componat ei X. libras monetæ, quæ tunc erit in exercitu.

Si quis invenerit vasa plena vini, vinum inde extrahat ita cautè, ne vasa confringat, vel ligamina incidat vasorum, ne ad damnum exercitus totum vinum effundatur.

Si castrum aliquod captum fuerit, bona quæ intus sunt auferantur: sed non incendatur, nisi fortè hoc Marscalcus faciat.

Si quis venatus fuerit cum canibus venaticis, feram quam invenerit, & canibus agitaverit, sinè alicujus impedimento habebit.

Si quis per canes leporarios feram fugaverit, non erit necessariò sua, sed erit occupantis.

Si quis lancea vel gladio feram percusserit, & antequam manu levaverit, alter occupaverit, non (22) occupantis erit: sed qui occiderit eam sinè contradictione obtinebit.

Si quis birsando feram balista vel arcu occiderit, ejus erit.

Hanc Treugam Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, datis pro se dextris firmaverunt, & violatores pacis Pontificalis officii severitate coërcendos promiserunt.

CAP. XXVII.

Adhortatio Principis post adunatum exercitum.

JAm totus exercitus tam Cisalpinus, quàm Transalpinus convenerat: jam multitudo prudentium, & in Lege Doctissimorum in unum coierant, omniumque aures intentæ erant, quas ad partes, vel in quas nationes in primis eos bellicus labor, & voluntas Principis invitaret. Tunc Imperator, conjuncta cum hilaritate juvenili regia severitate, ut & timeri pariter & amari mereretur, unde exaudiri posset, constitisse, & pro concione hujuscemodi usus oratione, memoratur.

„ Regi Regum magnas nos, & ingentes debere gratias cognoscimus: cujus dum complacuit ordinationi, ut quasi minister ejus, & vestri Regni gubernacula regeremus, tantam nobis in vestra probitate atque prudentia fiduciam donavit, quòd in multis experimentum vestri habentes, salvo nobis benignitatis vestræ præsidio, simul & consilio, quæcunque occurrerint, quæcunque Rempublicam Romani Imperii turbare ausa fuerint, facilè reprimenda putemus. Imperii inquam Romani, cujus apud nos ministerium, auctoritatem penes vos, qui Opti-„ ma-

(22) *non deest in MS.*

„ mater Regni estis, recognoscimus. Nemo „ nos pro libitu nostro bella gerere putaverit, quorum & eventus varius est, & quæ „ Comitum suorum videlicet fame, siti, vigiliis, denique diversis mortibus horrenda „ & formidolosa non ignoramus. Non ad „ prœlium nos accendit libido dominandi, sed „ feritas rebellandi. Mediolanum est, quod „ patriis vos laribus excivit: quod charis liberorum & conjugum vos amplexibus abstraxit: quod hos omnes labores, sua irreverentia & temeritate, capitibus vestris induxit. Justam vobis belli causam fecerunt, „ qui legitimo Imperio rebelles inveniuntur. „ Suscipietis itaque bella ipsa non cupiditate, „ vel crudelitate, sed pacis studio, ut malorum audacia coërceatur, & boni disciplinæ „ suæ debitum fructum inveniant. Quòd si „ per desidiam, aut ignaviam dedecus à Mediolano vindice gladio non prosequeremur, „ jam indubitanter eum finè causa portaremus, nec tam esset in hoc nostra laudanda „ patientia, quàm negligentia vituperanda. „ Ministri ergo justitiæ, suffragium vestrum „ justè postulamus, ut temeritas adversariorum careat effectu, & Imperii status ad „ nostra deductus tempora, nostro ministerio „ debitum sortiatur honorem. Non inferimus, sed depellimus injuriam. Cùmque „ justum bellum sit, quod ex edicto superioris potestatis geritur, agite nunc universi, „ summam militiæ laudem consecuturi, de „ meritis & laboribus fructum congruo tempore (23) recepturi, obedientiam Reipublicæ utilitatibus exhibete; quicquid vobis „ utiliter imperatum fuerit, pro viribus obtemperate: divina siquidem opitulante misericordia, non segnes, non degeneres invenire nos debet inimica civitas in conservando quod antecessores nostri Carolus & „ Otto titulis Imperii addidere, primique de „ ultramontanis; ille inter Occidentales, hic „ inter Orientales Francos, & ad Regni terminos dilatandos adjicere curaverunt.

Dixerat, verbumque Augusti strepitus, clamor, favorque totius exercitus prosequitur, & divina quædam alacritas militibus incidit, salutis Datori vota, ac Friderico Imperatori fausta quisque patria voce adclamantes. At sapientes, & Legum periti persuadent, Mediolanenses licèt improbos & infames, judicis tamen officio per legitimas inducias citandos esse, ne violentia eis illata, vel contra jus in absentes prolata sententia videretur. Legitimas verò inducias dicunt Judicis edictum unum, mox alterum, & tertium, seu unum pro omnibus, quod *peremptorium* nominatur: quod & factum est.

CAP. XXVIII.

De Nunciis Mediolanensium, & immutatione atque commotione, quæ in civitate facta est.

Itaque Mediolanenses cùm viderent universam vim belli suis imminere capitibus, eligunt quos ad Curiam mittant Legatos, viros eruditos, & in dicendo acerrimos. Qui cùm se pœnalibus, & stricti juris actionibus conveniri viderent, neque Principem pactione multæ pecuniæ posse deliniri, suffragio Optimatum frustra quæsito, pacisque infecto negotio, ad suos revertuntur. Imperator astipulantibus judicibus, & primis de Italia, contra Mediolanenses condemnationis proferens sententiam, hostes eos judicat, omnique apparatu ad obsidionem civitatis accingitur.

Quibus rebus apud Mediolanum compertis, permota civitas, atque immutata urbis facies erat, ex summa lætitia, atque lascivia, quæ diuturna eis requies pepererat, repentè omnes tristitia invasit. Festinare, trepidare, suo quisque modo & metu pericula metiri. Ad hæc mulieres, quibus suæ Reip. magnitudine belli timor insolitus incesserat, afflictare sese, manus supplices ad Cœlum tendere, misereri parvos, omnia pavere. Fuere tamen plerique (sicut alibi de quibusdam dicitur) qui se & Remp. obstinatis animis perditum irent. Nam semper in civitatibus, quibus opes nullæ sunt, qui æs alienum solvere non possunt, bonis aliorum & quieti invident, nova exoptant, odio suarum rerum omnia mutari student, seditionibus sinè cura aluntur: quoniam (ut dicitur) egestas facilè habetur sinè damno. Præterea juventus, quæ magis manuum labore victum quærens inopiam tolerabat, publicis largitionibus excita, urbanum ocium ingrato labori prætulerat. Unde factum est, ut multitudine hujus vulgi prævalente, Reip. juxta ac sibi consulerent, ac libentiùs (24) animis belli eventum expectarent, nobilioribus & melioribus metu talium silentio addictis. Et hæc quidem in civitate.

CAP. XXIX.

Quomodo Fridericus ad obsidionem Mediolani properans Abduam transivit.

Fridericus autem per aliquot dies operiens, expectabat si fortè Mediolanenses pœnitudo salubris ab incœpto rebellionis revocaret, si fortè cladis & periculorum consideratio eos propositum mutare persuaderet. Paratus etenim erat serenus Principis animus potiùs correctis veniam præstare, quàm post destructionem Provinciæ, cum damno multorum, de perdito populo triumphare. Illis igitur in priori pertinacia permanentibus, cunctis comitatus agminibus, incipere obsidionem acriter statuit, castraque movens usque ad flumen Abduam processit. Is fluvius Cremonensium ac Mediolanensium fines medius dirimens, sæpissimè atroces eorum contra sese incursus inhibuit, & tunc quidem propter liquentes in Alpibus nives, non mediocri inundatione excreverat, ruptisque pontibus omnino transvadandi opportunitatem exercitui denegare videbatur. Aderant quoque in ulteriore fluminis ripa pugnacissimi de Mediolanensibus circiter mille equites armati, qui se ope & adminiculo inundantis fluminis facilè vada pontesque defendere posse arbitrati sunt;

Verùm contra audaces non est audacia tuta. Nempe frustrati sunt, cùm ex improviso Rex Boëmiæ, & Conradus Dux Dalmatiæ, cum suis parvipendentes periculum, aquis se dederint, & quamvis difficillimè, & non sinè clade suorum, imperterriti tamen alveum furentis amnis transvadaverint, vel potiùs transnatave-

(23) C. MS. cognoscite.

(24) C. MS. libentibus.

rint. Numerus eorum quos aquarum vehementia involvit, involvendo submersit, circiter ducentos (25) æstimabatur. Mediolanenses postquam Regem præter spem & opinionem suam transisse cognoverunt, ante pugnam fuga disjecti, & ad civitatem reversi sunt: sarcinæ relictæ, & præda universa à nostris direpta. Has primitias belli, primosque conatus infaustos Mediolanensibus nonnulli asperiùs auspicati sunt, rerum exitus ex principio metientes. Boëmos reliquus exercitus secutus, pars refectis pontibus, pars insano gurgiti se immittentes, tam se, quàm sarcinas transposuere.

CAP. XXX.

Quomodo castrum Tretium ab Imperatore expugnatum sit.

Erat non longè ab eo loco castrum quoddam Mediolanensium, Tretium appellatum, in planitie campestri, mediocri eminentia paululum in altum sublatum: quod una parte jam dictus fluvius Abdua alluebat, altera muri fortissimi ambitu, turrisque fortitudine muniebatur, pontem firmum, & ad transmeandum copiosæ militiæ habilem, suis continuans suburbiis. Augustus commodum ratus ad transitum suorum, si præfatum castrum suæ subigeret potestati, obsidione cingit, oppugnat & in brevi expugnat. Castellani enim disciplina militum & ingenio conterriti, paulisper quidem primos sustinere (26) impetus: deinde cùm nullum locum fugæ, nullum de civitate præsidium sperarent, scientes quòd pro vita res illis erat, dextras postulant, accipiunt, munitionem dedunt; plurimi pendentes, quòd in tam adversa fortuna personarum salutem lucrati fuissent. Fridericus locatis ibidem præsidiis, ad obsidionem civitatis acies instruit.

CAP. XXXI.

De morte Comitis EKeberti, & aliorum nobilium, & quomodo Imperator ob hoc iratus placatus fuerit.

Progrediente autem eo in hostilem terram, quidam de exercitu malæ affectatæ laudis avidi, prævenire alios, & de virtute certando alter alteri superior inveniri desiderabant. Inter quos erat Comes EKebertus de Butene, vir nobilitate, divitiis & virtute animi ac corporis insignis, cum quibusdam aliis Nobilibus, & regalis familiæ militibus. Isti coëuntes in unum, circiter mille equites armati, sperantes se aliquid memorabile facturos, ad civitatem properant, & penè usque ad portam assultum faciunt, viri digni pro fortitudine, qui meliore fortuna usi fuissent. Nam etsi cœptum casus invidit, tamen non qualiter cesserit, sed quid decreverint attendendum. Excipiuntur siquidem valida hostium multitudine: certatur hastis primò, deinde strictis ensibus dimicatur, vixque in conflictu discerni poterat ex qua parte quisque pugnaret, permixtis viris, & propter angustias permutatis: visum pulvis obortus & excitatus ad instar noctis excæcabat, vocis autem intellectum magnitudo, & diversitas confundebat. Neque enim fugæ, vel persecutioni locus erat, sed qui inter primos stetissent, aut cadendi, aut occidendi necessitatem habebant, quia refugere non dabatur. Nam & posteriores utriusque partis in fronte suos urgebant, nullumque inter dimicantes bello vacuum intervallum reliquerant. Cùm autem hostium multitudo, nostrorum animos & peritiam vinceret, jamque tota acies pelleretur, prædictus Comes EKebertus, uni suorum qui dejectus fuerat, opem ferre cupiens, subitò equo prosilit, militem liberat, jamque vincentes hostes penè solus perturbat, & ad vallum usque civitatis persecutus est. Fugiebant eum universi, neque vim hominis, neque audaciam sustinentes. Verùm profectò fata virum persequebantur, quæ ab homine vitari non possunt. Multitudine quippe adversariorum undique circumfusus, ad terram lancea prostratus est, & detracta galea atque thorace, capite cæsus, nemine succurrente, quòd locus intercludebat auxilium ferre cupientem. Ægrè itaque Nobilissimus Comes, & vir regalis sanguinis perimitur, magnam de se querelam non tantùm apud suos, sed etiam apud exteros relinquens. Dictum tamen memini à quibusdam, vivum eum captum, & intra civitatem atrociter decollatum. Occisi sunt ibidem quidam alii Nobiles, quorum unus erat Joannes Dux, & major de Exarchatu Ravennatensium (27), & Regii milites N. & N. capti quidam, cæteri ad castra revertuntur.

Revertentes autem milites interminatio Principum, & Imperator iratus, hujusmodi oratione corripuit: *Mediolanenses omnia cum deliberatione faciunt, atque prudentia, fraudes & insidias componendo, eorumque dolos fortuna persequitur. Nostri verò, quibus ob disciplinam & consuetudinem obediendi rectoribus fortuna famulatur, nunc contrariò peccant. Non immeritò ita vincuntur, depelluntur, quia omnium pessimum est, præsente Imperatore sinè rectore dimicare cùm etiam vincere sinè præcepto Ducis, infamiæ sit.* Scituros esse ait, omnes qui de cætero arroganter egerint, vel minimum quid præter ordinem moverint, Legum severitate se in eos vindicaturum. Circumfusa verò agmina Principem pro commilitonibus obsecrabant, paucorumque temeritatem condonari, cunctorum obedientiæ precabantur: emendaturos esse peccatum præsens futuræ compensatione virtutis. Placatus Imperator est precibus, simul & utilitate multitudinis, facto indulgendum putans, multa monens, ut post hæc prudentiùs agerent. Ipse verò quemadmodum se in adversarios ulcisceretur, jam provocatus arctiùs cogitabat.

CAP. XXXII.

Quo ordine, & quot legionibus contra Mediolanum transivit: & de adventu Principis Mediolanum.

Itaque postera die quæ lucescit in VIII. Kalend. Augusti, Fridericus ad obsidionem civitatis ducens exercitum, omnes copias suas in VII. legiones partitur, præficiens singulis de Principibus rectores ordinum, quos antiqui Centuriones, Hecatontarchos, seu Chiliarchos ap-

(25) C. MS. circiter LX.
(26) C. MS. sustinuere.
(27) quorum unus erat Johannes Dux, & major de Exharcatu Ravennatensium: *Hæc non habentur in MSto Cæsareo.*

appellare consueverunt, cum signiferis, aliisque disciplinæ & ordinis custodibus. Præmissi autem milites cum stratoribus viarum ibant, qui aggerum maligna corrigerent, ac devia complanarent, obstacula præciderent, ne perplexo itinere fatigaretur exercitus. Circum Aquilam & signa alia, tubicines & cornicines. Servi singulorum agminum cum peditibus erant, mulis aliisque jumentis advehentes militum sarcinas. Hos sequebantur qui expugnandis civitatibus machinas & cætera tormenta portarent. Omnium verò agminum postrema erat mercenaria multitudo. Ordinato taliter militum itinere, præmonitisque diligenter ne quis ordinem deserat, Martio quodam spiritu repleti, cum valido clamore divinum implorant auxilium. Deinde otiosè & cum omni decore progredientes ambulant, suum quisque ordinem velut in bello custodiens. Quemcunque huic negotio veluti liberum spectatorem contigit affuisse, hunc ego experientiùs intelligere puto quod dicitur; *Pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.* (*Cant. 6.*)

Peracto itinere Fridericus cum omni exercitu, circiter C. millia armatorum, vel ampliùs, Mediolanum pervênit: ibique positis castris, quamvis promptos ad bellum, milites continebat, ne quid ea die attentarent. Illi verò qui de civitate fuerant egressi, stabant armati super vallum, nihil omnino strepentes, dubium, Principis advenientis aspectus, utrum hanc reverentiam, & hujus silentii disciplinam, an metum universis incusserit. In gyrum ergo è regione portarum distribuens exercitum, instruebat obsidionem.

CAP. XXXIII.

De situ civitatis, & moribus civium Mediolanensium.

De civitatis ipsius situ ac moribus cùm superiore Libro mentio fuerit, id adjiciendum videtur, quòd campi planitie undique conspicua, natura loci latissima, ambitus ejus super centena stadia circumvenitur. Muro circumdatur, fossa extrinsecus latè patens aquis plena, vice amnis circumfluit, quam priori anno primitùs ob metum futuri belli, multis invitis & indignantibus, Consul eorum providè fecerat. Turrium proceritati non tam ut aliæ civitates, student. Nam in multitudine atque fortitudine tam sua, quàm sibi confœderatarum civitatum, confidentes, impossibile arbitrati sunt, à quoquam Regum, seu Imperatorum suam civitatem posse claudi obsidione. Unde factum est, ut civitas hæc inimica Regibus ab antiquo fuisse dicatur, hac usa temeritate, ut semper rebellionem Principibus suis moliens, schismate Regni gauderet, & geminorum potiùs dominorum, quàm unius super se justè regnantis affectaret Principatum, ipsa levis, & utriusque ridens fortunam, nec in hac, nec in illa parte fidem haberet. Hujus rei si quis exempla desiderat, ad Leoprandum, qui gesta Longobardorum subnotavit, recurrat.

CAP. XXXIV.

De excursu Mediolanensium, & quomodò, & à quibus excepti seu repulsi.

Divisis (ut dictum est) inter Principes exercitus portis civitatis singuli eorum festinare, parare vallo, sudibus, palis, aliisque propugnaculis castra munire, propter improvisos hostium excursus, decertabant. Neque enim vineis, turribus, arietibus, aliorumque generum machinis tantam civitatem attentandam putabant, sed longa potiùs obsidione fatigatos ad deditionem cogi, vel si foràs propter fiduciam multitudinis erupissent, prœlio superatum iri. Oppidani non segniùs ea, quæ necessaria forent, procurare, munimenta castrorum disturbare, crebris excursibus exercitum attentare, sagittariis & fundibulariis plerosque sauciare. Erat in extrema parte exercitus Conradus Palatinus Comes de Rheno, germanus Imperatoris, & Dux Suevorum Fridericus cum Suevis, cæterisque ipsorum commilitonibus obsidionis agentes negotia circa portam sibi destinatam. Mediolanenses opportunum rati, vel pro eo quòd pauciores aliis agminibus, & juniores ætate, vel quòd sequestrati à fortitudine exercitus auxilium invenire non possent, eos invadere statuunt, sperantes facilè se aut plenum de illis triumphum reportare, aut forti aliquo patrato facinore vitam pacisci pro laude. Itaque post occasum Solis, cùm præter vigiles tantùm, totus miles fessa labore corpora somni quiete recreanda speraret, apertis portis cum pugnacissimis egressi, disjectis custodibus, usque ad jam dictorum heroum castra excurrunt, oppugnant, sauciant. Alemanni ubi hostes adventare senserant inopinata re ac improvisa primò perculsi, alter apud alterum formidinem simul & tumultum facere, deinde alius alium appellare, hortari, arma capessere, venientes excipere, instantes propulsare; clamor permixtus hortatione, strepitus armorum ad cœlum ferri, tela utrinque volare, pro ingenio quisque, pars cominus gladiis, pars pugnare lapidibus, seu alterius generis missilibus. Non procul abhinc Rex Boëmorum castra fixerat. Is, ex quo bellicum clamorem accepit, decernit laborantibus sociis auxilio fore debere. Quanta ergo poterat velocitate, suos arma capere, equos ascendere jubet: ipse cum electis militibus & tibicinis, & tympanistris præire. Non eos morabantur vinearum aggeres, seu maceriæ, non asperitas & insolentia loci retinebat. Ea verò consueti Sclavorum equi facilè evadere. Nostri ubi ex sono tubarum & tympanorum amici Regis adventum cognovere, animosiores & lætiores effecti, resistere, hortari se invicem ne deficerent, neu paterentur hostes jamjam fugituros vincere. Aderant Boëmi, tum demum maxima vi certatur, maximo clamore cum infestis signis concurritur. Rex ipse cominus acriter instare, laborantibus succurrere, hostem ferire, strenui militis, & boni Regis officia simul exequebatur. Oppidani ubi vident contra ac rati erant, se in medios hostes devenisse, nec impetum Regis sustinere posse, terga vertunt. Nostri fugientibus instant, & usque ad angustias portarum persecuti, in reliquum tempus pacem sibi de incursionibus illorum peperere. Hostium quidam oc-

occisi, plurimi capti, magna pars vulneribus confecti.

CAP. XXXV.

De assultu nostrorum in portam.

QUia verò tam superbæ civitatis tam famosam obsidionem se non meminit ætas nostra vidisse, pro eo quòd non solùm Alemannici, sed Italici Regni vires ibi adunatæ fuerant, quisque gloriosus, ac laudis avidus alius alium in aliquo egregio facto, unde sibi nomen faceret, prævenire satagebat. Igitur Otto Palatinus Comes de Bajoaria, cujus jam sæpe mentio habita est, cum duobus fratribus suis, Friderico & Ottone juniore, aliaque sibi conjuncta militia, ad portam quam ipsi vallaverant, diligentiùs hostium conamina observabant. Quadam ergo die dum otiosè ipsos agere, rarosque circa portam custodes aspexissent, visum est eis tentandam fortunam. Ergo propinquante vespere, clanculum milites armari jubent, servosque ignem cum aridæ materiæ fasce præparatum habere, quatenus dato signo pariter ex improviso procurrerent, & pontem ac portam ipsam, si fieri posset, exurerent. Parent dicto, atque ad nutum præcipientium subitò prosilientes, usque ad propugnacula pontis super aggerem disposita venerunt, ignemque sicut præcepti fuerant, haud segniter injecerunt. Populus civitatis tumultu excitatus, improviso metu, incerti quid potissimùm facerent, trepidare, cùm erumpentibus flammis propugnacula & aggeres concremari cernerent, timere ne aridum nactæ fomitem citiùs volitando non solùm pontes & portam, verùm ipsam civitatem pessundarent. Clamor ergo ac tumultus per civitatem varius agitatur, curruntque permixti inermes & armati, prohibituri incendium. Concurritur infesto Marte, certatur magnis viribus ab utrisque, obscuram noctem, incendium, & faculæ, tedæque ardentes illuminabant, fragor percutientium, gemitus percussorum, voces adhortantium hinc inde variè resonabant. Hi, ut cœptum eorum efficaciam obtineret; illi ut ignem restinguerent, nostrosque à porta propellerent, summa vi conabantur. Comites ipsi Duces prœlii in hoc certamine, sicut & in aliis multis, omnibus se periculis prostituentes, sicut optimi bellatores fortitudinem corporis, ac animi magnitudinem adeò sub oculis omnium clarere fecerunt, ut de eorum virtute etiam hostis judicaret, & quivis spectator testis fieret. Multo autem labore consumpto, liteque in horam noctis protracta, miles ad castra revertitur. Sauciati utrinque plurimi, verùm atrocitatem cladis beneficium noctis imminuebat. Alii asserunt, hoc negotium clara die consummatum.

CAP. XXXVI.

De eruptione Mediolanensium contra Henricum Ducem Austriæ, & clade eorum.

NEc minùs populares Mediolanenses turpe habentes, si remissiùs in nostros agerent, ubi tempus & locum invenerunt, non cum valida quidem manu, sed per paucos sive sagittarios, sive fundibularios, incautos sauciando, temeritatis atque audaciæ suæ magnitudinem ostentare conabantur. Et illi quidem qui ad superiores conflictus venerant, moderatiùs agere: alii verò tanquam non experti, per singula momenta excursiones moliri. Ad portam itaque, quam observabat Henricus Dux Austriæ, vir nobilitate generis & animi clarissimus, patruusque Imperatoris, dum sæpiùs hanc exercerent iniquitatem, non dignum ratus facinus hoc sinè ultione præterire, ad correctionem & ejus vindictam, accepta opportunitate accingitur. Igitur universis, quos secum habebat, armatis, auxiliariis Ungarorum copiis in sagittando optimis, cum cætera heroum, qui sibi sociati fuerant, cohorte assumptis, omni conamine oppugnationem portæ disponebat. Non hoc latêre poterat Mediolanenses, quippe molitiones nostrorum præsentientes, ignominiam judicabant, si pares, imò plures multitudine, minori animo, venientibus non occurrerent. Per turmas ergo & cohortes suas egressi, committunt se, seque mutuò maxima vi cædunt, sauciant, capiunt, fugant. Tum spectaculum horribile, sequi, fugere, occidi, capi, equi atque viri afflicti, ac multi vulneribus acceptis neque fugere posse, neque quietem pati: niti modò, ac statim concidere. Postremò omnia constrata telis, armis, cadaveribus, & infecta sanguine tellus. Ex parte oppidanorum iterum malè pugnatum est: ipseque Dux, cujus ibi probitas mirificè probata est, haud dubiè victor eos intra mœnia fugavit, & à solita in posterum eruptione compescuit. Inter alios, qui de Mediolanensibus eo prœlio ceciderunt, occisus est quidam de Nobilissimis illorum, nomine Statius (28), quem (ut tunc fama fuerat) Regulum super se creare cogitaverant: auditaque morte ejus, tota civitas luctum assumpsit, corpusque mortui cum vivis, quos de nostris habebant, & copiosa pecunia commutantes, redemerunt, & regalibus exequiis honorando sepelierunt.

CAP. XXXVII.

De temeritate cujusdam Mediolanensis, & probitate Comitis Alberti.

ILlud etiam non ab re est memorare, quòd quidam ex oppidanis vir in oculis suis sibi placitus, progressus versùs castra Imperatoris, velut imperitiam equitandi nostris exprobrans, quædam superba prolocutus est, & quemlibet fortissimum, ac equitandi peritissimum ad singulare certamen provocavit: cœpitque vertibilem equum modò impetu vehementi dimittere, modò strictis habenis in gyrum, ut huic negotio mos est, revocare: moxque varios, perplexosque per anfractus discurrere. At qui contra steterunt, multi quidem dedignabantur. Erat autem inter eos, ut assolet, etiam qui timeret. Quosdam verò non inconsulta movebat ratio, cum mortis cupido non debere confligere, & cum his in discrimen venire, quos neque vincere magnum sit, & vinci cum dehonestamento periculosum, non fortitudinis, sed insipientiæ videri. Cùm autem diu nemo procederet, multaque ille nostrorum timiditati illuderet, Nobilis Comes Albertus de Tyrol, ad omnem virtutis commendationem idoneus, iner-

(28) nomine Statius *deest in MSto.*

inermis & palefrido sedens, solo clypeo accepto & hasta, præfato Liguri obviam venit: eumque tripudiantem, & vana jactantem dejecit, cadentemque dedignatur occidere, contentus ad laudem, quia visus est potuisse. Ita nostros ultus Comes Albertus, nihil glorians, ad suos revertitur, vir minimæ jactantiæ, & qui semper manu quàm lingua promptior inveniri volebat. Ita inter nostros Principes contra Ligures varium pro virtute & gloria certamen in dies habebatur.

CAP. XXXVIII.

Quomodo Imperator civitatem gyraverit, & de turri, quæ vocabatur Arcus Romanus.

INter hæc Princeps ipse impiger omnia, quæ ad cladem & eversionem civitatis erant, providere, muros modò cum paucis, modò cum multis & lectis militibus circuire, ubi muros aggrederetur explorare, omni modo tentare, si posset inclusos ad congressionem & pugnam provocare. His circuitionibus alteram partem civitatis, quæ nec dum obsidione adeò fuerat subacta & artata, quin pecora eorum extra pascerentur, civibusque intrandi & exeundi pateret aditus, ita compescuit & cohibuit, ut tum demum cervicem dimitterent, & quale esset obsidione claudi experimento addiscerent. Euntem in gyro Imperatorem arbitrantes ad assultum faciendum venire, in civitate tumultus exoritur, ingens trepidatio, tympanorum crepitus, tubarum sonitus, fortes ad arma, mulieres & invalidi senes ad lamenta. Nemo tamen extra progredi ausus, ad defensionem tantùm civitatis armata juventus, & imperterrita ad modum coronæ consistebat, sed nec ad portam, ubi militia Principis obsidionem celebrabat, excursiones facere; dubium an metu, an reverentia Imperatoris cohiberentur. Erat non longè à vallo, idest, quantum arcus jacere potest, quasi turris quædam fortissima, ex quadris lapidibus solito opere compacta. Mirabilis autem fuit lapidum magnitudo. Nec enim ex vulgaribus saxis, aut quæ homines ferre posse crederentur: sic autem manibus artificum formata, ut quatuor columnis sustentata, ad similitudinem Romani operis, vix aut nunquam in ea junctura compaginis appareret: unde & Arcus Romanus appellatus est, sive ab antiquo aliquo Romanorum Imperatore, ob decorem & memoriam in fornicem triumphalem erecta; sive (ut in gestis Longobardorum reperitur) ad expugnationem & cladem civitatis ab uno Rege nostrorum fuerit fabricata. Erant in ea virorum receptacula & cœnacula, XL. lectorum, vel ampliùs capacia: collectis ibi tam in armis, quàm in victualibus quæ ratio necessitudinis ad obsidionis tempus desiderabat. Ibi Ligures sua præsidia locaverant duplici ratione, ut & hostibus usui non esset, cùm exinde quicquid in civitate ageretur, velut è specula facilè videri, itemque quid in castris fieret, quidque exercitus strueret, ipsis continuò denunciari posset. Fridericus versis in contrarium rationibus, hanc expugnare statuit: verùm cùm nec instrumentis, sive machinis, aut aliquo tormentorum genere pro firmitudine sua pulsanda videretur, triplici ordine jaculatorum & sagittariorum eam vallat: tantaque illorum erat & magnitudo (29), & in feriendo peritia, quòd non dubiè mortem appeteret quisquis in propugnaculis appareret. Summa ergo necessitate coacti, dextras petunt, & ut sibi parceretur, rogabant: acceptaque fide publica, munitionem tradunt, & recedunt. Exinde nostris arx illa usui.

CAP. XXXIX.

De crudelitate Cremonensium & Papiensium contra Mediolanenses.

NEmo in hac obsidione majori studio, majorique atrocitate, quàm Cremonensium & Papiensium desævit exercitus, nullisque obsidentium obsessi se magis ac illis offensos & infensos præbuere. Longissimis siquidem simultatibus & discordiis inter Mediolanum & has civitates agitatis, multis millibus hominum hinc inde vel occisis, vel dura captivitate afflictis, territoriis præda & incendio vastatis, cùm se in Mediolano, quod propriis viribus & auxiliariis civitatibus prævalebat, ad plenum vindicare non potuissent, opportunum tempus adepti, injurias suas ultum iri decernunt. Itaque non ut cognatus populus, non ut domesticus inimicus, sed velut in externos hostes, in alienigenas, tanta in sese invicem sui gentiles crudelitate sæviunt, quanta nec in barbaros deceret. Vineta, ficeta, oliveta Mediolanensium pars radicitus evellunt, pars excidunt, alii corticibus abrasis ignibus idoneam præparare materiam. Quando gladiis inter se res ageretur, & mutuo casu vel hac, vel illac quispiam infelix caperetur, hi qui extra in conspectu hostium, aut mucronem jugulo condere, aut spiculo configere; qui verò intus, ne crudelitate inferiores invenirentur, captum per membra dividere, forásque suis miserabile spectaculum projicere. Et tale quidem Conlatinorum inter se commercium fuit.

CAP. XL.

Quomodo Mediolanenses variis modis attriti, suadente Guidone Comite, tractaverint de pace. Item oratio exhortatoria ejusdem de illa re.

JAmque plurimis malis attriti Mediolanenses. Crescebat autem in civitate cum fame desperatio, & in dies singulos utrumque malum ampliùs accendebatur. Erat nempe collectum ex toto territorio infinitum vulgus, diversusque erat victus, cùm potentiores quidem amplius haberent, infirmiores autem penuriam deplorarent. Quippe fames super omnes clades habetur. Nam ut ait quidam: *Quod reverentia dignum est, in fame negligitur.* Huc accessit ultio divinæ animadversionis, totamque penè civitatem morbus, aut pestilentia vexabat. Urgentibus itaque pariter fame, ferro, peste, populus ad deditionem commotus est: jamque illorum multitudo profugere cogitabat. Qui verò acrioris ingenii erant, seditionibus operam dabant, dicentes, pro libertate patriæ, & honore civitatis vitam se morte velle commutare. His inter se dis-

(29) C. MS. multitudo.

dissidentibus, quidam ex illis, quibus sanior mens erat, qui pacem malebant quàm bellum, decrevere, ut concione habita populum ad considerationem communis utilitatis provocarent, & magnitudine periculorum à rebellione deterrerent. Hujus auctor negotii dicitur fuisse Guido Comes Blanderatensis, vir prudens, dicendi peritus, & ad persuadendum idoneus. Is cùm esset naturalis in Mediolano civis, hac tempestate tali se prudentia & moderamine gesserat, ut simul, quod in tali re difficillimum fuit, & Curiæ charus, & civibus suis non esset suspiciosus. Aptus ergo qui ad transigendum fidus mediator haberetur, & pro concione hujuscemodi usus sermone commemoratur.

„ Si vestræ Reipub. hactenus fidem servavi, si statum & honorem Mediolani stare incolumem ac inconcussum optavi, feci quod debui. Tanta mihi gratia ab ineunte ætate, tanta mihi vestrâ benevolentiâ exhibita sunt beneficia, quòd ad gratiarum actiones imparem & insufficientem me cognosco, nisi fortè bonæ conscientiæ, bonæ voluntatis obsequium aliquod mihi apud vos meritum pepererit. Harum rerum vestra fretus probitate, fiducialiter vos testes exhibeo. Unde non vereor in tali rerum articulo à quoquam bono notari, etiam si præter libitum suum, ac secus quàm suo (30) rapitur desiderio quipiam à nobis audierit. Beatum enim me æstimo ab his, quibus vacuos esse decet, qui de rebus dubiis consultant. Hæc sunt (ut ait quidam) odium, amicitia, ira atque misericordia: ubi illa officiunt, haud facilè animus verum providet. Vestra dignitas, fama, atque fortuna, hucusque non in obscuro, sed in excelso fuit, vestraque facta cuncti mortales novere. Sed decebat in maxima fortuna minimam esse licentiam. Novimus quos & quot Reges Mediolanum sua constituerit auctoritate: novimus quos, & quot adepto regno propulerit. Sed profectò in omni re fortuna (31) dominatur: ea (ut dicitur) cunctas res pro libitu magìs quàm pro vero celebrat, obscuratque. Paululum hæc fortuna immutata est. Mobilis enim est, ejusque constantia volubilem esse, ac minimè permanentem. Tendamus cum rota, forsitan qui modò infimus axe teritur, elevatus rursus ad castra (32) feretur. Sensit mecum qui dixit: Heus, omnium rerum vicissitudo est. Scio qui dicant: Libertas res inæstimabilis est: Pulchrùm pro libertate pugnare. Fateor attamen id in principio decere fieri: semel autem subditum, & qui multo tempore paruisset Imperio, jugum excutere, malæ mortis cupidum, non libertatis amatorem videri. Validissima lex est tam feris bestiis, quàm hominibus præfinita, potentioribus cedere, quique armis vigent, his obedire victoriam. Divinæ quoque ordinationi resistit, qui potestati resistit. Timendum ergo non solùm vos Imperatori, sed etiam Deo resistere. Grave quidem confiteor, post longum otium, post longam libertatis consuetudinem, jugum, frenumque portare. Sed consoletur ignominiam subjectionis, dignitas Imperii, ac nobilitas Imperantis. Meliores nobis fuerunt patres nostri & majores, fide, probitate, cæterisque bonis æquè vel ampliùs nobis gloriam, honorem, libertatemque affectarunt: Imperio tamen transalpino resistere non potuerunt. Subeant nobis pro exemplo Carolus magnus, & Otto primus ex Teutonicis Imperator. Ea propter tametsi varia belli discrimina jam in parte sitis experti, optimum tamen est ante intollerabilem calamitatem mutare sententiam, dumque licet, salutare sequi consilium. In Clementia Principis magna spes nobis sita est, qui non in finem irascetur, si non ad finem (33) usque insolentes ipsi fueritis. Brevì autem quamvis armis perrumpi claustra murorum non possint, fames atque pestilentia pro illis pugnabit. Versentur obsecro in conspectu cujusque, filii, conjuges, & parentes, quos paulò post, nisi mutatâ sententiâ, aut bellum, aut fames absumet. Non ignavia, sed consideratione periculorum me quisquam hæc suadere crediderit. Ipse ego pro populo meo, pro civitate mea mori paratus sum, impendamque libenter in cædem pro salute vestra sanguinem meum.

CAP. XLI.

Quomodo Mediolanenses in gratiam sint recepti, & de conditionibus pacis.

Postquam dicendi finem fecit, alius voce, alius nutu, aut assentire, aut contradicere. Vicit tamen imprudentiam consilium saniorum. Unanimes itaque facti per Consules & Primos civitatis, primò Regem Boëmiæ, Ducemque Austriæ conveniunt: dehinc mediantibus illis alios Principes, eosque ad Imperatorem de pace supplicaturos dirigunt. Princeps pro regali mansuetudine, pro humanitate naturali, cives civitati, civitatem civibus servare cupiens, gratum habebat cognito populum de pace sentire, consilioque habito, cùm videret omnium animos summa alacritate id appetere, de pacis pacto & conditione pertractat. Quod tale fuisse, scriptura exinde facta declarat. Cujus exemplar hoc est:

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Hæc est conventio, per quam Mediolanenses in gratiam Imperatoris redituri sunt, & permansuri.

Cumas & Laudam civitates ad honorem Imperii relevari non prohibebunt, & amodo non impugnabunt, nec destruent, & à fodro & viatico, & ab omnimoda exactione se ibidem per omnem eorum ditionem continebunt, & ultro se non intromittent, ut sint liberæ illæ civitates, sicut Mediolanenses ab ipsis sunt liberi: excepto respectu juris Ecclesiastici, quod habent ad Archiepiscopum, & Ecclesiam Mediolanensem.

Omnes Mediolanenses communiter à minoribus usque ad majores, ab annis XIV. & supra, usque ad annos LXX. fidelitatem Domino Imperatori jurabunt, & sinè malo ingenio & observabunt.

Palatium Imperiale ad honorem Domini Imperatoris arbitratu bonorum elevabunt, & cum debito honore bona fide observabunt.

Pecuniam pro emendatione injuriarum Domino

(30) C. MS. secundo.
(31) *A voce* fortuna *usque ad* immutata est *nil habet MStus.*
(32) C. MS. ad astra.
(33) C. MS. nisi ad finem.

no Imperatori, vel Dominæ Imperatrici, sive Curiæ promissam, statutis temporibus persolvent, hoc est, tertiam partem infra XXX. dies, ex quo hæc pactio confirmata fuerit: aliam verò tertiam partem infra octavam Beati Martini: tertiam autem residuam partem infra octavas Epiphaniæ. Hisque sic persolutis, nullis privatis teneantur promissionibus. Pecuniæ promissæ summa hæc est. Novem millia marcarum argenti sive auri, vel monetæ ejusdem æstimationis & pretii.

Pro his tantùm prætaxatis capitulis, bona fide complendis & conservandis CCC. obsides dabunt Capitaneos, Vavassores, populares, quales approbati fuerint à Domino Archiepiscopo Mediolanensi, & Comite Blandratensi, & Marchione Guilhelmo Montisferrati, & tribus Consulibus, si hæc Domino Imperatori placuerint, juramento astrictis, ad hanc electionem fideliter faciendam. Obsides verò in partibus Italiæ omnes serventur, præter L. vel pauciores, per interventum Regis Boëmorum Labeslai, & aliorum Principum, ultra montes, si Domino Imperatori placuerit, deferendos. Quibus autem commissi fuerint obsides in Italia, jurent in præsentia Mediolanensium ad hæc prædestinatorum, quòd præfixo tempore transacto infra octo dies ex quo requisiti fuerint à Mediolanensibus, eos eis liberè reddant, ut illi securè eos habeant, si prætaxata capitula ab eis observata fuerint. Tres verò Principes Alemanniæ dextras dabunt, quòd obsides illi, qui ultra montes deferentur, si qui erunt, eodem pacto fideliter reddentur.

Consules verò, qui nunc sunt ex auctoritate & concessione Domini Imperatoris, usque ad Kalend. Februarii proximè venturas perseverent, & pro Consulatu suo Domino Imperatori jurent. Venturi verò Consules à populo eligantur, & ab ipso Imperatore confirmentur, quorum medietas ad ipsum veniat, dum in Longobardia fuerit: alibi autem eo existente, duo ad eum ex Consulibus veniant, & juramento facto, officium Consulatus sui à Domino Imperatore recipiant, pro se & sociis suis facturis idem juramentum Domino Imperatori coram communi suæ civitatis. Si autem Legatus à Domino Imperatore destinatus fuerit in Italiam, eadem coram ipso & per ipsum fiant.

Legati verò Domini Imperatoris in Italiam directi, si civitatem adierint, in palatio sedeant, & placita ad eos delata ad honorem Imperii diffiniant.

Antequam castra ab obsidione moveantur, captivi omnes reddantur in potestatem Regis Boëmi, qui & securitatem per se & honestos Principes eis faciat, quòd captivos illos Domino Imperatori reddat, si eis Dominus Imperator pacem fecerit cum Cremonensibus, Papiensibus, Novariensibus, Cumanis, Laudensibus, Vercellensibus, non solùm autem Mediolanensibus, verumetiam confœderatis eorum, Terdonensibus, Cremensibus, & Insulanis: salvo honore Domini Imperatoris, & illibatis amicitiis Mediolanensium, & in suo statu permanentibus. Si verò pax ei cum prædictis civitatibus facta non fuerit, captivi veteres eis reddantur, nec ob id gratia Domini Imperatoris ipsi & amici eorum priventur.

Regalia, veluti monetam, telonium, pedaticum, portus, comitatus, & alia similia, si qua sunt, Commune Mediolanensium dimittet, & ultra se non intromittet, & si quis per violentiam (34) hæc obtinere voluerit, & justitiam inde coram Domino Imperatore, vel Nuncio ejus facere noluerit, Mediolanenses vindictam de eo pro sua possibilitate sument in persona & possessione, & regalia Domino Imperatori restituent sinè fraude, & malo ingenio.

Hoc pacto & ordine Dominus Imperator Mediolanenses Cremenses cum CXX. marcarum emendatione in gratiam suam recipiet, & eos, & amicos eorum in plena Curia publicè à banno absolvet, & captivos eorum omnes, veteres & novos, eis reddet statim postquam obsides Imperatori dederint, & captivos tam veteres quàm novos in manum Regis Boëmorum reddiderint.

Datis autem obsidibus & captivis, altera die vel tertia, exercitus ab obsidione recedet, & Dominus Imperator Mediolanenses, & eorum res clementer tractabit.

Commune Mediolani præfatas conditiones servabit plenariè, bona fide, sinè fraude, & malo ingenio, quantum non permanserit per justum impedimentum, & per parabolam Friderici Romani Imperatoris, vel Nuncii ejus, aut ejus successoris.

Collectam prædictæ pecuniæ liceat modò facere Mediolanensibus ab his, quos in sua societate habere consueverant, præter Cumanos, Laudenses, & eos qui de Comitatu Seprensi fidelitatem Domino Imperatori nuper juraverunt.

CAP. XLII.

Ubi Mediolanenses ad conspectum Principis admissi sint & qualiter.

TAlibus pacis conditionibus utrinque receptis, Mediolanum in gratiam reditura, hoc ordine, talique specie fide publica accepta, cum suis ad Curiam vênit. In primis Clerus omnis, & quique fuerant Ecclesiastici ordinis ministri, cum Archiepiscopo suo, prælatis Crucibus, nudis pedibus, humili habitu: deinde Consules, & Majores civitatis item abjecta veste, pedibus nudis, exertos super cervices gladios ferentes. Erat autem ingens spectaculum, validissima constipatio, multorumque, qui mitioris ingenii erant, commiseratio, cùm viderent paulò ante superbos, & de factis impiis arrogantes, ita nunc humiles esse, ac tremere, ut miseranda esset (quanquam in hoste) tanta mutatio. Omnis denique militia, loca ubi tantùm stare possent prævenerant, Imperatori & Principibus quantus ad spectaculum locus sufficeret, & venientibus vix concesso necessario transitu.

Divus ergo Augustus placido eos vultu intuens, ait lætum se esse, cùm tam claram civitatem, tantumque populum Deus commonuerit, uti aliquando pacem malint quàm bellum, quodque sibi dempserint acerbam eos persequendi necessitatem: seque malle devotis & volentibus, quàm coactis imperitare. Atque hoc, si eis à principio placuisset, mali nihil perpessos, plurima verò accepisse bona. Quoniam autem divinæ placuerit ordinationi, vim & gratiam Imperii eos experiri, studendum illis esse, quò faciliùs errata superent, pœnitudinem eos facti habere, vinci se posse ci-

(34) C. MS. per divisum.

citiùs obſequio quàm bello, prœlium incipere quemvis etiam ignavum poſſe, cæterùm finem penes victores eſſe.

Ad hæc illi ſummiſſo vultu, ſupplici voce, pauca pro delicto ſuo verba faciunt, ſe non hoſtili animo, nec ad oppugnandum Imperium arma cepiſſe, ſed terminos patrum ſuorum jure belli omnino ſuos factos, vaſtari à ſuis gentilibus pati nequiviſſe. De cætero ſi modò ſibi parcatur, velle eniti, ut malorum metu liberi, propenſiùs erga ſe benevolentia Imperialis & gratia conſervetur.

CAP. XLIII.

De reconciliatione Mediolanenſium, & quanta utriſque lætitia.

RRecitatis mox quæ in ſcriptum redactæ fuerant conditionibus pacis, cùm aſſenſus ac favor omnium acceſſiſſet, pacem, dextraſque accipiunt, ſignumque Imperialis vexilli, in civitate receptum pro indicio victoriæ erigitur. Immenſa lætitia continuò in caſtris, gaudium in civitate, gratulatio circa captivos, quos ad pedes Imperatoris magno ac longo ordine venientes, noti & propinqui præ gaudio multis lacrymis obortis excipiunt, miſerantes in eis vultus pallidos, ſordidum habitum, fœdam macilentiam, eos, quos imberbes & juvenes noverant, modò ſenio, canitie, & carcerali ſqualłore ignotos. Quanta lætitia, quantuſque concurſus, dum pater filium, fratrem frater, generum ſocer, affinis cognatum diu perditum invênit, inventum gratulabunda voce ſalutat, amplexatur: alius alium lætus appellans, familiari ſecum alloquio confabulatur. Quòd ſi de Regum antiquorum faſtu quicquam in manſueto ac pio fuiſſet Principe, hujus diei lætitiam inter ſolennitates reliquas ſemper celebrem apud Italos conſtituiſſet. Actus eſt hic triumphus VI. Idus Septembris.

CAP. XLIV.

Quomodo poſt actum triumphum Imperator plures ex Principibus ad propria redire permiſit.

PRinceps Romanus à Mediolano caſtra movens, apud Modoicum, ſedem Regni Italici, coronatur. Quam Eccleſiam jamdudum à Mediolanenſibus ſubactam, ac ferè deſtructam, priſtinæ libertati reddidit, ſedemque propriis expenſis magnificè reparari præcepit. Cùmque in ſubactione tantæ civitatis ex maxima parte motus Italorum repreſſos ſperaret, magnam partem exercitus cum ſuis Optimatibus ad propria redire permittit. Inter quos primus erat Rex Boëmorum, Dux quoque Auſtriæ cum copiis Ungarorum, Arnoldus Præſul Moguntinus, Dux Bertolfus Burgundiæ, Comites, & Marchiones, magnaque pars nobilium. His cum ſumma alacritate dimiſſis, ipſe ad ordinanda cætera Italiæ negotia animum intendit.

CAP. XLV.

Qua de cauſa Fridericus quoſdam Veronenſium hoſtes judicaverit, & de damno eis illato. Item de Ferraria, & ejus obſidibus.

JAm verò tantus pavor totam terram occupaverat, atque formido, ut palàm quidem nemo rebellaret, occultè autem concepta corde malitia plerique illorum non carerent. Quidam enim de Veronenſibus dum caſtrum regale Garda vocatum, Turiſindus civis eorum cum ſuis fautoribus occupaſſet, id Imperatori reddere juſſi, cùm omnimodis detrectarent, hoſtes judicati ſunt, ſuæque temeritatis nonnullos civium Veronenſium ſocios & conſentaneos habuere. Quo circa Imperator eò verſùs deſcendens, infra Veronam fluvium Atheſim inopinatò tranſvadavit, eorumque territorium, quod longo tempore inviolatum, nullum hoſtem metuerat, pervagatus, aliquantiſper militem agros vaſtare, caſtella diripere atque inflammare permiſit. Rectè quidem, quo & hoſtibus rebellandi metum incuteret, ac eorum, qui in hac parte immunes eſſent, ſaluti conſuleret. Denuò revertens, ſicut & antea Atheſim vado tranſivit, nullo pontis vel navigii egens adminiculo. Tanta ſiquidem cœli clementia, tanta erat terræ fertilitas, tanta maximorum fluviorum ariditas, & contracta violentia, ut elementa ipſa fortitudini (35) divi Imperatoris famulari, ejuſque favere votis dicerentur. Unde factum eſt, ut iiſdem diebus cùm de civitatibus univerſis obſides exhiberentur, ac Otto Palatinus Comes de Bajoaria, Ferrariam ad id negotium promovendum deſtinatus fuiſſet, alveum quo ſe Padus ad munimentum civitatis partitur, abſque navibus tranſmeans, improviſus ac inopinatus ſupervênit, ordinatiſque ad votum omnibus rebus, XL. vadibus acceptis, rediit. Ea res finitimos plurimos exterrens, incredibilis viſa eſt, eo quòd Ferraria Pado ibidem inſtagnante, & paludes impermeabiles faciente, munimento locorum fidens, omnem viciniam ſuam intrepida ac ſuperba rideret atque deſpiceret. Dehinc cùm Eridani fluenta ad diſponenda regalia prædia domus Mathildis tranſmearet, turbam calonum, meretricum, & lixarum, quæ ſe exercitui plurima immiſcuerat, militumque animos effœminare poterat, antiquorum Imperatorum exemplo propellendam ac deterrendam decernit.

CAP. XLVI.

De ædificatione nova Laudæ. De Curia apud Roncalias celebranda.

INter hæc cùm tota Italia ſub ſilentio ageret, & bellorum inquietudinem pacis tranquillitate commutaſſe videretur, Fridericus deperiſſe ſibi ratus tempus, in quo aliquod (36) magnificè monimentum præſtitiſſet, novam civitatem Laudenſibus fabricare adorſus eſt: ubi ſi fortè Mediolanenſes priſtinas inimicitias refricando clades ſuas inciderent, ab eorum incurſu ſecuriores exiſterent. Maxima ergo providentia, maximo pietatis obſequio, juxta

(35) C. MS. fortunæ.

(36) C. MS. in quo non aliquod.

juxta fluvium Abduam locum elegit, ex omni parte fluminis ambitu munitum, uno tantùm aditu muro & vallo sepiendo. In cujus civitatis fabrica ingentes sumptus expendens, liberalitatis suæ singulare præbuit argumentum. Deinde generalem Curiam omnibus Italis civitatibus, & primoribus apud Roncalias in festo Beati Martini celebrandam indicit: ubi & leges pacis promulgaret, & de justitia Regni, quæ multò jam tempore apud illos obumbrata in desuetudinem abierat, pernecessaria sapientum collatione dissereret, diuque obsoletam elucubraret.

CAP. XLVII.

De Constantinopolitano Imperatore, & quomodo insidias suorum evaserit.

Circa idem tempus, Manuele Constantinopolitano Imperatore circa partes Antiochiæ contra Turcos cum exercitu morante, unus de servis palatii Caniclinus videlicet, quem nos Cancellarium dicere possumus, Principi suo fraudem molitus est. Tres siquidem audacissimæ temeritatis juvenes, infinita corruptos pecunia, ad occidendum Imperatorem pellexerat. Ipseque statuta die quando id facinus patrari debuerat, ad occupandum apud urbem simul cum Imperiali palatio Imperium, magnis instructus copiis præstolabatur. Tantum Regis periculum cùm Imperatrici per occultum indicem revelatum fuisset, illa magnitudine sceleris perterrita, quàm velocissimè marito proditionem significat. Sicque detecto dolo, comprehensis sicariis, prævento criminis auctore, & capto, de omnibus condigna sumuntur supplicia. Caniclinus etenim primò effossis oculis, lingua perforato gutturi transmissa, sinè miseratione miserabili morte vitam finivit.

LIBRI PRIMI FINIS.

RADE-

RADEVICI FRISINGENSIS CANONICI DE REBUS GESTIS FRIDERICI I. IMP. AUG. LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Quomodo Fridericus ad celebrandam Curiam in campestribus Roncaliæ castrametatus est.

JAm dies placiti affuit, quæ Romanum Principem ad campestria Roncaliæ, ficut fuerat condictum, invitabat. Veniens ergo cum multo comitatu, fuper litus Eridani tentoria ponit, Mediolanēfibus, Brixienfibus, & compluribus aliis in altera parte fluminis è regione caftrametantibus. Confluunt ex omnibus Regni partibus cum magna frequentia Archiepifcopi, Epifcopi, multique alii Ecclefiaftici viri (1): Duces, Marchiones, Comites, & Proceres, Confules, & civitatum Judices. In quibus quanta fuerit diverfitas & linguarum, & nationum, varietas tabernaculorum demonftravit. Quorum quidem difpofitionem, quia non cafus, fed ordo rationis, & ratio ordinis omni licèt tempore defignare confueverit, hoc tamen loco negligenter tranfeundam non putavimus.

CAP. II.

De difpofitione tabernaculorum exercitus.

NEmpe antiquam Romanæ militiæ confuetudinem Romani miles Imperii adhuc obfervare folet, ut videlicet quotiefcunque in hoftilem terram intraverint, caftrorum primò munitioni ftudeant. Quæ quidem neque iniquo loco erigunt, neque inordinatè defcribunt, fed in plano & campeftri, & fi quidem inæquale folum fuerit, quoad fieri poteft, complanatur. Dimenfio autem fæpiffimè vel in orbem, vel in quatuor angulos defignatur. Nam & fabrorum & opificum multitudo, & mercatorum copia, quæ quantum ufus pofcit, fequitur exercitum, cum fuis papilionibus, ac ergaftariis (2), aut fuburbiorum, fi in quadro: aut fi in gyro, ambitus eorum extrinfecus muri faciem præfert. Intus autem caftra vicis aptè diftinctis dirimunt, plateafque & portas affimilant, tam jumentis aditu faciles, quàm ipfis, fi quis urgeat, intro currentibus fufficienter latas, ut quafi repentina quædam civitas exiftat. Medio autem Ducis vel Principis tabernaculum, templo fimillimum, circaque Rectorum & Primatum, ut quemque decet fuo ordine, armifque fepti milites per contubernia cum decore & lætitia in tentoriis agunt, & militiæ difciplina, pacis otio, velut in procinctu pofiti, exercentur. His ita difpofitis, caftra Ligurum, & eorum Italorum, qui aliud litus Padi infederant, pons medius infra biduum juffu Principis confectus, cum caftris noftrorum continuavit.

CAP. III.

Qui Principes affuerint in illa Curia, & de triduana confultatione. Item oratio Imperatoris per Interpretem ibidem habita.

POrrò qui Principes & Optimates eidem Curiæ interfuiffe à nobis vifi funt, ut meminimus, ifti fuerunt. De Cifmontanis, Fridericus Archiepifcopus Colonienfis, Ebherhardus Babenbergenfis Epifcopus, Conradus Eiftetenfis, Daniel Pragenfis, Gebehardus Herbipolenfis, Hermannus Verdenfis. De Ultramontanis, Guido Cremenfis Cardinalis Diaconus Sedis Apoftolicæ Legatus, Pelegrinus Aquilejenfis Patriarcha, N. (*) Mediolanenfis Archiepifcopus. Epifcopi, Taurinenfis, Albanenfis (**), Eporegienfis, Aftenfis, Novarienfis, Vercellenfis, Terdonenfis, Papienfis, Cumanus, Laudenfis, Cremonenfis, Placentinus (Parmenfem infirmitas mortalis domi tenebat) Regienfis, Mutinenfis, Bononienfis, Mantuanus, Carfidonius (***), Veronenfis, Omnebonenfis, Brixienfis, Pergamenfis, Concordienfis, Ravennas Exarchatus eo tempore, Anfelmo nuper defuncto, Metropolitano carebat.

His omnibus cum frequentia laicorum Principum, Ducum videlicet, Marchionum, Comitum, & univerfarum in Italia civitatum Confulibus atque Judicibus, Fridericum circumftantibus folis Epifcopis, cum paucis admodum Principibus confilii fui participibus, injungit, quatenus divini timoris confideratione de falubri confilio in Italiæ rebus ordinandis ita fecum deliberent, ut Ecclefiæ Dei pacis tranquillitate gaudeant, & jus regale decufque Imperii debito provehatur honore. Totum triduum hæc confultatio abfumpfit. Quarta demum die Sereniffimus Imperator in concionem vênit, fedenfque in eminentiori, unde

(1) C. MS. Ecclefiaftici ordinis viri.
(2) C. MS. ergafteriis.
(*) Muratorius nofter excidiffe putat *Oberti* nomen, qui eo tempore Mediolanenfi Ecclefiæ præerat.
(**) *Lege* Albenfis.
(***) Scribendum putat Muratorius: *Mantuanus Garfendonius, Veronenfis Omnibonus.*

unde ab omnibus videri poterat & audiri, circumsedente eum corona venerandorum, quos prænominavimus, heroum, per Interpretem elocutus est.

„ Cùm placitum sit ordinationi divinæ, ex „ qua omnis potestas in Cœlo & in Terra, „ Romani nos Imperii gubernacula tenere, „ nôn immeritò quæ ad statum ejus dignitatis „ pertinere noscuntur, quantum Deo propi- „ tio valemus, prosequimur. Cùmque Impe- „ rialis majestatis hoc esse non ignoremus of- „ ficium, ut studio nostræ vigilantiæ, ac pœ- „ narum metu improbi & inquieti coërcean- „ tur, boni subleventur, atque in pacis tran- „ quillitate foveantur: ita novimus quid juris, „ quid honoris tam divinarum, quàm huma- „ narum legum sanctio culmini Regalis Ex- „ cellentiæ accommodaverit. Nos tamen Re- „ gium nomen habentes, desideramus potiùs „ legitimum tenere Imperium, pro conser- „ vanda cuique sua libertate & jure, quàm, „ ut dicitur, omnia impunè facere, hoc est, „ Regem esse, per licentiam insolescere, & „ imperandi officium in superbiam, domina- „ tionemque convertere: Deo favente, mo- „ res non mutabimus cum fortuna: quibus „ initio partum est his artibus retinere cura- „ bimus Imperium. Sed nec per nostram de- „ fidiam quemquam ejus gloriam & Excellen- „ tiam imminuere patiemur. Quia ergo vel „ bello, vel pace clarum fieri licet, nec re- „ fert utrum melius sit patriam armis tutare, „ seu legibus gubernare, altero alterius au- „ xilio indigente: bellorum motibus propitia „ Divinitate sedatis, ad leges pacis negotia „ transferamus. Nostis autem, quòd jura ci- „ vilia nostris beneficiis in summum provecta, „ firmata, ac moribus utentium approbata, „ satis habent roboris: Regnorum verò le- „ ges, in quibus quod ante obtinebat, po- „ stea desuetudine inumbratum est, ab Impe- „ riali remedio, vestraque providentia necesse „ habent illuminari. Sive ergo jus nostrum, „ sive vestrum in scriptum redigatur, in ejus „ constitutione considerandum est, ut sit ho- „ nestum, justum, possibile, necessarium, „ utile, loco temporique conveniens. Ideo- „ que tam nobis, quàm vobis, dum jus con- „ dimus, cautiùs prævidendum est: quia cùm „ leges institutæ fuerint, non erit liberum „ judicari de eis, sed oportebit judicare se- „ cundùm ipsas.

CAP. IV.

Subsequens favor Episcoporum, & eorum responsio ab Archiepiscopo Mediolanensi prolata.

His dictis, magnus favor omnium prosequitur admirantium & stupentium, quòd qui literas non nosset, quique parum adhuc supra adolescentem ageret ætatem, in oratione sua tantæ prudentiæ, tantæque facundiæ gratiam accepisset: surgentesque unus post unum, sicut ejus gentis mos est, seu ut Principi suum quisque manifestaret affectum, & propensiorem circa eum devotionem, seu ut suam in dicendo peritiam, qua gloriari solent, declararet, primò Episcopi, deinde Proceres terræ, post Consules, & Missi singularum civitatum, totam diem illam facundissimis sermonibus in noctem usque produxerunt. Porrò una omnium sententia hæc erat, à Mediolanensi Archiepiscopo prolata:

„ Hæc est dies quam fecit Dominus, exul- „ temus & lætemur in ea. Verè dies hæc dies „ gratiæ, dies est lætitiæ, qua in medio po- „ puli sui victor inclytus, triumphator pacifi- „ cus, non belli minas intentans, non crudele „ aliquid vel tyrannicum intonans, sed pacis „ leges disquirens, in medio populi sui mi- „ tissimus residere dignatur. Felix tandem Ita- „ lia post multa secula inventa, quæ modò „ Principem invenire meruisti, qui nos homi- „ nes imò proximos, ac fratres recognoscat. „ Tu nimirum es, o Clarissime Princeps, & „ singularis Orbis & Urbis Imperator, qui li- „ centiam primò homini indultam, jamque „ diu abrogatam, rursus in usum, ac in veræ „ sententiæ consuetudinem revocasti, ubi di- „ ctum est: (*Gen. 9.*) *Crescite, & multipli- „ camini, & dominamini piscibus maris & vo- „ latilibus cœli* (3). Quantos, o Italia, passa „ es Reges, imò tyrannos, qui hoc tibi man- „ datum per contrapositionem interpretaren- „ tur, versa vice dominantes hominibus, imò „ prementes quosque bonos & sapientes, ra- „ tioneque, utpote rationales, uti cupientes, „ pisces maris, lubricos scilicet, rapaces & „ cœno voluptatis deditos, & altum inaneque „ sapientes demulcerent, & iniqui iniquos in „ suis impietatibus contra jus fasque confove- „ rent. Novimus qualia aliquando simus passi „ imperia injusta, superba, crudelia. No- „ vimus iniqua dominatione nihilominus in- „ sontes sicut sontes circumventos. Memini- „ mus sine extanti crimine factas proscriptio- „ nes locupletium: magistratus, sacerdotia „ nefaria turpique conventione commutata, „ & alia multa, quæ libido dominantium im- „ peraret, nostris sub oculis irreverenter per- „ petrata. Gaudeamus ergo & exultemus, & „ demus gloriam Deo, post tam turbidi tem- „ poris tempestatem, serenum nobis pacis „ diem illuxisse. Dum tibi Serenissimo Do- „ mino nostro placet Imperium tuum per in- „ nocentiam servare potiùs, atque tueri, „ quàm per scelus crescere, & per sangui- „ nem subjectorum incrustari. Domineris o „ Augustissime Imperator, piscibus maris & „ volatilibus Cœli. Nam & divinum judicium „ superbis resistit, humilibus autem dat gra- „ tiam. De nobis fidelibus tuis, de populo „ tuo consultare placuit tuæ potentiæ super „ legibus & justitia, atque honore Imperii. „ Scias itaque omne jus populi in condendis „ legibus tibi concessum. Tua voluntas jus „ est, sicuti dicitur: *Quod Principi placuit, „ legis habet vigorem, cùm populus ei, & in „ eum omne suum Imperium & potestatem con- „ cesserit*. Quodcunque enim Imperator per „ Epistolam constituerit, vel cognoscens de- „ creverit, vel edicto præceperit, legem esse „ constat. Profectò secundùm naturam est, „ commoda cujusque rei eum sequi quem se- „ quuntur incommoda: ut videlicet omnibus „ debeas imperare, qui omnium nostrum su- „ stines onera tutelæ.

His finitis, ea die in vesperam protracta Curia solvitur. Fuere etiam qui ibidem in publico facta Imperatoris carminibus favorabilibus celebrarent.

CAP.

(3) *Post* volatilibus cœli, *MStus habet*: Peccatis exigentibus homo homini dominatur: divina verò institutione homo piscibus maris, & volatilibus cœli. Quantos &c.

CAP. V.

Quomodo singulis diœcesanis singulos Judices præfecerit. Item quomodo regalia Itali in manus Principis resignaverint, & quibus ea denuo habere concesserit.

SEquentibus diebus plena atque solenni Curia, judicio & justitiæ à mane usque ad vesperam intentus, querimonias & proclamationes tam divitum, quàm pauperum diligenter audiebat. Habensque quatuor Judices, videlicet Bulgarum, Martinum, Jacobum, Hugonem, viros disertos, religiosos, & in Lege doctissimos, Legumque in civitate Bononiensi Doctores, & multorum auditorum Præceptores: cum his, aliisque Legisperitis, qui diversi ex diversis civitatibus aderant, audiebat, discutiebat & terminabat negotia. Videns autem multitudinem eorum, qui Cruces bajularent: is enim Italorum mos est, ut habentes querelas Crucem manibus præferant, misertus illorum, ait mirari se prudentiam Latinorum, qui cùm præcipuè de scientia Legum glorientur, maximè Legum invenirentur transgressores: quàmque sint tenaces justitiæ sectatores, in tot esurientibus & sitientibus justitiam evidenter apparere. Divino itaque usus consilio, singulis diœcesanis singulos Judices præposuit: non tamen de sua civitate, sed vel de Curia, vel de aliis civitatibus; hac eos commutans ratione, ne si civis civibus præficeretur, aut gratia, aut odio leviter à vero posset averti. Sicque factum est, ut de tanta querulorum multitudine vix ullus superfuisset, qui non aut plenam de lite victoriam, sive justitiam, aut competentem cum adversario transactionem se gauderet reportare. Deinde super justitia Regni, & de regalibus, quæ longo jam tempore seu temeritate pervadentium, seu neglectu Regum Imperio deperierant, studiosè differens, cùm nullam possent invenire defensionem excusationis, tam Episcopi, quàm Primates, & civitates uno ore, uno assensu, in manum Principis regalia reddidere, primique resignantium Mediolanenses extitere. Requisitique de hoc ipso jure quid esset, adjudicaverunt Ducatus, Marchias, Comitatus, Consulatus, Monetas, Telonia, Fodrum, Vectigalia, Portus, Pedatica, Molendina, Piscarias, Portus, omnemque utilitatem ex decursu fluminum provenientem: nec de terra tantùm, verumetiam de suis propriis capitibus census annui redditionem. Hisque omnibus in fiscum adnumeratis, tanta circa pristinos possessores usus est liberalitate, ut quicunque donatione Regum aliquid horum se possidere instrumentis legitimis edocere poterat, is etiam nunc Imperiali beneficio, & regni nomine idipsum perpetuò possideret. Ex his tamen qui nullo jure, sed sola præsumptione de regalibus se intromiserant, XXX. millia talentorum, plus, minusve reditibus publicis per singulos annos accessere.

CAP. VI.

Quòd Princeps Magistratus civitatum ordinare debeat, & quòd obsides acceperit ab omnibus.

PRæterea & hoc sibi ab omnibus adjudicatum atque recognitum est, in singulis civitatibus Potestates, Consules, cæterosve Magistratus assensu populi per ipsum creare debere, qui fideles simul & prudentes, & Principi honorem, & civibus patriæque debitam justitiam nossent conservare. De his autem omnibus fideliter, & sinè fraude recipiendis & observandis, ab omnibus civitatibus, & sacramenta præstita, & vades pro libitu Imperatoris exhibiti sunt. Consequenter pax in communi juratur eo tenore, ut nec civitas civitatem, nec homo hominem impugnaret, nisi hoc à Principe sibi foret imperatum.

CAP. VII.

De Legibus, quas Imperator promulgaverat, videlicet de feudis, & pace non violanda.

AD ultimum de jure feudorum, quod apud Latinos scripto nondum sufficienter expressum fuerat, & penè omnes eam beneficiorum justitiam in injustitiam converterant, leges promulgavit, quarum capitula præsenti annotatione subjecimus.

FRidericus *Dei gratiâ Romanorum Imperator, & semper Augustus. Imperialem decet solertiam ita Reipub. curam gerere, & subjectorum commoda investigare, ut Regni utilitas incorrupta permaneat, & singulorum status jugiter servetur illæsus. Quapropter cùm ex prædecessorum more universali Curiæ Roncaliæ pro tribunali sederemus, à Principibus Italicis, tam rectoribus Ecclesiarum quàm aliis fidelibus Regni, non modicas accepimus querelas, quòd beneficia eorum & feuda, quæ vasalli ab eis tenebant, sinè dominorum licentia pignori obligaverant, & quadam collusione nomine vel libelli* (4) *vendiderant: unde debita servitia amittebant, & bonorum Imperii nostræ felicis expeditionis complementum minuebant.*

Habito igitur consilio Episcoporum, Ducum, Marchionum & Comitum, simul etiam Palatinorum, Judicum, & aliorum Procerum, hac edictali lege, Deo propitio, perpetuò valitura, sancimus, ut nulli liceat feudum totum vel partem aliquam vendere, vel pignorare, vel quomodolibet alienare, vel pro anima judicare, sinè permissione majoris Domini ad quem feudum spectare dinoscitur. Unde Imperator Lotharius tantùm in futurum cavens, ne fieret promulgavit. Nos autem ad pleniorem Regni utilitatem providentes, non solùm in posterum, sed etiam hujusmodi priùs illicitas alienationes perpetratas, hac præsenti sanctione cassamus, & in irritum deducimus, nullius temporis præscriptione impediente, emptori bonæ fidei de pretio actione contra venditorem competente. Callidis insuper quorundam machinationibus obviantes, qui pretio accepto, quasi sub colore investituræ, quam sibi licere dicunt, feuda vendunt & in alios transferunt, ne tale figmentum, vel aliud ulte-

(4) *Fort.* nomine libelli. C. MS. nomine belli.

ulteriùs in fraudem hujus nostræ constitutionis excogitetur, omnibus modis prohibemus: plena auctoritate nostra statuentes, ut venditor & emptor, qui tam illicita contraxisse repertus fuerit, feudum amittat, & ad dominum liberè revertatur: scriba verò qui super hoc instrumentum sciens conscripserit, post amissionem officii, cum infamiæ periculo manum amittat.

Præterea si quis infeudatus major quatuordecim annis, sua incuria vel negligentia per annum & diem steterit, quòd feudi investituram à primo domino non petierit, transacto hoc spatio, feudum amittat, & ad dominum redeat.

Firmiter etiam statuimus, tam in Italia quàm Alemannia, ut quicunque indicta publicè expeditione vocatus à domino suo, ad eandem expeditionem spatio competenti venire supersederit, vel alium pro se domino acceptabilem mittere contempserit, vel dimidium reditus feudi unius anni domino non ministraverit, feudum, quod ab Episcopo, aut ab alio domino habet, amittat: & dominus feudi in usus suos illud redigendi omnibus modis habeat potestatem.

Præterea Ducatus, Marchia, Comitatus de cætero non dividatur: aliud autem feudum, si consortes voluerint, dividatur: ita ut omnes qui partem feudi habent jam divisi, vel dividendi, fidelitatem domino faciant: ita tamen ut vassallus plures dominos non compellatur habere, nec dominus feudum sinè voluntate vassallorum ad alium transferat.

Insuper si filius vassalli dominum offenderit, pater à domino requisitus, adducat filium ad satisfaciendum domino, vel à se filium separet: alioquin feudo privetur. Si verò pater vult eum deducere ut satisfaciat, filius autem contemnit, patre mortuo in feudum non succedat, nisi priùs domino satisfecerit: parique modo vassallus pro omnibus suis domesticis satisfaciat.

Illud quoque præcipimus, ut si vassallus de feudo alium vassallum habuerit, & vassallus vassalli dominum domini sui offenderit, nisi pro servitio alterius domini sui hoc fecerit, quem sinè fraude antea habuit, feudo privetur, & ad dominum suum à quo ipse tenebat, revertatur: nisi requisitus ab eo, paratus fuerit satisfacere majori domino, quem offendit: & nisi vassallus, idemque dominus à suo domino requisitus, eum qui majorem dominum offendit, requisierit ut satisfaciat, feudum amittat.

Præterea si de feudo inter duos vassallos sit controversia, domini sit cognitio, & per eum controversia terminetur. Si verò inter dominum & vassallum lis oriatur, per Pares (*) Curiæ à domino sub debito fidelitatis conjuratio terminetur.

Illud quoque sancimus, ut in omni sacramento fidelitatis, Imperator nominatim excipiatur.

F*Ridericus Dei gratiâ Romanorum Imperator semper Augustus, universis suo subjectis Imperio, hac edictali Lege in perpetuum valitura jubemus, ut omnes nostro subjecti Imperio, veram & perpetuam pacem inter se observent, & ut inviolatum inter omnes fœdus perpetuò servetur.*

Duces, Marchiones, Comites, Capitanei, Vavassores, omnium locorum Rectores, cum omnium locorum Primatibus & plebejis, à XVIII. Anno usque ad LXX. jurejurando obstringantur, ut pacem teneant, & Rectores locorum adjuvent in pace tuenda atque vindicanda, & in fine uniuscujusque quinquenii omnium sacramenta de prædicta pace tenenda renoventur.

Si verò quis aliquod jus de quacunque causa, vel facto contra aliquem se habere putaverit, ad judicialem redeat potestatem (5), & per eam sibi competens jus assequatur.

Si quis verò temerario ausu prædictam pacem violare præsumpserit, si civitas est, pœna C. librarum auri Cameræ nostræ inferenda puniatur, oppidum verò XX. libris auri multetur. Duces autem & Marchiones & Comites L. libras præstent. Capitanei verò & majores Vavassores XX. libris auri puniantur. Minores autem Vavassores, & omnes alii prædictæ pacis violatores VI. libras auri inferre compellantur, & damnum pacis secundùm leges resarciant.

Injuria seu furtum legitimè puniatur.

Homicidium, & membrorum diminutio, vel aliud quodlibet delictum legaliter vindicetur.

Judices verò, & locorum Defensores, vel quicunque Magistratus ab Imperatore, vel ejus potestate constituti, seu confirmati, qui justitiam facere neglexerint, & pacem violatam vindicare legitimè supersederint, damnum omne, & injuriam pacis resarcire compellantur: & insuper si major judex est, sacro ærario in pœnam X. libras auri præstet, minor autem pœna trium librarum auri multetur. Qui verò ad prædictam pœnam persolvendam inopia dignoscitur laborare, corporis sui coërtionem cum verberibus patiatur, & procul ab eo loco, quem inhabitat, quinquaginta milliaria per quinquennium vitam agat.

Conventicula quoque, & omnes conjurationes in civitatibus & extra, etiam occasione parentelæ, inter civitatem & civitatem, & inter personam & personam, sive inter civitatem & personam, omnibus modis fieri prohibemus, & in præteritum factas cassamus, singulis conjuratorum pœna unius libræ auri percellendis.

Episcopos quoque locorum Ecclesiastica censura violatores hujus sanctionis, donec ad satisfactionem veniant, coërcere volumus.

Receptoribus (6) etiam malefactorum, qui prædictam pacem violaverint, & ementibus, nostræ indignationi subjiciendis, & eadem pœna feriendis.

Præterea bona ejus publicentur, & domus destruantur, qui pacem jurare & tenere noluerit, & leges pacis non servat.

Illicitas etiam exactiones, maximè ab Ecclesia, quarum abusio jam per longa tempora inolevit, per civitates & castella omnimodis condemnamus, & prohibemus: & si factæ fuerint, in duplum reddantur.

Item sacramenta pupillorum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis, inviolabiliter custodiantur. Per vim autem, vel injustum metum, etiam à majoribus, maximè ne querimoniam maleficiorum commissorum faciant,

(*) Patres.
(5) C. MS. judicialem adeat poteſtatem.
(6) C. MS. Receptori etiam malefactorum, qui prædictam pacem violaverint nostræ indignationi subjiciendi, & eadem pœna feriendi sunt. Præterea &c.

tiant, extorta sacramenta, nullius esse momenti jubemus.

Ad hæc qui allodium suum vendiderit, districtum & jurisdictionem Imperatoris vendere non præsumat: & si fecerit, non valeat.

CAP. VIII.

De controversia Cremonensium & Placentinorum. Item de controversia pro Modoico.

CRemonenses & Placentini inter eos qui sibi coram Principe litem commovebant, acriùs cæteris sese experiebantur. Nam cùm inter has duas civitates non longè à se positas, nisi quòd Pado interfluente separantur, propter contubernium Mediolanensium, antiquæ ac diutinæ manserint discordiæ, accesserat tunc, quòd Cremonenses cum Imperatore ad Curiam venientes, Placentinorum militia egressa ad certamen provocaverat, quod modò vulgò *Turneimentum* vocant. Ibique hincinde aliqui sauciati, alii capti, quidam occisi sunt. Ob hanc rem dum adversùs se invicem accusationem proponerent, Cremonensibus se dum essent in obsequio & in comitatu Principis, hostiliter invasos: nec tam se, quàm Regiam fuisse læsam Majestatem: suam injuriam magnitudine Principum curæ esse debere: penes Imperium esse, ut Placentini velut hostes Reip. pro impietatibus in ipsos, pro perfidia & temeritate in Imperatorem, graves pœnas reddant. Placentinis autem non adversùs Principem, sed contra infestissimos hostes se venisse, qui cùm in terminis ipsorum multa iniqua fecerint, rapinis & incendiis omnia permiscuerint, querimoniæ modò calumniosæ (7), quòd injuriam passi sint, allegantibus. Fridericus partibus prosequendi copiam dedit: sufficienterque auditis quæ ab utrisque dicerentur, animadvertit Placentinos minùs idoneè objecta purgare: præsertim cùm in plurimis rebus dolus eorum & perfidia in Regnum jam antea foret deprehensa. Itaque contra ipsos sententia judicum procedit, tandemque hac mulcta in gratiam recipiuntur, ut præter non parvæ pecuniæ donationem, vallum civitatis egregium, quod iisdem annis pro defectione ab Imperatore fecisse insimulabantur, replendo æquarent, tursesque universas destruerent. Quod & factum est, dignaque in Placentiam seditiosam civitatem, pro modo delicti ultio exerta, rebellionis metum reliquis civitatibus incussit. Ibi quoque Fridericus Augustus de proprietate Modoici, ubi sedes Regni Italici (ut dictum est) esse dinoscitur, contra Mediolanenses causam assumens, selectis arbitris gloriosè, justitia media, de lite triumphavit.

CAP. IX.

De Nunciis Imperatoris in Sardiniam & Corsicam missis, & de Januensibus subactis.

APud Roncalias rebus bene gestis, & utilitatibus Imperii sapienter ordinatis, Fridericus conventum dimisit: atque proximioribus ordinatis, ad ulteriores terras, & in insulas maris regium regiæ procurationis animum protendit. Itaque electos Nuncios, Episcopum videlicet Conradum Eistetensem, & Comitem Emichonem, in Sardiniam & Corsicam dirigit, commendans eos Pisanis, & Januensibus conducendos, pro eo quòd hæ duæ civitates maximum in Tyrrheno mari viderentur habere Principatum. Verùm quamobrem eadem legatio sinè efficacia remanserit conjicient hi, quibus notum est, in quantis emolumentis Pisanis atque Januensibus Insula Sardinia prostituta sit. Unde non incongruè putatur, illorum astu, & falsis occasionibus iter Nunciorum fuisse impeditum. Nam & Januensibus vicem redditurus, adventum suum Augustus cōminans, finibusque eorum accedens, mira celeritate ac facilitate eos deterruit, & ad pacis pacta confugere compulit, quæ fuere hujusmodi: M. marcas argenti (8) publico ærario persolvere, & à muri, quem orsi fuerant, fabrica cessare. Non autem ab re putatur hinc illis cœlitus incussum fuisse terrorem, atque formidinem, ne multos sua temeritate ad defectionē invitarent. Nam salutis spem Januensibus certam, & contra venientibus hæsitationem natura loci præstare maximè poterat, quæ civitatem ita ex omni parte vallaverat, ut vel propter eminentium Alpium prærupta & invia, vel Tyrrheni maris, quo litus ipsum alluitur, fluctibus ad eam nec perveniri facilè fuerit. Augustus autem nullo horum motus, etiam cum natura certare non diffidebat, ut quod illa situ loci inexpugnabile fecerat, ipse magnitudine animi, ac virtute superandum putaret.

CAP. X.

Quomodo Imperator Natale Domini apud Albam celebrans, Nuntios pro colligendo fodro undique direxit, & de terra Mathildis.

HIs gestis, Fridericus pro recreando milite, in opimis, & nondum bello tactis Italiæ locis hyemare statuit, proximumque Natalem Domini apud Albam civitatem celebrans, Nuntios pro colligendo fodro per totam Tusciam, & maritima, atque Campaniam direxit. De Principibus quoque ad ordinandos in civitatibus Consules seu Potestates, alium aliò dimittit: adjunctis eis Cartulariis, qui de regalibus, quæ fisco accesserant, certam summam, & plenam notitiam reportarent. Reditus quoque Imperiales, quæ dicuntur domus Mathildis, à Duce Guelfone, seu ab aliis distractos & dispersos, congregavit, quos postmodum eidem nobilissimo Principi adunatos & melioratos, liberali restitutione noscitur reddidisse. Quorum prædiorum magnitudinem, ejusque terræ copiosam opulentiam, qui ripas Eridani pervagati sunt, non ignorant.

CAP. XI.

De morte Ottonis Episcopi Frisingensis.

ROmanus Imperator, etsi in aliis omnibus secunda fortuna usus fuerit, in morte tamen nonnullorum Principum, per idem tempus ejus sævitiam & cœcitatem expertus est, quorum ut apud posteros nulla celebretur memoria, nobilitas generis, mentis prudentia, & egregiæ tam animi quàm corporis virtutes non permittunt. In numero quorum primus fuit Otto Frisingensis Ecclesiæ venerabilis Præsul, hu-

(7) C. MS. queri modo calumniosè.

(8) C. MS. Mille millia argenti.

hujus (*) Historiæ auctor, & feliciori fine futurus consummator, nisi (ut quidam incusant) fata virtutibus invidissent. Et quia tam in hujus præclari viri nece, quàm in conflagratione Frisingensis Ecclesiæ, patria mea duplici contritione attrita est: nemo me accuset, si vel patriæ miserias, vel amantissimi domini & nutritoris mei flebilem interitum prolixiore narratione prosequar, sed dolori veniam tribuat, considerantibus nobis civitatem nostram ad tantum felicitatis gaudium processisse, eandemque ferè ad ultimos casus inclinatam. Si quis autem, ut ait quidam, durior misericordiæ sit judex, res quidem tribuat historiæ, lamenta verò scriptori.

Anno ergo ab Incarnatione Domini MCLIX. Indictione VII. regnante Serenissimo Imperatore Friderico, Anno Imperii ejus III. Regni V. memoratus Antistes ab hac luce, Deo vocante, migravit. Is primò velut cœlitus, & à Deo missus cùm eandem Ecclesiam reperisset omnibus ferè bonis destitutam, distractas facultates, collapsa palatia, familiam attritam, religionis Monasteriorum nullam vel parvam memoriam, ope divina tandem ipsam in eum locum reduxerat, ut Clero religionem, familiæ libertatem, facultatibus copiam, ædificiis decorem ab hac luce subtractus restituisset, ejusque cura, labor, meritum circa sedem & gentem suam perinde fuerat, ac si non tam instaurator, quàm fundator illius extitisset. Huic negotio præstabat adminiculum & opem, tum genus viri, tum probitas, tum conversationis æstimatio. Nempe Imperatorum Henrici IV. nepos, sororius Quinti Henrici, Conradi Regis frater uterinus, Friderici Imperatoris Augustissimi hujus, qui jam feliciter regnat, patruus: ex clarissimo Regni Principe Leopaldo Marchione patre, & Matre Agnete, filia Henrici IV. Imperatoris: pariter cum fratribus suis germanis, Conrado Pataviensi Episcopo, Leopaldo Duce Bajoariæ, & Henrico Duce Austriæ, necnon & sororibus Gertruda, Ducissa Boëmiæ, & Bertha Ducissa Polonorum, ac Ita Marchionissa de Monteferrato (9) N. Imperatricis Hispaniæ genitrice: de tanta, inquam, tamque illustri parentela proles ipsa nobilissima traxit originem. Literali scientia non mediocriter aut vulgariter instructus, inter Episcopos Alemanniæ vel primus, vel inter primos habebatur, in tantum, ut præter Sacræ Paginæ cognitionem, cujus secretis & sententiarum abditis præpollebat, Philosophicorum & Aristotelicorum librorum subtilitatem, in topicis, analyticis, atque elenchis, ferè primus nostris finibus apportaverit. Ob ea & aliarum multarum privilegia gratiarum, fiducia quoque tam secularis prudentiæ, quàm eloquio fretus facundissimæ linguæ, cùm sæpiùs in causis Ecclesiæ coram Regibus & Principibus constantissimè ageret, & exinde sibi gloria laudem, laus invidiam, ut assolet, non modicam peperisset, laqueos adversantium imperterritus declinavit, & obloquentium ora sinè læsione probè probus evasit. Sanè vivendi modum juxta Cisterciensis ordinis religionem instituerat: ibique in Monasterio Morimundensi primò Abbas, eousque probatus & electus inventus est, ut meritò sibi diceretur: *Amice ascende superiùs*. Episcopus factus, transcurso juventutis fervore, ac sopito lubricæ ætatis incentivo, oleum peccatoris declinans, & justitiam suam in conspectu hominum & favore facere parvipendens, Deo potiùs, quem conscientiæ & corda non fallunt, placere satagebat, attendens illud Evangelicum: *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua*. Unde factum est, ut si quid ex conversatione mundana pulverulentiæ contraxisset, in præsenti, lingua detrahentium, quæ ut gladius acutus, raderetur atque purgaretur: siquidem supradicto Principe Friderico patruo suo in Italicam expeditionem iter agente, cùm & ipse, sicut necessarius & perutilis Imperii negotiis ire debuisset, nutu divino contigit ipsum iter detrectare, ut Vir religiosus inter manus fratrum orantium potiùs, quàm inter strepitum prœliantium expirans, dicere posset, *Domine, suscipe me, ut cum fratribus meis sim, cum quibus, &c.* (*Matth.* 6) Benignè verò ab Imperatore dimissus, multis gemitibus comissam sibi suæ benignitati commendavit Ecclesiam, ac quodam spiritu prophetico de fine suo præscius, ne post mortem suam ipsam aliquo modo gravaret, & libertate electionis (ut jam sæpiùs anteactis temporibus in aliis Ecclesiis factum dicebatur) eam nullo modo privaret, postulavit. Accepta de hac probabili petitione fideli laudamento, ad propria reversus est. At cùm, aliquibus de morte sua, seu per visiones, seu per somnia revelatum fuisse, referentibus & commonentibus quibusdam religiosis, cognovisset: salutatis fraterna charitate media quàm intimè fratribus, & vale dicto, occasione visitandi Cisterciense capitulum, viam carpit, & jamdudum languore ac debilitate corporis invalidus, laborioso itinere, nihil tamen adhuc suis, qui secum erant, metuentibus, ad prænominatum Morimundense Monasterium pervênit. Ibi per aliquot dies lecto cubans, & jam de obitu suo nequaquam dubius, dum sacro liquore olei, sicut moris est, perunctus fuisset, & de pecunia sua laudabili testamento ordinasset, inter cætera quæ sollicitus de salute sua prævidebat, etiam hunc codicem manibus suis offerri præcepit, eumque literatis & religiosis viris tradidit, ut si quid pro sententia magistri Gileberti (ut patet in prioribus) dixisse visus esset, quod quempiam posset offendere, ad ipsorum arbitrium corrigeretur, seque Catholicæ Fidei assertorem, juxta Sanctæ Romanæ, imò & universalis Ecclesiæ regulam professus est. Deinde multa priùs cordis contritione, & humili confessione reatum suum recognoscens, sumptis Sacrosanctis Mysteriis, in medio multitudinis Sanctorum tam Episcoporum quàm Abbatum, Domino Spiritum reddidit. Felix utique, & pro meritis suis divino munere donatus, ut antea raptus sit, quàm unicam suam, dilectam suam, Ecclesiam videlicet, cui ipse speciali & intimo amore connexus erat, in favillam & cinerem conversam vidisset, & subversam. Cùm autem adhuc vivens locum sepulturæ suæ fratribus digito præmonstrasset, extra Ecclesiam in loco humili, ubi scilicet ab omnibus fratribus calcari debuisset, huic ejus ultimæ voluntati obviandum putabatur, & intra septa Ecclesiæ juxta majus Altare honorificè tumulatus est, ejusque sepulchrum à cunctis fratribus honore ac veneratione dignum habetur. Ego autem qui hujus operis principium, ejus ex ore adnotavi, finemque ejusdem, jussu Principis, per-

(*) Operis.

(9) Consobrina Imperatrice Hispaniæ Gertrude. De tanta &c. *ita quoque in MS. Cæs. Vindobonensi*.

perficiendum suscepi, & manu mea ipsius extrema lumina clausi, hoc Epitaphium composui, & tumulo seu cœnotaphio ejus inscribi feci.

Libram Phœbus subiit cum falcitenente,
Luci nox prævaluit die decrescente,
Vita minus habuit morte prævalente,
Otto quando corruit raptus, heu repentè!
Hic, si gradum consulis, præsul dignitate.
Formam: decens, habilis, juvenis ætate.
Genus: alta nobilis Regum majestate.
Mores: commendabilis mira probitate.
Monachum se præbuit, si religionem.
Ideas asseruit, si positionem.
Virgo, cujus meruit intercessionem,
Ejus ad quem genuit agat mentionem:
Cujus frequens otium in Philosophia,
Majus exercitium in Theologia,
Fœdus sibi mutuum cum Philologia,
Nunc sit ei speculum summa Theoria.
Plangat hunc Germania planctu generali,
Magis tu Frisingia, orba viro tali,
Cui tot privilegia dono speciali,
Jugi querimonia debes lamentari (10),
Hujus in te studio studium vigebat:
Grata disceptatio plures acuebat.
Quid mos, aut quid ratio nemo non videbat:
Fraus, & cavillatio latens non latebat.
Hic sacrum Ecclesiæ sublimavit cultum.
Ipse dedit strepere logicum tumultum:
Hoc in ejus cinere totum est sepultum.
Talem nemo plangere potest satis multum.
Quis nunc tantam gratiam formis affirmabit?
Aut quis elegantiam dictis assignabit?
Quis ad consequentiam tropos revocabit?
Heu qualem sententiam schola vento dabit?
Quid rerum compactio sagax, dum rimatur,
Mathesis abstractio quid, dum contemplatur,
Quòd nihil privatio per hunc dum probatur,
Quid ambarum actio morte scire datur.
Hujus necem patria justè dedignata
Clara dolens atriar rectore privata (11):
De se bene meritum cernens in favilla,
Ivit in interitum pariter & illa.
Tantas ad exequias turba populorum
Pias fundat lachrymas, mestũ ducens chorum.
Ad preces continuas, & lamenta quorum
Illum salvet, animas qui beat justorum.
Amen.

ALIUD METRUM.

Quicquid in orbe beat præclaros & meliores,
Præsulis Ottonis mirè (12) cumulavit honores.
Si proavi, vel avi probitas, sacer ordo, potestas
Deberent mortis furias cohibere molestas,
Non moriturus erat præclarè præditus illis.
Heu talem communibus accessisse favillis,
Quàm facunda viri vox, qualis Philosophia,
Hortatu Regum docet edita Chronographia.
Luxit eum patria propria comitata ruina.
Propitietur ei Deus, & pia Virgo Maria.

CAP. XII.

De conflagratione Frisingensis Ecclesiæ.

OTtone Episcopo X. Kalendas Octobris, quod est circa solstitium brumale, defuncto, paucis post mensibus Non. Aprilis, quæ tunc fuit Dominica Palmarum, & est circa solstitium æstivale, horâ matutinâ, civitas Frisingensis penitùs & penitùs incendio conflagravit, adeò quòd (ut taceam de majoribus Ecclesiis, quæ cum ornamentis suis perierunt, sedeque ipsa, & palatio) nec una quidem de minoribus Capellis & Oratoriis superfuit. Domus etiam & officinæ Canonicorum, & domus militum, exceptis valde paucis, crematæ sunt. Hæc Ecclesia eo tempore in tali statu fuerat, quòd rebus, ædificiis & divitiis omnibus penè conlateralibus, & vicinis Episcopatibus aut major erat, aut æqualis. Cleri probitate tam insignis, ut in ejus honestate & disciplina, in liberalitate, in literarum scientia rari pares, meliores & superiores in Orbe Romano nulli haberentur.

CAP. XIII.

Quæ prodigia hanc cladem præcesserint, & quòd Albertus Ottoni successerit.

HAnc Frisingensis civitatis multiplicem cladem, & ærumnosi eventus casum, nonnulla prodigiorum indicia præcesserant. Quadam enim vice in die Circumcisionis Domini, dum ad Missam solennem Presbyter Altari majori assisteret, & jam sacri secreti ultimum resolvisset silentium, calix cum Sanguine ita prorsus eversus, & super Altare in conspectu omnium effusus est, ut nec stilla superfuisset. Sed prudentissimus Episcopus omine tali nil prosperum auguratum esse præsciens, jejuniis & Litaniis divinam animadversionem præveniri atque placari persuasit. Per idem quoque tempus monstra quædam quadrupedia, aliaque fantasmata de nocte visa sunt, tam à Clericis veracibus, quàm à laicis, hinc inde volare. Feræ bestiæ, utpote vulpes & lepores pastofaria (13) Ecclesiæ ac officinas Canonicorum ingressæ, velut domesticæ, laqueum sibi captionis imponi non abnuebant. Pueri ac puellulæ per mediam civitatem sæpiùs processionem agentes, verasque Litanias imitantes, jocis suis gravia seria portenderunt. Nam & sequenti anno locus ipse, ubi major Ecclesia, & Cathedralis sedis fabricanda erat, fulmine ictus, Cœlesti igne conflagravit. Ululæ, upupæ, bubones toto anno in tectis funebria personantes, lugubri voce aures omnium repleverunt. Pilosi, quos Satyros vocant, in domibus plerumque auditi. Hujus ruinæ ac desolationis, talibus indiciis prophetatæ, præfata Frisingensis Ecclesia divina opitulatione, & per subrogationem piissimi Pastoris Alberti, qui ipsam in præsentiarum gubernat & regit, restaurationem expectat, ejusque industria sublevari sperat, & respirare.

CAP.

(10) C. MS. lamentariali.
(11) Hujus necem patria justè dedignilla.
Clara dolens atria ectore privilla. *Ita hab. C. MS.*
(12) C. MS. jure.
(13) C. MS. Pastoforia.

CAP. XIV.

De exustione Spirensis Ecclesiæ, & morte aliorum Episcoporum ac Principum.

EOdem etiam anno insignis illa Ecclesia, & Regium opus apud Spiram civitatem similiter igne consumpta est, & desuper continuitate muri rupta, ruina molesta plerosque, sicut tunc fama fuit, involvit.

Iisdem diebus Fridericus Coloniensis Archiepiscopus, cujus superiore Libro mentio habita est, tertio Pontificatus sui anno, cum multorum luctu diem suum clausit extremum, carnesque ejus, & viscera apud Papiam posita, ossa verò ad civitatem Coloniensem deportata sunt. Vir Nobilis & literatus, quique mansuetudine ac benignitate sua longè, latèque multorum in se provocarat affectum.

(14) Anselmus Ravennæ Metropolitanus, qui multis diebus in Imperii obsequiis, & fidelitate probatus fuerat, vir prudens & literatus ante Mediolanum defunctus est.

Herbipolensis quoque Antistes Gebehardus, (15) revisendæ patriæ amore illectus, dum benignè ab Augusto dimitteretur, paulò post septimum diem reditus sui ad civitatem suam, morbo correptus obiit: exemplo suo docens, quòd longas manus mortis, nec terra securior, nec convictus delicatior faciet declinare.

Tunc etiam Conradus Croatiæ, atque Dalmatiæ Dux, natione Noricus, de castro Dachovva oriundus, apud Pergamum finem vivendi fecit: ejusque corpus in terram suam deportatum, in Monasterio Schiren sepultum est. Cujus liberalitas, & in multis probata periculis animi magnitudo meruit, ut subtractus ex hac luce, memoria illius longo tempore apud posteros non deleatur. Nobiles quoque complures, & milites strenuissimos, quorum nomina mihi scribenti non occurrunt, aut varius belli eventus, aut morborum vis per idem tempus idem tempestatis turbo involvit.

CAP. XV.

Quòd Romanus Pontifex iterum occasiones quæsivit adversùs Imperatorem Fridericum.

FRiderico in hybernis agente, Adrianus Romanæ urbis Antistes quorumdam instinctu, ea, quæ jam inter ipsum & Imperatorem apud Augustam sopita fuerant, refricare cœpit, & denuo meminisse, modò Nuntiorum suorum injuriam, modò eorum, qui pro colligendo fodro directi fuerant insolentiam, & castellanorum suorum gravamen incusans, se pro bonis mala suscepisse, Imperatorem beneficiis suis ingratum existere. Proinde occasionem quærens, cùm audisset quòd regalia Principi tam ab Episcopis & Abbatibus, quàm à civitatibus & Proceribus recognita fuere, literas in fronte quidem leniores (16), diligentiùs verò consideratæ, acriori commonitione plenas, super hoc negotio dirigit: easque quidam indignus, & vilis nuntius præsentans, antequam recitatæ fuissent, disparuit. Qua de re commotus, caloreque juvenili ad vicem rependendam accensus, meditationem concipit, non quidem per abjectam, sed per honoratam illi respondere personam. Jam antea missus fuerat ad Sedem Apostolicam Episcopus Vercellensis, amicam deferens petitionem, quatenus Guidonem Nobilem juvenem, filium Comitis Guidonis Blanderatensis, cujus supra mentionem fecimus, quem loco Anselmi Princeps in Ravennate Ecclesia subrogari fecerat, ibidem confirmaret & ordinaret. Nam idem juvenis infra sacros ordines adhuc existebat, & Clericus Romanæ Ecclesiæ pridem factus, ac in Subdiaconum à Papa Adriano consecratus, nonnisi ejus conniventia & assensu in aliam Ecclesiam transferendus putabatur. Cùm autem hoc à Romano Pontifice, volente in irritum revocare quod factum fuerat, negaretur, mittitur denuo Hermannus Verdensis Episcopus in idipsum, ejusque negotium item effectu caruit. Quod si quis pleniùs scire desiderat, Epistolas utrinque directas consulat, quorum talia scripta inveniuntur.

CAP. XVI.

Rescriptum Imperatoris Friderici ad Papam pro confirmatione Electi Ravennensis.

Fridericus Dei gratiâ Romanorum Imperator, & semper Augustus Adriano Romanæ Ecclesiæ venerabili Pontifici.

„ DIlecto & fideli nostro Anselmo, bonæ „ memoriæ Ravennensis Ecclesiæ venerabili Episcopo defuncto, ne Curia nostra „ diutiùs tanto careret Principe, operam da„ re curavimus, loco ejus talem subrogari „ personam, quæ pro tempore ad resarcienda „ Ecclesiæ illius damna, & ad nostrum per„ agendum servitium apta videretur. Ante „ omnia autem præ oculis mentis habentes & „ aure non surda audientes, quod scriptum „ est, *Honore invicem prævenientes*: (*Rom.* 12.) „ filium Comitis Blanderatensis, quem vos in „ Clericum Romanæ Ecclesiæ, & filium no„ stra petitione assumpsisse recordati sumus, „ vicissim ad honorem vestrum & Sanctæ Ro„ manæ Ecclesiæ altiùs sublimari intendimus: „ in ea præsertim Ecclesia, quam post San„ ctam Romanam Ecclesiam, aut maximam, „ aut unam de maximis habemus, nostræque „ voluntatis proposito, divina favente clemen„ tia, in electione illius personæ, concorditer „ & voluntariè universa Ravennas convênit „ Ecclesia, præsentibus viris honestissimis, „ Legato nostro, & vestro, hinc Jacincto Car„ dinali, inde Hermanno Verdensi Episcopo. „ Scientia autem & moribus in personam „ præfati electi unà cum genere convenienti„ bus, propter reverendum vestræ paternita„ tis testimonium, commendabilior & ac„ ceptior eadem persona nobis jam facta est, „ quam utique etiam diligi à vobis & hono„ rari gaudemus, & volumus: ea tamen ra„ tione & ordine, qua patres filios suos so„ lent diligere, quos suo tempore & manu„ mittunt, & domui suæ providere permit„ tunt. Et quidem decentissimum est, San„ ctam Romanam Ecclesiam, tanquam Ma„ trem omnium Ecclesiarum, filios, qui sunt „ fructus ventris, aggregare, & aggregatos „ ad

(14) Anselmus Ravennæ, *usque ad* Herbipolensis *non legitur in MSto*.

(15) C. MS. Heinricus.

(16) leniores *non habet MStus*.

„ ad decorem domus Dei, per domos & familias distribuere: quibus etiam nostrum Imperium, tanquam ab utero & gremio Matris nostræ progredientibus, debeat & velit congruum honorem impendere. Proinde altiori consideratione vestra perpendat discretio, quid in hac causa tam vestræ, quàm nostræ majestati & honestati conveniat.

CAP. XVII.

Epistola responsiva Adriani Papæ ad Imperatorem.

Adrianus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Friderico, Illustri Romanorum Imperatori salutem & Apostolicam benedictionem.

„ QUaliter superni conditoris intuitu, & tam Excellentiæ Tuæ, quàm dilecti filii nostri Guidonis Blanderadensis Comitis interventu, dilectum filium Guidonem Subdiaconum nostrum, ejusdem Comitis filium, olim in familiaritatem, & in nostrum consortium receperimus; qualiter etiam intuitu probitatis ejusdem, atque pro honore & utilitate Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, tanquam si in Diaconum jam fuerit ordinatus, Ecclesiam ei specialiter assignaverimus, & nos profectò memores, & à Serenitatis Tuæ memoria non credimus excidisse. Nunc autem honestatem ipsius considerantes, & provectum scientiæ, si ei vita comes fuerit, attendentes; intelligentes etiam quanta per eum, ac per Nobiles, & potentes parentes ipsius, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ adhuc potuerint commoda provenire, & ad quantum dignitatis apicem in eadem Romana Ecclesia ipse valeat, vita generi concordante, conscendere, cùm à Sede Apostolica in Subdiaconatus officium sit promotus, & ei tanquam si jam Diaconus esset, sicut superiùs dictum est, à nobis sit Ecclesia specialiter assignata: communicato fratrum nostrorum consilio, à nostro latere tam pretiosum pignus, juxta petitionem Excellentiæ Tuæ, non potuimus removere; sed ipsum opportunitate accepta, Deo auctore, in Romana Ecclesia ad honorem ejusdem Ecclesiæ & Imperii intendimus ordinare: ut vel in ea, prout divina gratia proposuerit, quandoque ad sublimiora conscendat, vel exinde ad alterius Ecclesiasticæ fastigium dignitatis ipsum contingat, auxiliante Domino, pervenire. Convenientius siquidem est: ut qui filius & Clericus est Romanæ Ecclesiæ, ab ejus gremio non recedat, & ipsa ei circa se locum dignitatis conferens, eidem inde provideat altiora. Ipsa etenim viros & moribus & scientia adornatos, præditos honestate, & sanguinis nobilitate præclaros, ad se libenter evocat, & eos aliunde consuevit admittere, non se talibus, cùm ipsos in gremio suo habeat, facilè spoliare. Quia igitur hoc decentius esse conspicimus, & honorabilius existere arbitramur, confidentes etiam Imperatoriæ majestati hoc potiùs debere placere, & gratum atqu acceptum esse, postulationem tuam in hac parte non duximus admittendam: credentes atque sperantes, quòd ex quo nostram super hoc cognoveris voluntatem, tu ipse nostram intentionem & propositum commendabis.

CAP. XVIII.

De simultate orta inter Principem, & Urbis Romæ Episcopum.

PRinceps ergo & ipse accepta occasione, suam hoc modo solatur indignationem. Jubet notario, ut in scribendis chartis nomen suum præferens, Romani Episcopi subsecundet, & dictionibus singularis numeri ipsum alloquatur. Qui mos scribendi cùm antiquitus in usu esset communi, à modernis, ob quandam personarum reverentiam & honorem, putatur immutatus. Ajebat siquidem Imperator, aut Papam debere servare suorum Antecessorum ad personam Imperialem scribendi consuetudinem: aut se ipsum antiquorum Principum morem in suis epistolis oportere observare. Hæc itaque causa sermonum & Nunciorum majorem inter eos simultatis fomitem ministravit, intantum, ut quædam literæ deprehensæ dicerentur à Sede Apostolica directæ, quæ Mediolanenses, & quasdam alias civitates, rursus ad defectionem hortarentur. Hujus negotii veritatem tenor subjectarum Epistolarum declarabit, quæ à diversis personis hinc inde missæ sunt.

CAP. XIX.

Epistolæ de hoc à diversis transmissæ.

Venerabili patri & fratri, & amico charissimo Eberhardo, Dei gratiâ, Babenbergensi Episcopo, Henricus eâdem gratiâ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Tit. S. Nerei & Achillei, salutem in Domino.

„ SIcut virtus Imperatoria ex eorum, qui sibi assistunt, discretione monstratur, ita & ipsi quorum munitur consilio, propriæ conscientiæ & honestati debent attendere: quia & ipsorum honor sic ad dominos spectare videtur, sicut & domini detrimentum in eos proculdubio refunditur, & redundat. Eapropter, dilecte pater (17), & veneran de frater, & amice charissime, vestram non tam docemus, quàm monemus prudentiam, ut Imperialis dignitatis Excellentiam, quantum in vobis est, in ea, quæ ad pacem sunt, & ad honestatem spectant, jugiter suadeatis. Subtiliùs enim & sinceriùs in his quæ ad Deum pertinent, & justitiæ libertatem, ratio & discretio vestra intelligit & cognoscit, quàm alii Principes, quantumcunque nobiles sint, qui tamen Sacros Canones, & ea, quæ olim à Patribus disposita & ordinata sunt, non noverunt. Interfuistis ipse, sicut unus ex nobis fidelissimus mediator, eis, quæ cum Domino Imperatore de pace Ecclesiæ & ipsius ordinata sunt in Alemannia, & eis, quæ altera die nos secum fidelissimè, & ipse nobiscum benignissimè de eadem pace tractavimus. Nunc autem ex „ li-

(17) C. MS. frater.

„ literis illis, quas Celsitudini Suæ post reditum „ meum, domino meo placuerit destinare, „ quæ videlicet nec stylum, nec antequam „ (18) consuetudinem Imperialium litera„ rum obtinebant, timemus multum, ne sit „ in diversa mutatus, & alia modò sibi sit „ facies, sensusque diversus. Replevit cor „ meum amaritudine, & faciem meam con„ fusione mutatio hæc: quicquid honoris, „ & jucunditatis, & gloriæ apportaveram „ mecum, ex literis illis videtur esse sepul„ tum, atque obnubilatum. Ideo, dilectis„ sime frater, & amice charissime, Episco„ palis dignitas, & Sacerdotii ordo, in quo „ vos providentia divina constituit, moveant „ discretionem vestram, & instruant, ut ad „ honorem Dei stetis & vestrum, pro hone„ state & libertate Ecclesiæ ut in antiquis li„ mitibus Ecclesiæ integritas conservetur, ne „ temporibus vestris novis consiliis honestas us„ que modò turbata turbetur. Satis turbatum „ est, quicquid secundùm consilium vestrum „ putabamus efficere: & dicimus vobis, quam„ diu per homines rerum divinarum ignaros „ negotia portabuntur, stabiliri pax incœpta „ non poterit. Sed si præsentia vestra, & Do„ mini Præpositi Magdeburgensis summam de „ pacis labore susceperit, zelus Dei & scien„ tia, qua præeminetis uterque, finem pacifi„ cum ad honorem Dei & Ecclesiæ, & Impe„ ratoris nostri gloriam, per industriam ve„ stram, & studium vestrum facillimè poterit „ obtinere. Alioquin si tempore iracundiæ re„ pertus non fuerit, qui reconciliationi inten„ dat, & in cujus verbis possit ista scandala „ complanari, res ipsa forsan aliud exiget, & „ quod hodie integrum est, major vehemen„ tia necessitatis disrumpet.

ALIA.

Eidem Henrico, Eberhardus Babenbergensis Ecclesiæ eâdem gratiâ Episcopus, si quid est, orationis & servitii omnimodam devotionem.

„ Literis vestræ paternitatis lectis & rele„ ctis (19), admirari satis non potui, „ quod esset illud verbum, imò quod esset il„ lud væ, de quo scripseratis mihi, cùm ad„ huc à me prorsus esset absconditum. Quæ„ ritans autem invêni quod volui, & unde „ multùm dolui, teste Deo, & multùm do„ leo. Audivi & conturbatus, & tristatus „ sum. Contremuerunt omnia ossa mea, ad„ hæsit cutis ossibus meis. Et quidem intelle„ xi, & cognovi, quòd bono semini, non „ meo, sed vestro, pacis & concordiæ consi„ lio, inimicus homo superseminaverit ziza„ nia. Omnia mala à bonis principiis orta „ sunt. Sicut in sacro eloquio: *Paravit Do„ minus vasa mortis, & sagittas ardentes ef„ fecit*: (*Psal.* 7.) ita & in Imperialibus ge„ stis ac dictis, simul ac scriptis pleraque re„ periuntur, quæ alios seducunt, alios ædifi„ cant. Annales quandoque revolvuntur, api„ ces Imperiales recitantur, fortè in ea for„ ma, quæ illi ætati & tam bonitati, quàm „ simplicitati temporum illorum competebat, „ hominibus tunc in directum loquentibus, „ neque numerum numero commutantibus, „ neque personas (20) præposterantibus. „ Nunc verò mutata sunt omnia. Sed non „ expallescat aurum, nec mutetur color opti„ mus, nec dispergantur lapides sanctuarii in „ capite omnium platearum. Si qua exorbi„ tatio consuetudinis modernæ facta est, his „ exemplis facta est, & hac occasione, quia „ flamma sopita, denuo quodam vento resu„ scitata est per literas, quas Dominus Papa „ nuper direxit Domino Imperatori, super ea „ quæstione, quæ vertitur inter Brixienses & „ Pergamenses, de contentione duorum ca„ strorum: quas quidam pannosus, & velut „ hostis & insidiator, Domino Imperatori „ despectivè quodammodo obtrusit, & ultra „ non comparuit, quæ videbantur duriores, „ & quasi interdicti vim in se continentes, ne „ Dominus Imperator causæ illius judicium „ sibi assumeret. Hæc autem scribo vobis, „ non ut quæram palliare quæ palliánda non „ sunt, sed ut vos, & alii prudentes & timen„ tes Deum, faciliùs morbo subveniatis, causâ „ morbi cognitâ. Hinc inde dicimus, & scri„ bimus quotidie: Venite, venite: veniemus, „ veniemus. Sedemus, salvâ multâ Vestræ „ Sanctitatis reverentiâ dictum sit, sedemus, „ & oscitamus. Sedemus inquam, ut ait qui„ dam in Romana Republica nocte diem, die „ noctem expectantes, & jam prudentes & „ scientes perimus. De me dico vobis, ut tu„ tis loquar auribus: Nolo mali nuntii esse „ bajulus, neque veniam ut audiam vel re„ feram amaras historias. Verba verbis ob„ viant,

—— quasi pila minantia pilis.

„ Ubi est sapientia? ubi prudentia in Regno „ & Sacerdotio? Separet nos Deus ab his de „ quibus dicitur, *Omnis sapientia eorum de„ vorata est*. (*Psal.* 107.) Non dicatis nobis „ ultra: Venite; sed potiùs vos claves haben„ tes scientiæ, nos prævenite, non invitati ve„ nite, & docete filios vestros non in amari„ tudine spiritus, sed in lenitate, & multa „ mansuetudine. Parcat illis Deus, qui oleum „ quasi camino addentes, inter patrem & „ filium, inter Regnum & Sacerdotium semi„ nant discordias. Insipiens factus sum, vos „ coëgistis me. Veniant, pro Deo Nuntii bo„ ni, portantes pacem, tanquam scientes & „ docentes nos instare opportunè, importunè. „ More solito scribantur literæ, adjuvante „ Domino. Flebile principium (21), medium, „ finis, scilicet vertetur in gaudium. Domi„ nus Imperator superveniente Nuntio vestro, „ propter quædam secreta negotia subitò à „ castris discessit. Ideo ego meis insinuationi„ bus certum responsum ab eo elicere, neque „ vos literas ejus in continenti habere potui„ stis. Qualis sit vos scitis. Diligentes se di„ ligit, aliis alienum se facit: quia nondum „ perfectè didicit etiam inimicos diligere.

CAP. XX.

Alia Epistola ejusdem ad Romanum Pontificem.

„ Cum & tacendi & loquendi tempus sit, „ quando commune instat periculum, „ des-

(18) C. MS. antiquam.
(19) τὸ & relectis *in MSto deest*.
(20) C. MS. personas personis præposterantibus.
(21) C. MS. Flebile principium melior fortuna sequetur, & tristitia vertetur in gaudium.

" desperationis potiùs, quàm religionis est
" servare silentium: omnium est conclamare,
" in unum concurrere, ac ferre præsidium.
" Quando autem impetus hostilis, aut incen-
" dium ingruerit civitati, præsertim eorum
" interest, qui vigiles civitatis sunt, eos qui
" in arce sunt, ipsum quoque patrem fami-
" lias expergefacere ad subveniendum in ne-
" cessitatis articulo. Hac officii mei conside-
" ratione, & specialis debiti, quo teneor,
" multis rationibus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ,
" ego licèt minimus Episcoporum, qui nec
" sum dignus vocari Episcopus, tam impu-
" denter, quàm imprudenter exclamo ad vos,
" Reverendissime Pater & Domine, hoc in
" tempore quo nobis infirmioribus videtur im-
" minere, quod multùm pertimescimus, pe-
" riculum. Et quidem ab illa olla, quam
" succensam ab Aquilone vidit olim Prophe-
" ta, (*Jerem.* I.) ignis quidam per scintil-
" las occultas cœpit erumpere: sed adhuc in
" fumo est, & (Deo gratias) nondum in
" flammam eluxit. Inter vos Domine, &
" filium vestrum Dominum nostrum Impera-
" torem verbotenus adhuc aliquid perturba-
" tionis est. Timendum valde & metuendum,
" ne verba verbis obviantia, sua collisione
" flammam tandem excutiant, quæ se latiùs
" diffundat in Sacerdotio & Regno, quod
" Deus avertat. Ipse filius vester, sicut nostis,
" Dominus noster est: vos autem quomodo
" Christus, Magister & Dominus. Nemo no-
" strûm audet dicere hinc vel inde, cur hoc
" facitis, aut dicitis? Optamus tantùm & ro-
" gamus ea quæ ad pacem sunt. Quòd si li-
" ceret salvâ reverentiâ, verba singula truti-
" nare, & rationem singulorum exigere, in
" insipientia dico, non ut arbitror, expediret:
" quia potiùs ignis sinè mora discutiendus est,
" quàm de igne, qua de parte venerit discep-
" tandum. Supra me esse scio quæ loquor,
" sed in simplicitate cordis mei coram eo qui
" super omnes & secretorum est conscius,
" hæc loquor, & ex quo cœpi semel, loquar
" adhuc vobis confidenter, tanquam Patri &
" Domino. Omissis illis, quæ aliter & aliter
" secundùm varias auditorum & interpretum
" mentes possunt accipi, dignetur ex integro
" scribere vestra paternitas placidè ac beni-
" gnè filio vestro Domino nostro Imperatori
" & ad se paterno affectu eum revocare
" promptum ad exhibendam vobis omnem re-
" verentiam. Samuel David suum amplecta-
" tur, nec dimittat à se præparari (22), ut
" nulla scissura chlamydis fiat, quatenus Deus
" honoretur, & Ecclesia Catholica tranquilla
" devotione lætetur.

CAP. XXI.

Qua occasione Mediolanenses iterum tumultuari cœperunt, & ab Imperio deficere.

INterea cùm de Curia Optimatum ad singulas civitates bini vel plures pro constituendis Potestatibus & Consulibus, à Principe destinati fuissent, contigit Reinaldum Cancellarium, & Ottonem Palatinum Comitem de Bajoaria, sæpe jam memoratos, Comitemque Gozvvinum Mediolanum devenisse, id negotium in ea civitate, sicut & in cæteris, jussos promovere. Populus ergo in seditionem conversus, ad domos ubi Legatos manere suspicabantur, mox procurrere, contumeliosa & superba perstrepere, lapidibus, aliisque missilibus crepitare. Nec ab eo tumultu vel Comes Blanderatensis, qui & ipse affuit, vel reliqui Nobiles eos avertere poterant. Nam & in ea civitate, & penè in aliis Italiæ urbibus, non Procerum, sed vulgi motus hæc cuncta sequuntur. Id ingenio mobili, seditiosum atque discordiosum erat, cupidum novarum rerum, quieti & otio adversum. Aliquantæ etiam Nobilitatis parti, studio talium rerum incitatæ, tumultus ipse, & res novæ satis placebant. Legati ergo, quorum quidam intra muros urbis erant, improviso metu incerti, ignarique quid potissimum facerent, trepidare, cum nec resistere armatis & multis, ipsi pauci & inermes possent, & portæ ante clausæ fugam prohiberent. Comites autem, quos & ipsi magis infensos habebant, extra hospitatos ea res minùs terruit, qui sinè mora comperto tumultu, illæsi intactique recessere. Altero die tam Episcopus, quàm Cancellarius infecto negotio, eos è vestigio subsequuntur. Ita Mediolanenses violata pace, ruptis sacramentis, contaminato fœdere, quod etiam apud Barbaros Legatos jus gentium constituit, defectionis iteratæ venenum, quod corde conceperant, quod occultis machinationibus conflaverant, hac temeritate discooperire non verentur.

CAP. XXII.

De Nunciis Græcorum, & Regis Franciæ, ac Regis Angliæ, Regis quoque Ungariæ, ad Imperatorem missis.

EOdem tempore, vel potiùs iisdem diebus, Legati Constantinopolitani Imperatoris, ad Curiam venturi, fidem publicam expetebant. Namque pro morte Wilbaldi Abbatis Stapulensis, qui in Græciam missus ibi vita decesserat, sese suspectos haberi metuebant. Nuncii quoque Ludovici Regis Francorum, & Henrici Regis Angliæ, cùm post unos mox alii supervenissent, uterque Fridericum in partem ac favorem sui Principis inclinare multis verborum delinimentis, atque muneribus concertabant. Inter hos siquidem Reges, ex eo tempore quo inter Ludovicum, & thori sui sociam factum est divortium, eaque præfato Anglorum Principi superbis adhæsit nuptiis, sive occasione dirimendorum inter se finium, sive quodam alio latentiore zelo, continuæ simultates & dissensiones ortæ sunt, magnumque sibi credidit auxilium accessisse, quisquis eorum sibi Romani Principis conciliare potuisset auctoritatem. Rex quoque Ungarorum fama sola Mediolanensium comperiens temeritatem, honorabiles Nuncios, & literatos, magistrum Matthæum, & magistrum Primogenitum ad Curiam destinavit, suos denuo auxiliarios plures quàm priùs sponte sua Principi promittens. Hos singulos & responso prudenti exhilaratos, & regalibus donatos muneribus, Augustus expedivit, & ad suos Principes remeare concessit.

CAP.

(22) C. MS. à se separari.

CAP. XXIII.

Conquestio Friderici de Mediolanensibus fœdifragis.

FRiderico in villa, quæ vocatur Antimiacum, festivitatem Luminum celebrante, cùm multi ad eum Hesperiæ Proceres confluxissent, dolos atque crudam Mediolanensium superbiam omnibus notissimam in medium cōmemorat, exhibens vultum justi doloris, simul & regalis indignationis indicem.

„ Exclamare (inquit) cogimur, o Proceres, in auribus vestris contra crimen perduellionis, contra scelus læsæ Majestatis, in quo civitas impia, gens nequam, populus sceleratus, Mediolanenses dico, jam non semel, sed sæpenumero deprehensi inveniuntur. Factum ipsum vobis adhuc recens exponerem, si tamen non exinde non solùm vestræ, verumetiam omnium qui in orbe Romano sunt, aures tinnirent. Injuriam, quam nobis, imò vobis, & Imperio superbia & præsumptio perversissimorum hominum iniquè ingessit, occulto Dei judicio eò tendere videtur, ut hi, qui in suam, & multorum perniciem debacchantur, multorum quoque condemnatione, & Imperiali auctoritate, Legumque vigore competenter debeant compesci. Ubi fides illa, quam se Mediolanenses adhuc inviolatam, & inter cæteras civitates virginali quadam castimonia inlibatam habere gloriati sunt? Ubi justitia, quam in conservandis Legibus specialiter se hactenus habuisse jactaverunt? Convenient eos modò non nos, sed fides fracta; experientur adversùs ipsos sacramenta irrita facta, fœdus ruptum, leges Legatorum, non solùm nobis & vobis, verumetiam Barbaris debita integritate, & sanctissima reverentia conservandæ. Quocirca, si verè ego de vobis audeo prædicare fidem, justitiam, fortitudinem, abominationem desolationis, stantem in medio vestræ terræ, quæ hactenus larvali quodam terrore omnes concutere solebat, respicite, atque communibus viribus communem hostem non tam nostrum, quàm vestrum proterendum assurgite. Consulite Romano Imperio, cujus etsi nos caput, vos membra, nobis in hoc negotio, ut libet, vel milite, vel Imperatore utimini, Deo propitiante, illorum præsumptionem reiteratam, iterata vindicta eò usque prosequetur, ut quod in nostram injuriam, & Romani gloriam Imperii commiserunt, ea coërtione reprimatur, ne pravis & seditiosis crescat spes, & ne crimen eorum inultum maneat, qui nec vobis veritatem, nec nobis reverentiam & fidem servavere: abusi clementia nostra, abusi patientia, qui prò pœnitentia pertinaciam, pro simplicitate duplicitatis confusionem induere non erubuerunt. Talia perorantem omnes excepere, ac velut impetu quodam divino incitati, alius alium in respondendo antecapere cupiebat; hoc recti consilii arbitrantes, ne quis extremus remanere videretur. Erant ibi absque laicis Optimatibus Episcopi, Eberhardus Babenbergensis, Albertus Frisingensis, Conradus Eistetensis, Hermannus Verdensis, Daniel Pragensis. De ultramontanis, Papiensis, Vercellensis, Hastensis, Dertonensis, Placentinus, Cremonensis, Novariensis. Qui omnes dum singuli (23) Imperatori singulari favoris studio diverso modo placere voluissent, hanc tamen sententiæ unius identitatem, per os & facundiam Placentini Episcopi, proferebant.

CAP. XXIV.

Responsio Principum, & invectiva oratio contra Mediolanenses.

„ EXcellentiæ Vestræ, Princeps post Deum nobis charissime, super injuria Mediolanensium, qua decet gravitate, & animi indignatione condolemus. Sed quia scimus sinceritatem vestram, & animam vestram in hac parte à culpa custoditam, omnipotenti Deo gratias agimus, qui de malis Mediolanensium multa vobis ad gloriam operari poterit, & ex illorum superba crudelitate, ac crudeli superbia vestram mansuetudinem, vestram dignissimam humilitatem ampliùs enitescere procurabit. O cruda superbia, o infelix arrogantia, quæ de Cœlo Angelum, de Paradiso hominem præcipitasti! Timeo quòd Mediolanensibus pestis hæc fatale debeat exitium præparare. Parum se cavit ab hoc vitio tumoris, de quo dictum est: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore in delitiis Paradisi Dei fuisti.* (*Ezech.* 28.) Parum & ille, cui concessum est ex omni ligno Paradisi comedere. Tu quoque non magis ac illi, cui & hæc, & multa alia de illis dicta quadam proportione similitudinis possunt assignari. Ille inter Angelos primus, & Lucifer appellatus: tu inter Urbes Italiæ prima, inter orbis una de primis. Ille in delitiis Paradisi, tu in delitiis hujus mundi nullius indiga fuisti. Ille plenus sapientia, & perfectus decore, tu cùm multos habeas & sapientes, & Philosophos, timeo ne illis competenter dicatur: *Et omnis sapientia eorum devorata est.* Novimus maximas civitates & antiquas, Babylonem, Niniven, bello subactas, factas ad ultimum delubra draconum, habitacula struthionum. Tibi certè cras quoque fiet idem, ut nisi resipueris, in ædibus tuis lugubri voce respondeant ululæ, saltent pilosi. Absit tamen hoc, avertat hoc à te Deus. Cupio equidem ego in hac parte potiùs loqui mendacium, quàm verus Propheta inveniri. Tibi Serenissimo Domino nostro fideliter suggerendum putamus, ut pro injuria Mediolanensium officium vindictæ bonus Judex bono animo studeas adimplere. Nec enim frustra sunt instituta, potestas Regis, arma militis, & ungula carnificis, disciplina dominantis, & severitas boni patris. Habent, ut ait quidam, ista omnia modos suos, causas, rationes, utilitates. Hæc cùm timentur, & mali coërcentur, & boni quietè inter malos vivunt. Falluntur Mediolanenses, si putant modò in te falli quod dicitur:

An nescis longas Regibus esse manus?

„ Venisti, & vicisti. Nec minùs tibi facile est victos vincere, quàm prima fronte rebel-

(23) C. MS. *addit* in perorando Imperatori &c.

„ bellantes sinè difficultate superasse. Idem „ tibi Imperium, idem corporis & animi robur, eadem militiæ virtus, eadem devotio „ militantium. Solùm tibi restat disquirere, „ qua vindicta, qua pœna percellendi sint, „ qui totiens legibus, ac legitimo Imperio „ contradicunt. Quamvis autem extraordinaria pœna jure coërcendi essent, Imperialis „ clementia hanc moderationem decenter tenebit, ut non sicut illi meruerunt, sed sicut „ te decet, injuriam persequaris. Non plus „ apud te valeat Mediolanensium scelus, quàm „ tua dignitas: ne magis iræ tuæ, quàm famæ, „ quàm justitiæ consuluisse videaris. Nam si „ digna pœna pro factis eorum quæritur, si „ magnitudo sceleris ventilatur, novo consilio hoc eget, & ut verum fatear, nostra „ ingenia exuperat. Quare his adversùs eos „ utendum censeo, quæ legibus comparata „ sunt, bonumque Imperatorem, & justum „ Judicem declarabit cum inimicis, ante legibus, quàm armis decertare.

Dixerat, ejusque sententiam & Augustus ipse, & Optimates universi commendant.

CAP. XXV.

Mediolanenses in causam ponuntur, insipiens quoque eorum responsio.

ITaque proponuntur edicta, iterumque Mediolanenses in jus per legitimas citantur inducias. Die statuta, Friderico apud villam regiam, quæ vocatur Marnica, commorante, per Legatos suos Mediolanenses se præsentant, videlicet per Archiepiscopum suæ civitatis, & per alios quosdam multæ quidem eloquentiæ, parvæ sapientiæ. Unde & Archiepiscopus sive vera, sive simulata infirmitate, societati illorum se subtraxit. Illi autem dum arctiùs de præstitis sacramentis, deque aliis pacis pactionibus, de fœdere violato convenirentur, cùm aliud non potuissent, responderunt: *Juravimus quidem, sed juramentum attendere non promisimus*. Digna responsio, ut moribus oratio consonaret, & qui pravè ac perfidè vivere & facere consueverant, aliter ac perfidè & pravè loqui non potuissent, ut vitam flagitiosam sermo inlotus comitaretur. Cùmque hæc & alia multa vitio procacitatis verba protulissent, infecto pacis negotio discedunt, aliusque illis dies præfigitur.

CAP. XXVI.

Fridericus denuo Transmontanos ascivit.

INter hæc videns Imperator Mediolanensium superbiam non nisi in manu gravi & forti posse compesci, cùm (ut supra memoravimus) dimisso exercitu, ipse cum paucis remansisset, auxilia Ultramontanorum contra reprobam civitatem accienda reputavit. Itaque missis Nunciis Imperatricem advocat, & Ducem Bajoariæ Henricum, aliosque tam Episcopos, quàm Proceres Imperii, commonens eos fidelitatis suæ, ne desertores Regni pro tanta temeritate de impunitate lætentur: velle se probare ipsorum benevolentiam circa statum Imperii conservandum, impetumque inimicorum cohibendum. Illi accepta legatione, alacri animo se ad novam in proximo vere accingunt expeditionem.

CAP. XXVII.

Qualiter se ad futurum bellum Fridericus præparaverit.

INter hæc Fridericus nil apud se remissum, nihil apud hostes tutū pati. Impigrè, prudenterque suorum, & hostium res pariter attendere; explorare, quid boni utrinque, aut contra esset. Itaque dimisso exercitu, cum paucis territoria provinciæ circuit, militem novum & auxiliarios percensuit; castella & munitiones, utpote Verrucam, Serralonga, Lou, & cætera quæ in terra illa magis inexpugnabilia, nec aggressione facilè capi videbantur, suscepta, in discrimen hostium, & ad suorum præsidium sapienter providit. Novam Laudam toto tempore Quadragesimæ summo studio communit, vallum immensum extruit, portas & propugnacula disponit, Opportunum ratus futuri belli negotiis, si in tam vicina civitate, utpote XX. milliaribus à Mediolano distante, magnam multitudinem bellatorum subitò & locare posset, & invenire. Deinde usque Cumam progrediens, honorificentissimè recipitur: fœdus & auxilium poscit & accipit.

CAP. XXVIII.

De Insulanis in fœdus receptis, & quomodo Placentiam ingressus sit.

ESt autem in lacu Cumano insula divitiis abundans, hominibus bellicosis referta, quæ nisi valde cruenta victoria à quoquam capi difficile putabatur. Erat autem amica Mediolanensibus, & multo tempore per fœdus conjuncta. Princeps propter commeatum venientium ad se, ac redeuntium, optimum ratus eo membro corpus insidiosæ civitatis mutilare, concepta spe atque fiducia, insulam se, vel sicut hostem infestum contra hostes, vel (si hoc elegerint) tanquam benignum Imperatorem ad socios & amicos intraturum, comminatur. Nec mora, cum paucis quos secum habebat, naves ingressus cœpit remigare. Insulani dum Principis spiritum, simul & audaciam cognovissent, divino quodam timore concussi, obviam navigio pergunt, pacem petunt, cum magno plausu & alacritate venientem excipiunt, fidelitatem jurant, muneribus honorant. Satisque fidelis in posterum nobis gens illa reperta est. Idque prospectum singulari consilio Principis, ut homines illi Insulani feri, ac piratica rabie assueti, in tam strictis viarum faucibus usui & opportunitati nostrorum recuperarentur. Quid ampliùs mirandum in hac victoria? An Principis magnanimitas? quòd tantam rem hoc modo attentare non metuit: an felicitas? quòd adeò periculosam sinè periculo devicit. Sed utrunque mirabile, quòd & aggredi ausus, & quòd tanta felicitate ac facilitate gloriosum complevit triumphum. Simili modo apud Placentiam factum est, quæ & ipsa Mediolanensibus confœderata, propter diversas causas invisa videbatur, & defectionis opinionem dudum incurrerat. Unde etiam (ut supra memoravimus) jure possessionis jussi fuerant vallum replere, turresque deponere, ut minitando magis quàm puniendo reprimerentur perturbandæ civitatis auctores. Eodem quoque tempore egressi fuerant de Placentia la-

latrunculi, & Nuncios Principis, qui de Genua promissam ferebant pecuniam circiter D. talenta, ex insidiis circumvenerunt, & memoratam pecuniæ quantitatem diripuerunt. Ob hæc & alia fraudis experimenta, cùm eos, sicut indubitanter rerum novarum cupidos, Augustus suspectos haberet, cum paucis tamen sinè pavore civitatem ingreditur. Dominicam Palmarum debito festo peragit, cæteraque quæ ibidem peragenda fuerant, congruè ordinavit, pecuniamque direptam vix à civibus exoratus recepit.

CAP. XXIX.

Quomodo exercitum reviserit, & de Eberhardo Episcopo Babenbergensi.

ANno Dominicæ Incarnationis MCLIX. Fridericus Pascha apud Mutinam celebravit: festoque terminato, in territorium Bononiense, ubi tunc manebat exercitus, demigrans, adventu suo universos lætificavit. Nempe à die, quo cinis super capita Fidelium poni solet usque tunc, semel tantùm ad exercitum venerat, supradictis negotiis occupatus. Dimiserat tamen loco suo venerabilem virum Eberhardum Babenbergensem Episcopum, qui venientes, & negotia habentes audiret, causasque eorum diligenti examinatione terminaret. Erat enim idem Episcopus religione & scientia præditus, vitæque purioris institutionibus instructus. Cùmque ad fidem Imperii, & honorem, præ cæteris diligentiam habere cognitus esset, apud quamplurimas terras opinio de eo celeberrima pervulgata est. Ejusque studium circa Scripturæ sensus, ac quæstionum discussionem tam attentè versabatur, ut inter prœlia commanens, diversas & ingentes curas, earum sedula meditatione solaretur. Cùm autem omnes Episcopos, seu cujuslibet ordinis Ecclesiastici viros Imperator diligeret, eosque ampliori honore dignos duceret, specialiter tamen memorati viri, sicut prudentissimi, nitebatur (24) consilio, eumque dignum æstimavit, in cujus arbitratu & discretione operas suas locaret, & onus simul ac honorem communicaret.

CAP. XXX.

Quomodo ex sententia Judicis Mediolanenses hostes pronunciantur. Item de Legatis Romani Pontificis, & responsione Principis.

JAm dies aderat, quæ Mediolanensibus tertiò vel quartò præfixa fuerat. Tum Imperator convocatis Judicibus & Legisperitis, qui in ea civitate frequentes aderant, citari jubet Mediolanenses. Cùm autem nemo compareret qui absentiæ illorum causam rationabilem ederet, tanquam contumaces, rebelles, & Imperii desertores, severitatis sententiam excipiunt, hostes pronunciantur, res eorum direptioni, personæ servituti adjudicantur. Ejusque rei occasione in audientia Principis satis disputatum est, luculenterque expressum, quæ pœna excipere debeat, qui defectionis aut læsæ Majestatis rei forent deprehensi. Præter alios Principes, Nobiles, atque sapientes, interfuere huic collationi & negotio Sedis Apostolicæ Legati, videlicet Octavianus Tit. Sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis, Henricus Tit. SS. Nerei & Achillei, Wilhelmus Cardinalis Diaconus, antea Papiensis Archidiaconus, & Guido Cremensis Diaconus Cardinalis, missi à Papa Adriano: quorum itineris causas, simulque Nunciorum Senatus Populique Romani, rescriptum literarum venerabilis viri Eberhardi Babenbergensis Episcopi, subter annotatum continet, quod tale est:

Reverendissimo Patri & Domino Eberhardo Saltzburgensis Ecclesiæ Archiepiscopo, Eberhardus Babenbergensis gratiâ Dei si quid est, cum oratione qualicunque servitium devotissimum.

„ SCio, Pater Sanctissime, sacræ pietatis affectu vos compati meis laboribus, & animæ mihi salutem, & corpori quietem concupiscere. Ut autem noveritis quoad compati vos mihi oporteat, dico vobis, quòd jam tœdet animam meam vitæ meæ, duo ferens onera in animo meo gravissima, quòd & cinctus ducor quò nolo, & quamdiu durare debeat ignoro: vestris & aliorum Fidelium orationibus adjuvari desiderans, ut ab illis separer, quibus juravit Dominus in ira sua: *Si introibunt in requiem meam*. (*Psal.* 95.) Super hæc tempora periculosa instare videntur, & prope est, ut inter Regnum & Sacerdotium moveatur discordia. Et quidem Cardinalibus à Domino Papa ad Dominum Imperatorem transmissis, Domino videlicet Octaviano, & Domino Wilhelmo quondam Papiensi Archidiacono, post lene principium, & ingressum quasi pacificum capitula durissima proposita sunt, verbi gratiâ: Nuncios ad Urbem ignorante Apostolico, ab Imperatore non esse mittendos, cùm omnis magistratus inibi B. Petri sit, cum universis regalibus. De dominicalibus Apostolici fodrum non esse colligendum, nisi tempore suscipiendæ Coronæ. Episcopos Italiæ solum sacramentum fidelitatis sinè hominio facere debere Domino Imperatori. Neque Nuncios Imperatoris in palatiis Episcoporum recipiendos. De possessionibus Ecclesiæ Romanæ restituendis, & tributis Ferrariæ, Massæ, Ficorolu, totius terræ Comitissæ Mathildis, totius terræ quæ ab Aquapendente est usque Romam, Ducatus Spoletani, Insularum Sardiniæ, Corsicæ. Domino autem Imperatore super his justitiam & consilium constanter offerente, si & ipsi justitiam vellent facere (25) & recipere, illis verò recipere tantùm volentibus, & non facere hac ratione, quòd Dominum Apostolicum causæ (26) subjicere, ac judicio sistere non possent: & è contrario Domino Imperatore multa proponente de rupta concordia, quæ in verbo veritatis sibi compromissa fuerat, de Græcis, de Siculo, de Romanis sinè communi consensu non recipiendis: de Cardinalibus quoque sinè permissione Imperiali liberè per regnum transeuntibus, & regalia Episcoporum palatia ingredientibus, & Ecclesias Dei gravantibus: de injustis appellationibus, & cæteris quampluribus brevitatem superantibus: cùm Apostolicus per Nuncium & literas

(24) C. MS. utebatur.

(25) vellent facere *usque ad* hac ratione *in MSto* *non legitur*.

(26) τὸ causæ *non habetur in MSto*.

„ ras Cardinalium prædictorum, ex consensu „ Imperatoris submonitus, Cardinales alios ad „ hæc omnia complananda requisitus, his qui „ aderant Nunciis suis, & Curiæ Principibus „ nollet adjungere: unitatis & concordiæ verbum diu desideratum, peccatis nostris exigentibus, evacuatum est. Et dum hæc agerentur, Nuncii Romanorum supervenientes, „ & ea, quæ pacis sunt rogantes, bene recepti ac dimissi sunt. Rogatu tamen Cardinalium Dominus Imperator Nuncios ad Dominum Papam, & ad Urbem missurus est, „ ut cum Apostolico, si ipse voluerit, primo „ loco pax fiat: sin autem, cum Senatu & „ populo Romano. Dominus Imperator in „ magna est gloria, Dominam Imperatricem, „ & Ducem Bajoariæ & Saxoniæ, cum aliis „ superventuris Principibus, & copiis exercitus expectans, & quosdam de melioribus „ ex Mediolano Brixia in vinculis retinens. „ Valete.

Imperator ad hæc verba Cardinalium tale dedit responsum:

„ Quamvis non ignorem ad tanta negotia, „ non ex animi mei sententia, sed ex consilio „ Principum me respondere debere, sinè præjudicio tamen sapientum, hoc usque (27) „ consultatione respondeo. Episcoporum Italiæ ego quidem non affecto hominium, si „ tamen & eos de nostris regalibus nihil delectat habere. Qui si gratanter audierint à „ Romano Præsule: quid tibi & Regi? Consequenter quoque eos ab Imperatore non „ pigeat audire: quid tibi & possessioni? Nuncios nostros non esse recipiendos in palatiis „ Episcoporum asserit. Concedo, si fortè aliquis Episcoporum habet in suo proprio solo, „ & non in nostro palatium. Si autem in nostro solo & allodio sunt palatia Episcoporum, cùm profectò omne quod ædificatur, „ solo cedat, nostra sunt & palatia. Injuria „ ergo esset, si quis Nuncios nostros à Regiis „ palatiis prohiberet. Legatos ab Imperatore „ ad Urbem non esse mittendos affirmat, cùm „ omnis magistratus inibi Beati Petri sit cum „ universis regalibus. Hæc res, fateor, magna „ est & gravis, graviorique & maturiori egens „ consilio. Nam cùm divina ordinatione ego „ Romanus Imperator & dicar, & sim, speciem tantùm dominantis effingo, & inane „ utique porto nomen ac sinè re, si Urbis Romæ de manu nostra potestas fuerit excussa.

CAP. XXXI.

Quorum consilio contentio hæc decidenda fuerat, & responsum Principis de hoc.

HÆc Augusto, & his similia præfatis capitulis argutè respondente, Consilium initur, ut ex parte Summi Pontificis Cardinales sex, & ex parte Principis sex Episcopi religiosi, prudentes, & qui Deum timeant, eligantur, tantorum negotiorum hincinde cognitionem accepturi, tantamque litem congruo fine decisuri. Verùm (ut supra taxatum est) ex parte Romanorum etiam hoc consilium dicitur fuisse evacuatum. Super hoc quoque capitulo audi Epistolam Imperatoris directam Eberhardo Saltzburgensi Archiepiscopo in hunc modum.

„ Quandoquidem fidelitatis tuæ constantiam, „ quam pro consuetudine exhibere soles Imperio, frequenter experti sumus, quæ apud „ nos sunt, discretioni tuæ significamus, & „ prudentiæ tuæ consilium advocamus. Venerunt siquidem ad nos duo Cardinales à Papa „ missi, ad hoc, ut inter nos & illum fieret „ concordia. Dixerunt igitur, quòd Papa illam requireret pacem atque concordiam, „ quæ inter Papam Eugenium, & nos facta „ fuerat & scripta. Nos respondimus, quòd „ pacem quidem inviolabiliter huc usque tenuissemus, de cætero autem neque eam tenere, neque ea teneri vellemus, quomodo „ ipse prior eam violasset in Siculo, cui ipse „ sinè nobis reconciliari non debuisset. Adjecimus tamen, quòd omnem justitiam dare „ & accipere parati essemus, sive secundùm „ humana, sive secundùm scripta Divina. Si „ verò justitia gravis videretur, consilio Principum & Religiosorum (28) pro amore „ Dei & Ecclesiæ libenter nos supponeremus. Placuit verbum nostrum Cardinalibus. „ Dixerunt tamen, nisi priùs cognita Papæ voluntate, super hoc se nihil posse vel audere. „ Missis Nunciis verbum nostrum cognovit „ Papa, mandavitque sicut priùs, aliam se „ nolle concordiam, quàm illam, quæ inter „ Papam Eugenium, & nos facta fuisset. Nos „ supradicto modo hoc recusavimus, & in „ præsentia, & testimonio omnium Teutonicorum & Longobardorum Episcoporum, & „ laicorum Principum, & Baronum, & Vavassorum, omnem justitiam atque consilium „ obtulimus, & ut nos acciperemus justitiam. „ Præsentes ibidem fuere Romanorum civium „ Legati, qui cum indignatione mirabantur „ super his quæ audierunt. Mandavit enim „ Papa nova & gravia, & nunquam priùs audita, quæ sinè consilio tuo, & aliorum fidelium Imperii pertractari non possunt. Hæc „ discretioni tuæ communicavimus, ut si qua „ tibi super his occurrerint, nosse veritatem „ non sit inutile. Rogamus etiam, ut si necesse fuerit, & nos tibi mandaverimus, ad „ nos pro tanto negotio venire non differas.

CAP. XXXII.

Quomodo Mediolanenses castrum Tretium expugnaverint, & funditus destruxerint.

AT Mediolanenses novarum turbarum non jam in occulto, sed apertissimè tale sumunt principium. Nondum finita solennitate Paschali, omnibus copiis suis adunatis, egressi sunt, oppidum Tretium, ubi Fridericum jam in priori adventu milites suos locasse memoravimus, vi capere properantes: quoniam perniciosa videbatur obsidio, Principe intra provinciam existente. Jam enim intra civitatem cupidine castri potiundi, machinas, aliaque quæ incœpto usui forent, præparaverant. Ita conatus eorum, & delicta occultiora fuere. Quæ postquam ex sententia instruunt, de improviso cum magna multitudine oppidum circumveniunt, ac quidam eorum murum modò suffodere, modò scalis aggredi cupere, pars eminus glande, aut lapidibus, seu jaculis pugnare. Milites Romani tumultu perculsi, arma alii capere, pars territos confirmare, quidam in proximos

(27) C. MS. absque.

(28) C. MS. religiosorum virorum.

inos saxa devolvere, tela eminus missa emittere, pauci in pluribus minùs frustrati, si Ligures propiùs accessissent. Omnia aspera, omnia fœda, atrocitate utrinque prœliantium, periculum anceps, victoria primò in incerto erat: per totum enim triduum continuè pugnatum est. Verumenimvero castellani die noctuque vigiliis, jejuniis, laboreque fatigati, impetum hostium diutiùs sustinere non poterant, cùm hi per vices & successiones alter alteri laboranti succurrerent: istorum verò nullus loco, quem uti defenderet acceperat, cedere potuisset. Defessis itaque omnibus & exhaustis, atque languidis, ubi locum hostibus introeundi dederunt, Ligures cuncti erupere, oppidani universi vel occisi, vel capti. Porrò in suos proprios gentiles, quos ibidem reperere, antequam (29) in nostros insaniebant: nec ulla fuit eis in Conlatinos miseratio. Nostri autem ob Imperatoris reverentiam, seu metum, captivati servati sunt circiter octoginta milites de regia clientela. Sed nec hosti triumphanti usquequaque læta cessit victoria, quampluribus ex illis cæsis, & lethali vulnere sauciatis. Ita Tretium, Mediolanensium priùs municipium, ab ipsis captum, crematum, & funditus destructum est.

CAP. XXXIII.

Quomodo Fridericus ad vindicandum Regni injuriam animum intendit, & quomodo variis modis Mediolanenses afflixerit.

HÆc audiens Fridericus, paulisper mœstus, iram cohibuit, indignationem dissimulavit, impetum militum continuit: Curiam autem (30) antedictam apud Roncaliam gloriosè celebravit, & ibidem copiosam multitudinem bellatorum collegit. Deinde cum maxima cura ultum ire injurias festinat, & toto apparatu, toto exercitu in Liguriam irruit, agros inflammat, vastat, vineas demolitur, ficus exterminat, omnesque fructiferas arbores aut succidi, aut decorticari præcepit, totamque regionem depopulatur: statuens non ante obsidere civitatem, quàm penuria necessariorum affligerentur. Aut enim tunc inopia victualium coactos ultra supplicaturos, aut si ad finem usque in eadem pertinacia duravissent, obsidione inclusos fame consumendos, vel ad deditionem cogendos arbitrabatur, multoque faciliores ad affligendum fore, si post intervallum temporis, iterum atque iterum anxius incubuisset. Itaque omnes eorum exitus asservari præcepit, frumenti, aliarumque rerum eis auferens commercium: edictumque proposuit, qua pœna ferirentur transgressores, quove præmio donari debuissent, qui venditores harum rerum proderent. Mediolanenses autem, omnium rerum tametsi copiam intus habebant, metu tamen futuræ obsidionis vehementiùs afficiebantur: & cùm jam cibaria ipsa ad modicam mensuram venderentur, ampliorem eis cupiditatem movebat, quòd jus edendi liberum non haberent, ac velut omnia defecissent, ægrè ferebant. Interdum quoque assumptis secum bellatoribus, Imperator usque ad civitatem profectus est, æstimans eos aliquid ausuros, quo vel publico congressu eos protereret, si contra venissent, vel si excurrere attentarent, item à calamitate alieni non remanerent. Quod & factum est; nam inconsultè ad ostentationem suarum virium egressos, facto in eos impetu prævênit, compluresque ex eis cepit, & occîdit.

CAP. XXXIV.

De clade Mediolanensium.

CUmque super tali negotio Imperator cum exercitu ultra Mediolanum processisset, Mediolanenses cum D. equitibus occultè ad novam Laudam in die sancto Pentecostes venientes, prædam pecorum abegere. Episcopo verò Mantuano Carsidonio, & Marchione Garnerio de Ancona, cum sufficiente militia eos insecutis, cùm audissent voces clamosas paucissimorum Alemannorum, Mediolanenses territi, & in fugam versi, quosdam occisos, XVI. captos de suis melioribus ibidem perdiderunt. Justè autem eos divina ultio persecuta est, ut qui sanctissimo diei debitam reverentiam & honorem exhibere contempserunt, ipsi cum dispendio atque dedecore reverti cogerentur. Quadraginta continuis diebus terram hostium vastatio tenuit: interque cæteras arces, turres, & munitiones, quæ vel opere vel natura munitæ erant, quoddam castrum, quod mons S. Johannis vocabatur, usque ad id tempus expugnabile (31) habitum, obsessum, & brevi tempore captum est. Paulatim igitur reprobo capiti propria membra intantum mutilata sunt, & præcisa, ut inter multa oppida, & plurima castella, vix duo tunc ipsis residua remanserint.

CAP. XXXV.

De clade Brixiensium.

HIsdem diebus Brixienses & ipsi quoque novis rebus studentes, Comitatum Cremonensium deprædationis & latrocinandi causâ ingrediuntur. Erant quippe Mediolanensibus amicitia & societate conjuncti. Jam autem antea Cremonenses præmoniti à suis exploratoribus, non imparati inveniuntur, sed ex insidiis erumpentes improvisos invadunt. Resistentes paulisper mox in fugam vertunt, prædam eripiunt, equites LXVII. pedites ferè CCC. partim occîdunt, partim captivos abducunt. Imperator post vastationem hostium Laudam pergit, ibique Italicum exercitum dimittit, copias militum, qui de Transmontanis expectabantur, ibidem præstolaturus.

CAP. XXXVI.

Quomodo Mediolanenses contra vitam Principis cum quodam consilium inierint.

AT clades quidem Mediolanensium in pejus quotidie procedebant, cùm in facinus magìs accenderentur adversis, & populum in urbe fames jam acrior possideret. Non enim spe victoriæ major pars eorum, sed desperatione salutis ferociùs movebantur; nec eos videntes tot mala cœpti pœnitebat, sed cœci & amentes facti, etiam in personam Christianissimi

(29) C. MS. ampliùs quàm.
(30) C. MS. Curiam antea dictam.
(31) C. MS. inexpugnabile.

simi Principis ausi sunt conspirare: obliti, quòd juxta legem ejus facti, pœna animæ amissionem sustinet, & memoria rei post mortem damnatur. Itaque quendam qui se stultum, & mente captum simularet, inveniunt, eumque ad castra Friderici dirigunt, qui tunc apud Laudam morabatur, ut quovis modo violentas manus Imperatori injiceret. Erat autem hic homo tam magnus corpore, tantusque viribus, ut non sinè causa tantam audaciam concepisse videretur. Animatus itaque multis blandimentis, multisque promissionibus, ad novum facinus, ad scelus maximum accingitur. Laudam pergit, castra ingreditur, & stultitiam seu furiam maniæ simulans, ut id genus hominum solet, potiùs jocis & ludicris celebratur, quàm à tentoriis excludatur. Porrò tentoria Friderici tunc vicina fuerant, & penè super litus Aduæ locata, cujus loci ea facies, isque situs erat, ut labentem inevitabiliter, aut convexum obrueret præcipitium, aut subterlabentis fluminis vorago esset exceptura. Præfatus ergo diem aptum & horam servans, quando Imperatorem solum posset invenire, ut conceptum facinus ad effectum perduceret, quodam mane primo diluculo egredientem de cubiculo tentorii, ut more suo coram Sanctorum Reliquiis orationum suarum Deo munia persolveret, conspicatur; seque optatum tempus ratus adeptum accurrit, scelestas manus injicit, & modò trahendo, modò portando versùs præcipitium contendere cœpit, potitusque esset forsitan nefario proposito, nisi divina miseratio ad defensionem divi Principis manum extendisset. Namque dum hoc modo ille trahendo, iste renitendo, uterque pro viribus conaretur, accidit ut funibus, quibus tabernacula suspenduntur, implicati, ambo caderent ad terram. Jamque vociferantis Principis clamor auditus, cubicularios exciverat, qui accurrentes sceleratum monstrum comprehendunt, & multis malis affectum, eodem loco præcipitatum demergunt. Talis tunc de illo opinio fuerat. Nos tamen audivimus eundem verè furiosum fuisse, & innocenter vitam perdidisse.

CAP. XXXVII.

Quomodo Mediolanenses novam Laudam nocte per quosdam incenderint, & de insidiis cujusdam per toxicum.

MEdiolanenses tantum se facinus frustra suscepisse dolentes, subsequenter aliud intendunt. Octo de suis pretio ad cremandam Laudam conducunt. Quorum unus dum nocte intempesta promissum implere vellet, ac ædibus ignem injecisset, invenerunt eum vigiles, & comprehensum dum propositum confessus fuisset, mane facto eum patibulo contra Mediolanum erecto suspenderunt. Quidam etiam se mentitus Monachum, explorator, & eorundem criminum obnoxius, simili modo vitam finivit. Non multò post à quodam divino monitore literas Imperatori allatas accepimus quendam venisse in Italiam, sive Hispanum, sive Arabem Saracenum, ætate senem, facie deformem, & luscum, discipulos, vel socios penè XX. habentem, malis consiliis, & arte venefica prioribus multò potentiorem, eumque mortis contemptorem, pariter cum suis sequacibus, magnum se munus consecutos arbitrantes, si gloriam & nomen sibi perpetuum Principis sanguine comparassent. Pretiosa ipsum quasi munuscula laturum, medicinas, annulos, gemmas, frena, calcaria, venenatis surfuribus circumlita, adeò violenter & efficaciter toxicata, ut mortem non evaderet Imperator, si vel manu nuda ea attigisset. Sicam quoque latentem juxta femur gestare, ut si quo impedimento veneni facinus non procederet, ea ad peragendum nefarium propositum uteretur. Talibus acceptis, cum perpaucis communicato consilio, venturum magum jubet observari. Venientem ergo, ubi certis indiciis quæ delata fuerant, Princeps vera esse cognovit, hominem asservari præcepit, & perquirens cujus hortatu ad tantum facinus esset præcipitatus, promisit quòd vera dicenti remitteret omne supplicium; sin falsa promere maluisset, corpus ejus tormentis absumeret. Ille & verbera, & quæstiones deridens, insuper comminatus est, si quid ipse mortale pateretur, Imperatorem continuò sinè dubitatione secum moriturum. Sed deceptus valde est. Nam Princeps minas ejus contemnens, cùm de sociis & auctoribus sceleris nullum ab eo potuisset extorquere documentum, tantam pestem, tantique sceleris fabricatorem, sicut meritus erat, crucis patibulo donavit. Deoque salutis conservatori uberes gratias egit, quòd tam validi malefici virus & insidias declinasset.

CAP. XXXVIII.

De adventu Imperatricis, & Ducis Bajoariæ in Italiam, Ducis quoque Guelfonis.

INterea Beatrix Imperatrix, Dux Bajoariæ & Saxoniæ Henricus, Conradus Augustensis Episcopus, uti decretum erat, milites scribere, properè commeatu, stipendio, armis, aliisque utilibus iter incipere. Profectique cum magno exercitu paucis diebus in Italiam veniunt, suoque adventu nostris lætitiam, hostibus metum incutiunt. Erat enim idem Princeps filius (ut supra dictum est) Henrici Ducis & Gertrudis filiæ Lotharii Imperatoris. Qui à primis cunabulis patre & matre orbatus, ubi primùm adolevit, pollens viribus, decora facie, sed multo maximè ingenio validus, non se luxui, neque inertiæ corrumpendum, sed (uti mos Saxonum est) equitare, jaculari, cursu cum æqualibus certare: & cùm omnes gloria anteiret, omnibus tamen charus esset, ejus studium (ut de quodam dicitur) modestiæ, decoris, sed maximè severitatis erat. Cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat. Esse quàm videri bonus malebat. Ita quo minùs appetebat gloriam, eo magìs illam assequebatur. In omnibus gloriosis plurimum facere, & minimum ipse de se loqui. Is recepto ab Imperatore (ut supra dictum est) Ducatu Bajoariæ, ubi naturam & mores hominum cognovit, multa cura, multo consilio, in tantam claritudinem brevì pervenerat, ut treugâ per totam Bajoariam firmatâ, bonis vehementer charus, malis maximo terrori esset: adeò ut absentem velut præsentem timendo, leges pacis, quas sanxerat, nemo sinè pœna capitis auderet infringere. Qui cùm suos milites regiis conjunxisset, in brevi spatio novi veteresque coaluere, virtusque omnium facta est æqualis. Nam & non multò post avunculus Imperatoris,

ris, Guelfo Princeps Sardiniæ, Dux Spoleti, Marchio Thusciæ, & ipse novum adducens exercitum, cum multo apparatu advênit: suoque adventu nostris spem triumphi, adversariis fiduciam paciscendi donavit. Ita duo viri sanguine conjunctissimi, utpote unus eorum alterius fratris filius, diversis inter se virtutibus certabant. Guelfo dando, sublevando, ignoscendo: Dux Henricus severitate, & malorum pernicie gloriam adeptus est. Illius facilitas, hujus constantia laudabatur. Guelfo negotiis amicorum intentus, sua negligere, nihil denegare quod dono dignum esset, magnas potentias affectabat, exercitum, novum bellum exoptabat, ubi virtus enitescere posset. At Dux Henricus, studium modestiæ decoris prætendens, non divitiis cum divite, neque factione cum factioso, sed pro pacis negotiis absens simul præsensque pugnabat. Ita memoria nostra ingenti virtute, diversis moribus fuere hi viri duo, Dux Henricus, & Dux Guelfo, quos quoniam res obtulerat, silentio præterire non fuit consilium, quin utriusque naturam & mores, quantum ingenio possem, aperirem, valdeque jucundum, ut in his duobus clarissimis viris nostra tempora suum Catonem in uno, in altero suum Cæsarem invenissent. Redeo autem unde digressus sum.

CAP. XXXIX.

Hortatu Cremonensium Cremenses hostes judicantur.

CRemonensium cum Mediolano discordia perpetua utrosque adeò urgebat, ut hostiliter sibi invicem incubantes, non ante manus ab armis reducendas putarent, quàm vel una alteram prorsus absumeret, vel superior saltem inventa superaret. Freti ergo tunc opportunitate temporis, Fridericum ad destructionem Cremæ civitatis hortantur, promissis XI. millibus talentorum. Hujus rei tali occasione sumunt exordium. Crema cùm esset de Comitatu & Diœcesi Cremonensium, ejusque Ecclesiæ tam in spiritualibus, quàm in secularibus regenda foret arbitrio, spontanea se temeritate à suo capite abruperat, & (quod nefas erat) hostibus sociata, cum Mediolanensibus filia matri rebellare cœperat. Super hoc schismate conventa coram Principe, nec citatione legitima, nec vadibus quos dudum dederat, cogi poterat, ut adversùm se experientibus judicio sisti curarent. Qua de re pro absentiæ contumacia, ac contumaci absentia contra se sententiam tristem excipiunt, hostesque judicantur.

CAP. XL.

Crema obsidione cingitur, & quomodo ibidem pugnatum sit.

COllecta ergo valida manu Augustus, ita quòd exercitus ejus eas copias, quas in obsidione Mediolani habuerat, superare videretur, partem unam cum Cremonensibus contra Cremam dirigit, ipse cum reliquis iterum ad depopulandos Ligures agrum Mediolanensium ingreditur, & cum militia Alemannorum terram totam pervagatur hostilem: completumque est & ibi illud quod dicitur: *Residuum locustæ comedit brucus, & residuum bruci comedit eruca.* (*Joël* 1.) At Cremonenses cum auxiliariis, & magnis copiis ad oppugnandam Cremam venientes, acriter civitatem obsidione vallant, summis viribus impugnant. Oppidani fortiter resistunt de muris, & ante muros equis, & ad terram validè certatur. Ibi Garnherus Marchio Anconæ magnam viri fortis in ea pugna gloriam consecutus, de nostris occiditur. Alii quoque quamplures tam de nostris, quàm de illis ibidem aut occiduntur, aut graviter sauciantur. Erat autem Cremæ situs in loco plano & campestri, opere & manu satis liberaliter accuratus, naturæ beneficio in quadam sui parte paludoso se defendens ambitu. Cæterùm præter fossata ingentia & profunda, aquis plena, duplici muro excelso circundata, omnes aditus & assultus facilè arcere valuit. Cives civitatis bellatores audacissimi, & quia cum suis contubernalibus, videlicet Mediolanensibus & Brixiensibus, secundis rebus propensibus usi, in atrocitatem, insolentiam ac arrogantiam irritati. Circumvallata itaque civitate, hostium excursus diligenter custodiebantur, & machinæ, aliaque ad oppugnationem profutura sedula præparatione disponuntur.

CAP. XLI.

De Legatis Senatus Populique Romani, & de his, qui ad eos missi.

CUmque hæc apud Cremam agerentur, Nuntii de nobilioribus Romanæ Urbis ex parte Senatus, Populique Romani ad Curiam veniunt, omni devotione, omnique reverentia suum promittentes obsequium. Rogare ne pro iniquitate paucorum malorum & de plebe multos bonos & Nobiles velit pessundare. Se esse quorum occasione acceperit, ut Imperator Urbis & Orbis nominetur. Fridericus, eo quòd in priori expeditione severiùs cum illis egerat, indulgentiùs eorum accepta legatione, benignum illis dedit responsum: & per aliquot dies secum commoratos, regaliter donavit & absolvit: mittens cum eis Legatos, Ottonem sæpe jam dictum palatii Comitem, & Magistrum Haribertum Aquensem Præpositum, virum prudentem, & in negotiis Regni longa eruditione exercitatum: dans hoc in mandatis, ut & ea quæ cum Populo Romano, seu de stabiliendo Senatu, seu de recipiendo Præfecto agenda forent, terminarent, & cum Romano Pontifice, si hoc eligeret, de prænotatis capitulis finem facerent, & concordiam stabilirent. Qui venientes ad Urbem, cùm honorificè tam à Populo, quàm à Senatu recepti essent, interque ipsos, & Summum Pontificem crebri Nuntii mediatores dirigerentur, molientibus illis more suo antiquum Romanæ Urbis fastum, regales se in nullo passi sunt inferiores inveniri, imò & ad se sæpiùs veniri, quàm ut illis occurrerent, obtinuerunt.

CAP. XLII.

De his, quæ ibidem, & circa urbem Mediolani patrata fuerint, & quomodo à Mediolanensibus contra Principem malè pugnatum est.

FRidericus interim in Liguria degens, ordinabat ut aliquam cladem Mediolanensibus,

bus, qui omnes ad civitatem confugerant, seque intus communierant, inferret. Itaque cum Papiensium pugnacissimis consilium iniit, ut ad civitatem impetum faciant, seque ab hostibus fugari patiantur, ipsum ex insidiis circumventurum persequentes. Nec multum tunc opinione deceptus est. Mediolanenses enim cùm eorum impetum sensissent (jam enim prædam abigere cœperant) strenuè eos persequuntur, eosque resistentes acriùs cædunt. Jam parum aberat à vera fuga his, qui simulato metu cessuri erant: declinaverant enim paulisper à loco insidiarum. Tum Fridericus cohortatus suos, à tergo & ex improviso jam alacres, & penè victores hostes invadit, auxilioque suis, quos jam pelli acceperat, optatus advênit. Mediolanenses, qui prope jam se victoriam adeptos putabant, videntes se circumventos undique à Regis equitibus, nec ullum sibi fugæ præsidium superesse, adversùs omnia imparati, occîdi, capi, equi, atque viri affîcti. Tum spectaculum horribile campis patentibus, cùm medii hostium nec pugnare, nec fugam inire permissi, sinè misericordia cæderentur. Postremò omnia, quà visus erat, constrata sunt telis, armis, cadaveribus, aut mortuorum, aut ad mortem sauciatorum. Verùm qui numerus occisorum, aut eo prœlio captivorum fuerit, Augustus ipse suis literis declarat, scribens ad Albertum Frising. Episcopum. Ait autem inter cætera: *Præterea ad consolationem tuam de præsenti statu nostro aliqua tibi scribimus, quia honorem Imperii, & nostram prosperitatem te diligere non dubitamus. Inter alia igitur magnificavit Dominus facere nobiscum, & fecit. Unde facti sumus lætantes, & maximas Deo gratias agentes. Maximam enim multitudinem Mediolanensium tradidit Deus in manus nostras, ita quòd Idus Julii, qua data divisio Apostolorum celebrari solet, DC. de fortioribus civitatis captivos in vinculis abduximus, centum & ferè quinquaginta per campos & itinera viarum interfecti sunt. De submersis verò, & de vulneratis modus non fuit, neque numerus. Sic cum victoria ad novam civitatem Laudam reversi fuimus.*

CAP. XLIII.

De obitu Adriani Papæ, & schismate Romanæ Ecclesiæ.

EA tempestate Adrianus Papa in Kalend. Septembr. apud Anagniam diem clausit extremum, & II. Non. Septembr. in Ecclesia Beati Petri, præsentibus Clero, Senatu, Populoque Romano, honorificè tumulatus est, Regalibus Nuntiis adhuc ibi existentibus. Post cujus obitum Cardinales in seditionem conversi, gemina electione scindunt unitatem, quibusdam eligentibus Octavianum Tituli Sanctæ Cæciliæ Presbyterum Cardinalem, cui nomen dederunt Victor: aliis Rolandum Tituli Sancti Marci Presbyterum Cardinalem, & Romanæ Ecclesiæ Cancellarium, cui nomen imposuerunt Alexander. Verùm ut hujus negotii tractatus perpetua seu continua decurrat oratione, paulisper alia interim prosequemur pro magnitudine causæ, suo loco his diutiùs immoraturi.

CAP. XLIV.

Quòd Imperator in propria persona ad obsidionem Cremæ venerit, & quomodo diversis modis ibi pugnatum sit.

IMperator aliam parans profectionem, ad devastandos fines Mediolanensium cùm in partem processisset, & pabulatores in toto territorio nec equis annonam invenire potuissent, reversus cum toto exercitu, ad obsidionem Cremæ pergit. Tum demum perituram civitatem metus invasit, magnaque tristitia habitatores ejus occupavit. Erant autem & intus & foris universa plena tumultus, multaque bellica instrumenta & in oppido, & contra oppidum fabricabantur. Erantque deinceps quotidiana eorum officia, hi quidem excursus, isti verò assultus moliri, magnaque vi omnibus ibi diebus certatur. Nam ad portas ubi quisque Principum curabat, eo acerrimè niti, neque alius in alio magis quàm in se spem habere, pariterque oppidani similiter agere, omniaque ad defensanda mœnia utilia vario ingenio præparare, diffidentiam rei dissimulare interdùmque prospera fortuna, interdum dolor eorum ad multa facinora incitavit audaciam.

CAP. XLV.

Quomodo absente Imperatore graviter pugnatum sit.

QUadam denique die dum exploratum fuisset, Fridericum pro visenda consorte Regni Imperatrice, quæ in vicino castro nomine Sanbassan morabatur, è castris exisse: ad portam quam regalis familia servabat, penè cum sexcentis erumpunt equitibus, magnoque prœlio inito, cùm diu Marte pari utrinque nihil aliud quàm occiderent, tellus cruore manaret, nostrique quamvis tam pudore, quàm virtute summa vi resistere conarentur, illud tamen efficere non potuerunt, ut hostium manus ea die gradum retro dedisset: graviter fortiterque illa die pugnatum est. Nam si credere fas est, rivuli campestres peremptorum & sauciatorum vulneribus sanguine infecti ac provecti, imbre cruoris augmentum acceperunt. Vespere facto utrinque disceditur, illis intra septa (32), istis intra munimina muralis aggeris se recipientibus.

Rediens Augustus, cùm de pertinaci hostium audacia comperisset, indignatione simul & ira permotus est, ut qui jam penè in supremis se potiùs humiles ac supplices exhibere deberent, incursiones facerent, & victores suos ipsi turbare non metuerent, ærumnosa obsidione inclusi. Jam enim sæpenumero in eruptionibus suis, aut machinis flammas injicere, aut turres destruere, aut lethali vulnere aliquos de nostris sauciare moliti sunt, nullumque specimen audaciæ, aut ostentationis fuit, quod illi futurorum ignari prætermitterent: & dum jam inclinata putaretur eorum superbia, de patratis facinoribus tumidi gloriabantur. Erat autem videre miseriam, quando hi, qui foris, occisorum amputatis capitibus, eis quasi pila

(32) C. MS. septa castrorum.

pila ludebant, & à dextra in lævam rejectis, crudeli ostentui & ludibrio habebant: qui verò in oppido, inhonestum arbitrantes si quid minùs auderent, captivos nostrorum sinè misericordia super muros membratim discerpendo, miserabile præbebant spectaculum.

CAP. XLVI.

De pœna, quam Princeps in captivos eorum exercuit. Item de insania Cremensium.

EA calamitas paulisper Friderico tristitiam, & dignam indignationem comparavit. Qui ubi impetum insanientium continere non poterat, ac sævientium furorem reverentia Principis non cohibebat, placuit in contumaces vindictæ severitatem exercere: ut quos non correxit lenitatis patientia, saltem indubitati supplicii pœna coërceret. Jubet ergo de captivis eorum vindictam accipere, eosque pro muris jussit appendi. Contumax autem populus nimis de pari volens contendere, etiam ipse quosdam de nostris in vinculis positos, eodem modo traxit ad supplicium, eosque cruce suspendit.

Tum Fridericus: *Etiamne perituri contra nos ipsa vos nostra excitavit humanitas, & lenitate nostra vobis aluistis audaciam? Jam quidem vobis pugnantibus aliquandiu pepercimus, captivos vestros miserati fuimus, vadibus nostris fidem servavimus, inviti muris vestris machinas admovimus, semper cædis vestræ cupidos milites continuimus. Ista omnia spernitis, & nefaria temeritate nos ad excidium vestrum, ad interitum filiorum, seu nepotum vestrorum provocatis. Utar ego jam deinceps belli legibus, contendam cum pertinacia vestra minimè parcens, qui vobis ipsis parcere noluistis.*

Hæc dicens vehementer iratus, quòd in forte captivorum constituti, æquales cum victoribus conditiones sibi ponerent, voce præconis declarari jussit, ne ulteriùs ad se profugerent, neve fidem sperarent: nulli enim esse parcendum, cunctis autem viribus dimicarent, quantum possent saluti suæ consulerent: jam enim se omnia jure belli gesturum. Itaque obsides eorum numero XL. adduci jubet ut suspendantur. Tum interim adducuntur captivi quidam de nobilibus Mediolanensium sex milites, qui deprehensi fuerant ubi cum Placentinis perfida miscebant colloquia: nam (ut supra dictum est) Placentia Principi etiam tunc ficta devotione, & simulata adhærebat obedientia. Erat autem unus de captivis qui ducebantur, nepos Præsulis Mediolanensis, vir dives, & cujus consilio Ligures universi plurimùm niterentur. Hos quoque, contempta multa pollicitatione pecuniæ, duci jubet ad supplicium, similisque his qui & prioribus vitæ finis extitit.

CAP. XLVII.

De varia illorum miseria, & miserabili eorum conquestione.

JAmque ad civitatis perniciem machinæ plurimæ admovebantur, jam turres in altum extructæ applicari cœperant. Tum illi summa vi atque pertinacia resistere, atque à muris turres arcere, suisque instrumentis validis saxorum ictibus nostras machinas impellere. Effrenatis verò animis Princeps obsistendum putans, obsides eorum machinis alligatos, ad eorum tormenta (quæ vulgò *mangas* (*) vocant, & intra civitatem novem habebantur) decrevit objiciendos. Seditiosi, quod etiam apud Barbaros incognitum, & dictu quidem horrendum, auditu verò incredibile, non minùs crebris ictibus turres impellebant: neque eos sanguinis & naturalis vinculi communio, neque ætatis movebat miseratio. Sicque aliquot ex pueris lapidibus icti, miserabiliter interierunt. Alii miserabiliùs adhuc vivi superstites, crudelissimam necem, & diræ calamitatis horrorem penduli expectabant. O facinus! Videres illuc liberos machinis annexos parentes implorare, crudelitatem & immanitatem aut verbis, aut nutibus objectare, è contra infelices patres pro infausta prole lamentari, sese miserrimos clamare, nec tamen ab impulsionibus cessare. Consolatus est autem eos etiam aliquis eorum, ita dicens:

„ O beati quibus mori bene, quàm malè „ vivere continget! ne timeatis mori, qui „ magna mala morte effugituri estis. Si viri „ fortes pro libertate certantes essemus, non „ oporteret nos quoque super hoc aut cun„ ctari, aut expectare monitorem. Nam mors „ quidem libertatem animis præstat, valdeque „ beati qui pro patria mortui, immortalitatis „ ordinem jam receperunt. Quàm multi no„ strorum antecessorum hac lege, talique con„ ditione, alii torti, tamque igne quàm ver„ beribus excruciati, obierunt: alii verò fe„ mesi à bestiis, ad fecundum eorum cibum „ vivi servati sunt. Miseriores nos vobis su„ mus, qui adhuc vivimus, qui sæpe mortem „ optantes non accipimus. Dum enim quisque „ nostrorum secum reputans crudelem seu „ barbarorum, seu gentilium suorum servitu„ tem, videre conjuges ad turpitudinem duci, „ alius revinctis manibus, vocem filii patrem „ implorantis exaudiet: alius verò infelices „ senes ad cineres patriæ videbit assidere. „ Hæc, inquam, quisquam nostrorum con„ siderans, aspicere Solem durabit, etiamsi „ vivere absque periculo possit? O utinam „ omnes fuissemus mortui, priusquam civita„ tem nostram, Cremonensium manibus vide„ remus excindi; priusquam patriam sanctam, „ Papiensium impietate funditus erui conspi„ ceremus.

Adhuc eum orare cupientem omnes interpellabant, & effrenato quodam impetu ad jaciendum incitabantur: hoc speciem esse fortitudinis, rectique consilii existimantes, hostibus stuporem mentis, admirationemque audaciæ relinquere. Pauci quidem rationi cedentes, filiis consulere voluissent: alios autem liberorum cædis amor invasit, malorum quæ subditi hostibus passuri fuerant, cogitationem habentes pro solatio necessitatis accedere. Et Crema tunc temporis taliter affecta, seu potiùs afflicta fuerat.

CAP. XLVIII.

Quomodo Mediolanenses de obsidione cujusdam castri fugati sunt.

AT Mediolanenses arbitrantes Fridericum circa obsidionem Cremæ sollicitum, aliis laborantibus non posse succurrere, egressi cum tur-

(*) Legendum meliùs: *Mangana*.

turmis suis, penè XXX. millia hominum, oppidum quoddam versùs lacum Cumanum, Manerbe vocatum, obsidione cingunt, aggeres instruunt, machinas admovent, omnibusque modis eversionem castri accelerare nituntur. Verùm Comes Gosvvinus, qui tunc Comitatum Seprenensem & Martusanum (*) jussus à Principe, satis providè administrabat, missos suos ad Curiam dirigit hostiumque conamen denunciavit; quid facto sit opus consulit: se quoque copias quantas possit collecturum, si ab exercitu aliquod sibi militiæ supplementum destinetur. Imperator continuò quingentos equites armatos eò dirigere decernit. Comes etiam de suis colligens auxilia, non modicum coadunavit exercitum. Jamque compositis rebus, Mediolanensibus se ostendere, minitari, neque prœlium facere, neque otium pati, tantummodo hostem ab incœpto retinere, neque copiam pugnandi facere, donec qui è castris expectabatur miles superveniret. Rati Ligures id, quod negotium poscebat, Imperatorem laborantibus suis auxilio venturum, & indubitatum prœlium futurum, obsidionem dimittunt, fugamque ineuntes ad civitatem evadere festinant. Comes ut videt eos jam fugam cepisse, magna illos vi à tergo urget, fugientibus instat, cædit, capit, copiosam prædam diripit: reliqui amissis omnibus profugi, multique saucii, vix intra civitatem revertuntur.

CAP. XLIX.

Quomodo Placentini perfidiâ suâ hostes pronuntiati sunt.

INter hæc Placentini multis argumentis detecti sunt studio rerum novandarum niti cum Mediolanensibus inire conciliabula, frumentum, aliaque usui necessaria clanculum illis providere, quin etiam aliquos de suis Cremensibus in auxilium destinasse. Imperator satius existimans habere detectos inimicos, quàm fictos amicos, pro eo quòd ut dicitur: *Nulla pestis efficacior ad nocendum, quàm familiaris inimicus*, eosdem pro perfidia sua, ut levissimos, nec in hac, nec in illa parte fidem debitam habentes, hostes pronunciat.

Verùm res exigit, ut ad schisma Romanæ Ecclesiæ, unde digressi sumus, scribendo redeamus. Porrò in hoc negotio lectorem admonitum esse cupimus, ut non de nostro dicto vel scripto veritatem hujus rei metiatur, sed quid rectius sit, quisve (ut ita dixerim) justiùs induit arma, ex collatione omnium Scriptorum, quæ undique media discurrere, proprio disquirat judicio. Nos enim si alterutrius partis res vel attolleremus, vel extenuaremus, à proposito decidere videremur. Nec utique sanum esset corpus reliquum historiæ, si hanc partem velut principale membrum domestici favoris morbus haberet.

CAP. L.

Recapitulatio de schismate Romanæ Ecclesiæ, & quando unus consecratus sit, & de hoc Epistola ejus.

DIvisis, ut supra dictum est, in electione Romani Pontificis Cardinalibus, Clero, ac Populo Romano, cùm à suis consentaneis & sequacibus alter, idest, Octavianus in prima Dominica mensis Octobris: alter, idest Rolandus, in XVIII. die mensis Septemb. in Episcopum consecratus fuisset, uterque literas, quarum tenor subjectus est, ad declarandam rem per mundi partes destinavit:

Victor (33) servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & charissimis filiis Abbatibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, & cæteris Principibus, & egregiæ familiæ Imperiali, in sacratissima Curia Domini Friderici, Serenissimi ac Invictissimi Romanorum Imperatoris commorantibus, salutem & Apostolicam benedictionem.

„ QUàm & in quantum & Ecclesiastici „ status decorem, & honorem Romani Imperii, & nobilitatem omnium bonorum hactenus sincerè dileximus, & quæ mutuæ charitates sint invicem „ frequenter exhibitæ, nequaquam credimus „ à vestræ magnitudinis excidisse memoria. „ Nunc autem tanto propensioris dilectionis „ efficaciam vobis & Imperio cupimus exhibere, quanto, Deo auctore, ad majorem „ conscendimus dignitatem: Quapropter universitatem vestram, de qua plenè confidimus, plurimùm deprecamur, ut pro Beati „ Petri Apostolorum Principis reverentia, & „ antiquæ dilectionis constantia, quæ inter nos „ inviolabiliter perseverare dinoscitur, Dominum Imperatorem invictissimum commonendo rogetis, quatenus Imperio sibi à divina clementia commisso, & Ecclesiæ Dei, „ Sponsæ Jesu Christi, cujus advocatus & defensor divinitus est constitutus, providere & „ subvenire non tardet, ne in tanta discordia „ adversariorum malitia nequiter prævalere, „ navicula Beati Petri procellis & tempestatibus suo tempore quassari, & decus Imperiale valeat aliquatenus obnubilari. Insuper „ universitati vestræ dignum duximus intimandum, qualiter ad Apostolatus officium, Domino concedente, vocati fuerimus. Felicis „ memoriæ Papa Adriano prædecessore nostro „ viam universæ carnis ingresso, in Beati Petri Basilica tumulato, convenimus omnes de „ electione Summi Pontificis tractaturi. Post „ longam verò collationem & diutinam deliberationem, divina tandem inspirante clementia, electione venerabilium fratrum nostrorum Episcoporum, Presbyterorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Cleri „ quoque Romani petitione, ejusdem Populi „ assensu, etiam Senatoriæ dignitatis honoratorum, insuper Capitaneorum, ad Summum „ Pontificatum, annuente Deo, canonicè sumus electi, & in Sede Apostolica collocati, „ ac deinde prima Dominica mensis Octobris „ benedictionis consecrationem, & nostri officii accepimus plenitudinem. Quocirca universitatem vestram humiliter deprecamur, „ quatenus nos apud ipsum precibus adjuvetis, „ à quo omnis est potestas & honor dignitatum. Si autem ex parte illius Rolandi quondam Cancellarii, per conspirationem & conjurationem contra Ecclesiam Dei & Imperium, Wilhelmo Siculo astricti, qui die „ XII.

(*) Scripserit fortasse Radevicus: *Seprienses*, & *Martesanum*. Murat.

(33) C. MS. Victor Episcopus.

„ XII. post electionem nostram se fecit intru-
„ di, quod à seculis non est auditum, ad vos
„ scripta pervenerint, tanquam mendacio ple-
„ na, & à schismatico & hæretico destinata
„ respuatis, & aures vestras nequaquam illis
„ ullatenus præbeatis. Data Signiæ, V. Kalend.
„ Novembris.

CAP. LI.

Quando Rolandus consecratus sit, & de hoc Epistola ejus pro sua parte.

Alexander Episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Gerardo Episcopo, & dilectis filiis Canonicis Bononiensis Ecclesiæ, & Legis Doctoribus, cæterisque magistris Bononiæ commorantibus, salutem & Apostolicam benedictionem.

„ ÆTerna & incommutabilis providentia
„ Conditoris, sanctam & immacula-
„ tam Ecclesiam à suæ fundationis exordio
„ ea ratione voluit & ordine gubernari, ut
„ unus ei pastor & institutor existeret, cui uni-
„ versi Ecclesiarum Prælati absque repugnan-
„ tia subjacerent, & membra tanquam suo
„ capiti cohærentia, ei se mirabili quadam
„ unitate conjungerent, & ab ipsa nullatenus
„ dissiderent. Qui verò Apostolis suis pro eo-
„ rum fidei firmitate promisit dicens; *Ecce*
„ *ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad*
„ *consummationem seculi*, ille proculdubio Ec-
„ clesiam suam, cujus ipsi Apostoli magiste-
„ rium assumpserunt, sua promissione fraudari
„ nullo modo patietur, sed eam in suo statu
„ & ordine, licèt ad instar naviculæ Petri flu-
„ ctuare aliquando videatur, perpetuò faciet
„ permanere. Unde & quamvis hoc tempore
„ tres falsi fratres, qui à nobis quidem exie-
„ runt, sed non fuerunt de nobis, transfigu-
„ rantes se in Angelos lucis, cùm sint Satanæ,
„ inconsutilem Christi tunicam, quam utique
„ ipse quidem, ex persona Psalmographi, à
„ leonibus petit & à framea erui, & de manu
„ canis orat ac postulat liberari, scindere &
„ laniare laborent: Christus tamen auctor &
„ caput Ecclesiæ, eam velut unicam sponsam
„ suam provida gubernatione tuetur, & na-
„ vem egregii piscatoris, licèt sæpiùs quatia-
„ tur à fluctibus, non permittit naufragium
„ sustinere. Porrò cùm antecessor noster bonæ
„ memoriæ Adrianus Papa Kal. Septemb. (34)
„ Anagniæ debitum naturæ solvisset, & de
„ terris ad cœlum, de imis migrasset, Domi-
„ no vocante, ad superna, eo Romam addu-
„ cto, & 11. Non. Septemb. in Ecclesia Beati
„ Petri, præsentibus ferè omnibus fratribus
„ satis honestè (sicut moris est) tumulato:
„ cœperunt (35) fratres & nos cum eis secun-
„ dùm Ecclesiæ consuetudinem, de substituen-
„ do Pontifice in eadem Ecclesia studiosiùs
„ cogitare, & tribus diebus de ipsa electione
„ tractantes, tandem in personam nostram,
„ insufficientem huic oneri, & tantæ dignita-
„ tis fastigio minimè congruentem, omnes
„ quotquot fuerunt, tribus tantùm exceptis,
„ Octaviano scilicet, Joanne de S. Martino,
„ & Guidone Cremense (Deo teste, quia
„ mendacium non fingimus, sed meram sicut
„ est loquimur veritatem) concorditer atque
„ unanimiter convenerunt, & nos assentienet
„ Clero ac Populo in Romanum Pontificem
„ elegerunt. Duo verò, Joannes, & Guido,
„ quos prænotavimus, tertium Octavianum
„ nominantes, ad ejus electionem pertinaciter
„ intendebant. Unde & ipse Octavianus in
„ tantam audaciam, insaniamque prorupit,
„ quòd mantum, quo nos reluctantes & reni-
„ tentes, quia nostram insufficientiam videba-
„ mus, juxta morem Ecclesiæ, Odo Prior
„ Diaconorum induerat, tanquam arreptitius
„ à collo nostro propriis manibus violenter
„ excussit, & secum inter tumultuosos fremi-
„ tus asportavit. Cæterùm cùm quidam de
„ Senatoribus tantum facinus inspexissent, unus
„ ex eis spiritu divino succensus, mantum ip-
„ sum de manu eripuit sævientis. Ipse verò
„ ad quendam Capellanum suum, qui ad hoc
„ instructus venerat, & paratus, illicò flam-
„ meos oculos fremebundus inflexit, clamans
„ & innuens, ut mantum, quem fraudulenter
„ secum portaverat, festinanter afferret. Quo
„ utique sinè mora delato, idem Octavianus
„ abstracto pileo, & capite inclinato, cun-
„ ctis fratribus, aut loco inde aut voluntate
„ remotis, mantum per manus ejusdem Ca-
„ pellani, & cujusdam Clerici sui ambitiosus
„ assumpsit, & ipse idem, quia non erat alius,
„ in hoc opere Capellano & Clerico extitit
„ coadjutor. Verùm ex divino credimus judi-
„ cio contigisse, quòd ea pars manti, quæ te-
„ gere anteriora debuerat, multis videntibus
„ & ridentibus posteriora tegebat. Et cùm
„ ipse idem hoc emendare studiosiùs voluisset,
„ quia capitium manti extra se raptus non po-
„ terat invenire, collo fimbrias circumduxit,
„ ut saltem mantus ipse appensus ei quodam-
„ modo videretur. Sicque factum est, ut sicut
„ tortæ mentis erat, & intentionis obliquæ,
„ ita ex transverso & obliquo mantum fuerit
„ in testimonium suæ damnationis indutus.
„ Quo facto, portæ Ecclesiæ, quæ firmatæ
„ fuerant, reserantur, & armatorum cunei,
„ quos (sicut ex re apparuit) pecuniæ largi-
„ tione conduxerat, evaginatis gladiis cum
„ immenso strepitu cucurrerunt, & pestis illa
„ mortifera, quia Cardinales Episcopos non
„ habebat, armatorum caterva militum val-
„ labatur. Fratres verò facinus tam immen-
„ sum, & à seculis non auditum ex insperato
„ videntes, & formidantes, ne à conductitiis
„ militibus trucidarentur, sese in munitionem
„ Ecclesiæ nobiscum pariter receperunt: ibi-
„ que novem diebus continuis, ne exinde li-
„ berè exiremus, fecit nos quorundam Sena-
„ torum assensu, quos pecunia oblata corru-
„ perat, die noctuque armata manu cum omni
„ diligentia custodiri. Sanè populo incessanter
„ & jugiter acclamante, & in Senatores pro
„ tanta impietate multa immanitate fremente,
„ de custodia fuimus illius munitionis erepti,
„ sed in artiori & tutiori loco apud Transty-
„ berim nos iidem Senatores, receptâ inde
„ pecuniâ, posuerunt. Cùmque moram ibi-
„ dem fermè per triduum fecissemus, univer-
„ so populo tantam proditionem, atque mali-
„ tiam de cætero nullatenus sustinente, Sena-
„ tores cum Nobilibus & populo venientes,
„ nos & fratres nostros per Urbem magnificè
„ & honorificè cum immensis laudibus & præ-
„ coniis, campanis etiam in transitu nostro pul-
„ san-

(34) C. MS. Septembris dum essemus Anagnis.

(35) C. MS. omnes fratres.

„ santibus, conduxerunt, & sic tandem à violentia persequentis erepti, & nostræ redditi libertati, sequenti die Dominico venerabilibus fratribus nostris Gregorio Sabinensi, Hubaldo Hostiensi, Bernhardo, Walthero, Julio & B. Episcopis, Cardinalibus quoque, Abbatibus, Prioribus, Judicibus, Advocatis, Scriniariis, Primicerio, & schola Cantorum, Nobilibus etiam, & quadam parte de populo Urbis, apud Nympham, non longè ab Urbe insimul congregatis, munus consecrationis accepimus, & sicut in Romana Ecclesia moris est, ibidem Pontificali Regno magnificè fuimus ac solenniter coronati. Cæterùm prædictus Octavianus cùm pro consecratione, imò execratione sua, dum in Urbe esset, & postquam latenter Urbem exivit, multos Episcopos convocasset, nullum prorsus, præter unum, Ferentinatem videlicet Episcopum, habere potuit, pro sua temeritate & vesania confirmanda. Quosdam tamen Episcopos Imperialibus minis, quosdam violentia laicali, quosdam verò pecuniis & blanditiis allicere voluit: sed nil, Domino impediente, profecit. Unde nec adhuc invenire potest, licèt omnibus modis enitatur, qui ei manus execrationis imponat, & se tantæ faciat præsumptionis & impietatis auctorem. Verùm memorati Johannes & Guido, cœcitatis tenebris obvoluti, quoniam scriptum est: *Peccator cùm venerit in profundum malorum, contemnet*, (*Proverb.* 18.) nec sic à sua præsumptione damnabili resipiscunt, sed eundem Octavianum, quem sibi in statuam erexerunt, obstinata perfidia venerantur, & eum relicta unitate Ecclesiæ præsumunt usque adhuc tanquam idolum aut simulacrum adorare. Ipse autem Antichristi tempora præfigurans, usque adeò erectus est supra se, ut etiam in templo Dei sederit, ostendens se tanquam sit Deus, & multi abominationem desolationis stantem in loco sancto, non sinè multa lachrymarum effusione, corporeis oculis inspexerunt. Sanè nos infirmitatem nostram, & virtutum indigentiam cognoscentes, nostrum in Dominum jactamus cogitatum, sperantes, & de Christi misericordia pleniùs confidentes, quòd Ecclesiam sanctam suam, pro qua ipse idem in substantia nostræ mortalitatis apparuit, ut eam sibi non habentem rugam aut maculam exhiberet, optata faciet in tranquillitate lætari, & procellarum omnium inundatione sedata, nihil erit quod jam ei possit obsistere, ubi unicus ejus sponsus voluerit nubilosa quæque & noxia propulsare. Nunc igitur quia nos de nostrorum meritorum qualitate diffidimus, & de honestate & religione vestra plenam habemus fiduciam, vestris & universalis Ecclesiæ precibus infirmitatem nostram petimus adjuvari: charitatem vestram per Apostolica scripta rogantes, & commonentes attentiùs, ut sicut viri Catholici vos pro domo Domini muros inexpugnabiles opponatis, & in devotione ac fidelitate matris vestræ Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ immobiliter persistentes, ab ejus unitate nullatenus recedatis. Quòd si præfatus vir impietatis, ad partes vestras aliqua damnationis suæ scripta transmiserit, ea, sicut respuenda sunt, respuatis, & tanquam vana ac sacrilega contemnere & abjicere studeatis. Noverit insuper discretio vestra, quòd nos supranominatum Octavianum, apostaticum & schismaticum in octavo die à consecratione nostra (hunc enim terminum ei resipiscendi, & ad unitatem matris Ecclesiæ redeundi, præfiximus) tanquam inobedientem & contumacem, & illos, qui ei manus præsumerent, non dicimus consecrationis, sed execrationis, imponere, & de communi fratrum nostrorum Episcoporum & Cardinalium voluntate atque consilio, accensis candelis, & cœtu Clericorum in Ecclesia congregato, vinculo anathematis & excommunicationis astrinximus, & eos cum suo auctore diabolo condemnavimus.

CAP. LII.

Epistola Cardinalium unius partis.

Venerabilibus in Christo fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Principibus, Præpositis, Prioribus & cæteris Ecclesiarum Prælatis, ad quos literæ istæ pervenerint, Ymarus Tusculanus Episcopus Prior Episcoporum, Johannes Tit. S. Sylvestri & Martini, Guido Cremensis Tit. S. Calisti, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinales, Rimundus Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Via-lata, & Sy. S. Mariæ in Dominica, & Sublacensis Abbas, perpetuam in Domino salutem.

„ EX quo contra honorem Ecclesiæ Dei & Imperii amicitia inter Dominum Papam Adrianum, & Vvilhelmum Siculum apud Beneventum facta est, dissensio & discordia non modica inter Cardinales Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ non sinè causa oborta est, nobis scilicet, qui honorem & dignitatem Sanctæ Dei Ecclesiæ, & Imperii nullatenus diminui volebamus, amicitiæ, quæ facta fuerat in detrimentum Ecclesiæ & Imperii, nequaquam consentientibus: aliis verò, qui pecunia & multis promissionibus obcœcati, jam dicto Siculo tenebantur astricti, conventionem ipsam taliter (ut diximus) fabricatam, nequiter defendentibus, & quàm plures in partem sui erroris atrahentibus, nostro conatui & voluntati totis viribus pertinaciter resistentibus. Proinde procedente tempore cùm jam fama ferret Imperatorem Italiam intrasse, & plurimam ejus partem suæ potestati subjugasse, prædicti fratres Siculo astricti, Dominum Papam solicitare ac circumvenire omni sagacitate cœperunt, qualiter aliqua occasione assumta Dominus Imperator, & omnes sequaces ejus excommunicationi subderentur, & nos ad id faciendum unà cum eis juramento astringeremur. Nos autem è contra diximus, potiùs Siculum excommunicandum, qui omnia jura Ecclesiæ tam spiritualia, quàm temporalia violenter abstulerat, quàm Imperatorem, qui Ecclesiæ Romanæ & Imperii jura fideliter laborabat recuperare, & Ecclesiam de servitute ad libertatem reducere. Hoc audientes fautores Siculi, à jam dicto consilio cum rubore siluerunt. Eo igitur consilio, nostro studio, & exacta diligentia taliter cassato, & exinde venerabili fratre nostro Octaviano, tunc sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali, nunc Apostolicæ Sedis Pontifice, unà cum fratre Vvilhelmo Presbytero

„ tero Cardinali S. Petri ad vincula, ad Imperialem Celsitudinem legationem fungente, Dominus Papa cum sibi consentientibus supradicti Vvilhelmi fautoribus Urbem egressus, Anagniam vênit. Ubi tunc demum manifesta conspiratione omnes præfati Vvilhelmi fautores in præsentia Domini Papæ sacramento firmaverunt, personam Imperatoris excommunicationi subjiciendam, & ex tunc in antea ejus honori & voluntati usque ad mortem immutabiliter contraire: & si contingeret Dominum Papam vita decedere, neminem se nisi de illis qui conjuraverant, in Pontificem eligere. Circumpositos insuper Episcopos, ne alicui Electo in quem Siculi secta consentiret, in consecratione manus imponerent, juramento nihilominus constrinxerunt. Postmodum jam sæpedicto patre nostro Adriano Anagniæ Kalen. Septemb. defuncto, omnes illuc convenimus: & cùm de corpore sive ibidem tumulando, sive Romam deferendo, non parva contentio oriretur, tandem Romam corpore deportato, priùs in verbo veritatis tale pactum unanimiter fecimus, & scripto mandavimus, quale nunc sequitur: *In nomine Domini Amen. Convenerunt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Cardinales Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & promiserunt sibi invicem in verbo veritatis, quòd de electione futuri Pontificis tractabunt secundùm consuetudinem istius Ecclesiæ, scilicet quòd segregentur aliquæ personæ de eisdem fratribus, qui audiant voluntatem singulorum, & diligenter inquirant, & fideliter describant, & si Deus dederit quòd concorditer possimus convenire, bene: sin autem, nullus procedat sinè communi consensu, & hoc observetur sinè fraude, & malo ingenio.* Tali pacto in verbo veritatis firmato, post humatum Corpus in Ecclesia Beati Petri, ad eligendum Pontificem convenimus, & juxta prædictam consuetudinem personas, quæ singulorum voluntates diligenter inquirerent, & audirent, ac describerent, segregavimus. Sed cùm propter conspirationem adversæ partis electio lentè procederet, tertia die ferè transacta, ad hoc tandem deventum est, quòd XIV. Cardinales ex adverso, qui sacramento constricti tenebantur, Rolandum Cancellarium nominaverunt. Nos autem IX. numero, qui nefandi juramenti exortes eramus, venerabilem fratrem nostrum Octavianum Presbyterum Cardinalem, virum utique honestum & religiosum, ad regimen Apostolicæ Sedis, & ad concordiæ & pacis unitatem inter Ecclesiam & Imperium reformandam ac conservandam dignum & utilem esse cognoscentes, eligimus. Cùm res taliter ageretur, & partem contrariam pactum quod in verbo veritatis firmatum fuerat, penitùs transgredi volentem sentiremus: pactum supradictum illis ad memoriam reducentes, auctoritate Dei omnipotentis, & omnium Sanctorum, atque nostra, eis penitùs interdiximus, ne absque communi consensu omnium, sicut in pactione continetur, ullatenus aliquem inmantarent: & Rolandum Cancellarium eadem auctoritate ne susciperet, nihilominus prohibuimus. Qui dum verba & ammonitiones nostras vilipenderent, & Rolandum Cancellarium manto festinarent induere, nondum tamen illo induto: nos illorum malitiæ potiùs contraire quàm consentire volentes, & quod malè conabantur, minimè permittentes, ad petitionem populi Romani, electione universi Cleri, assensu etiam totius ferè Senatus, & omnium Capitaneorum, Baronum, Nobilium, tam infra Urbem, quàm extra Urbem habitantium, nostrum electum manto induimus, & intronizatum in Sede Beati Petri collocavimus, inde ad palatium ejusdem, acclamante universo populo, hymnum Deo decantante Clero, & omnibus solenniter adimpletis, honorificè deduximus. Adversæ verò partis Cardinales retrocedentes, in castrum Beati Petri se contulerunt, ibique per dies octo & ampliùs inclusi permanserunt. Inde postmodum per Senatores educti, extra Urbem secesserunt, & XII. post ea die, quod à seculo non est auditum, in castro, nomine Cisterna, intra Aritiam & Terracinam, Rolandum Cancellarium immantaverunt, & in sequenti Dominica execraverunt: ac continuò mittentes Nuncios per universam Italiam, Episcopis, ne ad consecrationem nostri electi venirent, penitùs dissuaserunt, minantes illis excommunicationem & depositionem in perpetuum. Qui tamen in prima Dominica mensis Octobris, auctoritate Dei honorificè consecratus est. Rem qualiter facta est, vestræ fraternitati insinuavimus, nihil præter veritatem adnectentes, teste Deo, qui falli non potest, & si Angelus de Cœlo aliud evangelizaret, à veritate penitùs aberraret. Veruntamen multa, quæ facta sunt, omittentes, ista, prout breviùs possumus, vobis significamus, ne prolixiore pagina aures vestras oneraremus. Hæc itaque animadvertat vestra fraternitas, quam devotissimè obsecramus, & admonemus, & modis omnibus quibus possumus, exhortamur in Domino, quatenus neque per sermonem, neque per Epistolam à vestro sensu moveamini, sed in veritate nobiscum firmi & immobiles permaneatis.

CAP. LIII.

Item Epistola Cardinalium alterius partis.

Friderico, Dei gratiâ, glorioso, Illustri, Magnifico & sublimi Romanorum Imperatori, Gregorius Sabinensis, Hubaldus Hostiensis, Julius Prænestinus, Bernardus Portuensis, Waltherus Albanensis Episcopi: Hubertus tit. S. Priscæ, Joannes tit. Sanctorum Joannis & Pauli, Henricus tit. SS. Nerei & Achillei, Ildebertus tit. Basilicæ XII. Apostolorum, Joannes tit. S. Anastasiæ, Bonadies tit. S. Chrysogoni, Albertus tit. Sancti Laurentii in Lucina, & Wilhelmus tit. S. Petri ad vincula Presbyteri, Oddo Sancti Gregorii ad Velum-aureum, Rom. Sanctæ Luciæ in septa Solis, Jacinctus Sanctæ Mariæ in Cosmidin, Oddo S. Nicolai in carcere Tullii, Arde. S. Theodorici, Bo. Sanctorum Cosmæ & Damiani, C. S. Adriani P. S. Eustachii, & Jo. Diaconi Cardinales, voluntate & spiritu in Domino congregati, salutem & gloriosam de inimicis victoriam.

„ QUanto Excellentiæ Vestræ major à Deo collata est & attributa potestas, & quan-

" quanto sublimiorem inter mortales dignitatis
" locum constat vos obtinere, tanto ampliùs
" Imperialem convenit Majestatem Sacro-
" sanctam Romanam Ecclesiam specialem &
" unicam Matrem vestram in omnibus ho-
" norare, & ei semper, & præsertim necessi-
" tatis tempore, salubriter, atque utiliter pro-
" videre. Quid autem diebus istis in eadem
" Ecclesia Romana contigerit, & quàm inau-
" ditum facinus ab his, quos filios reputabat,
" aliquantis diebus transactis fuerit perpetra-
" tum, dignum, imò dignissimum est nos Im-
" periali Celsitudini nostris literis aperire.
" Nuper siquidem cùm Dominus noster bonæ
" memoriæ Adrianus Papa, Kalend. Septemb.
" apud Anagniam debitum naturæ solvisset,
" & de terris ad Cœlum, de imis migrasset,
" vocante Domino, ad superna, tres falsi fra-
" tres, Octavianus scilicet, & Joannes de
" Sancto Martino, & Guido Cremensis, qui
" à nobis quidem exierunt, sed non fuerunt
" de nobis, transfigurantes se in Angelos lu-
" cis, cùm sint Satanæ, &c.
" *Et infra*. Ad hæc noverit sublimis gratia
" vestra, quòd Otto Palatinus Comes, occa-
" sione de intrusione Octaviani suscepta, præ-
" fatum Dominum nostrum, & nos omnes
" plurimùm infestavit, & Ecclesiam Dei ni-
" sus est scindere, & multipliciter absque ra-
" tionabili causa turbare. Campaniam siqui-
" dem, & patrimonium Beati Petri cum in-
" truso & apostatico Octaviano violenter in-
" travit, & terram ipsam studuit ei quibus-
" cunque modis subjugare. Nos itaque, &
" tota Ecclesia Dei nobiscum Majestatem Ve-
" stram suppliciter exoramus, ut tam violen-
" ta intrusione ita sicut est intellecta, & dili-
" genter inspecta, qualiter vobis ad salutem
" animæ vestræ, & honorem Imperii super
" tanto negotio sit procedendum, diligenter
" attendatis. Considerate & advertite, quali-
" ter circa Sacrosanctam Romanam Eccle-
" siam, & circa unicum sponsum ejus Domi-
" num nostrum Jesum Christum, sinè quo nec
" regnum potest aliquis obtinere terrenum,
" nec acquirere sempiternum, oporteat vos
" habere, & qualiter eam ab impugnatoribus
" & præsertim ab schismaticis & hæreticis, ex
" Imperialis officio dignitatis protegere de-
" beatis modis omnibus ac tueri. Nos si qui-
" dem vos sicut specialem defensorem & Pa-
" tronum Ecclesiæ Romanæ modis omnibus
" honorare intendimus, atque ad augmentum
" gloriæ vestræ, quibus modis possumus, cum
" Deo aspiramus. Rogamus autem, & in-
" stantiùs supplicamus, ut Matrem vestram
" Sanctam Romanam Ecclesiam diligatis, &
" honoretis, & ad pacem, & tranquillitatem
" ipsius, quibus modis Imperialem convenit
" Excellentiam, intendatis, & tantam præfati
" invasoris atque schismatici iniquitatem nul-
" latenus foveatis.

CAP. LIV.

Quòd pro terminando schismate Princeps ad se utrasque partes invitavit.

FRidericus ancipiti malo novi schismatis permotus, consilio Principum decrevit dare operam, ne quid exinde seu status Ecclesiæ, seu Respublica Imperii detrimenti caperet. Audiens itaque utrumque electum in Episcopatus ordinem consecratum, alterum ab altero excommunicationis sententia condemnatum, sinè judicio Ecclesiæ controversiam terminari posse non putavit. Auctoritatem autem congregandi Concilii, exemplo antiquorum Imperatorum, verbi causâ, Justiniani, Theodosii, Caroli, sibi congruere putans, litisque decisionem legitimam esse non posse, nisi partibus hinc inde congregatis considerans, ad citationem amborum, venerabiles viros, & prudentes, Danielem Pragensem, & Hermannum Verdensem Episcopos dirigit, cum literis, quarum exemplar hoc est.

CAP. LV.

Epistola Imperatoris ad Rolandum, & cæteros Cardinales de hoc.

Fridericus Dei gratiâ Romanorum Imperator, & semper Augustus, Rolando Cancellario, cæterisque Cardinalibus, qui eum elegerunt Romanum Pontificem, salutem, & omne bonum.

" QUoniam divina præordinante clemen-
" tia, Romani Imperii gubernacula su-
" scepimus, oportet ut in omnibus viis nostris
" ipsius legem custodiamus, cujus munere,
" cujus voluntate dignitatis nostræ apicem
" adepti sumus. In hoc itaque sacratissimo
" proposito constituti, cùm omnibus Ecclesiis
" in Imperio nostro constitutis debeamus pa-
" trocinari, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ
" tanto propensiùs debemus providere, quan-
" to ipsius cura & defensio à divina providen-
" tia creditur nobis esse commissa specialiùs.
" Ea propter de discordia, quæ in substituendo
" Romanum Pontificem inter vos suborta est,
" plurimùm dolemus, timentes ne occasione
" hujus schismatis Ecclesia Christi Sanguine
" redempta debeat dilacerari, præsertim cùm
" robur Ecclesiæ foris titubare videatur, quo-
" niam unitas ipsius scissura domestica inte-
" riùs dilaniatur. Ut autem huic pesti com-
" petens & Deo gratum exhibeamus reme-
" dium, religiosorum virorum consilio gene-
" ralem Curiam & conventum in octava Epi-
" phaniæ Papiæ indiximus celebrandam, ad
" quam evocavimus totius Imperii nostri, &
" aliorum Regnorum, scilicet Angliæ, Fran-
" ciæ, Ungariæ, Daciæ, Archiepiscopos,
" Episcopos, Abbates, & viros religiosos,
" ac Deum timentes, quatenus remoto omni
" seculari judicio, hoc tam magnum Ecclesiæ
" negotium Ecclesiasticarum tantùm persona-
" rum sententia ita sopiatur, ut & Deo de-
" bitus exinde honor deferatur, & Ecclesia
" Romana sua integritate & justitia non pos-
" sit à quoquam privari, vel status Urbis,
" quæ caput Imperii nostri est, inquietari.
" Proinde eruditioni vestræ mandamus, & ex
" parte Dei omnipotentis, & totius Ecclesiæ
" Catholicæ præcipimus, ut ad eandem Cu-
" riam sive Conventum veniatis, Ecclesiasti-
" carum personarum sententiam audituri &
" recepturi. Testis enim nobis est Deus, quia
" in hac Curia, nec amore, nec odio alicujus
" personæ, quicquam aliud quærimus, quàm
" honorem Dei, & Ecclesiæ suæ unitatem.
" Quòd si ad tam celebrem Ecclesiæ conven-
" tum examinationis causâ venire volueritis,
" charissimi Principes nostri, & Ecclesiæ Ca-
" tho-

„ tholicæ Hermannus Verdensis, Daniel Pragensis, Patres & Episcopi venerabiles, quos de palatio nostro ad vos transmisimus, unà cum Comite Palatino consanguineo nostro, aliisque Legatis nostris, securum vobis conductum præstabunt. Si verò justitiam Dei & Ecclesiæ in tam solenni conventu recipere nolueritis, videat Deus, & judicet. Nos autem ipsius favente gratia, qui dat salutem Regibus, justitiam Dei, quæ nullum magis quàm Imperatorem Romanum decet, prosequemur.

CAP. LVI.

Item Epistola Principis de eadem re ad Episcopos Transmontanos.

Porrò literæ, quibus ad tantam discussionem Transmontanos Episcopos invitavit, istæ pro exemplo sufficiant.

Fridericus Dei gratiâ Romanorum Imperator, & semper Augustus, Herimanno Brixiensi Episcopo salutem, & omne bonum.

„ Quòd in passione sua Christus duobus gladiis contentus fuit, hoc in Romana Ecclesia, & in Imperio credimus mirabili providentia declarasse, cùm per hæc duo rerum capita & principia totus mundus tam in divinis, quàm in humanis ordinetur. Cùmque unus Deus, unus Papa, unus Imperator sufficiat, & una Ecclesia Dei esse debeat, quod sinè dolore (36) dicere non possumus, duos Apostolicos in Romana Ecclesia habere videmur. Defuncto itaque Adriano Papa in Kalend. Septembris, Cardinales, qui columnæ immobiles esse videbantur, quibus sancta & universalis firmissimè inniteretur Ecclesia, non quæ Dei sunt, sed sua quærentes, & unitatem Ecclesiæ scindentes, duos Pontifices elegerunt, & ambos consecraverunt. Pro tanta namque & tam perniciosa Ecclesiæ jactura, tota nimirum Italica Ecclesia conturbatur, & dissensiones schismate orto in capite, jam in inferiora membra defluxisset, & totum Ecclesiæ corpus defœdasset, nisi nos consilio & auxilio religiosorum virorum, qui Spiritu Dei aguntur, tam impudicæ iniquitati justitiæ rigorem opposuissemus. Ne itaque in tantæ discrimine discordiæ universalis Ecclesia periclitari possit Romanum Imperium, quod ad remedium tam perniciosi morbi divina clementia providit, universorum saluti debet sollicitè providere, & ne tanta mala in Ecclesia Dei præemineant, futuris casibus solerter obviare. Coadunatis itaque in unum omnibus Episcopis, tam Italicis, quàm Teutonicis, cæterisque Principibus, ac viris religiosis, qui zelum Dei & Ecclesiæ habere videbantur, quod facto opus esset diligenter investigavimus; ex decretis Romanorum Pontificum, & statutis Ecclesiæ veraciter accipientes, quòd exorto schismate in Romana Ecclesia ex duorum Apostolicorum dissensione, ambos vocare, & secundùm sententiam & consilium orthodoxorum litem decidere deberemus. Ex consilio itaque omnium, qui aderant, Episcoporum, cæterorumque Principum, Curiam solennem, & generalem conventum omnium Ecclesiasticorum virorum, in Octava Epiphaniæ Papiæ celebrandam indiximus, ad quam ambos qui se dicunt Romanos Pontifices vocabimus, omnesque Episcopos Imperii nostri, & aliorum Regnorum, Franciæ videlicet, Angliæ, Hispaniæ, atque Ungariæ, ut eorum in præsentia nostra justo declaretur examine, quis illorum regimen universalis Ecclesiæ de jure debeat obtinere. Quia verò ad unitatem Ecclesiæ reformandam sapientia admodum nobis necessaria est, ut ea nequaquam carere valeamus, dilectionem tuam attentissimè rogamus, & rogando commonemus, quatenus pro fidelitate Ecclesiæ, & Imperii, ad prædictam Curiam omni occasione remota venias, ut in adventu tuo unitas & pax, & tranquillitas Ecclesiæ reformetur. Interim autem prædictæ scissuræ in neutram partem assensum tuum declines, nec tanquam justam & rationabilem aliquatenus recipias. Data Cremæ X. Kalend. Novembris.

CAP. LVII.

De calliditate Cremensium contra nostros.

Jam verò ad ea, quæ apud Cremam gesta sunt, res exigit ut revertamur. Cremenses, ut supra dictum est, tam in vadibus, quàm in captivis suis malè affecti, cùm ab excursibus & audacia temerè paululum quievissent, alio ingenio, alioque commento nostros fallere cogitant, & subvertere. Quædam enim instrumenta fabricant, muscipulis quidem simillima, sed pro qualitate humani corporis fortiora, eaque per vias circa vallum dispergunt, quibus ignari multi hærentes, aut capi facilè poterant, aut occìdi. Item fossas quamplurimas hinc inde desuper levi operimento contegunt, quas illapsi similiter aut capiebantur, aut occidebantur. Ejusmodi & alii multi latrocinales doli, tam ad rapinas, quàm ad incendia machinarum, cùm assiduè fierent ab his, qui intra munitionem erant, Fridericus & calliditate simul & audacia eorum magìs irritabatur. Et quia penuria civitatem capere desperasset, abundabant enim frumento, iterum consilium ad vim atque arma convertit, omnibus agminibus id maximè cupientibus, qui jam longæ obsidionis tœdio affecti, variisque laboribus attriti, mœrore tenebantur, bellumque quoquo modo finiri optabant. Sextus enim jam mensis erat, ex quo civitas obsessa fuerat, hyemsque pluviosa, & gelu asperrima illo anno plus solito inhorruerat.

CAP. LVIII.

De expugnatione Cremæ per machinas.

Itaque admotis omnibus machinis, ad occupandam civitatem hortatur exercitum, turresque in excelsum erectas, variaque (37) materia undique tectas, ut & pondere stabiles essent, neque ignibus expugnarentur, super aggeres collocat, jaculatoribus & sagittariis, mi-

(36) C. MS. dolore cordis.

(37) C. MS. erectas ferroque variaque.

militumque fortissimis plenas. Qui cùm non conspicerentur, ipsi eos qui vel super murum astarent, vel in civitate deambularent, facillimè cernerent, telisque appeterent: cùm illi neque à vertice venientes sagittas facilè declinare, neque ulcisci possent quos non viderent. Quoties autem ignito ferri pondere, & adunco, quo leviùs hæreret, machinas attentabant, qui desuper erant aquis ignem restinguendo, uncos autem & hamos ferri contis proceris & sudibus dissolvendo, conatus eorum in irritum revocabant. In his enim falces alligarant, ut si quid de materia, quæ contra ictus machinarum turribus alligata fuerat, ignis corrupisset, statim abscinderent. Et Cremenses quidem ita resistebant, quamvis multi in dies singulos occumberent, contraque parum mali hostibus facerent.

CAP. LIX.

De ultimo & atrocissimo certamine patrato.

ET quoniam ad finem hujus obsidionis tendimus, ad alia properantes, ultimum prœlium, & maximum, paulisper attingere libet, pro eo quòd & atrox, & vario eventu gestum est. Imperator cernens oppidanos neque se ipsos misereri, neque civitati parcere velle, generalem aggressionem fieri statuit. Electis ergo de singulis agminibus viris fortissimis, intra machinas turrium eos collocat, variis quidem locis, alios superiores, alios inferiores: ut dum inferiores civitatem per murum ingressuri pontes applicarent, superiores eos jaculis & sagittis, quo minùs ab hostibus læderentur, defenderent. Erant turres ipsæ nimia proceritate mirabiles, supra C. pedes in altum erectæ, multorum hominum per singula diversoria capaces. Reliquum exercitum circa muri ambitum distribuit, præcipiens, quando pontes admoveri cœpissent, ipsi quoque singuli contra quem starent locum aggredi, murumque vel transcendere vel irrumpere conarentur. Ipse quidem utrinque ita dispofuit. Civitatis autem populus postquam oppidum undique videret circundatum, armisque omnia conlucere, tubicines quoque universorum agminum & signiferos congregatos, ut signo dato undique eos invaderent, non segniter se & ipsi communiunt, magnaque audacia super muros, & in suis machinis (quas *gattas* appellant) operiuntur: ut cùm admoverentur pontes, ipsi eos vel occuparent, vel dejicerent, murumque scalis ascendere nitentes, vario modo deterrerent, magna tunc animi facinora demonstrantes, ne vel in extremis calamitatibus deteriores nostris viderentur. Jam pontes, licèt maxima difficultate admoti fuerant, jam tota acies in muro pedem ponebat. Tum Cremenses callidè se intra suas machinas occultantes, primos quidem & de subtus, & supra graviter excipiunt (38), posteriores autem tormentorum ictibus deterrent, acies pro muris pugnantium dissipant, & qui scalis, aliisque instrumentis ascendere nitebantur, impulsi devolvebantur à muro. Sed neque nostris virtus in rebus adversis, nec Cremensibus sævitia defuit. Nempe unus militum nostrorum nomine Bertolfus de Arach, qui cum primis de ponte saltu in civitatem devenerat, circundatus undique ab hostibus, dum pugnando se fortissimum ostendisset, multosque solus usque ad magnam partem civitatis persecutus fuisset, à quodam retro longa securi prostratus est. Nam anteriori parte per medios ruentem universi vitabant, audaciam hominis metuentes pariter & admirantes. Quem tandem cùm occidissent, unus eorum crudeliter in mortuum sæviens, cutem capitis (ut dicebatur) abstraxit, & priùs decentissimè capillatam galeæ suæ affixit, ipse turpis & indecentissimus, nec viri fortitudine permotus, nec humanæ conditionis sortem miseratus. Alium quoque præcisis manibus ac pedibus (grave ludibrium) per plateas serpere permiserunt. Porrò qui murum transcendere conati sunt, quamvis singillatim digni essent memoria, omnium tamen fortissimus demonstratus est Otto palatii Comes de Bajoaria, qui sæpiùs muro repulsus, sæpiùsque ante alios incœptum opus revertens, virtute fortitudinis suæ toti huic ornamento fuit calamitati. Non tamen impunè, nec longùm Cremenses hac fortuna usi sunt. Nam de prominentia turrium nostrarum diversis missilibus tot ea die vel occisi, vel vulnerati sunt oppidanorum, quòd muro anteriore pulsi, intra munitionem, quæ secundo muro erat accincta, confugerent, & tunc primò rebus suis desperarent.

CAP. LX.

Qualiter Imperator propter excidium Cremæ, Concilii diem prolongaverit, & quorum Consilio Cremenses de pace tractaverint.

IMperator videns excidium civitatis vicinum esse, jam enim vires eorum, & audaciam, labor, metus, & calamitas fregerant, Concilium, quod in octava Epiphaniæ celebrandum fuerat, distulit, animumque totum ad subversionem civitatis laxavit. Jam autem valida juvenum manus collapsa fuerat, multique in dies singulos jaculis & sagittis occumbebant, cùm, ut dictum est, ipsi contra nihil mali nostris facere possent. In tantis ergo rerum angustiis, consilio necessitatis adhibito, Peregrini Aquilejensis Ecclesiæ Patriarchæ, simulque Henrici Ducis Bajoariæ, & Saxoniæ colloquium expetunt, petentibusque locus & hora datur, quando sapientiores & majores civitatis se dictorum heroum conspectui præsentarent. Mane facto, designata statione, cùm pars utraque adesset, Patriarcha vir eruditus, plurimisque virtutibus adornatus, & cui præter officii auctoritatem magna facundiæ gratia inerat, prior ad eos ita orsus memoratur.

CAP. LXI.

Exhortatio Aquilejensis Patriarchæ, & responsio Cremensium.

„ SIquidem non viderem vos ad sentiendum „ quæ pacis sunt esse incitatos, neque „ populi Cremensis puriorem, sincerissimam- „ que vos partem, nunquam processissem ad „ vos, neque consulere confisus essem. Su- „ pervacua enim, ut ait quidam, est de uti- „ libus oratio, quando omnium habitatorum „ con-

(38) C. MS. graviter spiculis excipiunt.

„ conspirat ad deteriora consensus. Quia verò
„ aliquos quidem ætas malorum belli nescios
„ facit, quosdam verò inconsiderata spes li-
„ bertatis, nonnullos quoque avaritia succen-
„ dit, paucorum bonorum consilio providen-
„ dum est, quemadmodum ipsi ab hoc errore
„ corrigantur. Quòd si ab initio suscepti belli
„ provisum non est, sera saltem pœnitentia
„ corrigat excessum: ut qui in portu præca-
„ vere tempestatem noluistis, vel inter me-
„ dias procellas, pro tempore rebus fractis
„ consulatis. Subeat vobis, si non civitatis
„ jam perditæ, jamque subversioni proximæ,
„ saltem miseratio filiorum vestrorum adhuc
„ superstitum, atque conjugum. Parcite reli-
„ quiis hominum, si parcere noluistis charis
„ adytis paternorum mœnium. Experti feri-
„ tatem Germanorum, virtutem & magnitu-
„ dines corporum, ne dubitetis eos spiritus
„ gerere majores corporibus, & animas con-
„ temptrices mortis habere. Breviter vobis
„ quod sentio edam. Placet ut victori Prin-
„ cipi colla subdatis, expedit ut universam
„ salutem vestram in deditione, non in armis
„ reponatis. Si enim spreta pace in defectio-
„ ne perseverantes eritis, haud dubiè majori-
„ bus quàm passi estis periculis subdemini.

His dictis dolorem quem corde habebant, paulisper supprimentes, respondent: Se non adversùs Principem, sed contra gentiles suos Cremonenses arma sumpsisse, olimque sibi decretum neque his, neque illis, sed soli Deo & Imperatori servire voluisse, & in multis clarere, mortem eos indebitæ servituti prætulisse, fœdus cum Mediolanensibus pepigisse, idque donec Deo placuerit, inviolatum custodisse. Iram se divinam pro peccatis suis perferre: fortunam Imperatoris prævalere. Nam habentes armorum abundantissimum apparatum, & alimentorum nullam penuriam, manifestissimè Deo spem salutis auferente, perdidisse. Rogare autem ne gentilibus suis, Cremonensibus inimicissimis pœnas, sed soli Principi cogantur præstare. Optare se bello finem imponere, virtutem Imperatoris se effugere non posse.

CAP. LXII.

De conditionibus pacis cum Cremensibus, & triumpho Principis.

Cognito jam nominati Principes quòd pacem cuperent, bellique tædio affecti essent, verbum eorum Curiæ perferunt. Placuit: de conditionibus pacis agitur, diffinitur, & sinè contractione (39) ab oppidanis recipitur. Erat autem pactum tale, quòd Cremenses civitatem dederent, ipsique vitâ sibi indultâ cum conjugibus ac liberis quòvis eundi facultatem haberent: de rebus suis quantum quisque semel humeris efferre posset, secum exportaret. Mediolanenses verò & Brixienses, qui ad præsidium ejusdem civitatis intraverant, relictis ibidem armis, & omnibus suis, vitam sibi pro lucro existimarent. Quibus omnibus tandem VI. Kalend. Februarii completis, ipsum castrum, egressis inde quasi XX. millibus hominum diversi generis, flammis traditum, & militibus ad diripiendum permissum est.

Peracto excidio, divus Augustus toto exercitu jucundante, lætam victoriam acturus Papiam divertit. Ubi verò eum appropinquare nunciatum est, omnis multitudo civitatis obvia per vias & plateas, cum senibus & juvenibus, cum conjugibus & liberis præstolabatur, & quò transiens divertisset, ejus majestatem, vultusque lenitatem omnium generum vocibus prosequebatur: benemeritum triumphatorem, & salutis datorem, solumque dignum Romanum Principem appellari. Tota civitas veluti templum variis ornamentis decorata erat, & diversis odoribus aromaticis plena redolebat. Cùm autem vix per circumstantium multitudinem ad Ecclesiam venire potuisset, antequam in palatio se reciperet, omnipotenti Deo, qui dat salutem Regibus, pro adepto triumpho vota solvit, & gratulatoria sacra celebravit. Conventum quoque, quem in octava Epiphaniæ habendum statuerat, in eadem Ticinensium civitate in Purificatione S. Mariæ decrevit peragere. Porrò de subacta, vel potiùs subversa Crema, statim Imperiales literæ per ambitum Regni diriguntur in hunc modum.

CAP. LXIII.

Epistola Imperatoris de victa Crema.

„ FRidericus Dei gratiâ Romanorum Impe-
„ rator, & semper Augustus. Scire cre-
„ dimus prudentiam vestram, quòd tantùm
„ divinæ gratiæ donum, ad laudem & gloriam
„ nominis Christi, honori nostro tam eviden-
„ ter collatum, occultari vel abscondi tan-
„ quam res privata, non potest. Quod ideo
„ dilectioni vestræ ac desiderio significamus,
„ ut sicut charissimos & fideles, vos participes
„ honoris & gaudiorum habeamus. Proxima
„ siquidem die post conversionem S. Pauli,
„ plenam victoriam de Crema nobis Deus
„ contulit, sicque gloriosè ex ipsa triumpha-
„ vimus, quòd tam miseræ genti, quæ in ea
„ fuit, vitam concessimus. Leges enim tam
„ divinæ, quàm humanæ summam semper cle-
„ mentiam in Principe esse debere testantur.

CAP. LXIV.

De Concilio apud Papiam, & exhortatione Principis ad Episcopos.

TEmpus erat, quo Concilium Papiæ indictum celebrandum fuerat, idque de universis Regni partibus, videlicet cisalpinis & transalpinis in unum collecti Archiepiscopi, & Episcopi, aliique Ecclesiarum Prælati pendula expectatione operiebantur. Tum Augustus commonens omnes jejuniorum & orationum subsidiis Ecclesiæ Catholicæ causam Deo commendari, cum Sacerdotibus, & omni populo auxilium divinum fida Sanctorum intercessione poscebat. Deinde convocato in unum concilio, cùm resedisset, ait ad Episcopos: *Quamvis noverim officio ac dignitate Imperii penes nos esse potestatem congregandorum conciliorum, præsertim in tantis Ecclesiæ periculis: (hoc enim & Constantinus, & Theodosius, nec non Justinianus, seu recentioris memoriæ Carolus Magnus, & Otto Imperatores fecisse memorantur) auctoritatem tamen diffiniendi hujus maximi & summi negotii, vestræ prudentiæ,* ve-

(39) C. MS. sinè contradictione.

vestræque potestati committo. Deus enim constituit vos Sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi. Et quia in his quæ ad Deum sunt, non est nostrum de vobis judicare, tales vos, & taliter in hac causa hortamur habere, tanquam solius Dei de vobis expectantes judicium.

Cùm hæc dixisset, ipse se concilio subtraxit, examen totum Ecclesiæ & Ecclesiasticis, quæ ibi innumerabiles erant, committens personis. Erant autem circiter quinquaginta Archiepiscopi & Episcopi: Abbatum & Præpositorum non erat præ multitudine æstimatio. Legati quoque diversarum terrarum aderant, spondentes quicquid à synodo decretum foret, indubitanter à suis recipiendum.

CAP. LXV.

Quòd Concilium pro Victoris parte sententiam dederit.

Residentibus itaque Episcopis, & Clero universo, VII. diebus causa ventilata est, tandemque Domino Octaviano, qui cùm præsens advenisset, & haberet qui partem suam defenderent, cessit litis victoria, & pro ipso Concilium sive Curia dedit sententiam, condemnato Rolando & reprobato, qui citatus legitimè Concilio se præsentare contumaciter abnuisse dicebatur. Sæpiùs autem lectorem admonitum esse cupimus, ut in hoc facto ad disquirendam rerum veritatem non nostra dicta consulat, sed literis & scriptis, quæ ad manus nostras venerunt, & huic Operi inserendæ visæ sunt, innitatur, suo servans arbitrio, quando de hac controversia, & litis decisione, Conciliique judicio sufficienter sibi fides facta videatur.

CAP. LXVI.

Epistola Canonicorum S. Petri Romæ, pro parte Victoris.

Invictissimo & gloriosissimo Domino suo Friderico Romanorum Imperatori, & semper Augusto, & venerabilibus patribus in Christi nomine congregatis, fratres, qui Romæ sunt, Basilicæ S. Petri Principis Apostolorum Canonici, Angeli magni consilii præsentiam, & Spiritus Sancti consolantem gratiam.

„ Patres sanctissimi, quos Deus elegit ad „ consolationem mœrentium, & delin„ quentium correctionem, sicut ait Apostolus, „ corrigite inquietos, consolamini pusillani„ mes, intendite precibus nostris, & ad dolo„ rem nostrum leniendum consolationis ma„ num extendite. Tanta est enim, tam diffusa „ mœroris nostri materia, ut unde debeamus „ exordium sumere, difficulter possimus inve„ nire. Verùm quia materia doloris est & „ mœroris, à luctu & mœrore ordiri decre„ vimus. Attendite ergo & videte, si est do„ lor sicut dolor noster, cùm videamus ma„ trem nostram Romanam Ecclesiam, quon„ dam fulgentem, à filiis suis, imò alienis, „ quia mentiti sunt ei, quos enutrivit & exal„ tavit, ipsi autem spreverunt eam, contu„ meliosè eviſceratam, & membris ex parte „ mutilatam, in cœno jacentem, contume„ liam, jacturamque suam nec sentientem (40). „ Unde cum Hieremia plorante suæ Hierusa„ lem destructionem, plorantes dicimus: *Non crediderunt Reges terræ, & universi habitatores orbis: quoniam ingrederetur hostis, & inimicus per portas Hierusalem.* Verè Hie„ rusalem erat mater nostra Romana Ecclesia, „ quæ cunctis ad se venientibus & quærenti„ bus pacem dabat. Nunc autem & dolentes „ dicimus, ut olim illa, Peccatum peccavit „ nostra Hierusalem, propterea instabilis facta „ est. Nec immeritò propter peccata Prophe„ tarum ejus, & iniquitates Sacerdotum ejus „ erraverunt cœci in plateis, facies Domini „ divisit eos. Et verè. Vultus enim Domini „ super facientes mala, ut perdat de terra me„ moriam eorum. Unde plurimo rubore dif„ fundimur (41). Verè peccatum peccavit „ hoc tempore nostra Hierusalem, invidia & „ odio, & iniquitatibus multis, quæ quia per „ omnia longum est enarrare, ad ostendendam „ Romanam electionem (42), & causam discor„ diæ declarandam propositum convertemus.

„ Domino igitur Papa Adriano felicis me„ moriæ, primâ vigiliâ Kalend. Septembris „ viam universæ carnis ingresso, convênit „ illico maxima multitudo, cum quibus & „ Senatores affuerunt, quorum consilio cor„ pus Romam delatum est. Inter Cardinales „ verò contentione crescente, convênit tan„ dem inter eos ut Romam redirent, & con„ cordem electionem facerent de aliquo Car„ dinalium. Quod si non possent, quærerent „ extraneam personam. Quòd si nec sic pos„ sent convenire, ab electione quiescerent, „ donec invenirent idoneum virum, quem „ concorditer eligere deberent. Et hoc una„ nimiter ab omnibus confirmatum est. Post „ hoc autem statim Romam redierunt, Do„ minus Octavianus, & quidam alii acces„ serunt ad obsequium defuncti. Quidam „ verò alii præmiserunt auctorem scelerum „ Bosonem primogenitum Satanæ, ut muni„ tionem Beati Petri occuparet, cujus custo„ des fidelitatem ei juraverant. Domino Papa „ Adriano vivente, eumque postea subsequen„ tes eandem munitionem conscenderunt. Do„ minus autem Tusculanus palatium ascendit. „ Dominus Octavianus, & Dominus Rolandus „ Cancellarius ad domos nostras venerunt, & „ quidam alii. Vocati autem isti ab illis qui „ munitionem observabant, responderunt, se „ nunquam ascensuros in munitionem: Boso„ nem verentes, ne sicut eis relatum fuerat, „ à juratis Bosonis caperentur. Et Dominus „ Cancellarius: *Vadam*, inquit, *& eos ad vos descendere faciam*. Ivit cum eo Diaco„ nus de carcere, nec redierunt, & sic per „ biduum de loco ubi electionem facerent, „ convenire nequiverunt.

„ Tandem die Sabbati descendentibus illis „ de munitione, ascenderunt omnes post Al„ tare Beati Petri, & cœperunt de electione „ tractare. Cùmque convenire non possent, „ dixerunt isti qui concordiam & pacem Ec„ clesiæ desiderabant: *Date nobis electionem, & eligemus unum de vobis, aut habeatis vos electionem, & eligite quem vultis de nobis unum*: & noluerunt. Surrexit tandem velut „ iratus Otto Diaconus S. Georgii, & Ade„ bal-

(40) C. MS. suam nec scientem nec sentientem.
(41) C. MS. suffunduntur.
(42) C. MS. Romani Pontificis electionem.

„ baldus Crassus Cardinalis SS. Apostolorum, „ & Joannes Neapolitanus, & accepto man- „ to voluerunt immantare Dominum Rolan- „ dum Cancellarium, sed saniore & meliori „ parte Cardinales ex parte Dei omnipotentis, „ & Beatorum Principum Apostolorum Petri „ & Pauli, atque totius Ecclesiæ auctoritate „ prohibente, non potuerunt. Facta autem „ hac prohibitione, iterum eum immantare „ attentaverunt, nec potuerunt, & Cancel- „ larium cum manto nullo modo tetigerunt: „ per eos tamen non stetit quin immantare- „ tur. Cæterùm Clerus Romanus, qui in Ec- „ clesia Beati Petri pro electione Summi Pon- „ tificis convenerat, audito clamore, cucur- „ rerunt, circumdantes Dominum Ottonem, „ qui erat cum Cardinalibus juxta Altare „ Beati Petri, & clamaverunt omnes dicen- „ tes: *Dominum Octavianum eligite, per quem solum Ecclesia pacem potest habere*. Tunc „ petitione populi Romani, & electione to- „ tius Cleri, consentiente & desiderante uni- „ verso Capitulo Basilicæ Beati Petri, Domi- „ nus Octavianus Cardinalis à saniori parte „ Cardinalium electus est, & manto indutus, „ ac in Sede Beati Petri positus, absque omni „ contradictione, cantantibus omnibus *Te Deum laudamus* in jubilo. Deinde, sicut „ mos est, Domini Cardinales, & Clerus Ro- „ manus totus, qui præsens erat, & qui po- „ stea confluxerat, populique Romani pars „ maxima pedes ejus osculati sunt. Quod vi- „ dens Dominus Rolandus Cancellarius, & „ qui ei, sicut dicebatur, juramento erant „ astricti, nec clamaverunt, nec aliquo modo „ contradixerunt, sed inclinato capite redeun- „ tes, munitionem quasi spe sua frustrati con- „ scenderunt. Tunc Domini Cardinales, Cle- „ rus, Judices, Scriniarii, Senatores, popu- „ lus Romanus Dominum electum signis ban- „ donis præcedentibus, ad palatium usque „ cum jucunditate perduxerunt, Romano „ more clamantes: *Papa Victore S. Pietro l'elegge* (43). In crastinum autem quidam „ de Clero Romano ascenderunt munitionem, „ & osculata manu Domini Cancellarii, cœ- „ perunt eum, & qui cum eo erant, rogare, „ ut paci Ecclesiæ provideret. Quidam autem „ de Diaconis Curiæ respondit eis velut indi- „ gnans: *Heri pedes Domini Octaviani, qui fratrem suum Dominum Cancellarium exuit manto, & se induit, estis osculati, & modò venitis ad nos?* Et Dominus Cancellarius; *Noli*, ait, *Domine Cardinalis, dicere quod verum non est. Dominus Octavianus nunquam exuit me manto, quia nunquam indutus fui*. Sicque per totam hebdomadam il- „ lam Domino Cancellario & suis in Ecclesia „ Beati Petri morantibus, nono die descen- „ dentes trans Tyberim, eo die & altero „ commorantes XI. exierunt, & pervenerunt „ ad cisternam Neronis, in qua latuit Nero „ fugiens Romanos insequentes. Justè cister- „ nam adierunt, quia dereliquerunt fontem „ aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas: ci- „ sternas dissipatas, quæ continere non valent „ aquas. Et ibi die altero, qui duodecimus „ erat ab electione Domini Victoris, indue- „ runt Cancellarium stolam & pallium erro- „ ris, in destructionem & confusionem Eccle- „ siæ, ibique primùm cantabant *Te Deum laudamus*. Quis vestrûm o Sanctissimi Pa- „ tres audivit talia? Quantum in eis est, bi- „ ceps hodie facta est Romana Ecclesia. „ Nunc tacendum nobis est, ut Dominus „ Otto Palatinus Comes, & Dominus Guido „ Comes de Blanderata, & Dominus Heri- „ bertus Præpositus, viri prudentissimi, Impe- „ ratoriæ Majestatis Legati, vicem accipiant „ referendi quid in Domino Cancellario & „ suis repererint. Qui cùm nota retulerint, „ Domini Episcopi, Domini Imperatoris Le- „ gati, quid hinc inde humilitatis & veritatis „ cognoverint, pleniùs poterunt enodare. In „ Urbe quoque cùm Romanus Clerus ad Ec- „ clesiam Beati Petri, ipsis præsentibus con- „ veniret, quid de facto isto persenserint, „ quoniam præsentes esse credimus, referant „ ipsi, & ad hoc comprobandum duos de fra- „ tribus nostris Petrum Christianum Ecclesiæ „ nostræ Decanum, & Petrum Guidonis Ca- „ merarium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Sub- „ diaconum, Sanctitati Vestræ transmittimus, „ ut de his omnibus veritatis testimonium „ etiam viva voce perhibeant. In Cœna Do- „ mini estis, in qua redemptionis humanæ Sa- „ cramenta peregit. Duos gladios Apostoli „ se habere professi sunt, quos & vos habe- „ tis, quid in eis, & per eos agere debeatis, „ nullus vestrûm ignorat. Ibi dictum est à „ Christo, *Satìs est*. Et nos qui Chisti vesti- „ gia sequi debemus, vobis Dominis nostris „ dicimus, huic operi finem facientes, *Satis est*. Omnipotentis Sapientia Patris, qui no- „ vit & potest unire vota & voluntates om- „ nium, doceat vos omnes, & uniat ad con- „ fusionem Babylonicam destruendam, & simo- „ niam de Ecclesia propellendam, & pacem „ toti mundo desiderabilem in integrum re- „ formandam.

CAP. LXVII.

Actio Concilii verbis simplicibus posita.

ACtio Concilii, quæ verbis simplicibus in scriptum redacta, item ponenda videbatur.

Hæc sunt Capitula, quæ in Concilio Papiæ super electionem Domini Papæ Victoris canonicè probata sunt. Dominus Octavianus, & nemo alius, Romæ in Ecclesia Beati Petri, petitione Populi & consensu, ac desiderio Cleri, à Cardinalibus manto (44) *indutus est solenniter, & præsente Cancellario, & non contradicente, in Cathedra Beati Petri collocatus est, & à Cardinalibus, & Clero Romano* Te Deum laudamus *solenniter ei cantatum est, & nomen ei Victor impositum est. Ibi multitudo Cleri & Populi Romani vénit ad pedes ejus. Tunc Scriniarius secundùm antiquam Romanorum consuetudinem ascendens in altum, voce magna clamavit ad Populum dicens: Audite Cives Romani, & cœtus Reipublicæ. Secundá feriá Pater noster Adrianus mortuus est, & proximo sequenti Sabbato Dominus Octavianus Cardinalis S. Cæciliæ in Romanum Pontificem electus & immantatus est, & in Cathedra Beati Petri collocatus est, & Papa Victor est nominatus:* Placet vobis? *Respondit magna voce Clerus & Populus:* Placet. *Secunda & tertia vice interrogatus Populus si placeret, cla-*

(43) C. MS. Papa Victore Sancto Petru lo lege.

(44) C. MS. ac Cardinalium manto solenniter est indutus.

clara voce respondit: Placet. *Deinde cum bandis, & aliis Papalibus insignibus Dominus Papa cum laudibus in Palatium deductus est.*

His itaque ritè peractis, Capitulum Beati Petri statim venit ad pedes ejusdem Papæ Victoris, & obedivit, ac debitam ei reverentiam exhibuit, Clerus, & Populus, multitudo magna similiter obedivit. Sequenti verò die proxima Rectores Cleri Romani accedentes ad Dominum Cancellarium, & ad Cardinales, qui cum eo erant, voluerunt cognoscere si immantatus esset, sicut quidam dicebant: & non invenerunt eum immantatum, neque aliqua specie dignitatis variatum: & habito cum eo & Cardinalibus suis colloquio, cognoverunt ab ore ejus, & suorum, quòd nunquam fuerit immantatus, & quòd hoc ei falsò imponebatur. Quo audito & cognito, Rectores ad pedes Domini Papæ Victoris venerunt, & obedientiam, & reverentiam exhibuerunt. De omnibus supradictis Capitulis testes fuerunt, Petrus Christianus Decanus Basilicæ Beati Petri, & omnes fratres ejus, & duo Rectores Cleri Romani, Blasius scilicet Presbyter, & Manerius Presbyter, & septem Archipresbyteri Romanæ Urbis, & quatuor alii tam Diaconi, quàm Subdiaconi.

Deinde Prior Lateranensis, & sui Canonici obedierunt.

Clerici de Patriarchia S. Mariæ Majoris obedierunt.

Abbas de Patriarchia S. Pauli per suos Nuntios obedivit, & in signum obedientiæ de bonis Ecclesiæ suæ illi misit.

Abbas de Patriarchia S. Laurentii cum suis Monachis obedivit.

Abbas Cirengii obedivit.

Abbas S. Sylvestri cum suis Monachis obedivit.

Abbas S. Alexii in monte Aventino cum suis Monachis obedivit.

Abbas S. Blasii cum suis Monachis obedivit.

Conventus S. Sabeæ obedivit.

Conventus Sanctæ Mariæ in Capitolio obedivit.

Conventus Monachorum SS. Cosmæ & Damiani obedivit.

Abbas S. Valentini obedivit.

Magister fratrum Templi Hierosolymitani in monte Aventino cum suis fratribus obedivit.

Cardinalia S. Marcelli obedivit.

Clerici de Cardinalia Sanctorum Apostolorum obediverunt.

Clerici de Cardinalia S. Petri ad vincula obediverunt.

Clerici de Cardinalia S. Sylvestri obediverunt.

Clerici de Cardinalia S. Sixti obediverunt.

Clerici de Cardinalia Sanctæ Sabinæ obediverunt.

Clerici de Cardinalia Sanctæ Sabilinæ obediverunt.

Cardinalia S. Ciriaci apud thermas Diocletiani obedivit.

Clerici de Cardinalia Sanctæ Mariæ trans Tyberim obediverunt.

Clerici de Cardinalia Sanctæ Mariæ in porticu obediverunt.

Clerici de Cardinalia S. Nicolai in carcere obediverunt.

Monasterium Sanctæ Agathæ obedivit.

Archipresbyter S. Apollinaris obedivit.

Archipresbyter S. Triphi obedivit.

Archipresbyter S. Bartholomæi obedivit.

Ecclesia S. Celsi obedivit.

Ecclesia Sanctæ Mariæ in Monasterio obedivit.

Ecclesia Sanctæ Mariæ in Palaria obedivit.

Ecclesia S. Salvatoris de Curte obedivit.

Archipresbyter S. Vincentii cum suis obedivit.

Archipresbyter Sanctæ Katharinæ cum suis obedivit.

Archipresbyter S. Thomæ de Parione obedivit.

Archipresbyter Sanctæ Anastasiæ cum suis obedivit.

Archipresbyter S. Salvatoris de Campo cum suis obedivit.

Archipresbyter Sanctæ Mariæ in Monte-celso cum suis obedivit.

Et multæ aliæ Ecclesiæ & Monasteria obedierunt, quas vix enumerare valemus.

Post promotionem Domini Victoris, Canonici Beati Petri miserunt ad Rolandum Cancellarium Canonicos suos, qui viderent an esset immantatus, sicut quidam credebant, aut aliquo modo promotus. Unde bis missi inquisitores, bis retulerunt eum non esse immantatum, nec aliqua promotionis specie variatum. Sequenti verò die, ut omnis dubitatio tolleretur, miserunt Canonici quosdam de suis, ut mensæ (45) *Cardinalium qui intererant, interessent, & viderent si saltem in mensa locum digniorem solito obtineret, aut etiam benedicendo mensam primus esset, vel aliquo modo inter Cardinales loco, vel dignitate, seu veste dignior haberetur. In quibus omnibus nullo modo senserunt eum promotum, vel mutatum. Atque in hunc modum perscrutati sunt Canonici statum Cancellarii per singulos continuos octo dies.*

Basso & Joannes de Romano dicunt: Postquam Cancellarius, sedente Domino Victore in cathedra, in munitionem se recepit, Joannes Phizutus Clericus, & Joannes de Buccalata laicus voluerunt immantare Cancellarium, qui cum injuria repulit eos dicens: De me non facietis ridiculum, ibi est Papa: ite ad eum, & obedite ei.

Presbyter Blasius, & Presbyter Manerius Rectores Romani, dicunt se cum tribus aliis Rectoribus Cleri, sequenti die post promotionem Domini Victoris accessisse ad Cancellarium, & ad omnes Cardinales, qui cum eo erant, & non viderunt eum immantatum, nec aliquo modo promotum: & antequam discessissent, audierunt duabus vicibus ab ore Cancellarii, quòd nec erat, nec fuit immantatus. In præsentia etiam ipsorum Rectorum qui ibi erant, testificatus est Otto Cardinalis de Carcere, quòd Dominus Octavianus nullam violentiam, vel injuriam intulit Cancellario.

Item dixit Otto: Pro nihilo adscribitur hoc (46) Domino Cancellario, quia nullus ei mantum abstulit, quia nunquam habuit. *His omnibus ita peractis & cognitis, Rectores isti iverunt ad Dominum Victorem, & obedientiam ei fecerunt, & præceperunt Clero, ut ei obediret. Quod & factum est.*

Presbyter Barro, & Presbyter Joannes Capellani de Cardinalia Cancellarii, dixerunt, se sequenti die post promotionem Domini Victoris ad

(45) C. MS. ut inde se.

(46) C. MS. hæc injuria.

ad Cancellariam accessisse, & dixisse ad eum sic: Audientes vos esse immantatum gaudebamus, & nunc quia aliter videmus, dolemus. *Qui dixit eis;* Pro me nolite gaudere vel dolere, quia ego nec fui, nec sum immantatus: ite & obedite ei, quem videtis immantatum. *Hæc verba taliter ab ore Cancellarii processisse commisit Presbyter Barro, & Presbyter Joannes, quibusdam ex nostris Clericis præsentibus, ut jurent in animabus eorum ita verum esse.*

Clerici de Cardinalia S. Chrysogoni dixerunt, se sequenti die post promotionem Domini Victoris accessisse ad Cardinalem suum, qui erat cum Cancellario, & interrogasse eum dicentes: Omnes Clerici vadunt ad pedes Domini Papæ, quid faciemus & nos? *Qui respondit:* Ite ad eum sicut alii.

Multi ex nostris dicunt vidisse Cancellarium undecimo die ab Urbe exisse, sinè manto, sinè stola, sinè albo equo, & sinè omni habitus munitione (47), cum pellibus nigro pallio coopertis, & cum nigro almutio usque ad Cisternam.

Joannes de Romano dicit: audivisse Joannem Neapolitanum, & Bonandiem, & quosdam alios Cardinales dicentes apud Cisternam: Quoniam modò sumus sinè pastore, & sinè capite, faciamus nobis Dominum: *& postea immantaverunt eum, & cantaverunt ei* Te Deum laudamus *apud Cisternam.*

Joannes de S. Stephano, & Wolferaminus dicunt, se audivisse, quòd Papa Adrianus dixit ad eos cùm de Urbe exiret: Octavianus, *inquit*, quem ego misi in Longobardiam, vult excommunicare Mediolanenses; sed ego mandavi Mediolanensibus, ut non curent de eo, sed fortiter se habeant, tam ipsi quàm Brixienses, contra Imperatorem: & ego cum eis disposui, quòd Imperator propter eorum impedimenta non poterit Romam venire. Item etiam cum Cardinalibus ita disposui, quòd Octavianus non erit Papa post mortem meam.

Gimundus & Wolferaminus dicunt, se audivisse ab ore Episcopi Sabinensis, quòd libenter rediret ad Dominum Victorem: sed ita adjuratione est astrictus, quòd sinè perjurio non potest.

Episcopus Aletrinus in præsentia Domini Guidonis Cremensis Cardinalis, & Gimundi, & Joannis Cajetani, & aliorum multorum, dixit: Non possum ad Dominum Victorem venire, quia talem securitatem feci Cancellario, & suis apud Anagniam, quòd non possum ad eos venire usque ad Kal. Post Kalend. autem veniam: interim tamen habeo eum pro Domino, & pastore meo. *Itaque Kalend. transactis, cùm infirmitate teneretur, misit Domino Victori obedientiam per Clericum quendam, quem habemus præsentem.*

De omnibus supradictis capitulis testimonium perhibuerunt prædicti Rectores Cleri Romani, & VII. Archipresbyteri supra memorati, & alii multi honesti & religiosi Clerici Romani & Petrus Urbis Præfectus, & Stephanus de Tebaldo, & Stephanus Nortmannus, & Joannes de S. Stephano, & Joannes Cajetanus, & Wolferaminus de Gidocica, & Gimundus de domo Petrileonis, & multi alii illustres Romani & nobilissimi, qui omnibus his interfuerunt, & omnia viderunt, & tractaverunt.

(74) C. MS. mutatione.

CAP. LXVIII.

Qualiter Fridericus ratihabitione confirmavit electionem Victoris, eumque intronizavit.

Confirmato & recepto taliter in Papatu Victore, defertur ad Principem Sacerdotalis Concilii sententia. Qua venerabiliter suscepta & approbata, Victor ad Ecclesiam vocatur, & magna solennitate, & frequentia Cleri ac populi suscipitur, ipsique ut Summo Pontifici, & universali Papæ acclamatur. Divus quoque Imperator consuetam ei reverentiam, sicut Constantinus Beato Sylvestro humiliter pro foribus Ecclesiæ exhibuit: & manu ejus accepta usque ad sedem deduxit, & intronizavit. De reliquis quæ ibidem acta sunt exemplaria literarum subnotata consule.

CAP. LXIX.

Epistola Imperatoris super his directa.

Fridericus Dei gratiâ Romanorum Imperator, & semper Augustus, dilectissimo suo Eberhardo venerabili Saltzburgensi Archiepiscopo, & suffraganeis ejus, Alberto Frisingensi Episcopo, Hartmanno Brixinensi, & Romano Gurcensi, totique Provinciæ Saltzburgensi, gratiam suam, & omne bonum.

„ Si sacro Concilio Papiæ (48) interfuissetis, omnia quæ ibidem, vel in Romana Ecclesia facta sunt, oculata fide cognoscere possetis. Ne autem ab his qui pravis delationibus & mendaciis jam ferè totum orbem resperserunt, veritas possit obnubilari, vel vestra sinceritas trahi in contrarium, quantò breviùs possumus, seriem totius rei, sinè aliqua falsitatis commixtione, mera veritate vobis significare dignum duximus. Luce clarius constat, quòd Papa Adriano adhuc vivente, Rolandus Cancellarius, & quidam Cardinales non attendentes illud Dominicum, *Sit sermo vester; est, est; non, non,* (*Matth.* 5.) conspiratione facta cum Wilhelmo Siculo, priùs ab eis excommunicato, & cum cæteris hostibus Imperii, Mediolanensibus, Brixiensibus, Placentinis, ne fortè per mortem Papæ Adriani tam iniqua factio evanesceret, juramenti vinculo invicem sese constrinxerunt, ut defuncto Papa nullus alius ei substitueretur, nisi qui in eadem conspiratione cum eis convenisset. Hac de causa duodecimo die post electionem Domini Victoris Papæ, eo sedente in Sede Beati Petri, jam dicti conspiratores egressi ab Urbe ad Cisternam Neronis, derelinquentes venam aquarum viventium, se contulerunt, & idolum sibi Rolandum Cancellarium erexerunt, dicentes: hunc esse Simonem Petrum, qui Apostolicæ dignitatis apicem tam nefaria invasione attingere præsumebat. Quòd hæc conspiratio facta fuerit, & ille jam dictus Rolandus per eam hoc modo intraverit, non est fictitium, sed religiosis viris ab illo qui facit manifesta consilia cordium, mirabiliter est declaratum. Dum hæc Romæ agerentur, & nos quid super tanto schis-

(48) C. MS. Papiæ celebrato interfuissetis.

„ schismate agendum esset, viros religiosos, Archiepiscopos videlicet & Episcopos consultaremus, supervenerunt, quasi missi à Deo, Tarentasinus Archiepiscopus, Abbas Claravallensis, Abbas Moremundensis, & alii Abbates numero decem, postulantes pacem Mediolanensibus: qui recepto à nobis verbo, dum Mediolanum (49) pro investiganda eorum voluntate redirent (50), acceperunt ab eis tale responsum: *Domini Patres, nos tenemur astricti juramento Domino Papæ & Cardinalibus, quòd non debeamus redire ad gratiam Imperatoris sinè eorum voluntate, & ipsi econtra sinè nostra voluntate nullam pacem facere possunt*. Responderunt eis Abbates: *Vos de cætero non tenemini Domino Papæ, quia mortuus est*, & illi statim subjunxerunt: *Si mortuus est Papa: nos ideo non sumus absoluti: quia nihilominus tenemur Cardinalibus, & ipsi tenentur nobis*. Hæc prædicti Patres Abbates in responsis à Mediolanensibus testificati sunt coram multis religiosis viris. Præter hæc multa experimenta factæ conspirationis per literas in via deprehensas accepimus, sicut Nuntius iste pleniùs vidit, & audivit. Sanè ex Concilio orthodoxorum, sicut alia vice meminimus vobis mandasse, generalem conventum religiosorum Papiæ indiximus, ad quem ambos, qui se dixerunt Romanos Pontifices, non ad judicium seculare, sicut ora mendacium astruunt, sed ad examen Ecclesiæ, per duos venerabiles Episcopos, Verdensem videlicet, & Pragensem, convocavimus. Alter verò, eo quòd puriorem haberet conscientiam, Dominus Victor videlicet, judicio Ecclesiæ ultro se obtulit: altero videlicet Rolando contumaciter renitente & dicente: quia cùm ipse omnes deberet judicare, ipse à nullo vellet judicari. Habito itaque venerabili Concilio, in quo Patriarcha Aquilejensis, & multi Archiepiscopi, & Episcopi religiosi convenerant, per octo continuos dies maxima gravitate, diligentissima examinatione, semota omni laica persona, tractatum est, quis ex duobus Summi Pontificatus apicem de jure deberet obtinere. Post longam itaque deliberationem, quia illa nefandissima conspiratio Deo & Ecclesiæ admodum odibilis, manifestis indiciis non solùm probata, verùm in facie totius Ecclesiæ coram positæ revelata est: & in Domino Victore nihil reprehensibile inventum est, nisi quòd pauciores numero Cardinales omnino à conspiratione illa exortes, eum pro bono pacis inter Regnum & Sacerdotium conciliando, elegerunt: & invocatâ S. Spiritus gratiâ, Ecclesia Dei Rolandum Cancellarium conspiratorem & schismaticum, discordias & lites, & perjuria bona esse evangelizantem, condemnavit, & Dominum Victorem Papam in Patrem spiritalem & universalem Pontificem confirmavit. Quem nos, Ecclesia duce secuti approbamus, & universalis Ecclesiæ Patrem & Rectorem, cooperante divina clementia, fore denunciamus. Hoc itaque factum divinis suffultum præsidiis, & in Apostolica stabilitate supra petram, Christum videlicet, firmiter fundatum, à vestra beatitudine, pro pace totius Ecclesiæ & salute Imperii approbari, & ab omni Ecclesia Vestræ Sanctitati commissa teneri & conservari rogamus, & præoptamus. Data Papiæ, XV. Kalend. Martii.

CAP. LXX.

Epistola præsidentium Concilio hinc inde directa.

REscriptum generale à Synodo præsidentibus per partes mundi directum hoc est:

„ QUia Sedis Apostolicæ turbatio Christianorum animos admodum sauciavit, nos, qui ad resecanda schismata, & pacem Ecclesiæ reformandam Papiæ fuimus congregati, qualitatem causæ, modumque negotii, & Sacri Concilii dispensationem universitati vestræ plenariè duximus intimandam: quatenus per scripta præsentia mera veritate monstrata, auditorum animi falsitatem, quam fortè conceperant, vehementer expellant, & amodo per scripta schismatica non seducantur. Cùm igitur orthodoxorum Papiæ congregatorum universitas in nomine Domini consedisset, causâ per VII. dies continuos, omni remoto seculari judicio, legitimè & canonicè agitatâ, ac diligenter inspectâ, sufficienter & canonicè in conspectu Concilii per testes idoneos est comprobatum, Dominum Papam Victorem, & nullum alium in Basilica Beati Petri à saniori parte Cardinalium, petitione populi, & consensu ac desiderio Cleri fuisse electum, & solenniter immantatum: quòd præsente, & non contradicente Rolando quondam Cancellario, in Cathedra Beati Petri fuerit collocatus, & quòd ibi ei à Cardinalibus & Clero Romano *Te Deum laudamus* gloriosè decantatum, & inde ad palatium cum bandis, & aliis papalibus insignibus est deductus: & Clerus & Populus secundùm consuetudinem interrogatus per Scriniarium, *si placet?* tribus vicibus clara voce respondit, *Placet*. Probatum est etiam, quòd Rolandus XII. die post Domini Victoris promotionem ab Urbe egressus, apud Cisternam, in qua Nero Imperator quondam ab Urbe profugus latitavit, primò est immantatus. Probatum est, quòd in secundo die post promotionem Domini Victoris, Rolandus interrogatus à Rectoribus & Clero Romano, ac Clericis de sua Cardinalia, si Domino Victori esset obediendum, expressè confessus est: se nunquam fuisse immantatum, & expressè dixit: *Ite, & obedite ei, quem immantatum esse videtis*. Super his capitulis fuerunt testes, & sub stola tactis Sacrosanctis Evangeliis juraverunt Dominus Petrus Christianus Decanus Basilicæ Beati Petri, & in persona sua, & omnium fratrum suorum. Juraverunt etiam venerabiles Archipresbyteri, & Rectores Cleri Romani, Blasius & Manerius Presbyteri, Joannes Presbyter Gentilis, Aimeradus Archipresbyter, Berardus Archipresbyter, Joannes Archipresbyter, Benedictus Diaconus, Magister Ptolemæus Archipresbyter, Magister Gerardus & Nicolaus, & alii honesti Clerici Romani. Præterea Petrus illustris

(49) C. MS. Mediolanenses.

(50) C. MS. adirent.

„ ſtris Urbis Præfectus, Stephanus de Thebaldo, Stephanus Normannus, Gimundus de domo Petrileonis, Joannes de Stephano, & alii Principes & Nobiles Romani, qui ad vocationem Sereniſſimi Imperatoris venerant, in conſpectu Concilii ſuper jam dictis capitulis, ex maxima parte, teſtimonium ſimiliter perhibuerunt, & jurare voluerunt. Sed nos quia religioſorum Presbyterorum multorum teſtimonium ſufficiens & abundantiſſimum habebamus, duximus laicis in hac parte parcendum. Deinde venerabiles Epiſcopi Hermannus Verdenſis, Daniel Pragenſis, & Otto Palatinus Comes, & Magiſter Heribertus Præpoſitus, quos Dominus Imperator ex Conſilio XXII. Epiſcoporum, & Ciſtercienſis, & Claravallenſis Abbatum, aliorumque religioſorum tunc præſentium, Romam delegaverat, ut partes ante Concilii præſentiam Papiam evocarent, in conſpectu Concilii teſtimonium perhibuerunt, quòd Rolandum Cancellarium, & partem ejus trinis edictis per intervalla peremptoriè & ſolenniter, ad præſentiam Eccleſiæ Papiæ congregandæ, remoto omni ſeculari juditio, vocaverunt, & quòd Rolandus Cancellarius, & ſui Cardinales viva voce, & ore proprio juditium vel examen aliquod Eccleſiæ ſe nolle recipere manifeſtè dixerunt. Vidimus etiam ſcripta Henrici Piſani Cardinalis ad Dominum Imperatorem directa, in quibus expreſsè continebatur quòd nullum vellent Eccleſiæ ſubire juditium, vel examen. Super hæc omnia idem Henricus, & Otto Cardinalis S. Nicolai de carcere Tulliano, qui tempore Concilii, & ante apud Januam morabantur, & Joannes Anagninus Cardinalis, & Joannes Piozutus S. Romanæ Eccleſiæ Subdiaconi, qui tunc apud Placentiam erant per octo dies, à Concilio toto ſunt expectati, & per literas & Nuntios Concilii ſunt vocati, & contempſerunt venire. Ex his igitur omnibus ſufficienter inſtructi, & veritate hinc inde plenariè declarata, placuit reverendo Concilio, ut electio Domini Victoris, qui tanquam agnus manſuetus & innocens venerat, Eccleſiæ juditium humiliter ſuſcepturus, approbaretur & confirmaretur, & electio Rolandi penitùs caſſaretur. Et factum eſt ita. Electione itaque Domini Victoris, remoto omni ſeculari judicio, Sancti Spiritus gratiâ invocatâ, confirmata atque recepta, Chriſtianiſſimus Imperator poſt omnes Epiſcopos, & poſt omnem clerum ultimus, conſilio & petitione Concilii electionem Domini Victoris recepit, & approbavit: & poſt eum omnes Principes, & innumerabilis hominum multitudo, quæ præſens erat, tribus vicibus interrogata ſi eis placeret, reſpondit cum gaudio magna voce, *Placet*. Sequenti die proxima, ideſt prima ſexta feria Quadrageſimæ, Dominus Victor cum proceſſione ab Eccleſia S. Salvatoris extra civitatem, in qua fuerat ejus hoſpitium, ad Catholicam Eccleſiam glorioſè deductus eſt. Ibi religioſiſſimus Imperator ante januas Eccleſiæ eum ſuſcepit, & deſcendenti de equo ſtrepam humiliter tenuit, & apprehenſum per manum uſque ad Altare conduxit, & pedes ejus eſt oſculatus: & nos omnes Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi & Abbates, & omnes Principes cum univerſa multitudine, quæ præſens erat, pedes Apoſtolicos ſumus oſculati. Proxima autem die ſequenti, ideſt Sabbato, habito generali Concilio, Dominus Papa & nos cum illo, Rolandum Cancellarium ſchiſmaticum, & ejus principales fautores, accenſis candelis anathematizavimus, & tradidimus eum Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini. Illud etiam diſcretionis veſtræ prudentiam volumus non latêre, manifeſtè eſſe deprehenſum quòd Rolandus Cancellarius, & ejus ſequaces quidam Cardinales, vivente adhuc Papa Adriano, conjuraverunt. Fuit autem tenor conjurationis, quòd ſi eis viventibus Papam Adrianum mori contingeret, Cardinalem unum de illis eligerent, qui in eadem conjuratione eſſet aſtrictus. De cætero ex parte Dei omnipotentis, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum & virorum orthodoxorum, qui divino intuitu ad reſcindenda ſchiſmata convenerunt, univerſitatem veſtram humiliter imploramus & monemus in Chriſto, ut ea, quę Eccleſia Dei Papiæ congregata, ad honorem Creatoris & ſponſæ ſuæ matris veſtræ Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ tranquillitatem, & ad ſalutem omnium Chriſtianorum fideliter ordinavit, vos omni dubio & ambiguitate remota, irrefragabiliter rata & firma teneatis: orantes, ut Redemptor noſter Chriſtus Jeſus univerſalem Pontificem & Papam noſtrum Victorem, de cujus Sanctitate & religione omnino confidimus, per tempora longa conſervet, & præſtet ei omnimodam tranquillitatem & pacem, ita quòd per eum Deus omnipotens honoretur, & Eccleſia Romana, omniſque Chriſtiana religio gratum Domino accipiat incrementum. Ut autem omnis actio pleniùs legentibus eluceſcat dignum duximus, ut omnium noſtrûm conſenſus & nomina ſubſcribantur.

„ Ego Peregrinus Aquilejenſis Patriarcha cum meis Suffraganeis interſui, & conſenſi.
„ Ego Arnaldus Archiepiſcopus Moguntinus cum XIV. Suffraganeis interſui & conſenſi.
„ Ego Artuicus Bremenſis Archiepiſcopus cum Suffraganeis meis interſui & conſenſi.
„ Ego Hellinus Treverenſis Archiepiſcopus cum meis Suffraganeis conſenſi.
„ Ego Reinaldus Colonienſis Archiepiſcopus cum meis Suffraganeis conſenſi.
„ Ego WicKmannus Magdeburgenſis Archiepiſcopus cum meis Suffraganeis conſenſi.
„ Bizuntinus Archiepiſcopus per Legatum & Epiſcopum Baſilienſem conſenſit.
„ Arelatenſis Archiepiſcopus conſenſit.
„ Lugdunenſis Archiepiſcopus cum ſuis Suffraganeis conſenſit.
„ Viennenſis Archiepiſcopus cum ſuis Suffraganeis conſenſit.
„ Henricus Rex Anglorum per literas & Legatos ſuos conſenſit.
„ Rex Ungarorum per literas & Legatos ſuos conſenſit.
„ Rex Boëmorum conſenſit.
„ Rex Danorum conſenſit.
„ Guido Electus Ravennas conſenſit.
„ Epiſcopus Firminus conſenſit.
„ Epiſcopus Ferentinus conſenſit.
„ Mantuanus conſenſit.
„ Pergamenſis conſenſit.
„ Faventinus conſenſit.

„ Ab-

„ Abbatum verò & Archipresbyterorum multitudo innumerabilis multorum Regnorum interfuit & consensit.
„ Longobardorum inæstimabilis multitudo interfuit & consensit.
„ Universi ferè Principes Romani Imperii, tam Teutonici, quàm Italici, tam in Urbe, quàm extra Urbem interfuerunt, & assensum cum ingenti desiderio præbuerunt.

CAP. LXXI.

Epistola Babenbergensis Episcopi de eadem re.

Reverendissimo Patri & Domino Eberhardo Saltzburgensis Ecclesiæ Archiepiscopo, Eberhardus Babenbergensis gratiâ Dei si quid est, tam devotum, quàm debitum cum oratione servitium.

„ Convenientibus in unum Papiæ Episcopis circiter L. diuque ventilata quæstione Papatus, cùm dilatio primò penè omnibus complacuisset, usque ad majorem rei notitiam, & aliud generalius Concilium: prævaluit tandem pars Domini Victoris justificata ab altera parte multis modis: quia conjuratio contra Imperium, factum illud præcesserat: quia Domini Victoris immantatio prior, illa posterior, quo solo Innocentius Anacleto prævaluit, cùm Anacletus plures & maximæ scientiæ & auctoritatis haberet electores. Deinde quòd ad hostes Imperii pars illa se transtulerit, obligata Siculo, Mediolanensibus, Brixiensibus, Placentinis, per sacramentum, quod sanæ doctrinæ adversari videtur, & cùm subditos à juramentis fidelitatis debitè absolvat, & servire Imperatori prohibeat quoscunque, & sic discessioni viam præparet, quod pessimum est, sicut opere ipso clarescit, & scriptis undique per Italiam directis tam civitatibus, quàm Episcopis. His malis principiis finem deteriorem promittentibus, perpetuam videlicet discordiam inter Regnum & Sacerdotium, & discessionem ab invicem, dum pars illa cum omni securitate conductûs, nec venire voluisset, nec etiam procuratores pro se mittere ad subeundum judicium, & excipiendam sententiam, Dominum Victorem recipimus, spe pacis & concordiæ inter Regnum & Sacerdotium: longo tamen examine præmisso, de tempore & ordine electionis suæ; de his, qui ejus electioni consenserunt primitus, & postmodum retro abierunt, Cardinalibus numero novem, testificante super his omnibus Capitulo Beati Petri & Clero Romano, scriptis & viva voce Nuntiorum sub jurejurando. Nuntius Regis Francorum promisit pro eo neutrum se recepturum, usque dum Nuntios Imperatoris recipiat. Nuntius Regis Anglorum idem velle, & idem nolle promisit, tam in his, quàm in aliis. Arelatensis, Viennensis, Lugdunensis, Bisuntinus, per literas, & per Nuntios consenserunt. Solus Treverensis de Regno nostro superest in parte illa de numero Archiepiscoporum, qui non consenserit, ejus tamen Suffraganei omnes consenserunt. Usque ad vos solùm perventum est. Angelus magni consilii dirigat vos secundùm beneplacitum suum, & custodiat vos in omnibus viis vestris. Præter hæc Præpositus multa manifestabit vobis, quæ non licet ad præsens homini loqui. Congaudete mihi, qui dimissionem accepi, & ad propria redeo.

CAP. LXXII.

Epistola cujusdam religiosi viri ad Episcopum Saltzburgensem, de eadem re.

Domino suo in Christo Reverendo Eberhardo Saltzburgensi Archiepiscopo, frater Henricus, dictus Præpositus de Berthersgaden, cum devotis orationibus debitæ subjectionis obsequia.

„ Si cuncta, quæ audivimus, & vidimus, scribere deberemus, non chartam, sed volumen facere videremur. Verùm summam eorum, quæ de duorum electione Romanorum Pontificum acta sunt, breviter Paternitati Vestræ notificamus. Curia, quæ in Octavis Epiphaniæ Papiæ fuerat indicta, usque in sextam feriam proximam ante caput Jejunii, quia in destructione Cremæ Dominus Imperator detinebatur, est dilata. In qua considentibus Domino Patriarcha, Archiepiscopis, & diversarum terrarum ferè quinquaginta Episcopis, Legatis quoque Regis Franciæ, & Archiepiscoporum, Arelatensis scilicet, Lugdunensis, Viennensis, Bisuntini, atque Treverensis, & Ravennatis Electi, Cardinales, & Clerici, qui pro parte Victoris aderant, in medium processerunt, & utriusque seriem electionis exposuerunt. Super qua continuis quinque diebus ab Episcopis, & aliis prudentibus viris copiosè disputatum cùm fuisset, sexta tandem die in publico Consistorio electionis Capitula denuo proposita sunt, & singula à Canonicis Ecclesiæ B. Petri, & Rectoribus Romani Cleri, sacramento super Sancta quatuor Evangelia præstito, confirmata. Pars autem altera nec ipsa vênit, nec responsales, qua de causa nescimus, conventui direxit. Recitatæ sunt insuper literæ quamplures bullatæ ab Alexandro, & Cardinalibus, qui cum ipso sunt, Episcopis & civitatibus Longobardiæ directæ, sed à fidelibus Domini Imperatoris captæ, ex quarum tenore machinationes eorum, & molimina contra Imperium patenter sunt deprehensa. Unde quia dilatio non parvum tam Ecclesiæ, quàm Imperio videbatur minari periculum: præsertim quia non erat qui prædictis assertionibus contradiceret (51), cùm utraque nimirum pars non ad Curiæ, sed ad Ecclesiæ fuisset examinationem vocata, Episcopi parti (52) Victoris, quæ ipsum XI. diebus antequam Alexander immantaretur, immantatum fuisse, & in Sede Beati Petri, adversa parte præsente, absque reclamatione sedisse, præstito (ut dictum est) sacramento, probaverat, assensum præbuerunt: & eundem Victorem ut Apostolicum in Ecclesia solenniter suscipientes, solitam ei reverentiam exhibuerunt. Facta sunt hæc Domino Imperatore & fidelibus „ Im-

(51) C. MS. assertionibus & probationibus contradiceret.

(52) τὸ parti *non legitur in MSto.*

„ Imperii annitentibus propter causas memoratas. Quapropter ipsemet eidem confirmato Pontifici, ante fores Ecclesiæ descendenti, consuetum detulit honorem. Secunda verò post hæc die, sæpe jam dictus Dominus Victor, celebrato Synodi officio, alterius partis Principem cum quibusdam suis fautoribus, Episcopis scilicet, Hostiense, & Portuense, eo quòd consecrationis manum eidem præsumpserant imponere, Cardinalibus etiam Henrico Pisano, Joanne Neapolitano, & Jacincto, anathematis vinculo, extinctis candelis innodavit. Excommunicavit autem Henricum Pisanum idcirco quòd mandato ejus Magister Raimundus Cardinalis despoliatus. & atrociter cæsus fuerit. Præpositum etiam Placentinum, quia Dominum Tusculanum armata manu invaserit, & despoliatum multis contumeliis affecerit, simili sententiæ involvit. Wilhelmum præterea Siculum, atque Mediolanenses pro invasionibus Ecclesiarum & Imperii, ad canonicam vocavit satisfactionem. Interfuerunt his omnibus Metropolitani, Dominus Patriarcha, Moguntinus, Coloniensis, Magdeburgensis, Bremensis, cum nonnullis Suffraganeis suis, & maxima pars Episcoporum Longobardiæ, quorum plurimi affectuosum & plenarium prædictæ confirmationi tribuerunt assensum. Dominus verò Patriarcha, & quidam alii, salvâ in posterum Catholicæ Ecclesiæ censurâ, propter memoratas Imperii necessitates obedierunt. Absentes omnes quos prænotavimus Archiepiscopi, pro se & suis Suffraganeis plenariè consenserunt, excepto Treverense, qui cùm iter cepisset, infirmitate præpeditus, excusatorias tantummodo literas direxerat. Præsentes autem ejus Suffraganei Tullensis, & Verdunensis pro se & consuffraganeo suo Metense in integrum spoponderunt. Domini Babenbergensis, Pataviensis, & Ratisponensis Patriarcham sunt imitati. Pro confirmandis omnibus quæ facta sunt, mittuntur Legati, Dominus Coloniensis in Franciam, Verdunensis in Hispaniam, Pragensis in Ungariam. Si interim alia scripta, quorum quædam vidimus, meram de his veritatem minùs continentia, ad manus vestras devenerint, sciat Sanctitas Vestra, quòd ut pro parte potuimus, sinceram de his veritatem significavimus, pleniùs autem præsentes insinuabimus.

CAP. LXXIII.

De Archiepiscopo Saltzburgense, quare tam crebras literas acceperit, & de vita ac moribus ejusdem.

QUare autem tam crebræ literæ Eberhardo Saltzburgensi Archiepiscopo super gestis Concilii directæ sint, hæc fuit causa. Cùm ad Concilium iter cepisset, & jam per Forum-Julii, & per Marchiam Veronensium usque ad civitatem Vicentinorum pervenisset, gravi correptus infirmitate, gradum sistere, domumque redire coactus est. Sanè quum tanti viri fecimus mentionem, de vita & moribus ejus quædam memorabimus, quæ quamvis ut lucerna super candelabrum posita, in domo nostræ Provinciæ clarissimè luceret, ab his tamen, qui longè positi sunt, invida bonis fama difficiliùs subtrahet, si scribendo celebretur. Erat autem idem Vir venerabilis, ætate maturus, Sacræ paginæ literis decentissimè instructus, fide præcipuus, religione singularis, humanitate & pietate adeò communis, ut verè dicere posset: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem*. In largitionibus liberalis, in eleemosynis & suscipiendis peregrinis studiosus in tantum, ut sumptus in obsequium pauperum Monasteriorum & peregrinorum quotidie expensus, non solùm palatio suo, verùm etiam toti Episcopio videretur onerosus. Ipse tamen hujusmodi pondere minimè gravabatur, cùm hæc incommoda bonæ famæ, quam ipse tamen minimè affectabat, & æternæ retributionis mercede compensaret. Pauperum squallores minimè abhorrebat, à leprosis se tangi & contrectari passus est, quin etiam ipse eos interdum tangere, manusque eorum osculari non verebatur. Nec sufficere credidit, si in ministerio pauperum famulorum uteretur officiis, nisi ipsemet habitu succinctus, manibus suis interdum cibum apponeret, poculum porrigeret, aquam non solùm lavandis manibus, sed & pedibus infunderet. Cùmque non solùm in verbo perfectam doctrinam, verùm etiam in opere consummatæ disciplinæ præberet exemplum, meritò de eo dicebatur quod olim de quodam Sanctorum: *Quia hic est, qui quale habet verbum, talem habet vitam: & qualem habet vitam, tale habet verbum, quomodoque docet, agit: & quæ agit, hæc docet*. His & aliis plurimis virtutibus, & divinæ gratiæ donis, plures quidem ad sui imitationem, universorum autem ad dilectionem sui provocarat affectum. Sed hæc hactenus.

CAP. LXXIV.

De Legatis ad Græciam destinatis.

COmpositis ita rebus & gestis Concilii, missis quoque Legatis, ut supra dictum est, ad Reges, Hispaniæ, Angliæ, Franciæ, Daciæ, Boëmiæ & Ungariæ: ad Imperatorem quoque Græcorum Manuel Nuntios dirigit, videlicet Henricium Ducem Carentanum, fortem & exercitatum in bellicis consiliis virum, & Henricum Sacri Palatii Notarium (53), omnique probitate & industria præditum, ac Neimerium filium Petri Polani Ducis Venetorum, jamdudum in captivitate sua tentum, sed absolutum, responsa portantes (ut dicebatur) super petitione Constantinopolitani Principis de Pentapoleos maritimis in Apulia, & quibusdam secretioribus consultationibus contra Wilhelmum, Rogerii Siculi filium, & in Regno successorem. Cernens autem totam Longobardiam continuis duorum annorum expeditionibus graviter attritam (54), cùm exercitus in crebris contra hostes excursibus, & rapinis, nec etiam amicis parcere potuisset, paulisper terram ipsam quiescere & respirare (55) utile judicavit, donec receptâ culturâ novas futuro anno calamitates sustinere, novumque faciliùs & recipere & enutrire posset exercitum.

CAP.

(53) C. MS. Pronotarium.
(54) C. MS. gravatam.
(55) C. MS. respirare.

CAP. LXXV.

Quòd Imperator iterum Principes abire permiserit.

ITaque dimissurus exercitum, advocans ad se Proceres, & de militia meliores, magnam illis ait se habere gratiam pro benevolentia & fidelitate, qua erga se utendo perseverassent. Laudabat etiam in unoquoque bonos mores, & fortitudinem, quam prœliando in multis magnisque periculis monstrasset; quòd eos neque hostium multitudo, nec magnitudines civitatum, vel audacia inconsulta, & immanitates efferæ adversantium, à consueta animi virtute terruissent. Magnam quoque hujus rei sibi fore diligentiam, quòd debitis præmiis & honoribus virtutes eorum vellet honorare, qui militiæ socii fuissent, nec ullum eorum, qui plus aliis laborasset, justa vicissitudine cariturum. Eos etiam quos noverat fortiter aliquid & egregium in bello fecisse, nominatim singulos appellans conlaudabat. Deinde aurum & argentum, vasa ex argento & auro facta, itemque vestes pretiosas, beneficia feudorum, aliaque donaria largiter & regaliter distribuebat. Omnibus autem hoc modo exhilaratis & donatis, ut quisque se meritum præbuerat, votis, & laudibus cum magno favore ab universo exercitu factis, quò quemque conveniret, dimittit: ipse verò cum paucis in Italia remansit. Quia verò hujus Operis libellos numerum Evangelicum excedere non proposuimus, priusquam huic quarto Volumini terminum demus, ex quo actus & gesta bellorum Serenissimi Principis summatim perstrinximus, mores quoque, cæterasque vitæ illius partes & studia circa Regni administrationem paulisper prosequamur.

CAP. LXXVI.

De forma & moribus Friderici, & ejus variis ædificiis.

IGitur divus Augustus Fridericus, ut de Theodorico quidam scribit, & moribus & forma talis est, ut & illis dignus sit agnosci, qui eum minùs familiariter intuentur. Ita personam suam Deus arbiter & ratio naturæ, consummatæ felicitatis dote sociata cumularunt. Moribus hujuscemodi: ut laudibus eorum nihil, ne Imperii quidem fraudet invidia. Forma corporis decenter exacta: statura longissimis brevior, procerior eminentiorque mediocribus: flava cæsaries, paululum à vertice frontis crispata. Aures vix superjacentibus crinibus operiuntur, tonsore pro reverentia Imperii pilos capitis & genarum, assidua succisione curante. Orbes oculorum acuti & perspicaces, nasus venustus, barba subrufa, labra subtilia, nec dilatati oris angulis ampliata, totaque facies læta & hilaris. Dentium series ordinata, niveum colorem repræsentant. Gutturis & colli non obesi, sed parumper succulenti, lactea cutis, & quæ juvenili rubore suffundatur, eumq; illi crebro colore non ira, sed verecundia facit. Humeri paulisper prominentes. In succinctis ilibus vigor. Crura suris fulta turgentibus, honorabilia, & bene mascula. Incessus firmus & constans, vox clara, totaque corporis habitudo virilis. Tali corporis forma plurima & dignitas, & auctoritas tam stanti quàm sedenti acquiritur. Valetudine satis prospera, præter quòd interdum febre ephemera corripitur. Bellorum amator, sed ut per ea pax acquiratur. Ipse manu promptus, consilio validissimus, supplicantibus exorabilis, propitius in fide receptis. Si actionem diuturnam forinsecus perquiras, antelucanos Basilicarum & Sacerdotum suorum cœtus, aut solus, aut minimo comitatu expetit, eosque tam grandi sedulitate veneratur, ut omnibus Italis erga Episcopos & Cleros servandi honorem & reverentiam, ipse formam & exemplum tribuerit. Officiis divinis tantam præbet venerationem, ut omnem horam, qua coram ipso Deo psallitur, competenti veneretur silentio, nec ullus interim eum audeat de quolibet sollicitare negotio. Peractis votis, & post Missarum solennia, Divinis consignatus Reliquiis manè reliquum curæ Regni administrandi deputat. Si venationibus exercetur, in equis, in canibus, accipitribus, cæterisque ejus generis avibus, instituendis, spectandis, circumferendis, nulli secundus. In birsando ipsemet arcum tendit, spicula capit, implet, expellit. Eligis quod feriat, quod elegeris ferit. In convivio talis disciplina: abundantia regia, ut nec sobrietas temulentiam, nec fames frugalitatem possit incusare. Cùm ludendum est, regiam tantisper sequestrat severitatem: ejusque temperamenti est, ut sit remissio non minans, austeritas non cruentans. Erga familiares suos in proferendo alloquio non minax, nec in admittendo consilio spernax, nec in reatu investigando persequax. Scripturas & antiquorum gesta sedulò perquirit. Eleemosynas in ministerio pauperum plerumque ipse manu sua distribuit. Pecuniarum suarum decimam Ecclesiis & Monasteriis fideliter dividit. In patria lingua admodum facundus, Latinam verò meliùs intelligere potest quàm pronunciare. Vestitu patrio utitur, nec profuso, aut petulanti, sed nec plebejo: cui magis hoc decorum, ut in castris suis potiùs Martis pompa radiet quàm Veneris. Qui cùm in ampliando Regno, & subigendis gentibus tantus existat, ut in prædictis occupationibus assiduè versetur, opera tamen plurima ad Regni decorem & commoditatem pertinentia, diversis in locis inchoavit, quædam etiam consummavit, & maximam providentiæ partem obsequio pietatis impendit. Palatia siquidem à Carolo magno quondam pulcherrima fabricata, & Regias clarissimo opere decoratas, apud Noviomagum, juxta villam Inglinheim, opera quidem fortissima, sed jam tam neglectu quàm vetustate fessa, decentissimè reparavit, & in eis maximam innatam sibi animi magnitudinem demonstravit. Apud Lutra domum regalem ex rubris lapidibus fabricatam non minori munificentia accuravit. Etenim ex una parte muro fortissimo eam amplexus est, aliam partem piscina ad instar lacus circumfluit, piscium & altilium in se continens omne delectamentum, ad pascendum tam visum, quàm gustum. Hortum quoque habet contiguum, cervorum & capreolorum copiam nutrientem. Quorum omnium regalis magnificentia, & major dictu copia operæ pretium spectantibus exhibet. In Italia quoque apud Modoicium, Laudam, & in aliis locis ac civitatibus, in renovandis palatiis, ædibusque sacris, tantam liberalitatis magnificentiam declaravit, ut totum Imperium tanti Impera-

peratoris & munere & memoria in perpetuum fungi non desinat. Reges Hispaniæ, Angliæ, Franciæ, Daciæ, Boëmiæ atque Ungariæ, quamvis suspectam semper ejus haberent potentiam, sibi adeò per amicitiam & societatem devinxit, & ad suam voluntatem sic inclinatos habet (56), ut quoties ad eum literas vel Legatos miserint, sibi cedere auctoritatem imperandi, illis non deesse voluntatem obsequendi denuncient. Imperatorem Constantinopolitanum Manuel, ultro amicitiam & societatem ejus expetentem, cùm sese (57), sicut antecessores sui, Romanorum appellaret Imperatorem, flexit, ut se non Romæ, sed Neoromæ vocet Imperatorem. Et ne multis morer, toto Regni sui tempore nihil unquam duxit melius, nihil jucundius, quàm ut Imperium Urbis Romæ sua opera, suoque labore pristina polleret & vigeret auctoritate.

Hæc à glorioso Principe acta sunt usque ad præsentem annum, qui ab Incarnatione Domini millesimus centesimus sexagesimus, Regni autem ejus septimus, Imperii quintus numeratur, multa adhuc in Regni gubernaculis feliciter acturo, tandemque apud Regem Regum cum piissimis Principibus æterna percepturo præmia meritorum.

(56) C. MS. inclinavit.

(57) C. MS. eum sese.

EPILOGUS OPERIS.

Hos de latissimis gestorum tuorum pratis, Augustorum optime, tam dilectus patruus tuus Otto Episcopus, quàm nostræ humilitatis diligentia flores legit, unde hujus Opusculi coronam texeremus: plura quæ de te sciuntur & referuntur, peritioribus & magìs domesticis relinquentes. Quæ si cuiquam invisa fuerint, aut ea despicabilia judicaverint, nos tamen obedientiæ nostræ fructus consolabitur, qua præcipienti paruimus. De qualitate autem Operis, vos dilectissimi Domini mei videritis, quos in hoc Opere arbitros elegimus, & correctores. Vobis enim adjudicandum erit quod editis: per vos judicandum quod delendum duxeritis.

Finis librorum Radevici de Gestis Friderici Imp. Augusti.

OTTONIS
DE SANCTO BLASIO
CHRONICON,

QUOD ET APPENDIX AD LIBROS

OTTONIS

FRISINGENSIS EPISCOPI,

EJUSQUE CONTINUATORIS

RADEVICI

DE REBUS GESTIS

FRIDERICI I. IMP. AUG.

Ad Annum uſque MCCIX. continuata,

AD FIDEM MANUSCRIPTI CODICIS

BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS

Nunc primùm caſtigatum.

IN OTTONIS DE SANCTO BLASIO CRONICON

MONITUM

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

POst Ottonem Frisingensem & Radevicum, praestantissimos Germanicae gentis Historicos, libuit mihi in Italicarum rerum supplementum adsciscere etiam breve Chronicon *Ottonis de Sancto Blasio*, quod ipse tamquam Appendicem scripsit ad Chronicon latius supra memorati Frisingensis. Constitit ad Annum 1160. Radevici Historia. Igitur ope Sanblasianae Appendicis habebis ad reliquos annos facem aliquam, quum ab Anno 1146. alter hic Otto narrationem suam deduxerit usque ad Annum 1209. Quae vero pauca de Alemannico isto Scriptore dicenda forent, accipies e Praefatione Urstisii, qui primus edidit.

Atque heic grates mihi agendae, & quidem totius Reipublicae Literariae verbis, Augustissimo Caesari CAROLO VI. quod liberalissime indulserit, ut cum Codice MSto optimae notae, quem amplissima Bibliotheca Caesarea Vindobonensis adservat, hoc etiam Chronicon conferretur, atque inde Variantes Lectiones depromerentur. Qua in re patrocinium ac operam suam pro sua humanitate mihi impertitus est Eruditissimus multisque nominibus summe commendandus Vir Pius Nicolaus Garellius, Eques Ordinis Christi, Consiliarius, & Archiatrus Caesareus, ac supralaudatae Imperiali Vindobonensi Bibliothecae Praefectus. Quod ergo subsidii ad hanc editionem felicius instruendam parare mihi potui, in subjectis Variis Lectionibus patebit.

DE CHRONICI OTTONIANI
APPENDICE
CHRISTIANI URSTISII
JUDICIUM.

ABsoluto præsenti historicorum syntagmate, sic ut nihil obstare videretur, quo minùs illud, urgentibus Typographis, officinæ committi posset: ecce vetusti duo Codices Ottonis Frisingensis, in membranas descripti, ad me perferuntur, quos è majoris templi Tigurini Bibliotheca Clar. Theologus, D. Lodovicus Lavaterus, amicus singularis, petenti mihi φιλοφρόνως *communicavit, ut eos cum editis exemplaribus, Pythœano præsertim, conferre possem. In eorum altero, & quidem vetustioris capite adnotatum erat, librum eum duarum marcarum pretio æstimatum à quodam M. Andrea Sanpetrino ejusdem urbis pastore, prædictæ Ecclesiæ Canonicis, anno* τῆ θεανθρώπου *1280. dono datum esse: è quo (ut videtur) cœnobita quispiam familiæ Dominicanæ, domus Tigurinæ, alterum postea transcripserat. Collatis iis ad Ottonem editum, deprehendi, excusum manuscriptis pleniorem & emendatiorem: non tamen sinè diversitate, maximè quo ad capitum distinctionem & seriem, inprimis libro septimo. Codices enim Tigurini 15. & 16. similiter 22. & 23. item 24. 25. 26. 27. capita libri prædicti Ottonis impressi, in singula conducebant: postremum autem, de Religiosorum ordinibus, penitùs omittebant. Præterea in iisdem caput vicesimum nonum tricesimo primo subjiciebatur: denique in 31. 32. 33. 34. capitibus, nonnihil varia lectio conspiciebatur. At enim cùm in Pithœano (ut dixi) pleniora essent omnia nihil immutare visum est. Sequentia autem, appendicis scilicet capita, etsi sinè ulla vel novi auctoris mentione, vel transitionis aut* ὑπογραφίας *nota præcedentibus subjuncta, librum octavum Chronici antecederent, quo nomine diutiùs latuisse, ipsosque etiam possessores fefellisse videntur: ab Ottonis tamen Episcopi contextu separare libuit, quòd certum sit, ea ab alio quopiam interserta esse. In iis enim rerum per orbem gestarum, ac inprimis Cæsarum historia, usque ad annum salutis 1209. quinquaginta quatuor annis post Frisingensis Episcopi mortem, deducitur.*

Cogitanti autem mihi de Supplementi Auctore, dubium protinus incidit, de Ottone à Sancto Blasio, quem illustris Frisingæ Præsulis Chronicon continuasse, & circa annum 1190. floruisse, pridem legeram & audieram. Dumque ignoti vestigatione pergo, ac è contextu quasdam optatæ rei notas eruere conor, occurrêre nonnullæ conjectationem meam verisimilem reddentes, nempe, quòd Appendicis πλαστουργὸν*, illorum temporum, quorum historias tractat, æqualem, & patria Alemannum seu Suevum fuisse, perspicuè colligere poteram. Iis verò ad certi hominis* σημείωσιν *neutiquam sufficientibus: Nauclerus tandem non ignobilis Scriptor, quem multis veteribus libris instructum fuisse constat, omnem hæsitandi scrupulum exemit, libro 2. generatione 39. ubi talia de Hugone Comite Palatino Tubingensi à Guelfone Bavaro in vincula tracto, itemque de victoria Archiepiscopi Moguntini proximè Tusculum à Romanis reportata, iisdem propemodum verbis refert, qualia in hujus Continuationis 19. & 20. capitibus continentur: quas historias non aliunde, quàm à Sanblasiano sumptas esse, Nauclerus disertè testatur. Cujus sanè viri auctoritas, & prædictorum locorum cum præsenti Appendice consensus, de auctore ampliùs dubitare non patiuntur.*

Eundem porrò Sanblasianum & alia quædam elucubrasse, Jo. Heroldum, civem Basiliensem φιλάρχαιον*, testem producere possum, qui in Epistola quadam ad Casparem primum S. Blasii Abbatem scripta, & in neglecta multarum chartarum farragine abs me reperta, sic scribit:* Pervênit ad manus nostras liber, hoc titulo: Ottonis à Sancto Blasio Chronica prima. Libri series omnes sacræ historiæ genealogias, ad Timotheum Titumque Pauli discipulos usque figuris pulchrè distinguit. Opus sanè & elegans & non contemnendum. Exordium ejus sic sonat: Considerans Historiæ sacræ prolixitatem, necnon & difficultatem.

Est autem S. Blasius insigne Monasterium ordinis Benedictini, proximè Albam fluvium Hercyniæ sylvæ, in diœcesi Constantiensi, sub Ottone Magno Imperatore inchoatum: è quo cùm fortè præsens scriptor prodierit, Sanblasianus dici voluit.

OTTONIS DE SANCTO BLASIO CHRONICON

AB ANNO MCXLVI. USQUE AD ANNUM MCCIX.

CAPUT PRIMUM.

ANno Dominicæ Incar. MCXLVI. Summus Pontifex Eugenius Ecclesiæ Transmarinæ paternè condolens, multos ad Hierosolymitanum iter accendit, ac venerabili Bernhardo Claraevallensi Abbati onere prædicationis vice sui imposito, ex omnibus mundi partibus Cismarinis innumerabilem exercitum coadunavit. Venerabilis itaque Pater Bernhardus inductus virtute Spiritus ex alto, ad injunctum sibi prædicationis officium non segniter accingitur, virtuteque verbi, omni gladio ancipiti penetrabiliori, miraculorum comitante incomparabili gloria, totam Galliam & Germaniam peragravit, & ad expeditionem Transmarinam innumerabiles accendit.

CAP. II.

ANno Dominicæ Incarnationis MCXLVII. Conradus Rex mortuo fratre suo Friderico Suevorum Duce, filio ejusdem nomini Ducatum concessit, ac pariter cum ipso Cruce peregrinationis accepta, Jerosolymam adiit. Præterea Welfo Dux, Henricus Noricorum Dux, & multi alii nostrarum partium (1) Principes, & Episcopi cum innumerabili diversæ cōditionis exercitu, eandem viam aggressi, per Ungariam & Græciam iter arripuerunt, ac Francorum Regi Ludovico cum multis Principibus suæ gentis illuc tendenti consociantur. In itinere itaque multa pericula passi, plurimisque diverso modo consumptis, Cunradus Rex cum suis, mari emenso, Ptolemaidam applicuit, ac inde itinere terreno Jerosolymam veniens, cum maximo tripudio, à Patriarcha, à Rege, & universis civibus suscipitur. Post hoc quoque Ludovico Francorum Rege cum reliqua parte exercitus pari honore suscepto: contra Sarracenos procinctum movent. Regione itaque Paganorum diversis modis igne ferroque profligata, Damascum obsidione cingunt, ipsam urbem, Paganis pro posse resistentibus, toto nisu impugnant. Itaque Pagani vim Christianorum non sustinentes, conditiones, Militibus Templi mediantibus, pro velle Principum statuunt, sicque obsidione soluta exercitus Christianorum discessit, ac Jerusalem veniens cum triumpho suscipitur (2).

His diebus Petrus Bajulardus prava de Trinitate dogmatizans, hæresim Arrianam resuscitare molitur: contra quem venerabilis Abbas Bernhardus, velut contra Ecclesiæ hostem, insurgens, viva voce, scriptisque ipsum magnificè convincens, hæreticum probavit, scriptisque ejus synodaliter examinatis, ab Apostolico & damnatis, ipsi de cætero silentium imposuit.

CAP. III.

ANno Incarnationis Dominicæ MCXLVIII. Cunrado Rege repatriante, Henricus Noricorum Dux, filius Leopaldi, sororius Henrici Imperatoris, frater Cunradi Regis filiam Imperatoris Constantinopolitani, prius sibi in itinere desponsatam in matrimonium accepit, & ex ea Leopaldum, patrem Leopaldi Ducis Orientalis & Friderici fratris sui, qui trans mare obiit, Ducem strenuissimum genuit. Hic Henricus Dux bello cum Ungaris habito victor extitit (3), ipsosque de terminis suis, multis ex eis occisis, gladio fugavit.

CAP. IV.

ANno Dominicæ Incarnationis MCLII. Cunradus Rex moritur, eodem scilicet (4) anno, quo hospitatus est in civitate Friburgensi, Spiram deportatus exequiis (5) Regalibus sepelitur, anno Regni sui XV.

His temporibus Eugenius Papa Synodum Episcoporum congregavit, cui per se præsidens, multaque prava corrigens, inter cætera librum Gisilberti Pictaviensis Episcopi suspectum, eo præsente examinavit, in quo super verba Boëtii de Trinitate, sana quidem & canonica (6), malè commentatus est hoc modo: *Pater est veritas, idest verus: Filius est veritas, idest verus: Spiritus Sanctus veritas, idest verus. Et hi tres simul non tres veritates, sed una veritas, idest unus verus.* Quæ expositio Papæ cæterisque Episcopis perversa visa est, omninoque suspecta: quòd secundùm Augustinum, Deus non nisi ea magnitudine magnus est, quæ est quod ipse: & non nisi ea veritate verus est, quæ est quod ipse, alioquin illa erit major magnitudo vel veritas, qua Deus magnus vel verus est, quàm ipse: quod fateri absurdissimum est. Hanc expositionem venerabilis Abbas Bernhardus in libro suo super Cantica Canticorum, Capitulo LXXXI. sic correxit: *Pater est verus, idest veritas: Filius est verus, idest veritas, Spiritus Sanctus verus, idest veritas.* Sicque verbis tantùm transpositis, sanus est intellectus. Idem liber in nonnullis à vera fide visus est discrepare, & ideo synodaliter reprobatus, & damnatus est, Episcopo libri ipsius auctore humiliter consentiente, ipsumque ore proprio damnante: sicque solutum est Concilium.

(1) nostrarum partium *deest in MS. Cæs. Vindob.*
(2) *A verbo* suscipitur *usque ad Caput III. deest in MSto.*
(3) victor extitit *desideratur in MSto.*
(4) C. MS. videlicet.
(5) C. MS. obsequiis.
(6) C. MS. & catholica.

CAP. V.

Anno Dominicæ Incarnationis MCLIII. Fridericus Dux Suevorum, mortuo Conrado patruo suo, à Principibus Rex creatus, nonagesimus quartus ab Augusto regnavit. Eugenius Papa obiit, cui Anastasius successit. Eodem anno piæ memoriæ Beatissimus Bernhardus Abbas Clarævallensis, Doctor egregius, ac multorum Monasteriorum pater, XIII. Calend. Septembris migravit ad Dominum.

Anastasius Papa obiit, cui Adrianus successit, in ordine centesimus sexagesimus.

CAP. VI.

Anno Dominicæ Incarnat. MCLIV. Henricus Dux Saxoniæ, filius avunculi Friderici Regis, filius Henrici ex filia Imperatoris Lotharii, Ducatum Noricum sui juris hæreditate paterna affectans, cum Henrico filio Leopaldi, patruo Friderici Regis, qui eundem Ducatum beneficii loco à Rege Cunrado acceperat, toto nisu contendit: Henrico non minore ambitione sibi resistente. Quorum litem Fridericus Rex sedare cupiens, utrunque enim linea consanguinitatis tangebat, consilio Principum taliter definitum est: ut Marchia Orientalis, quæ priùs Ducatui Norico jure beneficii subjacuit, à Ducatu sejunctum (7), per se subsistens nulloque respectu juris Duci Bavariæ subjacens, Ducatus jure & nomine constaret, hocque Henricus filius Leopaldi Principis jure & Ducis nomine & honore sublimatus, contentus esset: Ducatu Norico Henrico Duci Saxoniæ cedente. Ad hæc utroque consentiente, lite decisa, qui priùs Marchio (8), Dux Orientalis deinceps dictus est. Sicque Henricus fratruelis Welfonis Ducatu Bavariæ & Saxoniæ potitus, hæreditatem paternam consequitur.

CAP. VII.

Anno Dominicæ Incarnationis MCLV. Fridericus Rex contra Ducem Polonorum procinctum movens, regionem ipsius armata manu ingressus est: transitoque præter spem quodam fluvio cum exercitu, regione devastata, ipsum ad deditionem coëgit, ac censum jam per aliquot annos neglectum, reddere compellens, & expeditionem Italicam ipsi indicens, omnimodam subjectionem sacramento sibi firmari fecit. Quo promisso omnimodè frustratus est. Nam post regressum Regis perjurus effectus, nec expeditioni interfuit, nec cætera, quæ sacramentis firmaverat, custodiens, iram denuo Regis promeruit.

Eodem anno dispositis pro voluntate sua in Gallia & Germania rebus universis, Fridericus Rex, contracto ex omnibus Regni visceribus exercitu validissimo, procinctum movit in Italiam: ubi multis pro libito consummatis, omnibusque rebellibus subactis, Terdonam, quæ sola restabat, obsidione cinxit, expugnatamque cepit & destruxit. Exin ad Urbem tendens, Romanis resistentibus, Urbe arcetur, quos forti aggressione in brevi expugnans, multis occisis, favente sibi Adriano Quarto (9) Apostolico Urbem ingreditur, ab eoque consecratus, Imperatoris & Augusti nomen, nonagesimus quartus ab Augusto, sortitur. Romanis interim, seditione mota, cum exercitu Imperatoris confligentibus, tandem fugatis & victis ad deditionem coactis, omnibusque ibidem bene dispositis, suadentibus Coloniensi Archiepiscopo, & Hermanno Constantiensi Episcopo, & quibusdam aliis Principibus, ad ulteriora contra Wilhelmum filium Rogerii, qui Apuliam usurpato Regio nomine tenebat, progredi disposuit. Sed ab aliis dissuasus, hoc in posterum differens, ad Cisalpina revertitur: in quo (10) itinere insidias à Veronensibus passus, ipsis non impunè talia licere necessariò iratus, sic ostendit. Ponte enim ejus jussu ad transponendum exercitum per Athesim fluvium à Veronensibus navibus compactis structo: quidam Albericus ex ipsa civitate, & aliunde latronum manu in immensum conflata, præparatis quibusdam natatilibus (11) instrumentis, in superioribus fluminis insidias tetendit, ut parte exercitus fluvium transeunte, ipsi iisdem instrumentis compage navium dissoluta, reliquam partem exercitus citra remanentem, pugna invaderent. Sed sicut conatus eorum in vanum, sic eventus cessit in periculum. Machinati enim, uti dictum est, ubi statuerant Imperatorem invadere, ipse jam copiis ex toto fluvio transpositis, progressus fuerat, jamque cum omni exercitu ad Alpes tendebat. Illi itaque per notum sibi compendium præcurrentes, in angustiis Alpium, parte exercitus jam progressa, Imperatorem cum reliquis offendunt: ac nisi pecunia se redimat, viam sibi intercludi belloque congredi minantur. Imperator itaque (12) semper & ubique imperterritus, tale pactum cum latronibus Imperatorem inire dedecorosum existimans & hoc protestans, cum exercitus parte, quæ substitit, restabat, ac se ad confligendum modis omnibus præparavit. Igitur Otto Palatinus de Witilisbach senior, pater Ludovici Ducis, qui postmodum Bavariæ Dux effectus est, lectis de exercitu strenuis, valle gyrata, hostibus insciis, signo retecto, montana ascendit, ipsosque à tergo signo dato cum clamore invadens, in præcipitium compulit: sicque omnibus morti datis, captos ex eis XII. præcipuos Imperatori tradidit: ex quibus XI. patibulo suspensi, uno dimisso, qui reliquos illaqueaverat. Imperator per vallem Tridentinam triumphans gloriosè repatriavit, jamque Alpibus transmissis exercitum ad propria remisit.

CAP. VIII.

Anno Dominicæ Incarnationis MCLVI. Episcopus Lundoniensis, cum quodam alio Episcopo collega suo, à Romana Curia recedens, ac per Burgundiam repatriando iter faciens, à quibusdam capitur, rebusque omnibus denudatus, lucri gratiâ in custodiam mittitur, dissimulante Imperatore, querimoniamque pro hac re parvipendente. Qua de causa Dominus Apostolicus Legatos suos ad Imperatorem misit. Qui Bisuntium, ubi generalem Cu-

(7) C. MS. sejuncta.
(8) lite decisa, qui priùs Marchio, *non legitur in MSto*.
(9) τὸ quarto *non reperitur in MSto*.
(10) τὸ quo *non habetur in MSto*.
(11) C. MS. natilibus.
(12) C. MS. itaque ut semper.

Curiam tunc temporis Imperator habebat, venientes, literas Apostolicas Imperatori coram Principibus repræsentant: quibus pro dissimulata captivatione Lundoniensis Episcopi redargutus, Imperium de manu Apostolici se recepisse admonetur. Quo audito, Imperator & omnes præsentes Principes maxima indignatione accensi, quòd quasi jure beneficii sub homagio (13) Cæsarem Imperium à se suscepisse Papa gloriaretur, & cum clamoris maximo strepitu in Legatos omnes invecti, vix manibus temperabant; indignum ducentes, tali contemptu Romanos gloriari. Unus autem Legatorum quasi pro Apostolico loquens, stolidissimè his ita respondit: *Si ergo à Domino Apostolico non habet, à quo habet?* Quibus verbis commotus Otto Palatinus de Witilinsbach, qui gladium Majestatis Imperatori astans tenebat, ipso gladio evaginato impetu in Cardinalem facto, vix ab Imperatore retentus est, quin exitio Cardinalem dederit. Tandem multis injuriis impetiti, à conspectu Cæsaris eliminantur, divertendique ad Episcopia vel Cœnobia quæstus gratiâ, occasione omnino interdicta, viâ regiâ Romam reverti jubentur. Qui reversi, Apostolico injuriam sibi irrogatam conqueruntur, seque vix mortem evasisse protestati sunt. Imperator autem missis literis in omnes Regni terminos, cunctis Principibus irrogatam Imperio à Papa & Romanis calumniam, conquestus est, & ulcisci dedecus Imperii summopere nititur.

CAP. IX.

Anno ab Incarnatione Domini MCLVII. Principes verentes, ne controversia inter Regnum & Sacerdotium in immensum conflata, Rempublicam involveret exitio, Apostolicum per Episcopum Babenbergensem, & alios Romam directos, eadem de causa conveniunt, & ut Imperatorem literis minoribus, & aliis Nuntiis, de notabili priorum literarum arrogantia, se excusans, placaret, dant consilium. Apostolicus autem audiens, Nuntios Cæsaris, Cancellarium videlicet & Ottonem Palatinum Italiam intrasse, negotiaque Imperii potenter disponere (nam conventus Imperatorios absque Imperatore, imò Curiam, si dici fas est, cum Episcopis Italiæ, qui XV. numero quodam conventu congregati erant, & cum aliis Italiæ Principibus celebrabant) timens quoque superventurum Cæsarem; salutifero eorum consilio consensit, ac supplicibus literis, cum condigna salutatione, per idoneos Legatos de objectis se excusans, mediantibus Principibus Cæsarem placavit, & à priori indignatione revocatum, animo æquiorem reddidit; sicque Imperatoris ira contra Romanos excitata ad tempus quievit.

CAP. X.

Circa hæc tempora Fridericus Imperator generalem Curiam cum maxima Principum frequentia apud Constantiam habuit, ibique coram Hermanno Episcopo in choro Constantiensi uxorem suam, filiam Marchionis de Vohiburch, Adelheidam nomine, causa fornicationis sæpiùs infamatam, repudiavit, eique postmodum filiam Reginboldi Principis ac Excellentissimi Comitis Burgundiæ, nomine Beatricem, superduxit. Ex hac Beatrice genuit Fridericum Ducem Sueviæ, Henricum Imperatorem, Cunradum Ducem, Ottonem Comitem Burgundiæ, Philippum Regem, qui omnes in brevi perierunt.

CAP. XI.

Anno Dominicæ Incarnationis MCLVIII. Fridericus contra Wilhelmum, Rogerii filium, invasorem Apuliæ, Calabriæ, Siciliæ, expeditionem instaurans, à Mediolanensibus rebellantibus multis injuriis affectus, in ipsos arma convertit, & per vallem Tridentinam subitò in Italiam (14) exercitum duxit, ac ad plana perveniens, præcipuè Papiensium & Cremonensium ope, Italico exercitu admodum roboratus, Mediolanenses hostes pronunciavit, totâque Liguriâ igne ferroque profligatâ, Cremenses Mediolanensium fautores obsidione cinxit: multisque diebus diversisque modis attritos, tandem per conditionem suscipiens, ut vita donati provincia cederent. Civitate tradita, ipsam funditus evertit, ac deinde contra Mediolanenses aciem direxit. Itaque signis contra Mediolanum erectis, Imperatore nesciente, mille de exercitu milites instructissimi contra Mediolanenses prorumpentes, cives ante portas ad bellum ordinatos offendunt. Quos incautè aggredientes, alacriter à civibus suscipiuntur, pugnâque consertâ, multis hinc inde occisis, milites Cæsariani, præ paucitate sui vim civium non ferentes, fugam ineunt. Quo peccato militum Cæsar irritatus (15), à vindicta vix se continuit, ac interdicta tali præsumptione in posterum, militibus datâ veniâ, Urbem obsidione undique vallavit. Cecidit in hac congressione ex parte Cæsaris, Egebertus Comes de Butingon & alii plures. Itaque cives Cæsaris industria undique arctati, fortiter resistunt, ac illatum sibi damnum viriliter recompensantes, portis sæpiùs erumpunt, patratisque hinc & inde præclaris facinoribus, hinc inde multis occisis, non sinè maximo exercitus damno portis recipiuntur. Quadam enim eruptione cum Cæsarianis, ubi Italicis militibus obsidebantur, congressi, Wernherum Italicum Marchionem præstantissimum, cum multis aliis occiderunt, de cujus nomine dicitur adhuc, Wernheri marchia. Ex ipsis autem civibus quotidie multi passim machinis & congressionibus perimebantur, ac diversa sorte pessundati, multis malis atterebantur.

Cives itaque Cæsaris impetum non sustinentes, arcta quippe obsidione, omnibusque bellicorum instrumentorum machinis impugnatos, admodum attriverat: conditione pacis mediante Friderico Duce de Rotinburch, Henrico Duce Bavariæ & Saxoniæ, Bertolfo Duce Zaringiæ, necnon & Rege Bohemiæ, ab Imperatore quærunt, multoque auri pondere Imperatrici collato, necnon infinita pecunia Imperatori, vix impetratam pacem tali modo accipiunt (16). Pace data dies statuitur, in qua cives se suaque omnia in manus Cæsaris contraderent, sicque obtentu Principum gratiam ejus invenirent. Qua veniente, Imperator procul à civitate per quatuor ferme milliaria Latina

(13) C. MS. hominio.
(14) C. MS. secundò in Italiam.
(15) C. MS. iratus.

(16) C. MS. vix impetratam tali modò accipiunt, Imperatore ad impetrata, ut jam dictum est, vix assensum dante. Pace data &c.

tina ſeceſſit, inque (17) tribunali ambitioſiſſimè inſtructo cum frequentia Principum reſedit, cuncto exercitu per turmas ſuas tractu longiſſimo à civitate uſque ad locum tribunalis extento, totiuſque militaris gloriæ apparatu decentiſſimè inſtructo. Viâ itaque per medium exercitum uſque ad Imperatorem civibus patefactâ: primò procedit Archiepiſcopus, Sacerdotalibus indutus, nudis pedibus, cum omni Clero & cæteris ordinibus Eccleſiaſticis, ſimili habitu, lugubri facie, Reliquias Sanctorum geſtantes. Poſt hos Conſules aliarumque dignitatum Barones, cum omnibus liberæ conditionis ordinibus nudis pedibus, ſagis induti, exertis gladiis collo impoſitis. Poſt hos ſervilis conditionis cum omni vulgo torque collo innexo, eâdem viâ ſuo quiſque ordine venientes, pedibus Imperatoris provolvuntur (18), ſeque Majeſtatis reos verbis & geſtibus profitentur. Principibus ergo pro eis ſupplicantibus, ſubjectioneque omnimoda ſacramentis firmata: Imperator ad miſericordiam flectitur, ipſoſque vitæ & civitati, priſtiniſque honoribus redditos, de malis pejores (ſicut in ſequentibus oſtendemus) reddidit: ſicque ſoluta obſidione cum exercitu diſceſſit.

CAP. XII.

His diebus Petrus Lombardus, & Petrus Manducator apud Pariſios Magiſtri inſignes claruerunt, multaque Eccleſiæ pro futura conſcripſerunt: è quibus Lombardus librum Sententiarum quatuor diſtinctionibus ordinatum confecit. In prima diſtinctione de Trinitate, quæ Deus eſt, ſubtiliſſimè tractans; in ſecunda, de creatione rerum primordialium: in tertia, de Incarnatione Verbi: in quarta, de Sacramentis Eccleſiaſticis. Præter hæc in Apoſtolum, nec non Pſalterium continuas gloſſas luculenter admodum expoſuit, Deoque digna converſatione degens, apud Pariſios vita deceſſit (19). Librum Scholaſticæ Hiſtoriæ utiliſſimum confecit, à principio Geneſeos incipiens, Pentateuchum, librum Joſue, Judicumque & Ruth continuavit: libroque Regum Paralipomenon includens, cum ultimis Eſaiæ Tobiam complectitur, tranſmigratione cum morte Godoliæ, & viſionibus Danielis deſcripta, Eſdram, Heſter, Judith, librumque Machabæorum diligenter perſequitur. Exin Joſephum ſequutus, à Johanne Hircano uſque ad Regnum Herodis, nativitatemque Chriſti hiſtoriam deducit, Evangelioque complexo, in Actibus Apoſtolorum poſt (20) totum concludit: obſcura quæque dilucidans, ambigua certa faciens, traditioneſque Hebraicas cum incidentiis hiſtoriarum notas faciens, Eccleſiaſticarum traditionum diverſas ſpecies inducit. Præter hæc librum ſermonum mira ſubtilitate compoſuit, in quo præter alia utilia, moralitatem mentibus mortalium (21) miro modo inculcavit.

CAP. XIII.

Anno Dominicæ Incarnationis MCLIX. Adriano Papa mortuo, factum eſt ſchiſma in electione, quibuſdam Octavianum Cardinalem, Victorem vocatum, eligentibus: aliis Ruolandum Cancellarium, Alexandrum dictum, inthronizantibus. Diviſis itaque tali ſchiſmate Cardinalibus, novem numero in parte Victoris, undecim in parte Alexandri conſiſtentibus, res ad Imperatorem refertur. Qui habito Principum conſilio, ab ipſis tale ſchiſma Majeſtate Imperatoria ſedandum eſſe; datâ ſententiâ, generalem Curiam omnibus Regni Principibus, ad ineundum pro ſtatu Eccleſiæ Concilium, Papiæ in Epiphania indixit. Miſſiſque literis ſuis omnibus Ciſmarinis Regibus, utpote Regi Ungariæ, Angliæ, Daciæ, & omnibus Regibus Hiſpaniæ, ut Epiſcopos ſuorum Regnorum ad hoc Concilium, pro ſtatus Eccleſiæ neceſſitate dirigerent, rogavit (22). Extant diverſæ ad diverſos utriuſque partis de hac cauſa Epiſtolæ, ſuum quæque pars electum canonizare cupientium, ſicut in geſtis (23) ad Ottonem Friſingenſem Epiſcopum plenariè deſcribitur.

Igitur ex omnibus mundi partibus Eccleſiaſticorum & ſecularium Principum perſonis, cum infinita multitudine Clericorum, Laicorum, Nobilium, ſive ignobilium, ad hanc Curiam Papiam confluentibus: Concilio ab Epiſcopis habito, excluſis primùm cum Imperatore laicis, Octavianus, qui & Victor, cum ſua parte judicio iſtius Concilii ſe præſentavit, ſeque judicium Eccleſiæ humiliter ſubire profitetur. Ruolandus autem, qui & Alexander, cum ſua parte ſe canonicè, utpote à majori & ſaniori parte electum affirmans, nec Summum Pontificem à laico citari, omneſque ipſius judicio ſubjacere, & ipſum à nemine judicari debere conteſtans, huic Concilio ſe abſentavit, nec reſponſales aliquos pro ſe deſtinavit (24). Cujus abſentatione Concilio præſidentes permoti, electionem Domini Victoris canonicam judicantes, Alexandro reprobato, ipſum in Summum Pontificem, favente Imperatore, omnibus præſentibus, receperunt: omnique obedientiæ reverentia ei exhibita, pedibus ejus, utpote Apoſtolici, cum oblationibus oſculatis, Concilium ſolvitur: aſcendentique Imperator (25) ſtrepam pro Sacerdotali reverentia tenens, ſe fautorem & auctorem promotionis ipſius oſtendit. Alexander autem cum majori parte Cardinalium, vim Cæſaris non ſuſtinens, Urbe ceſſit, ac in partes Apuliæ, Calabriæ, & Siciliæ, Apoſtolica nihilominus utens auctoritate, ſe contulit, fautoreſque Victoris cum Concilio Papienſi deteſtans, in poteſtate Wilhelmi Regis Siciliæ manſit aliquandiu.

CAP. XIV.

Anno ab Incarnatione Domini MCLX. Fridericus Imperator convocatis omnibus Ita-

(17) C. MS. ibique tribunali.
(18) C. MS. provolutus.
(19) C. MS. *deceſſit*. Alter verò, Manducator ſcilicet, converſatione & ſtudio huic non diſpar *librum* &c.
(20) C. MS. opus totum.
(21) C. MS. legentium.
(22) C. MS. rogavit, datoque conductu utrique electo cum partibus ſuis, ambos ad Concilium citavit. Extant &c. *Ita in ora Codicis MSti*.
(23) C. MS. ſicut in geſtis Friderici Imperatoris ab Ottone Friſingenſi Epiſcopo plenariè deſcribitur.
(24) C. MS. miſit.
(25) C. MS. aſcendentique equum Imperator ſtipam pro Sacerdotali reverentia tenens ſe fautorem & auctorem &c.

Italicis Baronibus, generalem Curiam apud Roncaliam, cum maximo Principum conventu celebravit: ibique renovatis antiquis legibus, novas de suo promulgavit, ac diversis Imperii negotiis expeditis, jura desueta in consuetudinem reduxit, & quo juris genere civitates Italicæ subjacerent Imperio, judicialiter exquisivit. Quod à Principibus & Legum-dominis diligenter examinatum, generali omnium sententia judicatur: omnia regalia civitatum, utpote monetas, telonea, navigia, necnon & dignitates Potestatum, Consulum, Judicum ad jus spectare Imperii, electasque à civibus ad has dignitates personas, de manu Imperatoris jure beneficii easdem suscipere, nec sinè ejus consultu suspectas deponere. In hac etiam Curia, jam per multa tempora oblivioni & neglectui datos, ad XX. (26) millia talentorum annuos reditus Imperio acquisivit. Præterea vectigalia antiquitus constituta, nec non exactiones pro Imperii necessitate exigendas in rationem Cæsaris, ubi, quando, & à quibus & quomodo tractentur, decretum est, & edicto confirmatum.

Ad quæ promulganda & instituenda Nuntii Imperiales per Italiam destinantur: inter quos præcipui Cancellarius, Otto Palatinus de Witilinsbach, Wido Comes Blanderatensis, Gozuinus Comes fuerunt. Qui peragratis eadem de caussa pluribus civitatibus, Mediolanum venerunt, convocatisque in concionem civibus decreta Imperialia pandunt, & ad hæc exequenda constanter insistunt cives, utpote talium insueti, edicta Imperialia spernunt (27), expulsisque cum dedecore Legatis, rebellionem toto nisu denuo moliuntur. Igitur Legati vix fuga elapsi, ad Imperatorem redeuntes, suam injuriam rebellionemque Mediolanensium referunt, ipsumque ad ulciscendum summopere incitaverunt. Qui nil moratus, ignominiam Imperii Principibus conquestus, militem instaurat, contra Mediolanum procinctum movens, igne ferroque cuncta demolitur. Liguribus itaque pro posse resistentibus. Cæsar inito cum Papiensibus consilio, ipsos ad rapienda Mediolanensium in pascuis pecora immisit, se cum lectissimis militibus in insidiis collocans. Papienses itaque ad raptum pecorum effusos, eaque abigentes, totis viribus Mediolanenses insequuntur, Cæsaremque ordinatis legionibus ex insidiis erumpentem incidunt, eique necessitate cogente bello congrediuntur. Cujus impetum ferocitatemque Teutonicorum in acie non ferentes, multis occisis, quingentis & nobilioribus captis fugam ineunt, & se in civitatem recipiunt: sicque Imperator victoria potitus, magnificè de Mediolanensibus triumphavit, ac castellum Trecense, ubi præsidia eorum fuerant, aggressum expugnavit, captisque vel occisis castellanis, suos inibi collocavit. Ligures, Cæsare exinde digrediente, civitate effusi, expugnatum castellum funditus diruunt, captisque Cæsarianis, Latinos tormentis adactos occidunt, Teutonicis reservatis.

CAP. XV.

Anno Dominicæ Incarnationis MCLXI. Fridericus Imperator vires Imperii omnibus Italicis, in Mediolanenses ostensurus, coacto in unum exercitu, ad futurum certamen se modis omnibus præparavit: missisque ad cisalpina literis, ex omnibus Imperii finibus auxilia contraxit. Rex quoque Ungariæ cohorte militum cum sagittariis Cæsari missa exercitum ampliavit. Itaque ex diversis Regnis & Regionibus exercitu coadunato, primò in auxiliarios Mediolanensium arma convertit, ac Placentinos in multitudine turrium suarum confidentes, obsidione cinxit, fortique aggressione expugnatam, turribus universis dejectis, civitatem ipsam solo coæquavit. Exinde ad Mantuanos divertens, cunctis ad eos pertinentibus igne ferroque profligatis, ipsos ad deditionem coëgit, omnesque civitates Mediolanensibus faventes, aut dedi fecit, aut funditus evertit: novamque Laudam inter Mediolanum & Placentiam, ad receptionem exercitus à fundamentis ædificavit, & in ea sedem belli contra Mediolanenses constituit. Igitur Mediolanenses undique bello videntes se impeti (28), futuris cladibus idoneos omnimodis se præparant, fossatis, muris, turribus, ac diversis missilium machinis, armis, ac ciborum ad ferendam obsidionem necessariis, civitatem suam tota industria muniunt, seque ad resistendum summo nisu instruxerunt, sed inaniter. Nam animositatem Cæsaris pondusque Imperii ferre non prævalens, contra impetum fluminis conari esse periculosum, Majestatique non cedere stultum, Mediolanum civitas egregia, caput Liguriæ, totiusque Italiæ flos, funditus eversa liquidò demonstravit.

CAP. XVI.

Anno Incarnationis Dominicæ MCLXII. Imperatrix, comitante eam Cunrado Augustensi Episcopo, nec non & Welfo Dux, multique nostrarum partium (29) Nobiliores cum militia transalpinantes, Imperatori conjunguntur, coactoque in unum corpus exercitu, & ad C. millia pugnatorum computato: Mediolanum denuo obsidione cingitur, ac diversis magnis (30) tota industria impugnatur. Cives autem necessitate cogente (nihil quippe necessitate pugnacius) pro patria, pro parentibus, pro liberis, & uxoribus, postremò pro vita, sæpiùs audacissimis erumpentes incursibus fortiter resistunt: missilibus insuper, sagittis, jaculis de propugnaculis hostes arcentes. Cæsar autem dispositis undique contra incursus eorum præsidiis, ipsos diversis missilium machinis, balistis, arietibus, omnique telorum genere aggreditur, militibus in conspectu Cæsaris pro gloria, honore, præmio, ambitione, ostentatione alaciter pugnantibus, multis hinc inde passim procumbentibus. Tandem diversis attriti cladibus, miseri cives dextras petunt, ac multis modis iram Cæsaris sedare tentantes, nullo modo nisi hac sola conditione proficiunt, scilicet, ut traditis armis urbem relinquentes egrediantur, vita tantùm rebusque necessariis, licèt exiguis, sibi indultis. Quo pacto accepto, cum maximo luctu egressi, hostibus civitatem relinquunt, ac sub oculis dilecta mœnia omnimodis destrui conspiciunt. Ingressus enim Imperator cum toto exercitu, immensa ac ditissima spolia, in Ecclesiasticis thesauris aliisque rebus pretiosis, diripuit, Reliquiisque Sanctorum,

(26) C. MS. ad XXX. millia.
(27) edicta Imperialia spernunt. *Hæc non leguntur in MSto*,
(28) C. MS. impediti.
(29) nostrarum partium *non legitur in MSto Codice*.
(30) C. MS. diversis machinis.

rum, quibus hæc civitas egregiè nobilitata fuit, per Ecclesias collectis, ac cum magna reverentia asportatis, tres Magos, qui cum muneribus stella duce Christum in cunabulis adoraverunt, inibi inventos, Reginoldo Coloniensi Episcopo, qui in hac obsidione cum sua militia præcipuè claruit, dono dedit: quos venerabilis Pontifex ad cisalpina transferens, Coloniensi Ecclesiæ intulit, hisque patronis totam Germaniam illustrans, universam Teutonicorum gentem magnificè nobilitavit. Incorrupti enim, & quasi adhuc vivi in singulis de pretioso metallo sarcophagis, in eadem Ecclesia hactenus reservantur. Igitur Cæsare, ut præscriptum est, Mediolanum ingresso, nunc (31) diruto, turribus dejectis, totam civitatem à fundamentis ac omnibus modis inhabitabilem reddens, igne postremò reliquias omnino consumsit, divisisque in quatuor partes civibus, regione inculta ipsis ad inhabitandum concessa, quatuor eos oppida ædificare jussit, ipsosque, uti dictum est, per partes divisos ea incolere fecit.

Igitur confecto bello Ligurico, Imperator Principibus grates pro industria referens, militibusque dona pro meritis liberaliter largiens, nobili triumpho repatriavit, ac multis diebus desolatam suâ præsentiâ Germaniam, cum inæstimabili totius exercitus tripudio, demum revisit, ac aliquandiu cis Alpes manens, colloquia diversa in diversis Regni locis pro negotiis Imperii cum Principibus habens, cuncta pro libito bene dispofuit, ac judicia exercuit.

CAP. XVII.

Anno Dominicæ Incarnationis MCLXIII. Fridericus Imperator tertia vice, sed sinè instructu bellico, Italiam ingreditur, ibique sicut & in Germania diversis placitis cum Italicis Baronibus per loca habitis, negotia Imperii inducialiter exercuit, ac per aliquod tempus cum eis quietus permansit.

CAP. XVIII.

Anno Dominicæ Incarnationis MCLXIV. Victore uno Pontificum Romæ defuncto, Paschalis ab his, à quibus & Victor priùs electus est, substituitur, Alexandro adhuc sedente. Eodem anno Hugo Palatinus de Tuingin tres latrones, quorum duo sui homines erant, tertius Ducis VVelfonis, apud Moringen capiens, suos abire permisit, suspenso illo, qui VVelfonis erat. Pro quo VVelf junior permotus, maxima indignitate in Palatinum exarsit, & igne ferroque acceptam injuriam ulciscitur. Palatinus itaque à Duce arctatus, ad Fridericum Ducem de Rotinburch, filium Cunradi Regis se contulit, auxiliumque ejus contra VVelfonem nanciscitur. Igitur VVelf Bertoldo Duce de Zeringin in adjutorium ascito, ac ab utroque summo studio exercitu congregato, contra Palatinum & Ducem Fridericum procinctum movent, ipsosque apud Tuingin invadunt, à quibus non segniter excipiuntur cum expeditis militibus: consertâque pugnâ Duces à Palatino fugantur, captis de eorum exercitu nongentis militibus. Quo infortunio filii VVelf senior inflammatus, militem instaurat, venienteque Bertoldo Duce cum militia sibi in adjutorium, cunctis rebus Palatini igne ferroque profligatis, castrum Chelmuntz obsedit, ac post aliquot dies expugnatum funditus destruxit. Exinde ad castrum Hildratshusin divertens, simili modo expugnatum destruxit, ac inde per Gilstin transiens, turres Ecclesiæ pro castello munitas à fundamentis evertit. Deinde castrum VVilare obsidione circumdedit, ubi aliquantisper moratus, castrum forti aggressione captum, destruxit, omnibusque Palatini prorsus igne consumptis, dimisso Duce Bertolfo, cum victoria in Sueviam rediit. Interim Dux Fridericus de Rotinburch, educto Bohemico exercitu, VVelfonem insequitur, ac apud Gaizibron morantem, primæ noctis vigilia de repente facto incursu, VVelfonem expergefactum cum suis in castrum Ravensburch fugavit. Sed non impunè cessit eis hæc temeritas. Nam quidam de nobilissimis Bohemicis Baronibus Henricus de Landsberch in ipso impetu occiditur, inibique cum maximo planctu à suis sepelitur: succensisque quibusdam VVelfonis territoriis, ad propria revertuntur.

CAP. XIX.

Anno Incarnationis Dominicæ MCLXV. auditis per Principes in cisalpinis partibus Regni devastationibus, Fridericus Imperator ex Italia regreditur, ejusque jussu dimissis à Palatino captivis militibus Welfonis, generalis Curia in quadragesima apud Ulmam Principibus indicitur. Quò Welf cum fratruele suo Henrico Duce Saxoniæ, & Bavariæ, & Bertolfo Duce de Zeringin, ac multis aliis terræ Majoribus, perveniens, ab Imperatore honorificè cum filio suscipitur: ac Palatinus, ut sinè omni conditione in manus ipsorum se tradat, pro injuria ipsis illata, aut Regno cedat, ab Imperatore jubetur. Qui tribus vicibus coram Duce Welf in terram corruens, ipso suscipere dedignante, tandem receptus capitur, captusque in exilium Rhetiam Curiensem, ad castrum Nuinburch transportatur. Sicque Welfone placato, Imperator inde digreditur.

CAP. XX.

Anno Incarnationis Dominicæ MCLXVI. Fridericus Imperator sedatâ, uti dictum est, Principum controversiâ, ac bene dispositis in Germania rebus, ex omnibus Regni visceribus congregato exercitu, Alpes jam quarta vice transcendens, procinctum movet in Italiam, indeque Apenninum transiens, ac per Tusciam exercitum ducens, in Marchiam Anconitanam divertit, & Anconam urbem rebellem obsidione cinxit. Interea Reginoldus Coloniensis Archiepiscopus, antea pro negotiis Imperii ab eo digressus, dum cum sua militia rediret ad Cæsarem, in castrum Tusculanense juxta Romam aliqua tractaturus divertit. Quod ab exploratoribus Romæ compertum, Romani tota Urbe effusi, & ad XXX. millia pugnatorum computati, Archiepiscopum in castro, in ignominiam Cæsaris, obsidione repentè concludunt. Quod Imperatori Anconæ nuntiatum, convocatis Principibus, utrum Episcopo dimissa Anconitana obsidione subveniendum esset nec

(31) C. MS. muro diruto.

nec ne, consuluit: quod à quibusdam Principibus & maximè laicis, sinistram famam de obsidione solvenda metuentibus, dissuadetur. Hac dissuasione Principum egregius Archiepiscopus Moguntiæ Christianus accensus, indignèque ferens, quòd laici Principes se & suos compares ita parvipensos periculo relinquerent: convocatis suis aliis, (32) quos prece vel pretio potuit adipisci, quingentos milites & Cæsarianos octingentos, ad bellum instructissimos, coadunavit, sicque contra Romanos versùs Tusculanum, ad liberandum Archiepiscopum iter flectit. Quò perveniens, locatis ex opposito illorum castris, Romanos ea die, tantùm ad quietem exercitus sui, pro pace per internuncios interpellat, virtutem liberalitatis antiquorum Romanorum eis ad memoriam reducens, per hoc postulata ab eis adipisci existimans. Ipsi autem in his & in aliis omnibus antiquis omnino dissimiles, se nolle acquiescere postulatis respondent: sed ipsum omnemque ejus exercitum volucribus cœli & bestiis terræ in escam super faciem terræ ea die se daturos, arrogantissimè minantur: & sic dimissa obsidione, XXX. millia pugnatorum contra quingentos milites Teutonicos, in aciem deducunt. Archiepiscopus autem tali responso ab eis recepto, nequaquam territus, nec enim inexpers fuit ante laborum, suos quamvis respectu illorum paucissimos, sed tamen admodum exercitatos, ad bellum promissis, minis, tota industria hortatur, & ne spem in fugam ponant, utpote à patria & exercitu Imperatoris (33), ad quam confugiant, remotissimi, sed genuinæ fortitudinis suæ, & innatæ hostium ignaviæ memores, pro vita totis viribus decertent, exhortando magnanimiter concionatur.

Videns autem milites Teutonica animositate alacres (nam hortatu ejus insuperabilis quodammodo alacritas menti eorum incidit) acies ordinat, & qui primi committant, qui confertos hostes à latere irrumpant, qui subsidia pondere prœlii laborantibus ferant, semetipsum ad ferenda cum lectissimis subsidia collocans, ordinanter disponit. Et sic signis rectis, extensisque in longum cohortibus, Deo spem suam committens, contra Romanos ad bellum procedit. Archiepiscopus autem Coloniensis cum Castellanis & suis omnibus, qui ad CCC. milites bene armis instructos erant computati, ad subveniendum se modis omnibus præparavit, & in castro usque ad congressionem silenter delituit. Igitur bello commisso, fractisque primitus militari concursu lanceis, res gladiis agitur: sagittariis partis utriusque sagittis lucem diei in modum nivium obtenebrantibus. Et ecce Coloniensis cum expeditis militibus castello erumpens Romanos à tergo invadit, eisque fortiter cædendo instat: sicque bello ante & retro circundati, undique impugnantur. Romanis itaque tantùm multitudinis impressione pugnantibus Christianus Episcopus cum suis aciem illorum à latere irrupit, eosque medio tenus dividens, tribus in locis artificialiter disjunctos cecîdit. Itaque multis occisis, pluribus captis, Romani superati, fugam ineunt, ac Urbem versùs à victoribus insequuti, cruentissima cæde mactantur. Præsules itaque militibus à cæde revocatis, ad locum belli redeunt, ac cum maxima lætitia triumphantes, noctem illam duxerunt.

Mane facto, Romani ad tollenda cadavera occisorum, ad locum belli properantes, per Præsules, immissis in eos militibus, fugantur: reversique ad Urbem, vix evadunt. Tandem missis ad Præsules Nunciis, ut amore S. Petri & respectu Christianitatis eis mortuos suos tollere liceret, suppliciter obsecrant. Quod à Præsulibus hac conditione est concessum, scilicet ut occisorum vel captivorum è prœlio numerum ex sua parte computantes, sub attestatione jurisjurandi ipsis scripto præsentarent, & sic demum pace data, mortuos suos ad sepulturam tollerent. Qua computatione facta, invenerunt occisorum seu captivorum de suis hoc prœlio numeratorum ad XV. millia: datâque licentiâ, cadavera occisorum demum cum maximo ejulatu tollentes sepelierunt.

His auditis apud Anconam Cæsar & omnis exercitus, Anconâ dedititiâ factâ, soluta obsidione contra Urbem cum copiis tendunt, ipsam forti aggressione impugnantes, Cives itaque superiori bello exhausti & viribus enervati, imprimis utcunque mœnia defendentes, Cæsari totis viribus Urbem irrumpenti, maxima suorum clade accepta, cedunt, & ad Ecclesias & ad quæque munita confugiunt: præcipuè ad Sanctam Mariam ante Sanctum Petrum, & ad Ecclesiam Beati Petri (quæ quasi castelli (34) vice munierant) congregati denuo pro posse resistunt. Milites autem Cæsaris Ecclesias armata manu aggressi, valvas Ecclesiæ Beati Petri in securi & ascia dejecerunt, ipsamque ductore Friderico de Rotinburch, infesta signa usque ad Altare ferente, occisione multorum polluerunt: sed & Ecclesiam Beatæ Mariæ igne succendentes profligatis occisione sive captivitate inibi repertis, multa rapientes spolia profanaverunt (35): ut brevì illud Psalmistæ ad literam impletum esse videatur: *Quasi in sylva lignorum securibus exciderunt januas ejus in idipsum, in securi & ascia dejecerunt eam: Incenderunt igni sanctuarium tuum in terra, polluerunt tabernaculum nominis tui.* (*Psal.* 74.) Facta est hæc corruptio Urbis per Fridericum Cæsarem, in Julio mense, anno ab Incarnatione Domini MCLXVI.

Cæsar itaque hac utinam non consequuta victoria potitus, coronata Imperatrice ab Urbe recedit, statimque pestilentia tactum exercitum penè omnino extinxit (36). Nam à majoribus incipiens, juxta illud Ezechielis: *A sanctuario meo incipite*, (*Ezech.* 9.) primò in mortem Principum grassans, consumptoque in Principibus capite, deinde in reliquum corpus desæviit dira pestis. Nam Reginoldus Archiepiscopus Coloniensis, & Eberhardus Ratisponensis, & Godefridus Spirensis Episcopi obierunt. Præterea in partibus Tusciæ, Dux Fridericus de Rotinburch, filius Cunradi Regis, Berengerus Princeps de Sultzbach, & antea apud Sienem VVelf junior, VVelfonis Ducis filius, cum aliis Principibus, Comitibus, liberis, Principumque ministerialibus, cum multitu-

(32) C. MS. suis omnibus & aliis quos &c.
(33) C. MS. exercitu Cæsaris quantum ad fugiendum remotissimi.
(34) C. MS. quam Castelli.
(35) *A voce* profanaverunt *usque ad* Cæsar itaque *desideratur in MSto*.
(36) *A voce* extinxit *usque ad* videntes *nihil habet Codex MStus, ac pro iis hæc verba subduntur:* extinxit, ut in Chronica Domini Ottonis poteris reperire. Videntes itaque Mediolanenses &c.

tudine vulgi de exercitu hac pestilentia tacti occubuerunt. Ossa itaque VVelfonis in Alemanniam translata, à patre VVelfone cunctisque ipsius terræ majoribus apud Staingadin cum maximo planctu recunduntur, nec non & Frid. Ducis de Rotinburch simili modo apud Hebera tumulantur.

Videntes Mediolanenses vires Augusti in exterminio exercitus concidisse: mutatione rerum animati præsente Augusto in sua vicinia, ex omnibus, quibus dispersi erant locis congregati, ad ruinas urbis suæ conversi sunt, ipsamque totis nisibus ac sumptibus reædificaverunt. Imperator verò morte suorum quamvis sauciatus admodum, tamen ignominiam talem à Mediolanensibus sibi exhibitam, ex necessitate temporis non dissimulavit: sed per Episcopatum ipsorum transiens, cuncta igne ferroque profligavit. Ipsi verò injurias suas ulcisci cupientes, Imperatorem ad montana tendentem, armati insequuntur. Apprehendens itaque Imperator obsides, quos ab eis acceperat, dum Mediolanum eorum civitatem subverteret, eosque in locis diversis suspendi præcepit. Quos cùm Cæsarem insequentes invenissent suspensos, nimio terrore perculsi, unusquisque cadaver chari sui cum lamento reducens, Cæsarem insequi omiserunt (37).

Veniens igitur Imperator in civitatem Susam, quæ sita est in ingressu Alpium, fraude civium occidi tentabatur. Ipse autem ab hospite suo præmonitus, dolos eorum sic evasit. Ipsa enim nocte, cùm manè ad mortem quærendus esset à civibus, militem quendam sibi similem nomine Hartmannum de Sibeneich, in lecto suo collocari fecit, & ipse in habitu servi cum duobus egressus est. Mane autem facto, cives venientes Imperatorem quærebant, & responso accepto à cubiculariis, eum dormire: moram non patientes, fores effringunt, ipsoque non invento, cognoverunt eum effugisse. Dissimulatâ itaque irâ propter metum Imperatoris elapsi, exercitum abire permiserunt, sicque evadens Imperator, transcensis Alpibus exercitum morte, morbo, omnique miseria confectum, in patriam reduxit. Et cùm post hæc in Italiam rediisset, prædictam civitatem Susam funditus evertit.

CAP. XXI.

ANno Dominicæ Incarnationis MCLXVII. Paschali Papa defuncto, Calixtus ab his, à quibus priùs Paschalis & Victor, substituitur, Alexandro in potestate sui usque adhuc consistente. Eodem tempore Fridericus Imperator reversus ad Cisalpina, totam terram & universam substantiam Friderici de Rotinburch ditissimi, fidelis in possessione (38) prædiorum Principis fratruelis sui, hæreditaria possessione possedit, ac multorum Baronum possessiones postmodum in suam potestatem contraxit. Welf verò Dux orbatus hærede in amisso filio, tactusque dolore cordis intrinsecus, Henricum Ducem Saxoniæ & Bavariæ fratruelem suum in hæredem adscivit: ab eoque pro hoc quantitatem pecuniæ exigens, dum consequi putat, frustratur promissis. Dux enim Henricus quorundam pravorum consilio, Welfonem jam grandævum citò moriturum præsagiens, argentum pro constituto dare distulit (39). Welf iratus, Imperatori Friderico (*) sororio suo, receptâ ab eo priùs pro libito suo pecuniâ, primò beneficiis, scilicet Ducatu Spoleti, Marchia Tusciæ, Principatu Sardiniæ ipsi resignatis, omnia prædia (40) suâ ipsi condidit, eaque usque ad terminum vitę pluribus aliis abditis recepit. Simili modo Rudolfus Comes de Phullendor, sororius Comitis Rudolfi de Bregantia, omnia prædia sua hæredis loco Imperatori tradidit. Pro his Imperator Alberto Comiti de Habsburch qui filiam Comitis Rudolfi in matrimonio habebat, concessit Turicensem Comitatum, & Advocatiam SecKingensis Ecclesiæ, cum prædiis conquisitis de Biedertan. Præter hæc multorum Nobilium, qui hæredibus carebant, prædia, donatione, vel pretio acquisivit: utpote illius de Suabegg, de VVarthusin, de Bibra, de Horningen, de Svvanhusin, de Biedertan, de Lentzeburch & de VVerde, multorumque aliorum in aliis regionibus, quæ nobis incerta sunt. Hæc enim omnia in sola Alemannia acquisierat.

Præter hæc Burgundiam ingressus, terram soceri sui Reginaldi Comitis, qui jam obierat, in ditionem suam redegit, ac Regnum Burgundiæ cum Archisolio Arelatensi, quod Duces de Zeringen quamvis sine fructu, tantùm honore nominis jure beneficii ab Imperio jam tenuerant, à Bertolfo Duce extorsit: præstitis sibi trium Episcopatuum Advocatia, cum investitura regalium, scilicet Lausanensis, Genevensis, Sedunensis. Supradictorum etiam aliorum, quorum prædia in jus Cæsaris cesserant, omnia beneficia, quæ ab Ecclesiasticis Principibus, Episcopis, Abbatibus sub dominio habuerant, filiis suis præstari faciens, pacativè possedit, liberosque suos omnes literis apprimè erudiri faciens, eos facultatibus redditùum, excellentiis dignitatum per sortitas provincias delegaliter sublimavit. Nam Friderico, qui secundus natu erat filiorum, Ducatu Sueviæ cum hæreditate VVelfonis, & prædiis Rudolfi Comitis de Phullendorf, concesso: Cunrado verò dignitatibus, beneficiis & prædiis Friderici Ducis de Rotinburch ditato, Ottone Archisolio Arelatensi cum Burgundia, Reinaldi avi sui terra, sublimato, Henricum, qui prior natu erat, Regem post se designavit, Philippo adhuc infantulo (41): præter hæc omnia, res Ecclesiarum ab Episcopis, vel Abbatibus sibi concessas vendicans sub jure hominii, multa amore filiorum contraxit, quibus singulos cum delegata sibi dignitate admodum ditavit.

CAP. XXII.

ANno Dominicæ Incarnationis MCLXX. Mediolanenses animum Imperatoris sæpiùs experti, ipsumque pro præsumptione reædificatæ civitatis suæ nimiùm metuentes, omnibus Italiæ civitatibus confœderati, præter Cumanos, Papienses, Cremonenses cum aliquibus civitatibus sibi faventibus, qui cum Imp. sentiebant, ad futuram Imperatoriæ ultionis cladem se

(37) *Ab* omiserunt, *quæ subsequuntur non babet Codex MStus usque ad Cap. XXI.*
(38) C. MS. successione possedit.
(39) C. MS distulit, pro quo Vvelf,
(*) *Idest* filio sororis.
(40) C. MS. præsidia.
(41) C. MS. infantulo existente. *Post banc vocem reliqua in MSto Codice non leguntur usque ad Cap. XXII.*

se modis omnibus præparabant: spretoque in ignominiam Cæsaris Pontifice Calixto, Alexandro Papæ jam diu exuli obedientiâ firmatâ, ipsoque in Apostolicum suscepto, subjiciuntur, ad territorium Palense fossatis firmissimis & profundissimis cingentes, adductis electis ex omnibus sibi faventium civitatum burgensibus in hanc colonis, civitatem firmissimam, utpote paludibus undique circumdatam, non procul à Vercellis, Alexandriam, Alexandri Papæ nomine nuncupatam, construxerunt, ipsamque cibariis, omnibusque ad futuram obsidionem necessariis abundantissimè confertam ad sustinendam Imperii vim, ac contra vires totius Italiæ demonstrandas, studiosissimè muniunt. Imperator itaque his compertis, eis non impunè talia licere, dignum necessariumque existimans, undique contracto validissimo exercitu, quinta jam vice Italiam ingreditur, confluentibusque ad eum civitatibus auxiliariis, procinctum Alexandriam versùs movit, ipsamque civitatem obsidione cinxit.

CAP. XXIII.

ANno Dominicæ Incarnationis MCLXXI. obsessa est civitas. Hæc obsidio nulli priorum comparanda, tum loci munitione, tum civium resistentium atrocitate, tum militum Cæsarianorum oppressione & occisione, tum temporis diuturnitate. Nihil enim calamitati & periculis idoneum hìc defuit: nihil patrandis in alterutrum immanissimis facinoribus impediens fuit. Nam Cæsare forinsecus balistis, arietibus, missilibus, omnique telorum genere, ac diversis machinarum instrumentis, turribus insuper ligno compactis civitati supereminentibus admotis, impositis militibus & sagittariis fortiter urbem impugnante: obsessi, non minori virtute & industria similium machinarum instrumentis illatum sibi damnum recompensantes, magnanimiter vindicabant (42): ac sæpissimè ordinatis agminibus portis erumpentes, Cæsarianis gladiotenus congrediebantur, sæpe repentinis incursibus maxima patratis audacia, hostes adoriebantur.

Interea Mediolanenses & Veronenses conflato ex civitatibus sibi faventibus exercitu, cum Cæsare in obsidione civitatis posito, congredi statuerunt, ut & his qui obsidione premebantur opportunè occurrerent, & rursus ab eis adjuti faciliùs Imperatorem superarent. Quo comperto, Cæsar obsidionem solvit, & à civitate recessit, quoniam eam superare nequivit (43). Cives enim turres ligneas, quas Cæsar ad expugnationem ipsorum fecerat, cum armatis desuper consistentibus, per suffossionem his dejectis, igni concremarunt, magnumque ex hoc detrimentum exercitui intulerunt.

Cæsar itaque omnem reliquum apparatum, quem ad expugnationem civitatis fecerat, scilicet talpas, vulpeculas, ericios, catos (talibus enim censentur nominibus) exuri præcepit, venientique exercitui obviam processit, ut ante videlicet cum eis congrederetur, quàm cum Alexandrinis conjungerentur. Cùm itaque jam ad invicem propinquassent, Italici Teutonicorum metuentes audaciam, missis ad Principes Nuntiis Cæsarem de pace rogabant, se suaque omnia dedentes. Cæsar igitur paci studens, eos in gratiam recipere statuit. Ipsi igitur se suaque omnia in manus Cæsaris offerentes, dediticios rursus ostendit (44). Principibus igitur pro eis supplicantibus, subjectioneque omnimoda sacramentis firmata, in gratiam Imperatoris recipiuntur. Cæsar igitur cum exercitu Papiam recepit (45). Italicis ad sua loca remeantibus, Rege verò Bohemiæ cum suis repatriante (46). Imp. cum Consiliariis suis cœpit tractare, quomodo civitates, quas in gratiam receperat, disponeret, ut Imperialia decreta conservaret, definitoque consilio, Nuntios ad suos ad hæc promovenda direxit.

Mediolanenses itaque videntes exercitum Cæsaris defluxisse, rursus rebellare præsumunt. Imperator igitur angustatus Legatos in Germaniam pro supplemento exercitus direxit, simulque ad Henricum avunculi sui filium, Ducem Saxoniæ & Bavariæ, ut Clavennæ ad colloquium sibi occurreret: venientique obviam procedens, ut periclitanti Imperio subveniret, plus quàm Imperialem decet Majestatem, humiliter efflagitavit. Dux igitur Henricus, utpote solus ad subveniendum Imperio hoc tempore potentia & opulentia idoneus, Goslariam ditissimam Saxoniæ civitatem jure beneficii pro donativo ad hoc expetiit. Cæsar autem tale beneficium sibi invito extorqueri ignominiosum existimans, minimè consentit. Pro quo Henricus iratus ipsum in periculo constitutum recedens reliquit.

Imperator verò Papiam ingrediens (47), ipsos & Cremonenses cum Cumanis toto studio ad bellum ingruens confortavit. At illi congregatâ militiâ hostes alacriter præstolantur. Igitur Wormatiensis Episcopus cum aliis Baronibus de inferioribus Rheni partibus in Italiam transiens, cum instructa militia Cæsari conjungitur, ordinataque acie hostibus ex adverso cum infinito exercitu consistentibus (nam ad C. millia pugnatorum computabantur) bellum committitur: freti Italici (48) multitudine, Cæsare autem peritia cum fortitudine. Itaque Cæsarianis alacriter pugnantibus, ac jam de victoria sperantibus, acies Brixiensium in insidiis ad subsidium collocata, repentè erupit, exercitumque Cæsaris à latere irrumpens, disjunxit, ipsumque multis captis vel occisis, fugere coëgit (49). Ligures itaque nobili victoria potiti, fugientes, Cæsare vix evadente, persequuntur, spoliisque egregiè ditati. Capti sunt hoc bello, præter alios, de Cumanis ferè quingenti, multique de Teutonicis. (50) Quo infortunio Cæsar accepto, in civitatibus sibi subditis se recepit. Mortuo interim Calixto Papa schismatico, Episcopi Germaniæ de concordia Imperii & Sacerdotii Imperatorem alloquuntur, voluntateque ipsius diem apud Venetias condixerunt: datoque conductu Papæ Alexandro veniendi ad colloquium, mediante Christiano Maguntinensi Episcopo, & Cunrado Saltzburgensi, maximè autem VVicmanno Hildesheimensi cum cæteris Episcopis, Sacerdotium & Imperium concorda-

(42) C. MS. vindicabant. *Ab hoc verbo usque ad* Interea *nil habetur in MSto Codice*.
(43) *A* Nequivit *usque ad* Venientique exercitui *in MSto Codice nihil legitur*.
(44) C. MS. ostendunt.
(45) C. MS. se recepit.
(46) *A voce* repatriante *usque ad* Mediolanenses itaque *nihil habet Codex MStus*.
(47) C. MS. Imperator Papiam regrediens.
(48) C. MS. fretis Italicis.
(49) *Post* coëgit *silet Codex MStus usque ad* Capti sunt.
(50) *A voce* Teutonicis *MStus Codex prosilit ad*: Mortuo &c.

datur (51), quibusdam Episcopis schismaticis sedes suas propter justitiæ censuram cedentibus. In hac etiam compositione Mediolanensibus treugæ XIV. annorum donantur, ipsis omnes captivos reddentibus.

His diebus Beatus Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, à Rege Anglorum Henrico, multis (52) jam diebus sede sua pro justitia pulsus, ab eodem occisus, in Confessoris & Martyris morte faciem Matris Ecclesiæ decoravit (53).

CAP. XXIV.

ANno Dominicæ Incarnationis MCLXXVII. Alexander Papa sedato schismate, Sedem Apostolicam obtinens, Concilium, quod Lateranense dicitur, congregavit, in quo schismaticos officio privatos deposuit.

Imperator in Germaniam redire disponens, Italicorum fidei se credere non audebat, sed missis Nuntiis ad Bertoldum Ducem de Zeringen, petiit ut Italiam cum exercitu sibi occurreret, ut eo securiùs transalpinaret. Quo veniente, per Montis-Jovis angustias regressus, in Alemanniam vênit. Itaque memor contemptus à Duce Henrico apud Clavennam sibi exhibiti, in ipsum vehementissimè exarsit, & quòd Italicis hostibus Reipublicæ contra Imperium faveret, universis Principibus conqueritur. Datâque ei Curiâ apud Ulmam ipsum ad judicium subeundum Imperiali more citavit. Quo non veniente, Curiam sibi secundam Ratisponæ præfixit: quam parvipendens, tertiam nihilominus apud Herbipolim sibi datam supersedit, ibique sententiâ Principum Ducatu Norico cum Saxonico & omni prædiorum & beneficiorum possessione, feudali pœna multatus, privatur. Ipse autem more paterno Majestati cedere (54), regalemque gratiam quærere dedignatus, dum se existimat stare, cecidit (55), perditumque statum dignitatis usque ad terminum vitæ nunquam recuperavit. Nam Imperator prædiis & beneficiis cedentibus (56), Ottoni Palatino de VVitlinsbach Ducatum Noricum concessit, ac Bernhardum Comitem de Anehalde Ducatu Saxonico sublimavit, (57), procinctumque movit contra Henricum Ducem, omnesque civitates & castella, cunctaque juris ipsius in Suevia, & Bavaria, & in Saxonia, ditioni suæ subjugavit. Deinde contra civitatem munitissimam Brunsvvic aciem dirigens, eam obsedit, civibusque acriter resistentibus cùm minimè proficeret, cæteris omnibus cis Albim fluvium ei subjectis, soluta obsidione discedit. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCLXXVIII. (58)

CAP. XXV.

ANno Dominicæ Incarnationis MCLXXIX. Soldanus Rex Iconii, missis ad Fridericum Imperatorem Legatis, quamvis Paganis, cum suis omnibus fœdus cum eo pepigit, filiamque ejus matrimonio sibi conjungi postulavit, ac se Christianum cum gente sua fieri, si adipisceretur Imperatoris filiam, sponte promisit. Imperator autem, licèt filiam teneré diligeret, vixque postulata concederet, tamen consensit, eamque sibi dare promittens, priùs tamen mortuam luxit, quàm petenti dederit.

Circa hæc tempora Alexander Papa CLXXI. obiit, cui Lucius successit (59).

CAP. XXVI.

ANno Dominicæ Incarnat. MCLXXXIV. Fridericus Imperator sedatis in Germania cunctis bellorum turbinibus, generalem Curiam cunctis Regni Optimatibus in Pentecoste apud Maguntiam edixit (60): ibique filios suos, Henricum scilicet Regem, & Fridericum Suevorum Ducem gladio accingi, armisque insigniri disposuit. Ad hanc Curiam totius Imperii Principes, utpote Francorum, Teutonicorum, Sclavorum, Italicorum, ab Illyrico usque ad Hispanias congregantur. Sed & vicinorum Regnorum Proceres invitante Imperii dignitate convenerunt, incredibilisque multitudo hominum diversarum regionum vel linguarum ibi coadunata est. Itaque foris civitatem in campi planitie, palatio cum amplissimo Oratorio ad diversorium Imperatoris ex ligni materia facto, domus Principum procerissimæ constructæ sunt in circuitu, singulis ad ostendendam suæ dignitatis magnificentiam sumptus ambitiosissimè conferentibus. Præterea tentoriis diversicoloribus numerum excedentibus erectis, velut maxima civitate constructa, tota planities ambitur: nihilque hîc ad ostendendam mundanæ miseriæ gloriam, abundantia victualium, varietate vestium, phaleramentis equorum, delectatione spectaculorum defuit, filiis hujus seculi prudentia sua, quæ stultitia est apud Deum, in generatione sua abutentibus: quod evidenti indicio divina potentia futura præsagiens, demonstravit. Nam sacræ noctis crepusculo ventus validissimus ab Occidente ortus, palatio Imperatoris Oratorium ejus contiguum, multaque alia ædificia, inhabitantibus vix evadentibus, funditus evertit, maximoque terrore perculsos ut penè loco cessissent, omnes dubitantes reddidit. Quod à Sapientibus non pro bono omine susceptum, eis omnino displicuit. Crastina itaque sacra die cum maxima lætitia solenniter celebrata, exquisitisque conviviis sumtuosissimè exhibitis, gloriosè peracta, feriâ secundâ, celebratis manè Missarum solenniis, filii Imperatoris Henricus Rex & Fridericus Dux armis præcincti, militarique palæstra alacriter exercitati, militiæ cingulum sumpserunt: tractatisque diversis Imperii ab Imperatore negotiis, quarta die ad propria cum gaudio recesserunt.

CAP.

(51) *Post* concordatur *usque ad* in hac composition^e^ *nil habet Codex MStus.*
(52) C. MS. Henrico, qui fuit avunculus Ottonis postea Imperatoris multis &c.
(53) C. MS. mirificè decoravit.
(54) more paterno majestati cedere: *non legitur in MSto.*
(55) dum se existimat stare, cecidit: *omittitur in MSto.*
(56) C. MS. beneficiis sibi cedentibus.
(57) *A verbo* sublimavit *usque ad* acta sunt *nil habet Codex MStus.*
(58) C. MS. MCLXXIV. *atque exinde usque ad* circa *nihil legitur in MSto Codice.*
(59) C. MS. successit: Anno videlicet Dominicæ Incarnationis MCLXXXII.
(60) C. MS. indixit.

CAP. XXVII.

ANno Dominicæ Incarnationis MCLXXXV. Lucius Papa vita decessit, eique Urbanus Tertius successit, in ordine CLXXIII. Eodem anno Beatrix Imperatrix obiit, & apud urbem Spiram regalibus exequiis, præsente Henrico Rege filio suo offenso (61), sepelitur.

Circa idem tempus Fridericus Imperator apud Constantiam in Pentecoste generali Curiâ celebratâ, Legatos Mediolanensium, omniumque civitatum Italiæ sibi rebellantium, subjectionem ultroneam insigniaque civitatum cum clavibus aureis offerentes, ac per hoc se dediticios demonstrantes, suscepit: ipsosque indultâ veniâ, gratiam Imperialem pacemque patriæ reportantes, cum gaudio remisit.

CAP. XXVIII.

ANno Dominicæ Incarnat. MCLXXXVI. Fridericus Imperator missis Legatis ad Wilhelmum Siciliæ Regem, filium Rogerii, sororem ejus filio Henrico Regi desponsari fecit, ac per hoc Regnum Siciliæ, cum Ducatu Apuliæ, Principatuque Capuæ Henrico Regi dotis nomine, post mortem à socero delegato recipiens, Romano Imperio restituit, quod post mortem Lotharii quondam Imperatoris, à Rogerio, capto Papa Innocentio, Regioque nomine ab eo extorto, Imperio ablatum fuerat. Igitur sexta vice cum maxima Principum frequentia Italiam ingressus, rogantibus Mediolanensibus, ut in signum adeptæ Imperialis gratiæ, nuptias filii apud Mediolanum celebraret, ad recuperandum Imperio eorum obsequium, cujus viribus admodum attriti erant, consensit, omnibusque Italicis Baronibus generalem Curiam apud Mediolanum indixit. Ad quam Curiam de Cisalpinis Regionibus ac de omni Italia, Tuscia, Campania, Apulia, Sicilia coadunati Principes, filiam Wilhelmi, Henrici Regis sponsam, cum maximo apparatu regalique pompa, cum Imperatore & sponso obviam procedentes, suscipiunt, ac cum maximo Regni fastigio nuptias peregerunt. In hac Curia Italicis plenariè gratiam Imperatoris adipiscentibus, paceque ad integrum reformata, ἀμνηστία, idest malorum oblivio, obsequiis eorum multifariè delibutus, in æternum mansura stabilitur. Solutâque Curiâ, Imperatore cum filio ejusque uxore transalpinante, omnes cum gaudio ad propria revertuntur. Igitur, sicut de Theodorico Gothorum Rege legitur, universis per circuitum Regibus affinitate seu fœdere, seu subjectione Friderico Imperatori consociatis, Imperii status multis modis eo imperante exaltatur. Nam Regi Francorum confœderatus, Regisque Siciliæ filiâ filio suo conjunctâ, Regem Ungarorum prono obsequio devotissimum semper habuit, Regisque Hispaniarum filiam alteri filio suo Conrado, licèt inefficax permanserit, desponsavit. Præterea ante hæc omnia in Curia Tholensi, juxta Bisuntium, Regi Danorum coronâ impositâ, Regnum sub hominio concessit, & Ducem Bohemiæ in dignitatem Regiam extollens, jus nomenque Regium coronâ impositâ ei contulit (62).

CAP. XXIX.

HIs temporibus Baldewinus Rex Hierosolymorum moriens, filiam nubilem (nam filio carebat) Regni reliquit hæredem: quod meritò in se ipsum divisum peccatis exigentibus desolandum & à Paganis conculcandum erat, quia in manus puellæ non bono omine regnandum devenerat. Nam Principum ipsius Regni quisque regnare gestiens, eandem puellam cum Regno hæreditario sibi, si conjugio carebat, vel filio si conjugatus, vel proximo, filio carens, jungi desiderabat: hacque de caussa maxima inter eos conflata invidia regnum dedit exitio. Ipsa autem spretis indigenis, Widonem Comitem Ascalonis, advenam videlicet elegantis formæ spectatæque fortitudinis virum adscivit, eumque Regno induens favente Patriarcha, nec non militibus Templi sibi in matrimonium conjunxit. Unde reliqui Principes valde permoti sunt, maximè Comes Tripolitanus, eum Regem habere, qui peregrinus erat, indignè ferens, Sarracenos accepto pretio Regno induxit, traditisque ei castellis quibusdam & civitatibus, ad obtinendam Hierosolymam accendit. Ad quod animum intendentes, quosdam de militibus Templi cum quibusdam terræ ipsius majoribus pretio corruptos, illata à se Regno sæpiùs latrocinia (ne videlicet eis latrocinia exercentibus vi obsisterent) dissimulare fecerunt: sicque maximam regionis partem quantocyus obierunt.

CAP. XXX.

ANno Dominicæ Incarnat. MCLXXXVII. Saladinus Rex Sarracenorum apud Damascum habitans, nequissimum Christianorum animadvertens commercium, eosque discordia, invidia, avaritia infectos considerans, tempus opportunum ratus ad obtinendam totam Syriam & Palæstinam, intendit animum: congregatoque validissimo de omni Oriente Sarracenorum exercitu, procinctum contra Christianos movit, eisque per totam Palæstinam igne ferroque instans, castella multa civitatesque, occisis vel captis Christianis, expugnavit, Sarracenosque ibi ad habitandum collocavit. Rex itaque Hierosolymorum, nec non egregius Princeps Antiochensis Reinaldus, aliique Christianorum Proceres contracto grandi exercitu, dominica Cruce exercitum præcedente, Saladino occurrunt, eique bello congrediuntur. A quo superati, multis Christianorum millibus occisis, Cruce dominica, proh dolor! capta, Christiani fugantur, Rexque, nec non Reinaldus illustrissimus Princeps cum multis aliis Christianis capti Damascum ducuntur, ibique idem Rex & præfatus Princeps in confessione veræ Fidei decollantur.

Hac victoria insolescentibus Paganis, omni Provincia devastata, cunctisque civitatibus Christianorum dirutis, excepta Tyro & Sidone, Tripoli & Antiochia, ac paucis aliis civitatibus & castellis munitissimis & inexpugnabilibus, capta priùs Accaron, ubi portus est, quod unicum & speciale Christianorum refugium hactenus fuit & est, Hierusalem obsidione cinxerunt, ac destructis in circuitu Eccle-

(61) C. MS. suo officiosè.

(62) *A verbo* contulit *usque ad postremum articulum Capitis XXX. incipientem* Eodem anno *nihil habet MStus Codex*.

clesiis, Bethleemitana videlicet & Olivetana, multisque aliis: tandem ejectis per conditionem Christianis, Hierusalem capitur, Sanctaque Redemptionis nostræ loca profanata, à Paganis incoluntur. Nec silendum arbitror, quod obsessa Hierusalem Paganis irruentibus, una turrium occisis plerisque Christianis, imposito Saladini vexillo, capta est, unde civibus orta desperatio, relicta murorum defensione, eadem die civitatem in ore gladii exterminandam penè dederat exitio. Quod videns quidam miles Teutonicus, ex desperatione sumens audaciam, quosdamque circa se hortatus, impetu magnanimiter in hostes facto, turrim vi obtinuit, occisisque in ea Paganis, vexillum Saladini truncatâ hastâ dejiciens, de eminentia turris in lutum projecit, civibusque fiduciam resistendi hoc facto conferens, ad defensionem murorum eos quantocyus reduxit. Postquam civitate per conditionem, ut dictum est, tradita, Sepulchrum Domini à Paganis quæstus gratiâ in veneratione habetur.

Facta hæc est Terræ Sanctæ lamentabilis desolatio, anno ab Incarnatione Domini, MCLXXXVII. ab adventu verò Francorum, quando eadem terra à Paganis per Gotfridum Ducem liberata est, anno LXXXVIII. Sicque Saladinus Palæstinâ subactâ, Ecclesiam Transmarinam miserabiliter attrivit, ipsaque Regio per multos annos Paganis subdita gemit.

Eodem anno (63) Urbano Papa mortuo, Gregorius successit. Quo infra dies quasi decem defuncto, Clemens substituitur, in ordine CLXXIV. Qui lamentabili de subversione Transmarinæ terræ accepto Nuntio (64), omni Ecclesiæ ad placandum Deum indictâ pœnitentiâ, Legatos suos Cardinales, Episcopos & Presbyteros, in omnes Cismarinæ Ecclesiæ fines direxit: filiis Ecclesiæ Matris confusionem paterno conquerens affectu, & ut Matri vim patienti, memores uberum, quorum lacte primitiva Ecclesia in Jerusalem nutrita, in eis virili robore convaluit, subveniant, obtestatur, Cruceque accepta in remissionem peccatorum, Crucis servos se gloriantes, Crucis ignominiam, quæ à Paganis capta tenebatur, in laudem & gloriam vindicent Crucifixi, verbo prædicationis magnanimiter hortatur.

CAP. XXXI.

ANno Dominicæ Incarnat. MCLXXXVIII. Fridericus Imperator generalem Curiam in media Quadragesima Maguntiæ celebravit, ibique per totam Germaniam sedatis bellorum turbinibus, pace undique reformata, Reipublicæ negotia tractavit. Ad quam Legati Sedis Apostolicæ venientes, Imperatori desolationem Transmarinæ Ecclesiæ scriptis & verbis, ex persona Domini Apostolici ac totius Ecclesiæ conquesti, repræsentaverunt, patrociniumque Romani Imperii per ejus auxilium imploraverunt. Qui habita deliberatione ad subveniendum se obtulit: acceptaque cum filio, Friderico scilicet Suevorum Duce peregrinationis Cruce in remissionem peccatorum, Crucis ignominiam se vindicaturum publicè denunciavit: & ad id negotium sui exemplo multos Regni Optimates cum multitudine diversæ conditionis & ætatis accendit. Cardinales autem his patratis à Curia digressi, verbo prædicationis per diversas Imperii partes instabant, multisque relinquere patrem & matrem, uxorem, & filios, & agros, propter nomen Christi, & Crucem tollere, ipsum sequi in expeditionem transmarinam, persuaserunt, & innumerabilem exercitum contraxerunt. Quibus omnibus Imperator sequentis anni Majo tempus profectionis constituit, pauperioribus ad minus trium marcarum expensam, ditioribus pro posse expensas præparare, indicens. Egentibus autem pondo trium marcarum sub anathemate profectionem fecit indici, nolens exercitum vulgo minus idoneo prægravari. His in Romano Imperio patratis, Apostolicus à latere suo Cardinales Regi Francorum Ludovico, necnon Richardo Regi Anglorum dirigens, ad idem opus Cruce imposita accendit, multosque de prædictorum regnorum finibus in eandem militiam coadunavit (65).

Hac tempestate Colonienses maximis studiis & sumptibus civitatem suam munientes, eam muro cinxerunt firmissimo: quæ res Imperatori suspecta displicuit, eisque excidium interminans, munitiones dissipare, rupto per quatuor loca muro, eos minaciter coëgit.

His diebus nuncii Soldani Regis Iconiensis ad Imperatorem venerunt, fœdusque (quamvis in dolo) renovantes, commeatum per totam Ciliciam cunctoque exercitui, si pacificus veniret, ex parte Domini sui obtulerunt: per Ciliciam enim Imp. terram Soldani, cujus caput Iconium est, cum exercitu transiturus erat: ideoque Pagani terræ suæ metuentes, fœdere quæsito pacem quàm bellum malebant, licèt aliter optatis evenerit.

CAP. XXXII.

Annis undenis demptis de mille ducentis,
Christus ut est natus, transit mare Rex Fridericus.

ANno Dominicæ Incarnat. MCLXXXIX. Fridericus Imp. in Pentecoste generalem Curiam Presburch in Marchia Ungariæ celebrans, exercitum peregrinorum in militiam Christi coadunavit, traditisque regalibus Henrico Regi filio suo, divisisque pro velle suo inter filios prædiorum suorum redditibus, cum collatis dignitatibus, omnibus bene dispositis, cunctis valedixit, & cum filio æquivoco Suevorum Duce, necnon & Marchione de Missen, cum Saxonibus & multis aliis Principibus & Episcopis, exercitu omni militari apparatu admodum instructo & copiosissimo, in Orientem contra Saladinum Sarracenorum Regem, & omnes Crucis Christi inimicos procinctum movit, ac per Ungariam iter arripiens, multis muneribus à Rege Ungariæ liberaliter honoratus, datis etiam exercitui victualibus in copia farinæ, vini, carniumque in Bulgariam copias transposuit: ibique negatâ sibi ab incolis regiâ viâ, eam vi obtinuit: occisaque multitudine resistentium, multos ex eis captos ex utraque parte viæ ramis arborum illaqueatos suspendit, seque per hoc non in pera & baculo, sed in lancea & gladio sepulchrum Do-

(63) C. MS. Anno Dom. Incarnat. MCLXXXVII. Urbanus Papa obiit, cui Gregorius, VIII. successit. Quo infra dies quasi decem defuncto Clemens Quartus substituitur &c.

(64) *Post* nuncio *Codex MStus addit*: Ut in Historia Peregrinorum poteris invenire.

(65) *Post verbum* coadunavit *usque ad Cap. XXXII. in MSto Codice nihil habetur.*

Domini visitare ostendit, sicque transitâ Bulgariâ Græciam applicuit. Græci itaque Bulgaris inhumaniores, subtracto exercitui omni humanitatis necessitate, simulque rerum venalium commeatu, jussu Imperatoris Constantinopolitani, milites sancti sepulchri necessariis defraudaverunt, seque in munitiones congestis rebus omnibus undique receperunt. Cæsar itaque hæc à Christianis pati ægrè ferens, exercitum ad rapinam datâ licentiâ relaxavit, Græcisque velut paganis utendi (66), quorum fautores his actibus se ostendebant, edicto constituit. Qua occasione totus effusus exercitus, civitatem opimatissimam Philippopolim forti aggressione captam, expugnavit, opimâque prædâ ibi direptâ, castrum munitissimum, Themut dictum, simili impetu obtinuit, hocque terrore multa castella & civitates Græcorum sibi subjecit, profligataque regione, opulenta præda ditati, reliquos ad commeatum coëgerunt. His circa finem mensis Augusti gestis, Augustus convocatis Principibus, eorum consilio in Græcia hyemare statuit, omnique in circuitu subjecta sibi terra, montem quendam accessu difficilem ad receptionem exercitus munivit, eumque Teutonico idiomate *Chunigisberc* nuncupavit. Ubi contra faciem Constantinopolitanæ civitatis potenter residens, omniaque necessaria exercitui à civitatibus finitimis convehi faciens, Græcam astutiam Romana potentia Germanicaque fortitudine devicit: totaque hyeme usque ad Pascha anni sequentis inibi mansit, Græcis cum Imperatore suo semper à facie ejus fugam constitutis (67).

CAP. XXXIII.

ANno Dominicæ Incarnationis MCXC. Clemens Papa obiit, eique Cœlestinus in ordine CLXXV. successit. Eodem anno Leopaldus Dux Orientalis & exercitus Coloniensis, multique de inferioribus partibus Rheni Cruce peregrinationis accepta, à Brundusio mare transvecti, Accaron applicuerunt, illucque jam Rege Anglorum Richardo, necnon & Rege Francorum Ludovico cum instructa militia tendentibus, Pisanis cum Italico exercitu eandem Urbem jam obsidentibus, consociantur, ipsamque totis viribus impugnant, Saladino summa industria obsessis opem ferente.

Eodem anno filius Friderici Imperatoris Henricus Rex contracto exercitu Alpes transcendens, Italiam ingreditur, indeque ad Urbem tendens, à Celestino Papa gloriosè susceptus, ab eoque omnium Romanorum favore, unà cum conjuge, in die sancto Paschæ coronatus, Imperatoris & Augusti nomen, nonagesimus quintus ab Augusto, sortitur: Hunc favorem Romanorum avaritiæ eorum maximis muneribus satisfaciens promeruit, ac Tusculanense castellum, quòd asylum Imperii contra omnes insultus eorum hactenus extitit, ipsis tradens, Imperium in hoc non mediocriter dehonestavit. Qui statim tota Urbe effusi, in ipsa die parasceve, castellum funditus destruxerunt (68), dirutisque turribus & muris, igne postremò consumpserunt, in vindictam cladis à Christiano Maguntiensi Episcopo sibi inibi quondam bello illatæ.

Igitur Imperator Constantinopolitanus vim Cæsaris Friderici ferre non prævalens, animum ejus, pro commissis satisfaciens, placavit, paceque data exercitum omni opulentia victualium collata, animæquiorem reddidit: sicque reconciliatus Augusto, accepto fœdere post Pascha præsentis anni, structis summo studio navibus, ipsum cum exercitu per Propontidem transvexit.

CAP. XXXIV.

ITaque Henrico Imperatore Imperio Occidentis sortito, Fridericus Augustus viribus Germanorum Orientem aggreditur, ingressusque cum exercitu Asiam, prosperis successibus ad tempus (69) incessit, omnibus ei in tota Romania pro voto parentibus. Igitur Soldanus Rex Iconii appropinquante Augusto cum exercitu fœdus infringens, victualia cum aliis rebus per totam Ciliciam in munitiones comportari fecit, mercatumque exercitui, utpote barbarus & Scytha perfidissimus, conferre noluit. Qua de re maxima fames exercitui inhorruit, ac plerosque mulos, asinos & equos cibum insolitum manducare coëgit. Præter hæc (70) exercitu Paganorum latenter immisso, extremis pabulatoresque Christiani exercitus latronum more assiduis incursionibus, aliquibus interdum occisis, inequitabant, sæpiùs se publicè ordinatis agminibus ostendentes, nostris æquo Marte eis congredi cupientibus, retrocedebant, consereréque nullo modo volebant.

Augustus ergo tali incommodo exercitum fameque & omni penuria laborantem (71), respectu pacti fœderis cum Soldano, à devastatione ac rapina refrenabat, æstimans hoc ante ignorante aut invito Soldano committi. Ubi verò veredarios hæc de industria Soldani, publicatâ ejus perfidiâ, fieri cognovit: iratus, Soldano hoste pronunciato, exercitum ad ultionem relaxavit: totâque Ciliciâ cum Pamphilia, Phrygiaque proscriptâ, cædibus, rapinis, igne ferroque utens, profligavit cuncta: Paganis, licèt procinctim incedentibus, semper tamen in fuga constitutis. Hæc itaque relaxatione recreato cum exercitu Iconium versùs, totius Ciliciæ metropoli, Soldanique archisolium aciem direxit, eamque inaudita celeritate expugnavit (72). Denique civitas hæc populosissima maximo murorum ambitu turriumque proceritate munitissima, arcem inexpugnabilem in medio sui complectens, omnibus ad obsidionem necessariis referta fuerat, cuncta extrinsecus regione victualibus nudata, ne superveniens Augustus militem ibi aliquandiu sustentare posset. Sed Deo conatum Paganorum in contrarium vertente, res aliter evenit. Nam ante horam diei tertiam Augustus civitatem subitaneo incursu cum maximo impetu aggressus, multitudine Paganorum resistentium occisa, ante nonam expugnatam irrupit, innumeris utriusque se-

(66) C. MS. utendum.

(67) Græcis cum Imperatore suo semper à facie ejus fugam constitutis. *Desiderantur hæc in MSto Codice.*

(68) *A* destruxerunt *usque ad* vindictam *in Codice MSto nil occurrit.*

(69) C. MS. aliquod tempus.

(70) *Ita se hæc habent in MSto Codice.* Præter hæc extremos agminis pabulatores Christiani exercitus exercitu Paganorum latenter immisso latronum more &c.

(71) C. MS. laborantem, æstimans hoc ignorante Soldano committi. Sed ubi cognovit industria Soldani fieri, iratus &c.

(72) *Post* expugnavit *nil habet MStus Codex usque ad* Nam ante horam.

sexus & ætatis in ore gladii trucidatis, Rege Soldano cum Nobilioribus in arcem fugiente. Sicque civitate potitus, eadem die arcem obsidione vallavit. Videns itaque Soldanus viribus Germanorum cuncta cedere, eosque divina quadam virtute fultos, ac mortis terribilium rerum contemptores: sinè cunctatione cuncta invadere resistentia talibus cedere periculoso doctus (73) experimento, necessarium ratus, dextras ab Augusto petiit, & ut ei mereretur colloqui, feria ductus pœnitentia, desideravit. Quo concesso, arce cum suis descendit, ac pro velle Augusti factus deditius, datis obsidibus, reconciliatur, restituta sibi cum Regno civitate Iconio.

CAP. XXXV.

His ita peractis, exercituque spoliorum opulentia ditato, Augustus motis castris ab Iconio discessit cum triumpho, Principibus Armeniorum undique ad eum confluentibus, & præcipuè Leone, illarum regionum nobilissimo Christianorum Principe, qui in montanis habitabat: à quibus lætanter susceptus, ac condignis gratiarum laudibus pro suo adventu & expugnatione Paganorum ei exhibitis, cum magno tripudio & gloria versùs Tarsum, Pauli Apostoli nativitate insignem proficiscitur, cunctis ei ad libitum inclinatis. Nam terra siluit in conspectu ejus. Sed terribilis in consiliis super filios hominum Deus, nondum venisse tempus miserendi Sion ostendens, solidissimam naviculæ Petri anchoram, in Augusto Friderico, rupto fune spei, post tales tantosque prosperitatum eventus, succîdit, ipsamque naviculam in mediis hujus mundi procellis quassari flagellarique nondum ad purum defœcatam permisit. Nam egregius Cæsar Fridericus Tarsum tendens, amne quodam parte exercitus transposita, refrigerandi gratiâ (æstus quippe erat nimius) ingressus (nandi enim peritus erat) subitaneo frigore naturalem calorem extinguente, deficiens, submergitur, miserabili morte Imp. terra marique potens finem vitæ sortitur. Fertur à quibusdam, hoc in Cidno amne accidisse, in quo & Alexander Magnus simili quidem modo, sed non morte periclitatus. Nam Cidnus Tarso contiguus est. Obiit anno Regni XXXVIII. (74) Imperii autem XXXV. Incarnationis Dominicæ anno MCXCI. cujus morte totus Christianorum exercitus irremedicabiliter sauciatus, planctu intolerabili, Augustum si vixisset omni Orienti metuendum luxit: sepultisque intestinis ejus cum carne reliqua apud Tarsum, ossa Antiochiam translata cultu Regio officiosissimè reconduntur.

Igitur Fridericus Suevorum Dux filius ejus, nobilis hæres, thesauris paternis exercitui liberaliter erogatis, militiæ Christianæ decus & spes unica, exercitum mœrore confectum consolatus, recreavit: eductoque de hoc fatali loco & inviso milite, Antiochiam pervênit, ubi statim pestilentia, defecto capite in morte Augusti, per totum corpus grassatur, divites & pauperes simul in unum exitiali tale (75) involvens, maximaque pars exercitus morte infausta consumpta, Antiochiæ & in ejus finibus sepelitur. Itaque cœlesti censura inopinabiliter tali exercitu penè defluxo, Fridericus Dux reliquis assumptis, Christianis in obsidione Accaron desudantibus associatur, ab eisque gloriosè suscipitur: ubi modico manens tempore febre corripitur, immaturaque morte raptus, cum maximo planctu ibidem sepelitur. Sicque nobilis illa & inclyta virtus Imperatoria, spes totius Ecclesiæ, in patre & filio ad nihilum devênit, tanquam aqua decurrens (76). Ut bene lamentatio Hieremiæ huic calamitati possit aptari, ubi in Threnis filios Sion (nam & hi filii Sion, utpote peregrini sepulchri Domini) deflet, ita dicens: (*Thren.* 4.) *Filii Sion inclyti & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?* Hi si vixissent cum tali exercitus apparatu, tanta prudentia, tantaque fortitudine instructi in unum corpus cum Accaronica militia coacti: quæ gens, quæ Regio, quis Regum fortissimus, imò quæ multorum Regum virtus in omni Oriente, Italiæ potentiam, Franciæ alacritatem, bellandique scientiam, & quod his omnibus superemineт Germaniæ animositatem & fortitudinem, indomitumque Regni caput sustinere posset? Sed non est consilium, neque virtus, præter Dominum. *Nisi enim Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* (*Psal.* 127.) Ergo tu exurgens Domine misereberis Sion, quando & quomodo, & per quos volueris, cùm venerit tempus miserendi ejus. Quia si humana virtute liberari debuisset, te permittente Fridericus hujus victoriæ titulum obtinuisset. Itaque quoniam si voluisses sacrificium sanguinis sui in honorem Sancti Sepulchri & Sanctæ Crucis tuæ dedisset: utinam holocausto peregrinæ mortis suæ delecteris, animamque ejus spiritibus Beatorum in cœlesti Jerusalem sociare digneris. Amen.

CAP. XXXVI.

Igitur Accaron à Christianis obsessa per Regem Francorum, Regemque Anglorum, Leopaldumque Ducem, ac per reliquos Principes diversis machinarum instrumentis, balistarumque tormentis, fortiter terra marique impugnatur: Pisanis cum Genuensibus, Venetianisque à parte maris instantibus, quòd navium assueti erant. Interim Rex Francorum sinistro nuntio de invasione Regni proprii accepto, cum multis aliis relicta obsidione discessit, amans plus terrenum, quàm cœleste Regnum: emensoque mari per Apuliam rediens repatriavit. Sed Rex Angliæ, egregiusque Dux Leopaldus, reliquique egregii bellatores aratro laborantes Dominico retro non respexerunt, donec agrum Accaron cadaveribus Paganorum fructiferum reddiderunt.

Saladinus itaque ad liberandos Accaronitas animum intendens, tota industria exercitum congregavit, Christianosque obsidione pellendos comminatur. Christiani autem audito adventu Saladini, duobus fossatis latissimis & pro-

(73) C. MS. fera ductus.

(74) *A numericis notis* XXXVIII. *usque ad* sepultis *silet Codex MStus.*

(75) C. MS. tabe.

(76) *A voce* decurrens *usque ad articulum Tertium Capitis XXXVI. & usque ad vocem* Rex Anglorum, *hæc tantum habentur in Codice MSto*: decurrens de obsidione igitur Accaron à Christianis facta, & qualiter facta fuerit de cetero consule Historiam Peregrinorum, *hoc solo addito, quòd*: Capta Accaron Rex Anglorum &c.

profundissimis cinxerunt se, binas habentes portas, ad excurrendum, si opus esset, ultra fossata constitutas, victualibus ad ferendam obsidionem undique comportatis. Igitur Saladinus valido exercitu contracto, contra Accaron aciem direxit, Christianosque civitatem obsidentes, forinsecus obsedit, castris in quodam colle non longè à civitate locatis: oppidanisque cùm à Christianis impugnabantur, signum per signum & fumum ei ostendentibus. Quibus illico subveniens, extrinsecus sagittis, balistis, omnique telorum genere Christianos impugnabat. Christiani verò ordinalibus agminibus ultra fossata sæpiùs egressi, ei publico bello congredi cupiebant, ipso semper cedente bellumque detrectante. Tandem civitatem Saladino præsente totis viribus invadentes, ipsam vi obtinuerunt, omnesque Paganos, viros ac mulieres, cujuscunque ætatis & conditionis, in ore gladii occiderunt, Saladino aspiciente, & cum maximo dolore recedente: paucis de majoribus captivatis.

Capta igitur civitate, Rex Anglorum signa triumphalia sui exercitus turribus affigi præcepit, titulum victoriæ ex torto (77) sibimetipsi satìs arroganter adscribens. Hacque de caussa cùm per civitatem transiret, vexillum Ducis Leopaldi turri, quam ipse cum suis obtinuerat, affixum vidit, suumque non esse recognoscens, cujusnam sit percontatur. Qui (78) Leopaldi Ducis Orientalium esse accepto responso, eumque ex parte civitatem (79) comperiens, maxima indignatione permotus, vexillum turre dejici lutoque conculcari præcepit: insuper Ducem verbis contumeliosis affectum, sinè causa injuriavit. Præter hæc prædâ communi universorum sudore acquisitâ, inter suos tantùm distributâ, reliquos privavit, in seque odia omnium concitavit. Omnibus enim fortiori militum robore præstabat, & ideo pro velle suo cuncta disponens, reliquos Principes parvipendebat. Attamen Teutonica militia cum Italica his admodum exasperata, Regi in faciem restitisset, nisi auctoritate Militum Templi repressa fuisset. Anglicam itaque perfidiam detestantes, Angliæque subdi dedignantes, ascensis navibus simul cum Duce Leopaldo repatriaverunt, Rege cum suis adhuc remanente (80), quotidieque Paganos impugnante.

Itaque cives Hierosolymitani, omnesque qui Paganos ex urbibus vicisque evaserunt, Accaron congregati, urbem ipsam summo studio munientes, receptaculum Christiani exercitus, sedemque belli contra Paganos constituerunt, eamque pro dignitatum varietate dividentes, habitationibus Templariorum, Hospitalariorum, Sepulchri Dominici Canonicorum cum sede Patriarchali distinxerunt, ac sæpiùs cum exercitu egressi, Paganisque congressi, pluribus civitatibus castellisque, quæ perdiderant, receptis, Paganis magnanimiter resistebant: repatrianteque Rege Anglorum, Henricum Comitem Campaniæ, datâ sibi viduâ Vidonis Regis, Regem sibi creaverunt: sicque collecto quotidianoque crescentes numero, prœlia Domini prœliabantur, multis de cismarinis partibus in auxilium eorum vicissim transfretantibus. Sed his dicta sufficiant, stylo ad Imperium nostrum redeunte.

(77) C. MS. ex toto.
(78) C. MS. quod Leopaldi.
(79) C. MS. Civitatem obtinuisse comperiens.

CAP. XXXVII.

ANno Dominicæ Incarnationis MCXCI. Henricus Imperator, ut prælibatum est, a Cœlestino Papa cum conjuge coronatus, ipsam secum ducens, Apuliam Siciliamque, mortuo Wilhelmo, possidere volens, in Campaniam cum exercitu divertit, rebellantemque sibi totam terram invênit. Nam mortuo VVilhelmo Rege quidam consanguineus ejus de genere Rogerii, Tancretus nomine, tyrannidem in Sicilia, quæ nutrix tyrannorum ab antiquo fuit, sub regio nomine arripiens, cum consensu omnium ipsius terræ Baronum, civitatumque, Imperatori violenter restitit, ipsumque de hæreditate conjugis, quoad vixit, constantissimè propulsavit. Imperator itaque Neapolim rebellem Campaniæ urbem obsidione vallavit, cunctâ in circuitu terrâ igne ferroque vastatâ. Quò Rex Francorum de transmarina expeditione rediens, ad eum vênit, ipsique confœderatus, honorificè dimissus in Franciam suam rediit. Pestilentia itaque exercitum tangente, nihil proficiens Imperator, de repatriatione disposuit: qua mora à quibusdam Baronibus Apuliæ propinquis suis Imperatrix capitur, & cum maxima diligentia custodita, in captivitate detinetur tempore aliquanto. Flebili ergo principio ad obtinendam Apuliam Imperator dehonestatus, sed meliori postmodum fortuna usus, ad cisalpina regreditur, facta priùs Apostolico de captivitate conjugis querimonia. Apostolicus autem commotus præsumptores hujus rei, terrâ eorum sub interdicto positâ anathemate constrinxit, Imperatricemque captivitate relaxari coëgit, quam postmodum ad cisalpina revertentem Imperator recepit, die ultionis in corde ejus cum nimia indignitate statuta. Reversus igitur ad cisalpina Henricus Imperator, Cunrado fratri suo Ducatum Sueviæ concessit. Hic Cunradus fortis agrestisque naturæ homo, sed liberalis admodum animi erat, ideoque magna appetens, illicitaque semper faciens, vicinis & remotis terrori fuit.

CAP. XXXVIII.

HAc tempestate Rex Anglorum Richardus de expeditione transmarina rediens, per Ungariam in fines Ducis Leopaldi, paucis comitatus, devênit: memorque injuriarum eidem Duci apud Accaron à se exhibitarum, ipsum nimis metuens, dimisso regali obsequio, privato habitu furtim celeriterque transire cupiens, in quoddam diversorium apud Viennam civitatem necessitate prandii divertit, sociis præter paucos à se dimissis. Itaque servili opere ne agnosceretur in coctione pulmentorum per se dans operam, altile ligno affixum propria manu vertens assabat, annulum egregium digito oblitus. Quidam igitur de familia Ducis, qui cum Duce apud Accaronitas visum Regem notum habebat, de civitate fortuitò egressus, tabernam regali coquo insignem intravit, & ex consideratione annuli ipsum respiciens & recognoscens, agnitum dissimulavit: concitoque cursu in civitatem reversus, Ducem, qui tum fortè aderat, de præsentia Regis certificans, admodum exhilaravit. Igitur sinè mora ascen-

(80) *A verbo* remanente *usque ad Cap. XXXVII. nil occurrit in Codice MSto.*

ascensis equis cum frequentia militum Dux accurrens, Regem frixam carnem manu tenentem captivavit: irrisumque tali opere in civitatem duxit, eumque arctissimæ custodiæ mancipavit, digna recompensatione reddens ei quod meruit (81). Attamen multi pro hoc facto Duci detrahentes, ac pro sacrilegio in peregrinum Sepulchri Dominici commissum computantes detestantesque improbabant: licèt hæc improbatio captivo Regi parum profuisset.

Imperator itaque captum Anglorum Regem audiens, missis ad Ducem nuntiis, Regem sibi præsentari jussit, præsentatumque Wormatiam asportari vinctum ferroque onustum præcepit, dans sibi inducias deliberandæ redemptionis: ad quem multi suæ terræ majores visendi gratiâ venerunt, & diversas rerum species Domino suo obtulerunt. Itaque pro captivatione peregrini Regis Leopaldus Dux à Summo Pontifice excommunicatus, ne simili ausu Peregrini Sancti Sepulchri à quoquam impetiti à subventione transmarinæ Ecclesiæ deterrerentur. Tandem datis in redemptionem suam Imperatori multis millibus centenariorum auri & argenti, nec non & Duci Leopaldo auro & argento pro libito collato, eisque pace & reconciliatione sacramento ab eo firmata, captivitate exuitur, sicque multatus rediit in terram suam. Certum autem pretii pondus quod contulit explicare distuli, ne cuiquam incredibile visum falsitatis argueret. Hoc autem sciendum, quòd Ecclesiastici thesauri per omnes Angliæ Ecclesias collecti: hujus census pars maxima constabat Calicibus, Crucibus, aliisque diversis speciebus conflatis.

Imperator itaque tanto pretio donativa liberaliter erogans, exercitum egregiè stipendiatum, præfectis sibi Ducibus Marquardo dapifero de Annevvil, & Bertoldo de Cunisberch misit in Apuliam, quorum industria multa castella civitatesque in deditionem accepit: ibique Bertoldus jactu balistæ percussus interiit. Tancredo interim mortuo, Optimates terræ ipsius contra Imperatorem unanimiter conspiraverunt, subdique dedignantes, omnes advenas Teutonicos de civitatibus suis expulsos ejecerunt.

CAP. XXXIX.

Anno Dominicæ Incarnationis MCXCIII. multis de cismarinis regionibus Cruce peregrinationis accepta, ad auxilium transmarinæ Ecclesiæ accenduntur.

Eodem anno Henricus Imperator contracto exercitu secunda vice Alpes transcendit, transitâque Italiâ & Tusciâ in Campaniam arma convertit. In quo itinere Richardum de Scerre Comitem ditissimum, à Theobaldo de Reggatart captumque sibique præsentatum, apud Capuam patibulo suspendit, capite deorsum verso: digna indignatione pro capta Imperatrice in eum effrenatus. Deinde omnes civitates Campaniæ, Apuliæque aut expugnatas destruxit, aut in deditionem accepit: inter quas præcipuè Salernum, Baletum (82), Barram, multasque alias civitates fortissimas nimia inflammatus ira, pervasa inæstimabili præda, subvertit: nec fuit civitas aut munitio, quæ ejus impetum sustinere valeret: militia peregrinorum, quæ in procinctu transmarinæ expeditionis constituta, cum eo transalpinaverat, quæque interim confluebat, opem ei summo nisu conferente. Itaque tota Apulia cum Campania in Provinciam redacta, in Calabriam & Siciliam copias transposuit, profligataque regione, Henricum Marscaldum de Kallindin cum instructo ad bellum exercitu, versùs civitatem Catinensium duxit, ubi omnes ipsius terræ Optimates cum innumerabili exercitu ordinata acie offendit: eisque incunctanter congressus, & victoriam multitudine occisa adeptus, fugientes insequutus, civitatem cum eis irrupit: captoque Episcopo, qui præcipuè rebellaverat cum multis nobilibus, civitatem igne succendit, nec Ecclesiis parcens, Ecclesiam S. Agathæ cum multitudine utriusque sexus & ætatis, quæ in eam confugerat, miserabiliter incendio consumpsit: sicque ad Imperatorem, nobiles in triumpho trahens captivos, rediit. Optimates igitur ultima desperatione adacti, dolo occidendum Cæsarem deliberaverunt. Et ut hoc consequi valerent, se & omnia sua potestati ejus contradiderunt. Quibus in fidem susceptis, familiariterque habitis, dolum & insidias eorum vincere statuit: quamvis tamen perfidiam perfidia vindicare dedecus sit. Denique se detectos minimè putantes, ab Imperatore citati convenerunt ad eum: quos omnos captos, in vincula conjecit, & exquisitis suppliciis affectos, miserabiliter enecavit. Nam Margaritam archipiratam potentissimum illius terræ Baronem, cum quodam Comite Richardo literis apprime erudito, oculis privavit, & quendam læsæ Majestatis convictum, pelle exutum decoriavit: quendam verò Regno aspirantem, coronari, coronamque per tempora clavis ferreis transfigi præcepit: quosdam stipiti alligatos, pyraque circundatos exurens, crudeliter extinxit: quosdam vecte perforatos, ventre tenus humo agglutinavit: ac per hoc omnibus in circuitu nationibus, non solùm in cismarinis, sed etiam in transmarinis partibus severitatem ejus metuentibus, maximum terrorem incussit.

CAP. XL.

Anno Dominicæ Incarnationis MCXCIV. Imperator contra Palermum civitatem in ultimis finibus Siciliæ sitam, quæ caput Siciliæ Archisoliumque, nec non ærarium thesaurorum Regum ejusdem terræ hactenus extitit, aciem direxit, castrisque ante faciem locatis, eam expugnare disposuit, hortumque regalem amplissimum undique circundatum, omnique bestiarum genere delectabiliter refertum, irrumpi jussit, feris in usum exercitus multivariè consumptis. Itaque cives animositatem Cæsaris nimiùm metuentes, sinè omni mora dediticii dextras petunt, conditionesque pacis, se suaque omnia offerentes, suppliciter quærunt. Quibus consentiens, civitate tradita eos recepit in gratiam, signis Imperialibus mœnibus undique insignitis: statutaque die processionis, quo à civibus Imperator Imperiali fastu susciperetur, exercitum omni affluentia delitiarum resolutum, gazisque spoliorum egregiè ditatum, securum reddidit: palæstraque militari exercitii gratia, omnique specta-cu-

(81) *Post verbum* meruit *usque ad postremum articulum Capitis XXXVIII. incipientem* Imperator, *silet Codex MStus*.

(82) C. MS. Barletum.

culorum magnificentia interim exhilaravit. Tandem summâ industriâ civium, cum maximis sumptibus triumphali pompa præparata, tota coronatur civitas tapetibus sertisque diversi generis & pretii, compita illustrantibus, thure, myrrha, aliisque speciebus odoriferis, intus & extra civitatem redolentibus plateis: amotoque à civitate procul Imperatore cum exercitu, cives per turmas suas secundùm modum dignitatum, conditionum, ætatisque differentia, egressi, nobiles in sua cohorte, seniores ætateque provecti in suo ordine, & his minoribus robustiores, exin juventus cum imberbi adolescentia imbecillique pueritia, omni phaleramento equestri vestiumque varietate adornati, ordine stationario in obviam procedebant: singulis quibusdam pro suo modo vel arte cum omnibus Musicæ disciplinæ instrumentis plausum exhibentibus. Imperator autem non minore industria composito exercitu militari disciplina, omnique præsumptione Teutonica prorsus interdicta, contemptoribus mutilationem manuum interminatus, omni armorum splendore rutilantem militiam exhibuit, binis longo tractu civitatem versùs pedetentim incedentibus. Ipse autem cum Principibus imperiali gloria & ornatu subsequutus, civitatem ingreditur, cunctis laudes affatim acclamantibus, vulgoque quod plateas circumstabat, viso Augusto juxta morem illius terræ prono vultu in terra coram eo corruente: sicque in regiam receptus, quieti dedit operam. Itaque multis muneribus à civibus est honoratus, scilicet præstantissimis sellis aureis, frenis phaleratis, ac diversis ex auro, argento, serico speciebus, quæ omnia exercitui liberaliter largiens, primò Principibus regalia dona contulit: dein militibus pro meritis extans munificus: eos omnimodis ad obsequium suum illexit. Inæstimabili igitur pecunia in thesauris regiis auri argentique reperta, ærarium publicum Triuels (83) confertissimum reddidit, aliaque Imperialia triclinia ex his admodum ditavit. Nam divitias Apuliæ, Calabriæ & Siciliæ, quæ feracissimæ metallorum sunt, patriæ invehens, lapidum pretiosorum ac diversarum gemmarum gloriam cum infinitis thesauris congessit: uxoremque Tancredi cum filia, nec non filium ipsius cum sua sponsa filia scilicet Constantinopolitani Imperatoris captivos nobilissimos trahens, mirificè triumphavit.

Igitur tali modo confecto bello Samnico, Apuliensique cum Calabrico, redactaque in Provinciam tota Sicilia cum Sardinia: Henricus Imperator bellicosissimus exercitum peregrinorum, multis muneribus illustratum, à se dimisit, & cum ipsis è suo latere publici ærarii stipendiarios quingentos milites in adjutorium Transmarinæ Ecclesiæ direxit. Qui à Siponte & Brundusio mare Tyrenum transvecti, Accaron applicuerunt, & à Christianis cum gaudio suscepti sunt (84): quorum auxilio multa castella Christiani recipientes, Paganos pacem petere coëgerunt, multis utrinque congressionibus priùs habitis, Christianis semper victoribus. Itaque pace constituta, Pagani summâ industriâ civitates & castella, quæ obtinuerant, muniverunt, & præcipuè Hierusalem duplici muro, antemurali opposito, ac fossatis profundissimis cingentes, inexpugnabilem reddiderunt, dato Christianis securissimo conductu visendi sepulchrum Dominicum quæstus gratiâ: quod Dominus Apostolicus, ne Pagani oblationibus Christianorum abuterentur, omnimodis interdixit, transgressoresque anathematis vinculo innodavit.

His temporibus Petrus Cantor Parisiensis, & Alanus & Præpositinus Magistri claruerunt. Horum Prior librum distinctionum, librum Psalmorum, Evangeliumque unum ex quatuor, per continuas glossas subtiliter compilavit, & præter hæc alia multa. Alter verò multa conscribens exposuit: inter alios librum, qui intitulatur Anticlaudianus, & regulas cœlestis vitæ (85), & contra hæreticos, & librum de vitiis & virtutibus, & de arte prædicandi, librumque suorum, & multa alia sana & Catholica conscripsit. Tertius nihilominus summam sententiarum cum multis aliis conscripsit. Iisdem temporibus Lumbertus Mediolanensis librum, qui sic intitulatur, *Frumenta cœlestis messis* & ita incipit: *Colligite frumenta ne pereant*, quantitate & subtilitate insignem, scripsit.

CAP. XLI.

ANno Dominicæ Incarnationis MCXCV, Henricus Imperator apud Tarentum constitutus, navibusque omnium necessariarum rerum affluentia onustis, per mare Christianorum exercitui transmissis, rapatriare disposuit: Nobilesque captivos triumpho reservans, in Germaniam præmisit: locis opportunis exiliatos conservari præcipiens. Nam filium Tancredi Regis adhuc puerum in Rhetiam Curiensem perductum, oculis privari, & in castro Amiso (86), perpetuæ captivitati addictum, custodiri præcepit. Qui ubi ad virilem ætatem pervênit, de transitoriis desperans, bonis operibus (ut fertur) æterna quæsivit, cœlestibus inhiando, quòd terrenis non potuit. Nam de activa translatus coactè, contemplativæ studuit, utinam meritoriè; Sponsam verò ipsius, filiam Constantinopolis Imperatoris, Imperator Philippo fratri suo desponsavit: Reginamque Apuliæ, uxorem Tancredi, Sibiliam nomine, filiamque ejus apud Monasterium Virginum, Hohinburch dictum, in Alsatia custodiæ mancipavit. Margaritam verò Archipiratam & Richardum Comitem Imperatricis consanguineum, luminibus (ut dictum est) privatos, æternis vinculis apud Triuels deputavit: sicque victoriosissimus terra marique potens Augustus in Germaniam rediens, repatriavit.

Welf Dux obiit. Leopaldus etiam Dux Orientalis (87), nato apostemate in crure, ipsoque crure propter intolerabilem dolorem præciso, ingravescente dolore, vitam cum dolore terminavit. Eodem tempore Richardus Rex Anglorum in obsidione cujusdam castri sagitta occiditur: succedente ei in Regno fratre ejus Johanne.

CAP.

(83) C. MS. Trivels seu Trivallis.
(84) *A verbo* suscepti sunt *usque ad* His temporibus *nil legitur in MSto Codice*.
(85) C. MS. cœlestis juris.
(86) C. MS. Castro Emp...
(87) *A verbo* Orientalis *usque ad* Richardus *nihil habet Codex MStus*.

CAP. XLII. (88)

Isdem diebus tertia expeditio Transmarina mota, multos nostrorum partium Principes ad Hierosolymitanum iter cum multis aliis accendit. Inter quos primatum habebant Venerabilis Maguntinensis Archiepiscopus Cunradus, nec non & Conradus Cancellarius, Episcopus Herbipolensis illustris. Huic expeditioni interfuerunt Fridericus Dux Orientalis, filius Leopaldi, pro patris animæ remedio suam positurus eâdem viâ in mortem, sed temporalem, ut sperandum est, animam: succedente sibi in Ducatu Leopaldo fratre suo: nec non Henricus Palatinus Rheni, filius Henrici Ducis Saxoniæ, sororius Regis Angliæ, frater Ottonis Imperatoris, cum Duce Brabantiæ de Lovin, multisque aliis præclaris Baronibus, eum expedita militia Crucem suam tollentes, Christumque sequi cupientes, ad auxilium Transmarinæ Ecclesiæ transfretaverunt, ibique adhuc de priori expeditione multos invenerunt. Quibus conjuncti, à Paganis quotidie igne ferroque instantes, plurimam pervasæ terræ partem receperunt, castrumque Torolts natura & arte munitissimum obsederunt: quod & cepissent, si non auri sacra fames in mente quorundam Christo præponderans, id impedivisset. Nam, sicut fertur, quidam de militibus Templi à Paganis corrupti pecunia, animum Cunradi Cancellarii, qui in hac ipsa obsidione præcipuè clarebat, cum quibusdam aliis, inflexerunt, eisque auri maximo pondere collato, obsidionem solvere persuaserunt: sicque vendito Christo, tradito Paganis per castellum, sicut olim Judæis, recesserunt: nec tamen de pretio taliter acquisito aliquod emolumentum, sicut nec Judas de triginta argenteis, consequuti sunt. Siquidem pretio corrupti, corruptum à Paganis aurum metallo sophistico, auro in superficie colorato, receperunt: sicque in opprobrium sempiternum cum nota infamiæ meritò consequuti sunt. Id sanè castellum, si captum Christianorum potestati cessisset, vim Paganorum in ea regione admodum contrivisset. Sed statim eodem Cunrado Cancellario repatriante, emenso mari ad Wirziburch Sedem suam rediit: ibique postmodum contra Regnum conspirans, & Montem Sanctæ Mariæ in ipsa urbe pro castello muniens, publicè rebellavit, rebus Ecclesiæ multivariè dilapidatis, à quibusdam ipsius Ecclesiæ ministerialibus, quos in guerra cum ipsis habita admodum injuriaverat, in ipsa civitate occiditur. Dicitur tamen de eo, quòd in corpore ipsius quædam castigationis indicia inventa sint, quibus districtæ conversationis ipsi pœnitentia sit ostensa.

Sed ut ad digressa redeamus, exercitus peregrinorum apud Accaron constitutus, conversatione Templariorum, Hospitalariorum, reliquorumque terræ Baronum scandalizatus, taleque commercium & quandam quodammodo secretam familiaritatem eorum cum Paganis detestans, se ab eorum auctoritate Ducatuque alienavit, auctoritate propria regi cœpit, & multis tam publicis quàm privatis congressionibus cum Paganis habitis, victoriam sæpiùs consequutus, actibus præclaris admodum enituit. Videntes itaque conpatriotæ militiam peregrinorum alacriter incedere, eisque pro voto cuncta succedere, sicut ab his, qui eidem expeditioni interfuerunt, audivimus: plus eorum industriam quàm Paganorum malitiam metuentes, insidias parant, peregrinosque omnes dolo occidendos conspiratione cum Paganis habita, deliberant, Henrico Rege eorum in idipsum consentiente. Verebantur enim, ne si peregrini Paganis prævalerent, eos patria pulsos arcerent, eamque vi obtinentes possiderent. Hacque de causa mortem vel captivitatem eorum machinati sunt. Nam quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi quæ tempore tantis exercitibus parentes, regionem maritimam, quæ fertilissima est, propter rerum ubertatem tantùm obtinere delectantur, Jerusalem Sepulchrumque Domini parvi pendentes ideoque tantorum proficientibus, Jerusalem conculcatur à gentibus. Igitur Henricus Rex cum suis fautoribus in fenestra altissimæ turris apud Accaron residens, ut fertur, & qualiter auxilio Paganorum peregrinos morti exponeret, capiens consilium, divinum judicium, in quod horrendum est incidere, expertus est, ac de fenestra cui insidebat pessima tractans, nutu Dei forinsecus corruens, quassatoque membratim corpore, spiritum exhalavit: sicque pravorum dissipato consilio, res, ut proposuerant, caruit effectu.

CAP. XLIII.

His diebus Henricus Imperator, Friderico filio suo infante adhuc, Rege post se designato, contractu exercitu tertia vice Italiam intravit, ac Pyrenæum transiens, cunctaque in Tuscia & in Campania pro libito disponens, in Apuliam & Calabriam divertit, ibique potenter residens, ad obtinendam Græciam, Imperiumque Constantinopolitanum intendit animum. Nam bello intestino fraternaque discordia pro Regno exhaustam Græciam considerans: quo id (89) modo fieret sagaci mente tractabat. Inter hæc Imperator Græcorum, missis ad eum Legatis auxilium ipsius contra fratrem suum quæsivit. Qui habita deliberatione, omnes ad id voluntarios auroque Græcorum sollicitatos milites illuc direxit: salutem ipsorum in hoc negotio fortunæ committens. Itaque multi spe lucri eandem militiam aggressi, in Græciam transvecti sunt, illucque auxilio intenti, ubi se sperabant liberaliùs appretiari. Interea Græcorum Imperator à fratre captus luminibus privatur, & arcta custodia servatur: ipseque Imperium cum urbe Constantinopolitana nactus, militiam Teutonicorum ad se vocatam, in gratiam Cæsaris liberaliter habuit, ipsorumque adjutorio prosperatus, Regnum Græcorum obtinuit, filio excæcari eum pro posse impugnante. Hujus cæci Regis filiam, filio Tancredi, ut supra retulimus, desponsatam, Imperator Henricus apud Palermum repertam, Philippo fratri suo desponsaverat: hacque de causa idem cœcus Imperator desperatis rebus ipsum Philippum cum filia hæredem Regni à fratre ablati, adoptaverat, & ut hoc consequeretur, opem Augusti assiduè sperabat.

His Constantinopoli ita gestis, Henricus Imperator in Sicilia manens, Imperii negotia in eisdem regionibus pro velle suo disposuit, Judices

(88) *In MSto Codice desideratur integrum Cap. XLII.*

(89) C. MS. considerans, eamque Romano Imperio subjicere desiderans, quo id &c.

dices regionibus, jura civitatibus, leges potestatum dignitatibus constituens: insuper Insulas maris vectigales faciens, Imperium admodum dilatavit: exercitu ejus cum instructis navibus & munitis galêis maritima percurrente.

CAP. XLIV.

ANno Dominicæ Incarnationis MCXCVI. Henricus Imperator, mortuo fratre Cunrado, Philippo fratri suo, qui in Sicilia interim cum eo manebat, datâ sibi sponsâ suâ, filiâ Constantinopolitani Imperatoris, Ducatum Alemanniæ concessit, ipsumque cum eadem sponsa sua in Germaniam destinavit. Qui in Alemanniam perveniens, apud Augustam urbem in Pentecoste armis cinctus, nuptias magnificè celebravit, in loco qui Gunzinlech, à quibusdam concio legum, dicitur: ac postea assumptis militibus, alpes transcendens, in Siciliam ad Imperatorem rediit, citatus ab eo, negotiis suis per omnem Ducatum Diethelmo Constantiensi Episcopo commendatis.

CAP. XLV.

ANno Dominicæ Incarnationis MCXCVII. Henricus Imperator, hostibus Imperii circunquaque subactis, terra marique potens, in ultimis Siciliæ finibus constitutus, immatura morte præventus est. Cujus mors genti Teutonicorum omnibusque Germaniæ populis lamentabilis fit in æternum: quòd aliarum terrarum divitiis eos claros reddidit, terroremque eorum omnibus in circuitu nationibus per virtutem bellicam incussit, eosque præstantiores aliis gentibus nimiùm ostendit futuros, ni morte præventus foret: cujus virtute & industria decus Imperii in antiquæ dignitatis statum refloruisset. Itaque apud Messanam civitatem Siciliæ defunctus, ibidem cum maximo totius exercitus lamento cultu regio sepelitur, filium ætatis annorum quatuor relinquens. Post cujus mortem Philippus Dux Sueviæ maximo periculo insidias illorum Provincialium declinans, vix repatriavit. Nam (ut prælibatum est) ab Imperatore priùs citatus erat hac de causa, ut filium ipsius ex Apulia perduceret in Germaniam, ubi à Principibus in Regem electus à Coloniensi Episcopo inungeretur, ut moris est. Imperator enim in Italiam migrans, eundem filium suum cum consensu Principum cunctorum, præter Coloniensis Episcopi, Regem post se designaverat: qui tamen postea resipiscens, (90) puerum in Regem collaudavit. Hoc Itaque negotio Philippus Dux in Italiam profectus, cùm venisset Romam, mortuum Imperatorem percepit: statimque regrediens, in Tuscia & in Italia insidiis diversorum periclitatus, vix evasit: sicque negotium hoc inefficax permansit, puero in Sicilia cum matre remanente (91).

Iisdem temporibus compatriotæ earundem regionum, scilicet Apuliæ, Calabriæ, Siciliæ, memores injuriarum, quas ab Imperatore Henrico sustinuerant, in gentem Teutonicam maxima sunt invidia efferati, acceptam injuriam pro posse in eos vindicantes: eaque de causa multos peregrinos gentis Teutonicæ de transmarina expeditione remeantes per terram illam, mortuum Imperatorem nescientes, multis modis injuriabant: nullusque sinè injuria illæsus transire poterat, absque armis & sinè comitatu multitudinis, multisque diebus hæc duravit invidia.

CAP. XLVI.

ANno Dominicæ Incarnationis MCXCVIII. Cœlestino Papa decedente, Innocentius tertius substituitur.

Igitur mortuo Henrico Imperatore, Philippus Dux Sueviæ frater ipsius, regressus in Alemanniam de partibus Tusciæ, satagebat omnimodis, ut Principes electionem, quam circa filium Imperatoris fecerant, ratam haberent. Orientales itaque Principes, videlicet Dux Bavariæ, & Bernhardus Saxoniæ, cum cæteris Baronibus, & Episcopi Magdeburgensis, & Salzaburgensis, cum cæteris Episcopis Orientalibus diem colloquii in partibus Turingiæ apud villam Arnisperc præfixerunt. Quò veniente Philippo Duce, cum cæteris, quos supra diximus, habito consilio, ipsum in defensorem Imperii eligere decreverunt, quoad usque nepos suus, Imperatoris filius, dudum tam ab ipso quàm à cæteris Principibus electus, in Alemanniam deveniret. Soluto ergo colloquio, ad oppidum Mulnhusen venientes, promissa (92) sibi subjectione digressi sunt.

Archiepiscopus verò Coloniensis & Treverensis & quidam Episcopi, & Henricus Palatinus Rheni, cum aliis Baronibus illarum regionum aggregati, electionem filii Imperatoris cassantes, vocaverunt Ducem Bertoldum de Zaringem, ipsum in Regem eligere volentes. Qui cùm ad diem condictam Coloniam venisset, dissuasus à Consiliariis, ne electioni eorum consentiret, propter contradictionem Principum Orientalium, & electionem filii Imperatoris jam factam, promisit se de his deliberaturum. Regressus igitur ab eis, datis obsidibus die constituto reversurum se promittens. Quo non reverso, retentis obsidibus, pecuniam, quam sub conditione promiserat, obsides dare coëgerunt: mittentesque Comitem Emichonem de Liningen, vocaverunt Ottonem, Henrici quondam Ducis Bavariæ & Saxoniæ filium, quem venientem Regem creaverunt, faventibus quibusdam illarum partium civitatibus: Sic ergo divisis contra se Regni Principibus, Regnum cisalpinum contigit plurimùm desolari. Principes etenim, qui electionibus Regum non interfuerant, postmodum se vicissim ad alterum eorum conferebant, Lupoldus videlicet Dux Orientalis & Rex Bohemiæ, necnon etiam Landgravius de Duringin, & Bertoldus de Zaringin ad Philippum: Dux Brabantiæ ad Ottonem & quidam alii.

Itaque uterque Regum pro principatu suo agens, bellum hoc civile penè per XII. annos pertinaciter protelarunt. Nam Philippus regalia tradente sibi Imp. fratre suo tenens, omnesque thesauros ipsius, possessionesque prædiorum, aliorumque fratrum suorum, ditissimorum videlicet Principum, ipsorum hæres, solus obtinens, Principes Ottoni faventes, quosdam minis, quosdam promissis & donis, in sui partem transduxit, & innumeras expeditiones sæpissimè contra Ottonem promovit, civi-

(90) C. MS. resipiscens, cæterisque Principibus vix inductus acquiescens, puerum &c.

(91) *Post verbum* remanente *reliquum Cap. deest.*

(92) C. MS. venientes Philippum Ducem in Regem eligunt, promissaque sibi.

civitates castellaque per diversa loca expugnans, rebellantes undique ad deditionem coëgit. Otto verò auxilio fretus Henrici Palatini fratris sui, & Coloniensium, impetus Philippi constanter sustinuit, archisoliumque quod Aquisgrani est adeptus, à Coloniensi Episcopo, cooperante Treverensi, qui ad hoc specialiter privilegiati sunt, in Regem unctus, gloriabatur, se, etiamsi non regalia jura, tamen & loca regalia retinere (93).

CAP. XLVII. (94)

His temporibus, ut veraci relatione comperuimus, Sacerdos quidam sanctæ conversationis, nomine Volco, in Francia, in Parisiensi diœcesi, cujusdam Ecclesiæ Parochianus, verbo prædicationis per omnes Franciæ partes instans, gratia miraculorum mirificè claruit: ac præcipuè in Parisiensi civitate vitia Deo odibilia & maximè avaritiam, ejusque accidens usuram, sodomiticumque scelus, reprehendit: & nunc minis, nunc blanditiis, nunc increpationibus, omnes verbum audientes ad pœnitentiam invitavit: atque (sicut percepimus ab his qui interfuerunt) laborantibus variis languoribus per impositionem manus contulit sanitatem, reddens cœcis visum, surdis auditum, claudis gressum, mutis loquelam. Hæcque sic evidenter & confidenter egit, ut in digito Dei hæc eum operari non dubitaretur. Ergo tam præclara tamque multa miracula per eum Deus ostendit, ut antiquis Sanctis omnimodis posset in hoc dono Dei æquiparari. Non ergo temerè opus prædicationis assumpsit, sed auctoritate Domini Papæ Episcoporumque præcepto ad hoc accessit: asserens, quòd Beata virgo Maria sibi apparens, ad hoc eum officium informaverit, & ut pœnitentiam populo prædicaret, admonens, datam sibi à Deo gratiam sanitatum intimavit. Igitur pauca de pluribus (sicut Bertoldus de Osinberc Henrico custodi Argentinensis Ecclesiæ de Veringin, postea ejusdem Ecclesiæ Episcopo, transcripsit, qui his interfuit) in medium producentes, declarabimus: ad ostendendum, cum quali confidentia ea operatus est. Allatis denique ad eum mutis, sicut idem Bertoldus oculis suis vidit, ora eis aperiens insufflavit, eisque ut loquerentur imperavit. Qui si aliquandiu morarentur, eos in maxilla cædendo, quasi per vim Spiritus Sancti verbum ab eis violenter extorsit, statimque loquentes reddidit. Contigit quoque eum quadam die caussa quadam ad Regem Franciæ pergere: cui occurrentes milites, quendam adolescentem cognatum suum debilem & contractum obtulerunt, & ut ei manum imponeret, suppliciter petierunt. Quos ille de pompali admodum superfluitate acriter reprehendens, contracto, ut equo quo sedebat descenderet, imperavit. Itaque puer omnino debilis, cùm se movere non poterat: iteratò Sacerdos ei dixit: In nomine Domini Jesu Christi præcipio tibi ut descendas. Cùm nec ad hanc vocem æger posset descendere: Dominus Volco (nam & ipse equo sedebat) equum ad eum urgens, quasi eum percussurus baculum quem manu gestabat elevavit: ægroque per hoc stuporem incutiens, eumque præ timore de equo corruentem elevans, sanum continuò reddidit, eumque per aliquod campi spatium coram se gaudentem currere fecit. Inter cætera virtutum ejus insignia, fœneratorem quendam ditissimum videns in spiritu ad vitam esse prædestinatum, occasione prandendi cum eo ad salutem ejus sumpta, domum ejus ingressus est. Ad quem vir Dei: *Quid*, inquit, *pransuri sumus hodie?* Cui dives: *Non est necesse, Domine, nos hoc inquirere: quòd quicquid civitas optimum habere poterit in cibis, nobis hodie non deerit*: Quare vir Dei clericis qui secum venerant assumptis, coquinam ejus intravit, & coquo ut singula fercula se præsente exponeret, jussit. Quod dum faceret (mirum dictu) pro variis & pretiosis quæ imposuerat, aut ranas de singulis aut serpentes exposuit. Quo viso, omnes qui aderant in stuporem conversi sunt, & præcipuè dives ille se peccatorem agnoscens, pedibus ejus provolvitur: se peccatorem, se criminosum proclamans, & ut sibi viam vitæ per indictam pœnitentiam ostendat, summopere precatur. Ad quæ Sacerdos: *Immundus es tu, & omnia quæ habes. Et nisi omnia quæ ex usuris vel quolibet modo injustè acquisivisti, reddideris, ac deinde omnibus justè acquisitis in pauperes erogatis, per eleemosynam peccata tua redemeris, indulgentiam non mereberis.* Cui dives obediens, ac septimanas nihil agens, hæc devotus implevit. Dehinc ad virum Dei reversus, nihil sibi remansisse indicavit. Quidam autem ex amicis ejus astans, se adhuc in vase XX. maltra tritici de rebus ejus reservasse indicavit, quæ dives alia expendens oblitus erat. Sacerdos igitur assumpto divite, turba Clericorum amicorumque ejus & multorum aliorum comitante, ad vas accessit, ipsumque aperiens, bufonibus, serpentibusque plenum reperit. Sacerdos autem ad divitem versus: *Si vis*, ait, *perfectus esse, & certus de divina misericordia & venia, vas istud ingredere nudus, & ego tibi vitam æternam promitto.* Cui ille magna fide obediens, coram omnibus in remissionem peccatorum suorum nudus intravit: clausoque vase ac signato super eum, Sacerdos omnes usque in crastinum abesse præcepit. Itaque sequenti die, cum eis qui hoc viderant & cum multis aliis ad locum vênit, & aperto vase, nihil præter humana ossa, super nivem candida, invênit. Quæ in medium proferens, sancta & veneranda esse protestatus est, & cum gaudio & admiratione omnium in loco honesto reposuit. Meretricum autem sectam, quæ infami commercio vitam suam probrosè prostituerant, omnimodis in ea regione deposuit, easque verbo prædicationis conversas, plures truncatis crinibus, habitu religionis induit, professione perpetuæ castitatis. Alias autem quæ continere non præsumebant, casum ex fragilitate timentes, datâ eis in dotem non modicâ pecuniâ, legitimo connubio reformavit. Ad quod efficiendum Parisienses scholares ducen-

(93) *Post verbum* retinere *Codex MStus sequentes versus addit in hanc formam.*

ELECTORES.

Archiepiscopi
Moguntinus, Treverensis,
Coloniensis,
Inde Palatinus Reni dapifer. Dux Saxoniæ
portator ensis
Marchio de Brandeburg Præpositus Cameræ.
Pincerna Rex
Boemius.
Romanum statuunt Regem concorditer isti.

(94) *Integrum hoc Cap. XLVII. desideratur in MSto.*

céntas quinquaginta libras erogaverunt argenti, Burgenses quoque mille & amplius.

Hujus Sacerdotis conversatio non multùm simulata religione fuit. Vestes enim pro consuetudine ipsius terræ habens, barbam frequenter radebat, caput decenti pileo cooperiens. Vadens ad prædicandum equo utebatur: & in quamcunque domum receptus est, modo justi prædicatoris comedit & bibit quæ sibi apponebantur. Magistrum etiam Petrum, virum apprime eruditum, ad officium prædicationis assumpsit, eique gratiam curationum à Domino impetravit: reliquos Magistros, ut compendiosas, & dulces, & utiles in timore Domini discipulis facerent lectiones, adhortans. Dialecticos enim inutilia abjicere, utilia in hac arte monuit reservare. Decretistas quoque de multis inutilibus & lectionem gravantibus concordantiis reprehendit. Theologos autem de longis continuationibus & sophisticis disputationibus redarguit: reliquarumque artium Magistros simili modo increpans, eos de multis inutilibus correxit, atque ad necessaria tractanda & docenda informavit. Is Sacerdos quid egerit his peractis, vel quo fine defecerit, ignoratur: sapientioribus, quia de ejus transitu nihil memoria dignum, ex hoc admodum scandalizatis. Sed hoc frustra, cùm possit multipliciter honestè defendi.

CAP. XLVIII.

IGitur Innocentius Papa Philippo jam antea offensus, eo quòd in Tuscia existens quoddam patrimonium Sancti Petri invaserat, ipsum in Regem eligere non consensit, sed Ottoni favens, ipsum in defensorem Romanæ Ecclesiæ collaudavit. Veruntamen procedente tempore videns vires Ottonis ablatas, & favore Principum admodum concidisse, Philippum verò, subjectis Ottonis fautoribus, prævaluisse ipsi, duos Cardinales ex latere suo, Hugonem videlicet Ostiensem & Velletrensem Episcopum, & Leonem tituli Sanctæ Crucis in Jerusalem Presbyterum Cardinalem ad eum direxit, ut auctoritate Apostolica ad litem terminandam data ab utrisque pace, ad diem & locum condictum Reges convenirent, ibique mediantibus Cardinalibus aliisque Principibus, qualicunque conditione pax inter eos reformaretur. Itaque die condicta in inferioribus Rheni partibus, non procul à Colonia, convenientes, post multa passim tractata, Ottoni à Philippo per Cardinales offertur, ut accepta in uxorem filia ejus cum Ducatu Alemanniæ, aliorumque prædiorum suorum redditibus, regio nomine deposito, ipsi de cætero ut Regi parêret, Philippo ex hinc sinè controversia regnante. Ad hæc Otto, quamvis jam desperatus, indignè ferens aliqua sibi pro Regno offerri, se Regnum non nisi cum morte depositurum protestatus, Philippo ut sibi cederet multo majora obtulit. Talique ambitione non convenientes, infecto negotio ab utroque discessum est: Cardinalibus ad Regem Philippum se conferentibus, eique favorem Domini Apostolici offerentibus.

(95) C. MS. Agye Sophie.

CAP. XLIX.

ANno Dominicæ Incarnationis MCCV. Dux Venetiarum cum Marchione de Monteferrato, ac multis Italicis, nec non Comes Flandrensis, plurimique de Regione Galliarum, Hierosolymitanæ Ecclesiæ subvenire nitentes, Cruce accepta per Græciam iter arripiunt, ubi à Græcis maximè à Constantinopolitanis multis versutiis & injuriis irretiti sunt. Unde permoti, profligata circa urbem Regiam universa Regione, belloque cum Imperatore habito, ipsoque cum multis occiso, urbem obsessam expugnantes irrumpunt, in rapinamque efferati, nec Ecclesiis parcentes, auri & argenti aliarumque rerum inæstimabiles thesauros diripuerunt: Venetianis cum Pisanis, Januensibusque, ac multis de omni Italia, Ungaria, Germania, Gallia, Hispania, ad auxilium eorum spe lucri tendentibus. Itaque de multis occiduis Regionibus divitiæ Græcorum invectæ sunt; ac præcipuè ornatus Templi, quod Justinianus Imperator in honorem Sanctæ Sophiæ (95) quondam construxit, multo auri extans pondere cum Reliquiis Sanctorum innumerabilium, quibus hæc civitas præstabat omni Orienti, Venetiam ex maxima parte translatus est: aliis Regionibus civitatibusque eisdem Reliquiis thesaurisque admodum ditatis. Præterea Abbas quidam nomine Martinus, Cistercienfis Ordinis, de Monasterio Perisio, quod situm est in Alsatia, eandem expeditionem aggressus, huic expugnationi Constantinopoleos interfuit: indeque maximam partem vivificæ Crucis, aliarumque Reliquiarum Dominicarum, cum multis Sanctorum Reliquiis, ornatis auro & argento & lapidibus pretiosis in Patriam transtulit: hisque totam Germaniam cum Alsatia admodum nobilitavit (96).

Sic itaque districtus judex omnipotens Deus injurias peregrinorum suorum vindicavit, quæ à Græcis ab antiquo omnibus Jerusalem per fines suos tendentibus, semper irrogata est. Deus ultionum Dominus, reddens retributionem superbis: nec tamen in ira suæ misericordiæ oblitus, quòd hoc flagellum non à Paganis, sed à Christianis, super filios pestilentiæ induxit: hoc nimirum meritis Sanctorum exigentibus, ne præclaræ eorum Reliquiæ manibus Paganorum polluerentur, sed à Christianis aliò translatæ, debito colerentur honore. Itaque Latini nec non Teutonici, pulsis, seu occisis Græcis, civitatem Regiam obtinentes, Comitem Bonifacium Regem creaverunt, totamque Græciam devastantes, variis prœliorum eventibus cum Græcis decertarunt. Sed de his hactenus.

CAP. L.

ANno Dominicæ Incarnationis MCCVIII. Philippus Rex subjectis sibi multis modis omnibus penè Ottonis fautoribus, ipsum postremò persequi deliberat, contractoque valido exercitu contra Brunsvvic ire disponens, in civitatem Babinbergensem divertit, exercitu jam in procinctu constituto: ibique phlebotomatus aliquandiu quiescere voluit. Itaque Otto Palatinus de Witilinspach, remorden-

(96) *A verbo* nobilitavit *usque ad* Sed de his hactenus *non legitur in MS.*

dente memoria injuriæ sibi in ablatione filiæ à Philippo Rege exhibitæ (desponsatam enim illi filiam prætenta consanguinitatis propinquitate negaverat) tempus opportunum ratus, atque instigatione Marchionis de Anedehse animatus, in vindictam exarsit, sociorumque frequentia stipatus, quasi in expeditionem iturus, *Babinberc* ad Regem Philippum divertit, & quasi ei in aurem loquuturus cubile Regis familiariter pulsavit, gladio sub veste latente. Intromissus igitur continuò exerto gladio Regem invasit, unoque ictu capite letaliter vulneratum occîdit: vulnerato etiam Henrico dapifero de Walpurg, qui eum compræhensum retinere voluit: sicque cubili erumpens, ascenso equo cum sociis secessit, Rege statim expirante. Exercitus igitur audiens Regem occisum, veloci regressu repatriavit, sibi rebusque suis quasi prospiciens. Nam quaquaversum omnes in rapinam efferati, civitates ad jus Philippi spectantes plerasque, rebus direptis, succenderunt, Monasteriis villisque undique spoliatis: nullusque sinè armis multoque comitatu securo itinere incedere valebat.

Occiso igitur Philippo, anno belli hujus civilis duodecimo, Otto Regnum, pro quo diu conflixerat, tandem obtinuit. Sed quia admodum attenuatus fuerat, paulatim conversis ad se Principibus confortatur. A nativitate itaque Sancti Johannis Baptistæ, quando videlicet occisus est Philippus usque ad Autumnum, attrahendis sibi Regni possessionibus & conciliandis Principibus instans, circa Festum Sancti Martini Curiam apud FranKinfurt habuit. Itaque lege pacis promulgata, Regnum turbatum paulisper tranquillavit. Post hoc apud castrum Noricum colloquium habens, (97) à Bavaria in Alemanniam pervênit, ibique in Epiphania Domini apud Augustam colloquium habens, Ottonem Palatinum de Witilinspach, nec non Marchionem de Anadehse lege Bavarica sententialiter, propter occisum Philippum, proscripsit, eosque dignitatibus, beneficiis, ac prædiorum suorum reditibus, sinè spe recuperationis, judicialiter privavit, dignitates eorum in alios transferens, aliisque beneficia concedens, reditibus prædiorum hæredibus eorum delegatis: captisque ibidem V. pacis violatoribus, uno decollato, quatuor suspensis. Ubi etiam Legatis civitatum Italiæ ad eum venientibus insignia civitatum cum clavibus aureis & multis aliis donis offerentibus, ac per hoc subjectionem profitentibus, susceptis, in Saxoniam perrexit.

CAP. LI.

ANno Dominicæ Incarnationis MCCIX. Otto Rex generale colloquium in Quadragesima habens apud Hagenovve, expeditionem in Italiam Principibus edixit: ibique occisum esse Ottonem Palatinum de Witilinsbach à Marscalco Henrico à Kalindin, in vindictam Philippi Regis, nuncium accepit. Igitur fortuna prosperis successibus arridente, ne Principes qui cum Philippo fuerant, & hi qui Ottoni priùs adhærentes demum apostataverant Regem conscientia remordente suspectum haberent, medium quoddam necesse fuit interponi: ne occasione, ut fieri solet, alicujus discordiæ conflata, in pristinum rursus exitium Regnum involveretur. Ad hoc nullum magis idoneum inveniri potuit, quàm ut Otto Rex acciperet in matrimonium Philippi filiam, quæ connexione insolubili concordiam inter Regem & Principes stabiliret. Et quia hoc sinè licentia Apostolicæ auctoritatis fieri non licuit, cognatione (98) impediente (nam Pater Ottonis avunculus fuit Friderici Imperatoris, Patris Philippi) missi sunt à Sede Apostolica Cardinales duo, Hugo Ostiensis & Velletrensis Episcopus, & Leo tituli Sanctæ Crucis in Jerusalem Presbyter Cardinalis, qui priore anno vivente Philippo pro eadem caussa (ut prælibatum est) legatione functi erant, ut necessaria dispensatione connubium hoc gratiâ pacis & concordiæ, auctoritate Beati Petri, ex Apostolica conniventia initum, ratum & legitimum statuerent, idque remoto omni scandalo, Ecclesia dispensante, probabile confirmarent. Qui ad Regem venientes, eumque Apostolica benedictione salutantes, caussam legationis suæ, ut relatum est, aperiunt, eumque libenti animo consentientem ad hoc, ad defensionem Romanæ Ecclesiæ invitaverunt.

Itaque ad hæc exequenda generalis Curia à Principibus apud Herbipolim indicitur in octava Pentecostes. Principes igitur ex diversis Regni partibus ad hanc Curiam convenerunt, Legatique civitatum Italiæ subjectionem offerentes, interfuerunt, Ottonemque Regem regali ambitione coronata civitate, cum maximo tripudio susceperunt, ibique in palatium regale congregati, extructo tribunali, Rex conscendit, Cardinales habens collaterales, reliquis Principibus circumsedentibus. Itaque Hugo Ostiensis Episcopus Cardinalis primò exorsus, de causa regalis cōnubii pro qua convenerant, rationabiliter Latino idiomate allegavit, interpretem habens Wirziburgensem Episcopum, Regique Ottoni, ut pro bono pacis & concordiæ ad abolendam præteritorum malorum memoriam, cum filia illustrissimi Principis Philippi matrimonium contraheret, auctoritate Dei & Beati Petri, per Apostolicam obedientiam, in remissionem peccatorum suorum, præcepit. Rege igitur ad hoc devoto animo consentiente: Abbas Morimundensis, Cisterciensis ordinis, surrexit, omniumque Abbatum, aliorumque claustralium utriusque ordinis, Cluniacensis videlicet & Cisterciensis, personam assumens, delictum hoc connubio contra consuetudinem Ecclesiæ quamvis dispensatoriè committendum, monastico ordini auctoritate Apostolica imposuit: Regi per hoc injungens pœnitentiam, ut Monasteriorum, aliarum Ecclesiarum pro posse defensor existeret, viduis & pupillis justo judicio præesset, monasteriumque Cisterciensis ordinis in fundo proprio ædificaret, ac post hæc Ecclesiæ Hierosolymitanæ in propria persona subveniret. His omnibus Rege obediente: puella jam nubilis à Duce Leopaldo orientali & Ludovico Duce Bavariæ adducta, tribunali sistitur, ac de consensu interrogata, verecundata admodum rubore perfusa, se libenti animo consentire profitetur. Mox à Duce Leopaldo cognato suo, per manus Cardinalium lege Francorum, Regi Ottoni desponsatur, à quo amantissimè amplexata, publici signo osculi, mutuationeque annulorum subarrhatur: tractatisque diversis Regni negotiis, à Curia digrediuntur, Reginaque Saxo-

(97) *Post* colloquium habens *MS. C. subjungit* Ottonem &c.

(98) *Post verbum* cognatione *nihil addit C. MS. qui sic abruptè clauditur.*

Saxoniam perducta apud *Brunisvvich* aliquandiu mansura collocatur.

CAP. LII.

Iisdem diebus Otto Rex generalem Curiam, circa festum Apostolorum Petri & Pauli, apud Augustam Vindelicam celebrans, præmissis priùs ad Apostolicum Cardinalibus, expeditionem movit in Italiam, & per vallem Tridentinam ducens exercitum, Veronam pervênit: ibique à civibus, ponte navibus compacto, per Athesim cum toto exercitu transductus, favorabiliter excipitur. Dispositis itaque inibi negotiis Imperii, Gardam castellum ab Imperatore Henrico VI. Veronensibus quondam traditum, ab ipsis recepit, & in eo præsidia Imperii more antiquorum posuit. Exin Bononiam copias trajiciens, generalem inibi Curiam cum Principibus Italiæ celebravit, ac inde Mediolanum perveniens, honorificè à civibus suscipitur. Ubi moram faciens negotiaque Reipublicæ disponens, validum ex omni Italia contraxit exercitum. Pyrenæum transiens Tusciam applicuit, Nuntios ad Dominum Apostolicum, Patriarcham Aquilejensem, & Episcopum Spirensem Cancellarium suum, Romam præmisit. Qui ex persona Regis compositione Imperialis consecrationis cum Apostolico facta, ad Regem regrediuntur, ipsumque cum universo exercitu ex parte Domini Apostolici filiali affectu compositionem consecrationis intimantes, salutaverunt. Qui mox ad Urbem tendens exercitum castrametari ante portas Urbis fecit: ipseque crastina die Dominica ante festum Sancti Michaëlis, quæ eo anno V. Calend. Octob. evênit, à Domino Papa Innocentio & à Romanis honorificè suscipitur, datoque Sacramento, coram Ecclesia se justum judicem, ac viduarum & orphanorum tutorem, necnon Ecclesiarum, & præcipuè patrimonii Sancti Petri, defensorem pro posse existere, ab Apostolico consecratus coronatur, Imperatorisque & Augusti nomen, nonagesimus sextus ab Augusto sortitur. Consecrationem igitur desideratam adeptus, cum magno tripudio ab Urbe recedens, in partes Tusciæ divertit.

FINIS.

EPISTOLA
BURCHARDI
NOTARII IMPERATORIS
AD NICOLAUM
SIGEBERGENSIUM ABBATEM
DE VICTORIA
FRIDERICI IMP. AUG.
ET EXCIDIO MEDIOLANENSI.

LUDOVICI ANTONII MURATORII

MONITUM.

EX iis, quæ Seculo XII. in Italia contigere, nihil tam celebre fuit, quàm expugnatio ac debellatio amplissimæ Urbis Mediolanensis, à Friderico I. Augusto peracta Anno 1162. Deditionem fortissimi Populi descripsit Burchardus Imperatoris Notarius, *sub cujus oculis tota scena obversatu est; atque illius Epistola primùm edita fuit à Marquardo Frehero Tom. I. pag. 236. inter Germanicor. Rer. Scriptores. Secundis curis iterum recusa est in nova eorundem editione, quam Argentorati peractam Anno 1717. sumptibus Joh. Reinboldi DulsseKeri, adornavit V. Cl. Burchardus Gotthelsius Struvius, qui eidem Præfationem adjecit. At cùm ea unica periodo absolvatur in iis quæ ad Burchardum pertinent; reliquum verò versetur in exponenda excidii Mediolanensis caussa verbis desumptis ab Ottone de S. Blasio, in hoc volumine jam edito, supervacaneum est heic eandem inserere. Notulas quibus Burchardi Epistolam Struvius inspersit suis locis reddidi. Interim tertiam hanc editionem patienter feras; neque enim lachrymabilis illius cladis memoria animos Mediolanensium meorum turbare ampliùs potest, quando meminerint, hæc non sinè ingenti experimento fortitudinis Majorum suorum contigisse, & exemplo ceterarum Urbium non tam secundis, quàm adversis rebus, gloriam nomenque parari.*

BUR-

BURCHARDI EPISTOLA.

DOmino & patri suo Nicolao venerabili Abbati Sigebergensi, Burchardus suus filius primogenitus avere. Lætamini in Domino. Quàm mirabile & jocundissimum est in oculis omnium, quod nuper Imperio factum est à Domino, prudentiam vestram non debet latere: quod nec quidem illis futuris temporibus poterit aboleri, nec cuiquam ætatis præteritæ creditur evenisse. Troja siquidem decem annis obsessa, equi fraude & traditione mulieris est capta. Romani etiam non solùm multis annis, sed & multis ætatibus Carthagini laborantibus, cùm Carthaginenses sub Duce Hannibale exercitum in Europam per Hispaniam moverent; Scipio Romanus, qui priùs Africanus, prope Siciliam clam mare trajecit cum exercitu, Carthaginemque civibus, ac defensoribus vacuam inveniens cepit & subvertit. Aquilienses qui nunc Veneti, novem annis obsessi, tandem relictis mœnibus (salvis tamen rebus & personis) nihilominus rebelles extiterunt, nec de se, sed de lapidibus Attilæ victoriam reliquerunt. Ravennates à Theoderico Rege Gothorum septem annis obsessi, tandem illum dominum compositione media sustinuerunt, ipsi nec rebus, nec loco cedentes. Sed quid in pluribus hujusmodi quærimus exempla? Fredericus Imperator specialiter præ cunctis vidit diem magnum, quando judicio divino in nova Lauda cum gladiis in cervicibus, cum crucibus in manibus ad pedes misericordiæ ejus sinè omni conditione prostratum & redditum est totum Mediolanum. Contra quod tamen nec fraude, nec dolo, sed tantùm viribus & constantia atque veritate constat esse laboratum. Ne igitur pro variis rumoribus à tramite veritatis aberretis, de singulis certitudinem audietis.

Clausis igitur per hyemem stratis, cùm illi fortiter jam arctarentur, animos Principum callidis propositionibus attentabant, ut si quo modo tanquam re peracta eos securos facerent, ipsi interim vel de Brixia, vel de Placentia coadunatis viribus mercatum inducerent. Sed cùm nil proficerent, & tam ingenio, quàm viribus deficerent, tandem post multos terminos, & machinationes plurimas suprema necessitate famis, & inediæ coacti, in capite jejunii termino constituto duo proponebant, videlicet: ut vel sinè omni terrore se dederent, vel per conventionem gratiam invenirent. Conventio talis erat. *Totum fossatum planare, muros & omnes turres destruere, trecentos obsides dare, quoscunque eligeret Imperator, & ut hi per tres annos in captivitate tenerentur, Potestatem, quam vellet Imperator, sive Teutonicam, sive Lombardicam recipere, omnia regalia dimittere, pecuniam solvere, Imperatori palatium, quantum & ubi vellet, sive intra, sive extra civitatem suis impensis levare, nec unquam de cætero fossatum vel murum sinè verbo Imperatoris facere, nec cum aliqua civitate aut populo confœderari aut jurare, tria millia hominum extra civitatem ejicere, & Imperatorem cum exercitu suo intra civitatem, quamdiu velit recipere.* Super his igitur agitato consilio, magna pars Principum, quorum caput Dominus noster Coloniensis conditionem recipiendam consuluit, quia tunc plena esset victoria, & Imperator vindictam, & misericordiam pro velle posset exercere. Quidam etiam utrumque honestum esse dicebant Imperio. Major etiam pars, cujus caput Comes Flandriensis conventionem recipiendam (1) consuluit: tum quia Mediolanenses ad hanc promptiores viderentur, tum quia ipsam solvere non possent; & tunc Imperator in misericordiam minùs peccaret, si conventione non soluta fortiùs in eos vindicaret. Et tamdem omnes, licèt inviti, in hanc consenserunt, eo quòd quasi certum haberetur conventionem servari non posse, cùm strata ad transducendum mercatum non aperiretur, nisi tota, vel major pars conventionis priùs impleretur, quod fieri non posset. Protractis igitur aliquot diebus pro remissione sacramenti, quo Mediolanenses Brixiensibus, & Placentinis tenebantur, cùm difficultatem conventionis attenderent, & rerum exitus longiùs metirentur, stupefacti, & dimissa conventione ipsi deditionem elegerunt, & ad solius misericordiæ propitiatorium se contulerunt. In Calendis igitur Martii, idest prima die mensis, Consules Mediolanensium cum aliis Nobilibus, numero quasi viginti, se cum civitate, cum rebus & personis, remota omni simulatione fraudis, quæ in prima deditione nos circumvenerunt, sinè omni tenore vel conditione, prostrati cum nudis gladiis (2) in cervicibus, palàm in plena Curia Domino Imperatori reddiderunt, præstantes sacramenta quæcumque videbantur (3) pro se, & pro cæteris omnibus Mediolanensibus. Rursum sequenti die Dominica, qua convenienter cantabatur: *Reminiscere miserationum tuarum, Domine*, plusquam trecenti electissimi milites Mediolanenses cum præfatis Consulibus venientes, item præsidente Domino Imperatore prociderunt, & tam pulcrè, quàm miserabiliter properantes solam misericordiam invocabant, claves civitatis obtulerunt, omnium portarum, at-

(1) *Fortè* rejiciendam.

(2) Tristanus Calchus Hist. Patr. Lib. X. pag. 252. *Et Kal. Martii Consules Otho Vice-Comes, Ossa, & Anselmus Jureconsulti, Amicus à Porta Romana, Anselmus Mandellus, Ardericus Cassina, Gottofredus Gattonus, Heriprandus Judex, Ardericus Bonatus, & octo alii Equestris ordinis viri, Laudem, quò pauloante reversus Ænobarbus erat, proficiscuntur: admissi in conspectum, caussam adventus, quæ ad pacificandum spectaret, exponunt; simulque nudos enses, quod solemne deditionis signum erat, porrigunt: tum sacramento adacti quæcumque dixerat facturos jurant.* Idem dicit Joan. Bab. Villanova Hist. Laudis Pompejæ Lib. I. pag. 874. Otto, & Acerbus Morena Rerum Laudensium Historia.

(3) *Fortè* jubebantur.

atque arcium, resignantes vexilla principalia, quæ erant numero triginta sex, & ipsi sacramenta eadem, quæ Consules, præstiterunt. Postea tertiâ feriâ vênit populus cum carrocio, (4) quod apud nos *standard* dicitur, & cum reliqua militum multitudine afferens omnium vicinarum vexilla numero centum, & paulò plura. Per ordinem igitur novam Laudam ingressi populus trium portarum currum præcedebat, reliqua verò multitudo sequebatur usque ad Imperatoris palatium, qui in solio excelsior residens quamcitò ab illis videbatur, tubicines stantes in curru tubis æreis fortiùs intonabant, & superbiæ suæ tunc morienti ibidemque sepeliendæ quasi supremas exequias repulsabant, & finito clangore statim Imperatoriæ receptioni suboblatæ tubæ. Denique singuli vicinarum majores procedebant profitentes, & vexilla sua per ordinem à primo usque ad ultimum resignantes. Stabat autem currus multiplici robore conseptus, ad pugnandum desuper satis aptatus, ferro fortissimè ligatus: de cujus medio surrexit arbor procera, ab imo usque ad summum ferro, nervis, & funibus tenacissimè circumtecta. In hujus summitate supereminebat Crucis effigies, in cujus anteriore parte Beatus depingebatur Ambrosius ante prospiciens, & benedictionem intendens quòcumque currus verteretur. Is post omnis Mediolanensis honoris resignationem ultimus accessit, & ipse caput suum declinaturus, cui qui præerant arte totam machinam illam, & arborem ipsam usque ad terram declinabant: adeò ut nos, qui intra solium Domini Imperatoris eramus, ruinam machinæ veriti excuteremur. Sed arbor deflexa nec cecidit, nec reascendit, donec Imperator fimbrias vexilli collegit, currumque reascendere fecit, & stare subjugatum. Tunc milites & populus unanimiter in facies suas ciciderunt, plorantes, & misericordiam invocantes. Post hæc quodam Consule miserabiliter perorante, finita oratione, omnis multitudo rursus procidit, & Cruces, quas tenebat extendens cum ejulatu magno in virtute Crucis misericordiam invocavit. Unde vehementer moti sunt ad lacrymas quicumque audierunt, sed Imperatoris facies non est immutata. Tertiò Comes Blandratensis pro illis olim amicis suis miserabiliter perorans, vim fecit omnibus, ut possint lacrymari, ipso Crucem præferente, & tota multitudine item cum ipso suppliciter procidente: sed solus Imperator faciem suam firmavit ut petram. Dehinc à Domino Coloniensi (5) facta est deditionis eorum tam pura distinctio, & ab ipsis responsa est tam mera confessio, ut deinceps locum habere non debeat alicujus ingenii, vel pacti, vel conventionis objectio. Et sciatis, quòd ipse est principium medium & finis honoris Imperatoris; orandum est igitur ut Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in manum inimicorum ejus. Porrò Imperator implorantibus illis respondit quæcumque dicebat (6), & opportuno tempore misericordiam se facturum ex consilio promisit: Et sic dimittens universos sequenti die iterum omnes præsentari fecit. Illi autem spe misericordiæ Cruces, quas in manibus ferebant, per cancellos in caminatam (7) Imperatricis projiciebant, cùm ante conspectum ejus introitum non haberent. Illis igitur altera die præsentatis, & plorantibus respondit Imperator se velle facere principium misericordiæ, & principium judicii. Dixitque, si justitiæ judiciis esset agendum, omnes eos vita debere privari, sed nunc misericordiæ locum dari oportere. Illi verò hoc verum esse ex legibus affirmabant, istud respectu Divinæ miserationis fieri exoptabant. Jussit igitur Imperatòr omnes Consules, & Exconsulares, Majores, & Milites, Legistas, & Judices in obsidatu teneri, populum verò tamquam minùs culpabilem tantùm sacramento affectum in civitatem remitti. Deinde missis Magistratibus in civitatem, jussit ab omnibus, qui duodecennes essent vel ultra, sacramenta præstari, quod & factum est; jussit & singulas portas civitatis, & circa portas fossatum & muros complanari, ut ad singulas portas singulis aciebus lata fronte æquabili gressu pateat introitus: factumque est ita; & cùm de duobus millibus castrorum tantùm quatuor ipsis superfuissent, eadem jussi resignaverunt, & hoc ad judicium. Ita Dominus Imperator cùm Mediolanum vicisset à misericordia victus est: & ne communione proscriptorum peccaretur, & ut misericordiæ satisfaceret personas Mediolanensium à banno Imperiali absolvit. Deinde muri civitatis, & fossata, & turres paulatim destructæ sunt, & sic tota civitas de die in diem magìs ac magìs in ruinam & desolationem detracta est. Quæ autem de populo & terra futura sit ordinatio, in voluntate Dei, & Principum consilio pendet. Quadringentos tamen obsides Dominus Imperator ex optimis elegit, ac scripto notavit: Quos nunquam à se dimittet, nisi priùs toti rei finem imposuerit. Porrò in Octavis Paschæ apud Taurinum Curia celebrabitur, ad quam Principes & Barones de Francia, de Burgundia, & Hispania, & Provincia convenient, & tractabuntur magna: & dein ad alia Imperii negotia exercitum, & victrices Aquilas convertent.

Hæc vobis scripsi, Reverende Pater, ut apud vos ipsum desiderii vestri voluntas inveniat, quod animus rem sciente (8) extorqueri non oporteat. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis millesimo CLXII. anno Regni Domini Friderici undecimo, electione verò Episcopatus Domini Reinoldi, quarto.

(4) Tristanus Calchus Lib. X. pag. 253. *Ita mille pedites acciti carrocium etiam advexerunt pergrandi vexillo conspicuum, nam minora signa sex & nonaginta circumstabant, & duæ æreæ tubæ, quæ universi populi supremum consensum significabant*. Plura vide in Glossario *Struvius*.

(5) *Idest* Reinoldo Archiepiscopo.

(6) *Lege* decebat.

(7) *Fortè* cameram.

(8) *Lege* animus rem scilicet.

FINIS.

LIBER

LIBER
DE OBSIDIONE ANCONÆ
A COPIIS
FRIDERICI I. IMPER.
Anno MCLXXII. peracta,
EJUSQUE URBIS LIBERATIONE
AUCTORE
MAGISTRO BONCOMPAGNO
FLORENTINO
NUNC PRIMUM PRODIT EX MANUSCRIPTO CODICE
PHILIPPI ARGELATI
BONONIENSIS.

IN BONCOMPAGNI FLORENTINI LIBRUM DE OBSIDIONE ANCONAE

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Opusculum hoc, nempe Librum *de obsidione Anconae*, monente V. Clarissimo Apostolo Zeno, didici, superata temporum edacitate, adhuc vivere. Ejus autem obtinendi desiderio actus, MStum Codicem tamdiu sum venatus, ut latebras intellexerim, ubi is a multis annis servabatur incolumis, & dum insto, ut exemplar impetrem, *Philippus Argelatus* noster, cujus ardori ac sedulitati tanta debet collectionis hujus illustris editio, certior a me factus, ipsum illum Codicem pergamenum sibi procuravit, immo & nulli parcens pretio suum effecit, descriptumque ad me continuo misit, ut literariae Reipublicae, suisque Palatinis Sociis novam hanc lectionem exhiberet amoris & obsequii pignus perpetuo futurum. Vetustus plane Codex est, nempe circiter Ann. 1340. scriptus, aliaque insuper non parvi momenti Historica complectitur, de quibus sermo fortasse recurret. Itaque supra laudato Viro potissimum habendae gratiae, quod eximia ipsius diligentia, Opusculum hocce nunc vivere incipiat, & quidem Opusculum vita ac luce dignissimum. Heic enim sub oculos nostros sistitur celebris *Anconitanae Urbis obsidio*, a Friderici I. copiis in multos menses producta. Duplex autem Anconae obsidio facta est sub Friderico I. Sunt qui primam referunt ad Annum 1166. sed Acerbo Morena teste synchrono in Hist. Rer. Laudens. heic itidem recusa, ad subsequentem Annum 1167. spectat. Auctor vetustissimus Vitae Alexandri III. Tom. III. Rer. Italicar. pag. 457. Mediolanum reaedificatum testatur, *quum adhuc Fredericus Imperator obsideret Anconam*. Atqui exploratum est, Mediolanenses Anno tantum 1167. in desertam ac attritam Urbem suam fuisse regressos. Quare minime heic audiendus, ut alios praeteream, Otto de Sancto Blasio, qui obsidionem Anconae, & Romae ad Annum praecedentem refert. Immo & caute etiam illic audiendus, ubi haec scribit: hujus Tomi col. 878. *Apud Anconam* Caesar, *& omnis exercitus: Ancona dedititia facta: soluta obsidione contra Urbem copiis tendunt*. Ab his certe abludere minime videtur supra memoratus Acerbus Morena, in haec verba loquens: *Deinde ad Civitatem Anconae perrexit, & eam capere volens, fortiter expugnavit. Sed quia Civitas fortis erat valde, & etiam bene murata, Cives ipsius eam viriliter defenderunt. Sed tamen quamplurimis ex eis vulneratis, multisque mortuis & etiam captis, cum Imperatore foedus inierunt, magnam sibi pecuniam promittentes, pro qua sibi solvenda ei quindecim obsides tradiderunt. Hoc vero foedere inito, Imperator inde recedens, versus Romam cepit iter*. Verum longe differt, Anconitanos *deditionem* fecisse, quod habet Otto Sanblasianus, atque ipsos *foedus iniisse* cum Imperatore, pecunia oblata, ut se a praesenti discrimine redimerent, quod Morena (Historicus gravior, quippe Italicus & synchronus) testatur.


Altera expeditio in Anconitanos, ejusque Civitatis obsidio, quam descriptam a Boncompagno nunc sum editurus, accurate a Sigonio nostro Lib 14. de Regn. Ital. conjecta est in Annum 1172. & sub Christiano Moguntino Archiepiscopo Caesarei exercitus Legato, sive Duce, peracta fuit. Haec de ea habet Sicardus Cremonensis Episcopus, eorum temporum Scriptor, in Chronico MSto infra evulgando: *Anno Domini MCLXXII. Christianus Archicancellarius, qui erat Archiepiscopus Maguntinus, Anconam cum Venetis obsedit, & in tantum obsessos arctavit, ut immundas carnes, & coria condita, ceteraque illicita, vel immunda comederent &c. Tamen etiam victi viriliter resti-*

restiterunt, *& refocillatos a Manuele Constantinopolitano pecuniae thesauris de manibus perse- cutoris liberavit eos Dominus*. Ejusdem quoque obsidionis meminit Romualdus Salernitanus Archiepiscopus in Chronico MS. itidem heic legendo, inter cetera scribens: *Comitissa de Berthenora cum Guilielmo de Markisella Ferrariensi Catanio, cum magna multitudine militum & peditum ad succursum ejusdem Civitatis veniebat*. Sed prae ceteris audiendus heic Andreas Dandulus, nobilissimus Venetorum Dux, & Historicus, qui in Chronico MSto infra edendo rem hisce verbis describit: *Federicus inter haec Christianum Archiepiscopum Maguntinum in Italiam mittit, & Urbes plurimas, aliquas vi, & alias per deditionem accepit. Tunc ille contra Anconitanos Ducis subsidium postulavit. Dux autem, non ad requirentis favorem, sed ad Anconitanorum excidium, quos ut Emanuelis fautores jam diu exosos habuerat, sui Ducatus Anno Secundo stolum bellicum mittens, cum militia Imperiali Anconam obsident. Quumque ex longa obsidione & virilibus impugnationibus Urbs ad deditionem coarctata crederetur, supervenit Comitissa de Bertenor, & Guilielmus de Marchesella de Ferraria, & improvisis obsidentibus, obsessos gentibus & victualibus munivit. Veneti denique aëris intemperiem sustinere nequientes redeunt*. Placuit haec adferre, tum ut ea, quae Boncompagnus est traditurus, aliorum Scriptorum auctoritate firmentur, tum etiam quia obsidionem illam ignorasse videntur Germanici Historici, immo ne multum quidem novere Italici jam editi. Quod etiam amplius mirere, Sabellicus, aliique non pauci Venetarum Rerum Scriptores, rem aut minime perspectam habuere, aut ita turbarunt, ut omnibus fere adhibenda sit emendatio, quamquam prae oculis haberent Danduli Chronicon, ubi diserte ejusmodi expeditionis atque obsidionis fit mentio. In fine Codicis, quo sum usus, rubris characteribus additum est: *Anno Domini MCLXXII. Dominus Cancellarius coepit obsidere dictam Civitatem Anconitanam, & obsedit VII. annis*. Recte haec de Anno: verum obsidionem in VII. annos continuatam fuisse, a veritate prorsus abhorret. Locus autem poscit, ut & Ferrariensibus meis gratuler, quod ex hoc Opusculo eluceat evidentius, quis quantusque Vir fuerit *Guilielmus de Marchesella* eorum Civis, cujus potissimum praesidio sua Civitati Anconitanae servata est libertas. Illum quidem Ricobaldus Ferrariensis in ambobus Chronicis MStis infra mihi evulgandis, praecipuis laudibus agnoscendum nobis praebuit, eum *Principem in Populo Ferrariensi* appellans, & adjiciens, delatam ad Estenses Marchiones luculentam illius hereditatem, uti ex *Pomario* Ricobaldi ejusdem patebit. Praeterea narrat idem in Historia Imperiali, quam editurus sum infra, Guilielmum Guelphicae factionis Ferrariae principem, egregia multa egisse, atque inter alia *ad ejus preces atque instantiam liberatam fuisse Anconitanam urbem a Venetorum obsidione per Imperatorem Constantinopolitanum, eique etiam in feudum traditam illam urbem postremo ejus aetatis anno, quamquam possessionem numquam inierit*. Verum nusquam melius, quam heic intueare, quanta fuerit viri fortitudo atque praestantia, quidve ille gesserit difficillimis iis temporibus, ut factioni suae adhaerentes ab hostium potentia tueretur.

Nunc de Opusculi Auctore dicendum. Fuit is *Boncompagnus*, patria *Florentinus*, qui circiter Annum 1220. floruit, & ad Bononiense Gymnasium accitus, ibi Grammaticam, atque humaniores Literas publice adolescentibus tradidit. Hinc illi accessit *Magistri* titulus. Consului Florentinos Scriptores, ut si quid de viro suate adnotassent, huc adferrem; at illi altum silent. Consului & Bononienses; at illi pariter ne unum quidem verbum de eo habent. Fortasse Civem suum Florentini recentiores parum aut nihil agnovere, quandoquidem is in aliena urbe vitam duxit, ibique diem ultimum clausisse credendus est. Rerum vero Bononiensium Scriptores illius nomen forsitan praeteriere, quod ei aliena Civitas diem natalem dedisset. Ipse in fine Libelli se ipsum nominans ait: *Cui Florentia dedit initium, & Bononia, nullo praeeunte Doctore, celebre incrementum*. Sed quid ait Boncompagnus, *nullo praeeunte Doctore?* Numquid is nullum praeceptorem adhibuit ad literas addiscendas? An potius in ea Cathedra, ad quam delectus est a Bononiensi Republica, neminem ante se consedisse significat? Postremum hoc fidenter affirmo. At quei hoc ille, quando jam unum paene Seculum effluxerat, ex quo Bononiae institutum fuerat Gymnasium, ibique Clarissimi Viri jam grandem sibi doctrinae famam ac laudem conquisierant? Verum heic animadvertendum, in Academiam Bononiensem non alias Disciplinas invectas primum praeter Civilium Legum studium: sensim vero confluxisse illuc reliquas Artes ac Scientias. Itaque ineunte tantum Seculo XIII. instituta est in publico Bononiensium Gymnasio Schola *Grammaticae*, quo nomine, ut jam monui in Notis ad Leges Langobardicas, veteres complectebantur non tantum Linguae Latinae rudimenta, sed & Poëtarum, Rhetorum, aliorumque Scriptorum eruditionem. Primum vero provincia haec demandata est Boncompagno nostro circiter Annum 1218. Testem nunc profero locu-

locupletissimum, qui non aetatem tantummodo, sed etiam raras viri hujus dotes nobis edisseret. Is est Rolandinus Patavinus Historicus, qui eodem Seculo floruit, & literis mandavit suorum temporum Historiam jamdiu editam, & rursus infra evulgandam. Libro X. Cap. IV. prope est ut graviter Bononienses incuset, quod Anno 1256. Eccelini faciem intueri non sustinuerint. *Sed hoc ipsis*, ait, *improperare non audeo, quoniam apud ipsos Bononienses in Scientia literali* (ita vero Grammaticam appellabant) *nutritus in Anno Domini MCCXXI. illic a Bonocompagno* (Estensis Codex habet *Boncompagno*) *meo Domino & Magistro, natione & eloquentia Florentino, licet indignus, recepi officium Magistratus*. Ergo Boncompagnus florebat Bononiae, ibique Literis adolescentes instituebat Anno 1221. Ipse quoque in Praefatione testatur, se Anconitanam obsidionem, Anno 1172. peractam, conscripsisse, *pro ut ab illis audivi, qui rebus gestis, & negotiis interfuerunt*. Hinc ejus aetatem rite intelligas.

Nunc mecum, rogo, Lectores adeant praeclarissimum conterraneum meum Carolum Sigonium, periculum facturi, num forte deprehendere possemus Boncompagnum, inscio ipso Sigonio, in ejus Libris latentem. Sunt illius verba post primas lineas Lib. V. Hist. Bonon. *Anno 1218. ut majus Gymnasio ornamentum adjungeretur, Benus Florentinus, eximius iis temporibus Grammaticus, ad Literas publice tradendas accitus. Ejus professionis formula eadem atque Jurisperitorum fuit*. „ Ego Benus Florentinus juro, me nullo modo daturum operam, ut Schola Bononiensis alio transferatur: & si quem id tentarè comperero, me pro viribus impedimento futurum; sin minus, Prætori indicaturum: neque alibi ullo tempore in Grammatica Arte recturum „. *Hic autem quantus esset, ostendit Petrus de Vineis, qui de illius morte scribens dixit, Grammaticae Artis extinctam esse lucernam, ac siccatum esse fontem irriguum, nempe Magistrum Bene, qui non ab infimo positivo, sed a superlativo meruerat derivari*. Vix falli me putem, conjiciens, *Benum* hunc Florentinum alium non esse a *Boncompagno* nostro. Ad idem mihi suadendum, ne dicam persuadendum, confluunt eadem aetas, eadem Patria, eademque Literarum professio, ac Bononiense Gymnasium; quo vides *Benum* primum ex Grammaticæ Artis Magistris advocatum fuisse, ut per illum ad hanc etiam disciplinam juvenes erudirentur. Atqui jam supra nos monuit Boncompagnus ipse, se *nullo praeeunte* publicam mitiorum Literarum Scholam apud Bononienses aperuisse. Denique eamdem mihi opinionem ingerunt initiales literae nominis illius. Aut enim duplex illi nomen fuit, sive nomen atque cognomen, *Bene*, & *Boncompagnus*; sive (quod mihi veri videtur similius) quum pro more, non sane laudabili, Seculi illius aut nomina breviarentur, aut unica etiam litera initiali adhibita signarentur, & *Bonc.* scriptum fuisset, has literas nonnulli incaute legentes pro *Bene* acceperunt, quum tamen *Boncompagnum* designarent. Quod superest, ad alteram conjecturam, neque immerito, aditus hinc fiet: nempe ex hocce *Boncompagno*, qui Bononiæ lares primus fixit, derivatam fuisse illustrem Familiam *Boncompagnam* Bononiensem, ex qua olim prodiit Gregorius XIII. Summus Pontifex, & in qua nunc numeratur Emin. JACOBUS S. R. E. Cardinalis, & Archiepiscopus Bononiensis, atque Illustriss. & Excellentiss. Vir D. Antonius Dux Sorae in Regno Neapolitano, & Marchio Vineolae Patriae meae in Ducatu Mutinensi. Equidem novi, Scipionem Dulphium, Imhoffium, & alios, qui de Nobili ista Familia egere, eamdem perduxisse ad Boncompagnum quemdam veterem gentis hujusce stipitem. Sed nobile monumentum hoc, quod nunc publici juris facio, illos defecit, ut pedem certo figerent, ad vetustatem ejusce Familiae statuendam, immo & ad augmentum honoris; iis enim temporibus excellere laude Grammaticae, hoc est Latinae Linguae & Eloquentiae ac Eruditionis peritia, atque eas Literas in Italicorum celeberrimo Gymnasio profiteri, magnum quid & rarum fuit.



LIBER
DE OBSIDIONE ANCONÆ
A COPIIS
FRIDERICI I. IMPER.
EJUSQUE URBIS LIBERATIONE;
AUCTORE
MAGISTRO BONCOMPAGNO
FLORENTINO.

Libri de Obsidione Anconæ à Magistro Boncompagno expositi

PROLOGUS INCIPIT.

AMico honorabili Ugolino Gosfiæ viro perito. militi strenuissimo, & Anconitanorum Potestati, Boncompagnus salutem cum obsequio sincerissimæ dilectionis.

Grata rogamina, quæ mihi porrigere voluistis, me plurimùm jocundari fecerunt; unde fervor spiritus devotionem parit, quæ vobis appetit omni tempore famulari, & quidam specialis radius amoris de cordis penetralibus consurgit, cujus claritatem invidentium nebula non potuit tenebrare. Petivistis à me, ut Librum, quem *de Obsidione Anconitana* tractaveram, corrigerem, & vobis amicabiliter exhiberem, & deducerem in commune, quia singulariter habere non cupitis quod ad multorum utilitatem dignoscitur pertinere. In quo mihi dignum consulere voluistis, cupientes, quòd talentum creditum non abscondam, & civitati, cui præestis, perpetuum nomen acquirere peroptatis, quod per vestram industriam consequetur. Ecce præsento sapientiæ vestræ Librum diligentiori lima correctum. Utinam improvida scribentium caterva scripta non varient, quæ per Oratoris artificium sunt regulariter ordinata, & licèt, dicam, verba transposita idem significant; nihilominus prava transpositio variat intellectum, & regularem dictionum positionem deturpat. Pro vestris laudibus diutiùs insisterem; sed scio, quòd venativas adulationes non diligitis, nec unquam desideratis, velut plures faciunt, adulationis oleo impinguari. Sed occurrit generosa laudis materia peroranti, qualiter vester Avus Martinus Gosfia fuisset doctus copiâ Legum, cujus opinio erat, Libertatem non posse ab aliquo exhiberi; sed detegi à quodam velamine servitutis: unde principalis patronus Libertatis potuit nuncupari. Et quamquam filius ejus Guillelmus, à quo per successivam carnis propaginem consistitis, propter Legum scientiam, & alia curia-

rialitatis insignia clarissimus, extiterit; in vos tamen copiosiùs confluxere naturæ dotes, quoniam Imperatoria Majestas per ministerium vestrum armatur Legibus, armisque decoratur, quod raro in Jurisperito accedere consuevit. Et ut rei veritatem breviùs comprehendam, hoc vobis videtur proculdubio convenire, videlicet animi sapientia, morum honestas, liberalitas in usibus quotidianis, forma corporis, fortitudo membrorum, & gloria militaris. Ad hæc volo universos & singulos scire, quòd non pro temporali munere, seu levitate animi, at sola magnitudine facti, de Obsidione prædicta scribere procuravi. Sed quæso tamdem timorosum naufragium, quod occasione hujus Libri vobiscum juxta Senegalliam fui passus, media pars tituli, & pars Epistolæ integraliter suppleat defectum, ne muta videatur pagina remanere. Illi autem, ad quorum manus hic Liber pervenerit, studiose scripta religant, quoniam crebra lectio legenti sensum incorporat medullatum.

CAPUT PRIMUM.

Commendatio Scripturæ.

QUantum rerum gestarum memoria conferat utilitatis, ipse rerum effectus manifestius indicat; quoniam nullus hodie res arduas facere attentaret, si ea forent sub silentio penitùs dimissa, quæ ab antiquis commendabiliter esse acta noscuntur. Viverent siquidem homines tamquam animalia irrationabilia, & pascuis bestiarum more vagarentur, nec uterentur aliqua ratione animi, sed corpus tantummodo satisfaceret voluptati. Sic ergo esset humana conditio in parte reflexa, ut non fieret æqua deliberatio, nisi tractaretur lege, vel moribus. Sed quorumlibet potentium voluntas pro Jure haberetur, & imbecilles pati solummodo, non agere, oporteret; fieret autem cura quælibet orbicularis revolutio, & dum hinc immortua opinio resultaret, & multiplex de novo sic surgeret error, qui diverso libramine incertâ penderet staterâ; & dum librarentur, plurima invenerentur; idem, à quo natum fuerat, & progressum quod reperit primus. Redacta fuerunt igitur scriptis facta majorum, ut humana propago successivis uteretur exemplis, & cùm audit quantum victoriosi gloriæ reportabant, ad virtutem ascendat, & dum intelligit, quanto ludibrio criminosi, & pusillanimes respergebantur, à similibus caveat, ne parem infamiam ex post facto incurrat. Nam cùm res gestæ, & majorum facta recoluntur, & ad eadem facienda passibus traditur affectuosis, ut de re consimili similiter valeat gloriari. Quilibet enim Rex Alexandrum desiderat imitari, dum audit, quòd orbem universum posuerit sub tributo. Quilibet in bello existens Judam Machabæum libentissimè sectaretur, qui cum paucissimis devicit potentissimè Philisteos. Quilibet dives se ipsum recognoscere debet, ne ab alto corruat, sicut Nabuchodonosor, qui ædificavit statuam auream in campo Durich provinciæ Babylonis. Quilibet Princeps minima vetet ad tempus, ne perdat caput, sicut Olophernes per manum Judith viduæ amisit. Troja per Helenam, & Carthago per se per superbiam fuerunt ad nihilum redactæ. Julius Cæsar devicit Alamanniam, & Scipio Africam, unde dictus est Africanus. Titus, & Vespasianus post mortem Christi Hierusalem obsederunt, quousque plenam habuere victoriam, & triumphum insignem figerunt Arcam fœderis, mensam Propositionis, & candelabrum aureum reduxerunt ad Urbem: unde postmodum factus est Arcus triumphalis juxta Cartulariam, in quo universa, quæ prædixi, sunt in marmore sculpta. Alius verò Arcus longè pretiosior est illo, quasi collateralis Colliseo, in quo sculaturis Carthaginensia prœlia continentur. Sed plures triumphales Arcus sunt Romæ vetustate consumti, in quibus fuerunt sculptæ principales victoriæ Romanorum. Adrianus quidem Imperator in signum perpetuæ memoriæ sculpi fecit Trojanam historiam in quadam columna, quæ adhuc in Urbe consistit erecta; nam Romani per sculpturas, & Græci per imagines rerum excelsarum memores posteros esse voluerunt. Sed commendabiliùs per Libros, quam sculpturis, vel imaginibus præterita conservantur. Ab ipso quippe Mundi principio res gestæ fuere à pluribus redactæ in scriptis, ne antiquorum memoria deperiret. Porrò septuaginta Interpretes, Joseph, & Hieronymus omnium genealogiam ab Adam usque ad adventum Altissimi translatarunt, Pharaonis, & Israhelitici populi facta studiosiùs conscribentes. Verùm quia superfluum esset extra omnia ponere, quæ memoriæ occurrant, credendum est, ut quilibet in suo genere atque professione per ea, quæ scripta sunt, debeat alium in rebus commendabilibus imitari, omnia penitùs respuendo, quoniam aliorum vita nobis esse debet præambula, & magistra. Igitur si Cives aliqui à Regibus, vel à Principibus obsideantur, sint illis Anconitani exemplum, quorum causâ hunc Librum composui, in quo continetur, qualiter fuerint à Cancellario Imperii Romani & Venetis obsessi, & per Emmanuelem Imperatorem Græcorum, suaque probitate atque perseverantia postmodum ab obsidione liberati. Non enim huic Operi aliquod apocryphum interserui, nec intermiscui fabulas, neque abusiones poëticas, velut plures in suis tractatibus faciunt, ut auditores commoveant ad risum; sed omnia conscripsi, prout ab illis audivi, qui rebus gestis, & negotiis intervenerunt. Verumtamen dignum duxi aliqua prædicere de statu Urbis, & circumstantiis Anconitanæ civitatis, & quibus fuerit ædificata.

CAP. II.

Qualiter sit Civitas ordinata, & de commendatione ejusdem.

CUm transirem per Marchiam, civitatem intravi Anconitanam, & ascendens in eminentem locum, in quo sedes residet Episcopalis, respexi mœnia, muros, & antemuralia, & universas circumstantias, quibus civitas decoratur, & multimode pollet. Mare quidem ipsam à duobus lateribus regirat, & in Occidentali plaga Portus est ita naturaliter ordinatus, quòd vix posset ab aliquo credi, nisi præcederet visio corporalis. Ad ipsum quidem nautæ cum summa fiducia recurrunt, nec timent post introitum incurrere periculum; quoniam non possunt ibi propter montium obstacula undæ invalescere tempestuosæ. Verùm postquam Attila flagellum Dei destruxit muros,

ros, quibus Trajanus Imperator Portum ipſum fecerat undique communiri, & opere mirifico exornari, ſolus ventus, qui vulgò *Focareſe* dicitur, naves quandoque damnificat, niſi fuerint ſtudioſiùs anchoratæ. Porrò cùm olim Ravenna inter civitates Italiæ floreret, verſum eſt uſque in generale proverbium: quòd ſi Portum conſimilem habuiſſet, Romæ potuiſſet in pluribus æquiparari. Primi Anconæ conſtructores dicuntur fuiſſe Imperatores Urbis Romæ, qui propter malitiam & immanitatem Sclavonum, viros potentiſſimos ibi poſuere, qui gentem Sclavonum ſubjugarunt Imperio Romano; nam & quædam pars Sclavoniæ, multa ſerenitate aëris, ex eodem poteſt loco videri; eſt enim civitas modica, ſed naturâ loci undique præmunita. Ad hoc autem ſubſequenter eſt de obſidione dicendum.

CAP. III.

Incipit de Obſidione narrare à Cancellario facta Rubrica.

IMperante Frederico Romanorum Imperatore, qui poſtea non longè ab Antiochia in flumine Saliph, interveniente divino judicio, deceſſit, Cancellarius ſolo nomine Chriſtianus, & Moguntinæ Sedis Archiepiſcopus, Italiam cum Imperatoris exercitu intravit, plura Oppida, Burgos, & Villas in quibuſdam partibus devaſtando; vivebat enim ſicut milvus ex raptu, & velut corvus morticinum, ſic quorumlibet bona requirebat. Cùm autem videret, quòd Ancontani Græcum Imperium nimis diligerent, & plenè non poterat dominium habere, ſi civitatis Anconitanæ non frangeret vires, compoſuit cum Venetis, qui ſemper quodam ſpeciali odio Anconam oderunt, & in eodem tempore læſi fuerant in Græcia non modicum ab Emmanuele videlicet in exitu menſis Madii, quando cibaria careſcunt, portum intraverunt Anconitanum; & ipſe cum Imperii exercitu, & circumpoſitis civitatibus ad eumdem terminum venit, promittens illis deſtruere civitatem, & bona Civium cum eiſdem partiri. Ad eumdem ſiquidem venerunt Veneti, & in valida manu portum intrantes locaverunt naves, & galeas taliter ad obſidionem, quòd nullus de civitate audeat ingredi mare, quoniam illis non poterant, præ multitudine reſiſtere Anconitani: unde illius civitatis Dux aureum circulum in vertice defert, & propter aquarum dignitatem quædam Regalia inſignia obtinere videtur. Poſuerunt namque in medio Portus navem olim Romani Marani, quæ præ ſua magnitudine à pluribus *Totus-mundus* hyperbolicè dicebatur; quoniam ut ferebatur, numquam fuit eâ major alicui viſa. Erat enim caſtellum, ſub cujus membris, & patrocinio univerſæ naves, & galeæ conſiſtere videbantur. Super ipſam quidem poſuerunt machinas, & baliſtas, ac diverſa genera bellatorum, quibus ex ea parte maximum inferebatur quotidie detrimentum. Cancellarius autem ſuum exercitum juxta civitatem locavit, devaſtando undique arbores, vineas, oliveta, & univerſa, quæ ad uſum videbantur & victum pertinere. Venerunt ad obſidionem Auximani, qui ſemper Anconitanorum calcaneo inſidiabantur, cum pluribus Marchianis; & ſic membra caput abſcindere conabantur. Contingit quippe multotiens, ut multi facem attollant, quæ eos trahat poſtmodum in exitium & ſervitutem: ſicut fecerunt Lombardi ad tempus, quo Mediolanum ob invidiam deſtruxerunt, unde ad reædificationem ſub quodam ſervitutis vinculo tenebantur. Nam opinio in hanc me trahit ſententiam, ut non credam, Italiam poſſe fieri tributariam alicui, niſi Italicorum malitiâ procederet, ac livore; in Legibus enim habetur: *Non eſt Provincia, ſed Domina Provinciarum.* Quid plura? Omnes, quotquot erant à confinio Apuleæ uſque Ariminum, ad præfatam venere obſidionem. Fuerunt ibi plures Tuſci, Spoletini, & Romandioli, & alii, quorum difficile eſt facere mentionem. Præceſſerat quippe temporis caritudo, & in civitate pauca victualia erant; ſed ſperabant Cives in proximo recolligere ſegetes, & comparare ab aliis; quoniam civitates, quæ ſunt in portibus conſtitutæ, non poſſunt de labore proprio frumentum & annonam habere ad ſufficientiam, cùm plures conſtet in illis eſſe nautas, & mercatores. Porrò multi Anconitani aberant, qui cauſâ negotiandi erant in Alexandria, in Urbe Conſtantinopolitana, & Romania. Fiebat prœlium tam in mari, quàm in terra continuè, nec poterant Cives aliqua hora quieſcere; quoniam obſeſſores erant plurimi, & ſucceſſivè ad bella jugiter veniebant; ſed bellatores intrinſecus cogebantur aſſiduè bellare, nec poterant aliunde ſuffragium habere. Verumtamen fatigati recentibus taliter ſatisfaciebant in prœliis, quòd ſemper ad caſtra væ lamentabiliter reportabant. Sed juxta principium obſidionis quemdam congregaverant exercitum Anconitani, quos Cancellarius in bello campeſtri devicit, in quo capti fuere plurimi, & interfecti: unde civitatem perdere crediderunt. Poſt amiſſionem verò prœlii vix per certos dies habuere victualia ſufficienter; & tantùm incœpit creſcere fames, quòd pro uno byſantio tantum non poterat inveniri, quod uni ſufficeret ad edendum. Dabatur pro V. granis fabarum denarius; & pugnus farris, vel hordei non poterat pro XII. haberi. Requirebantur ova, ut emplaſtra fierent pro vulneratis, nec tunc temporis potuerunt in tota civitate XII. inveniri; & XX. ſolidi pro modica gallina. Verumtamen eo tempore ita defecerant pulli, & carnes porcinæ, atque bovinæ, quòd non reperiebantur intra civitatem venales. Cœpit igitur eſſe peſtilentia famis, quæ tunc propriè dicitur eſſe fames, cùm offerenti pretium nec inveniri poteſt quod habeatur ad veſcendum. Intellexit hæc autem Cancellarius à quibuſdam; unde convocato exercitu prœlium indixit, referens quòd Cives ita erant præ fame nimiùm exanimati, quòd vix poterant arma deferre. Jubet ergo pulſari tubis, tangi tympana, dividi exercitum per acies; ſicque cum omnibus juxta mœnia civitatis acceſſit, fortiter clamitando. Cives autem hoc videntes, pulſatis campanis, cum clamore maximo civitatem exiverunt, incipientes cum eis fortiter prœliari; & licèt eſſent famelici, & multa inedia oppreſſi, tam fortiter pugnabant, ac ſi eſſent cibis delicatiſſimis recreati. In prœlio ſiquidem permixti erant univerſi, quòd ſe ad invicem cognoſcere nequiebant, & vix poterat unus alium videre præ multitudine pulveris, qui aërem inficiebat. Aures autem omnium propter clamorem tubarum, equorum ſtrepitum, & bellantium voces, ita erant obtuſæ, quòd nullus poterat diſcretè intelligere quæ

quæ dicebantur. Cùm autem sic prœlium continuè duraret, pars exercitus Cancellarii accessit ad Venetos, intrans cum eis galêas: unde tunc Veneti civitatem adeò appropinquarunt, ut domos etiam quorumdam Civium intrarent. Consules autem Anconitani hæc audientes, tantummodo eos transmiserunt ad mare, qui domos juxta portum magis propinquas habebant. Eodem quippe die tantam Deus contulit Anconitanis victoriam, quòd illi, qui ad mare iverunt, Venetos fugarunt, galêas, quas primò amiserant, potentissimè recuperando; & ipsi, qui remanserant, exercitum Cancellarii usque ad machinas repulerunt; unde tunc quidam vegeticulum, resina & pice plenum cum strue lignorum projecit; sed nullus audebat apponere ignem, quia locus in medio bellantium consistebat. Eâdem autem horâ venit quædam mulier vidua, nomine Stamura, & apprehendens ambabus manibus dimisit properè ipsum vegeticulum, currensque post faculam accendit, & eam tam diu, videntibus universis, tenuit inter ædificiorum ligna, donec focus vires proprias potuit exercere. Sicque combustæ sunt machinæ, ac predariæ per audaciam viraginis, quam prœlii crudelitas, & pugnantium furor terrere minimè potuerunt. Fuerunt enim ibi ex utraque parte mortui plurimi, & vulnerati; sed obsessores damnum & dedecus reportarunt. Profuit autem non modicum Anconitanis prœlium illud, quia multas carnes equorum, qui fuerant interfecti, reportarunt in Civitatem, nec dimittebant etiam intestina. Finito quidem prœlio stetit Cancellarius cum exercitu aliquantulum remotior solito, nec permittebat prœlium fieri, credens civitatem per famem & inopiam expugnare.

CAP. IV.

Cujusdam commendatio Sacerdotis.

INterea hoc memorabile factum non est sub silentio relinquendum. Presbyter namque Johannes Anconitanus Canonicus, dum quadam die juxta mare sederet, cogitavit in animo, si aliquid ad civitatis honorem, & inimicorum incommodum facere posset; erat enim vir nervosus, fortis, audax. Accessit quidem ad Portum, & sublatâ camisiâ, in solis femoralibus remansit; tunc siquidem tam Cives, quàm Veneti, cœperunt Presbyterum admirari, quia non erat tempus balneandi, & præsertim cùm esset ventus validus in Portu. Intravit quidem repentè mare, veniensque natando cum quadam bipede in manu, cœpit abscindere maximum canapum, qui ex una parte ligatus erat in prora navis Romani Marani, & ex altera in anchora, quam nautæ miserant in portu. Illi autem, qui erant in navi, respicientes quid Presbyter faciebat, cœperunt sagittare cum arcubus, & balistis; alii contra eum clamabant, immensos lapides projiciendo. Ille verò ad modum mergonis, qui restrictis alis profunda pèlagi petit, properè se submergebat in aquam, & sicut Delphynus postea comparebat, sicque successivis ictibus ipsum abscindit, unde singulæ sarcinæ defecerunt; & posuit nautas omnes in periculo mortis, quia ventus erat adeò fortis, quòd plurimos in terra lædebat. Presbyter autem reversus est ad civitatem natando, & nautas plurimi deridebant. Vacillavit quidem navis tam diu in portu, quousque ventus quievit; & nisi esset portus adeò securus, navis procul dubio periisset. Nautæ verumtamen præ timore multa utilia projecerunt in mari. Videntes autem Anconitani animositatem Presbyteri, & tempestuosos undarum concursus, prœlium cum Venetis incœperunt, VII. galêas de securiori parte portus viriliter depellentes, quas ventorum acerbitas protulit ad ripam, ubi continuò fractæ fuerunt; sicque in personis, & rebus non modicam Veneti substinuere jacturam.

CAP. V.

Qualiter ivit Legatus Civium ad Cancellarium.

POrrò Anconitani fame valida oppressi quemdam sapientem virum ad Cancellarium transmiserunt, immensam promittendo pecuniam, si vellet ab obsidione cessare. Ille autem hoc audito subridens ait: *En offerunt nobis Anconitani pecuniam, quam habemus, & habere videmur. Sed dicimus tibi, quòd meritò posset inter fatuos reputari, qui haberet totum, & requireret partem.* Edíscite tamdem parabolam istam, quæ sapientis indiget explanatione.

CAP. VI.

Quæstio Cancellarii facta illi Legato.

„ QUidam venator non cum paucis canibus intravit maximam sylvam, in qua reperit Leonam, quæ dominari pluribus animalibus videbatur. Hanc non modico tempore insequens, multos canes amisit, & vestimenta propria dilaniavit. In speluncа demum ipsam reclusit, ubi fame taliter angebatur, quòd manus non poterat evadere venatoris. Rugiebat in fine, volens cum venatore componere pro ungula pedis. Consuleres igitur venatori, ut pro ungula dimitteret Leonam? Ille autem excogitavit aliquantulum, quid Cancellario responderet; postmodum verò in hunc modum sic respondit.

CAP. VII.

Responsio Legati.

„ SI venator, qui sylvam intravit, meis deberet consiliis acquiescere, non dimitteret pro ungula Leonam; sed si vellet cum ungula summitatem tradere aurium, consulerem venatori facere pactum, quia breviter habuisset totius corporis potestatem.

CAP. VIII.

Quomodo Legatus aliam posuit quæstionem.

„ COntingit quippe multotiens, quòd qui totum requirit, partem amittit, sicque diuturno labore privatur. Nam cùm auceps quidam rete pro columbis in agro tendisset, more solito escam projecit, ad quam capiendam VII. columbæ venerunt, pro quibus expandere noluit rete, credens illas, quæ in arboribus residebant, compre-

„ hen-

„ hendere cum illis. Expectavit diu, & ecce „ supervenerunt falcones volitando per aërem, „ & sic VII. quæ jam ceperant escam, fugerunt. Tutius ergo fuisset aucupi VII. comprehendisse columbas, quàm sic rediisse domum oneratum labore.

CAP. IX.

Responsio Cancellarii.

IRatus ad hæc Cancellarius per semetipsum juravit, quòd numquam cum eo componerent Anconitani, si se ipsos, & civitatem sibi non traderent sinè conditione. Ille demum reversus est ad suos, infra se ipsum non mediocriter plorando, quia magìs timebat famis & inopiæ jacturam, quàm extrinseca bella. Convocatis propterea Consulibus, & universis viris districtis, quorum consilio civitas regebatur, eis retulit omnia, quæ fuerat cum Cancellario loquutus. At illi cœperunt dicere plura, & in animo revolvere multa, referendo ad invicem, quomodo judicium possent evadere destructoris. Placuit tamdem omnibus, ut XII. viri perquirerent universa victualia, quæ Cives poterant habere. Isti verò Ecclesiarum, & Civium cellaria perscrutantes, non invenerunt nisi duos modios frumenti, & tres annonæ, cùm infra corpus civitatis plusquam XII. millia hominum utriusque sexus existerent, qui aliunde nequibant requirere cibum. Reversi sunt altera die ad Consilium, omnia per ordinem referentes. Tunc omnes cœperunt amarissimè flere, quoniam non videbant, qualiter possent à tanto liberari periculo. Quidam autem eorum dicebant, esse minus malum se reddere Cancellario; alii verò in contrarium allegabant, dicentes, quòd potiùs volebant in prœlio mori, quàm videre civitatis destructionem. Surrexit ad hæc quidam reverendæ faciei senex, cujus oculi præ senectute nimia caligabant; erat enim quasi centenarius, unde senectutis baculum deferebat, quia jam erant membra spiritibus pauperata. Surrexit, & præclaram orationem inter eos habuit, quia licèt senuisset, & vires forent corporis debilitatæ, erat tamen in eloquio facundus, & morum honestate decoratus. Inquit enim:

CAP. X.

Allocutio senis in Consilio Civitatis.

„ AD vos clamito, Cives Anconitani, qui „ de Nobili Romanorum prosapia originem contraxistis, qui hactenus tamquam „ viri pro Civitatis libertate pugnastis, ut senis voces audire velitis, & ejusdem studiosiùs intelligere significatum. Non enim loqui proposui, ut Consulatum desiderem „ adipisci, quia quod ætas negat, credere nemo debet. Non exordium volui, ut caperem benivolentiam perorando, quia loqui „ plura mihi laborem, non emolumentum „ præstaret. Non surrexi ad apparentiam, vel „ inanis gloriæ fastum, quia hujus seculi pompa mihi jam emarcuit, cùm vix lumen Cœli videam, & fervor spiritus ad sublimiora „ conscendit. Unde cùm subtiliter futura „ contemplor, utriusque hominis intelligo fieri geminam resolutionem. Audite igitur vocem præmortui senis; audite, & intelligite „ verba mea; quoniam in puritate conscientiæ loquar, nec prætermittam dicere, quæ „ video expedire: Fui eo tempore Vir Consularis, quo Rex Lotharius in manu valida „ nos obsedit, credens Civitatem servituti „ perpetuæ subjugare. Recessit tamdem spe „ propria frustratus, & oneratus proprio labore; nam ante ipsum, & postea, quidam „ Imperatores idem facere tentaverunt, qui „ suum similiter propositum nequiverunt ducere ad effectum. Quæ igitur ignominia esset, ut uni Clerico redderetur Civitas, quæ „ Regibus, & Principibus contradixit? Quid „ fortè de cetero loqui possetis, si Episcopalis „ Mitra superaret Civitatem, quam Regalis, „ immo Imperialis Corona non potuit expugnare? Sustinete modicum, & nolite pertimescere, quia potens est Dominus, & miserebitur nostri. Sustinete, & pugnate viriliter, quoniam in maximo certamine triumphus gloriæ acquiritur; & qui non desistit „ currere, bravium recipit peroptatum. Si „ famem patiemini, & viriliter pugnaveritis, „ vobis redundabit ad gloriam, quoniam gulosi & ebrii, effeminati & pusillanimes reperiuntur: Terentius etenim inquit: *quodcumque comedi potest*; quia omne, quod in „ os mittitur, in ventrem vadit & per secessum emittitur. Porrò si pactum feceritis „ cum Cancellario, tantum servabit positum „ pactum, quousque populum poterit subjugare, & juramenti vincula violare. Nolite „ itaque mittere serpentem in sinum, murem „ in peram, lupum in ovile, adulterum cum „ virgine, quia malè remunerant hospites „ suos; Nam hoc vidi, hoc probavi, hoc experimento didici, quòd raro potest inter Latinos, & Teutonicos perfecta dilectio reperiri. Reminiscamini itaque maximæ Urbis „ Mediolani, quam Fredericus Imperator modernis temporibus cum Lombardis per septennium obsedit; & cùm eam non posset vi „ aliqua expugnare, sub occasione pactorum „ fuit civitas penitùs destructa, & in burgos „ miserabiliter tripartita. Post destructionem „ autem quantam Cives Mediolanenses in personis, & rebus passi fuerint jacturam, longum esset per singula enarrare, nam plures „ in terram Sarracenorum iverunt, numquam „ ad propria redeuntes, unde ipsorum sanguis „ conversus est in barbaras nationes; & qui „ erant mercatores Christiani nominis, effecti „ sunt primitiæ Idolorum. Sit ergo vobis hoc „ salutiferum exemplum, quoniam *si lignum viride tam acriter ignis consumsit, in sicco quid faceret*? Non indiget explanatione. „ Vestra res nunc agitur, & proximus paries „ est exustus: unde vos tollere moras oportet, quoniam in mora modici temporis „ quantum damnum currere posset! Succurratis ergo properè, & cum ingenti pecunia „ Legatos mittite pro exercitu; & si potueritis aliquem habere succursum, valebitis „ meritò gloriari. Alioquin projiciatis universam pecuniam in mari, & egrediamini foràs, & cum inimicis pariter moriamini, „ quia minus malum est in bello commori, „ quàm videre civitatis destructionem, & pati „ obprobrium sempiternum.

Finita siquidem oratione, ita fuit omnibus persuasum, ut contradicere nullus auderet sententiæ senis. Fuerunt electi continuò tres nobiles Cives, qui miraculosè in modica barcha in-

inter naves & galêas obsidentium cum non parva pecunia exiverunt properantes, ut exercitum aliquem congregarent. Venêre siquidem ad Guillielmum Marchefelli nobilem Ferrariensem Civem, cujus consilio ad Comitissam de Britonorio accesserunt, implorantes ab ea humiliter consilium & juvamen. Illa verò eorum precibus condescendens, jussit, ut tam milites, quàm pedites per totum suum Comitatum ad expeditionem arma pararent. Guillielmus verò in Lombardiam properans cœpit studiosè milites congregare. Sed audi viri constantiam, & inauditam animositatem; obligaverat enim omnes obligationes suas pro exercitu congregando; cùm autem sua penitùs deficerent, filios amicorum, & fidelium acquisivit, promittendo patribus, quòd eos ad militarem gloriam promoveret. Ivit postmodum, omnesque pignori obligavit; sicque congregando exercitum vênit juxta Ravennam, ubi repperit Petrum Traversarium nobilissimum Ravennatem Civem, qui partem Cancellarii fovebat, & congregaverat multos milites, ut impediret exercitum istius. Tunc Guillielmus ad ipsum accessit, rogando eum tamquam fratrem, quia consobrinus ejus erat, quòd eum in hac parte nullatenus impediret. Ille autem respondit, se fidelem esse Imperii, atque Cancellarii amicum, unde preces ejus exaudire nequibat. Videns autem Guillielmus, quòd transitum aliunde habere nequibat, quia civitates omnes, præter Ariminum, erant sibi contrariæ, loquutus est in bono dolo Petro Traversario, & dixit: *Dimittamus exercitus, quos habemus, & singuli ad propria revertantur, & ambo pariter Anconam eamus, & laboremus pro compositione.* Placuit enim illi hoc verbum, & promisit uterque, quòd suum exercitum licentiaret. Præcepit namque Petrus Traversarius primò suis militibus, ut ad propria reverterentur; Guillielmus verò cùm ad suos accederet, ait: *Promisi & pepigi Petro Traversario, ut dimittam exercitum, & cum eo promisi Anconam ire pro compositione: unde præcipio, ut revertamini. Verumtamen in animo revolvite, sicut viri sapientes, utrum vos à juramento, quod fecistis, valeam absolvere, & quid vobis in hac parte sit agendum.* Et his dictis reversus est ad Petrum Traversarium, & cœpit cum eo ire Anconam. Adelardus verò frater Guillielmi, tamquam vir strenuus, & prudens, intellexit verba fratris, remansitque cum exercitu, & cœpit militibus referre: *Scitis, ò viri nobiles & prudentes, quia frater meus non est Papa, vel Episcopus, qui possit vos absolvere à vinculo juramenti. Nam ego ipse vobiscum juravi, si evidens impedimentum non comparuerit, ire Anconam pro civitatis liberatione. Tentemus ergo fortunam, & eamus, quia potens est Dominus, & prosperabitur iter nostrum.* Tunc juxta noctis crepusculum iter arripuere, facientes transitum juxta mœnia Urbis Ravennæ. Cùm autem venissent Ariminum, & ecce Petrus Traversarius elevans oculos vidit exercitum Guillielmi prope venientem, & ait: *Captus sum, ut piscis hamo, & sicut avis improvida in retiaculum cecidi deceptoris.* Tunc respondit ei Guillielmus, & dixit: *Hæc ita peracta sunt; non potest aliud fieri; nos tamen eamus, & laboremus pro compositione.* Petrus verò immenso fatigatus dolore dixit ei: *Tu decomposita componis, & composita derelinquis; sed in tuis dolosis compositionibus de cætero non confidam quia fregisti positum, & mihi malè in omnibus fecisti.* Non respondit Guillielmus, sed cum ingenti exultatione, ac inenarrabili tripudio reversus est ad suos, & præstolatus est exercitum Comitissæ de Britonoro. Quod autem superiùs dixi in bono dolo fuerit loquutus, est taliter intelligendum. Bonus enim dolus idcirco dicitur, quia nullis nocuit, & multos à mortis periculo liberavit. Sed quis audivit parem viri liberalitatem, qui animam, & corpus, amicos, fideles, servos, ancillas, propria, aliena, in integrum obligaverat, ut civitatem liberaret Anconitanam, in qua nullas possessiones, nullosque consanguineos, vel notos habebat, nec illum exercitum ducere poterat, nisi primò transitum faceret per plurimos Episcopatus? Præterea res erat in dubio, quia pauci, vel nulli sperabant, quòd per aliquorum suffragium posset ab obsidione civitas liberari; & maximè cùm in itinere inimicorum vires viderentur undique prævalere. Sed dotaverat hunc virtus speciali munere, quæ audaciam sibi contulit, & liberalitatem, utraque quarum simul existat oportet; & cùm una deest, altera privatur effectu; utrique siquidem addita fuit, naturæ beneficio, sapientia, quæ, sicut lapis pretiosus decorat anulum, ita sua claritate radios superinducit. Cujus igitur facundia sufficeret tanti viri laudes referre, qui virtutem divitiis, præter generalem consuetudinem, antepofuit, & se ipsum, ac suos quasi pro alienigenis, & pro incognitis diversis periculis & morti exponere non dubitavit? Unde potest dici, quòd fuerit militum Lombardiæ speculum, Patriæ decus, & virtutem animi exercere volentibus memoria sempiterna.

CAP. XI.

De fame civitatis.

PRæterea qui remanserant in civitate, fame inenarrabili affligebantur, quia panis ex toto defecerat, & aliqua genera leguminum non poterant reperiri. Interficiebant equos, jumenta, & asinos, & immundas carnes avidissimè comedebant, quoniam fames, cibi cujuslibet introductiva est. Nam & tanta fuit talium carnium caritudo, quòd pro capite unius asini tres aurei solvebantur; nec dimittebantur intestina; nec aliud, præter ossa, relinquebatur ad edendum. Deficientibus tandem iis, accipiebant coria boum, & ea post mollificationem diuturno labore coquebant; post decotionem verò quidam cum piperata vini, vel aceti, quidam etiam simpliciter comedebant assata in oleo. Quod ab initio, & ante secula non fuerat auditum. Quidam eorum canes, muscipulas, & mures eo tempore comederunt; alii verò salem contritum, & bene mundificatum in frixorio cum oleo bulliebant, & potando vinum refocillabant ex eo animas intolerabili fame oppressas. Multi etiam accipiebant urticas marinas, quæ sub aqua lapidibus adhærebant, & frixas in oleo comedebant. Ipsæ quidem urticæ plurimum rubent, & non sunt herbæ, vel pisces, sed quædam specialis materia rei, quæ dum cruda est, continet venenum; unde plus quàm capsia carnes tumefacit humanas. Verùm quia hujusmodi victualia non erant bonorum generantia humorum, idcirco pallebant universorum facies, & vix se poterant de loco movere,

vere, nisi cùm appropinquabant ad bella; erant enim plurimi taliter fame oppressi, quòd vix usque ad introitum belli scutum portabant; & tamen ita persistebant bellando, quòd obsessores omnimode mirabantur. Parvuli poscebant panem, & licèt esset qui frangeret eis, non reperiebatur ad frangendum. Lacrymabantur matres infantium, quia defecerat sanguis suo calore decoctus, lac, quo videlicet lactantes pueri nutriuntur: unde cùm lac sugere conabantur, mamillam quasi aridam reperiebant, pro quo in lacrymas dirumpebant diuturnas, quia non poterant percipere nutrimentum. Profectò cùm quædam lactarent pueros, moriebantur; & mortuis matribus, mamillis iterum pueri adhærebant; sicque reperiebantur mortui juxta ubera matrum. Nam cùm quædam nobilis mulier lactantem deferret in brachiis puerum, quemdam juxta portam reperit Balistam, qui præ fame nimia consternatus jacebat. Ipse autem respondit, se fame penitùs esse consumtum. Illa quippe dixit: *Jam XV. dierum spatium est elapsum, quòd non comedi nisi coria cocta, unde lac pro puero vix possum habere. Verumtamen, si vis, ore summitatem apprehendas mamillæ; & si adhuc adtrahere potes, animam refocilla.* Cùm autem elevasset oculos, & vidisset, quòd erat nobilis Domina, non cum parvo pudore surrexit, & adprehendens baleam, quatuor de obsessoribus in mora modici temporis interfecit: sic enim maritatæ, viduæ, & virgines, bellatores assiduè hortabantur ad edendum, unde plurimi pactum facere conabantur. De Nuntiis equidem securitatem habere non poterant; & quid facere de exercitu possent, penitùs ignorabant. Eâ siquidem horâ Dominæ civitatis in concionem venerunt, offerendo se ipsas, & dicendo: *Numquid asinorum carnes sunt saporiores nostris ad edendum? Comedite igitur nos, vel projicite in mare, quia minus malum credimus esse mori, quàm in illorum pervenire potestatem, qui furorem pro lege habent, & quibus præsunt, nolunt, vel vetantur indulgere.* O admiranda constantia mulierum, & inaudita promissio ab antiquis; nam cùm sit rara virtus avis rara in terra, pollicitum admirabile, omni admiratione dignum, repertum est in fragili & mobili sexu. Filiæ Hierusalem, cùm obsideretur civitas à Tito & Vespasiano, coxerunt filios suos, & partem ex eis comederunt, partemque reservaverunt; illæ autem in contrario sponte se obtulerunt ad edendum, cupientes viros, & civitatem morte propria liberare. Profectò à verè dicentibus intellexi relatoribus, quòd cùm quædam mulier vidua duos filios haberet, & videret eos acriter bellare, suspiravit, eo quòd ea die nihil comederant, neque habere poterat, quid eis conferret. Tunc domum est absque dilatione reversa, & fecit sibi venam sinistram brachii cum flebotomo aperiri, abstractumque sanguinem coxit cum speciebus: sicque contulit filiis ad edendum. Fuerunt igitur mulieres Anconitanæ imitatrices matris Johannis Hircani, de qua legitur in veteri Testamento. Illa quippe dùm captiva teneretur cum duobus filiis suis à Ptolemæo, qui maritum ejus Symeonem, & duos filios sub proditione interfecerat, jussit filio suo Johanni, qui Ptolemæum ipsum obsederat, ut eam & fratres interficeret cum machina, ne illius scelus relinqueretur inultum. Ptolemæus enim eam, & filios ejus super mœnia posuerat, ut Johannes Hircanus muros non frangeret civitatis.

CAP. XII.

De Legato Imperatoris Constantinopolitani.

AD hæc surrexit Imperatoris Constantinopolitani Legatus, qui Constantinus vocabatur, cujus causâ dicebatur civitas obsessa. Imperabat tunc in urbe Constantinopolitana Serenissimus Emmanuel, qui miserat istum in Italiam, ut compararet quasdam civitates, & bona Civium eisdem postmodum suo nomine omnia redigeret in feudum. Hic siquidem plurimùm timebat, ne illum Anconitani traderent in manibus Cancellarii, quoniam pro ipso venerat, & aliud à Civibus non quærebat: quod facere penitùs recusarunt. Unde commendanda, immo extollenda est plurimùm Anconitanorum liberalitas, & maximè cùm in necessitatibus nemo consueverit esse liberalis. Erat enim vir sapiens, discretus, eloquens, & curialitate multimoda redimitus, pro quibus in ejusdem Imperatoris aula maximam habebat dignitatem, de qua Protosevasto dicebatur; nec erat ita magnus Princeps in Curia post Logothetam. Hic siquidem infinitam expendit pecuniam pro sua, & civitatis liberatione, & in omnibus maximum præstitit patrocinium Anconitanis; nam quidquid occasione obsidionis ante vel postea expenderant, usque ad novissimum quadrantem restituit universis. Surrexit hic, & alta voce clamavit: *Panchethir*, idest *salutem omnia*, superaddendo *Eleyson*, & quædam Græca vocabula, quæ huic non sunt Libro inserenda, quoniam Latinis non debemus apponere Græcum. Finita siquidem, secundùm Græcorum morem, oratione Domini invocatione, hoc modo populum alloquitur Anconitanum.

CAP. XIII.

Oratio Legati.

„ SI politè non peroravero, parcat mihi „ universitas vestra, quoniam inter Græ„ cos enutritus, verbis non valeo integraliter „ exprimere Latinis quod homo interior ima„ ginare præconcepit. Multa siquidem ad uti„ litatem vestram referre proposueram, quæ „ plectro nequeo linguæ formare, quia dum „ vocis meæ prolatione reverberatur aër, vox „ resonat semiplena; unde non possum animi „ exprimere affectum, neque vobis, ut desi„ dero, complacere. Humili igitur vos „ prece deposco, ut non simplicem verborum „ positionem, sed proferentis consideretis af„ fectum, quoniam ex sermone simplici me„ dullatus multotiens percipitur intellectus, „ extra quod non vox, sed vis est contem„ planda. Nec enim curandum, si arbor fue„ rit tortuosa, dummodo saporiferum confe„ rat fructum. De spineto quidem rosa colli„ gitur, sed ulmus omni tempore constat in„ fructuosa. Inter Græcos namque habet „ Mandragora vires; sed apud quosdam La„ tinos mel est veneno permixtum. Græci „ barbam deferunt, ut se viros esse meminerint; Latini suas abradunt, ut quamdam „ assumant speciem juventutis. Abrasis barbis

„ juvenantur plurimi: utinam senectus in moribus consistat. Sed Græcum non facit barba virum, neque Latinum abrasio naturaliter juvenari. Recedet æstas, & in fine consistitis autumni; hyems venit, & tonitrua comparuere; cadunt grandines, & tempestates, quas vos timere non oportet, quoniam estis in domibus, quas patres vestri antiquitus construxerunt. Et licèt latrent canes ad Lunam, adhuc est plena in angulo; & si viri esse volueritis, privati opinione recedant; vasa figuli probat fornax, & viros probos immensitas tribulationum. Aurum purgatum ponitur in coronis; & dum resplendet in clypeis, facies exhilarat; sed æruginosum creditur esse ferrum. Venerunt alienigenæ, vinum novum in utres veteres mittentes; sed licèt sit planè ingressus, mordebit in novissimo ut coluber, quoniam nullum vitari ebrietas excusat. Serpens comparuit nocturnalis, habens in capite cristam; cantatu gallus dulcedinem portat in ore, & sicut scorpio fundit cum cauda venenum. A fructu cognosco arborem, & opera per effectum. Quis numquam audivit lupi naturam? & vulpis gestus quis consideravit? Vulpes decipit, & lupus rapit, & vermis araneus telam orditur, & tendit. Sed quid, si hæc tria in unum conveniant, & in eodem omnia reperiantur. Canis famelicus appetit ossa, & caninus non remittitur appetitus, nisi caput revolverit in testinis. Petit partem, ut habeat totum; & cùm totum habet, credit habere nihil, quia semper agitat caudam, unde intelligit petere quod non habet. Dum lupus iret ad caulas, nigram induit cucullam, & in compatrem asinum, & arietem quæsivit, unde ipsos, & eorumdem propaginem in proprio sanguine baptizavit. Recordemini tamdem beneficiorum potentis, sublimis, excelsi Emmanuelis Imperatoris, qui faciet in capite omnium platearum vestrarum currere flumen aureum, de cujus fluentis potu replebimini divitiarum. Et licèt sitis velut nautæ, qui temone perdito undarum concursibus agitantur, habetis adhuc temones in manibus, in quibus principaliter navis regimina consistunt: unde cum Spartanis bonæ spei ponatis anchoram constantiæ fortioris, donec mare tribulationum in bonaciam convertatur; quia si contigerit, vos circa inimicorum litora pati naufragium, semper à patria exulabitis; & si vestrûm aliqui vellent ibi aliquo tempore commorari, oportet eos secundùm spoliantium arbitrium considere. Verbis ergo mollibus credere nolite; sed substinete modicum, & expectate paulisper, quoniam in proximo die videbitis desideratum, & cantabitis Canticum novum, Canticum lætitiæ, jocunditatis & exultationis in terra propria, & aliena, & cum vestri nominis, atque constantiæ fama resonabit ubique terrarum benedictum nomen vestrum de generatione in generationem.

CAP. XIV.

Spes allata Anconitanis.

Complacuit oratio Græci, & multam receperunt Cives ex ipsius persuasione audaciam, unde firmiter proposuerunt ejus voluntati & consiliis parêre. Sed vix orationem præfinierat, quando Legatorum nuntii civitatem latenter intrarunt, ferentes literas, in quibus continebatur, ut securè omnes existerent, quoniam paratus erat exercitus ingens pro eorum liberatione.

CAP. XV.

Cancellarii fraudes.

Cancellarius verò, sicut subdola vulpis, excogitavit, qualiter Anconitanos decipere posset; fecit quippe fieri ex parte Legatorum literas falsas, & Anconitanis per quemdam nuntium apportari. Literarum siquidem tenor talis erat.

CAP. XVI.

Literæ fictæ à Cancellario.

„ A Gemitu, & inenarrabili dolore stilus noster initium sumit, & narrationis nostræ series progreditur à carmine doloris, quia dum pro liberatione vestra fecerimus exercitum congregari, aurum, quod portavimus, amisimus; & Lombardi non audent nobis præbere auxilium præ Imperatoris timore. Comitissa namque suum violavit promissum, quia timet exercitum, quem nuper Imperator Cancellario mittit. Unde vobis firmiter consulimus, ut antequam hæc præsentiat Cancellarius, cum eo qualitercumque componatis, quoniam à nobis non potestis de cetero aliquod suffragium postulare.

CAP. XVII.

Dubitatio Civium pro dictis literis, & exhortatio.

Anconitani verò videntes has literas, cœperunt dubitare plurimùm, & ignorabant quid facere deberent. Verumtamen priores juramento firmabant, hæc esse penitùs falsa, & constantissimè perhibebant testimonium veritati. Græcus verò hæc audiens, cœpit aliquantulum subridere; & apprehendens manu dextra barbam, coram omnibus dixit: *Frustra rete jacitur ante oculos pennatorum; non enim sumus struthiones, qui suos absque causa deserunt nidos; non sumus etiam muscæ morientes, ut taliter suavitatem perdamus in ignem, neque ranunculi, qui pro strepitu quolibet refugiunt in aquam. Sed meritò nostræ posset supersedere derisioni Cancellarius, si nos hoc problemate superaret, & duceret ad inconveniens per syllogismum cognitæ figuræ; sed antecedenti destructo, modica, vel nulla est habitudo localis, & vis inferentiæ annullatur.*

CAP. XVIII.

Quomodo vênit Guillielmus Marchesselli cum Comitissa de Britonorio ad liberandam civitatem.

Elapsis postea paucis diebus, & ecce Guillielmus Marchesselli, & Comitissa de Britonoro cum ingenti exercitu comparuerunt, habentes vexillum aureum in acie prima. Fecerant

cerant quippe XII. catervas militum, & in qualibet ducentos posuerant præelectos. Vulgares verò milites, & populus vix poterat præ multitudine numerari. Castrametati sunt autem non longè in quodam monte ab exercitu Cancellarii, quia inclinata erat jam dies, unde prœlium incipere nequibant, sed nocte superveniente jussit Guillielmus, quòd universi milites, & scutiferi candelas properè accenderent, & quisque duas, vel plures super lanceam poneret, ut exercitus Cancellarii terreretur: quod quilibet facere statuit sinè mora. Unde singuli exploratores, qui ab eodem fuerant Cancellario studiosè transmissi, de circapositis montibus innumerabilia luminaria respicientes, ad ipsum continuò redierunt, referendo firmiter de magnitudine supervenientis exercitus, quæ veritatem excedere proculdubio videbantur. Est enim generalis mortalium consuetudo in rebus maximis hyperbolicè loqui, & in repentina mutatione rerum lingua non parcit conscientiæ, sed labitur facilè in mendacium, quia fluxibilis, & derecta est voluntati. Cancellarius autem hæc audiens, aliquantulum retrocessit, & cum suis hominibus se reposuit in quodam monte munitissimo præ timore. Tunc Guillielmus ascendens in eminentiorem locum præcepit, ut omnes militum peditumque cohortes convenirent properè ad audiendum, & incœpit in hunc modum coram omnibus perorare.

CAP. XIX.

Oratio Guillielmi Marchefelli.

„ ORdo rerum exigit, & instantis periculi „ necessitas requirit, ut pro communi „ utilitate aliqua in medio vestrûm referam, „ & ea dicere non postponam, quæ ad com„ mune videntur commodum pertinere. Cùm „ nuper Ferrariæ consisterem, & deliciis tem„ poralibus potirer, plurimis referentibus in„ tellexi, quòd Cancellarius, & Veneti civi„ tatem Anconitanam obsidebant, eam absque „ causa rationabili destruere cupientes. Quæ „ licèt meum animum plurimum commove„ rint, me tamen à quiete minimè remove„ runt, nisi cùm Cives, & civitatis Dominas „ tanta intellexi penuria laborare, quòd equo„ rum carnes, & marcida intestina loco cibo„ rum desiderabilium comedebant. Ad hoc, „ quòd judicium possent evadere destructio„ nis, excogitavi continuò, summam esse vir„ tutem consimilia gravamina patientibus pro „ tuenda libertate favorem & patrocinium „ exhibere. Dignum est siquidem, & rationi „ consentaneum suffragari virtuosis, ut de vir„ tute in virtutem ascendant. Unde postquam „ Anconitanorum nutus vidi, sponte me vi„ delicet obtuli ad serviendum, quia fama „ præambula sic me animaverat, quòd eis in „ eorum obsequium denegare nequibam. Est „ igitur fama celebris, res persuasibilis, & „ animositatis inductiva, & multotiens non „ minus persuadet fama quàm factum. Accessi „ ergo priùs ad speculum Dominarum, Co„ mitissam videlicet de Britonoro, quæ hìc „ est cum unico filio, & magnificis viris de „ Comitatu suo, rogans eam, ut Anconitanis „ dignaretur misericorditer subvenire. At „ ipsa liberaliter promisit, &, prout corpo„ reis oculis videre potestis, promissum libe„ raliùs conservavit. Venistis postmodum „ non tantùm ad persuasionem meam, quan„ tùm probitate animorum, & causâ conqui„ rendi nominis. Propterea o egregii Viri „ Lombardiæ, atque Romandiolæ, ut vestram „ ostendatis in necessitate virtutem rogo. Ce„ terùm non traxit aliquos vestrûm metus, „ vel cupiditas, quæ mortalium solicitat ani„ mos, sed ut vestras vires exerceatis in ago„ ne opportuno. Ego verò propria, & aliena „ in integrum obligavi, & solummodo mihi „ supersunt anima, & corpus. Sed hæc ipsa, „ quæ mihi de multis relicta sunt, pro An„ conitanorum cupio exponere liberatione. „ Profectò qui se ipsum, & sua exhibet, ul„ tra non relinquitur ad exhibendum. Præ„ scire debetis, qui sint, contra quos arma „ movemus. Qui sint, ignoratur; quia non „ est rei certam relationem scire, cùm de „ omnibus Mundi partibus sola necessitatis „ causa convenerint ad invicem, dum conse„ quantur. Sed quid consequi possunt? om„ nes enim homines sunt inimici eorum, & „ præsertim illi, à quibus valent pecuniam „ extorquere. Et licèt eorum plurimi sint filii „ Nobilium, in hoc se maximè denobilitarunt, „ quia captorum catervis cupiunt aggregari. „ Numquam enim fuit adeò approbata Nobi„ litas, quam pravorum consortium non de„ nigret. Archiepiscopus autem cum talibus „ Clericis sua celebrat officia, qui mentiri, „ & furari noverunt, & rapere appetunt alie„ na. Sed quantus sit pudor cuilibet militi „ sub Clericali militare vexillo, verbis expri„ mi vix posset. Legitur enim, & in perpe„ tua memoria retinebitur, de gloria militum „ Alexandri Macedonis, & maximorum Prin„ cipum; sed Clericorum gesta circa Prædi„ cationes, & Ecclesiastica officia continen„ tur. Laus enim sic debet unicuique ordini „ attribui, ut quod unius est, alteri minimè „ conferatur. Non sunt ergo milites, qui sub „ illo militant, sed raptores: unde non aude„ rent nos expectare in bello, sed fugiunt à „ facie nostra, tamquam milvi à facie Aqui„ larum. Sed si fortè inebriati præsumtione, „ vel stultitia, nos præstolari auderent, ipso„ rum corpora in escas volatilibus Cœli tra„ damus, & supponamus omnes tanto ludi„ brio, quòd ubique terrarum universi rapto„ res & malefici contremiscant.

CAP. XX.

Qualiter exercitus gavisus est de oratione Guillielmi.

ANimavit autem oratio Guillielmi Marchefelli milites & pedites universos, unde sic alta voce omnes clamaverunt: *fiat*, *fiat*; quo totus exercitus Cancellarii extremuit, & Cives etiam ingenti tripudio in exultationis & jocunditatis voces continuò proruperunt, verba non parum ignominiosa Cancellario, & obsessoribus proponendo.

CAP. XXI.

Quomodo Comitissa amat exercitum.

SUrrexit postmodum Comitissa de Britonoro, quæ Aldruda vocabatur, pollens nobilitate, nempe quæ originem contraxerat in Urbe

Urbe de nobili prosapia Fragapanum, curialitatis & largitatis titulo adornabatur, quia universis & singulis exstitit liberalis, & animo libentissimè indulgebat; specie quippe, ac forma corporis ita inter Dominas emicuit, sicut appropinquante aurora præ ceteris stella matutina relucet. Etenim vidua & animosa plurimùm, pro quibus poterat similari, videlicet quæ Olofernem interfecit, & populum Israheliticum liberavit. Ista siquidem taliter alloquitur universos.

CAP. XXII.

Ejusdem oratio Comitissæ.

„ FAvoris & gratiæ cœlestis robore præmunita, præter generalem consuetudinem feminarum, inter vos perorare dispofui, credens, quòd licèt oratio mea verborum non radiet venustate, nec Philosophicis præfationibus picturetur, erit tamen vobis ipsis exoratio fructuosa; quia sæpe accidere consuevit, quòd sermo simplex animos roborat auditorum, & apparata eloquia demulcent aures exteriores; Non traxit me huc affectio dominandi, non aliqua temporalium ambitio, non exactio rerum alienarum, quia post mariti mei decessum, licèt mœrens, toti Comitatui dominor finè contradictione; Castellis namque, Villis, Burgis, ac possessionibus taliter abundo, quòd vix propria valeo custodire. Profectò illorum solet esse consuetudo, velle capere aliena, quibus est curta supellex, & facultates propriæ non superfunt ad vivendum. Induxit me igitur miserabilis affectio Civium Anconitanorum, & lacrymosæ Dominarum preces, quæ ultra quàm dici possit in obsidentium potestatem venire trepidant; quoniam earum corpora ludibrio supponerent sempiterno; nam damnabilis raptorum caterva ducitur arbitrio cœco, nec parcit alicui, dum adest possibilitas delinquendi. Materiam facti omnes & singuli novistis; unde me non oportet singula specificare. Ad succurrendum igitur consumtis fame, diuturnis bellis oppressis, in omni labore atque periculo positis, veni ego cum unico filio in pupillari ætate relicto, qui licèt puer sit, & pupillus, altitudinis tamen paternæ recordans animositatem jam gerit in auxiliis & protectionibus amicorum. Venistis & vos, ò milites Lombardiæ, atque Romaniolæ, qui tam armorum strenuitate, quàm sinceritate fidei multimodè refulgetis. Est enim ductor & præambulus vester Guillielmus Marchesselli, qui sola liberalitatis causa, omnes possessiones suas, amicorum, & fidelium bona pro liberatione civitatis Anconitanæ pignori obligavit: ob quam causam quibus eum laudibus extollam ignoro, quia non sufficit lingua carnis, hominis interioris exprimere voluntatem. Sic enim eum facere decebat, quia tunc efficitur aliquis virtuosus, quum virtutem animi rebus honoribusque anteponit. Ceterùm in supereminenti negotio hactenus floruistis, transiendo transitum per fauces & interiora inimicorum. Sed nunc tempus est producendi fructum, & exercendi vires, quia materia virtutis adest. Pollere multotiens videtur arbor frondibus & flore, sed tota circumstantiæ intentio per finem fructus consequi præstolatur. Omnis quippe dilatio fit procul, quæ multorum sæpe facit animos pigritari. Induatis verò arma summo diluculo, ut cùm sol oriatur, victoria, quam strenuitati vestræ promisit Altissimus, propter amorem nitamini Anconitanum populum liberare. Sed quæso vobis mea fit exoratio salutifera, & visio fortissimarum virginum, quæ mecum sunt, jocundatio fructuosa, quia non solùm propter visionem, sed etiam propter momentaneam recordationem Dominarum arbitraria consuerunt facere milites torniamenta, in quibus ad ostentationem suarum virium bella crudelissima exercent: quanto magìs ergo vos, qui propter factum nomen proprium acquirendo adipiscimini gratiam universorum, laborare debetis ad victoriam consequendam? Non parcat igitur manus vestra rebellibus, sed vestri mucrones laventur in sanguine resistentium; quia non debet illis indulgentia exhiberi, qui non recordantur veniæ, si tempus occurreret delinquendi.

CAP. XXIII.

Qualiter gavisi sunt de oratione Comitissæ.

FEcit namque oratio Comitissæ universas militum cohortes tamquam lilium reflorere; unde in jocunditatis & exultationis voces unanimiter proruperunt, & cum tubis, ac tympanis choreas facientes amœnissimas; muliebris enim conditio viris facilè persuadet, quoniam ab initio fuit illa persuasio naturalis.

CAP. XXIV.

Quomodo Cancellarius cepit fugam.

CAncellarius autem videns, quòd istis resistere nequibat, arma, sub occasione faciendi prœlium, à Venetis mutuò recepit, noctuque cum suis omnibus, eis inrequisitis aufugit; & Veneti ab ipso delusi recessere. Sicque fuit ab obsidione civitas potentissimè liberata. Stetit ibi tam diu exercitus, quousque illi Marchiani, qui Anconitanos diligebant, horrea civitatis frumento & leguminibus repleverunt. Postmodum autem juvenes, & virgines, senes cum junioribus Anconitanæ civitatis Guillielmo, & Comitissæ, cum ingenti gaudio venerunt, larga & magnifica dona eis unanimiter offerentes. Comitissa verò postea cum exercitu revertens, plurimos reperit inimicos, quos bellando magnificè superavit. Sed in primo bello ita exstitit victoriosa, quòd eos fugando, & capiendo retrusit usque in mœnia Senogalliæ; sicque rediit ad propria cum triumpho. Guillielmus verò Marchesellì Constantinopolim ivit, ubi sicut Princeps potentissimè est receptus. Resedit etiam in dextro latere Imperatoris; & in Imperiali Palatio, donec in Curia esse voluit, permansit. Honoraverunt eum Archontes, & Archontissæ, & tam pusilli, quàm magni Cives Urbis Constantinopolitanæ. In suo quidem recessu aurea & argentea vasa sibi largitus est Imperator; & insuper tot perperos ei fecit liberaliter exhiberi, quòd omnia, quæ pro facto Anconitanorum obligaverat, exsolvit à vinculo debitorum. Insuper donavit ei vestes Imperiales, quæ auro &

& lapidibus pretiosis erant undique intersertæ. Dedit sibi equos, papilionem, aureumque vexillum, & quidquid ad apparatum militis pertinebat: sicque gloria multiplici decoratus in Italiam remeavit.

CAP. XXV.

De morte Cancellarii.


POst aliquot autem annos magnificus & inclytus Conradus Marchio Montis-Ferrati, qui quemdam potentissimum Principem Græcum, nomine Averna, in obsequium Imperatoris, Isacchii cognati sui juxta Constantinopolim interfecit, qui Regno Hierosolymitano devicto, Tyrum ab obsidione Saladini, nationisque barbaricæ liberavit, ubi cultellis succubuit assassinorum, cum præfato Cancellario commisit prœlium juxta Camerinum, in quo cum super quadam rupe prope Arcem, quæ dicitur Pioragum, cepit, ipsumque apud Aquam-pendentem detinuit non modico tempore catenis ferreis religatum. Exivit demum de carcere; & cùm consuetam duceret vitam, mors eum Tusculani conclusit, & tunc illum pœnituit de commissis, cùm non potuit ampliùs lascivire.

CAP. XXVI.

Quare non vult multa dicere.

POssem namque præ magnitudine materiarum latius extendere stilum; sed placeat universis competens brevitas, quæ dulciter auribus consonat; & suscipiat Ancona favorabile munus, quod sibi à Boncompagno amicabiliter exhibetur, cui Florentia dedit initium, & Bononia, nullo præeunte Doctore, celebre incrementum.

FINIS.



HISTORIA
RERUM LAUDENSIUM
OTTONIS ET ACERBI
MORENÆ

EX DUOBUS MANUSCRIPTIS

BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ,

UNA CUM

FELICIS OSII

CODICE

Nunc primùm edita, & Notis perpetuis illustrata

A VIRIS CLARISSIMIS

JOSEPH ANTONIO SAXIO

EIDEM BIBLIOTHECÆ PRÆFECTO,

NEC NON

ANONYMO

MONACHO ORDINIS S. BENEDICTI.

IN OTTONIS MORENAE LAUDENSEM HISTORIAM
PRAEFATIO
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

AD Felicem Osium Mediolanensem, cujus eruditio, & eloquentia multos nobis Libros reliquit, primam referimus Historiae hujus editionem, & notas, quæ diem Venetiis videre an. 1639. cum hocce titulo: *Othonis Morenae, & Acerbi Othonis filii Historia Rerum Laudensium tempore Friderici Aenobarbi Caesaris cum notis & emendationibus Felicis Osii*. Anno postea 1707. Godefridus Guilielmus Leibnitius in praestantissimo Opere Scriptorum Brunsvicensia illustrantium Tom. I. Hanoverae impresso, hanc eamdem Historiam recudendam curavit, quum in ipsa celeberrimorum Ducum Henrici Leonis, & Guelphi ejus patrui, Brunsvicensium scilicet Principum, gesta nonnulla enarrentur. Nunc igitur ad reliquas veteres Italiae nostrae Historias accedet haec, digna plane, quae ab hominibus legatur, quandoquidem ibi res gestae a Friderico I. Imperatore in Italia accuratissime recensentur, hoc est ab Anno circiter 1153. usque ad 1168. Praecipuus hujus Historiae Auctor *Otto Morena*, Civis Laudensis. Is se in Praefatione appellat *Ottonem Judicem, qui dicor Morena, ac Missum Domini Tertii Lotharii Imperatoris, & Secundi Conradi Regis*. Quibus ex verbis intelligimus, Scriptorem hunc Legis Doctorem & Causidicum fuisse; neque solum floruisse sub Friderico Aenobarbo (cui contra Mediolanenses addictissimus fuit) sed etiam sub duobus illius Praedecessoribus Lothario, & Conrado, atque ab iis legatum fuisse ad ministrandam Populis justitiam. Itaque Otto noster eorum, quae narrat, testis fuit, atque ipsis etiam immixtus, quum praeter alia auctor sit, se Anno 1155. cum Mediolanensibus Terdonae obsessum fuisse.

Ottoni Morenae duo saltem filii fuere, *Manfredus*, quem ipse testatur Anno 1160. a Mediolanensibus captum, & *Acerbus*, qui historiam patris continuavit. Splendidam fuisse horum Familiam, atque Imperatori Friderico inter paucas caram, illud evincit, quod ipsum *Acerbum* Laudensis civitatis, hoc est Patriae suae, Potestatem constituit; immo quum seligendi forent sex Lombardi & sex Theutonici ad accipienda pro Imperatore juramenta Mediolanensis Populi devicti, ad hoc muneris electus fuit ipse *Acerbus*: ita vero scribit ille ad Annum 1162. *Et ego Acerbus Morena filius Ottonis Morenae, qui deinceps hanc Historiam dictavi, qui tunc eram Potestas Laudae, fui unus de praedictis duodecim*. Anno verò 1167. Augustum eumdem, bellum Populo Romano facientem, comitatus est; & quum Nuntii ab eo destinati fuissent *ad fidelitates Romanorum* suscipiendas, ex iis unus fuit *Acerbus Morena Laudensis Civis, & Imperialis Curiae Dux*. Suspectus est mihi titulus *Ducis Imperialis Curiae* heic nostro Acerbo tributus, si tamen eidem tribuitur, & non alteri viro secum juncto; atque, ut opinor, aliter in vetustioribus MStis legebatur. Verum quum eodem Anno 1167. teterrima Pestis Caesareum exercitum invasisset, febri & ipse Acerbus correptus, impetrata tamdem a Frederico licentia, Senas deferri se fecit, in cujus Civitatis suburbio XIV. Kal. Novembris vivere desiit. Hujus itaque Historiae pars Auctorem habet *Ottonem Morenam*, pars *Acerbum* ejus filium. Post Acerbi quoque mortem addita est ab Anonymo Scriptore eidem Historiae lacinia non contemnenda: quae omnia rursus publica luce donantur.

Ceterum duos Codices MStos, in queis Historia haec Laudensis continetur, aliqua vetustate conspicuos, Ambrosiana Bibliotheca servat, eosque non semel vidi. Aliud, & quidem antiquum, exemplar a P. Mazzucchello Mediolani repertum, significavit olim mihi Lazarus Augustinus Cotta inter Novarienses sua eruditione clarus. Et quidem ope istorum Codicum emendabam ego in Praefatione ad *Antiquitates Estenses* magni momenti locum, in hac ipsa Historia spectantem ad Genealogiam Regiae Familiae Sabaudiensis. Monui quoque, atque ite-rum

rum monebo, adservari in Estensi Bibliotheca vetustum membranaceum Codicem, ubi legitur Historia universalis a Carolo Magno deducta usque ad Annum circiter 1320. per *Fratrem Franciscbinum Pipinum de Bononia Ordinis Fratrum Praedicatorum*, uti tamdem deprehendi, & ex diversis praecedentibus Chronicis concinnata. Erat huic Scriptori ante oculos haec eadem Historia Laudensis; immo eamdem breviatam in suum Chronicon ille intulit, ejus Auctorem *Ottonem* fideliter memorando: Inter cetera Lib. 22. Cap. 22. ita de ipso scribit: *Haec scribuntur in Mediolanensium Chronicis. Sed Otto Laudensis Historiographus, ac illorum temporum Scriptor, Dompni Lotharii Tertii Imperatoris, & Conradi Secundi Regis Missus, de hoc schismate Pontificum Romanorum sub eodem Friderico Imperatore in hunc modum refert* &c. Capitulo vero 31. ejusdem Libri innuens & ipse quod supra diximus de viris a Frederico Augusto electis, ut fidelitatem a Mediolanensi Populo jam profligato reciperent, in haec verba loquitur: *Ex quibus Longobardis electis dicit se fuisse hujus Historiae Scriptor, Otto scilicet, cognomento Morena, qui tunc Laudae Potestatis gerebat officium*. Hinc vides, Religioso huic Historico unum fortasse *Ottonem* Historiae Laudensis Auctorem agnitum fuisse; nam quod supra legebamus in editis tributum Acerbo; Pipinus *Ottoni* ejus patri tantummodo tribuit. Gualvaneus vero de la Flamma in *Manipulo Florum* inter Historicos, quibus est usus, *Jacobum Laudensem* memorat. Num hic alius ab Ottone Morena fuerit, an potius diverso sub nomine insignem Morenae Historiam Gualvaneus laudaverit, videant alii.

Quum vero lacinias bene multas ex ejusdem Morenae Chronico desumtas Pipinus in suum intulerit, animadvertebam ego, inter hujus textum, ac editos Morenae Libros, multum saepe dissimilitudinis intercedere. Quamobrem per literas rogavi Clarissimum Virum Josephum Antonium Saxium Ambrosianae Bibliothecae Praefectum, ut probe inspectis ejusdem Bibliothecae Codicibus MStis investigaret, num & ibi par ab editis differentia occurreret. Monuit ille, revera differre in multis, & quod gravius erat, potiorem sibi videri MStorum lectionem; & quandoquidem jam conquestus fuerat Osius, se parum emendato Codice olim usum ad Morenae editionem instruendam, consilium suum esse, insistendum ubique Ambrosianis ad alteram hanc tutius instituendam. Neque heic stetit amicissimi Viri cura; sed onus in se ipse recepit, subsidium praebentibus Palatinis Sociis, conferendae cum iisdem MStis Codicibus Osianae Editionis. Uno verbo novissimam hanc editionem pro suo judicio ac eruditione utiliorem atque gratiorem in Literariae Reipublicae commodum efficere constituit. Ad haec Notas integras in Morenae Historiam pollicitus fuerat Osius, quas tamen paucas, & minime continuatas accepimus. Ut hoc etiam adminiculi atque ornamenti ad editionem nostram accederet, operam dedit cum ipse Saxius, tum alter doctissimus Vir, cujus nomen publice efferri minime passa est modestia illius singularis. Ita denique effectum est, ut omnino sperem, in posterum Morenae Historiam longe quam antea usui ac voluptati Lectoribus futuram.

LE-

LECTORI BENEVOLO
JOSEPH ANTONIUS SAXIUS
BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ PRÆFECTUS.

OTtonis, & Acerbi Morenæ historia apud eruditos viros summo semper in pretio habita, utpote ab iis conscripta, qui rerum, quas narrant, non testes solummodo, sed præcipui etiam auctores fuere, non nisi mendosa ac mutila huc usque in publicum prodiit; Felix siquidem Osius, qui primò illam à carie, ac pulvere vindicatam typis destinavit, dicavitque anno MDCXXIX. nobili viro Dominico Molino, accurante etiam anno eodem Venetiis editionem Sigismundo Boldono, in codicem adeò vitiatum incidit, ut, quemadmodum ipsemet testatur in epistola nuncupatoria, postmodum ante notas impressa, persanatis aliquot altè in eodem defixis vulneribus, *nimiâ eorumdem copiâ deterritus manum retulerit, cùm* curandis omnibus, vix satìs esse possent Esculapii vel Apollines decem. *Nec felicius hac in re fuit studium Clarissimorum Virorum, qui historiam ejusmodi iteratis per tempora curis pluribi vulgavere, Nicolai videlicet Crassi Venetiis anno MDCXXXIX. Johannis Georgii Grevii Lugd. Batav. MDCCIV. inter* Antiquitates Italiæ. *Godefridi Guilelmi Leibnitii Hanoveræ MDCCVII. inter* Rerum Brunsvic. Scriptores. *Ii enim omnes Osii vestigiis religiosissimè inhærentes, utpote exemplaribus aliis MStis, quæ consulerent, destituti, nihil aliud egere, quàm recusam verbatim primam editionem suos in libros transferre, vixque illorum postremus Leibnitius corruptas aliquas voces aut indicare, aut corrigere adnisus est, raro tamen ac breviùs, quàm earumdem frequentia & difficultas postulasset. Acceperat quidem is ab inclytæ apud nos memoriæ P. Mazucchello è Congregatione Somasca pergamenum Morenæ codicem, quem eidem felix sors obtulerat in officina salaria inter chartaceas quisquilias delitescentem, facilè redimendum; at cùm serò nimis in Germaniam allatus foret, excusum jam Morenam invênit, atque ideo irritum donum fuit, quod nos in præsens dolemus; defuncto enim utroque, fortasse ad pristinas privati plutei tenebras rediit, nisi etiam deteriori infortunio abreptus est; ejus autem explorandi, utpote procul dubio antiquioris, si nobis copia data foret, non ambigimus sinceriorem inde Morenæ textum erutum iri, ac plenum (si mens non fallit) literariæ Reipublicæ beneficium mox conferendum. Attamen hoc etiam subsidio nobis erepto, spe minimè abludi confidimus fore, ut pergrata Lectori accidat præsens editio, quam Clariss. Muratorius & Palatini Socii pro suo erga literas amore adornare summo studio ac diligentia contenderunt. Præsto enim fuere ex Ambrosiana mea Bibliotheca gemina exemplaria, papyracea quidem, sed alterum vetustioris characteris, qui decimumquartum sæculum (nisi etiam citiùs conscriptus sit) indubiè refert. Quantum verò lucis inde haustum sit, ut emaculari à gravioribus mendis, illustrarique vividiùs hæc historia posset, neminem, qui illam cum vulgata conferat, ignoraturum existimo. Id unum referre satìs sit, cùm adlaborarent viri in opus delecti excerpendis variis lectionibus, Osiique codici supponendis, tam dissonos ab edito Ambrosianos textus inventos esse, ut operam ludere viderentur, si emendari ex MStis singulæ fermè periodi debuissent, & continuata numerorum serie ad calcem Lector semper remitti. Quo circa abruptus est improbus labor, ac communicato cum Muratorio, Sociisque Palatinis consilio statutum, ut codex uterque tum Osii, tum antiquior Bibliothecæ Ambrosianæ unà simul excuderentur; ita enim citra molestiam frequentium variarum lectionum, facili quisque obtutu percipere potest quid inter ipsos discriminis adsit; quin etiam hac ratione fidem nostram liberamus, quæ postulari fortasse poterat, si omisso omnino vulgato hactenus Osii exemplari, nostra tantummodo venditare voluisse suspicandum relinqueremus. Melioris certè notæ Ambrosianum textum esse dubitare non sinit Osius ipse, qui ad illum sæpiùs provocat in notis, ut codicis sui errores castiget, eumque pluribi vocat optimum, ducem, ac cynosuram suam in enodandis inconditi sensus ambagibus, quæ, non secus ac in pelago scopuli, in hujusmodi à se edita historia frequentes occurrunt. An verò codex Ambrosianæ Bibliothecæ Osio notus idem sit cum eo, quem nunc producimus, affirmare non ausim; plura enim ex illo desumpta profert ipse, frustra à me in nostro quæsita; quapropter aut deperditum illud exemplar, aut malè ab amanuensi descriptum crediderim.*

Quod attinet ad notas, primus adjicere conatus est Osius, sed prolixas adeò, ut si ad extremum usque perduxisset, ex modica historia magnum procul dubio volumen conflasset. Quartam igitur Morenæ partem vix ab eo illustratam habemus; secundam enim Friderici Ænobarbi Italicam expeditionem tantummodo attingunt notæ. Cur autem hoc solùm, ut ita dicam, commentarii segmento excultus liber ille in lucem eruperit, vix assequi me posse ingenuè profiteor. Celeri obitu ereptum Osium, excussumque ideo de manu ipsius calamum, ne incœptum opus absolveret, vulgarior hucusque Scriptorum tulit opinio, extatque ea de re monitum ad

ad Lectorem in calce editi Morenæ, in quo docemur Osium morte præventum ultimam suis notis manum adhibere minimè potuisse. Ne tamen facilè in hanc sententiam concedam, plura faciunt; quomodo enim morte præventus qui mancum hunc ingenii sui fœtum vivens ipse Veneto Senatori Molino Patrono suo peculiari epistola nuncupavit? Datâ igitur operâ manum è tabula sustulit, nec temporis inopia, sed voluntas in caussa fuit cur notas abrumperet. Præterea, binos ille adhuc annos mensesque plures post illustratam hanc historiæ partem incolumis, ac in studia sedulò incumbens superfuit, pestilentia solummodo absumptus Anno MDCXXXI. Julio exeunte, ut Ghilinus, Picinellus, aliique Synchroni testantur. Quærenda itaque occasio altera interrupti laboris, quam non aliam putaverim, nisi quòd è Lycæi Patavini Rhetorico magisterio ad instruendam publicam in ea urbe Bibliothecam Senatus Veneti consulto evocatus, totum sese librariæ suppellectili adornandæ contulerit, & ne fructum sudorum suorum desiderari diutiùs à Literaria Republica pateretur, statuerit, quæ in promptu jam erant, prima in Morenam commentaria vulgare. Demum nequeo non mirari invaluisse adeò apud doctos viros hanc de festinato Osii decessu opinionem, cùm obvium cuilibet sit Patavinis typis excusum Anno MDCXLIV. testimonium Jacobi Philippi Tomasini, qui in Elogiis virorum illustrium de Osio loquens, tanquam de viro sibi familiari necessitudine noto, *absolutas ab ipso hujusmodi adnotationes oculatus testis affirmat, inquiens:* Murenæ historiam integrè dilucidatam vidimus; quæ tamen desiderantur notæ, quo casu maxima ex parte perierint, nobis incertum est. *Excusandus quidem Nicolaus Crassus, qui in Epistola nuncupatoria secundæ editionis superiùs memoratæ affirmat se Dominici Molini dono accepisse manu exaratum quidquid in Morenæ historiam Osius perscripserat, eandemque immaturæ mortis querimoniam prætexit, cur non nisi mutilas notas protulerit. Nondum enim Osii elogium vulgaverat Tomasinus, ex quo intelligere potuisset non omnes ad Molinum Senatorem adnotationes in Morenam transmissas, quas serò tantummodo, ac dicata eidem prima earundem parte Osius absolvit. Atque hinc fortasse errori locus fuit, quòd cùm Nicolaus Crassus easdem manuscriptas à Molino receperit, ac luci donaverit octavo jam anno post Osii mortem, ratus non alias ab ipso elaboratas, pro certo quoque habuerit immaturo illum obitu prohibitum fuisse, ne ultimam eisdem manum daret, eique postmodum credulè subscripserint omnes, qui de hujusmodi opere disseruere. Cæterùm negari absque injuria fides nequit Tomasino, summæ auctoritatis Viro, qui in eadem Urbe cum Osio degens, ipsique familiaris, de postremo hoc consummatoque ejusdem labore, à se inspecto, securos nos facit. Verùm de his satis, ad nostra revertamur.*

Doctissimus Leibnitius suæ collectioni Brunsvicensium Scriptorum Morenam innectens Felicis Osii notas prorsus rejecit, professus in præfatione eas ferè magìs ad verba, quàm res pertinere. *Mitiori via incedere in præsens placuit; neque enim totus ablegandus est Osius, Vir cæteroquin laude dignus, & de Literaria Republica optimè meritus. Suscepi ego hanc provinciam, selectisque notis melioribus, ejusdem nomen iis affixi, ne suâ unquam gloriâ ipsius labores defraudarentur. Cæterùm cùm alicubi in historia illum peccasse animadverterim, emendare non destiti, qua in re nec Morena ipse innoxius est; plura enim illorum temporum gesta ex falsis ad se delatis rumoribus narrat, quæ aliter accidisse certis monumentis evincitur, quemadmodum suis locis adnotatum Lector invenies. Quia verò parcus aliquando in iis, quæ illustrari merebantur, Osius fuit, adhibui manum obscurioribus locis explicandis, nihilque, pro mea tenuitate, intentatum dimisi, quo cultior gratiorque tibi editio hujusmodi posset exhiberi. Supererat, ut quam historiæ hujus partem nudam vacuamque hactenus typi produxerant, continuatæ usque ad calcem adnotationes implerent. Huic quoque beneficio procurando non defuere Palatini Socii; rogatus siquidem ab ipsis est Vir Clarifs. è Congregatione Casinensi Monachus, ac publicus in Ticinensi Universitate Professor (eruditione sua omnibus notus, præter quàm sibi), ut operi calamum admoveret, quod etiam præstitit alacri eo animo, quo Literatis omnibus operam suam libenter commodat, ubi de studiorum proventu sedulò promovendo agitur. Quid ab ipso actum sit Lector in decursu perspicies, ut inde veluti ex ungue leonem dignoscas.*

Te quidem monitum velim cautè legendum Morenam, cùm is Friderico Ænobarbo, fœdum tunc schisma in Ecclesia pro viribus propugnanti, impensè faveat, simulque scias pauculas eas lectiones varias, quas textui adnexas sparsim offendes, esse alterius nostri codicis MSti. Interim labore nostro fruere, nosque, si placet, ama. Vale.

HISTO-



Gaspar Massi Sculp.

HISTORIA
RERUM LAUDENSIUM
OTTONIS MORENÆ,
ET
ACERBI OTTONIS FIL.
TEMPORE
FEDERICI ÆNOBARBI
CÆSARIS.

EX CODICE AMBROSIANO.

A

Quicunque res à sanctissimo Domino nostro Imperatore Federico (1) religiosissimo ac prudentissimo & dulcissimo Viro Divina favente misericordia in Longobardia prosperè gestas ac sapienter audire desideras, quasque civitates, & quæ loca suâ potentiâ ceperit, atque destruxerit, quasque etiam civitates & loca destructa sua sanctissima benignitate ac pietate ad Imperii totius honorem in suo statu relevaverit, ac pleniter in suo honore reformaverit; quæque etiam & quanta bella, & quo tempore in Italia peregerit, quomodo etiam hostes Imperii suæ dictioni subjugaverit, suosque amicos, & maximè Laudenses

Andr. Ant. Oratij inu. Gaspar Massi sculp.

(1) Hujus nominis I. Ænobarbo appellato.

EX EDITO AB OSIO.

Quicunque res à Sanctissimo Domino nostro Imperatore Federico religiosissimo, ac prudentissimo, seu dulcissimo viro divina favente misericordia in Lombardia prosperè gestas sapienter audire desideras; Quascunque etiam Civitates, & quæ loca sua potentia ceperit, atque destruxerit; quascunque etiam Civitates, & quæ loca destructa sua pietate, ac benignitate ad Imperii totius honorem in suo statu relevaverit, ac pleniter in suo honore reformaverit; Quæ etiam, & quanta bella, & quo tempore in Italia peregerit;

B

quomodo etiam hostes Imperii suæ ditioni subjugaverit; quosque amicos, & maximè Laudenses sublevaverit, ipsosque multimodis honoribus, atque divitiis repleverit; Quantas etiam calamitates, & tormenta Laudensibus à Mediolanensibus ferè per quinquaginta annos illata ipsi Laudenses sustinuerint; Hunc libellum à me Othone judice, qui dicor Morena, ac Misso Domini tertii Lotharii Imperatoris, & secundi Corradi Regis scriptum perlege; in quo su-

EX CODICE AMBROSIANO.

ses sublevaverit, ipsosque multimodis honoribus atque divitiis repleverit, quantasque calamitates & tormenta Laudensibus à Mediolanensibus ferè per quinquaginta annos (2) illata ipsi Laudenses sustinuerint: Hunc libellum à me Ottone Judice, qui dicor Morena, editum, admissâ Domni Lotharii tertii (3) Imperatoris, & secundi Conradi (4) Regis scripturâ, perlege, in quo supradicta omnia & alia multa compendiosè ac veraciter, prout melius ab aliis discere potui, ac meis propriis oculis vidi scripta reperies: Jamque à primo initio benignitatis ac pietatis, quam sanctissimus Dominus Imperator Fredericus circa Laudenses primùm exhibuit incipiens, causam & occasionem, quare prædictus Imperator in amorem Laudensium, ac odium Mediolanensium primùm exarserit, oblivioni tradere non putavi: Accidit namque quòd non post multum tempus, quo sanctissimus Fredericus in Regno fuit electus (5), ipse Rex maximum colloquium cum suis Principibus apud Constantiam se habere (6) ac tenere disposuit. Evenerat etenim eo tempore, quòd quidam duo Laudenses Cives, Albernandus Alamanus videlicet, & Homobonus, Magister nomine, rogatu Constantiensis Episcopi, Erimanni (7) nomine, apud Constantiam civitatem in Alamania iverant, & in veritate dico non propterea quòd ipsi jam dictum colloquium ibi tunc fieri debere scirent, nec quòd ipsi in toto illo anno se prædictum Regem visuros exstimarent, Constantiam ambulaverant, sicut ipsemet Albernandus mihi retulit, sed Divino quasi Spiritu eos illuc tunc ducente, ut apertiùs ex post facto apparuit, pro quodam servitio Constantiensi Episcopo faciendo Constantiam perrexerant.

Cùm autem ipsi Laudenses prædictum Regem, aliosque Principes Constantiam venturos ibique colloquium habituros præsenserunt, apparuit eis bonum esse, si colloquio interessent, & Regem sanctissimum viderent, quem non-

EX EDITO AB OSIO.

supradicta omnia, & alia multa compendiosè, ac veraciter prout melius ab aliis discere potui, ac meis propriis oculis vidi, scripta reperies.

Itaque à primo initio pietatis, ac benignitatis, quam Sanctissimus Dominus Imperator Federicus circa primum exhibuit, incipiens; causam, & occasionem, quia prædictus Imperator in amorem Laudensium, ac odium Mediolanensium primùm exarserit, oblivioni tradere non putavi. Accidit namque, quòd non post multum tempus, quo Sanctissimus Federicus in Regno fuit electus, ipse Rex maximum colloquium cum suis Principibus apud Constantiam se habere, ac tenere disposuit. Evenerat etenim eo tempore quòd duo Laudenses Cives, Albernardus Alamanus videlicet, & Homobonus Magister nomine, rogatu Constantiensis Episcopi Euumanus nomine apud Constantiam Civitatem in Alemaniam ierant; & in veritate dico non propterea quòd ipsi jam dictum colloquium ibi tunc fieri debere scirent, non quòd ipsi in toto illo anno se prædictum Regem visuros existimarent, Constantiam ambulaverunt, sicut ipsemet Albernardus mihi retulit, sed divino quasi spiritu eos illuc tunc ducente, ut apertius ex post facto apparuit pro quodam servitio Constantiensi Episcopo fiendo Constantiam perrexerant.

Qualiter Laudenses impetraverunt literas contra Mediolanenses.

CUm autem ipsi Laudenses ipsum Regem, aliosque Principes Constantiam venturos, ibique colloquium habituros præsenserunt, visum fuit eis, bonum esse, si colloquio interessent, & Regem Sanctissimum viderent, quem non-

(2) Laus Pompeja excisa a Mediolanensibus fuit Kal. Juniis anni MCXI. ut in notis ad Landulphum de Sancto Paulo coævum tomo V. hujus Collectionis tradidimus. Anno verò MCLVIII. sub initium Augusti erigi cœpit, teste ipso Morena, jactis novæ Urbis fundamentis, acceptoque a Friderico favorabili diplomate, quo ejusdem cives à jure Mediolanensium eximebantur, quemadmodum refert Joh. Bapt. Villanova lib. 2. Hist. Laud. Hinc facilè iniri potest justus temporis calculus, quo durè à Mediolanensibus afflicti Laudenses eorundem jugum passi fuere, integris nempe annis septem & quadraginta. Rotundo tamen numero uti voluit Auctor, ut Patriæ suæ calamitatem vehementiùs efferret.

(3) Ad Imperium evectus est Lotharius an. MCXXV. & revera *secundus* tantùm est in Imperatorum serie, cùm nemo in hac dignitate illum præcesserit præterquam Lotharius Ludovici Pii filius. A pluribus tamen Scriptoribus etiam antiquis, III. dicitur, nec desunt apud Campium, Ughellum, aliosque Lotharii hujus diplomata, in quibus hoc numero inscribitur. Struvius in Hist. Germ. dissert. 16. §. 20. id factum ait ob Lotharium Arelatensem, qui seculo X. Imperium affectavit. Veriùs tamen Sigonius, tertium inter Reges, secundum inter Imperatores statuit.

(4) Etiam in hoc Conrado, qui anno MCXXXVIII. Imperium iniit, minimè constans est numerus; Ejusdem enim diplomata, ut animadvertit Pagius ad ann. subsequentem num. 38. modò II. modò III. referunt, *quia tertius hujus nominis fuit inter Reges Germaniæ, & secundus inter Reges Romanorum, quo pacto etiam Henricus aliquando quartus, & aliquando quintus appellatus reperitur.*

(5) Electionis hujusmodi annus fuit MCLII. ut eruditis notum.

(6) De hoc Constantiæ colloquio silent Frisingensis, Guntherus, aliique; Habitum tamen a Friderico fuisse constat tum ex Morena, tum ex Constitutione anno MCLIII. ibidem condita, quæ legitur tom. II. Bullarii Casinensis, citaturque a Pagio ad hunc an. num. 18. Hinc commodè exsolves nodum, quem intactum dimisit veluti inextricabilem Osius ad hunc locum & alibi; Cùm enim videret narratum à Morena aliisque, perrexisse Laudenses ad Fridericum Constantiæ morantem, ut de Patriæ suæ pressura ac servitute conquererentur, eosque fuisse obscuræ conditionis homines; contra verò à Frisingensi & Gunthero referri peractum id in Ronchaliis à præcipuis Laudensibus viris, duobus nempe Consulibus ab Urbe illa missis, nescire se ait in quam partem iret, ideoque litem se hanc, cui voluerit, componendam relinquere. Nullo tamen negotio dirimitur, si dicamus, ut verè est, bis ad Fridericum delatas Laudensium querelas; primùm Constantiæ privato quodam instinctu, & inconsulta prorsus Laudensi Civitate ab humilis fortunæ hominibus, qui ibidem aliis detenti curis degebant; postmodum in Ronchaliis à duobus Consulibus publicò missis nomine, cùm in Italiam anno insequente profectus Imperator inibi curiam apertuisset.

(7) Seu Hermanni.

EX CODICE AMBROSIANO.

nondum viderant, & quæ in ipso colloquio dicta vel facta cognoscerent, Civibus de Laude notificarent. Itaque Rege, aliisque Principibus Constantiæ existentibus maximum incœptum est colloquium, in quo multi tam pauperes, quàm divites de injuriis eis illatis Regi conquerebantur, Rex verò justitiam illis faciebat plenariè, quod prædicti Laudenses qui ibi aderant considerantes, placuit eis de mercato (8) quod Mediolanenses Laudensibus abstulerant ante ipsum Regem querimoniam proponere, statimque in quamdam Ecclesiam introëuntes, duasque inde maximas Cruces (9) ad humeros levantes coram ipso Rege, cæterisque Principibus adierunt, & pedibus ipsius Regis cum ipsis Crucibus prostrati sunt maximè lugentes, & hoc fuit in quadam die Mercurii capitis Jejunii (10), quæ fuit anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo tertio. Principes verò ante Regem Cruces portari cernentes, quod videre soliti non fuerant (11), valde mirati sunt. Tandem autem Rex ait illis, ut sursum levarent, & ob quam causam Cruces ante ipsum detulerant, sibi dicerent. Ipsis verò sursum erectis, & coram ipso Rege plorantibus, tandem jussu ipsius Regis Albernandus, qui linguam Teutonicam optimè didicerat, in vocem prorumpens, sic ait: „ Domine Rex sanctissime, nos pauperes Cives de Laude, „ Deo, & vobis, universæque vestræ Curiæ „ conquerimur de Mediolanensibus, qui nos, „ ac omnes Cives de Laude, qui vestri era„mus, olim de ipsa civitate Laude injustè „ expulerunt, ac omnes majores nostros, tam „ masculos, quàm fœminas expoliaverunt, & „ multos etiam ex ipsis interficientes ipsam „ civitatem nostram penitus destruxere, ac „ Cives Laudenses, ne ampliùs in ipsa civi„tate, vel ejus suburbiis habitarent jurare „ compulerunt. Postea verò multis ex ipsis „ Laudensibus per universas terras euntibus, „ reliqui ibi remanentes extra burgos ipsius „ civitatis, circa ipsam civitatem in sex bur„gis novis (12) habitare cœperunt, & mer„catum, quod intra civitatem in unoquo„que die Martis habere consueverant (*) in „ quodam ipsorum burgo, qui vocatur bur„gus Placentinus, & qui major est omnibus „ aliis burgis, similiter in unoquoq; die Martis „ fieri constituerunt. Ad quod ipsi Mediola„nenses, ac Papienses, Placentini quoque, „ atque Cremonenses, & Cremenses, ac Per„gamenses in omni hebdomada venientes in „ Laudensium domibus hospitabantur, unde „ ipsi Laudenses multum proficientes inde di„ta-

(8) Vocis hujus variam significationem disertè prodit ad hunc locum Felix Osius, ad quem Ducangius quoque Lectorem remittit V. *Mercatus*. Nobis alibi eandem proferendi opportunior recurret occasio; in præsens enim loqui Morenam de nundinis, quas in Suburbio Placentino celebrari magno Laudensium detrimento vetaverant Mediolanenses, dubitare non sinit supplex Albernandi libellus, qui hìc proximè recitatur.

(9) Priscum morem quo queruli oppressique supplicatum ibant opis implorandæ gratia, connotari hic docet eruditè Osius. Communem Italis fuisse scribit Radevicus lib. 2. cap. 5. inquiens *Italorum mos est, ut querelas habentes crucem manibus præferant*. In humeros quoque sublatas, quo major pietas excitaretur, ex hoc textu discimus.

EX EDITO AB OSIO.

nondum viderant, & quæ in ipso colloquio dicta, aut facta cognoscerent, Civibus de Laude notificarent. Itaque Rege, aliisque Principibus Constantia existentibus, maximum inceptum colloquium, in quo multi tam pauperes, quàm divites de injuriis eis illatis Regi conquerebantur. Rex verò justitiam faciebat plenariè. Quæ prædicti Laudenses, qui ibi aderant, considerantes, placuit eisdem, de mercato, quod Mediolanenses Laudensibus abstulerunt, ante ipsum Regem querimoniam proponere; statimque in quandam Ecclesiam introeuntes, duasque inde maximas cruces ad humeros levantes, coram ipso Rege, cæterisque Principibus redierunt, & pedibus ipsius Regis cum ipsis Crucibus prostrati sunt maximè lugentes, & hoc fuit in quadam die Mercurii capitis jejunii, quæ fuit anno ab Incarnatione Domini MCLIII. Principes verò ante Regem cruces portari cernentes, quod videre ausi non fuerant, valde mirati sunt. Tandem autem Rex ait illis, ut sursum levarent, & ob quam causam cruces ante ipsum detulerunt, sibi narrarent. Ipsis verò sursum erectis, & coram ipso Rege plorantibus, tandem jussu Regis, Albernardus qui Theutonicam linguam optimè didicerat, voce prorumpens sic ait, Domine Rex Sanctissime, nos pauperes Cives de Laude Deo, & vobis universæ Curiæ conquerimur de Mediolanensibus, qui nos ac omnes Cives Laudæ, qui vestri eramus, olim de ipsa Civitate Laudensi injustè expulerunt, ac majores nostros tam masculos, quàm fœminas expoliaverunt, multos etiam ex ipsis interficientes, ipsam Civitatem nostram penitus dustruxerunt, ac cives Laudenses ne amplius in ipsa Civitate, vel ejus Suburbiis habitarent, jurare compulerunt. Postea verò multis ex ipsis Laudensibus per universas terras euntibus, reliqui ibi remanentes extra Burgos ipsius Civitatis circa ipsam Civitatem in sex Burgis habitare cœperunt, & mercatum, quod intra Civitatem ex unoquoque die Martis habere consueverant, in quodam ipsorum Burgorum, qui vocatur Burgus Placentinus, & qui major est omnibus aliis Burgis, similiter in unoquoque Die Martis fieri constituerunt: ad quod ipsi Mediolanenses, atque Papienses, Placentini quoque, atque Cremenses, ac Cremonenses, & Pergamenses in omni hebdomada venientes in Laudensibus domibus hospitabantur, unde ipsi Laudenses multi inde proficientes, ditabantur. Cum autem carissime Domine Mediolanenses perspexerunt, ipsos Laudenses in rebus ac personis valde multiplicare, maximè condoluerunt, atque quorundam Sapientum Mediolani convocato Con-

(10) *Alter Cod. MS.* Junii.
Dies Cinerum, quod idem est, ac Caput Jejunii Quadragesimalis incidit hoc anno in quartam Martii diem.

(11) In Osii codice legitur *ausi fuerant*, quod mendum in meliorem ipse vocem transtulit *usi fuerant*. Sed lectio nostra correctior est. Hinc autem eruitur morem ferendi cruces non tam communem, sed peculiarem Italis fuisse, cùm ad illarum conspectum Germani tanquam de insolito spectaculo mirarentur.

(12) Horum nomina periisse dolet Villanova citat. Nonnulla ipse collegit ex tabulariis ejusdem Urbis, præter *Placentinum* à nostro Auctore memoratum, nempe Burgum *Mediolanensem*, *S. Naboris*, & *de C[illegible]*.

(*) *Alter Cod. MS.* consuerat.

A

EX CODICE AMBROSIANO.

,, tabantur. Cùm autem, carissime Domine,
,, Mediolanenses prospexerunt ipsos Lauden-
,, ses in rebus, & personis valde multiplicari,
,, maximè condoluerunt, atque quorumdam
,, Sapientum Mediolani (13) communicato
,, consilio, ad diminutionem Laudensium, &
,, ut in rebus, atque personis decrescerent,
,, jam dictum mercatum de burgo Placentino,
,, in quo priùs fieri solitum fuerat, abstule-
,, runt, & in quodam campo aperto, ubi
,, nullus habitabat, ipsum fieri constituerunt,
,, ac ipsos Laudenses ibi mercatum deinceps
,, facere compulerunt; ob quam rem, San-
,, ctissime Rex, Ego, & quamplures homines
,, de Laude ad inopiam devoluti fuimus, qua-
,, propter deprecor vos, Clarissime Rex (14),
,, ac universos Principes vestros hìc astantes,
,, quatenus rogent vos, Clarissime Rex, ac
,, universos Principes vestros, ut per literas
,, vestras, ac nuncium vestrum Mediolanensi-
,, bus præcipiatis, quòd prædictum merca-
,, tum Laudensibus restituant, ac in eum lo-
,, cum, in quo fieri solitum fuerat, adhuc eis
,, facere permittant. ,, Quod namque omnes Principes annuentes unanimiter Regi persuaserunt, ut sicut Albernandus dixerat, ita perficeret. Rex itaque, qui pius fuerat & misericors, statim Cancellarium suum vocavit, ac Literas, quæ sic dicerent, ut sicut Albernandus dixerat (15), eum statim (16) facere præcepit, & cuidam suo Legato Sicherio (17) nomine jussit, quatenus literas susciperet, Mediolanumque differret, ac viva voce Mediolanensibus ex parte ipsius præcipiat, ut sicut literæ eis nunciaverint, ita omnino peragant. Quo sic peracto, prædicti Laudenses à Curia discedentes, Laudæque redeuntes, ac communicato Consulum consilio, aliorumque Sapientum de Laude, qui credentiam Consulum jurarant (18), omnia, quæ ad Regem fecerant, ac ea, quæ ab ipso impetraverant per ordinem eis patefecerunt. Cùm autem Laudenses Consules, aliique de Laude Sapientes hoc audierunt, quamvis non firmiter crediderunt, tamen valde omnes ipsos increpaverunt, ac multas injurias, & turpia verba ipsis dixerunt,

B C D

EX EDITO AB OSIO.

Consilio ad diminutionem Laudensium ut in rebus, ac personis decrescerent, jam dictum mercatum de Burgo Placentino, in quo primitus fieri solitum fuerat, abstulerunt, & in quodam campo aperto, ubi nullus habitabat, ipsum fieri decreverunt, ac ipsos Laudenses ibi mercatum deinceps facere coegerunt; ob quam causam Rex sanctissimè ego, & complures homines de Laude ad inopiam deducti sumus. Quapropter deprecor vos carissime Rex, ac universos Principes vestros hìc astantes, quatenus rogent vos carissime, ut per literas vestras, ac nuntium vestrum Mediolanensibus præcipiatis, quòd prædictum mercatum Laudensibus restituant, ac in eum locum, quo fieri consueverat, adhuc eis facere permittant. Quod namque omnes Principes annuentes unanimiter Regi persuaserunt, ut sicut Albernardus dixerat, ita perficeret. Rex itaque, qui pius fuerat & misericors, statim Cancellarium suum vocavit, ac literas, quæ sic dicerent sicut Albernardus dixerat, eum statim facere præcepit, & cuidam suo Legato Sicherius nomine jussit, quatenus literas susciperet, Mediolanumque deferret, ac viva voce Mediolanensibus ex parte ipsius præciperet, ut sicut eis literæ nuntiaverint, ita peragant omni modo. Quo sic peracto prædicti Laudenses à Curia discedentes, Laudamque redeuntes, ac convocato Consulum Consilio aliorumque Sapientum de Laude, qui credentiam Consulum pararent, omnia, quæ ad Regem fecerant, per ordinem eis patefecerunt. Cum autem Laudenses Consules aliique de Laude Sapientes hoc audierint, quamvis non firmiter crederent, tamen valdè ipsos omnes increparunt, ac multas injurias, & turpia verba ipsis dixerunt, ipsos etiam de terra se dejecturos, si verum esset, minati fuerunt; insuper etiam illis firmiter præceperunt, ne cuiquam unquam illud amplius dicerent, nisi statim mori desiderarent.

Qua-

E

(13) Vox ista frequens in historiis horum temporum, Primarios Viros indicat, quorum Consilio publicæ res agebantur. Varias Italiæ urbes Veronam, Vicentiam, Patavium, Ravennam, Bononiam, in quibus *Sapientum Collegia*, seu *Consilia* vigebant ex earundem Chronicis referunt Osius hìc, & Ducangius in Glossario.

(14) In Osii codice *Carissime* ubique. Corius legit *Clementissime*.

(15) Perperam igitur Sigonius refert ad hunc ann. datis ad Consules Mediolanenses literis imperasse Fridericum, *ut à Laudensium, Comensiumque abstinerent injuriis*. De Comensibus enim ne verbum quidem Albernandus protulerat in Oratione ad Cæsarem habita, ut legi superiùs potest.

(16) Osius hìc corrigere Morenam nititur ex Gunthero, qui ait de Friderico Imperatore: *differre querelam maluit*; sed ut supra innuimus, in hoc ipse abluditur, quòd censeat unica tantùm vice accessisse Laudenses ad Cæsarem ejusdem patrocinium imploraturos, ut à Mediolanensium injuriis vindicarentur.

(17) Plures fuisse Legatos à Cæsare missos statuit Osius, auctoritatem Donati Bossii, ac Sigonii interponens; sed cùm nullum hac in re antiqui Scriptoris testimonium ab hisce Auctoribus producatur, credendum potiùs est Morenæ, qui unicum tantùm Sicherium Legatum ubique enunciat.

(18) Osii lectio habet *pararent*. Utraque commodè explicari potest, sed nostra congruentior est ad historiam; ut enim ait Joh. Ant. Castillionæus apud eundem Osium ,, Jurare Creden-
,, tiam Consulum ejus ævi mos, *Tenuiorum*
,, proprius, & eorum cum primis Opificum,
,, qui sibi victum manu & opere comparabant.
,, His enim peculiare Tribunal fuit, quod vul-
,, gò *Credentia Consulum*, Mediolani verò *San-*
,, *cti Ambrosii Credentia* dicebatur, ejusque Ca-
,, put & Præses *Antiani Credentiæ* nomine signa-
,, batur. Eo munere potitus olim Martinus è
,, Turriana gente, viam inde sibi muniit ad
,, imperium Mediolanensis urbis. Crediderim
,, autem tale quoque Tribunal apud Lauden-
,, sem populum exstitisse Morenæ ævo, quòd
,, is populus tum iisdem, quibus Mediolanen-
,, ses, institutis ac legibus tenerentur. Quis-
,, quis igitur in hujuscemodi Tribunalis Consi-
,, lium admittebatur, jurabat is *Credentiam Con-*
,, *sulum* statim, hoc est se se tacitè retentu-
,, rum quæcumque eo in Consilio dicta vel acta
,, fuissent, nec enunciaturum uspiam in pro-
,, phanum vulgus ,,. Cætera, quæ ad institutionem hujus Consilii Mediolani, variasque ejus vices eruditè congerit Osius, legi possunt apud Corium, Calchum, aliosque urbis nostræ Auctores.

EX CODICE AMBROSIANO.

runt, ipsos etiam de terra se dejecturos (19), si verum esset, minati fuerunt, insuper etiam illis firmiter præceperunt, ne cui illud umquam ampliùs dicerent, nisi statim mori desiderarent.

Post paucos verò dies prædictus Sicherius Regis Legatus cum literis ipsius sigillatis, sed tamen apertis, Laudæ magno cum gaudio vênit, ac omnes Consules, aliosque de Laude Sapientes, qui de credentia fuerant, ad se insimul venire præcepit, quibus insimul congregatis propter quod venerat dixit, literasque Sanctissimi Domini Frederici Regis publicè ostendit, atque Mediolanum se eas debere deferre ait; Laudenses autem ipsas literas videntes, & quod priùs per verba prædictorum Albernandi, & Homoboni non crediderant oculata fide videntes, & per literas Regis nunc firmiter credentes, quasi semivivi omnes effecti valde dolentes, quid facerent, vel dicerent nescientes prænimium obstupuerunt, ac unus versùs alium prospiciens per quoddam tempus, quasi mutefacti omnes forent effecti, præ nimia tristitia, & maximè Mediolanensium timore, nihil loquentes steterunt; tandem unus ex Consulibus surgens, quasi lugendo, & voce mutata, versùs Sicherium sic ait:

„ Domine Sicheri, de his verbis, quæ protulistis, nos omnes valde miramur, quia ipsum Deum in veritate testamur Albernandum, & ejus socium in Alamania nostro consilio, neque etiam scientia numquam venisse (20), neque has literas, quas nobis ostendistis, à Domino nostro Rege umquam impetrasse in veritate sciatis, unde multum miramur, quòd duo tam stultissimi viri tam maximam, & periculosam rem, quæ non solùm ad amissionem rerum omnium nostrarum pertinet, verumetiam ad destructionem, & interitum omnium personarum nostrarum spectat, sinè nostro consilio unquam ausi perpetrare fuerunt; dicens insuper etiam ei: quoniam si hæc res fieri deberet, non tamen apto adhuc tempore facta foret, quia postquam Mediolanenses hoc pro certo cognoverint, Rege pernimiùm à nobis adhuc distante, nec aliquod auxilium nobis nunc præbere valente, statim nos omnes, quos capere potuerint, interficient, reliquos verò, qui manus ipsorum effugerint, de terra ejicient, ac omnia ipsorum bona sinè dubio eis auferent. Quapropter valde ipsum Sicherium rogavit, quatenus Mediolanum non pergeret, nec literas illas, quas secum attulerat illuc deferret, præterquam si ipsos omnes mori desideraret; sed omnino deprecatus est eum, ut ipse ad Regem rediret, gratesque multas de hoc, quod eis fecerat, ab eorum parte referret, timoremque in Mediolanenses quem habebant Regi notificaret, & literas ipsas, quas à Curia reportaverat, ipsis Laudensibus dimitteret, dicens ei, ut si aliquod tempus venerit, quod ad ipsas literas Mediolanensibus ostendendas aptum fore ipsum videatur, Rege videlicet in

(19) Iacit *expulsuros ex urbe, in Bannum publicum posituros*. Osius.

(20) Miror Bossium scribere potuisse tam securè ad an. 1152. quòd in civitate Constantiæ faciente Friderico Imper. copiam sui deposituris querelas civitatibus, *duo Laudenses Cives publico missi nomine* graviter de Mediolanensibus

EX EDITO AB OSIO.

Qualiter Imperator misit Legatum cum eis literis Mediolanum.

Post paucos verò dies prædictus Sicherius Regis Legatus cum literis ipsius sigillatis, sed tamen apertis Laudam magno cum gaudio venit, & omnes Consules aliosque de Laude Sapientes, qui de credentia fuerant ad se insimul venire præcepit, quibus congregatis propter quod venerat, aperit, literasque Friderici Regis publicè ostendit, atque Mediolanum eas deferre debere ait. Laudenses autem ipsas literas videntes, & quod prius per verba prædictorum Albernardi, & Homoboni non crediderant oculata fide videntes, & per literas Regis firmiter credentes, quasi semivivi omnes effecti, valdè dolentes, quidve dicerent, vel facerent nescientes, per nimium obstupuerunt, ac unus versus alium prospiciens per quoddam tempus quasi muti obstupescentes omnes præ nimia tristitia effecti sunt, præque maximo Mediolanensium timore nihil loquentes steterunt. Tandem unus ex Consulibus surgens quasi lugendo, & voce mutata versus Sicherium sic ait: Domine Sicher de istis rebus, nos omnes miramur, quia ipsum Deum in veritate testamur, Albernardum, nec ejus socium in Alemaniam nostro consilio, nec etiam scientia unquam venisse, nec has literas, quas nobis ostendisti à Domino nostro Rege unquam impetrasse in veritate scias; unde multum admiramur, quòd duo tam stultissimi viri tam magnam, & periculosam rem, quæ non solum ad amissionem rerum omnium nostrarum pertinet, verum etiam ad destructionem, & interitum omnium personarum nostrarum spectat, sine nostro consilio perpetrare ausi fuerunt, Dicentes insuper ei, quòd si res hæc fieri deberet, non tamen aperto adhuc tempore facta foret, quia postquam hoc Mediolanenses pro certo cognoverint, Rege prænimium à nobis adhuc distante, nec aliquod auxilium nobis tunc præbere valente, statim nos omnes, quos capere poterunt, interficient, reliquos verò, qui manus ipsorum effugerint, de terra ejicient, ac omnia ipsorum bona sine dubio eis auferent, quapropter ipsum Sicherium valdè rogant, quatenus Mediolanum non proficisceretur, nec literas illas, quas secum attulerat, illuc deferret; nisi ipsos omnes mori desideraret, sed omni modo deprecantur eum; ut ipse ad Regem rediret, gratesque multas de hoc, quod erga eos fecerat, ab eorum parte referret; timoremque quem in Mediolanensibus habebant, Regi notificaret, & literas ipsas, quas à Curia reportaverat, ipsis Laudensibus dimitteret: dicentes ei, ut si aliquod tempus venerit, quod ad ipsas literas Mediolanensibus dandas aptum fore ipsis videatur, Rege videlicet veniente in Lombardiam, & ad ipsos Laudenses appropinquante, satis ipsi illas literas Mediolanensibus tunc sine aliquo timore ostenderent. Quæ verba ut ipse Sicherius talia à Laudensibus proferri audivit, ac eorum volunta-

apud Cæsarem conquesti fuerint. Ex hoc enim solenni Laudensium Consulum juramento, sicuti & turpibus verbis minisque, quibus exceptos fuisse Albernandum & Homobonum, è Germania reduces, superiùs dictum est, apertè constat privata id prorsus auctoritate ab illis peractum.

EX CODICE AMBROSIANO.

in Longobardiam veniente, & ad ipsos Laudenses appropinquante, satis ipsi illas literas Mediolanensibus tunc sinè aliquo timore ostenderent. Quæ verba ipse Sicherius ut talia à Laudensibus proferri audivit, ac contra eorum voluntatem in Mediolanum propinare cognovit (21), qui multum ei servisse, ac maxima dona à Laudensibus reportare putabat, & eos magis offendisse, quàm ipsorum gratiam acquisivisse præsensit, quamvis inde multùm dolens, tamen ait illis: se per centum marchas (22) argenti non dimissurum, quòd Mediolanum non pergeret, legationemque Domini sui non adimpleret, quòd si aliter faceret, se ad ipsum ampliùs redire nullatenus fore ausum dixit. Quo dicto, quamvis valde inde mœstus foret, tamen ab eis discessit, Mediolanumque perrexit, & ad Consules veniens ipsas literas eis repræsentavit. Consules verò palàm, & in communi cœtu literis ipsis perlectis, valde ira, & furore commoti, ipso Sicherio, aliisque omnibus videntibus ipsas literas pariter cum ipsarum sigillo in terram projecerunt (23), ac pedibus suis fregerunt atque conculcaverunt; insuper etiam super ipsum Sicherium omnibus unanimiter irruentibus, ipse fugiendo se abscondens, vix evadit, nocteque proxima veniente extra Mediolanum exiens Laudam vênit, & omnia quæ acciderant ei per ordinem Laudensibus narravit, indeque ad Regem reversus est.

Laudenses verò hoc audito interim timore maximo perterriti sunt, quòd aliqui eorum de Laude ad habitandum alibi processerunt. Alii autem in die ibi morantes, & in nocte circumquaque jacentes, quasi latrones vagabantur. Alii namque in die fugientes in nocte quasi fures veniebant, & die veniente recedebant: hoc verò tormentum & passionem miserabiles Laudenses usque in adventum jam dicti D. Federici Regis sustinuerunt. Mediolanenses itaque de interficiendis Laudensibus ac omnibus bonis ipsorum auferendis valde machinantes, & multa consilia inientes, tandem Dominus sua Divina providentia atq; misericordia eos utpote miseros semper liberavit. Sicherius autem cùm ad Curiam vênit Regis pedibus se prosternens, omnia quæ, & qualiter sibi contingerant per ordinem Regi, omnibusque Principibus astantibus exposuit, rogavitque ipsum ac universos Curiæ Principes quatenus eum & se ipsos de hac injuria vindicarent; hoc autem Rege, & universis Principibus audientibus, maxima ira & dolore commoti sunt, altiùsque in cordibus eorum hæc verba ascenderunt quàm quisque ratus unquam foret, & sicut scintilla ignis (24) totam domum accendit, ita hæc verba cor Regis,

EX EDITO AB OSIO.

tatem, ne Mediolanum appropinquaret, cognovit, quia multum eis serviviſſe, ac maxima dona à Laudensibus reportare putabat, & eos magis offendiſſe præsensit, quamvis inde multum dolens, tamen ait illis, se pro centum Marchis non dimiſſurum, quin Mediolanum pergeret, Legationemque Domini sui adimpleret. Quod si aliter faceret, se ad ipsum amplius redire nullatenus fore, ausum dixit, quo dicto, quamvis inde valdè mœstus foret, tamen ab eis discessit, Mediolanumque perrexit; & ad Consules veniens ipsas literas eis repræsentavit: Consules verò palam, & in communi cœtu literis ipsis perlectis, valdè ira, & furore commoti, ipso Sicherio, aliisque videntibus ipsas literas pariter cum ipso sigillo in terram projecerunt, & pedibus suis fregerunt, atque conculcaverunt; insuper etiam super ipsum Sicherium omnibus unanimiter irruentibus, ipse fugiendo se abscondens, vix evasit, nocteque proxima veniente extra Mediolanum exiens Laudam venit, & omnia quæ ei acciderant, per ordinem Laudensibus narravit. Ideoque ad Regem reversus est. Laudenses verò hoc audito tam maximo timore perterriti sunt, quòd aliqui eorum de Laude ad habitandum alibi processerunt, alii autem in die ibi morantes, & in nocte circumquaque jacentes quasi latrones vagabantur, alii namque in die fugientes quasi fures in nocte veniebant, & die veniente recedebant. Hoc verò tormentum, & passionem miserabilem Laudenses usque in adventum jam dicti Federici Regis sustinuerunt. Mediolanensibus itaque de interficiendis Laudensibus, ac omnibus bonis ipsorum auferendis, valdè machinantibus, & multa consilia ineuntibus, tandem Dominus sua divina providentia atque misericordia eos utpote miseros semper liberavit. Sicherius autem cum ad Curiam venit, Regis pedibus se prosternens, omnia, quæ & qualiter sibi contigerant, per ordinem Regi, omnibusque astantibus exposuit, rogavitque ipsum, ac universos Curiæ Principes, quatenus eum, & se ipsos de hac injuria vindicarent. Hoc autem Rege, & universis Principibus audientibus; maxima ira, & dolore commoti sunt, altiusque in corda eorum hæc verba ascenderunt, quàm quisquam iratus unquam faceret, & sicut scintilla ignis, totam domum accenderunt; statimque se in Lombardiam cum exercitu magno venturos esse decreverunt.

Inte-

(21) Melior lectio est codicis Osiani, *ac eorum voluntatem ne Mediolanum appropinquaret, cognovit*.

(22) Numerus finitus pro indefinito: more græcorum, ut in illis Virgilii *Centum Aræ*, *Oratores centum*: Fuit veteribus familiaris hic loquendi mos, quòd centenarii numerus facilis illis admodum videretur. *Osius*. Plura idem differit de Marchæ nomine, ac pretio, sed cùm hæc abundè peti possint ex Ducangio in Glossario, Budæo, aliisque permultis, Lectorem diutiùs morari supervacaneum censeo.

(23) Malè audit apud Osium hoc loco Morena, neque enim tantum insanæ iræ in concivibus suis suspicari se posse ait, ut in immerentes quoque literas sævè adeò debacharentur. Infensum igitur Mediolanensibus Morenæ livorem pro patria scribentis, auctorem facit adjecti hujus sceleris, & Bossio potiùs fidem præstat, qui licèt Ænobarbo impensè favens ob regalia ornamenta ab illo Cæsare, ut ipsemet testatur ad an. 1154., in domum suam profecta, parciùs tamen de hac re loquitur inquiens *Legati non solùm malignè à Mediolanensibus auditi, sed insuper probris Civitate rejecti sunt*. Sigonius quoque hæc minimè retulit.

(24) Vide quàm melior sit nostra lectio Osiani Codicis textu.

EX CODICE AMBROSIANO.

gis, & omnium Principum accenderunt, statimque se in Longobardiam cum exercitu magno venturos esse decreverunt.

Interea Laudenses quandam clavem ex bono & purissimo auro factam per Marchionem Guilielmum (25) de Monserato, qui eos adjuvare promiserat, clam Regi direxerunt, mandantes ei, quòd se ipsos & civitatem Laudæ sibi commendarent, & in sua protectione utpote suos semper esse & manere vellent (26): ipse verò Rex cum magno gaudio suscipiens Laudenses & eorum civitatem quamvis dextructam in sua custodia suscepit; Mediolanenses autem similiter & ipsi (27) unam cuppam (28) auream, & ex denariis plenam ipsi Regi portaverunt, quatenus ipsam gratiam suam & bonam voluntatem recuperarent, quamvis hoc facere minimè potuerunt. (29) Cremonenses quoque ac Papienses (30) & ipsi sua munera Regi offerentes, & privatim Mediolanenses inculpantes (31), ac pro ipsis Laudensibus sæpe Regem deprecantes, ipsum Regem infestum esse Mediolanensibus reddebant. Rex itaque suos Legatos per Alamaniam, Saxoniam, Provinciam, Burgondiam, (32) Longobardiam, Tusciam, Romaniam, & per universum Romanum Imperium misit, jubens Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Marchionibus, Ducibus, ac uni-

EX EDITO AB OSIO.

Interea Laudenses quandam clavem ex bono, & pretiosissimo auro factam per Marchionem Guilermum de Monte Ferrato, qui eos adjuvare promiserat, clam Regi direxerunt; mandantes ei, quod seipsos, & Civitatem Laudensem sibi commendaret, & in sua protectione, utpote sui semper esse, & manere vellent. Ipse verò Rex cum magno gaudio suscipiens Laudenses, & eorum Civitatem, quamuis destructam in sua custodia, & protectione suscepit. Mediolanenses autem, & ipsi unam copam auri, & denariis plenam ipsi Regi portaverunt, quatenus tàm gratiam, & bonam voluntatem recuperarent, quamvis hoc minimè facere potuerunt. Cremonenses quoque, ac Papienses, & ipsi sua munera Regi afferentes, & privatim Mediolanenses inculpantes, ac pro ipsis Laudensibus sæpe Regem deprecantes ipsum infensum esse Mediolanensibus reddebant; Rex itaque suos Legatos per Alemaniam, Saxoniam, Provinciam, Durbandiam, Tusciam, & per universum Rom. Imperium misit, jubens Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Marchionibus, Ducibus, ac universis aliis dictarum provinciarum Principibus, quatenus ipsi cum suis equitibus, quàm honorificè possent usque ad festivitatem San-

(25) De hoc *Guilermo*, seu *Gulielmo*, *Seniore* appellato, atque ad Hierosolymitanum bellum, unà cum Rege Conrado anno 1147. profecto, meminit cum laude Gulielmus Tyrius lib. 17. cap. 1. Nicetas lib. 6. aliique. Ab Ottone Frising. lib. 2. de gestis Frider. I. cap. 13. vocatur *Vir nobilis, & magnus, & qui penè solus ex Italiæ Baronibus Civitatum effugere potuit imperium*. Ejus nobilitatem Osius inde extollit „ quòd uxorem habuerit Juditam „ (*Itham* alii nominant) filiam Leopoldi „ Austrii, Sororem Conradi Cæsaris, quem „ Ænobarbi patruum, idem Marchio militia „ clarus in expeditione Hierosolymitana co„ mitatus est, natique ex his nuptiis Bonifa„ cius & Jordana Constantinopolis Regina, „ ut Lazius docet „. Augustiora de nobilitate hujus VVilelmi seu Gulielmi prodit Tyrius cit. lib. 21. cap. 13. Quæ autem prosequitur Osius enarrare de excisa hac clarissima stirpe, & traducta universa ipsius ditione in Jura Mantuæ Ducum ob nuptias Margaritæ, Jo: Georgii neptis, cum Federico I. Duce Mantuæ, clariùs patebunt ex historia Benvenuti de S. Georgio, quæ huic fortassè Collectioni inseretur. Interim præterire nequeo genealogicum mendum, quod inter alia plura in *Arbore* Marchionum Montisferrati admisit Alphonsus Luscus. Huic enim Gulielmo, de quo loquitur Morena, patrem statuit Bonifacium, cùm tamen ipse Gulielmus, unà cum Juditha uxore sua anno 1156. confirmans immunitates seu donationes Alderami, seu aliorum de illius stirpe in favorem Cœnobii Grassiani, filium se asserit Raynerii. Extat hoc documentum apud Ughellum in Episcopis Vercellensibus, ubi de Ugutione illius Urbis Antistite agit.

(26) Manca est in Osii Codice hæc periodus, adeoque illam juxta Morenæ mentem ita emendare studuit Osius ipse, *sibi commendaret & suæ protectioni, utpote qui sui semper esse, & manere vellent*. Nostra lectio interprete non eget.

(27) Quærit hìc Osius quinam fuerint Mediolanenses isti, qui Fridericum adierint cum recensitis muneribus? seque patriæ decori atque ornamento prospecturum ait, si eorundem nomina & famam publicæ redonaverit luci; Statimque subdit eos fuisse *Obertum de Orto, & Gerardum Nigrum* duos Mediolani Consules, quemadmodum testantur Otto Frising. lib. 2. càp. 3. & Guntherus XI. Pace tamen eruditi Viri, uterque ille Scriptor loquitur locis cit. non de hac Mediolanensium in Germaniam legatione, sed de altera, cùm anno sequente Fridericus Imper. in Ronchaliis considens, Urbium finitimarum in nostros cives querelas, præsentibus hisce duobus Mediolani Consulibus exciperet, ut legenti constabit. Quocirca adhuc ignotum est quibusnam ex Patriciis Viris Mediolanensibus demandata fuerit hæc Provincia, nemine Auctorum illos prodente.

(28) Malè in Codice Osiano legitur *Copam*. Plura hìc congerit idem auctor de varia hujus nominis acceptione, sed nihil ad rem nostram; adeat ipsum, aut Ducangium, qui velit.

(29) Nimis fidenter Bossius hæc tradit: *Imperator dissimulanter ne, an seriò incertum, Legatos certè benignè audivit, admisitque munera*. Contra enim pugnat non tam auctoritas Morenæ, omnino irritam hanc legationem affirmantis, quàm Friderici ipsius, qui in Epistola ad Ottonem Patruum nitidis verbis testatur se nec prece, nec pretio flecti unquam à Mediolanensibus passum.

(30) Fortasse ad hunc Morenæ locum minimè advertit Pagius, qui ad annum 1154. num. 12. contra Galvaneum Flammam à Puricello relatum asserit nullos neque à Papiensibus, neque à Cremonensibus Legatos in Alemaniam ad Fridericum missos, idemque tradit de Marchione Montisferrati, eo quòd nullum inter ipsum, & Mediolanenses dissidium esset. At hæc omnia ex auctore nostro dilucidè constant. Marchio autem Montisferrati alia de caussa ad Cæsarem profectus est, nempe ut Laudensibus gratificaretur.

(31) Contermini Mediolano populi sæpiùs à nostris bello fracti, ac suis etiam sedibus pulsi, eorundem jugum ægrè ferebant; hæc apud Cæsarem criminationis causa. Series hujusmodi bellorum legi potest in Landulpho Juniore primùm edito in hac collectione tomo V. Immeritò apud Osium notatur Codex Ambrosianus hujus barbaræ vocis *incolpantes*; neuter enim ex nostris apographis mendo hujusmodi inspergitur, quocirca in Amanuensem, qui varias lectiones ad Osium transmisit, referendum est, quòd etiam in aliis locis ab eodem relatis ex nostris Codicibus animadverti.

(32) Corruptè nimis in Osii Codice legitur *Durbandiam*, quod etiam ipse in notis emendavit.

EX CODICE AMBROSIANO.

universis aliis prædictarum provinciarum Principibus, quatenus ipsi cum suis militibus prout honorifice possent, deinde usque ad festivitatem Sancti Michaëlis proximè venientis & unum annum (33) cum ipso in Longobardia in Ronchalia (34) essent: quæ res Deo annuente, sicut jussit, ita bene peracta est.

Venitque Dominus Federicus Rex in Longobardiam (*) in MCLIV. ab Incarnatione Domini Anno, mense Novembris (35) de Indictione secunda (36), hospitatusque in die Mercurii (37) quæ fuit secunda dies ante Calendas Decembris, in qua fuit vigilia Sancti Andreæ Apostoli apud Sanctum Vitum ad Castelionem (38) in Laudesana (39), & ipso die venerunt Theutonici Laudæ à prædictis Albergariis (40), & expugnaverunt burgum Placentinum de Laude, in quo omnes alii burgi insimul convenerant: Sed ipsi Laudenses tunc viriliter se defenderunt. Sequenti verò die Jovis (41), in quo fuit tunc festivitas Sancti Andreæ prædicti, ivit prædictus Rex cum omni exercitu suo in Runcaliam, & hospitatus est ibi, mansitque illic per sex dies (42). Residente etiam tunc in honoris Apostolicatu Domno Eugenio Papa tertio (43); Mediolanenses verò Regi obviam tunc euntes, & secum fraudolenter fœdus inientes (44); quatuor millia marchas argenti ei dare spoponderunt, ac in Runcalia cum ipso fuerunt. Interea Re-

EX EDITO AB OSIO.

Sancti Michaelis proximè venientis, & unum annum cum ipso in Lombardia in Roncalia essent, qui locus est inter Placentiam, & Cremonam. Quæ res (Deo annuente) sicut jussit, ita bene peracta est.

Venit itaque D. Federicus in Lombardiam anno MCLIV. ab Incarnatione Domini mense Novembris indictione prima, hospitatusque est in die Mercurii, qui fuit secundo die ante Kalend. Decembris, in quo fuit vigilia Sancti Andreæ Apostoli apud Sanctum Vitum de Castillione in Lodexana, & ipso die venerunt Theutonici à prædictis Albergariis, & expugnaverunt Burgum Placentinum de Laude, in quo omnes alii Burgi insimul convenerant; sed ipsi Laudenses tunc viriliter se defendunt; sequenti verò die Jovis, in quo tunc fuit festivitas prædicti Sancti Andreæ, ivit prædictus Rex cum omni exercitu suo in Roncaliam, & hospitatus est ibi, mansitque illic per sex dies, residente etiam tunc in honore Apostolicatus Domino Eugenio Papa Tertio. Mediolanenses verò Regi obviam euntes, & secum fraudolenter inientes fœdus, quatuor millia Marchas argenti ei dare spoponderant, ac in Roncaliam cum ipso fuerunt. Interea Rex in Roncaliam existens, misit quendam suum Capellanum Laudem, qui fidelitatem ab omnibus ipsis Lauden-

---

(33) Malo cum Corio *ad unum annum*: Osius.

(34) Locum Imperatorum Comitiis, cùm in Italiam descenderent, celebrem.

(*) Per Brixinoram, & Vallem Tridentinam transiens, emensis alpium angustiis, in campestribus Veronensium juxta stagnum Gardæ castrametatus est, ut loquitur Frisingensis; malè itaque Calchus per Taurinas alpes in plana Langobardiæ descendisse affirmat; id enim ex mendosis Mediolanensium monumentis hausit, quæ etiam Sigonius ad hunc annum refert.

(35) Statim ab initio hujus mensis in Italia constitisse Fridericum Imperat. credendum est, si genuina sunt quæ ex Archivo Familiæ Trissinæ depromsit Paulus Benius *de Antiquitate & origine* ejusdem familiæ. lib. 1. cap. 3. & ex ipso Osius, videlicet Fridericum Imperatorem hospitatum fuisse apud Oldericum II. Trissinum *in Castello Rovereti, cujus erat dominus, de anno millesimo* (adde *centesimo*) *quinquagesimo quarto, die tertia mensis Novembris*, qui multis deinde donatus dignitatibus pro se suaque stirpe cum eodem Imperatore in Roncalias ivit, ac unà cum aliis multis Comitibus, & Baronibus ibidem præstitit juramentum fidelitatis. Circa Festum S. Michaëlis in Italiam profectum Fridericum tradidit etiam Trithemius in Chron. Hirsaug. ad hunc annum.

(36) In Osii Codice malè *indictione prima*.

(37) Verè secunda dies ante Kal. Decembris, idest 29. Novembris incidit anno 1154. in diem Lunæ, ut ex tabulis Paschalibus facilè colliget quisque.

(38) Etiam hic textus malè ex nostro Codice ab Amanuensi decerptus est, ait enim Osius in eo legi *Apud Vitum & Castillionem*, quo nihil minus. Duos certè fuisse Vicos, seu Castra *Sanctum Vitum*, & *Castillionem* in agro Laudensi prope Camairagum, seu Camarracum, ut Leander Albertus scribit, ex Morena ipso discimus, qui infrà ad ann. 1158. referens iram Mediolanensium contra Laudenses, hæc inter cætera enarrat: *Turres de Montessello, & turrem de Castilliono, turremque de Sancto Vito, & turrem de Camairago diripuerunt*.

(39) Idest *in agro Laudensi*. Longè hìc aberrat Osius putans *Lodexanam* idem esse ac *Lausannam*, quæ in Argentinensibus Chron. ad an. 1336. à Mussato de Gestis Henrici VII. Rubr. 8. & Conrado Vecerio in ejusdem Cæsaris vita memoratur; *Lausanna* enim urbs est Galliæ Celt. in Helvetiis, olim Episcopalis Sedes, inde Friburgum translata.

(40) *Albergaria* idem sunt ac *Mansionaticum*, *Gistum*, *Procuratio*, idest jus divertendi in domum Vassalli, & in ea hospitandi, vel præstatio quæ pro ejusmodi procurationibus domino debetur, ut pluribus docet Ducangius. A Morena passim pro *hospitio* sumi optime adnotavit Osius, proinde Corium sugillans, qui fortasse in exeso Morenæ Codice loco *de prædictis Albergariis* legit *ad prædictos Albernandum & socium*.

(41) Non *Jovis*, sed *Martis*, ut ex calculo superiùs dicto.

(42) Otto Frising., quem secuti sunt Sigonius, aliique, quinque tantùm diebus in Roncaliis resedisse Fridericum tradit, non tamen ex sua sententia, sed ex fama; interponit enim eam formulam *ut ajunt*. Fortasse etiam moræ ibidem habitæ à Friderico fuere quinque completi dies, sextum autem incompletum pro integro numeravit Morena.

(43) Excusari minimè potest anachronismus iste. Eugenius enim III. jam à mensibus quinque supra integrum annum decesserat; quin imò eo tempore, quo Fridericus Cæsar è Roncaliis movit, obierat quoque Anastasius IV. ejusdem successor; secunda Decembris die è vivis ereptus. Quo circa non improbaverim Osii conjecturam, quòd videlicet ab antiquo Codice abfuerit hæc periodus; Corius enim, qui fermè ad verbum Morenæ scriptum in Italicum transfert, penitus de hoc silet. Nisi malimus credere in illo ita corrosum vetustate Pontificis nomen, ut sciolus quispiam Amanuensis loco Adriani substituerit Eugenium, indeque propagatum sit in reliquos Morenæ Codices mendum.

(44) Lividum in Mediolanenses Morenæ calamum etiam hic notat Osius; nimìs enim liberaliter ubique interserit Auctor contumelias hujusmodi, eos alibi appellans non tam fraudolentos, sed *malitiosos*, & *subdolos*, *deceptores*, *pravæ fidei*, *perfidos*, *nequissimos*. Porrò Frisingensis, qui hæc eadem narrat, castigatior est in verbis, nec gravis adeò videtur Civium nostrorum famæ.

EX CODICE AMBROSIANO.

Rege in Runcalia existente misit, quemdam suum Capellanum Laudæ, qui fidelitatem ab omnibus ipsis Laudensibus exigeret; Laudensium etenim alii suas uxores & filios cum ipsorum mobilia (45) timore Alamanorum ad Pizighitonem (46) fugerant, alii autem ad Mediolanum, plerique etiam ad Cremonam & Placentiam. Sed ipsi ferè omnes Laudæ cum suis personis idcirco redierant, quia prædictus Rex suam propriam tensam (47) in ipso prædicto burgo Placentino posuerat. Postremò cùm prædictus Regis Capellanus Laudæ venisset, & fidelitatem ab ipsis Laudensibus petiisset, responderunt ei Laudenses, dixeruntque sibi: se non esse ausos hoc sinè consilio & parabola (48) Mediolanensium, in quorum virtute & potestate essent peragere; dato que eis termino iverunt Laudenses ad Mediolanensium Consules, & eis qualiter Rex Legatum ad eos Laude miserat, qui ab eis fidelitatem exigebat, per ordinem narraverunt: & dixerunt se omnes ipsi Legato respondisse ipsam fidelitatem sinè consilio & voluntate ipsorum Mediolanensium nullo modo se facere. Ipsi verò Mediolanenses maximo Consilio valde diu intra eos agitato, tandem Laudensibus respondentes parabolam eis dederunt, quòd ipsi bona eorum voluntate fidelitatem Regi facerent (49), referentes insuper etiam eis gratias de responsione tali, quam Regio Legato fecerant.

Laudenses itaque Laude reversi sunt, & renuntiantes aliis quæ à Mediolanensibus audierant, omnes læto animo fidelitatem Regi fecerunt. Postremò in Roncalia expleto parlamento (50), petiit Rex à Mediolanensibus, (51) quatenus ipsi per optima & meliora loca eum usque ad pontem de Ticino ducerent. Ipsi verò sic se facere velle respondentes duxerunt ipsum, & ejus exercitum per loca guasta (52), & quæ fuerant deserta per guerram, quæ incœpta fuerat inter Mediolanum & Papiam præterito proximo mense Augusto, in quo mense ipsi Mediolanenses, cum Comacinis & Laudensibus & Cremensibus super Papiam equitaverant, & tam maximum exercitum super eam duxerant, quòd nec ipsi nec aliqua alia Longobardiæ civitas recordatur un-

(45) Vulgi vocabulum, quo res in domesticum usum, aut ornamentum comparatæ, indicantur.

(46) Nobilis oppidi nomen ultra Lecium Orcum, ut vocant, & Abduam fluvium cum munitissima arce, in qua Franciscus I. Galliæ Rex, Ticini à Caroli V. Ducibus Lanojo & Borbonio prœlio victus, & unà cum Navarræ Rege captus anno MDXXV. detentus est. *Osius*.

(47) Idest *Tentorium*. Quæ hic Osius refert de curru Deorum aut Principum *Tensa* antiquitus appellato, apud ipsum vide.

(48) Italicè *Parola*. Vide Osium & Ducangium.

(49) Facere hoc loco jurare est. *Osius*.

(50) Hoc nomine indicantur publici Conventus, seu Colloquia solennia ad res magni momenti discutiendas. Varia eorundem genera recenset Ducangius.

(51) *Oberto de Orto*, & *Gerardo Nigro* Mediolanensium Consulibus, & Legatis, quos apud se detinuerat Ænobarbus, ut sibi ad Italiam (veriùs *Mediolanum*) appropinquanti viæ Comites, & Duces forent. *Osius* ex Sigonio & Gunthero.

(52) In Osii Codice legitur *vasta*; potiùs legendum foret *vastata*, occasione videlicet gravis belli quod statim narratur. An verò id dolo Consulum Mediolanensium, propinquum urbi suæ Cæsarem ægrè ferentium, peractum sit, quemadmodum suspicatum fuisse Fridericum tradunt Frisingensis & Guntherus, definire nolim; cùm vix credibile videatur duos illos primores Viros non tam nobilitate, quàm sapientia ob conditos jurium feudalium libros percelebres, imprudenter adeò se gessisse, ut valido stipatum exercitu Imperatorem, jamque finibus suis imminentem, atque ad iram satis superque incitatum, ob veterem injuriam Legato suo Sicherio illatam, ac recentes urbium vicinarum querelas, tam aperta fraude irritare vehementiùs vellent. Quidquid tamen de illorum animo sit, Fridericus certè in sua ad Ottonem epistola conquestus est, quòd à terra copiosa sua declinantes tres dies in solitudine ipsum duxerint, quousque tandem, contra voluntatem eorum, juxta Mediolanum ad milliare theutonicum castrametatus fuerit. Mediolanenses quoque ut iram Cæsaris demulcerent, alterum ex Consulibus Gerardum Nigrum, primarium, ut ferebatur, criminis suasorem dignitate dejecere, ejusque domum plebis tumultu direptam funditus everterunt teste Frisingensi, Gunthero, & Sigonio.

EX EDITO AB OSIO.

densibus exigeret: Laudenses etenim alii cum suis uxoribus, & filiis cum ipsorum mobilia timore Alemanorum, ad Pizighitonum fugierunt, alii autem ad Mediolanum, plerique etiam ad Cremonam, & Placentiam, sed ipsi ferè omnes Laudenses cum suis personis idcirco redierunt, quia prædictus Rex suam propriam tensam in ipso proprio Burgo Placentino posuerat. Postremo cum prædictus Regis Capellanus Laudem venisset, & fidelitatem ab ipsis Laudensibus petiisset, responderunt ei Laudenses, dixeruntque, se non esse ausos hoc sine Consilio, & parabola Mediolanensium, in quorum potestate, & virtute erat, peragere. Dato igitur eis termino venerunt Laudenses ad Consules Mediolani, & eis qualiter Rex legatum ad eos Laudem miserat, qui ab eis fidelitatem exigebat, per ordinem narraverunt, & dixerunt, se omnes ipsi Legato respondisse ipsam fidelitatem sine voluntate, & consilio ipsorum Mediolanensium nullo modo se facere velle. Ipsi verò Mediolanenses maximo consilio valdè diu inter eos agitato, tandem Laudensibus respondentes parabolam eis dederunt, quòd ipsi de eorum bona voluntate fidelitatem Regi facerent, referentes insuper & eis gratias de tali responsione, quam Regis Legato fecerant. Laudenses itaque Laudem reversi sunt, & nuntiantes aliis, quæ à Mediolanensibus audierant, omnes læto animo fidelitatem Regi fecerunt.

Postremo in Roncalia expleto parlamento petiit Rex à Mediolanensibus quatenus ipsi per optima, & meliora loca eum usque ad Pontem Ticini ducerent, ipsi verò sic se facere velle respondentes, duxerunt ipsum, & ejus exercitum per loca vasta, & quæ deserta fuerant propter bellum, quod inceptum fuerat inter Mediolanum, & Papiam præterito proximo mense Augusti; in quo mense Mediolanenses cum Comensibus, & Laudensibus, & Cremonensibus super Papiam equitaverant, & tam magnum exercitum super eam duxerant, quòd nec ipsi, nec ulla alia persona, vel Lombardiæ Civitates recordentur unquam amplius talem insimul habuisse, nec collegisse, & hoc fuit in die Mercurii: quæ fuit decimo mensis Augusti in festivitate Sancti Tiburtii Martyris, scilicet primo die post festum S. Laurentii: qui castrame-

EX CODICE AMBROSIANO.

unquam ampliùs talem insimul habuisse nec collegisse.

Et hoc fuit in die Mercurii, quæ fuit undecimo die (53) mensis Augusti in festivitate Sancti Thiburtii Martyris, scilicet in primo die post festivitatem Sancti Laurentii castrametati sunt ad Lardiragam (54) supra flumen Olonnæ ex illa parte fluvii versùs Papiam: Altera verò die, scilicet Jovis, factum fuit tunc prœlium ad Lavernagolam (55) inter Mediolanenses & Papienses, ex quo multi homines mortui, alii vulnerati, alii autem capti ab utraque parte fuerunt; prœlio itaque, cùm à mane usque ad vesperas tenuisset, dirempto Mediolanenses ad castra remeaverunt.

Tunc etenim in ipso die Jovis cùm omnes Mediolanenses ferè jam cœnaverant quoddam Divinum miraculum super Mediolanenses & omnem eorum exercitum evênit. Acciderat quippe quòd cùm quidam ex Mediolanensibus, qui in prœlio vulneratus fuerat à sociis ipsius duci Mediolanum volebat; ipsi socii ejus, & tentorium eorum, quod in capite Albergariæ versùs Papiam fuerat, difixerunt, & in terram projecerunt; hæc autem videntes alii omnes equites & pedites, & quid in veritate ageretur ignorantes, putantes etiam Papienses omnes exercitum Mediolanensem invasisse, & illos timore Papiensium tentorium eorum difixisse, omnes maximo timore perterriti in fugam versi sunt, nihil ferè portantes nisi sola arma, & multi etiam sine armis usque ad Mediolanum fugientes abierunt. Reliquerunt itaque ferè omnia plaustra tentoriis, loricis, atque pane seu vino, aliisque etiam rebus, quas secum portaverant onusta. Nam cùm omnes simul per Guadum fluminis Olonnæ transire festinarent, ac invicem se præpedirent, magna plaustrorum multitudo in ipso flumine corruebat, Bibulci verò morari ibi non audentes cum solis bobus, plaustris relictis, fugiebant. Pauci verò ex Mediolanensibus in campo per totam noctem steterunt, & maximam prædam, quæ à recedentibus dimissa in campo fuerat, recuperaverunt. Sed tamen & ipsi ante diem fugientes plus de decem millibus marcharum argenti valentia in campo reliquerunt.

Revertamur itaque ad Historiam. Cùm autem Mediolanenses per loca, ut diximus, deserta ipsum Regis exercitum duxerint, in ipso die castrametati sunt prope Landrianum (56): in illa verò nocte equi eorum nihil ferè ad comedendum habuerunt; Alia autem die duxerunt eum prope castrum, quod Rosate (57) dicitur, ibique tentoria fixerunt. Morantes verò ibi per duos dies, ferè omnia victualia sibi, eorumque equis necessaria, eis defuerunt, nec ad comedendum ad sufficientiam unquam invenire potuerunt; viso autem hoc à Rege, sci-

EX EDITO AB OSIO.

metati sunt ad Lardiragum super flumen Olonæ ex illa parte fluminis versus Papiam, Altera verò die Jovis factum est tunc prælium ad Lavernagolam inter Mediolanum, & Papiam, in quo prælio multi homines mortui, alii vulnerati, alii etiam capti ab utraque parte fuerunt; dirempto itaque prælio quod à mane usque ad vesperas tenuit Mediolanenses ad castra remeaverunt.

Ipso verò die Jovis cum omnes ferè Mediolanenses jam cœnassent, quoddam divinum miraculum super Mediolanenses, & eorum exercitum evenit. Accidit namque, quod cum quidam ex Mediolanensibus, qui in prælio vulneratus fuerat, à sociis ipsius Mediolanum duci vellet, ipsi socii ejus tentorium eorum, quod in capite Albergariæ versus Papiam fixum fuerat, defixerunt, & in terram dejecerunt. Hoc autem videntes omnes alii equites, & pedites, & quid in veritate ageretur ignorantes, putantesque, Papienses omnes exercitum Mediolanensem invasisse, & illos timore Papiensium tentorium eorum defixisse, sic omnes maximo timore perterriti in fugam versi sunt, nihil ferè portantes nisi sola arma, multi etiam sine armis, atque Mediolanum fugientes abierunt, reliquerunt itaque ferè omnia plaustra tentoriis, loricis, pane, vino, aliisque rebus, quæ secum portaverant, onusta, per viam autem omnes simul euntes, dum flumen Olonæ transire festinarent, ac invicem se præpedirent, plaustrorum magna multitudo in ipso flumine corruebat. Bubulci verò ibi morari non audentes cum solis bobus, plaustris relictis fugiebant, pauci verò ex Mediolanensibus in Campo per totam noctem steterunt, & maximam prædam, quæ à recedentibus dimissa fuerat, recuperaverunt, sed tamen ipsi ante diem fugientes plusquam decem millia marcharum argenti valentia in Campo reliquerunt. At revertamur ad historiam. Cum autem Mediolanenses per loca (ut diximus) deserta ipsum Regis exercitum duxissent, in ipso die castrametati sunt propè Landrianum: in illa verò nocte equi ipsorum nihil ferè ad comedendum habuerunt: alia verò die duxerunt eum propè castrum, quod dicitur Roxate, ibique tentoria affixerunt: morantes verò ibi per duos dies, ferè omnia victualia sibi, eorumque equis necessaria defuerunt, nec ad comedendum ad sufficientiam unquam invenire potuerunt. Viso autem hoc à Rege scilicet, quod Mediolanenses eum decceperant, & fraudolenter eum per loca deserta duxerant, tunc Rex Mediolanensibus ait, jussitque, quod ipsi extra prædictum Castrum de Roxate exire facerent omnes Mediolanenses, qui causa custodiendi illud intus erant, quoniam ipse, & sui equites cum aliter miseram famem evadere non possent, omnia quæ intra dictum Ca-

(53) Hinc corrigitur palmaris error, qui in Osii codicem irrepserat *decimo*; hoc enim die festum agitur S. Laurentii, altero subsequente S. Tiburtii, quod etiam adnotaverat Osius.

(54) De hoc castro, sicuti de Olona fluvio actum est in notis ad Landulphum de S. Paulo tom. V. hujus Collectionis. fol. 519.

(55) Tristanus Calchus ait certatum *juxta Verruculam*. Lavernagola fluviolus est in Ticinum se exonerans prope Papiam.

(56) Servat adhuc id nominis castrum istud nobile Mediolanensis agri, ad duodecimum ab urbe lapidem situm, Papiam versùs; excurrit non procul Lambrus, nec longè Lardiragum distat. Meminit ejus Sigonius lib. 8. de Italiæ Regno ad annum 1037. aliique nonulli. *Osius*.

(57) Fridericus id ipsum *nobilissimum castrum*, Frisingensis *oppidum satis populosum*, Mutius *castrum egregium* vocant. Etiam num hodie audit *vicus insignis* Canonicis & Præpositura clarus, nec non & titulo Comitatus, & Capitis plebis. Qualis olim situs ejus esset Ænobarbo Cæsare imperante Guntherus hisce metris ostendit:

Turribus & valido longè spectabile muro
Insida modicùm distabat ab urbe Rosatum,
Municipum secura domus, tutique receptus,
Si quid ab incursu tutum satis esse valeret
Teutonico, Regnique minas contemnere posset.
Osius.

EX CODICE AMBROSIANO.

ſcilicet quòd Mediolanenſes eum deceperant, & fraudolenter per loca deſerta eum duxerant; tunc Rex Mediolanenſibus ait, juſſitque eis, quòd ipſi extra prædictum caſtrum de Roxate exire facerent omnes Mediolanenſes, qui causâ cuſtodiendi illud inter habitabant, quoniam ipſe, & ſui equites cùm non aliter miſeram, & inopem famam evadere non poſſent, omnia, quæ juxta ipſum caſtrum fuerant, ad comedendum apta auferre volebant. Mediolanenſes autem hoc audientes, & inde valde ſe contriſtantes, nec Regis præceptum infringere audentes, ſtatim omnibus illis, qui in ipſo caſtro fuerant (58) præceperunt, quatenus de ipſo caſtro exirent, & omnia, quæ intus fuerant Regi, ejuſque exercitui dimitterent. Hoc itaque ab ipſis qui intus fuerant audito, quamvis ſol jam ad occaſum iviſſet, & quaſi ſero, ut dicam, fuiſſet, & inſuper etiam quòd bene tunc plueret, omnes tamen maſculi, & fœminæ, ac parvuli cum maximo dolore & luctu foràs exeuntes, omnia, quæ intus fuerant, lacrimabiliter dimiſerunt.

Mane autem facto Teutonici in ipſo caſtro proſilientes, omnia, quæ intus reperierunt, citò abſtulerunt, poſteaque totum caſtrum exarſerunt, & penitus illud diſſipaverunt (59). Mediolanenſes verò, quamvis tunc Regi oſtendere palàm non auderent, tamen maximo dolore & ira commoti æquo animo ſe ferre publicè demonſtrarunt. Rex itaque diſcedens vênit ad caſtrum, quod Abiadgraſſus (60) dicitur, ibique ipſo die reſedit. Alio namque die equitatus Rex eſt cum omni exercitu ultra pontem de Ticino; cùmque ipſe, omniſque ejus exercitus pontem pertranſiſſet, ſtatim ipſum pontem deſtruere fecit (61), & ibi ultra omnes hoſpitati ſunt. Deinde Rex ad caſtrum, quod Brandenadum (62) dicitur, pergens, ibique etiam caſtrametatus eſt. Mediolanenſes verò ad ipſum Regem pergentes, & pecuniam, quam ſibi dare in Ronchalia promiſerant, offerentes ſibi dare voluerunt; Rex autem (63) dicens eos mala fide erga ſe verſatos fore, ac ea, quæ ſibi promiſerant non obſervaſſe, & quia eos ſubdolos & malitioſos ac deceptores ac parvæ fidei eſſe cognoverat, nec cum tam perfidis & nequiſſimis hominibus aliquid agere ſe velle referens, pecuniam eorum omnimodo refutavit, ac eos de Curia ſua ſtatim exire præcepit, dicens etiam inſuper eis: ipſos deinceps nullam fiduciam in ſe habere nec tenere, nec ul-

EX EDITO AB OSIO.

Caſtrum erant ad comedendum apta, auferre volebant; Mediolanenſes autem hæc audientes, & inde valdè contriſtantes ſe, nec Regis præceptum infringere audentes, ſtatim omnibus illis, qui in ipſo Caſtro erant, ut exirent juſſerunt, & omnia, quæ intus erant, Regi, & ejus Exercitui dimiſerunt, quod audientes hi, qui intus erant, quamvis Sol ad occaſum jam iviſſet, & quàm ſero eſſet, & etiam fortiter tunc plueret, omnes de terra illa, tam maſculi, quàm fœminæ & tam magni, quàm parvi cum maximo dolore, & luctu foras exeuntes, omnia, quæ intus erant, lacrymabiliter dimiſerunt.

Mane autem facto, Theutonici in ipſum Caſtrum proſilientes omnia, quæ intus reperierunt, cito abſtulerunt, poſteaque totum Caſtrum comburentes, penitus diſſipaverunt. Mediolanenſes verò quamvis tunc Regi palam oſtendere non auderent, tamen maximo dolore, & ira perciti, æquo animo ſe ferre publicè demonſtraverunt. Rex itaque inde diſcedens venit ad Caſtrum, quod Abiate Graſſum dicitur, ibique ipſo die reſedit. Alio verò die equitavit cum omni exercitu ſuo ultra Pontem Ticini. Cumque omnis ejus exercitus pontem pertranſiſſet, ſtatim ipſum pontem deſtrui fecit, & ibi ultra omnes hoſpitati ſunt. Deinde Rex ad Caſtrum, quod Viandrate dicitur, pergens, ibi etiam caſtrametatus eſt. Mediolanenſes verò ad ipſum Regem pergentes, & pecuniam, quam ſibi dare promiſerant in Roncalia, offerentes ei dare voluerunt. Rex autem quia obſervaſſet, & quia eos ſubdolos, & malitioſos, ac deceptores, & parum fidei eſſe cognoviſſet, nec cum tam perfidis, & nequiſſimis hominibus aliquid agere ſe velle referens, pecuniam ipſorum omnimodò refutavit; ac eos de Curia ſua ſtatim exire præcepit, dicens etiam inſuper eis, ipſos deinceps nullam fiduciam in ſe habere, nec tenere, nec ullum fœdus, ſeu pactum cum ipſis Mediolanenſibus amplius ſe facturum niſi de Laudenſibus, atque Cremonenſibus ſe om-

---

(58) Quingentorum equitum armatorum præſidium ibidem à Mediolanenſibus locatum, eoſque juſſos ad civitatem redire tradit Friſing. lib. 2. cap. 15. nec non ejuſdem pediſſequus Guntherus.

(59) Ex Friderici epiſtola ad Ottonem colligi videtur non præcepto tantùm, ſed militari etiam impetu pulſos è caſtro Mediolanenſes; ait enim, *nobiliſſimum caſtrum eorum, Roſatum videlicet, quod quingentos milites armatos habebat capi, & incendio deſtrui fecimus.*

(60) Nonnulla de hoc oppido innuimus in notis ad Landulphum de S. Paulo tomo V. fol. 519. Oſius ad hunc locum multa de nominis Ethimologia ex Merula & Caſtillionæo profert, ſicuti de *Craſſi* cognomine, à pinguedine ſoli & uberrima olim rerum omnium ubertate deducto, ut ab altero Mediolanenſis agri oppido *Abbiate* ſecerneretur, cui *Gazzonis* cognomentum hæſit, vigeſimo quarto lapide Mediolano diſtante.

(61) Clarè ſuis in literis Fridericus non unum Ticini pontem, ſed duos a ſe deſtructos tradit. *Hinc inde ortis inimicitiis inter nos & illos, fluvium Ticinum versùs Novariam tranſeuntes, pontes duos quos ipſi armaverant, & incaſtellaverant violenter occupavimus, quos poſt tranſitum totius exercitus noſtri deſtruximus.* Oſius. Ligneos fuiſſe, atque igne immiſſo abſumptos teſtatur Friſingenſis.

(62) In Oſii codice legitur *Viandrate*, ſed in utroque vitiatum nomen eſt, cùm legi debeat *Blandratum*. Caſtrum eſt ſubalpinum, unde Blanderatenſi nobili in Italia familiæ origo & genus, inſigne titulo Comitatus. *Oſius*, qui etiam Boſſio adverſatur, civitatis nomen illi impertienti. De Blandrate, ejuſque Comitum ſtirpe vide quæ eruditè digeſſit continuator notarum in præſenti volumine.

(63) Malè, ſi quis alius, ab his verbis uſque ad illa *Mediolanenſes verò*, affectum hunc locum in ſuo codice fatetur Oſius, ſuæque integritati illum ex noſtro reddit, calamumque ſubinde acuit in Morenam eo quòd tantùm conviciorum in Mediolanenſes effundat, ut æſtro veluti quodam abreptus videatur.

EX CODICE AMBROSIANO.

ullum fœdus seu pactum cum ipsis amplius se facturum, nisi de Laudensibus atque Cumensibus (64) absque ullo tenore (65) se omnes sibi submitterent. Mediolanenses cùm hoc facere noluerunt, quamvis tristissimi, statim abierunt, Mediolanumque reversi, omnia, sicut egerant & audierant, narraverunt. Mediolanenses itaque, his auditis, nolentes quidem quia Laudenses vel Cumenses de ipsorum jugo vel potestate aliquo modo gloriarentur, valde condoluerunt. Rex namque post paucos dies unà cum Papiensibus & Novariensibus duo (66) nobilia castra Mediolanensium, quæ ultra Ticinum habebant, unum quorum, ut vulgariter dicam, Galliade vocabatur, alterum verò Tercade (67) cepit, ac penitus usque in fundamentum ea destruxit.

Hoc autem à Mediolanensibus cognito pro mortuis se reputaverunt, ac deinde omnia, quæcumque potuerunt mala de Rege, utpote hoste, dicere conati sunt. Rex autem deridens cum Marchione Gulielmo de Monferato ad Astem (68) perrexit. Astenses verò civitatem ipsam deferentes ad quamdam eorum Roccham, quæ vocatur Non (69) in quodam monte supra ipsam civitatem non multum longè positam cum omni ipsorum mobilia confugerunt. Rex itaque ipsam Astem civitatem capiens, tradidit eam prædicto Marchioni, pro quo jamdictos Astenses in bannum posuerat, ipsamque civitatem propterea ceperat, quòd per ipsum justitiam eidem Marchioni facere renuerant.

Ipse verò Marchio partem muri, ac quamplurimas turres ipsius civitatis destruens (70), fœdus (71) cum ipsis Astensibus fecit. Præterea Papienses, qui tunc cum Terdonensibus guerram habebant ad prædictum Regem venien-

EX EDITO AB OSIO.

omnes absque timore sibi submitterent. Mediolanenses verò cum hoc facere noluissent, tristissimi statim abierunt, Mediolanumque reversi, omnia, quæ egerunt, & audierunt, narraverunt. Mediolanenses itaque his auditis nolentes quidem, quod Laudenses, vel Cremonenses de ipsorum jugo, vel potestate exirent, valdè condoluerunt. Rex autem post quatuor dies unà cum Papiensibus, & Novariensibus duo nobilissima Castra Mediolanensium, quæ ultra Ticinum habebant, unum quorum Galiate, alterum verò Trecate cepit, eaque penitus destruxit.

Quo cognito Mediolanenses per mortuis se reputantes, deinde omnia quæcumque potuerunt mala de Rege, utpote Hoste dicere conati sunt. Rex verò inde discedens cum Marchione Guilermo de Monte Ferrato ad Asten perrexit. Astenses verò Civitatem suam deferentes ad quandam eorum Rocham, quæ vocatur Novim quodam monte super ipsam Civitatem non multum longè positam cum omni ipsorum mobilia fugiere. Rex itaque ipsam Civitatem capiens tradidit eam prædicto Marchioni, pro quo ipsos Astenses in bannum posuerat, Civitatemque ipsam propterea ceperat, quia pro eo justitiam eidem Marchioni facere renuerat. Ipse verò Marchio partem muri, ac quamplurimas turres ipsius Civitatis destruens, fædus cum Astensibus fecit.

Propterea Papienses, qui cum Terdonensibus tunc guerram habebant, ad prædictum Regem venientes graviter de Terdonensibus conquesti fuerunt, dicentes; ipsos maximas injurias eis in-

(64) Lectio melior quàm illa Osii, quæ refert ubique *Cremonensibus*. Duos enim illos populos ditioni suæ subdiderant Mediolanenses, excisa funditus eorundem urbe.

(65) In Osio legitur *absque timore*; sed retinendam lectionem nostram ipsemet docet; utpote rei de qua agitur magìs accommodam; idem enim sonat ac *sinè ulla conditione*.

(66) Tria Fridericus ipse in sua epistola sæpiùs memorata recenset inquiens; *inde tria castra eorum* (nempe Mediolanensium) *Minimam videlicet, Gailardum, & Trecum destruximus*. Primum *Mummam appellant* Frisingensis & Sigonius. Extat locus *momo* appellatus, in quo diversatum fuisse Lotharium Imperatorem, à Taurinensi urbe reversum, tradit Calchus ad annum 1138. cujusque mentio fit in diplomate Innocentii II. dato Placentiæ ad Canonicos Novarienses anno 1133. (nobis 1132.) apud Ughellum. Hunc censet Carolus à Basilica Petri in *Novaria Sacra* ubi *de Trecate*, fuisse castrum munitissimum ab Ænobarbo excisum, *Minimam*, seu *Mummam* dictum.

(67) Seu *Trecate*. Hæc castra olim munitissima fuerant Novariensi in agro, testibus Chalco, & Carolo à Basilica Petri. Condita verò fuisse à Mediolanensibus ut Novariæ urbi faciliùs bellum inferrent, discimus ex Gunthero, qui hæc eadem describens sic cecinit.

Protinus immani fastu tria, Rector, ab illis
Hostili fundata solo castella potenter
Diruit &c.

Osius hìc & num. 313. nonnullos Cavitelii ac Sigonii lapsus notat, qui præpostero ordine Friderici expeditiones & expugnatas arces enumerant; cùm de earundem serie ac gestis Otto Frisingensis, Morena & Cæsar ipse in epistola sua testes sint fidei adeò securæ, ut iisdem refragari piaculum sit. Deceptum quoque Bossium reor, qui unà cum *Trecate* combustum Oppidum *Gallarate* à Friderico scribit; hæc enim longè distant; At similitudo nominis *Galiate*, eidem imposuit.

(68) Nunc *Asta*, *Pompeja* à nonnullis dicta; Urbs est Galliæ Cisalp. ad Tanarum fluvium. Nonnulla hic præterit Morena, quæ Fridericus ipse in suis literis narrat; post excisa siquidem memorata superiùs castra Novariensis agri, ait: *Per Vercellas & Taurinum euntes Padum transivimus, inde Chairam, maximam & munitissimam Villam destruximus, & Civitatem Astam incendio vastavimus*. De his fusiùs Frisingensis.

(69) Alterum ex Biblioth. Ambros. Manuscriptis habet *Nun*, in Osii Codice legitùr *Novim*. An verò eadem sit Arx ista cum Oppido hujus nominis, vulgò *Novi*, quod in confiniis ligusticæ ditionis decem millibus passuum ab Alexandria Statelliorum distans etiam in præsens percelebre est, affirmare non ausim, cùm Morena apertè asserat eam non longè positam ab Urbe fuisse. Osius ex Urspergensis & Viterbiensis Chronicis intelligenda hæc censet pro *Arce nova*, seu *Castro novo*. Ego crediderim fuisse locum illum, qui clarus nunc quoque viget non longè ab Asta, *Anone* nuncupatum, *Non* verò ab incolis popularibus dictum. Quocirca Manuscripti nostri lectio verior esse videtur, præcipuè cùm eandem vocem in Italicum traducens Corius scribere non dubitaverit *Anono*.

(70) Videntur hæc aliena esse ab iis, quæ ex Friderico ipso superiùs relata sunt *Civitatem Astam incendio vastavimus*, quæque Frisingensis confirmat, *igni eam, & direptioni dedit*. Facilè tamen quisque intelliget muros & turres superesse flammis potuisse, easque postmodum à Marchione Gulielmo dejectas cùm ejusdem Urbis ditione à Cæsare donatus foret. Morena verò, prætermissa incendii mentione, hoc tantummodo narravit.

(71) Corius legit *Feudum*.

EX CODICE AMBROSIANO.

nientes, graviter de Terdonensibus conquesti fuere: dicentes ipsos maximas injurias eis intulisse ac castra eorum invasisse, petieruntque etiam ab eo, ut ipse faceret eos justitiam ipsis facere. Rex autem ut hoc audivit, Terdonenses ad justitiam Papiensibus faciendam plenè per suos Legatos convocavit, dicens eis ammonensque eos, quatenus se sub ipso, & Curia sua ponerent, justitiamque Papiensibus facerent. Terdonenses verò partim, quòd Regem amicum Papiensibus fore putabant, idcirco fingentes se eum habere suspectum, hoc renuebant; tamen etiam quia fortè de justitia diffidebant, tum quidem, quod magis in veritate est, idcirco quia in virtute ac potentia Mediolanensium, qui acriter eos adjuvabant, plurimum confidebant, tali Judici colla eorum supponere omnino repudiaverunt. Rex verò semel ac per plurimas vices ipsos Terdonenses in jus vocatos, cùm & ipsi venire noluerunt, in banno eos publicè posuit, minaturque etiam eis sæpe, quòd nisi rescipiscerent, supra eos equitaret, & ipsos, & eorum civitatem caperet, ac penitus destrueret. Terdonenses namque multa inientes consilia, tandem hortatu & consilio maximoque Mediolanensium impulsu, verba ipsius Regis vilipendentes, ac ad eorum perniciem & interitum suâ pessimâ fortunâ, ut ex post facto apparuit, properare cupientes, ipsi Regi omnino parêre noluerunt. (72) Rex igitur super ipsos se cum exercitu suo iturum proposuit, bellumque super eos se facturum indixit, ac Mediolanenses hoc audientes citò se præparaverunt, & multos Mediolanensium equites (73) Terdonæ Regi obviam miserunt.

Rex itaque Fredericus unà cum Duce Henrico de Saxonia, qui in Longobardia cum ipso Rege, ferè cum non minima copia equitum, quàm ipse Rex, venerat, necnon etiam & cum Papiensibus Terdonam veniens, ibidem castrametatus est circa ipsam civitatem in millesimo centesimo quinquagesimo quinto ab Incarnatione Domini Anno, in primo die Lunæ (74) Quadragesimæ, quæ fuit tunc tertiodecimo mensis Februarii, de Indictione tertia, obsed tque eam cum manganis & petreris (75) usque in diem .... (76) quæ fuit ..... dies mensis sequentis Aprilis. In ipso verò die, Ugone Vesconte, aliisque quampluribus Medio-

EX EDITO AB OSIO.

intulisse, & Castrum eorum invasisse, petieruntque ab eo, ut faceret eos justitiam sibi facere. Rex autem, ut hæc audivit Terdonenses ad justitiam Papiensibus plenè faciendam per suos Legatos convocavit, admonens eos, quatenus se de hujusmodi negotio sub ipso, & Curia sua ponerent. Terdonenses verò tum quia Regem amicum esse sciebant, & ideo eum in hoc suspectum habebant, tum quia fortè de justitia diffidebant, tum etiam, quod magis verum est, quia in virtute, & potentia Mediolanensium, qui eos acriter adjuvabant, plurimum confidebant, tali judici colla supponere repudiaverunt. Rex vero semel, & pluries in jus vocatos ipsos Terdonenses, & semper venire recusantes, publicè bannivit, & minans postmodum eis, quòd nisi resipiscerent, super eos equitaret, & ipsos, & Civitatem caperet, ac penitus destrueret. Sed Terdonenses multa ineuntes Consilia tandem hortatu, & Consilio, maximoque Mediolanensium impulsu verba ipsius Regis vilipendentes, ac ad eorum perniciem, & interitum suam proximam fortunam, ut ex post facto apparuit, properare cupientes, Regi parere aliquatenus noluerunt. Rex igitur super ipsos cum Exercitu suo se iturum proposuit. Bellumque super eis se facturum indixit. At Mediolanenses hoc audientes se præparaverunt, & multos equites Terdonæ obviam Regi miserunt. Rex itaque Federicus unà cum Duce Henrico de Saxonia, qui in Lombardiam cum ipso Rege ferè non cum minori copia equitum, quàm ipse Rex venerat, nec non etiam cum Papiensibus versus Terdonam veniens, Castrametatus est circa ipsam Civitatem in anno ab Incarnatione Domini MCLV. primo die Quadragesimæ, qui fuit tunc xiii. mensis Februarii indictione tertia, obseditque eam cum Machinis, & Precheriis usque in diem ... sequentis mensis Aprilis, ipso verò die Ugone Vicecomite, aliisque quampluribus Mediolanensibus, & Terdonensibus Machinis, & Precheriis, & aliis armis interfectis, vivis etiam maxima aquæ penuria constrictis, Terdonenses, & Mediolanenses, qui ibi aderant, & intra solam Civitatem se omnes reduxerant, quia Dux Henricus cum suis Saxonibus jamdudum Burgum ipsius Civitatis ceperat, & illum comburendo penitus destruxerat, se amplius Regis manus evadere non posse cernentes, Regi omnes se

---

(72) Meliùs quàm referat Osii codex, in quo legitur, *parere aliquatenus noluerunt*.

(73) *Ducentos eo transmissos Obitione Malaspina Duce*. Ita Cavitelli annales & Chronica Bossiana. *Osius*.

(74) Lege *Dominico*. Quadragesima enim an. 1155. incœpit 5. Idus Februarii, atque ideo tertius decimus, non *Lunæ*, sed *Dominicus* erat. Codex Osii turpiùs peccat assignans primum diem Quadragesimæ. Refragatur siquidem Frisingensis hæc scribens. *Initiata est hæc celebris Terdonæ obsidio, mense Februario incipiente, post caput Jejunii, proxima Quadragesimæ hebdomada*. Hinc etiam corrigendus Calchus, qui ab hoc Morenæ loco in errorem adductus est, putans Idus Februarii fuisse hoc anno caput Jejunii.

(75) Osii codex *cum Machinis & Precheriis*, sed malè. Utrumque hoc bellicum instrumentum ejaculandis in hostes magni ponderis lapidibus inserviebat, eorumque usus frequens occurrit in historiis temporum superiorum; non nisi enim post inventum pyrium pulverem obsolescere cœperunt, unà cum cæteris militaris ingenii machinis, quarum nomenclaturam texit Osius, in amplum hunc antiquæ eruditionis campum liberali calamo excurrens, quem vide.

(76) Cùm Frisingensis asserat obsidionem hanc perdurasse usque ad *tertiam post Paschalem solemnitatem hebdomadam mense Aprilis*, certum est Terdonam à Friderico in deditionem acceptam ante decimum septimum illius mensis; eo enim die jam quarta post Pascha hebdomada incipiebat. Lapsus itaque est Calchus qui in tertium Kal. Majas protractam obsidionem refert. Veriùs Cavitellus, secundum post Idus Aprilis diem huic deditioni assignans; congruit enim cum iis, quæ tradit ad hunc annum Caffarus illorum temporum scriptor, superiùs editus, his verbis: *per hebdomadas novem Terdonam obsidendo & prœliando* (Fridericus) *medio Aprili cepit, & destruxit*.

EX CODICE AMBROSIANO.

diolanensibus (77), & Terdonensibus manganis & preteris, aliisque armis jam interfectis Viris (*), etiam maxima aquæ penuria constrictis, Terdonenses & Mediolanenses qui ibi aderant, & infra solam civitatem se omnes reduxerant, quia Dux Henricus cum suis Saxonibus jamdudum totum burgum de Tertona ceperat, & illum ardendo penitus destruxerat, se amplius Regis manus evadere non posse cernentes, Regi se omnes tradiderunt, eo videlicet pacto, quòd ipsi omnes masculi & fœminæ extra civitatem cum omnibus rebus, quas ipsi portare possent exirent, alias verò res omnes, quas in semel portare non possent, ipsi Regi ejusque exercitui penitus dimitterent. Cùmque omnes foràs cum rebus illis, quas portare potuerunt, exissent, exercitus Regis ac Ducis & Papiensium infra ipsam civitatem pergens, totamque expolians, ac postea comburens, eam penitus usque ad fundamentum dissipavit (78).

His itaque peractis Rex Terdonam deserens, Papiensesque ibi, ut eam civitatem bene dissiparent relinquens, Romam cum suo exercitu perrexit (79). Papienses verò muros civitatis, & turres, ac domos omnes destruentes post ipsum Regem per octo dies ibi steterunt, ac deinde Papiam cum magno gaudio reversi sunt. Mediolanenses igitur, qui in occursum Terdonæ, antequam capta foret, ambulaverant, cùm infra ipsam civitatem intrare non potuerunt, apud Castrum, quod Sarzanum (80) dicitur, quod per duo milliaria longè à civitate Terdonæ distat, morati fuerunt. Cùm verò Papienses à Terdona recesserunt, statim illi Mediolanenses, qui apud Sarzanum fuerant, in destructam civitatem Terdonæ intraverunt, Mediolanoque (81) quid agitaverunt mandaverunt. Mediolanenses verò hoc audientes, & ob id valde dolentes, quia eam invitis Papiensibus se tenere posse diffidebant, mandaverunt illis, qui Terdonæ fuerant, quatenus eam desererent, Mediolanumque redirent, qui hoc agere penitus recusaverunt; Papienses itaque cùm Mediolanenses Terdonam intrasse cognovissent, ac

EX EDITO AB OSIO.

se penitus tradiderunt, eo videlicet pacto, quòd ipsi omnes, tam masculi, quàm fœminæ extra Civitatem cum omnibus rebus, quas ipsi portare possent, exirent, alias verò res, quas inde portare non possent, ipsi Regi, ejusque exercitui penitus dimitterent. Cumque omnes foras exissent cum rebus illis, quas portare potuerunt, exercitus Regis, ac Ducis, & Papiensium intra Civitatem pergens, totamque eam expolians, ac postea comburens eam penitus usque ad fundamentum dissipavit.

His itaque peractis Rex Terdonam deserens Papiensesque ibi, ut ipsam Civitatem bene dissiparent relinquens Romam cum suo Exercitu perrexit, Papienses verò muros Civitatis turres ac domos omnes destruentes post ipsum Regem ibi per octo dies steterunt, & deinde Papiam cum magno gaudio reversi sunt. Mediolanenses igitur, qui in auxilium Terdonæ antequam capta fuisset ambulaverant cum ipsam Civitatem intrare non possent, apud Castrum, quod Sarzanum dicitur, quod distat à Civitate per duo miliaria, morati sunt. Cum autem Papienses à Terdona recessissent, statim illi Mediolanenses, qui apud Sarzanum à Terdona fuerant, in destructam Civitatem Terdonæ intràverant, Mediolanumque quid egerunt miserunt. Mediolanenses hæc audientes, & ob id valdè dolentes, quia jam invitis Papiensibus se tenere posse diffidebant, miserunt illis, qui erant Terdonæ quatenus eam desererent, Mediolanumque redirent, qui hoc agere recusaverunt. Papienses itaque cum cognovissent Mediolanenses intrasse Terdonam, ac eis illam velle reædificare, Terdonam revertentes, ipsos

(77) *Zanino*, sive *Joannino Maynerio*, *Lanfranco Crucio*, sive *à Cruce*, *Albertino Carato*, qui aliis *de Carate*, *Lanfranco Curtensi*. sive *de Curte*, *Ogierio*, sive *Ruglerio Sanctæ Mariæ*, quorum omnium nobis nomina, decus, & gloriam perenniores ære quovis ac marmore literæ conservarunt. At qui tum ex Germanis etiam non pauci desiderati sunt, & in his signatè summæ nobilitatis adolescentes duo *Kadolus ex Bojaria*, *& Johannes de Saxonia*, compluribus aliis vulneratis, ut eædem nunquam intermorituræ Literæ tradidere. *Osius*, qui Literas hasce saltem indicare debuerat. De his duobus postremis testis est Frisingensis, lib. 2. Quatuor verò tantummodo ex superioribus excidisse in prœlio Calchus tradit.

(*) *Alter Codex MS.* vivis.

(78) Seriem omnem obsidionis hujus atque excidii fusè descriptam lege in Ottone Frisingensi edito in hoc volumine à cap. 16. usque ad 21. libri secundi.

(79) Ex hoc Morenæ textu colligi videtur Fridericum statim ab excidio Terdonæ, relictis ibi Papiensibus ad consummandum lugubre opus, rectà Romano itineri se dedisse. At contra pugnat auctoritas Cæsaris ipsius, qui se à Papiensibus invitatum narrat, ut post victoriam gloriosum ageret triumphum in eorumdem urbe, seque *ibi in Corona & maxima lætitia & ingenti servitio civitatis tres dies deduxisse*. Frisingensis quoque diem solemnis inaugurationis, & Ecclesiam in qua Papiæ peracta est designat, inquiens, *ibi ea Dominica qua Jubilate canitur, in Ecclesia S. Michaelis, ubi antiquum Regum Longobardorum Palatium fuit, cum multo Civium tripudio coronatur*. Ad hæc igitur conciliandà crediderim, parte illa tantummodo Papiensium militum Terdonæ relicta, quæ explendo ipsorum furori in dejectæ quoque urbis ruinas satis esset, reliquos Primores ac Duces unà cum Cæsare Papiam contendisse; Morenam verò intentum iis narrandis, quæ per ferale illud octiduū contra Terdonenses fœderatos Mediolanensibus gesta fuerant, omisisse ea, quæ per idem omnino tempus cum tripudio & plausu Papiæ agebantur. Dominica enim in qua Romano Ritu Missæ introitus ab hoc verbo incipit *Jubilate*, tertia est post Pascha, inciditque eo anno 1155. non in X. Aprilis, (quo die peractam Papiæ Friderici coronationem tradidit Pagius) sed in XVII. Quo circa cùm tertia hebdomada post Paschale Festum captam Terdonam asserat Frisingensis, subsequens Dominicus dies ille idem erat, qui & Papiensibus *jubilum* ob coronatum Cæsarem, & Terdonensibus luctum ob instantes adhuc excidio adversarios ingerebat.

(80) Extat etiam in præsens Meridiem versùs. *Sorzanum* appellatur in Diplomate Ottonis IV. apud Ughellum tomo IV. Ital. Sac. in Giselprando Episc. Derthon.

(81) *Alter codex MS.* Mediolanumque.

EX CODICE AMBROSIANO.

[...] eam reaedificare se velle audissent, Terdonam cum suo non tamen magno exercitu revertentes, ipsos tamen invadere non auderunt, domique, nihil proficientes reversi sunt; cùm autem Mediolanenses Mediolani existentes audissent Papienses Terdonam cum suo exercitu ivisse, nec Mediolanenses qui in Terdona pauci fuerant invadere ausos fuisse, tunc corda omnium Mediolanensium ad Terdonam, quae destructa fuerat, ex novo eorum proprio dispendio restituendam mirabiliter exarserunt, portaeque Ticinensis, & portae Vercellinae omnes equites & pedites eligentes, ipsos statim Terdonam miserunt, qui murum civitatis reaedificare suis propriis expensis confestim coeperunt, ac ipsi per tres hebdomadas ibi steterunt.

Postea namque aliarum duarum portarum, videlicet portae Romanae, & portae Arienzae, (82) omnes equites & pedites Terdonam iverunt, & primùm in quodam die Mercurii, (83) in quo fuit festivitas Sancti Federici Papae, (84) & quae fuit quarto decimo die ante Kalendas Junii, apud Terdonam in brolio Episcopi (85) extra civitatem ferè omnes castrametati fuerunt. Sequenti verò die Jovis omnes equites praedictarum quatuor portarum multique etiam pedites ipsorum ivere ad Salam (86) ut eam caperent. Sed villani & pauci etiam equites qui in ipso loco fuerant, ita viriliter se defenderunt, quòd nec etiam villam ipsius loci capere potuerunt, multisque tamen utrinque vulneratis, Terdonam rediere. Alio verò die, scilicet Veneris, omnes equites & pedites portae Ticinensis & portae Vercellinae Mediolanum redierunt, aliarum duarum portarum equitibus & peditibus, Terdonae cum magno gaudio, quamvis in luctum & moerorem eis postea versum sit, remeantibus. Sequenti itaque proximo die Mercurii, in quo fuit festivitas Sancti Urbani Papae (87) Papienses cum magno exercitu Terdonam iverunt, ac Mediolanenses robusto & alacri animo extra fossatum burgi ipsius civitatis exeuntes usque ad Ecclesiam Sancti Martini (*) & etiam ultra foràs obviam in campo exiere, ibique in manibus Papiensium incidêre; sed in primis omnes ex utraque parte sibi obviam concurrentes, ita acriter se invaserunt, quòd ul-

EX EDITO AB OSIO.

ipsos tamen invadere non sunt ausi, deinde nihil proficientes reversi sunt. Cum autem Mediolanenses, qui erant Mediolani, audissent; Papienses cum eorum exercitu ivisse Terdonam, nec fuisse ausos invadere Mediolanenses, qui in Terdona pauci erant; tunc corda omnium Mediolanensium ad Terdonam eorum proprio dispendio restituendam mirabiliter exarserunt. Quare eligentes omnes equites, & pedites portarum Ticinensis, atque Vercellensis; statim illos miserunt Terdonam, qui muros Civitatis suis propriis expensis reaedificare confestim coeperunt, ac ibi per tres hebdomadas permanserunt. Postea verò aliarum duarum portarum Romanae, & Arentiae omnes equites, & pedites iverunt Terdonam, & primum in quodam die Mercurii, in quo fuit festum Sancti . . . . . . & quae fuit XIV. ante Calendas Junii, apud Terdonam in brolio Episcopi extra Civitatem ferè omnes castrametati sunt. Sequenti verò die Jovis omnes pedites dictarum quatuor portarum, & equites ipsarum iverunt ad Salam, ut eam caperent; sed rustici, & pauci etiam equites, qui in ipso loco erant, ita viriliter se defenderunt, quod villam ipsius loci capere non potuerunt; multis tamen utrinque vulneratis, Terdonam redierunt. Alio verò die Veneris omnes equites, & pedites portae Ticinensis, & Portae Vercellinae Mediolanum redierunt; aliarum duarum portarum equitibus, & peditibus Terdonae remanentibus cum magno gaudio; quamvis postea hoc versum sit eis in gemitum, & dolorem. Sequenti ita proximo die Mercurii, in quo fuit festum Sancti Urbani Papae, Papienses cum magno Exercitu Terdonam iverunt; & Mediolanenses robusto, & alacri animo extra fossatum Burgi ipsius Civitatis exeuntes usque ad Ecclesiam Sancti Martini, & etiam ultra, foris obviam eis in campo exierunt; ibique in manus Papiensium inciderunt; sed in primis omnes ex utraque parte sibi obviam excurrentes, ita acriter se invaserunt, quod ultra centum milites inter utramque partem ex equis eorum dejecti fuerunt, tandem omnibus ab utraque parte dimicantibus, cum Mediolanenses tantis viribus resistere non possent, in fine terga verterunt; & usque in Civitatem Terdonae fugientes ferè omnia tentoria, om-

(82) Signatè ea Porta est (Mediolani), quae cùm Solem Orientem spectet, *Orientalis* audit apud Osores vulgi, voces aequè corrumpentis optimas, ac bonos mores. Hinc hujus ex ore, *Orientia* primùm, mox *Arentia* (seu *Arienza*) dein *Rentia*, *Renza* demum dicta, quae vox nunc etiam apud nostros viget. *Osius*.

(83) Diem Martis notat Corius, sed falsò; decimus enim quartus ante Cal. Junii, idest XVIII. Maji verè erat dies Mercurii.

(84) Idem exprimit Corius. In altero ex MStis Bibl. Ambr. legitur *S. Federici Papiae*. Primùm tamen prorsus erroneum, cùm nullum ex Summis Pontificibus hujus nominis Sanctum colat Ecclesia, nec in Martyrologiis eo die alicujus S. Federici mentio fiat. An verò *Papiae* ageretur tunc Festum S. Federici Episcopi Leodiensis mortui anno MCXXI. quòd eodem mense Leodii celebratur ad diem XXVII. divinationis plena res est, nec ullum suppetit antiqui monumenti vestigium, cui vel conjectando securè innitamur. Potiùs dixerim ab imperito Amanuensi ex cerebro suo superadditum id nomen ad explendam lacunam, quae in Osii codice punctis signatur. Miror equidem ab eodem Osio tradi quòd in Ambrosiano codice legatur *S. Fidentii*; id enim à vero abest, nisi fortasse codex Osio communicatus alius sit ab iis, quibus nunc utimur. Nonnulla certè pluribi offendi, quae à lectione nostra dissentiunt, ut jam praemonui in Praefatione. Nicolaus Montemerlius in historia Italicè scripta urbis Terdonae se accepisse ait à nobili Equite Mediolanensi Jacobo Sansono Manuscriptum Morenae librum, ejusque utitur verbis in hoc describendo Terdonensi bello. Ibidem legitur *S. Fidentii* nomen, quod loco *S. Pudentii*, seu *Pudentis*, ad XIV. Cal. Junii in Martyrologiis descripti fortasse positum fuit.

(85) Quid esset *Brolium*, satìs disserui in notis ad Landulphum de S. Paulo tomo V. hujus Collectionis fol. 480., ubi etiam fol. 501. suum fuisse Archiepiscopo Mediolanensi peculiare *Brolium* extra urbem, in quo statutis horis diei aliquas pias causas audiebat, adnotatum est. Fortasse etiam Terdonae vigebat mos iste, ac propterea à Morena vocatur *Brolium Episcopi*. *Viridarium* explicat Osius.

(86) Nunc Sale, oppidum non longè à Pado Comitatus titulo insigne.

(87) XXV. Maji.

(*) Montemerlius legit *S. Martiani*.

EX CODICE AMBROSIANO.

ultra centum milites inter utrasque partes ex equis eorum dejecti fuere.

Tandem omnes ab utraque parte viriliter dimicantes, cùm Mediolanenses tantis viribus resistere non possent, in fine terga verterunt, & usque in civitatem Terdonæ fugientes, ferè omnia tentoria, omnemq; eorum mobiliam totumque etiam mercatum, (88) quod in castris habebant, amiserunt, quoniam ipsi ferè omnes & cum me ipso in brolio Episcopi, & alibi extra civitatem hospitati fuerant, maximamque copiam etiam equitum & peditum Mediolanensium Papienses ceperunt, multosque & ibi in campo interfecerunt. Altera verò die, scilicet Jovis, Papienses, cùm in primo die per tria milliaria longè à civitate Terdonæ castra posuerant, juxta burgum prope ipsam civitatem castra permutavere, ac postea in ipso die tam maximum prœlium ab omni parte civitatis juxta ipsam civitatem inierunt cum Mediolanensibus, quòd ipsi ultra Mediolanensium voluntatem in loco, ubi Turris-blanca dicitur, in civitatem cum duobus vexillis intraverunt, & multi etiam ex Mediolanensibus ita protriti (*) tunc fuerunt, quòd bello ab eis tunc derelicto, cum omnibus armis in Ecclesiam majorem confugerunt, sed alii Mediolanenses acriter tunc pugnantes, & maximè cum lapidibus se defendentes extra civitatem maxima vi eos repulerunt. Papienses namque iterum viriliter pugnantes omnes Mediolanenses, & tunc etiam postea debellassent, ac maxima virtute (**) eos cepissent, nisi Dominus sua pietate, & clementi misericordia quamdam pluviam eis tribuisset maximam, quæ statim terram sic madefecit, quòd Papienses ultra supra fossatum civitatis inhærere non valuerunt, ibique Papienses circa civitatem morantes usque ad proximi Sabbati diem Terdonam obsederunt. Ipso verò die Sabbati Papienses à Terdona recedentes cum magno gaudio Papiam reversi sunt, sed in eo quidem die tam maxima panis & vini inopia ceterarumque etiam rerum comedendarum in Terdona fuerat, cùm aqua etiam ferè tota penitus infra ipsam civitatem defecerat, quòd vix aliquid ad comedendum in ea inveniri poterat, ita etiam, ut si per quatuor dies solummodo tunc Papienses ibi adhuc stetissent, sicut egomet, qui tunc in ipsa civitate Terdonæ cum Mediolanensibus obsessus fueram, vidi, & cognovi, quòd sinè omni prœlio, omnes Mediolanenses ibi astantes capere potuissent. Sed quia hoc nondum fuerat à Deo dispositum, idcirco nullatenus est perpetratum. Mediolanenses itaque Terdonæ morantes totum murum ipsius civitatis ex propriis ipsorum facultatibus reædificaverunt, & ipsam civitatem, ubi oportebat, fossato aliisque rebus necessariis optimè munierunt. Sequenti igitur festivitate Sanctorum Gervasii & Prothaxii, quæ fuit nono decimo die sequentis mensis Junii,

EX EDITO AB OSIO.

omnemque eorum mobiliam, totumque etiam mercatum, quod in Castris habebant, amiserunt: quoniam ipsi ferè omnes mecum quoque ipso in brolio Episcopi, & alibi extra Civitatem hospitati fuerunt, maximamque copiam equitum, & peditum Mediolanensium Papienses ceperunt, multosque etiam ibi in Campo interfecerunt: altero verò die Jovis Papienses, qui primo die per tria milliaria longè à Civitate Terdonæ hospitati fuerant, prope ipsam Civitatem hospitium mutaverunt; ac postea in ipso die tam maximum ab omni parte Civitatis prælium cum Mediolanensibus fecerunt juxta ipsam Civiatem, quod ipsi ultra Mediolanensium voluntatem in loco, ubi Turris Blanca dicitur, deinde in Civitatem cum duobus Vexillis intraverunt; quapropter multi ex Mediolanensibus perterriti tunc fuerunt taliter, quod bello ab eis derelicto, cùm omnibus armis in Ecclesiam majorem confugerunt; sed alii Mediolanenses acriter tunc pugnantes, & maxime cum lapidibus se defendentes, extra Civitatem maxima vi eos repulerunt; Papienses verò iterum viriliter pugnantes, omnes Mediolanenses tunc debellassent, ac maxima curtesta eos cepissent, nisi Dominus sua pietate, & clementi misericordia quandam pluviam eis tribuisset adeo magnam, quæ sic terram madefecit, quod Papienses ultra super fossatum Civitatis inhærere non valuerunt. Itaque Papienses circa Civitatem commorantes usque ad proximam diem Sabbati, Terdonam obsederunt: ipso verò die Sabbati à Terdona recedentes, cum magno gaudio Papiam sunt reversi: sed in eo quidem die tam magna panis, & vini inopia, cæterarumque rerum comedendarum fuit in Terdona, quod aqua etiam ferè tota penitus in ipsa Civitate tunc defecerit; quod vix ad comedendum aliquid in ea inveniri potuisset; ita quod si quatuor solummodo dies adhuc ibi Papienses stetissent, sicut egomet, qui tunc in ipsa Civitate Terdonæ cum Mediolanensibus eram obsessus, vidi, & cognovi; sine prælio, sine periculo Papienses potuissent capere omnes Mediolanenses ibi tunc existentes: sed quia hoc tunc fieri non erat à Deo dispositum, ideo nullatenus est impletum. Mediolanenses itaque Terdonæ morantes totum murum ipsius Civitatis eorum propriis facultatibus reædificaverunt, & ipsam Civitatem ubi oportebat fossato, aliisque rebus necessariis optimè munierunt. Sequenti igitur festo Sanctorum Gervasii, & Protasii, quod fuit XIX. sequentis mensis Junii, ceperunt Mediolanenses Staranos de Pavia, qui Serexanum deprædati fuerant, pluresque ipsius loci domos exarserant, & multos ex ipsis interfecerunt. Ab eo autem die cum ferè per totam guerram omnia prosperè Papiensibus accidissent, mutata est adversus eos fortuna, ita quod ferè semper postea, donec D. Federicus Imperator in Lombardiam rediit, omnia benè, & prosperè Mediolanensibus evenere. Post paucos verò dies factum est

(88) Superiùs innuimus num. 8. diversimodè accipi hanc vocem, ut Osius optimè docuit. Ibi nundinas signabat, hìc annonam, seu victualia (ut ajunt) indicat.

(*) *Alter cod. MS.* preterriti, *meliùs* perterriti.

(**) In Osii codice legitur & *maxima curtesta*. Vocem hanc in suis notis Osius penitus intactam reliquit, ignarus fortasse quid sibi vellet. Ducangius ex hoc loco in suum Glossarium transtulit, sed nulla addita explicatione, nec altero ex veteribus scriptis exemplo allato. Si meam hac de re sententiam proferre debeam, expungendum prorsus dicerem peregrinum hoc antiquitati vocabulum, cùm illud censeam purum Amanuensis mendum, qui in confuso, aut corroso codice, malè intellectis primis syllabis *virt* pro *curt*, reliquas pejori errore corruperit.

EX CODICE AMBROSIANO.

nii, ceperunt Mediolanenses Scaronos (89) de Papia, qui Serezanum (90) deprædaverant, & plerasque casas ipsius loci exarserant, multosque etiam ex ipsis interfecerunt. Ex eo namque die cùm ferè per totam guerram omnia prospera Papiensibus acciderant, mutataque est adversùs eos fortuna, ita quòd ferè semper postea, donec Dominus Fredericus Imperator in Longobardiam redivit, omnia bene ac prosperè Mediolanensibus accesserunt.

Post paucos verò dies factum est prœlium ad Pozolum (91) inter Mediolanenses, qui erant in guarda Terdonæ, & Papienses, qui ad jam dictum locum de Pozolo causâ custodiendi eum iverant, ibique in eo prœlio, multi ex Mediolanensibus & Papiensibus ab utraque parte capti in carcerem detrusi sunt; sed tamen plurimi ex Papiensibus tunc capti fuerunt.

Interea Rex Fredericus cùm à Terdona discessit, tunc Romam pergens (92), multa castra, multique Principes Longobardiæ, Tusciæ, Romaniæ eis se subdiderunt. At ipse Rex Romam pergens, ibique à Domino Papa Adriano honorificè susceptus, & apud Sancti Petri Basilicam incoronatus (93), Dei favente misericordia, Imperator est effectus.

Postremò ipse Imperator ibi permanens, (94) ac à Senatoribus Romæ, aliisque ipsius civitatis majoribus suum jus & rationem, seu etiam usum planè ac humiliter exigens, nec eis aliquod malum facere volens, ipsi Romani omnimodo id eidem facere recusantes (95), & colla eorum jugo quasi abjecto temerè adversùs eum erigentes, non solùm in civitate ultra Tiberim se nolle, ut non debere, ei hoc facere prætenderunt, sed maxima superbia commoti ex hac parte Tiberim per pontem, qui est supra ipsum flumen in Isolella (96) cum armis ad bellum faciendum præparati ipsi Imperatori obviam venerant. Imperator verò cum ejus exercitu, ut eos sic omnes equites & pedites armatos ad bellum venientes prospexit, omnes suos ad arma accipienda festi-

EX EDITO AB OSIO.

est prælium ad Pozzolum inter Mediolanenses, qui erant in custodia Terdonæ, & Papienses; qui jam ad dictum locum causa custodiendi eum iverant. Ibique in eo prælio multi ex Mediolanensibus, & Papiensibus ab utraque parte capti in carcerem reducti sunt. Sed tamen plurimi ex Papiensibus tunc sunt capti.

Interea Rex Federicus cum à Terdona discessisset, tunc eo Romam pergente multa Castra, multique Principes Lombardiæ, Tusciæ, Romaniæ se ei subdidere. Qui Rex cum Romam pervenisset, ibi à D. PP. Adriano honorificè susceptus est, & apud Sancti Petri Basilicam coronatus Romanorum Dei favente misericordia Imperator est effectus: qui ibi postea permanens à Senatoribus Romæ, aliisque ipsius Civitatis majoribus suum jus, & rationem, seu usum planè, & humiliter exigebat, mali aliquid eis facere non intendens: Romani verò omnino se ea facere recusantes, & colla, jugo quasi abjecto, temerè adversus eum erigentes, non solum in Civitate, sed ultra Tyberim se nolle, vel non debere ei hoc facere prætenderunt: sed maxima superbia commoti, ex hac parte Tyberis per pontem, qui est supra ipsum flumen in Insula cum armis ad bellum faciendum parati, ipsi obviam Imperatori venerunt. Imperator verò cum Exercitu suo, ut eos omnes tam equites, quam pedites sic armatos contra se venire prospexit; omnes suos protinus armari præcepit; qui cum arma festinanter accepissent, in bellum omnes alacriter prosilientes se cum ipsis Ro-

(89) Seu *Scaranos*. In Osii codice *Staranos*. Sed Lectio nostra magìs genuina. A *Scara* enim quæ cuneum, aciem, turmam significat, *Scarani* dicuntur. Vide Lindenbrogium, Ducangium in suis Glossariis, nec non Osium hoc loco, qui ingeniosè advertens hanc vocem *Scara* pro *igne ac combustione* accipi à Papia, censet *Scaranos* hosce *non qualemcumque turmam fuisse, sed quæ ad connectendas hinc inde prædas & obvia quælibet exurenda soleret excurrere*. Legitur enim statim in Morena quòd Serexanum deprædati fuerant. Divinationem tamen & ipse fatetur. Sed minimè audiendus Calchus, qui rem hanc omnem subvertit; non Mediolanenses, sed Papienses ipsos Scaranis, quos Nobiles vocat, infestos, tradens: verba illius accipe. „ Cæterùm Nobiles Scarani Septezanum oppidum per occasionem temporum occupaverant; id quod indignè ferentes Papienses quarto decimo Kal. Julias circummissis copiis recuperare nixi sunt; sed supervenientibus Mediolanensium cohortibus ingentique clamore sublato, terrorem hosti injecerunt &c.

(90) Idem castrum, quod superiùs appellaverat *Sarzanum*.

(91) Vicum ad radices Montium à Terdona versùs Meridiem. Prœlium hoc describit Calchus ad hunc annum.

(92) Compendium texit hìc Osius eorum omnium, quæ in itinere peregit Fridericus Imper. sed cùm hæc abundè peti possint ex Ottone Frisingensi, aliisque Scriptoribus tum antiqi su, tum recentibus, ludere tempus viderer, eadem hìc exarando.

(93) *Anno regni sui quarto, mense Junio, decimo quarto Kalendas Julii*, ut Frisingensis testatur lib. 2. cap. 22. Sabbati diem fuisse, in quo ab Adriano IV. ante Altare SS. Apostolorum Petri & Pauli Imperii coronam accepit, ipsemet Fridericus in sua Epistola scribit.

(94) Expleta Coronationis celebritate, extra Urbem statim in tentorium suum processit Fridericus, ut ipsemet testatur in sua Epistola ad Ottonem Frisingen. Errat itaque Morena.

(95) Hujus feralis diffidii caussam inter Cæsarem ac Romanos aperit ipse Fridericus loco citato inquiens: *Romani nuncios suos ad nos miserunt, & maximam pecuniam* (Frisingensis quinque millia librarum, Helmoldus quindecim mille fuisse asserunt) *pro fidelitate eorum, ac servitio, tria quoque à nobis juramenta exquisivere.* Quænam essent hæc juramenta, Frisingensis lib. 2. cap. 21. luculenter edisserit, Oratorum dicta, & Cæsaris responsa fusè describens. Hæc universa rixarum materies; Attamen ista omnia, non coronato jam Cæsare, ut innuere videtur Morena, sed antequam Romam ingrederetur, disputata sunt. Cùm autem, clam veluti ab ipsis, redimitum corona Imperatorem intellexissent Romani, tunc ira & furor exarsit, nec ullum consilio, sed armis jus datum.

(96) Parva insula; in Osii codice, absque addito, *Insula*.

EX CODICE AMBROSIANO.

stinare præcepit. Qui cùm arma festinanter accepissent, omnes in bello prosilierunt, ac cum ipsis Romanis fortiter se commiscuerunt. Imperator itaque cum Teutonicis, aliique etiam omnes qui cum eò in ejus exercitu fuerant acriter cum Romanis dimicantes, multis etiam ab utraque parte in campo interfectis, multisque vulneratis, plerisque etiam ex equis dejectis, tandem Romani vim Imperatoris, ejusque exercitus sustinere non valentes terga ad fugiendum verterunt.

Imperator verò cum suo exercitu eos acriter persequens, & multos in ipsa fuga vivos capiens, multosque etiam interficiens, usque in Tiberim eos fugare non cessavit. Romani autem cùm ad Tiberis fluvium pervenissent, multa millia (97) ex eis cum armis, alii verò sinè armis in ipso flumine se præcipitarunt & projecerunt, ex quibus maxima copia necata est, multique etiam ex his, qui in ripa fluminis remanserunt, capti fuerunt, alii verò per prædictum pontem ultra Tiberim in Isolella fugientes in Roma se recolligerunt. Postera namque die Imperator cum Romanis fœdus iniens (98) à Roma discessit (99), & usque Anconam (100) procedens, multas civitates, multosque Principes suæ ditioni ac potentiæ subjugavit, ibique in Apulia, & Romania per totam æstatem, & etiam per hyemis partem versatus, tandem in Alamaniam reverti proposuit. Itaque cùm ipse Imperator in Alamaniam rediret, Spoletum inveniens, ibi non multum longè à civitate ipsa hospitatus est, ac cùm ipse nihil mali illis de Spoleto adhuc illatum haberet, illi tamquam furiosi & sinè mente aliqua, cùm Imperator cum suis ad prandium sederet, foris Spoletum, ut mihi relatum est, armati exierunt, & cum hominibus Imperatoris statim se commiscuerunt. Imperator igitur hoc audiens valde perturbatus est, ac suis militibus, quatenus arma caperent, & viriliter pugnarent præcepit.

Ipse verò Imperator cum exercitu suo ita robustè pugnavit, quòd multis ipsorum de Spoleto captis & interfectis, eos omnes devicit, ac ipsos infra civitatem fugientes ita persecutus est, quòd unà cum ipsis in ipsa civitate cum exercitu suo intravit, totamque ip-

EX EDITO AB OSIO.

Romanis commiscuerunt. Imperatore itaque cum Theutonicis, aliisque omnibus, qui in ejus Exercitu erant, dimicantibus acriter cum Romanis, multi ab utraque parte interfecti, multique vulnerati, plerique etiam ex equis sunt dejecti. Tandem Romani vim Imperatoris, ejusque Exercitus substinere non valentes terga verterunt. Imperator verò cum suo Exercitu eos acriter persequens, & multos viros in ipsa fuga capiens, multosque interficiens, usque in Tyberim eos fugare non cessavit. Romani verò cum ad Tiberis fluvium pervenissent, eorum multa millia cum armis, alii verò sine armis in ipsum flumen se præcipitavere: quorum plurimi in ipso flumine perierunt: eorum verò, qui in ripa fluminis remanserunt, multi capti fuerunt, alii verò per dictum pontem ultra Tyberim in Insulam fugientes, in Romam se recollegerunt. Postera verò die Imperator cum Romanis fœdus iniens, Roma discessit; qui procedens usque ad Anconam, multas Civitates, multosque Principes suæ ditioni, & potentiæ subjugavit: in Apulia etiam, & Romania per totam æstatem, & etiam per hyemis partem versatus, tandem in Alemaniam reverti proposuit. Itaque cum ipse Imperator in Alemaniam rediret, Spoletum veniens, ibi non multum longè à Civitate ipsa hospitatus est: qui quamvis Spoletanis nullum adhuc damnum intulisset, illi tamen tanquam stulti, Imperatore cum suis ad prandium sedente, Spoleto, ut mihi relatum fuit, exierunt armati. Imperator verò hoc audiens, valdè turbatus, suis præcepit, quatenus incontinenti arma susciperent, & cum eis viriliter pugnarent: ipse Imperator verò cum Exercitu suo sic robustè pugnavit, quod ipsorum Spoletanorum multos cepit, multosque campi victor exiens in prælio interfecit: denique ipsos intra Civitatem fugientes sic persecutus est, quod unà cum eis Civitatem ipsam intrans, eam cum hominibus cepit: quam Exercitus ejus spolians totam combussit. Cives verò ipsius Civitatis, qui capti fuerant, ligatos ad tentoria deduxit. Sed Imperator tanquam pius, & misericors cum ipsis postea fœdus inivit, & multa pecunia ab eis præstita, captos abire, Civitatemque intrare permisit.

Post

(97) Numerum alium exprimit idem Fridericus his verbis: *tota die cum Romanis conflictum habentes, eorum penè mille occidimus, & in Tyberi submersimus, & captivos deduximus.* Eadem repetit Frisingensis, qui captos fermè ducentos recenset, sauciatos innumeros.

(98) De hoc nihil Fridericus, aut Frisingensis. Cardinalis tamen Aragonius in Vita Adriani IV. tomo III. hujus Collectionis data, scribit restitutos à Cæsare captivos adlaborante precibus apud eundem Adriano ipso. Fusè autem narrat, quæ ad Romanam hanc Friderici I. coronationem pertinent; Ideoque ipsum adeat Lector.

(99) Non XIV. Julii, ut ex Trithemio tradit Osius, sed XIX. Junii, subsequente videlicet coronationem, ac conflictum die.

(100) Universam hanc Friderici itinerum seriem mirè confundit Morena, & plura etiam longè à verò scribit. Non enim Anconam priùs quàm Spoletum adiit, sed è contra teste ipso Friderico, quo nullus major. Insuper eundem ait *in Apulia, & Romania per totam æstatem, & etiam per hyemis partem* versatum; cùm tamen & Cæsar ipse, & Frisingensis clare asserant, invitatum eum quidem ut in Apuliam descenderet, sed à Proceribus, Ducibusque exercitus fracti æstus fervore, ac aëris intemperie, ab hujusmodi consilio fuisse dimotum. Hyemem verò nequidem ibidem attigit, cùm *circa principia mensis Septembris* jam in campestria Veronensium reversum illum testetur Frisingen. lib. 2. cap. 24. Denique ea, quæ Spoletanum bellum attinent, ita incongruè ac mutilatè refert, ut ab iis civibus irrogata Cæsari injuria absque ullo prævio diffidii rumore, stultè omnino inconditèque videatur. Nihilominus ex Frisingensi dilucidè novimus irritatum Imperatorem contra ipsos ob fraudatam pecuniam, & detentum injuriosè Legatum suum, Comitem Guidonem cognomento Guerram, eorundem Urbi exercitum admovisse, ac tunc solummodo Cives occurrendum Imperatori putantes, extra Urbem cum Fundibulariis, & Sagittariis egressos, quos poterant percussisse. Hæc, quæ ex tantæ auctoritatis Scriptoribus constant, simul adnotanda censui, ut Lectorem monerem, non multùm Morenæ credendum in rebus hujusmodi, quæ acta sunt, longè illo posito, eique ex aliorum tantummodo fallaci narratione innotuere. Certè nec Sigonius, nec Calchus in hisce describendis, Morenæ vestigiis inhæsere.

EX CODICE AMBROSIANO.

ipsam civitatem cum ipsis hominibus cepit, ac Imperatoris exercitus primùm eam spolians, postea totam combussit, Cives verò ipsius civitatis qui capti fuerant in tentoriis ligatos deduxit, sed Imperator ipse pius ac misericors existens, postea fœdus cum ipsis iniit (1), & multâ pecuniâ ab eis sibi præstitâ captos abire, civitatemque intrare permisit.

Imperator namque inde discedens, ac iter suum pacificè faciens, cùm Veronam appropinquasset, indeque humiliter (2) pertransire voluisset, Veronenses quidem qui jam ipsorum malâ fortunâ cum Mediolanensibus convenerant, ac pecuniam ab ipsis, ut Imperatori obstarent acceperant, (3) extra civitatem armati exeuntes, in via, per quam exercitus Imperatoris transire debebat, Imperatori se obviam posuerunt; ac ipsi viam, ut inde non progrederetur vetare voluerunt (4). Imperator itaque & omnis exercitus ejus valde ira commoti, arma robustè ceperunt, ac super Veronenses acriter irruentes fortiter cum eis pugnaverunt (5). Veronenses equidem Imperatoris viribus resistere non valentes, tandem terga verterunt. Imperator itaque ipsos valde persequens ex eis ferè mille cepit, & nasos cum omnibus labris plus de ducentibus, (*) Veronensibus scapellavit. Item ultra ducentos etiam ex ipsis Veronensibus in arboribus, quæ ibi aderant, suspendit (6), reliquos verò captos in tentoriis deducens, eos firmiter catenis alligavit; ceteri namque Veronenses omnes, qui in civitate remanserant maximè perterriti, statim fœdus cum Imperatore inierunt, ac magnam pecuniam ipsi Imperatori tribuentes suos, qui capti fuerant, de carcere liberaverunt. Deinde hoc peracto Imperator in Alamaniam (**) discessit (7).

In-

EX EDITO AB OSIO.

Post hæc verò Imperator inde discedens, ac iter suum faciens, dum Veronam appropinquasset, indeque humiliter pertransire vellet; Veronenses, qui eorum mala fortuna cum Mediolanensibus jam convenerant, & pecuniam ab ipsis, ut Imperatori obstarent, acceperant; extra Civitatem venientes armati in viam, per quam transiturus erat Exercitus Imperatoris, obviam ei se ponentes, ne inde transiret, prohibere voluerunt. Imperator autem, & omnis ejus Exercitus ira commoti arma robustè ceperunt, & super Veronenses acriter irruentes, fortiter cum eis pugnaverunt: qui Imperatoris viribus nequientes resistere, in fugam turpiter sunt conversi. Imperator verò ipsos acriter persequens, ex eis cepit ferè mille: quorum ducentis nasum cum labiis amputavit, & totidem, & plures in arboribus suspendit; cæteros verò captos in tentoria ducens catenis firmiter alligavit: cæteri verò Veronenses, qui in Civitate remanserant, maximo timore perterriti, mox cum Imperatore fœdus inierunt, & e magnam pecuniam tribuentes, captivos de carcere liberaverunt; quo pacto Imperator inde discedens in Alemaniam est profectus.

In-

---

(1) Etiam hujus fœderis cum Spoleti Civibus tam celeriter initi nullum apud cæteros illius ævi scriptores indicium.

(2) Benè Corius hoc verbum Italicè reddens scribit *absque ulla molestia*.

(3) Ad cumulandam acriùs contra Mediolanenses invidiam, ex Morenæ in ipsos livore hoc benignè additum crediderim; Frisingensis enim & Fridericus Imperator, quibus summopere interèrat novum hoc perfidiæ Mediolanensis tentamentum prodere, ut justa contra eosdem Cæsaris ira vividiùs posteris commendaretur, de hujusmodi Civium nostrorum instigatione prorsus siluere. Sigonius verò aliam omnino caussam assignat, inquiens. *Odio adversùs Fredericum ardebant* (Veronenses) *quem de jure suo nihil concessurum esse cernebant*.

(4) Aliter rem enarrat Frisingensis. Non enim armatos Veronenses Urbe egressos esse ait, ut Cæsari transitum prohiberent; immo ut transiret, pontem ad fluvium Athesim construxisse, *sed ex ligamentorum tenaculis tam debilem, ut Muscipulam potiùs quàm pontem diceres*. Eos verò qui in Alpium faucibus iter obstruxerant, Frisingensis, & Otto à S. Blasio *Latrones*, *& Latrunculos*, appellànt, qui deprædandi caussa frequentes confluxerant sub Duce Alberico Equite Veronensi, seque in saxo Athesi imminente, veluti secura in arce firmaverant, inclamantes *Imperatorem numquam transiturum nisi à singulis equitibus loricam, vel equum haberent, & insuper non modicam pecuniam à Principe*. At huic perditorum hominum conspirationi nullam se manum præstitisse Veronenses Cives professi sunt, cùm solemnem legationem per ipsum urbis suæ Episcopum ad Cæsarem Ratisponam misere, ut tanti sceleris labem à se ipsis amoverent, teste eodem Frisingensi; quod certè insulsum fuisset, si ipsi *extra Civitatem venientes armati in viam, ne inde transiret probibere tentassent*.

(5) Perspectis hujusmodi insidiis, & missis per ignotos inviosque calles montium militibus, viam aperientibus viris duobus ex præcipua Veronensium nobilitate, quos secum in comitatu habebat, eos ex improviso ita adortus est Cæsar, ut pavidos fugientesque in præceps adegerit. Ita Frising. cap. 25. qui fusè hæc prosequitur.

(*) *Legendum* ducentis.

(6) Mirum mihi valde est quod hoc loco narrat Morena. Duodecim enim tantummodo illorum captos cum Alberico, & suspendio addictos, uno dimisso, qui alios illaquearet, tradunt Fridericus ipse, Frising. & Otto de S. Blasio. Reliquos in præceps dejectos, aut obtruncatos, eorumque cadavera in cumulos acta in ipsa via, ut transeuntibus temeritatis suæ præberent documenta, scribit idem Frising. subdens: *fuerunt autem, ut dicitur, fermè quingenti*. Testimonia hæc summæ auctoritatis componere cum Morenæ dictis nititur Osius inquiens, *ex plebe quidem quamplurimos in arboribus suspensos, ex nobilibus verò undecim tantùm*. Attamen quis facilè credat præteriri silentio potuisse ab antiquis Scriptoribus, Frisingensi præcipuè, tam insigne Cæsareæ vindictæ exemplum, etsi ex plebe fuissent, qui tam frequentes in arboribus pependissent, tantoque numero fœdum sui fecissent spectaculum nasi, & labrorum mutilatione? Lector de his judicet.

(**) *Alter Cod. MS. addit* statim.

(7) Non antequam Italia discederet, sed postquam Germaniæ restitutus Ratisponæ Curiam celebraret, Veronenses in gratiam recepti à Cæsare sunt, soluta ingenti pecunia, & lege ipsis data, ut contra Mediolanenses exercitum ducerent. Testis est Frisingen. qui supplicem Episcopi Veronensis orationem, ut Civibus suis propitium Imperatorem redderet, integram recitat Cap. 28.

EX CODICE AMBROSIANO.

Interea Mediolanenses maximam guerram cum Papiensibus facientes, accidit, quòd Mediolanensium equites & pedites per commune ultra Ticinum ad deguastandum Lumellinam (8) perrexere. Papienses verò è contra ivere; cùm autem Mediolanenses redierant, (9) Papienses super eos irruentes, maximumque prœlium inter se inientes multi equites ex utraque parte interfecti, plurimi etiam capti, & retenti fuerunt. Tandem Papienses quia multo pauciores quàm Mediolanenses fuerant, resistere non valentes usque ad Vigenali (10) castrum, semper tamen se defendentes fugêre, ac intus se recipientes obstitere. At Mediolanenses circa ipsum castrum venientes, per tres dies (11) eum obsiderunt. Tandem, quia in ipso loco Papienses rerum comedendarum maximam habebant inopiam, fœdus cum Mediolanensibus inierunt, (12) quamvis ipsi Mediolanenses iniquè postea in ipso fœdere versati sunt (13); hoc autem contigit anno millesimo centesimo quinquagesimo septimo, mense Junii, Indictione quinta. Mediolanenses igitur, cùm omnia prospera tunc eis accidebant, & ipsi magis ac magis super Laudenses opprimendos exardebant, idcirco maximè, quia eos in personis & rebus augere cernebant. Inter cetera denique terribilia alia mala, quæ Mediolanenses sæpe ac sæpiùs Laudensibus intulerunt, unum tam pessimum atque horribile super eos induxerant, quòd nullum tam nefarium, ac detestabile inter Christianos ampliùs factum fore à sæculo nusquam est auditum (14). Præceperunt namque ipsi Mediolanenses publicè in ipsorum concione, quòd nullus scilicet Laudensium hominum deinceps terram suam propriam, & quam pater, ac etiam eorum avus emerat, & ipsis dimiserat, & per sexaginta annos & etiam ultra quietè possederant, in qua nullam rationem, nullumque jus se habere dicebant, sinè consilio & parabola Mediolanensium Consulum deinde in antea nullatenus venderet, nec alio aliquo modo in alium transferret, alioquin qui contra hoc præceptum agerent, tam emptor, quàm venditor utrinque ipsi & eorum res in bannum publicè forent, & insuper etiam venditore pretio carente emptor ipsam rem amitteret, & quod deterius fuerat, pretium & res communi de Mediolano deveniret; his autem à Laudensibus auditis, quamvis valde, ut de tam detestabili re esse poterant, mœsti fuere, tamen ipsi ex bono optimoque servitio, Mediolanenses vincere se posse putantes, nihilomi-

EX EDITO AB OSIO.

Interea dum Mediolanenses maximam guerram facerent cum Papiensibus, ipsorum Mediolanensium equites, & pedites pro commune ultra Ticinum ad devastandam Lumellinam perrexerunt: quibus venerunt obviam Papienses; tunc verò volentibus Mediolanensibus, Papienses super eos irruerunt, maximumque cum ipsis prælium commiserunt; in quo prælio utriusque partis multi equites fuerunt interfecti, multique capti, & retenti, denique Papienses, qui multo pauciores Mediolanensibus erant, bellum tam grave sustinere non valentes, usque ad Castrum Viglevani fugerunt, semper tamen, prout melius poterant, se defendendo: ubi se colligentes viriliter Mediolanensibus obstiterunt; & Mediolanenses ad ipsum Castrum venientes, & illud obsidentes, manserunt per tres dies circa illud: tandem, quia Papienses ibi victualium maximam patiebantur inopiam, fœdus cum Mediolanensibus coierunt, iniquè tamen postea in ipso fœdere sunt versati. Hoc autem contigit anno Domini MCLVII. de mense Junii Indictione quinta.

Mediolanenses igitur, quia tunc temporis eis cuncta prospera accidebant, super opprimendos Laudenses nimium .... videntes illos multiplicari quotidie in personis, & in rebus pariter; Inter enim cætera mala, quæ ipsi Mediolanenses Laudensibus intulerunt, hoc terribile, & iniquum, atque in sæculo inauditum induxerunt noviter super eos .... præceperunt enim publicè in ipsorum concione, quod nullus hominum Laudensium terram suam propriam, & quam pater, seu avus ejus dimiserat, & per LX. annos, & etiam ultra quietè possiderat, deinceps sine consilio, & licentia Consulum Mediolani aliquatenus venderet, nec aliquo alio modo in alium transferre præsumeret, contra quod præceptum si quis faceret, tàm emptor, quàm venditor in bannum publicum poneretur; & insuper etiam, venditore pretio carente, emptor rem ipsam amitteret; & quod deterius erat, pretium, & res vendita in fiscum Mediolanensium pervenirent. Hoc autem audientes ipsi Laudenses, quamvis de re tam gravi valdè dolerent, putantes tamen se magis servitiis posse vincere Mediolanenses, nihilominus postea eis plurimum servierunt. Aliud quoque nimis detestabile statuerunt super ipsos Laudenses, videlicet, quod quicunque inveniret aliquem Laudensem, qui extra Laudem ad habitandum exiret, vel aliquid de rebus suis aliò deferret, ipsum capere, & omnia ejus bona auferre posset; & insuper Laudensis, qui de-

(8) Regionem frugibus adeò feracem, ut Lombardiæ horreum appelletur.

(9) Insigne mendum sui codicis in quo legitur *volentibus &c.* ex nostro hìc corrigit. *Osius*.

(10) Lege *Viglevani*. Fallitur autem Osius qui in notis tradit donatam illam urbem Episcopali infula à Sixto IV. Pont. Max. Decus enim hoc debet Clementi VII. qui Francisci II. Ducis Mediolani precibus benignè indulgens eam Episcopali dignitate auxit diplomate expedito anno MDXXIX. 17. Cal. Aprilis, quod in quartum Italiæ suæ sacræ volumen intulit Ughellus.

(11) Expugnatum à Mediolanensibus hoc castrum ac funditus eversum, plures tradunt scriptores ad hunc annum, Urspergensis, Bossius, Sigonius.

(12) De hoc fœdere Sigonius nihil; quin immò continuatum asperrimum bellum scribit, & ad ipsam Papiæ urbem admotum Mediolanensium exercitum, tanto Papiensium terrore, ut impares se rati (ob recentem præcipuè cladem) ferendæ obsidioni, ultro se illis dederint, duris etiam acceptis conditionibus, quas ipse recitat.

(13) Contrarium scribit Calchus, qui de hoc fœdere apud Viglevanum inito loquens ad annum MCLVII. narrare prosequitur eam pacem minimè diuturnam fuisse, *occasionem belli quærente Papiense, qui nec exequi declarata per Guintelmum arbitrum voluit, & Cremonensem in auxilium suum excitavit*. Sed Morena in invidiam contra Mediolanenses pronus, eos ubique sceleris reos facit.

(14) Mitioribus verbis compacta est hæc periodus in Osii codice. Utrobique tamen se ipsum prodit acerrimus livor Morenæ in Cives nostros, cujus in hoc uno tantùm facundus est calamus, ut exosos posteritati reddat Mediolanenses; An verò tam immiti objurgatione dignum sit crimen, quod narratur, Lector expendet.

EX CODICE AMBROSIANO.

minus eis etiam postea serviere. Præterea quoque aliud nefandissimum jus insuper Mediolanenses super Laudenses statuêre, hoc videlicet, ut si quis aliquem ex Laudensibus inveniret qui extra Laudam ad habitandum exiret, aut aliquid ex suis rebus alibi deferret, quòd omnis quicumque eos inveniret eos caperet, & omnia eorum bona auferret, ac deinde suum proprium foret; & insuper etiam Laudensis qui deferebat in banno eorum publico, ipse & omnis res ipsius forent; propter quam etiam occasionem sceleratissimam, ipsi Mediolanenses plus de trecentis libris valentia Laudensibus abstulerunt.

Insuper etiam in sequenti mense Novembri ejusdem supradicti anni de Indictione sexta, (15) Mediolanensium Consules Laudæ venientes ipsis Laudensibus fodrum (16) petierunt, & nisi eis darent in bannum eos publicè posuerunt, & insuper etiam omnes illos, qui dare recusarent, sinè ulla spe recuperationis de terra se dejecturos fore spoponderunt, Laudenses verò eorum bannum & minas valde timentes, ac eorum nequitiam super ipsos quacumque possent arte, vel occasione libenter exercere se velle scientes, valde pertimuerunt, & per diversas terras multi ex ipsis statim fugerunt. Illi autem qui steterunt quamvis nolentes, dolentes tamen pernimium, quòd cùm gentiles fuerant cives, ipsum fodrum sicut pessimi villani timore Mediolanensium ipsi tribuerent; illis verò, qui dare recusaverunt, Mediolanenses perfidiam eorum exercentes in domibus eorum introëuntes, ac ipsos omnes expoliantes, & omnem mobiliam, quam portare potuerunt auferentes, vinum etiam eorum per terram effuderunt, & eos de terra penitus dejecerunt.

His itaque sic peractis Mediolanensium Consules iterum in millesimo centesimo quinquagesimo octavo anno, in Januarii mense, Laudæ venientes, ipsis Laudensibus dixerunt, quatenus ipsi omnes à quindecim annis supra, & usque ad centum sinè ullo tenore (17) sub illis stare, & omnia eorum præcepta attendere jurarent de quibuscumque causis, vel rebus ipsi eis præciperent. Laudenses verò maximo timore perterriti, videntes etiam & cognoscentes illos occasionem illis quærere, quatenus ab eorum amicitia recedere sinè ignominia possent, ac eos de Terra ejicere, & omnia eorum bona, ut ex post facto apparuit eis auferre. Tandem quasi exanimes facti eis respondere se velle cum sapientibus de Laude inde consilium habere; cùmque verò Laudenses inde consilium habuissent, Mediolanensium Consulibus responderunt: se velle jurare stare in eorum præcepto, & omnia facere, & attendere quæcumque eis de quibuscumque causis præciperent, salva tantummodo fidelitate Domni Frederici Imperatoris, quam ipsi Laudenses per consensum & parabolam Mediolanensium Consulum jamdudum ei fecerant. Mediolanensium autem Consules prædictum sacramentum sic recipere se recusantes, & hoc verbum, scilicet *salva Imperatoris fidelitate* in ipso sacramento ponere eos non dimittentes, dicentes etiam, & omnimodo minantes, quòd nisi ipsum sacramentum eis sinè ullo

(15) Incœpta Septembri mense.

(16) Vox notissima, qua Annona militaris, seu tributum pro victu militum, & equorum designatur.

EX EDITO AB OSIO.

deferebat, & omnes ejus res in publico banno essent: propter quam occasionem ipsi Mediolanenses bona plus tercentas auri libras valentia ipsis Laudensibus abstulerunt.

In sequenti verò mense Novembris anni prædicti indictione sexta Mediolanenses Consules Laudam venerunt, & fodrum ipsis Laudensibus petierunt; minantes eis, quod nisi darent, ipsos in publicum bannum ponerent, & insuper accusantes de terra ejicerent, sine spe aliqua redeundi. Laudenses autem eorum bannum, & minas valdè timentes, ac eorum adventum, ac malam voluntatem scientes, adeo perterriti sunt, quod statim plures eorum de Laude recedentes per diversas terras postea sunt vagati. Qui autem ibi remanserunt, quamvis dolentes nimium, quia veteres, & nobiles Lombardiæ cives se existimabant; eis ipsum fodrum denegare Mediolanensium timore non sunt ausi: quod si qui fortè dare recusarent, eorum domos intrantes, ipsos expoliabant, auferentes inde omnem mobiliam, quam poterant, & vinum ipsorum per terram effundentes, eos de terra penitus ejiciebant. His itaque sic peractis, Mediolani Consules iterum anno MCLVIII. mense Januarii Laudam venientes dixerunt ipsis Laudensibus; quatenus omnes eorum à quindecim annis supra usque ad centum absque ullo timore jurarent stare sub ipsis, & eorum præcepta omnia observare: Laudenses verò inde maximo timore perterriti, cognoscentes, illos occasiones adversum eos quærere, quibus ab eorum amicitia possent sine ignominia recedere, eosque de terra sua ejicere, ac ipsos bonis suis expoliare, quasi exanimes sunt effecti. Tandem dixerunt eis, se super hoc velle habere consilium cum sapientibus de Laude, & eis cum ipsorum consilio respondere. Cumque Laudenses super hoc consilium habuissent, Consulibus Mediolanensibus respondere, se velle jurare, stare præceptis eorum, & quæcunque sibi præciperent, observare: salva tantummodo fidelitate Domini Federici Imperatoris, quam ei jamdudum fecerunt ipsorum Mediolanensium parabola, & consensu. Mediolanenses autem prædictum Sacramentum cum illa conditione, scilicet, salva Imperatoris fidelitate, recipere nullatenus voluerunt; sed graviter eis minantes dixerunt; quod nisi ipsum Sacramentum absque ullo tenore facerent, eos in bannum publicè ponerent, ac eos de terra ejicerent, & omnia sua bona eis auferrent. His autem dictis Mediolanum sunt reversi. Consules itaque Laudenses accipientes dictum Lanfrancum Laudensem Episcopum, & alterum Dominum Lanfrancum Ecclesiæ Majoris Præpositum, & alios omnes Præpositos, & Abbates, & Presbyteros de Laude, una pluribus sexaginta sapientibus de Laude, nec non & Dominum Abbatem Clara-

(17) Mendosè in Osii codice *absque ullo timore*.

EX CODICE AMBROSIANO.

ullo tenore facerent quòd ipsi eos in bannum publicè ponerent, ac eos de terra ejicerent, & omnia eorum bona eis auferrent. His autem dictis Mediolanum reversi sunt, Consules itaque Laudenses Domnum Lanfrancum Laudensem Episcopum, & item Domnum Lanfrancum Majoris Ecclesiæ Præpositum, nec non etiam alios omnes Præpositos, & Abbates, & Presbyteros de Laude, & unà cum plus de sexaginta Majoribus & Sapientibus Laudensibus accipientes, tollentesque etiam Dominum Caravallensem (18) Abbatem de Ceredo, (19) & D. Albertum Priorem de Pontia, (20) & unà cum Domino tunc temporis circa (21) de Dugnea, (22) hos omnes prædictos secum Mediolanum deduxerunt, & in Palatio Domni Uberti Mediolanensis Archiepiscopi ante ipsum Archiepiscopum, & omnes Mediolanensium Consules, ac quamplurimos alios Mediolanensium Consules & Cives, tam majores, quàm minores, omnes prædicti Laudenses, tam Clerici, quàm etiam laici venientes, (23) jam dicti Archiepiscopi, ac prædictorum Mediolanensium Consulum flendo se prosternentes deprecati eos fuere, quatenus ipsos dejurare non cogerent, dicentes ac promittentes se omnino paratos omnibus eorum præceptis stare & obedire, dum tamen se non dejerarent, recordantes etiam eis quatenus bene scirent, quòd ipsi fidelitatem Imperatori eorum præcepto jam fecerant, & si ipsis in omnibus se parêre jurarent, & Imperatoris fidelitatem, quam priùs juraverant, non anteponerent, quòd ipsi dejerarent, & propterea interfici, ac omnia sua bona jure amittere deberent. Archiepiscopus itaque & Laudensis Episcopus, prædictus quoque Caravallensis Abbas, & Prior de Pontia unà cum prædicta circa (24) de Dugnea omnes unanimiter prædictos Mediolanensium Consules deprecantes, & ammonentes ut Laudenses omnes prospicerent, & quod eis facere volebant, quia satis fuerat libenter acciperent.

Po-

EX EDITO AB OSIO.

ravallensem, & Dominum Abbatem de Cereto, & Dominum Albertum de Pontia Priorem, cum D. tunc temporis de Climea, venere Mediolanum cum eis. Quibus omnibus existentibus in Palatio Domini Uberti de Pirovano Mediolanensis Archiepiscopi, prædicti Laudenses, tam Clerici, quàm laici se pedibus dicti Archiepiscopi, & omnium Consulum Mediolani, ac quamplurimorum aliorum Mediolanensium civium tam majorum, quàm minorum flendo amarissimè prostraverunt; deprecantes eos omnes suppliciter, quatenus ipsos non cogerent perjurare; dicentes, & promittentes, se animo paratos esse stare, & obedire omnibus eorum præceptis; dum tamen perjurium non committant; & recordantes eis, quomodo, sicut benè sciebant, ipsi Laudenses Imperatori fidelitatem juraverant, requisita prius ab eis de hoc licentia, & concessa, dicebant, quod si ipsi prædictum juramentum facerent, & Imperatoris fidelitatem, quam prius juraverant, non anteponerent; ipsi dejerarent, & postea interfecti, & omnia bona sua perdere mererentur. Archiepiscopus itaque, & Episcopus Laudensis unà cum prædicto Abbate de Claravalle, & Priore de Pontia, & Domino de Climea omnes unanimiter rogaverunt, & admonuerunt prædictos Mediolanenses, quatenus ab infestatione Laudensium cessarent; & quod eis volebant facere, libenter acciperent, quia sibi sufficiens videbatur. Sed neque preces, vel lacrymæ aliquid profuerunt. Quare prædicti Laudenses cognoscentes, quod sic apud ipsos Mediolanenses nihil proficerent, Laudam cum magno dolore reversi sunt.

In-

(18) Ita legendum, non *Clarevallensem*, ut in Osii codice. Id enim evincunt documenta & inscriptiones antiquæ apud Puricellum in mon. Bas. Ambr. num. 383. Distat hoc Cœnobium quarto lapide à nostra urbe.

(19) Meliùs in Osii codice; *& Dominum Abbatem de Cereto*. Hunc enim cum Carevallensi confundit noster. Cœnobium istud *de Ceredo*, seu *Cereto* Cistercienfis Ordinis floret adhuc ad Abduam in agro Laudensi, è regione Cremæ prope Cavenacum pagum.

(20) Nunc *Pontida*. De hoc Cœnobio agri Bergomensis ultra Abduam nonnulla tradidi tomo V. hujus Collectionis in notis ad Landulphum de S. Paulo fol. 494. Hic tantummodo adverto malè ab Osio narrari in notis, Sanctum Bernardum impetrasse à Mediolani Consulibus & Senatu, ut ejusdem Cœnobii prædia & villas immunes esse juberent, eaque de re Privilegium retulisse, cui inter cæteros Principes Viros & Rectores urbis subscripsit Ubertus Osius &c. Privilegium siquidem istud datum est anno MCXIX. testibus Corio, Calcho, & Ripamontio, quo anno S. Bernardus admodum juvenis nondum sanctitate ac miraculis claruerat, nec Galliæ fines excesserat, Mediolanum prima vice missus ab Innocentio II. anno MCXXXIV. Præterea non Cistercienfis Ordinis, sed Cluniacensis Cœnobium illud tunc erat. Alius itaque Bernardus Monachus ille fuit, quem Osius, aliique cum S. Bernardo Claræuallensi Abbate perperam confudere.

(21) In altero MSto Bibliothecæ Ambrosianæ legitur *Arca*. In Osii codice utraque hæc vox deest. Legendum tamen proculdubio *Circa*; Id enim nomen erat Officii in Ecclesiis Cathedralibus, in quibus vigilias, seu excubias agere debebant, qui eodem fungebantur. Dignitatem in Ecclesia Metensi fuisse tradit Ducangius ex Meurissio V. *Circator*. Visitatores etiam Monasteriorum aut Diœceseon eo nomine indicari docent Concilia & Chronica apud eundem. In Ecclesia Laudensi munus hoc non modicæ auctoritatis ac splendoris esse tunc debuit, si una cum Episcopo ac præcipuis viris Legationem ad Consules Mediolanenses suscepit vir ille, ab officio tantummodo notus, & *Domini* titulo a Morena insignitus; nisi fortè quis velit alterius ex iis Cœnobiis, aut Diœcesis *Visitatorem* illum fuisse.

(22) Fortasse loco illo Mediolanensis agri, qui nunc *Dugnanum* appellatur. Osius legit *de Climea*, corruptè tamen, ut arbitror.

(23) Deest *se pedibus jam dicti Archiepiscopi*, quod in Osii codice legitur.

(24) Nomen officii ipsius, quod vigilias, seu excubias significat, Italis, *Cerca* a circumeundo. Id autem in Metropolitano Mediolanensi Templo adhuc in usu est, cùm duodecim Clerici vulgò *Ostiarii* appellati, qui eidem inserviunt, ineunte qualibet nocte, veluti in aciem dispositi, ac cereo muniti, idem maximum Templum circumeunt, explorantque an quis insidiosè ibidem per tenebras delitescat; quatuor verò ex illis nocte reliqua excubias agunt, partim in Templo ipso, ac partim in Cimeliarchio.

EX CODICE AMBROSIANO.

Postremò quid dicam, vel quid in prolixo sermone moram faciam, nisi quòd neque preces neque lachrymæ aliquid unquam proficere potuerunt; sicque Laudenses omnes valde mæsti reversi fuerunt Laudæ.

Interea duo Cardinales quidem Romanæ Sedis Legati (25), videlicet D. Arditio da Rivoltella (26), & D. Otto de Brixia (27) Laudæ venerunt, ad quorum pedes Laudenses prostrati, quatenus Mediolanenses rogarent, ne propter tam nefariam ac detestabilem rem, ad perjurium perpetrandum non cogerent, valde eos deprecati fuere; recitantes itaque ejus causam, quam Mediolanenses ipsis petebant, & eam etiam quam ipsi videlicet facere volebant, ac rationem, per quam quod illi ab eis exigebant facere, eis recusabant, Cardinales utrique misericordia commoti, ea, quæ audierunt Mediolanenses Laudensibus exigere, valde eis displicuerunt, ac ea, quæ Laudenses Mediolanensibus velle facere audierunt bene eis complacuerunt, habentes etiam pro nihilo, & in maximo detrimento reputantes, quòd tam iniquè, tam indecenter, Mediolanenses erga Laudenses se habebant, quòd Laudenses ad tam iniquum perjurium cogere publicè conabantur; promiserunt namque eis, quòd statim ut Mediolanum pergerent ex toto corde eos rogarent, & si precibus obtemperare noluerint, quòd ex parte Dei, & Domni (28) eis juberent, quatenus ad hoc iniquum perjurium eos nullatenus compellerent, sed si vellent illud sacramentum recipere, quod Laudenses eis facere promiserant, in pace reciperent, dicentes, & quòd illud, quod eis facere promiserant, satìs, imò etiam pernimium fore, cùm Laudenses nullo jure, nullaque ratione nisi per vim ac potestatem Mediolanensium suppositi forent. Hoc itaque peracto, ipsi Cardinales recedentes Mediolanum perrexerunt, rogaveruntque Mediolanenses, ut ad jusjurandum tale Laudenses non cogerent, sed quod ab eis jure illis facere poterant pacificè reciperent. Mediolanenses autem precibus eorum obtemperare nolentes, & illud omnino se facere recusantes, tandem ipsi Cardinales, ne Laudensibus aliquid mali facerent, neve eorum bona injustè, nec etiam sub tali prava, & iniqua occasione ipsis auferrent, omnimodo ex parte Dei, & Rom. Sedis Apostolicæ ipsis Mediolanensibus publicè præceperunt.

Quod ipsi Mediolanenses donec prædicti Car-

EX EDITO AB OSIO.

Interim duo Cardinales Romanæ Sedis Legati, videlicet D. Arditio de Rivoltella, & D. Otho de Brixia Laudem venerunt: ad quorum pedes prostrati Laudenses eos valdè deprecati sunt, quatenus Mediolanenses rogarent, nè ipsos cogerent ad prædictum perjurium faciendum; recitantes eis ea, quæ ipsi Mediolanenses ab eis requirebant, & quæ eis facere volebant, & causam, quare prædictum Sacramentum eo modo quo petebant, facere recusabant. Cardinales autem misericordia moti audientes ea, quæ sibi Laudenses de Mediolanensibus retulerunt; & per nimis gravia reputantes ea, quæ Mediolanenses à Laudensibus sibi fieri requirebant, specialiter perjurium suum indecens, & iniquum, promiserunt eis; quod quam citò Mediolani, quo tendebant, essent; statim pro eis ipsos Mediolanenses precarentur, quantum possent; qui si eorum precibus obtemperare nollent, ex parte omnipotentis Dei, & D. PP. ipsis præciperent, quod ipsos Laudenses aliquatenus non compellerent ad hujusmodi perjurium faciendum, sed pacificè reciperent illud Sacramentum à Laudensibus eo modo, quo facere valebant; quia hoc eis non satis solum esse, sed superfluum videbatur; cum Laudenses Mediolanensibus non aliter quam per violentiam subpositi dignoscantur. Post hæc cum Cardinales Mediolanum pervenissent, ipsos Mediolanenses deprecati fuerunt, quatenus Laudenses prædictum perjurium facere non compellerentur; cum hoc non possent facere absque Dei offensa gravi, & ipsorum tam personarum, quàm rerum omnium periculo vehementi; sed potius ab eis pacificè reciperent, quod eisdem de jure facere poterant, & volebant. Mediolanenses verò nec Cardinalium preces exaudire volentes, illud se nolle Laudensibus facere responderunt. Quare ipsi Cardinales eisdem Mediolanensibus ex parte Dei, & Apostolicæ Sedis publicè præceperunt, ne Laudensibus ex tam prava, & iniqua occasione bona sua auferrent, nec quicquam mali eis inferre deberent: & his dictis à Mediolano tamen post multum temporis recesserunt. Mediolanenses verò, donec Cardinales propè Laudam, vel Mediolanum fuere, præcepta ipsorum, quæ sibi de Laudensibus fecerunt, optimè servaverunt.

(25) A latere, missi ab Adriano IV. ad componendos firma pace atque concordia dissidentes inter se Langobardos, ut Baronius testatur.

(26) Nobilis Mediolanensis, ab Adriano IV. creatus Card. Diaconus S. Theodori anno 1154. Hunc eundem esse cum Ardicione I. Episcopo Comensi scribit Osius in notis ad hunc locum. Diversum omnino fuisse asserit Augustinus Oldoinus tomo I. Hist. Rom. Pontif. col. 1065., duos statuens hujus nominis Cardinales, alterum ab Eugenio III. anno 1145. alterum ab Adriano IV. anno supradicto ea dignitate donatos. Primum verò ait Comensi Ecclesiæ præfuisse; Secundo demandatam hanc Langobardicam legationem, quod mihi etiam credibilius videtur. Ardicionem siquidem Comensem Episcopum, Cardinalem fuisse nondum liquidò constat, cùm nec Ughellus hoc asserat, nec in documento Concordiæ inter Eugenium III. & Fridericum I. alio, quàm Episcopi titulo se subscribat, aut aliter à Friderico ipso in gemino diplomate ad eundem dato apud Ughellum nominetur.

(27) Etiam hìc ab Oldoino dissidet Osius; ait enim hunc Ottonem fuisse Cardinalem *S. Georgii in Velabro*; Oldoinus verò qui duos Ottones Cardinales recenset eodem tempore viventes, alterum *S. Georgii in Velabro* ab Innocentio II. anno 1130. creatum, alterum *S. Nicolai in carcere* ab Eugenio III. anno 1145. sacro adscriptum Collegio, hunc postremum asserit Legatum ab Adriano IV. ad Langobardos missum. Consentit Bernardinus Faynus in nomenclatura Cardinalium Brixiensium, sed ut difficultate se expediat, vocat eum *Cardinalem S. Nicolai in carcere, vel S. Georgii in Velabro*.

(28) In codice Osii additur *D. PP.* idest *Domini Papæ*, quod optimè congruit cum iis, quæ paulò infra leguntur, *ex parte Dei, & Rom. Sedis Apostolicæ*.

EX CODICE AMBROSIANO.

Cardinales prope Laudæ vel Mediolanum fuerunt, unicè observaverunt. Cardinalibus verò à longè recedentibus, statim in sequenti proximo die Martis Sancti (29), in quo omnes homines, mortui (30) etiam, requiescere & bene habere debebant, omnes Laudenses palàm in bannum posuerunt, nisi deinde in antea usque ad proximum diem Jovis post Pascha juravissent omnes quòd sinè ullo tenore starent, & obedirent omnibus illis præceptis, quæcumque ipsi eis facerent.

Laudenses verò hoc audito maximo perterriti timore, quid dicerent, quidve facerent ignorantes, cùm illud tale jusjurandum facere nolebant, scientes etiam quòd nisi ipsum subirent, Mediolanenses eos de terra expellere, & omnia eorum bona eis rapere. Tandem ipsi Laudenses ex necessitate consilium reperientes, ac Deum Omnipotentem omnibus suis personis & bonis proponentes, ac ipsum Deum magìs quàm Mediolanenses timentes, illud nefandissimum sacramentum omnino facere recusaverunt. Proximo itaque Mercurii die post Pascha veniente, Mediolanenses non expectantes prædictum diem Jovis, in quo fuerat terminus banni, cum carris & bovibus & equis, atque saculis Laudæ venerunt, & summa vi in Laudensium domibus, illis præsentibus, & videntibus, & contradicere non audentibus, sed quasi dolore morientibus, intrantes, equos, & blavam, atque vinum, aliamque omnem etiam eorum mobiliam sinè ulla ratione abstulerunt; insuper eis graviter etiam minantes, & summa admiratione jurantes, ut si ipsi ibi morarentur, ac citò à conspectu eorum non recederent, quòd ipsi eos omnes masculos & fœminas, parvulosque etiam, qui in cunabulis adhuc jacebant sinè dubio interficerent. Laudenses itaque hoc videntes, & audientes, scientes etiam corda eorum penitus adversùs eos indurata fore, timentes carcerem, & quod etiam deterius est, quam minabantur, mortem, magìs corpora, & eorum animas, quàm divitias sibi conservare proposuerunt.

In sequenti proximo die Jovis, qui fuit in millesimo centesimo quinquagesimo octavo ab Incarnatione Domini Anno, cùm Sol ad occasum jam fuisset, omnes Laudenses masculi, & fœminæ tam parvuli, quàm etiam majores relictis eorum domibus, ac omnibus aliis suis rebus, januas ipsarum domuum suarum post se claudentes solis canibus & gatis (31) in domibus ipsorum pro custodibus relictis, unanimiter ad Picighitonis castrum, quod est intra Abduam & Serium positum, per totam noctem confugerunt. Sed qui tunc videret mulieres de parvulis suis sive unum in collum, alium in brachiis suis deferentes, aliosque ad vestimentorum suorum gaidas (32) se tenentes, cæterosque etiam post eas ire lugentes, ipsas etiam sæpe & sæpiùs cum ipsis suis infantulis quan-

EX EDITO AB OSIO.

runt. Cum autem Cardinales inde longè recessissent, Mediolanenses statim in sequenti proximo die Martis Sancto, in quo etiam pravi homines à malis operibus solent desistere, omnes Laudenses posuerunt in bannum, nisi ab ipso die Martis Sancti usque ad proximum diem Jovis post Pascha juravissent omnes simpliciter, nulla conditione interposita, suis præceptis omnibus obedire. Laudenses verò hoc audito, cum illud juramentum non vellent aliquatenus facere, quid dicerent, quidve agerent, penitus ignorabant. Sciebant enim, quod nisi illud facerent, Mediolanenses eos de terra expellerent, & eorum bona omnia raperent festinanter. Denique cum undique sibi adessent tristitiæ, nec in hoc scirent, quomodo se haberent, ad Deum mœstorum verum Consilium recurrerunt. Quare ipsum omnipotentem Deum magis, quàm Mediolanenses timentes; ac eum omnibus suis personis, ac rebus præponentes; noluerunt aliquatenus facere illud nefandissimum Sacramentum. Proximo itaque die Mercurii post Pascha Mediolanenses, non expectato prædicto die Jovis, in quo erat terminus banni, cum plaustris, bobus, atque sacculis Laudem venerunt; & violenter Laudensium domos ipsis præsentibus, & videntibus, ac contradicere non audentibus, sed magìs dolore morientibus, intrantes, equis bladum, atque vinum, omnemque aliam eorum mobiliam abstulere, absque aliqua ratione. Insuper etiam graviter eis minati sunt, summa adjuratione firmantes; quod si ipsi ibi morarentur, immò non citò ab eorum conspectu recederent; eos omnes tam masculos, quàm fœminas, & etiam parvulos adhuc in cunabulis jacentes absque dubio interficerent. Laudenses verò hæc audientes, & scientes ipsorum corda adversus se graviter indurata, timentes carcerem, & quod deterius est, mortem, quam minabantur; proposuerunt sibi animas, & corpora magis, quàm divitias conservare.

In sequenti die Jovis proximo, qui fuit MCLVIII. ab Incarnatione Domini, cum Sol jam ad occasum esset, omnes Laudenses masculi, & fœminæ tam magni, quàm parvi, relictis eorum domibus, & omnibus aliis suis rebus, januas suarum domorum claudentes, solis canibus, ac gattis ibi relictis, ad Pizighitonis Castrum, quòd est inter Abduam, & Serium, per totam noctem unanimiter fugerunt. Sed qui tunc vidissent mulieres parvulorum suorum alium in collo, alium in brachiis suis deferentes; aliosque ad gaydes vestium suarum se tenentes, cæterosque post eas ire lugentes; ipsas etiam sæpissime cum ipsis infantulis in fossata cadentes; grandesque capitaneos, ac eorum uxores, qui non habentes equos peditabant, prout melius poterant, multique ex ipsis in fossata

(29) Nempe XV. Aprilis.

(30) Intelligendum hunc Morenæ locum putarem de *mortuis gratiæ*, idest *peccatoribus*. Id enim satis clarè colligitur ex diversa lectione textus Osiani, ubi hæc habentur, *in quo etiam pravi homines à malis operibus solent desistere*. Atque hic fortasse lapis offensionis fuit, ad quem incautè impegere Corius & Sigonius, qui diem hunc pro secundo Novembris, omnium fidelium mortuorum commemorationi sacro accepere. Sed præterquam quod dies ille anno MCLVIII. non Martis sed Dominicus erat, anno verò superiore dies Sabbati, contextus ipse Morenæ rem prorsus conficit, cùm asserat diem Jovis proximæ hebdomadæ fuisse post Pascha.

(31) Ita italicè appellantur, qui latinè *Feles*.

(32) Idest fimbrias, seu plicamenta muliebris vestis, quæ ad talos usque descendit, italicè *Ghede*.

EX CODICE AMBROSIANO.

quandoque in ipsa via, quandoque in fossatis cadentes, Capitaneosve (33) grandes, ac eorum uxores, qui equos non habebant, pedibus, prout meliùs poterant, euntes, multosque etiam ex ipsis, quia ipsi in fossatis cum ipsorum uxoribus cadebant, quia nox erat, & etiam pluvebat, vociferantes, numquam tam lætus esse posset, quòd pietate motus, inde mœstus non foret, ac ductus (*) miseria lachrymas non funderet; cùm verò omnes ad Picighitonem pervenissent, non habentes ibi domos, neque alia receptacula, in quibus se recipere possent, cùm locus ipse parvus ad tantam multitudinem recipiendam fuerat, tres familiæ aut quatuor in una parvula domo ibi insimul hospitabantur, atque ibi tam districtè omnes simul habitabant, quòd ferè unus supra alium jacebat. Ex hoc namque tali districto tum ex mutatione terræ, quam mutaverunt, quoniam æstas tunc fuerat (34) partim etiam ex imitatione (**) ciborum, maximè propter aquam, quam ipsi ferè omnes bibebant quotidie, cùm non ex ea bibere, sed ex bono vino soliti fuerant, maxima ipsorum copia tam masculorum, quàm fœminarum, & maximè parvulorum in tantum est perempta, quòd ferè in tota die sepeliri non poterant. Ita etiam quòd apud Ecclesiam ipsius loci terra ad tanta mortuorum cadavera sepelienda non inveniebatur, imò ex hac parte Abduæ (***) ad Sanctum Petrum de Pirolo mortui sepeliendi deferebantur. Multi autem hoc videntes, quia ibi manere non poterant, Cremonæ accesserunt, ibique etiam plerique infirmantes ex hoc seculo cum magno dolore migraverunt. Mediolanenses itaque in ipso die Jovis, in quo Laudenses Laudæ, ut dictum est, recesserunt, in sero Laudæ venientes, omnia suburbia primùm expoliantes in ipsa nocte, & in sequentibus duobus diebus tota exarserunt, posteaque ipsas domos dirupaverunt, ac vites & arbores Laudensium incidentes, hominesque Laudenses, qui adhuc ibi remanserant, capientes, eos in carceres deduxerunt. Præterea in hac eadem æstate Mediolanenses iterum Laudæ redeuntes totas ipsorum Laudensium segetes in Laude, & per totam etiam ferè Laudesanam ad suam utilitatem collegerunt, deinde turres de Montesello, & turrem de Castelione (35), turrem quoque de Sancto Vito, & turrem de Camairago dirupantes, venerunt postremò in campis supra costam de Cavacurta, Laudensesque, qui ad Picighitonem confugerant, unà cum ipsis de Picighitone, & cum paucis equitibus Cremonensium, qui minùs de triginta fuere obviam usque in campos de Salvaterra, Mediolanensibus cum vexillis, & aliis insigniis levatis iverunt.

Mediolanenses igitur & Laudenses in aperto

(33) Eos videlicet, qui ex nobilibus selecti præerant Regionibus aut Portis urbis, ut in Landulpho à S. Paulo adnotavi tomo V. hujus collectionis pag. 512.

(*) *Alter Codex MS.* misericordia.

(34) Dies, quo ab Urbe sua recedere jussi sunt Laudenses, erat primus Jovis post Pascha, idest XXIV. Aprilis, atque ideo veris tempus, non æstatis. Non nisi igitur post aliquot menses ea, quæ hic narrat Morena, accidere.

(**) *Alter Codex MS.* mutatione.

(***) *Alter Codex MS.* adhuc.

EX EDITO AB OSIO.

sata cadebant cum uxoribus suis, vociferantes, quia nox erat, & etiam pluebat, haud quisquam tam lætus esse posset, quin pietate motus mæstus inde non esset, & lacrymas non fudisset compassione ductus. Cum ergo ad Pizighitonem venissent, non habentes ibi domos, nec alia receptacula, in quibus recipi possent, quia locus ille parvus erat ad multitudinem recipiendam; tres familiæ, aut quatuor in una parvula domo ibi insimul hospitabantur; atque ibi ita districtè habitabant, quod ferè unus super alium jacebant. Ex hoc itaque tali districto, & ex molitione terræ, quam mutaverunt, quoniam æstas tunc erat, tum etiam ex ciborum mutatione, & maximè propter aquam, quam ipsi ferè omnes bibebant quotidie, cum non aquam, sed bonum vinum soliti fuissent bibere; maxima ipsorum multitudo tam fœminarum, quàm masculorum, & specialiter parvulorum sic moriebantur, quod ferè in tota die non poterant sepeliri; sicque factum est, quòd terra non inveniretur apud Ecclesiam ipsius loci, ad sepeliendum tot cadavera mortuorum; immò ex hac parte Abduæ apud Sanctum Petrum de Pirolo sepeliendi mortui ferebantur. Multi autem hoc videntes, quia ibi manere non poterant, Cremonam processerunt; ubi eorum quamplures infirmati cum magno dolore de hoc sæculo migraverunt. Mediolanenses itaque in ipso die Jovis, quo Laudenses à Laude, ut dictum est, recesserunt, Laudam venerunt; & primò omnia suburbia spoliantes in ipsa nocte, & in sequentibus duobus diebus totam succenderunt; postea ipsas domos diripuerunt, vites quoque, & arbores Laudensium inciderunt, hominesque Laudenses, qui adhuc ibi remanserant, capientes, eos in carcerem deduxerunt. Præterea in hac eadem æstate Mediolanenses iterum Laudam redeuntes totam eorum segetam in Laude, & per totam etiam ferè Lodesanam ad suam voluntatem collegerunt. Deinde turres de Montessello, & turrem de Castelliono, turremque de Sancto Vito, & turrem de Camairago diripuerunt. Venientibus postremò ipsis Mediolanensibus in Campos supra costam de Cavacurta, obviam eis iverunt cum vexillis, & aliis insignibus levatis usque ad campos de Salvaterra Laudenses, qui ad Pizighitonem fugerunt unà cum ipsis de Pizighitone, & cum forte triginta equitibus Cremonensibus. Mediolanensibus igitur, & Laudensibus in aperto Campo morantibus, & bene se ad invicem prospicientibus, nullo nemore, nullisque vitibus, nullo etiam fossato, aut cosia, nullis arboribus inter utramque partem existentibus, quamvis Laudenses multo pauciores essent, Mediolanenses tamen eos invadere tunc aliquatenus non sunt ausi; sed cum magno timore ad eorum Castra, quæ erant ad Castillionum rediere, deinde Mediolanum reversi sunt.

Hac

(35) Quæ in notis ad hunc locum refert Osius de Castillionea familia, & domo ab Attila primùm direpta, inde ab Ansperto Mediolanensi Antistite reparata, difficilè apud eruditos fidem invenient. Præterea non hoc Castellioni Castrum est, sed alterum apud celebre Varisii Oppidum in Mediolanensi regione, ex quo originem suam trahit nobilis hæc propago, plures enumerans insignes clarosque in historiis viros, atque in præsens etiam ibidem floret.

EX CODICE AMBROSIANO.

to campo morantes, & bene se prospicientes nullo nemore, nullisque vitibus, nullo etiam fossato, aut cesa (36), nullisque arboribus inter utramque partem existentibus, quamvis Laudenses pauciores fuerant, tamen Mediolanenses nullo modo eos tunc invadere ausi fuerunt, sed cum magno timore ad eorum castra, quæ ad Castellionem fuerant redierunt, deinde Mediolanum reversi sunt.

Hac eadem æstate, quæ fuit in MCLVIII. anno in mense Julii (37), vênit tunc Dominus Fredericus Imperator unà cum Rege Boëmiæ, & maxima multitudine Archiepiscoporum, Episcoporum, Ducum, & Marchionum, Comitum, & ceterorum aliorum Principum cum maximo & innumerabili exercitu in Longobardia.

Cùm autem Brixiam appropinquasset, & nullum incommodum Brixiensibus se facere adhuc dispofuisset, nisi fortè quòd ipsorum Scutiferi aliquid comedendi causâ villanis eorum auferebant, sicut in hoste fieri solitum est, nec aliud leviter esse potest, Brixienses pecunia magis, quàm amore Mediolanensium jam corrupti super Scutiferos Regis Boëmiæ, audito,(*) qui primùm, antequam Imperator venerat, irruentes, equos ipsorum abstulerunt, plerosque etiam interfecerunt, aliis vulneratis, pluribusque etiam semivivis relictis fugierunt.

Hoc autem à Rege Boëmiæ audito, valde ira commotus est, ac deinde cœpit ipse & omnis ejus exercitus, qui valde grandis fuerat totum Brixiensem Episcopatum, prout poterant, devastare. Interea namque Imperator cum suo maximo veniens exercitu, ibi in Brixiensi Episcopatu, cum ipso Boëmiæ Rege hospitatus est, ibique per quindecim ferè dies morantes, multa castra, multasque villas, innumerabilia quoque Brixiensium loca dissipaverunt, atque igne cremaverunt, infinitamque prædam Brixiensibus usque prope ipsam civitatem abstulerunt. Tunc verò Brixienses maximè perterriti etiam ne caperentur, statim cum Imperatore pactum inientes (38), quod tunc optavit Imperator fecerunt.

Denique Imperator inde discedens, Mediolanumque se velle ire disponens, cùm ad pontem, qui dicitur de Cassano (1), qui supra

(36) Malè in Osii codice legitur, ipso fatente; *Cosia*. Vulgi autem verbum hoc est, quo indicantur sepes illæ, quæ ad arcenda à vinetis, aut campis armenta, & cives, ne segetes, aut pampinos lædant, spineis utplurimum virgultis contexuntur. Hanc vocem derivatam vult Osius à latino verbo *cædo*, quòd cædi soleant quot annis sepes ne silvescant, aut nimium excrescentes, infestam umbram in vineas agrosque extendant.

(37) Circa Pentecostem extremo mense Majo venisse in Italiam Fridericum Imper. Sigonius tradidit, atque in hac sententia *Osius* quoque est, auctoritate nixus Dodechini, Tritemii, & Octavii Rubei Brixiensis Historici, à quo transmissas ad se schedas ea de re tota in notis ad hunc locum testatur; Tristanus Calchus Morenæ adhæret, statuens adventum Friderici in Italiam circa Julii Calendas. Ego verò adverto mensem Julii adscribi à Morena adventui Friderici *in Lombardiam*, quod facilè conciliari potest cum supradictis aliis Scriptoribus, tempus fortasse adnotantibus, quo primùm Cæsar Italiam attigit, ad nos inde post exactum in itinere mensem deductus.

(38) *Datis LX. vadibus, simulque non modica pecunia*, ut Radevicus loquitur. Hanc ad sexaginta millia Marcharum numeratam tradit Urspergensis.

EX EDITO AB OSIO.

Hac eadem æstate, quæ fuit in MCLVIII. in mense Julii venit Dominus Federicus Imperator unà cum Rege Bohemiæ, maxima multitudine Archiepiscoporum, Episcoporum, Ducum, Marchionum, & Comitum, aliorumque Principum plurium cum maximo, & innumerabili Exercitu in Lombardiam: qui cum venisset, & appropinquasset Brixiæ, & nullum detrimentum Brixiensibus facere decrevisset, nec fecisset; nisi fortè quod ipsorum scutiferi consuevit, nec levius aliud esse potest, Brixienses pecunia magis, quam amore Mediolanensium . . . . . . super scutiferos Regis Bohemiæ, qui priusquam Imperator, venerat, irruentes; equos ipsorum abstulerunt, pluresque interfecerunt; alii vulnerati, pluribus semivivis relictis, fugerunt. Quòd cum audisset Rex Bohemiæ, valdè ira commotus est; ac deinde cœpit ipse, & omnis ejus Exercitus, qui magnus nimis erat, totum Episcopatum Brixiæ quantum poterat devastare. Interea Imperator cum maximo ejus Exercitu ibi in Brixiensi Episcopatu cum ipso Rege Bohemiæ hospitatus est; qui ibi per quindecim dies morantes multas Villas, multaque Castra, innumeraque Brixiensium loca dissipaverunt, atque igne cremaverunt; Infinita etiam Brixiensibus usque propè ipsam Civitatem abstulerunt, tunc verò Brixienses maximo timore perterriti, ac etiam ne caperentur, aut penitus dissiparentur valdè dubitantes, statim cum Imperatore pactum inientes, quod tunc optavit Imperator fecerunt.

Inde itaque Imperator discedens, Mediolanumque se velle ire disponens; cum ad pontem, qui dicitur de Cassiano, qui super Abduæ flumen

Hucusque Osii notæ, meusque labor. Quæ sequuntur, doctissimum virum Casinensem Monachum, de quo in præfatione, auctorem habent.

(1) Hucusque Osius noster. Oppidum tunc etiam frequens, ac celebre, 20. millibus passuum à Metropoli in ortum æstivum. Celebrius tamen posteriori sæculo, dum ibi sævissimus ille Tyrannus, fædaque pestis Italiæ Actiolinus (vulgò Ecelinus, & Ezelinus) interclusus, vulneratus, & captus: *Heu*, exclamaverat, *Cassan, Assan, Bassan: recordatus ex propinquæ arcis Cassiani nomine id genus desinentia loca fatalia sibi olim ab astrorum Peritis dictum fuisse*. Ludrica hæc apud Calchum nostrum *H. Patr. l. 15. p. 329.* Ductus postea Soncinum Cremonensis agri Oppidum cibum respuens, mortem infamissimam, vitæque parem, octuagenarius oppetiit. Historia est notissima. Oppidum hoc conditum creditur jam à sæculo Christi IV. sed sub alio nomine, si quæ fides veteri MS. San-Dionysiano apud J. Ant. Castillion. antiq. Basil. Vincent. p. 17., ubi Clerus, & Populus Mediolanensis S. Ambrosium concomitantes *ad portum Abduæ fluminis, quod alio nomine, quam Cassianum tunc nominabatur cum processione solemni devenerunt*.

(*) Vox ista *audito* superfluit

EX CODICE AMBROSIANO.

pra Abduæ flumen positus fuerat, pervenisset, indeque per eum transire voluisset, quamplures Mediolanenses unà cum multis villanis ex alia pontis parte, supra ipsius fluminis ripam Imperatori obviam fuere, transitumque per pontem ipsum ei contradixere. Imperator namque, & omnis ejus exercitus hoc prospiciens, nesciensque etiam qua parte possent tunc ipsum flumen transire, valde condoluit. Boëmenses itaque (2), & unà cum maxima Teutonicorum parte deorsum à ponte juxta ipsum flumen deambulantes tamdiu perrexere, quousque ad quemdam locum venere, ubi aqua eis videbatur parva, quòd satis inde ipsum flumen transire per ipsam aquam putaverunt.

Cùm autem ibi pervenissent, statim intus se, ac si nulla tunc ibi esset aqua, projecerunt, multique ex ipsis cum equis & aliis armis in ipsa aqua periclitaverunt. Alii verò ex alia fluminis parte foràs exeuntes versùs Mediolanenses vexillis levatis cœperunt ire. Mediolanenses igitur, ut eos ultra flumen transire, & contra ipsos venire prospexerunt à longè, terga statim vertentes versùs Mediolanum pontem deserentes fugere cœperunt.

Imperator itaque, ac Boëmiæ Rex (3), omnisque eorum exercitus per pontem transeuntes, cùm jam maxima pars exercitus ultra ipsum pontem pertransisset, totusque pons ab una parte usque ad alteram hominibus, & equis onustus valde foret, tunc quadam parte pontis fracta, omnes, qui supra ipsam partem fuerant, milites, Scutiferi, & etiam equi in ipso flumine Abduæ ceciderunt, multisque ex ipsis ibi periclitantibus, alii, prout meliùs potuerunt, foràs exeuntes, unà cum Imperatore, ac Boëmiæ Rege, aliisque etiam, qui per pontem flumen transierant, Mediolanenses acriter persecuti sunt, ac multos ex villanis, qui cum ipsis aderant, plurimos etiam ex Mediolanensibus ipsis interficientes, & Alcherium de Vimercato, & Ardengum Vicecomitem, & Robacastellum, & Monacum de Abonis, seu

(2) Horum numerum innuit Gobellinus Persona *Cosmodrum. Æt. 6. c. 6.* scribens quod *habuit in comitatu suo quinque millia armatorum.*

(3) Sæpissime de hoc Rege Auctor noster, sed semper suppresso ejus nomine, quod ex Radevico 1. 12. innotescit, dum ait *Dux Bohemorum Ladezlaus*, sivè Ladislaus. Uladislaus Æn. Sylvio Hist. Bohemica c. 24. ubi *Uladislaum verò quarto loco Uratislao natum à Friderico I. sibi, & posteris Regiam dignitatem obtinuisse, & quum in expugnatione Mediolanensi egregiam operam navasset, Imperatori mirificè gratum, Leonem rubeum bifurcatæ caudæ in clypeo albi coloris insigne Regium accepisse; candelabrum quoque Salomonis ex Mediolano asportatum in Ecclesia S. Viti Pragensis recondisse.* Is ergo Uladislaus III. filius II. Dux tantùm à Radevico primò vocatus, quia in creatione sua Dux dictus, non Rex, A. 1140. si quæ fides habenda Ph. Labbè *le grande Methode* p. 217. ubi tamen non rectè scribit: *assista l'An. 1169. l'Emp. Frederic. Barberousse contre les Milanois, & fut par luy creè Roy dans une Diete tenue a Ratisbone l'An.* 1173. Ubique errat in tempore. In loco postea Galv. Flamma apud Puricell. *Basil. Ambros. à n.* 416. scribens c. 270. *Imperator habito consilio Principum, dixit Duci Bohemiensi: si poteris arcum triumphalem expugnare, ego faciam te ex Duce Regem, & feuda Imperialia, quibus obligaris, relaxabo: erat autem arcus . . . . Arcum obtinuit. Imp. ipsum Ducem Bohemiæ in Regem ejusdem Regni coronavit in Ecclesia S. Ambrosii extra Civitatem.* Cuncta hæc falsa. Et item falsò contendit Th. Joh. Pessina Decanus Pragensis *in Marte Moravico lib. 3. c. 6.* Uladislai coronationem consignans. A. 1162. omnes evincit Radevicus *l. 1. c. 13.*, ubi *ex Duce Rex creatus* A. 1158. antequam in Italiam descenderet, ut declarat Joh. Dubravius *Hist. Bojemica l. 19. p. 318.* his verbis: *Mox vocatum ad nuptias, quas cum Beatrice, ex Burgundia adducta, celebraturus erat* (Fridericus) *hunc ei* (Uladislao) *dein honorem ultrò habuit, ut eum avito more post tam longum interregnum* (60. prope annorum) *Bohemiæ Regem coronaret.* Sed omnem dubitationem eximit Guntherus *in Ligurin. l. 6. v.* 446. si rectè numero: certè post medium, agens de Conventu Ratisponensi celebrato A. 1158. his versibus:

Hoc quoque Conventu Procerum Dux ille Boemus
Fama Labe flavum (1) *quam* (2) *nominat: ob sua gesta*
Fortiter bella nuper spectata polano (3)
Ex Duce Rex fieri meruit, gessitque potenti
Sceptra manu, cinxitque novo diademate crines.

Ita prima editio A. 1507. Erhardi Ocglin, sic corrigenda 1. *Labeslaum*. 2. *quem*. 3. *Polono.* quia anno superiori 1157. *in expeditione Polonica claruerat*, ex Radev. l. 1. & Dubravio, ubi supra: *Cumque Vicarium eum Imperii in Germania reliquerit* (Imp.) *rediensque testimonium, ei bene administratæ Provinciæ prolixè perhibuerit &c.* An expost fuerit corona exutus, ut infra, ubi Morena videtur illum Ducem tantùm appellare.

EX EDITO AB OSIO.

men positus erat, pervenisset, indeque per eum pertransire vellet; quamplures Mediolanenses unà cum multis villanis ex alia parte ipsius fluminis super ripam fuerunt Imperatori obviam, ei per ipsum pontem transitum prohibentes. Imperator autem, & omnis ejus Exercitus hoc prospiciens, ac nesciens, qua parte posset tunc dictum flumen transire, valdè condoluit. Bohemienses verò unà cum Theutonicorum parte deorsum à ponte juxta ipsum deambulantes, tamdiu perrexerunt, quousque venerunt ad quendam locum, ubi aqua ita eis videbatur parva, quod satis inde ipsum flumen transire per ipsam aquam putaverunt. Cum autem illuc pervenissent, ubi aqua eis tam parva videbatur, statim in eam, ac si nulla ibi tunc esset aqua, se projecerunt; unde multi eorum cum equis, & aliis armis in ipsa aqua perierunt, alii verò ex alia fluminis parte foras exeuntes versus Mediolanum ire cœperunt cum Vexillis levatis. Mediolanenses igitur, ut eos ultra flumen transire, & convenire à longe prospexerunt, statim terga vertentes ire cœperunt versus Mediolanum, ponte turpiter derelicto. Imperator verò, ac Bohemiæ Rex, omnisque eorum Exercitus dum per pontem transirent, & jam maxima pars Exercitus esset ultra pontem ipsum, totusque adhuc pons ab una parte usque ad alteram hominibus, & equis onustus esset; valdè tunc fracta quadam parte pontis, omnes, qui super ipsum pontem erant milites scutiferi, atque equi, intra ipsum flumen Abduæ ciderunt; quorum ibi multis periclitantibus, alii, prout melius potuerunt, foras exeuntes unà cum Imperatore, ac Rege Bohemiæ, & his, qui pontem jam transierant Mediolanenses sunt acriter persecuti. Deinde multos ex Villanis, qui cum Mediolanensibus fuerant, nec non & plurimos ipsorum Mediolanensium occiderunt, & Alcherium de Vicomercato, Ardivi Vicecomitem, Robo Castrum, & Monacum de Abonis, & Trincherium Basabelletam, aliosque quamplurimos Mediolanenses capientes, omnes alios fugaverunt. Mediolanenses itaque quia Im-

EX CODICE AMBROSIANO.

seu Tancrerium Basabelletam, aliosque, & quamplurimos Mediolanensium Cives tunc capientes, omnes alii fugierunt. Mediolanenses itaque, quia transitum adhuc Imperatori se leviter prohibere posse putabant, postquam Imperatorem, & omnem ejus exercitum Abduam tali virtute pertransisse cognoverunt, & suos sic esse interfectos ac captos, atque fugatos audierunt, valde pertimuerunt. Sed Imperator cum omni suo exercitu ad castrum Tritii deambulans, eumque graviter expugnans, ipsum devicit, ac cepit, suosque Teutonicos milites intus pro ipso castro custodiendo posuit.

Deinde Imperator die Jovis, qui tunc fuit pridie (*) Kalendarum Augusti, ad Lambrum in pratis de Castiraga veniens, ibi castrametatus est, tenueruntque castra exercitus ejus spissa ab utraque parte Lambri à Castiraga usque ad Salarianum. Itaque Laudenses cum Crucibus ibi ante Imperatorem venientes, pedibusque suis projicientes, rationem de Mediolanensibus, qui eos ex propriis laribus expulerant, omniaque eorum bona ipsis abstulerant, ab ipso Imperatore exigerunt, petieruntque etiam insuper ab eo, ut propter Deum, & animæ patris sui remissionem, ac pro honore etiam totius Imperii sui, locum eis tribueret, in quo possint ipsi Laudenses, ad ejus, ac totius Imperii honorem & servitium permanere, qui hoc totum se libenter velle facere promittens, interrogavit eos in quo loco morari, aut quem locum sibi dari vellent. Laudenses itaque se velle eum sibi Montemghezonem (4) dare responderunt. Imperator namque sic eis respondens ait: *in crastina die post prandium illuc cum Principibus meis vobiscum veniam, locumque videam, & si vobis aptum fore mihi videbitur, libentissimè vobis tribuam*. Laudenses igitur hoc audientes, sperantes etiam ab eo adhuc majora impetrare valere, cum magno gaudio ad eorum hospitia reversi sunt. Postera namque die, quæ fuit dies Dominicus, & fuit tunc tertio die mensis Augusti, in festivitate Sancti Gaudentii, & Inventionis Sancti Stephani Martyris, & quæ fuit de anno millesimo centesimo quinquagesimo octavo, ascendit Sanctissimus Imperator Fredericus equum suum unà cum pluribus ex Principibus suis insimul, etiam cum Laudensium equitibus & peditibus, omnesque in Montemghezonem perrexerunt.

Cùm verò supra ipsum montem fuissent, ac eum undique perlustrarent, quoddam Divinum mi-

EX EDITO AB OSIO.

Imperatori transitum Abduæ se leviter prohibere posse putabant; posteaque Imperatorem, & ejus Exercitum Abduam tali virtute pertransisse cognoverunt, & suos sic esse interfectos, captos, atque fugatos audierunt, valdè timuerunt. Sed Imperator cum omni suo Exercitu ad Castrum Trecii ambulavit; atque illud graviter expugnans devicit ipsum, & cœpit; suosque Theutonicos milites in ipso Castro custodiendo posuit; deinde Imperator die Jovis, quæ tunc fuit pridie calendas Augusti ad Lambrum in prato de Castiraglia veniens, ibi castrametatus est. Tenuerunt autem Castra ejus spissa ab utraque parte Lambri à Castringa usque ad Salevanum.

Laudenses itaque cum Civibus illuc ante Imperatorem venientes, pedibusque suis se projicientes, rationem de Mediolanensibus, qui eos de propriis laribus expulerant, omniaque ipsorum bona abstulerant, ab ipso Imperatore quæsierunt; petierunt insuper etiam ab eo, ut amore Dei, & honore totius sui Imperii locum eis tribueret, in quo possent ipsi Laudenses ad ejus totius Imperii honorem, & servitium permanere. Qui hoc totum se libenter velle facere promittens, interrogavit eos, in quo loco morari, aut quem locum sibi dari vellent. Laudenses verò sibi dari velle Montem Ghezonem responderunt. Imperator autem sic respondens ait, in crastina die post prandium illuc cum Principibus meis veniam, locumque vobiscum videbo; & si vobis aptus mihi esse videbitur, ipsum libentissimè vobis tribuam. Laudenses hoc audientes, cum magno gaudio ad eorum hospitia reversi sunt, sperantes ab eo adhuc posse majora servitia impetrare.

Postera verò die, quæ fuit Dominica, & tertia dies Augusti in festo Sancti Gaudentii, & in inventione Sancti Stefani Protomartyris, & quæ fuit anno MCLVIII. Ascendit Dominus Federicus Imperator equum suum unà cum pluribus ex Principibus suis, insimul etiam & cum Laudensibus militibus, & peditibus; omnesque in montem Ghezonem perrexerunt. Cum verò super ipsum montem essent, & cum undique conspicerent; quoddam divinum miraculum tunc accidit ibi: nam tunc cùm Imperator montem ipsum ascendisset, & in Cælo aeris magna serenitas appareret, subitò in uno oculi momento fortiter pluere cæpit, quod pro Omine bono est acceptum ab omnibus. Pluvia verò recedente, Imperator cum quodam vexillo Consules Laudenses, qui tunc præerant, videlicet Kosmum Morenam, & Archembaldum de Summaripa, &

(*) *Alter Codex MS.* primus dies.

(4) Laudem-Pompejam, veterem nunc dictam, inter amnes Silarum ab ortu, & Lambrum ab occasu, à Bojis conditam Mediolanenses everterant, certissimè A. 1111. ut ex Chronico Cremonens. inter Baluzii *Miscell. t. 2. p.* 307. ubi *MCXI. IX. K. Junii indict. 4. capta est, & destructa Civitas Laudens.* Bossius *in Chron.* & Calchus id confirmant, ne Scripp. Laudenses apud Defendentem Laudensem *dist.* 7. ampliùs contendant de tempore suæ primæ eversionis. Usque ad A. 1158. suburbia sex finè mœnibus incolentes oppressi cives, iterum prorsus nudati, & extorres hoc anno, pro nova condenda Laude impetrant à Cæsare *M. Ghezonem*. Mons impropriè dicitur, rupes potiùs, ut inquit Trissinus apud Defend. Laudens. *Dist. 7. p.* 370. „ Demum à Friderico Ænobarbo nobiliore, ac „ tutiore solo prope Abduam celebre flumen, „ à quo quatuor fermè milliaria antea distabat, „ *exigua in rupe*, quæ promontorii speciem „ refert, reparata. „ Ghezonis fines circumscribit Corius sub A. 1158. p. 40. a. edit. Venet. 1654. Quibus juribus possessio hæc data Civibus declarat Imperator in suo Diplomate dato in Vigueria 3. Non. Decemb. 1158. A. Regni 7. Imp. 4. relato ex integro à J. B. Villanova *Hist. Laud. p.* 38. in cujus exordio hæc: „ Divino nutu compuncti, & super mi- „ serabili destructione Laudensis Civitatis ne- „ cessaria miseratione miserti, fidelibus nostris „ Civibus Laudensibus novum locum habita- „ tionis, *in Monte*, videlicet, *Ghezzonis* à ripis „ Abduæ quantum sufficiat ad ambitum Civi- „ tatis, & suburbia construenda super Abduam „ flumen nostrum Imperiali auctoritate, & ve- „ xillo designavimus, & veterem Urbem à Me- „ diolanensibus destructam ad titulum nostri „ nominis, & Imperatoriæ Majestatis in novam „ transtulimus. „

EX CODICE AMBROSIANO.

miraculum ibi tunc accidit, quòd cùm cœlum tunc, cùm ipsū montē Imperator intrasset, serenum bene fuerat, statim in uno oculi momento valde pluere cœpit, quod omne bonum omnibus (5) reputandum est.

Pluvia verò recedente, Imperator cum quodam vexillo Laudensium Consules, qui tunc præerant, videlicet Ramsum Morenam, & Archembaldum de Summariva, & Lotterium de Abbonis, aliosque eorum socios, de terra, in qua nunc ædificata est ipsa Laudensis nova civitas ad proprium investivit, fueruntque termini ipsius sic constituti, videlicet à costa, quæ dicitur nunc Sancti Vincentii ab Abdua, usque ibi, ubi incœptum est fossatum portæ Imperialis supra paludem, & ab ipsa palude, sicut vadit prædictum fossatum usque in aliam paludem, quæ est versùs Silvam-græcam supra costam ipsius paludis, & item sicut vadit ipsa costa ab ipso fossato usque in Abduam, & item sicut vadit fossatum à costa palatii Imperatoris usque in Abduam, & item sicut vadit fossatum à costa palatii Imperatoris usque in Abduæ flumen versùs manè. Hoc itaque sic peracto, Imperator & Laudenses cum magno gaudio, magnaque lætitia ad castra remeaverunt. Deinde in sequenti die Martis cùm Imperator castra ultra flumen Vetabile, ab ipso flumine, usque ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ, quæ dicitur de Ugion, per totos campos ab utraque parte viæ, quæ vadit ad Mediolanum jam posuisset, iverunt Teutonici invadere Mediolanum ferè usque ad Cassinum Tomadi. Mediolanenses itaque foràs exeuntes, prœliumque secum inientes, quamplures ab utraque parte capti ac mortui sunt. Postea verò sequenti die Mercurii, quæ fuit in millesimo centesimo LVIII. anno, Indictione sexta, & quæ fuit tunc sexto die mensis Augusti, equitavit D. Federicus Imperator unà cum Rege Boëmiæ, & Cremonensibus, atque Papiensibus, seu Laudensibus, aliorumque Principum maxima copia super Mediolanum castrametatus est. Itaque in ipso Mercurii die ipsemet Imperator apud Ecclesiam, quæ dicitur Omnes Sancti, quæ est Ecclesia Templi, & extat ipsa Ecclesia in capite Brolii juxta ipsum Brolium. Rex verò Boëmiæ juxta Monasterium Sancti Dionisii hospitatus est, ceteri namque Principes ab ipso Sancto Dionisio usque ad pusterlam Sanctæ Eufemiæ juxta Mediolanum hospitati sunt. Tunc autem Mediolanenses turrem, quæ dicebatur arcus Romanus (6), quæ

EX EDITO AB OSIO

& Loterium de Abonis, aliosque eorum socios de terra, in qua nunc ædificata est Civitas nova, ipsa Laudenses ad proprium investivit. Fueruntque termini ipsius Civitatis sic constituti, videlicet, Acosta quæ dicitur nunc A. Vincentii ab Abdua usque ibi, ubi incœptum est fossatum parte imperiali supra paludem, & ab ipsa palude sicut vadit dictum fossatum usque in aliam paludem, quæ est versus Sylvam Græcam supra costam ipsius Paludis, & etiam sicut vadit fossatum à Costa Palatii Imperatoris usque ad flumen Abduæ versus mane. Hoc itaque sic peracto Imperator, & Laudenses cum magno gaudio ad castra sua remeaverunt.

Sequenti autem die Martis cum Imperator jam castra sua posuisset ultra flumen Vitabiæ ab ipso flumine usque ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ, quæ dicitur de Uginò per totos campos ab utraque parte viæ, quæ vadit Mediolanum, iverunt Theutonici invadere Civitatem Mediolani ferè usque ad Cassinam Tomadi. Mediolanenses verò foris exierunt, præliumque cum eis commiserunt; in quo plures ab utraque parte capti, pluresque interfecti fuerunt. Postea sequenti die Mercurii, quæ fuit anno MCLVIII. indictione sexta, & quæ fuit tunc sexta die Mensis Augusti, equitavit Dominus Federicus Imperator unà cum Rege Bohemiæ, & Cremonensibus, atque Papiensibus, nec non & Laudensibus, aliorumque Principum maxima multitudine, ac super Mediolanum castrametatus fuit. Itaque ipso die Mercurii ipsemet Dominus Imperator apud Ecclesiam, quæ dicitur Omnes Sancti, quæ est Ecclesia templi, & extat ipsa Ecclesia in capite Brolii juxta ipsum Brolium; Rex verò Bohemiæ intra Monasterium Sancti Dionysii hospitatus est. Cæteri autem Principes ab ipso Sancto Dionysio usque ad Pusterlam Sanctæ Euphemiæ juxta Mediolanum hospitati sunt. Tunc autem Mediolanenses armaverunt turrem, quæ dicebatur Arcus Romanus, quæ valdè erat magna, & ad videndum mira, & quæ ædificata erat in capite Burgi Portæ Romanæ; super quam ipsi Mediolanenses ascenderunt, & eam ferè per octo dies ab Exercitu Imperatoris defenderunt. Theutonici verò eam tota die expugnantes cum malleis, & securibus sub aream ipsius turris maxima vi intraverunt, & eam firmiter dissipabant. Hi verò, qui super ipsam turrim erant, videntes eam funditus destrui, nec amplius se defendere valentes, valdè etiam timentes, ne in terram cum ipsa turri ...... nec eis Mediolanenses da-

(5) Commendabile hic sanè Scriptoris Laudensis silentium, dum reticet nefandum, audaxque facinus in Cæsarem, quod prodit Abb. Stadensis p. 192. sub A. 1165. (corrigatur 1158.) hoc modo. *Imperator Laudam destruxit, & aliam ædificavit super fluvium Adæ. Ubi dum Imp. hyemaret, & quodam mane super fluvium deambularet cum solo Comite, cui nomen Thidericus Friso, quidam vir fortis, stricta indutus camisia, cera, & pice linita, prosiliit de latebris, & à tergo Imperatorem rapiens, & secum in arenam provolvens, in profundum fluminis trahere nitebatur. Illo trahente, Imperatore renitente, Thidericus evaginato gladio latronem fugavit: qui in aqua saliens, nunc sub aquis, nunc super aquas se sequentes contempsit: & in altera ripa susceptus, & à suis amplexus, equo celeri est delatus.* Quis tanti criminis hic Mediolanenses, & Cremenses non postularet auctores? Ita læsæ Majestatis non arcessit Sigonius *R. Ital. A.* 1158. *lib.* 12. circa fin. *Mediolanenses*, inquit, *ad desperationem conversi, sicut Radevicus prodit* (l.2.c.36.) *Scriptor Germanus de nece Friderici cogitarunt*. Refert & ipse enunciatum, sed varius in aliqua circumstantia: & iterum *Mediolanenses octo homines, qui urbem Laudis incenderent, subornarunt*. Re infecta, unus captus *supplicio est affectus*. Etiam quidam Arabs ex Hispania cum XX. sociis profectus in Italiam, professione magus, gemmas, aliaque pretiosa ad ornatum, sed venenata, deferens, ad Cæsaris castra pervenit, ut solo rerum tactu ipsum inficeret. Sed captus, constans in tormentis, & inconfessus necatur. His culpis tamen Mediolanenses vacasse, si otium esset, ostenderem.

(6) Bellissimè describitur à Radevico 1. 28. Certè opus alicujus Romani Imperatoris. Syre Raul hoc tomo edendus & videndus habet quòd *vocabatur Romanus, quoniam quatuor arcus inferiùs habebat: & dicebatur quòd Romani quando Mediolanum subjugaverant* (NB. Sæculo VI. V. C.) *in signum victoriæ eum ædificaverunt*. Ve-

EX CODICE AMBROSIANO.

quæ valde fuerat maxima, ad videndum mira. & quæ in capite burgi portæ Romanæ extabat, jam armaverant, supra quam ascendentes ferè per octo dies defensaverunt. Teutonici verò eam tota die expugnantes cum maleis & securibus, sub arcubus ipsius turris maximam intraverunt, & eam firmiter dissipantes, illi, qui supra turrem fuerant, eam funditus destrui videntes, nec defendere valentes, valdeque ne cum ipsa turre in terram dejicerentur timentes, Mediolanensibus nullum eis subsidium dare valentibus nec audentibus, Imperatori se statim tradiderunt.

Deinde Imperator Mediolanenses de ipsa turre descendere faciens, suos in ipsam ascendere jubens, scalas ad ipsam turrem apponere fecit; postea super eam quamdam optimam preteriam fabricare fecit, quæ infra portam, quæ prope Ecclesiam Sancti Nazarii fabricata fuerat lapides maximos jactabat. Ipsi equidem Mediolanenses duas alias preterias intus de ipsa porta habentes, quandoque ipsam supra ipsam turrem, quandoque etiam satis ultra lapides projiciebant. Interea quodam die Mediolanenses per Pusterlam (7), quæ erat in medium Sanctorum Dionisii foràs prosilientes Boëmenses acriter invaserunt, qui cum aliis Teutonicis, & Papiensibus etiam, qui ex ea parte similiter hospitati fuerant, contra Mediolanenses armati exeuntes ita viriliter eos expugnaverunt, quòd ipsi Girardum Vicecomitem, & Tazonem de Mandello, duos nobilissimos Mediolani Capitaneos, aliosque etiam quamplures ex illis interfecerunt, plurimosque vivos capientes in castris deduxerunt. Reliquos namque usque ad portam, ex qua exierant, maxima virtute fugaverunt. Præterea alia quadam die ipsi Mediolanenses per Pusterlam, quæ dicebatur porta Tosa, ad prœlium exeuntes, Teutonici, & Cremonenses, unà cum Laudensibus obviam iverunt; maximo igitur prœlio incæpto, multisque ab utraque parte interfectis, plerisque etiam captis, tandem Mediolanenses resistere non valentes terga verterunt, super quos Teutonici, & Cremonenses, atque Laudenses acriter irruentes, maximamque ipsorum copiam magno robore usque intus de prædicta Pusterla de porta Tosa, reliquos omnes fugaverunt, plerique etiam ex ipsis ultra fossatum intus per ipsam portam pugnando maxima vi intraverunt, sed ibi stare non valentes, foràs redierunt.

Mediolanenses namque tunc fugientes cùm præ multitudine fugientium per ipsam portam redire non valuerint, maxima eorum copia in fossatis ab utraque parte pontis se unus super alium

EX EDITO AB OSIO.

darent, nec dare auderent aliquod subsidium; Imperatori se continuò tradidere. Deinde Imperator Mediolanenses de ipsa turri descendere, suosque ascendere jussit, scalasque ad ipsam turrim fecit apponi; posteaque super eam fabricari fecit quandam optimam Petreriam, quæ intra portam, quæ propè Ecclesiam Sancti Nazarii fabricata erat, lapides maximos jactabat. Ipsi equidem Mediolanenses duas petrerias alias intra ipsam portam habentes, quandoque super ipsam turrim, quandoque etiam satis ultra projiciebant. Interea quodam die Mediolanenses per Pusterlam per medium Sanctum Dionysium foras prosilientes, Bohemienses acriter invaserunt: qui cum aliis Theutonicis, & Papiensibus, & qui ex ea parte similiter erant hospitati, contra Mediolanenses armati viriliter exeuntes, sic eos expugnaverunt, quòd Ghirardum Vicecomitem, & Azonem de Mandello duos nobilissimos Mediolani Capitaneos, aliosque etiam complures ex illis interfecerunt; plurimosque vivos captivos in castra deduxerunt. Reliquos verò usque ad portam, per quam exierant, virtute magna fugaverunt. Postea alio die quodam Mediolanenses per Pusterlam, quæ dicitur Porta Tonsa, ad prœliandum exierunt, quibus Theutonici unà cum Cremonensibus, & Laudensibus obviam iverunt: maximo igitur prœlio incœpto, multisque ab utraque parte interfectis, pluribusque etiam captis, tandem Mediolanenses, resistere non valentes, terga verterunt; super quos Theutonici, & Cremonenses, atque Laudenses acriter irruentes, magnamque multitudinem ipsorum capientes, magno robore usque intra dictam Pusterlam de Porta Tonsa omnes reliquos fugaverunt. Plerique etiam ex ipsis etiam ultrà fossatum intus per ipsam portam pugnando maxima vi intravere; sed ibi stare non valentes foras redierunt. Mediolanenses itaque tunc fugientes cum præ multitudine fugientium per ipsam portam redire non possent, ipsorum plurimi in fossatum ab utraque parte pontis, uno super alium cadente, præcipitaverunt; quorum plures in aquam ipsius fossati usque ad colla repentes ab his, qui supra ipsum fossatum erant, adjuvabantur, & intro trahebantur. Alio quodam die Mediolanenses exierunt armati per portam, quæ erat per medium arcum Romanum: quo cognito Theutonici cum Laudensibus statim obviam eis fuere, maximumque prælium cum eis inierunt, in quo quidem prœlio multi Laudenses, videlicet Joannes Tudesis, & Petrasius de Pusterla, & alii quamplures usque ad mortem vulnerati fuere; etiam qui dicebatur Bononus Laudensis in ipso prælio vulneratus, paulò post obiit. Postea

Vetularum nugæ, primò fortè à Syre Raul conscriptæ. In urbe victrice, non victa moles & monumenta attollebant. Insubres subacti jure fœderis vixerant liberi quoad latinitate, vel civitate Romana fuere donati. Tunc solùm per Romanos Magistratus sponte regi cœperunt. Primus est Augustus apud Svetonium c. 28. qui *jure sit gloriatus marmoream se relinquere* (Romam) quam *Lateritiam accepisset*. Si ergo ante ipsum fuit Roma neglecta, quis Mediolani, vel alibi opera marmorea, & magnifica moliri curavit? Brevis adhuc Prætorum, vel Proconsulum mora in Provincia, præsertim stante Republica hæc credere dehortatur. Pauca hæc certissima, sed non hic pertractanda, cùm nequeant cum brevitate pro dignitate explicari.

(7) Aliud Pusterla domus, aliud civitatis. Illa nostratibus porta est interior, utplurimum cum parvo tintinnabulo appenso ingredientes indicante. Exteros alloquimur. At civitatis est portula ad dexteram, vel lævam majoris, & communis portæ, arcana, (vulgò falsa) quæ rarò, & nisi urgente causa recluditur: tunc clausa majori, ut tempore belli. Plura Vossius *Etym. in Posticus*, & Dufren. *in Posterula*. Hinc quemadmodum à custodia portarum, cui instabant Nobiles Regionis Urbanæ, post Sæculo XI. circiter, cognominati sunt Portæ, ex Camill. Peregr. Italic. *Discurs. de nom. Porta*: ita à Pusterla, quæ attentiùs adhuc servari debebat, Gens Pusterla: rejectis fabulis Morigii *Antiquit. Med.* 3. 10. & aliorum.

EX CODICE AMBROSIANO.

alium cadens præcipitaverunt, ita etiam, quòd plerique in aqua ipsius fossati usque ad tolimen repentes ab his, qui supra ipsum fossatum fuerant adjuvabantur, ac intus extrahebantur. Insuper etiam Mediolanenses alio quodam die per portam, quæ per medium arcum Romanum fuerat, armati exeuntes, Teutonici cum Laudensibus obviam fuere, maximumque prœlium cum ipsis iniere, in quo multi Laudenses videlicet Joannes Judæus (*), & Petracius della Pusterla, aliique etiam, plerique ferè usque ad mortem vulnerati fuere, Ugo etiam qui dicebatur Cononus Laudensis civis in ipso prœlio vulneratus paulò post obiit. Præterea alio quodam die Domnus Imperator cum maxima parte exercitus circa Mediolanum pergens, totas segetes, quascunque invênit, devastavit, vites etiam & arbores succidit, domos conbussit, molendina destruxit, Mediolanensesque hoc totum videntes, nec etiam ultra fossatum exire ausi fuerunt. Milites verò Imperatoris, ejusque Principes, eorumque scutiferi per Mediolanensem Episcopatum, atque Comitatum, seu per Martesanam & Sebrim euntes, & omnia castra, cunctasque villas expoliantes, ac postea comburentes, & penitus destruentes, totam ferè Mediolanensium terram ita ceperant ac devastaverant, quòd Mediolanenses pauca loca habebant, quæ omnino aut destructa aut devastata non forent. Mediolanenses namque totam eorum dissipari ac destrui terram videntes, scientes etiam, se eam defendere non posse, timentesque insuper ne Imperator ab obsidione discederet, donec eos caperet, cum ipso Imperatore pepigerunt, ac se in eum posuerunt, & plus de ducentis obsidibus (8) de ipsius præceptis faciendis ei tradiderunt.

Postque hæc itaque Imperator ab obsidione discedens, ibique de suis relinquens qui fidelitatem à Mediolanensibus exigerent ac reciperent in Egociam perrexit, ibique equites de Martesana & Sebri conveniens, pactum cum ipsis iniens, ac eos in sua tuitione suscipiens, omnes sibi fidelitatem fecerunt.

Interea namque Imperator colloquium in Ronchalia in Sancto Martino proximo veniente maximum se habiturum constituit, omnibusque ferè Italiæ Principibus (9), Consulibusque etiam civitatum in ipso colloquio inesse præcepit, ad quod quatuor etiam principales Legis Doctores, videlicet Bulgarum, & Mar-

EX EDITO AB OSIO.

stea quodam alio die Dominus Imperator cum maxima parte exercitus circa Mediolanum pergens omnes segetes, quas invenit devastavit, vites, & arbores succidit, domos combussit, molendina destruxit. Mediolanenses itaque hoc totum videntes, exire ultrà fossatum non sunt ausi. Milites verò Imperatoris, ejusque Principum, & eorum scutiferi per Comitatum Mediolani, seu per Martesanam, & Seprium euntes, omnia castra, omnesque Villas, & Burgos expoliaverunt, & postea comburentes penitus destruxerunt. Unde ferè totam terram Mediolanensium ita ceperunt, ac devastaverunt, quòd pauca loca Mediolanenses habebant, quæ omnia vel destructa, vel devastata non forent. Mediolanenses itaque videntes, totam eorum terram destrui, scientes etiam, se non posse defendere, timentesque insuper, ne Imperator ab obsidione discederet, donec ipsos caperet; cum ipso Imperatore pepigerunt, ac se in ejus manibus ponentes, ei de suis præceptis observandis plures ducentis obsidibus tradiderunt: post hæc itaque ab obsidione discedens, ibique de suis relinquens, qui fidelitatem à Mediolanensibus exigerent, & reciperent. Modoetiam perrexit, ibique militibus de Martesana, & Seprio convenientibus, & pactum cum ipso inientibus, omnibusque sibi fidelitatem facientibus, eos in sua tuitione suscepit.

Interea Dominus Federicus in Roncalia colloquium in Sancto Martino proximo veniente maximum se constituit habiturum, præcepitque omnibus ferè Italiæ Principibus, atque Civitatum consulibus, ut ipsi colloquio interessent: ad quod etiam quatuor principales legis doctores, videlicet DD. Bulgarum, atque Martinum

(*) *In margine ejusdem MS. aliàs* Judex.

(8) Parcus nimis hoc loco Auctor noster. Plura Urspergensis *in Friderico* p. 299. scribens: *Postremò Cives ad id devenere consilii, ut se, & sua Imperatoris traderent voluntati. Gladios itaque denudatos super colla ponentes, Cruces quoque, & alia insignia præferentes, nudis plantis ad pedes Imperatoris miserabiliter se prostraverunt. Quibus Imperator, precibus Principum vix flexus, vitam donavit. Et qui priùs erant maligni, facti sunt subjecti. Ideoque more Regio subditis factus est mitis.* Cætera apud Radevicum *lib.* 1. *capp.* 41. 42. 44. & Othon. à S. Blasio *c.* 11. in hac Collectione. Constitutio verò de pactis conventionis, & conditionibus pacis habitæ hoc A. 1158. in XIII. Capita distinctis, extat inter Goldasti *Statuta, & Rescripta Impp. pagg.* 65. & 66. edit. Ff. 1607.

(9) *Etiam Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus* dixerat supra p. 9. Morena, ad quæ nihil Osius. Cur & ipsi vocati? Rationem innuit P. de Marca, *Marca Hispanica l.* 3. *c.* 10. ex Adalardo, Hincmaro, & Capitularibus ab eodem §. 4. laudatis. Etenim cùm in his Comitiis (à Regibus Francis primò inductis post ad Anglos, Italos, & Hispanos traductis, Conventuum Romanorum adinstar) plura decernerentur ad disciplinam Ecclesiasticam, & Monasticam spectantia, more illorum temporum, congruum videbatur, quòd etiam ordines Ecclesiastici interessent: ipsisque decreta in Comitiis Cancellariis, Episcopis, & Abbatibus tradebat, ut ad alios Episcopos, & Abbates transmitterentur, & promulgata servarentur à subditis, nec solùm ad Placita Regum, & Imperatorum convenire debebant, sed ad ea quoque, quæ ab illorum Missis celebrabantur. Etenim Lex Langobardica *lib.* 2. *tit.* 45. §. 2. disponit, *ut omnes Episcopi, Abbates, & Comites, excepta infirmitate, vel nostra jussione nullam habeant excusationem, quoniam ad Placita Missorum nostrorum veniant, aut tales Vicarios suos mittant, ut in omnibus causis pro illis rationem reddere possint.* Cætera infra.

EX CODICE AMBROSIANO.

Martinum Gosiam, seu Jacobum, atque Ugonem de Porta Ravegnana, Bononiæ Magistros interesse fecit, omnesque ipsi convenerunt colloquio Nono Calendas Decembris, ultra Padum prope Ecclesiam Sancti Petri da Contrebia (10) in 1158. anno, de Indictione septima. (11) Imperator igitur, universique Principes, ac civitatum Consules ibi insimul se convenientes. In primis vocavit Imperator omnes jam dictos Bononiæ Magistros, jussitque eis, quòd ipsi judicarent ei in veritate omnia regalia jura, quæcumque Imperii jure in Longobardia ad ipsum spectarent, ac sua esse deberent. Ipsi Imperatori respondentes, dixerunt: se nolle hoc facere sinè consilio aliorum Judicum universarum Longobardiæ civitatum ibi astantium; Imperator igitur duos uniuscujusque Longobardiæ civitatum Judices elegit (12), jussitque eis, quòd ipsi omnes cum prædictis quatuor Bononiæ Magistris ad consilium ambularent, omniaque regalia, jure quocumque essent, diligenter investigarent, ut à consilio redeuntes sub nomine fidelitatis, quam sibi juraverant, ea omnia recto tramite sibi per omnia, prout meliùs potuerunt, publicè dicant.

Ipsi autem Judices cum viginti octo, exceptis Bononiæ Magistris, fuerunt omnes ad consilium exeuntes, ac omnia regalia jura, de quibus intra se conferentes; tandem ad Imperato-

EX EDITO AB OSIO.

num Grosiam, Jacobum, atque Ugonem de Porta Ravegnana Bononiæ magistros interesse fecit: istorum autem quatuor doctorum, & quamplurimorum aliorum fuit Magister Dominus Guarnerius doctor antiquus, ad quem cum in extremis laboraret, accesserunt sui Scolares dicentes. Domine quem vultis post mortem vestram doctorum nobis constituere, quibus ipse respondit per hæc duo carmina.

Bulgarus es areum, Martinus copia legum,
Mens legum est Ugo, Jacobus id quod ego.

Et sic dictus Jacobus fuit doctor. Post ista cum Dominus Imperator semel equitaret super quodam suo Palafreno in medio DD. Bulgari, & Martini, exquisivit ab eis, utrum de jure esset Dominus Mundi; & dictus Dominus Bulgarus respondit, quòd non erat Dominus (*) quantum ad proprietatem; Dominus verò Martinus dixit, quòd erat Dominus, & tunc Imperator, cum descendisset de Palafreno, super quo sedebat, fecit eum præsentari dicto Martino; Bulgarus autem hoc audiens dixit hæc elegantia verba; Amisi equum, quia dixi æquum, quod non fuit æquum. Omnes prædicti convenerant ad colloquium nono Calend. Decembris ultra Padum prope Ecclesiam Sancti Petri de Conturbia MCLVIII. Indictione septima. Cum autem Dominus Imperator, universique Principes, ac Civitatum Consules ibi insimul convenissent; in primis vocavit Imperator om-

---

(10) Codex Osii *Conturbia*, Contrebia, ut infra. *Caput Trebiæ*, quia ad hujus fluminis ostium, in antiquis Diplomatibus Sæculi IX. apud Campum *Hist. Eccl. Placent.* in calce tom. 1. qui celebrem fuisse Abbatiam scribit, prætermissam ab August. Lubin *in notitia Abbatiarum Italiæ*.

(11) Incœpta mense Septembris.

(12) Hæc illustrat G. Pancirolus *de CC. LL. Interpret. l. 2. c.* 14. hoc modo: „ Illi tantum „ negotium sibi non sinè magna invidia com„ mitti animadvertentes, ex singulis Longo„ bardiæ Civitatibus unos sibi ad judicandum „ Collegas dari impetrarunt. Itaque XXVIII. „ ex omnibus Urbibus electi J. CC. cum qua„ tuor eximiis Professoribus ultra Padum in „ Templum quod S. Petri Contrebiæ vocaba„ tur, convenerunt. Inter eos Obertus ab „ Horto feudorum auctor celeberrimus, & Ge„ rardus Cacapisti, & ipse in feudis clarus, „ ambo Mediolanenses fuisse creduntur. „ Quis dubitat? Consules erant Mediolani A. 1154. in adventu Ænobarbi, teste Oth. Frising. *l. 2. c.* 12. cui tamen non *Cacapisti*, sed *Niger*.

(*) Rectè hic Bulgarus, quoniam potentiores, prudentioresque Imperatores, ut Augustus, Tiberius, Trajanus, & Alexander Severus adhuc simplicem Domini titulum detrectarunt, quod ex Svetonio, Tacito, Dione, Lampridio, aliisque est cuique notum, ut in hac re adeò trita, & vulgata immorari non liceat. Vix aliqui Principes insano tumore furentes, inter quos primus Domitianus ab adulatore Martiali *l. 1. epig.* 5. item 7. 3. & 8. 2. *Terrarum Domini* passi sunt appellari. Græca etiam levitas, adulatione gliscente, in manu suorum Cæsarum globum, orbem terrarum significantem, reposuit, ut in eorum iconibus, & nummis passim videmus, præsertim apud Nic. Alemannum *in notis ad Procopii Historiam arcanam* pagg. 28. 42. 77. quando, Imperio angustato minùs, quàm nondum diviso, augustius hoc illis congruebat insigne. Cogitaverit Martinus è contra, titulum hunc justè Imperatorem decere, cùm Antoninus Pius, quo justior alter nec pietate fuit, nec moribus probis, titulum *Domini mundi* sibi ore proprio arrogavit. Ita in *l. 9. ff. ad leg. Rhod. de jactu* (quam pro ejus intellectu integram exscribere oportet) legitur: „ Depre„ catio Eudæmonis Nicomediensis ad Antoni„ num Imperatorem: *Domine Imperator Antonine*: Naufragium facientes in Italia direpti „ sumus à Publicanis Cyclades Insulas habi„ tantibus. *Antoninus* respondit Eudæmoni: *Ego* „ *quidem mundi Dominus*: Lex autem maris „ *lege Rhodiorum nautica judicetur*, quatenus „ nulla ei nostrarum legum adversetur. Hoc „ idem & Divus Augustus judicavit. „ Si ergo mundi Dominus Antoninus (qui tamen totum mundum non possidebat, cùm teste Appiano Synchrono *in Præfatione* termini Romani Imperii tunc essent, *in Africa pars Mauritaniæ vergens ad Occidentalem Æthiopiam: in Asia flumen Euphrates: in Europa Romanum Imperium finirent Rhenus, & Danubius.*) Cur non etiam Fridericus jure Imperii nunc *mundi Dominus*. Ita fortè argumentabatur Martinus. Torquet J. CC. omnes recitata lex. Sed eorum tot omissis disceptationibus, exitum nos docet Strabo *l. 14. p. m.* 379. de Rhodo ita scribens: *Mira est ejus justitia, & diligentia cum circa reliquam Reipublicæ gubernationem, tum circa res navales, quibus multo tempore mari dominata est, & piratas sustulit, & Romanis amica fuit, & Regibus Romanorum, ac Græcorum amicis, nam per eos libera mansit, & multis donis fuit exornata.* Propter hæc Rhodii *Domini maris Ægæi* jactabantur. Verùm cùm Antoninus Dominum ejusdem Ægæi solum declarare se vellet, & nihil in eo ad Rhodios spectare contenderet (præsertim quia ex Dione l. 60. p. 678. Claudius *Rhodios libertate privavit, quòd Romanos quosdam in Crucem sustulissent*) se mundi Dominum appellavit, licèt Rhodiorum leges probasset: subjiciens tamen, eas tantùm leges vigere velle, quatenus Romanis non essent contrariæ; & ut quoque sciretur, auctoritatem Rhodiarum legum pendere omnino ab auctoritate, & confirmatione Imperatoris, qui verus, & solus Ægæi Dominus: quidquid Rhodii antiquitus *maris Principatum obtinentes*, ut ait Polybius *l. 4. p.* 342. jactarent, & etiam ob merita, ope porrecta Romanis in bellis Mithridatico, Antiocheno, & aliis, ut fusè apud Livium, & Appianum. Hinc nimis dispar ratio inter amplum Antonini Imperium, & Friderici contractum.

EX CODICE AMBROSIANO.

torem redierunt, ac ipſi coram omnibus Principibus omnia jura ad eum ſe ſcientibus jure regaliæ pertinentia in ſcriptis narraverunt (13); Hoc autem ſic peracto, tunc Dominus Ubertus Mediolanenſis Archiepiſcopus, unà cum Mediolanenſibus Conſulibus, omneſque etiam alii Longobardiæ præſentes Epiſcopi, Comites, & etiam Marchiones, ſeu Duces, cæterique Italiæ Principes, ac omnium Longobardiæ civitatum Conſules ibi aſtantes, publicè in ipſo colloquio ſurgentes, in manu ipſius Imperatoris omnia, quæ prædicti Judices regalia jura eſſe dixerant, refutaverunt, ac ei finem ex ipſis omnibus fecerunt, ſtatimque Imperator eis omnibus ſub nomine fidelitatis, ne ipſi ampliùs de ipſis rebus non intromiſſuros ſponderunt, inſuper etiam veram & perpetuam pacem ibi omnes inter ſe, & omnes alias perſonas deinceps ſe firmiter tenere juraverunt, quamvis minùs de menſibus ſeptem Mediolanenſes atque Cremonenſes hæc obſervaverint, imò etiam ante hoc ſpatium Laudenſes cùm nullum adhuc ipſis malum ullo modo intuliſſent, invadentes, ipſam pacem violaverunt.

Deinde Mediolanenſes, & Cremonenſes, Papienſeſque, & Placentini, de ſtando & per omnia de attendendo ipſius Imperatoris præcepto, multos obſides Imperatori tunc tradiderunt, ibique etiam multas Leges, quas in ſcriptis redigere fecit, multaque etiam præcepta hortatu ſuorum Principum conſtituit, quæ omnia in perpetuum cuſtodiri præcepit. His itaque ſic peractis cùm Imperator omnia ſe bene peregiſſe, ac Imperium ſuum ſicut ſe dicebat in pace quieta obtinere putans, quamvis in contrarium paulò poſt ſibi contigit, de Ronchalia (14) tantùm diſceſſit.

Se-

EX EDITO AB OSIO.

omnes prædictos Bononienſes Magiſtros, juſſitque eis, quod ipſi judicarent ſibi in veritate omnia jura regalia, quæ ratione Imperii in Lombardia ad ipſum ſpectarent, & ſua eſſe deberent: qui reſpondentes Imperatori dixerunt, ſe hoc nolle facere ſine conſilio aliorum Judicum univerſarum Lombardiæ Civitatum ibi tunc exiſtentium. Imperator itaque duos uniuſcujuſque Civitatis Lombardiæ Judices elegit, juſſitque eis, quod ipſi omnes cum prædictis quatuor Bononiæ Magiſtris ad Conſilium irent, omniaque jura regalia, quæcunque eſſent, diligenter inveſtigarent; & cum à conſilio recederent ſub nomine fidelitatis, quam ſibi juraverant, & ea omnia recto tramite, prout melius poſſent, publicè demonſtrarent: ipſi autem Judices cum XXVIII. exceptis Bononiæ magiſtris, ſtatim ut Imperator juſſerat, ad Conſilium euntes, de omnibus regalibus juribus inter ſe diligentius contulerunt. Qui poſtmodum ad Imperatorem redeuntes, coram omnibus Principibus, omnibuſque Civitatum Lombardiæ Conſulibus narraverunt in ſcriptis omnia jura, quæ in jure regali noverant pertinere. Hoc autem ſic peracto, D. Ubertus Mediolanenſis Archiepiſcopus, unà cum Conſulibus Mediolani, omneſque alii præſentes Lombardiæ Epiſcopi, Comites, Marchiones, Duces, cæterique Italiæ Principes, ac omnium Lombardiæ Civitatum Conſules ibi aſtantes, publicè in colloquio ipſo ſurgentes, in manu ipſius Imperatoris, omnia, quæ prædicti Judices jura regalia eſſe dixerant, refutaverunt, & ei fidem de ipſis omnibus fecerunt; ſtatimque Imperatore eis omnibus ſub nomine fidelitatis firmiter præcipiente, ne ipſi amplius de ipſis rebus intromitterent, omnes, unuſquiſque tamen per ſe amplius ſe de

ipſis

---

(13) Hæ Leges Caſtrenſes num. 26. latæ Ronchaliis in Conventu Principum Imperii A. 1558. quas regerit Goldaſtus inter *Statuta, & Reſcrip.* laudata p. 64.

(14) Prolixè Oſius in notis p. 49. & 50. *in Roncaliam*, ibi primo Conventu peracto A. 1154. ſed cuncta merè Grammaticalia ad præpoſitionem *in* ſpectantia. De loco nec verbum quidem. Mitto & ego, quæ de loco habent Gunther. Ligurin. *lib. 2. v. 35.* Otho Friſing. *l. 2. c. 12.* ex quo Sigonius R. *Italiæ* l. 7. A. 973. p. 287. edit. Venet. Campi diſpoſitionem, & rerum ordinem deſcribit: poſt Cœleſtin. Bergomat. *Hiſt. Berg. 1. p. l. 3. c. 34.* Campus Placentin. Hiſt. Eccl. tom. 1. p. 283. a. topographicè, & breviter hæc Italicè dicit: *locus eſt inter Padum & Nuram* (ita & Maginus *Ital. tab. 17.*) *nunc, priſcis obſoletis comitiis, exigua Villa, à Placentia tribus paſſuum millibus diſſita in ortum: à Pado mille. Feudum eſt Comitum de Nicellis: ejus fines ab ortu Nura* (ideo in charta donationis Lanfranchi, & Bertæ A. 1002. *ſuper fluvium Nure in loco, & fundo ubi Roncalia dicitur*) *à meridie Burghettum Comitum de Todeſchis: ab occaſu Villa Crux craſſa: à borea Sparavera in Pado ferè demerſa.* Ibi Othones II. & III. comitia habuere, & detectum Mariæ Aragonenſis adulterium, & celebrata Comitia ab Heriberto Archiepiſcopo Mediolanenſi more Imperatorio, ex Sigonio A. 1024. à Conrado II. 1026. ab Henrico III. 1047. ab Henrico IV. (dicto III.) 1077. à Lothario II. 1132. & 1136. à Conrado III. 1143. & à Friderico, de quo hìc, 1154. &c. v. 1158. ex quibus liquet ſtabiliorem fuiſſe locum Comitiorum in Italia, ſaltem Germanis imperantibus, quàm in Francia, ubi huc, illucque uno vel altero tempore celebrabantur, ut colligimus ex *Annalibus* præſertim *Bertinianis* tomo II. hujus editionis ſub AA. 832. & 835. Attamen ante Germanorum Imperium adhuc in Italia Comitia fuiſſe vaga conjicio ex *Annalib. Francor.* A. 773. ubi Rex Carolus *Synodum tenuit generaliter cum Francis apud Januam Civitatem* (Synodus, Conventus, Placitum, Mallum ſynonyma ex Papia *in Mallum*) & ſub A. 776. *Conjunxit Synodum ad eandem Civitatem, & ibi Placitum publicum tenens &c.* Alibi, & in urbibus Venetiæ ſeculo X. fuiſſe peracta à Patriarchis Aquilejæ, & Marchionibus, noſcimus ex quodam Diplomate MS. Berengarii Veronæ dato A. 921. Petro Aquilejenſi Presbytero, ubi Placita habebantur *in præſentia Marchionis, qui pro tempore fuerit, tribus vicibus in anno*. Ubi vis tamen gentium, ac quovis loco celebrarentur, ſitus Campus Martius vocabatur juxta Gregor. Turon. *Hiſt. 2. 27.* non à Marte, ut putavit Hincmarus notatus à P. de Marca, *Marca Hiſpan. l. 3. c. 10.*, ſed à Kalendis Martii, quibus celebrabantur ſub papilionibus: addit §. 2. quòd „ Pippinus „ Rex agnoſcens tempus illud eſſe valde in„ commodum agendo Conventui, mutavit: „ eumque haberi deinceps præcepit menſe Ma„ jo: unde dictus *Campus Majus*, qui antea „ *Campus Martius* dicebatur, ut monuit Fre„ degarius ad A. 776. his verbis: *Pippinus „ Aurelianis placitum ſuum Campo Majo, quod „ ipſe primus pro Campo Martio pro utilitate „ Francorum inſtituit.* „ Utique, ſed quo ad annum aliter lego in Annalib. Petavianis apud Ducheſ. *tom. 2. p. 7.* ubi *A. 755. venit Thaſilo ad Martis Campo, & mutaverunt Martis Campum in menſe Majo.* Plura apud Andream Rivinum *in Diatribe de Majumis, Maicampis, & Roncaliis*, in Syntagmate diſſertationum Grevii. Video etiam Pagium ſub A. 752. n. 4. & A. 755. n. 24. variè legere Fredegarium, quem laudat De-Marca, & Annaliſtam Petavianum, qui mutationem factam dicit A. 755. Videant Viri docti, dum magìs res Italicas ſpectamus, quàm exteras.

EX CODICE AMBROSIANO.

Sequenti verò Januarii menſe, qui fuit de 1159. anno, de indictione ſeptima, præcepit Domnus Imperator Placentinis, quatenus ipſi omnes turres quaſcumque in eorum civitate habebant à viginti brachiis ſupra deſtruerent, atque omnia eorum foſſata, quæ pro ipſis ab eo defendendis iſto animo fecerant, penitus explanarent, ac deinceps in ſua bona voluntate, quamvis multùm, & in pluribus cauſis eum jam graviter offenderant, omnibus tamen offenſionibus remiſſis in pace quieta deinde viverent. Placentini namque hoc audientes, quamvis mœſtiſſimi, tamen foſſata eorum explanare, & turres civitatis deſtruere cœperunt, ſed fraudolenta tenti occaſione, ut ad id pervenirent, quod ex poſt facto apparuit, non perfecerunt.

Hoc eodem menſe Imperator ſuos Legatos ad Cremam direxit, & Cremenſibus quatenus muros, & foſſata caſtri Cremæ, deinde uſque ad Sanctam Mariam, quæ dicitur Cirialis, deſtruerent, mandavit; ipſi verò Cremenſes hoc audientes, & hoc in maximum dedecus accipientes, ſuper illos Legatos fortiter irruerunt, ac interficere voluerunt, ſed ipſi fugientes, atque ſe abſcondentes, vix evadere potuerunt, ac valde triſtes ad Imperatorem redeuntes quæ ipſis acciderant renuntiaverunt. Imperator namque ut hoc audivit, quamvis mœſtus inde foret, in pace tamen ſuſtinuit.

Eo etiam tempore Imperator cùm Papiæ primùm, deinde Placentiæ atque Cremonæ, ſeu etiam Laudæ ſuos Poteſtates de ipſiſmet civibus prædictarum civitatum conſtituiſſet, Raynaldum Cancellarium ſuum, & Ottonem Fallizum-Gravum (15) Mediolanum dirigens, juſſitque eis, quatenus ipſi in Mediolano de ipſis met civibus, ſicut in prædictis aliis civitatibus jam fecerant, ſuos Poteſtates crearent, quia tunc ipſis omnes etiam Longobardiæ

EX EDITO AB OSIO.

ipſis rebus non intromiſſuros unanimiter ſpoponderunt. Inſuper etiam veram, & perpetuam pacem ibi omnes inter ſe, & cum omnibus aliis perſonis deinceps ſe firmiter tenere juraverunt, & promiſerunt ponere ſignum Aquilæ ſuper Campanile Eccleſiæ maioris in ſignum fidelitatis; ac etiam quod Mediolanenſes liberarent centum nonaginta Papienſes, quos habebant carceratos. Ultra hoc Mediolanenſes privavere ſe de multis rationibus, & dignitatibus obtentis à diverſis Pontificibus, & Imperatoribus; ac etiam præcepit eis Imperator, ut ſervarent pacem perpetuam ſuis vicinis. Tamen hoc Mediolanenſes, atque Cremonenſes paucioribus ſeptem menſibus ſervaverunt: immò ante hoc ſpatium Laudenſes, cum nullum adhuc illis malum intuliſſent, invadentes, pacem ipſam violavere. Deinde Mediolanenſes, atque Cremonenſes, Papienſes quoque, ac Placentini de ſtando, & per omnia attendendo ipſius Imperatoris præcepto ei tunc multos obſides tradiderunt: ibique Imperator multas leges, quas fecerat, in ſcriptis redigi fecit, multaque etiam præcepta hortatu ſuorum Principum cuſtodiri præcepit. His itaque peractis, cum Imperator omnia ſe benè peregiſſe, & Imperium ſuum, ſicut ſe debebat, in pace quieta obtinere putarent, quamvis in contrarium ſibi paulò poſt contigerit, de Roncalia tandem diſceſſit.

Sequenti verò Januarii menſe, qui fuit MCLVIIII. indictione ſeptima, præcepit Dominus Imperator Placentinis; quod ipſi omnes turres, quas in eorum Civitate habebant à viginti brachiis ſupra, deſtruerent; atque omnia foſſata, quæ pro ſe defendendo ab eo fecerant, penitus devaſtarent; & deinceps, quamvis eum nimis graviter offendiſſent, in ſua bona voluntate, & quieta pace, remiſſis omnibus offenſis, viverent, & manerent. Placentini autem hoc audientes quamvis mæſtiſſimi, tamen foſſata explanare, & turres deſtruere cœperunt; ſed fraudolenta tenti occaſione, ut ad id pervenirent, quod ex poſt facto apparuit, non perfecerunt. Eodem menſe Januarii Dominus Imperator Legatos ſuos mittit Cremam, qui ex parte ſua Cremenſibus præciperent; quod muros, & foſſata Caſtri Cremæ ab eo die uſque ad Sanctam Mariam, quæ dicitur Cerealis, deſtruerent. Ipſi verò Cremenſes hoc audientes, & in magnum dedecus accipientes, ſuper ipſos Legatos fortiter irruerunt, & eos interficere volebant; ſed ipſi fugientes, & ſe abſcondentes, vix evadere potuerunt. Quod cum eveniſſet, valdè triſtes ad Imperatorem redierunt, renuntiantes ea, quæ ſibi Cremenſes fecerant. Imperator verò, ut hoc audivit, quamvis mæſtus inde foret, in pace tamen ſubſtinuit. Ipſo etiam tempore cum Imperator Papiæ primùm, deinde Placentiæ, atque Cremonæ, atque etiam Laudæ ſuos Poteſtates de Civibus ipſarummet Civitatum conſtituiſſet, Rainaldum Cancellarium ſuum, & Othonem Falgigranam miſit Mediolanum; juſſitque eis, quatenus ibi de Civibus Mediolani, ſicut in prædictis aliis Civitatibus jam fecerat, ſuos Poteſtates crearent: omnes enim Lombardiæ Civitates tunc temporis regebantur à Conſulibus ſumptis de Civibus ipſarum Civitatum. Mediolanenſes itaque eos videntes, & quid agere vellent cognoſcentes, ma-

(15) *Falcigranum, ſive Falcigravium alibi vocat, ideſt, Palatinum Comitem.* Leibnitius ad Morenam p. 819.

EX CODICE AMBROSIANO.

diæ civitates à Consulibus (16) ab ipsis met civitatum Civibus creatis regebantur. Mediolanenses itaque eos videntes, & quid agere vellent cognoscentes, maximo rumore statim inter eos habito super eos irruerunt, & quosdam equos ipsis auferentes, & ipsos interficere minantes januis palatii, supra quod fuerant, clausis vix evaserunt. Sequenti verò nocte prædictus Otto Falzigravus privatim de Mediolano exiens, de ipsa civitate fugit, Cancellarius verò, quamvis usque ad diem stetisset, tamen & ipse nihil proficiens de Mediolano recessit. Itaque cùm & utrique ad Imperatorem redissent, & quid eis accideret renuntiantes, Imperator quasi vilipenderet, ac pro nihilo haberet, tacuit.

Mediolanenses igitur nequitiam eorum compescere non valentes in primo die Sabbati, qui fuit post Pascha Resurrectionis Domini, & qui fuit tunc tertio die mensis Aprilis (17) in 1159. anno, cùm prædictus Imperator nihil mali adhuc Mediolanensibus post pacem cum ipsis factam intulerat, ad castrum Tritii (18) perrexerunt, ibique illud obsidentes, ligneumque castellum, atque preterias ibi levantes, ac graviter ipsum castrum expugnantes,

EX EDITO AB OSIO.

maximo rumore statim inter eos habito, super eos irruerunt, & quosdam equos eis abstulerunt, ipsosque interficere minati sunt. Sed januis Palatii, super quod erant, clausis, vix evaserunt; sequenti verò nocte Falzigranus privatim exiens de ipsa Civitate, fugit. Cancellarius verò quamvis usque ad diem stetisset, tamen & ipse nihil proficere valens, de Mediolano recessit .... Imperatorem rediissent, & ei quid eis acciderat, retulissent; Imperator quasi vilipenderet, & pro nihilo hoc haberet, tacuit.

Mediolanenses itaque nequitiam suam compescere non valentes, in primo die Sabbati, quæ fuit post Pascha Resurrectionis Domini anno MCLVIII., cum Dominus Imperator nullum malum fecisset Mediolanensibus, postquam pacem fecerant cum eis, ad Castrum Trecii perrexerunt; ibique illud obsidentes ligneumque Castellum, atque Petrerios ibidem levantes, & graviter ipsum expugnantes, plures homines interfecerunt; in sequenti verò die ipsum Castrum

(16) Quemadmodum libertatis Romanæ origo inde fuit, quòd Imperium Consulare esset annuum, scribente Livio lib. 2. post initium: *Libertatis autem originem inde magis, quia annuum Imperium Consulare factum est, quàm quod diminutum quicquam sit ex Regia potestate numeres*: ita & Italicæ, Othone M. Imperante, ut observavit Otho Frising. *l.* 1. *c.* 13. cujus verba hic etiam recitare fas sit. ,, In ,, Civitatum quoque dispositione, atque Reipu- ,, blicæ conservatione antiquorum adhuc Ro- ,, manorum (Italia) imitatur solertiam. De- ,, nique libertatem tantopere affectant, ut *Po-* ,, *testatis* insolentiam fugiendo, *Consulum* po- ,, tiùs, quàm Imperantium regantur arbitrio. ,, Cùmque tres, inter eos, Ordines, idest, ,, *Capitaneorum*, *Valvassorum*, & *Plebis* esse ,, noscantur, ad reprimendam superbiam, non ,, de uno, *sed de singulis* prædicti Coss. eli- ,, guntur; neve ad dominandi libidinem pro- ,, rumpant, *singulis pæne annis variantur*,, &c. *l. l.* Pariformiter omnes Italiæ Civitates regebantur, neque Roma excepta, ut prodit Germanus Platina in Joh. XIII. ætate Othonis M. scribit: *erant tum Romæ duo annui Coss. ex nobilitate: Præfectus unus, qui jus populo diceret: ex plebe autem Decarchones XII. creabantur, qui vicem Senatus gererent.* Omnibus itaque urbibus concessum ut per suos Coss. regerentur, & plerumque annuos, ut etiam de Patavinis confirmat Ang. Portenarius Felicitat. Paduæ l: 4. c. 2. Italicè scribentis ,, Henricum IV. (ab A. 1056.) con- ,, cessisse Patavinis, ut ex nobilibus compone- ,, retur Senatus, qui ob Civitatis regimen crea- ,, ret singulis annis duos Coss. ,, Plerumque dixi, quoniam alicubi observo prorogari potuisse Consulatum, ut ex binis diplomatibus datis ab Ænobarbo Papiensibus A. 1164. & ab Henrico VI. A. 1191. quæ apud me extant, ubi etiam non duo, sed septem Coss. nominantur. Ex quibus liquet, in frequentioribus urbibus majorem etiam fuisse Consulum numerum, sicut ævo Romano IIviri, vel IIIIviri. De Coss. Mediolani videatur in hac Collectione Radevicus *l.* 1. *c.* 4., ubi definitur eorum tempus, & quidquid agere debebant erga Imperatorem. Porrò ex Libro *Consuetudinum Mediolani* MS. A. 1216. in Ambrosiana f. D. 42. scripto ex mandato Baunazii Porchæ olim Prætoris Mediolani, sed solùm dicto A. 1216. vulgato, Prætore Jac. Malecoxigia, & XIII. J. CC. Assessoribus, ut vim legis municipalis haberet, intelligimus, summum Magistratum fuisse apud Coss., quorum singuli habebant suum Vicarium, ut in Rubr. *si aliquis* p. 3. ubi *Consul, sive Vicarius ejus*, alibi fortè dictus Proconsul, ut legitur in charta Chuonradi A. 1031. apud Rubeum *H. Ravennæ lib.* 5. *p.* 279. Ibi: *si quis ergo Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Consul, Proconsul &c.* Tres adhuc distinguuntur Coss. ordines, nempe *Reipublicæ* XI. *Justitiæ* VI. & *Negotiatorum*, quorum numerus non definitur. Erant tamen & ipsi nobiles, nam sub Rubric. de *Consuetudinib. servand.* dicitur, *nec Coss. negotiatorum intelligantur esse Officiales Communis Mediolani: nec impediantur, quin possint Consulatum Communis, vel Justitiæ, vel aliud Officium Civitatis Mediolani habere.* Satis. Anonymus plura quamproximè dabit de priscis Magistratibus Mediolani. Ex prædictis colligatur, apud Italos tunc fuisse quoddam Regimen mixtum Regni, & Aristocratiæ. Regni, ob Consules, in quorum manu vita & mors. Aristocratiæ, quia Senatus, plebe exclusa, solùm ex Patritiis, & nobilibus constituebatur. Videatur Ughellus tom. 4. col. 21. primæ edit. O tempora, o mores! Consulatus tantæ dignitatis apud veteres, primoribus solùm collatus, adeò nunc viluit, ut Villicus Consf. quoque appelletur.

(17) Malè ab amanuensi descriptus est hic dies; tertio enim Aprilis die adhuc Quadragesimale tempus currebat, cùm anno 1159. Pascha in duodecimum ejusdem mensis inciderit, ab Osii codice abest hoc mendum.

(18) Quod, quamquam semper arx munitissima, à Lexicographis præteritur, & Corographi nostri ejus vix nomen innuunt. Octo circiter milliaribus supra Cassianum, *in Peninsula Abduæ* (ad dexteram) *situm, natura, opereque munitissimum est*, adhuc ævo Sfortiadum, quo hæc scribit Calchus *H. Patr. p.* 182. Ideo gazam suam ibi reposuerat Cæsar, quam Mediolanenses, arce recepta, diripuerunt. Si Ænobarbus Tricium cepit, non conditum à Bernabove Vicecomite, ut perperam scribit Leand. Albertus *Ital. p.* 416. *b.* Corium allegans, qui tamen sub A. 1370. non ab hoc Principe ædificatum, sed restauratum solùm tradit: ponte adhuc structuræ mirabilis, quia unius tantùm fornicis, flumini imposito, quem P. Jovius in Bernabovis vita adeò commendat. Cætera supra apud Radevicum l. 1. c. 30. Videatur & Guntherus in Ligurin. à v. 443. ubi

Stabat in ejusdem devexo margine ripæ
Turribus & valido castrum spectabile muro:
Nomen erat Tycium Ligurum sub nomine tutum.
Hactenus & nullo tactum per sæcula bello.

EX CODICE AMBROSIANO.

tes, quampluribus hominibus interfectis in sequenti die Lunæ ipsum castrum ceperunt, ac illud totum expoliantes, maximamque pecuniam, quam in eo Imperator accumulaverat ex ipso auferentes, totumque ipsius castri murum destruentes, omnes Teutonicos, quos Imperator in ipso castro custodiendi causâ posuerat, qui plus de ducentis fuerant, & unà cum Idthegherio, aliisque etiam villanis, qui in ipso castro morabantur, captos & ligatos turpiter deduxerunt, ac Mediolanum reversi omnes in carcerem eos posuerunt. Imperator itaque hoc audiens, quamvis de pace sibi fracta, ac de suo castro dirupato, suisque hominibus captis, & in carcere sinè ulla ratione ab his, qui fidelitatem ei juraverant, positis valde condoleret, tamen ne propter hoc super eis adhuc insurgere, nec aliquod malum eis inferre curavit. Interea Imperator Laudam veniens, cùm castrum Tritii jam captum fore audivit Bononiam reversus est.

Præterea namque in sequenti Pascha Pentecostes, quod fuit tunc de Madio, Octavo Calendas Junii, (19) de Indictione septima, equites Mediolanenses primùm Laudæ post pacem factam invadentes, Domino nostro Jesu Christo Laudensium miseriam præcavente, & ipsis malum injustè, & sinè ulla ratione fieri non ignorante, & quia in tam præclara jucundaque festivitate Mediolanenses tunc Laudenses invaserant.

Laudensium equites tunc foràs prosilientes, ac cum ipsis in campo certantes, eosque Dei magìs, quàm ipsorum virtute maximo robore devicentes, Laudenses ex ipsis quatuordecim vivos ceperunt, duos verò ex eis, scilicet Arnaldum Caghatosicum equitem nobilem ac fortissimum, & quemdam alium interfecerunt. Reliquos namque plus de quinque milliaribus viriliter fugaverunt, de equis autem plus de quindecim habentes cum magno gaudio domum reversi sunt, statimque eorum Legatum, qui ea omnia quæ ipsis acciderant per ordinem narraret, ad Imperatorem direxerunt. Imperator itaque, ac Curia ejus tota, verba quæ audire cupiebant audientes, ipsosque Laudenses magnos ac mirabiles equites fore dicentes, ipsa verba alacriter acceperunt, ipsosque Laudenses valde commendaverunt, ac non multùm cum ipsis idem Imperator morans, Laudam vênit, ipsosque Laudenses in concione publica valde laudavit, ac eis multas grates de hoc, quòd ipsi tam malè Mediolanenses tractaverunt retulit. Laudenses verò omnes Mediolanenses equites, quos ceperant, ipsi Imperatori repræsentantes, ipse Imperator eos omnes Papiæ in carcerem deduxit.

Postea namque die Jovis, quæ fuit undecimo die sequentis proximi mensis Junii, in quo fuit festivitas S. Barnabæ Apostoli, Mediolanenses civitatem Laudæ fraudolenter, ac subdolosè capere se posse putantes, fecerunt Cremenses ab illa parte Abduæ, quæ est versùs Cremam ad pontem, qui tunc levabatur, sed nondum fuerat expletus priùs Laudenses invadere, ut omnibus Laudensibus pro timore pontis currentibus illuc, ipsi Mediolanenses ab hac parte Abduæ, quæ est versùs Mediola-

(19) Uterque codex editus & MStus errat in numero diei: Pentecostes enim anno 1159. in 31. Maji incidit.

EX EDITO AB OSIO.

strum ceperunt, & illud totum expoliantes, maximamque pecuniam, quam in eo Imperator cumulaverat, auferentes, totum Castellum, ipsiusque murum destruentes, omnes Theutonicos, quos in ipso Castro Imperator pro ipso custodiendo posuerat, qui plures ducentis erant, & unà cum Rotogeriis aliisque villanis, qui in ipso Castro morabantur, captos, & ligatos turpiter deduxerunt, & reversi Mediolanum omnes in carcerem posuerunt.

Imperator itaque hoc audiens, quamvis de pace sibi facta, ac de suo Castro diruto, suisque hominibus captis, & in carcerem absque ulla ratione ab his, qui fidelitatem ei juraverant, positis valdè condoleret; tamen nec propter hoc super eos insurgere adhuc, nec aliquid malum eis inferre curavit. Interea Imperator Laudam veniens, cum Castrum Trecii jam captum esse audivit, Bononiam reversus est.

In sequenti verò Paschate Pentecostes, quod fuit tunc vigesimo septimo Maji Indictione septima, equites Mediolani primo Laudam post pacem factam invaserunt; sed Domino nostro Jesu Christo anxietatem Laudensium misericorditer præcavente, & ipsis in tam præclara, jucundaque festivitate malum injustè, & sine ulla ratione fieri non ignorante, Laudenses sunt de manibus Mediolanensium liberati. Nam tunc Laudensium equites foras audacter prosilientes, & cum Mediolanensibus acriter pugnantes, ac ipsos in campo, Dei magis, quàm eorum virtute, maximo robore devincentes, quatuordecim de ipsis Mediolanensibus vivos ceperunt; duos verò ex eis, scilicet Arnaldum Cagatosicum equitem nobilem, & fortissimum, & quendam alium interfecerunt. Reliquos autem plures quinque millibus viriliter fugaverunt, & de equis plures quindecim habentes, domum cum magno gaudio sunt reversi. Qui statim ad Imperatorem Legatum direxere, qui ei omnia, quæ eis acciderant, per ordinem enarravit. Imperator verò, & tota ejus Curia audientes, & quæ libenter audire cupiebant, ipsos Laudenses magnos, & mirabiles equites esse dicentes, ipsa verba alacriter receperunt, ipsosque Laudenses valdè commendaverunt. Post hæc verò D. Imperator non multum moratus Laudam venit; ipsosque Laudenses in concione publica valdè, ac valdè laudavit, ac eis magnas gratiàs de eo, quod ipsi tam malè Mediolanenses tractaverunt, retulit. Laudenses verò omnes Mediolanenses, quos ceperunt equites, ipsi Imperatori repræsentaverunt. Imperator verò ipsos omnes Papiam in carcerem deduxit.

Postea autem die Jovis, qui fuit undecimo sequentis proximi mensis Junii, & in quo fuit festum Sancti Barnabæ Apostoli, Mediolanenses Civitatem Laudæ fraudulenter, ac sub dolo capere se putantes fecerunt Cremenses ab alia parte Abduæ, quæ est versus Cremam ad pontem, qui tunc levabatur, sed nondum erat completus, invadere prius Laudenses; ut ipsi Mediolanenses, Laudensibus omnibus propter timorem pontis illuc concurrentibus, ab alia parte, quæ est versus Mediolanum, venientes, ante-

EX CODICE AMBROSIANO.

lanum venientes, antequam Laudenses, qui ultra Abduam cum Cremensibus pugnarent, illi parti, in qua Mediolanenses forent, occurrere possent, leviterque infra civitatem intrarent, quæ res licèt nepharia foret, tamen de invasione sicut tractaverant, ita ad finem perduxerunt: Laudenses ab utraque parte viriliter se defendentes, filium Vasalli de Porta Comacina qui . . . . . . vocabatur, in Silvamgræcam, quia ex illa prosiluerant parte, interfecerunt, ex Cremensibus autem multos vulneraverunt, ipsique Cremenses similiter ex Laudensibus, qui fortiter pontem defendebant plerosque sauciaverunt. Sed cùm acriter à mane usque ad meridiem ab utraque parte pugnatum esset, Mediolanenses atque Cremenses se nihil ex hoc astabant, perficere posse videntes, & civitatem quàm leviter capere se posse putabant, in aliquo se lædere non valere cernentes, à prœlio discesserunt, mœstique pernimium ac maximè dolentes, ad domos eorum reversi sunt.

Præterea die Jovis (20), quæ fuit septimo die sequentis proximi mensis Julii, tunc Cremonenses iverunt ad obsidionem circa castrum Cremæ absque Imperatore; post octo verò dies Imperator cum omni ejus exercitu ad ipsam obsidendam perrexit.

Interea in die Lunæ in quo fuit festivitas Sanctæ Margaritæ, & fuit tertio decimo die (21) ejusdem mensis Julii, vênit Imperator à castro Cremæ (22), ad civitatem Laudæ, cùm sol jam occasum fecisset, cum plus de trecentum suis militibus Teutonicis (23), ac per to-

EX EDITO AB OSIO.

antequam Laudenses, qui ultrà Abduam cum Cremensibus pugnarent, illi parti, in qua Mediolanenses essent, occurrere possent, leviter civitatem intrarent. Quæ res licet nefaria esset, tamen de invasione sicut tractaverant, ita ad finem perduxerunt. Laudenses verò se ab utraque parte viriliter defendentes, filium Vasalli de Porta Cumana in loco qui vocabatur in Sylva græca, quia ipse ex illa parte prosilierat, interfecerunt. Ex Cremensibus autem multos vulneraverunt. Ipsi autem Cremenses multos ex Laudensibus, qui fortiter pontem defendebant, sauciaverunt. Sed cum à mane usque ad meridiem acriter ab utraque parte pugnatum esset; Mediolanenses, atque Cremenses, se ex hoc, quod optabant, nihil proficere posse videntes, & civitatem, quam leviter se posse capere putabant, in aliquo lædere se non posse cernentes; à prælio discesserunt, & mæsti quàm nimis, ac graviter dolentes domos eorum sunt reversi.

Postea autem die Jovis, quæ fuit septimo die sequentis proximi mensis Julii, iverunt Cremonenses ad obsidionem circa Castrum Cremæ, absque Imperatore. Post octo autem dies Imperator cum omni Exercitu suo ad ipsam Cremam obsidendam perrexit. Interea die Lunæ, in quo fuit festivitas Sanctæ Margaritæ, & fuit undecima die ejusdem mensis Julii, venit Imperator à castro Cremæ ad civitatem Laudæ, cum Sol jam esset ad occasum, cum pluribus trecentis suis militibus Theutonicis: qui cum illuc pervenissent, per totam sequentem no-

(20) *Corrige* die Martis.

(21) S. Margaritæ festivitas in nostris Martyrologiis & Calendariis ad alterum diem pertinet. An aliqua hæc sit ex SS. Margaritis, quæ inter Prætermissos ad hunc diem numerantur in Opere Bollandiano, videant alii.

(22) Nunquam celebrior quàm hoc sæculo hæc urbs. Cæcutit Blondus, *Ital. ill. Reg. 7. p. 362.* scribens: *ad Serii fluminis sinistram* (dexteram) *primum est Crema, Oppidum nobile à Friderico Barbarossa, post afflictam Cremonam, in ejus civitatis damnum, opprobriumque ædificatum*. Ab extremo ad extremum transeunt Geographi clariores Cluverius, Sanson, Cellarius, & Lexicographi, Cremam Forum Juntorum Ptolemæi (corruptè Diuguntorum) putantes, quod probatu difficile. Ejus ortum non incongruis conjecturis A. 570. consignat Sigonius *R. I. lib.* 1. Incrementum verò recepit ex ruinis Parasii urbis olim Episcopalis: Quoniam laudatis Geographis fortè non innotuit, ex situ Ptolemæi existimarunt, dictum Forum fuisse Cremam, quando rectiùs, faciliùsque potuit esse Parasium. Cur, & quando hoc dirutum, ut Crema creverit, variant Scriptores. Sentit Sigonius sub A. 1047. fuisse à Mediolanensibus eversum, quia Parasini auxilium tulerant Papiensibus. Sed ab Archiepiscopo Mediolanensi solùm scribit Leand. Albertus *Ital. p.* 393. A. 951. ob crimen hæresis, quam recitat. Ita & Morigius *in Metropolitana c.* 22. quem sequitur Ferrarius Lexic. *in Parasium*: qui Parasinæ cladis auctorem asserit Henricum IV. Notatur in Italiæ Tabulis *Palatium* tribus circiter passuum millibus distans à Crema in Occasum, & citra Serium, sicut & proxima Crema. Quomodo duæ urbes adeò vicinæ? Probabile ergo, Cremam ex Parasii casu surrectam. Ita urbs tunc ex vico, sicut nunc Parasium ex urbe vicus.

(23) Mediæ, & infimæ ætatis Historicis, præsertim Italis placuit Germanos, sive Alemannos communi nomine Theutonicos (ex primitivo Theotisci eo deducto) appellare. Variis omissis etymis, sentit Goldastus *Præf. ad tom.* 1. *Scripp. Rer. Alemmanic.* nomen hoc profectum ab Italis: ut ideo illos eodem nostrates probabile videatur. Verùm nec vox *Theotisci* est Italica, cùm ejusdem terminationis inter Germaniæ populos legantur passim *Cherusci*, *Taurisci*, *Narcisci*, *Varisci*, & si qui alii: nil referendo, quòd apud nos terminantes in *sci* fuerint *Tusci*, *Hetrusci*, *Volsci*, quo argumento nititur Goldastus. Minus Italica vox Theutonici, sive Teutones, rectiùs *Teutoni*, cùm Latini, ut mox, & Græci adhuc Cimbricam irruptionem scribentes, Teutonas appellent, ut Plutarchus *in Mario p.* 201. *b.* ubi *rumores de Teutonis, & Cimbris increbuere*, & infra iterum, tertio, & quarto, ubi etiam in textu Græco Τευτόνας, & per Τ, non per Θ. Item conterminos, sociosque fuisse Cimbrorum, scribente Mela l. 3. p. 158. Vadiani: *Super Albim Codanus ingens sinus . . . . . . in eo sunt Cymbri, & Theutoni*; referente etiam Ful. Ursino *emend. in lib.* 2. *c.* 1. Cæsaris p. 99. fragmentum lapidis, in quo scriptum *Teutonorum exercitum . . . . . Cimbros fugavit*. Hinc Joh. Freinshemius *supplem. Livian. l.* 20. *c.* 55. Observat, quòd „ hæc prima Germanorum in „ Historia Romana mentio, qui ex Transrhe„ nanis gentibus mercede conducti, Virdomaro „ Duce in Italiam venerant. „ Contenditur adhuc an apud Livium *l.* 5 *c.* mihi 19. legendum sit *Germanorum*, vel *Cenomanorum*, ut apud Joh. Marium Matium *Annot. in var. c. 7. p.* 10. Nec ad rem Germani in Perside, quos memorat Herodotus *l.* 1. *p.* 53. Obsolevisse postea nomen hoc Teutonorum, ex quo ad Germanos accedere Romani cœpere innuere videtur Strabo l. 7. post initium, ubi: *Romani hoc illis nomen jure indidisse mihi videntur, perinde ac eos fratres legitimos Gallis eloqui voluerint. Legitimi namque fratres Romano sermone Germani intelliguntur*. Consentit Tacitus, dum Germaniæ descriptionem exordiens, ait: *vocabulum recens, & nuper additum*. Nuper? Germanos novit, vicit, scripsitque Cæsar sesquisæculo ante Tacitum; imò tantumdem, & ampliùs ante Cæsarem exhibent (si non mentiuntur) Fasti Capitolini ad A. U. C. 531. ubi *Marcellus. Cos. de. Galleis. Insubribus. &.* Ger-

EX CODICE AMBROSIANO.

totam sequentem noctem cum ipsis & Laudensium equitibus equitavit versus Landrianum, mandavitque Papiensibus, quatenus centum de ipsorum militibus Mediolanum quàm propius possent acriter invaderent; alii verò Papiensium omnes equites in abscons0 loco se reponerent, mandavitque etiam illis, qui Mediolanum invadere debebant, ut, cùm ipsi reverterentur, & à Mediolanensibus acriter persequerentur, quòd ipsi per illam redirent viam, in qua Imperator ipse cum Teutonicis suis, & unà cum Laudensibus & aliis Papiensibus absconditus foret. Papiensium itaque centum milites, ut Imperator illis mandaverat, bene ac robustè Mediolanum per unum ferè milliarium prope invadentes, quamplurimosque homines etiam interficientes maximam prædam levaverunt; Mediolanenses verò ut hoc audierunt statim in equis ascendentes Papienses valde persequuntur, & in qua Imperator cum suis absconditus fuerat, reverti non valuerunt. Mediolanenses igitur Papienses persequentes multos ex eis ceperunt, pluresque vulneraverunt. At Imperator cum suis Papienses redeuntes expectans, vidensque illos per illam viam, quam ipsis indicaverat, non revertentes, putansque etiam illud eis accidisse, quod in veritate acciderat, statim Papiensibus, qui cum ipso fuerant, præcepit, ut ipsi unam viam, quæ versùs Mediolanum ibat, pergerent, ipseque cum suis, & unà cum Laudensibus per aliam, quæ scilicet versùs Mediolanum pergebat, tenderet; Papienses verò cùm velociter irent, in Mediolanensibus inciderunt, Mediolanenses namque super eos irruentes, fortiterque cum ipsis pugnantes, multosque ex eis capientes reliquos fugaverunt. Interea namque Imperator, cùm ipsi Mediolanenses valde læti à prœlio jam redirent, eis obviam robusto veniens animo, ac in Teutonica lingua fortiter vociferans, statimque super eos irruens, mirabiliter invasit. Mediolanenses igitur Teutonicam linguam intelligentes, ac ipsum Imperatorem esse putantes in nihilo se defenderunt, sed statim omnes terga vertentes fugere cœperunt. Imperator itaque ejusque Teutonici, Laudenses quoque ipsos Mediolanenses acriter persequentes plus de tercentum militibus de Mediolani melioribus ceperunt, equos etiam ultra quadringentos habuerunt. Cepit namque Domnus Imperator tunc Codemalium de Pusterla, Guidonem & Henricum germanos, qui dicuntur de Landriano, Abraticum Mediolani Marcellani, Ugonem Crustam, Ambrosium Palearium, Manfredum Bandum, (*) Ardericum Nasellum, Nigrum Grassum, Paganum Burum, & insuper etiam plus de ducentis quinquaginta aliis, quos omnes per civitatem Laudæ egomet captos, ac omnes vinctos

EX EDITO AB OSIO.

noctem cum ipsis bis militibus, & Laudensibus equitibus versus Landrianum equitavit. Mandavit autem tunc ipse Imperator Papiensibus, quatenus centum de suis militibus Mediolanum, quam propinquius possent, acriter invaderent, alii verò Papienses omnes equites in abscondito loco se ponerent. Illis verò, qui Mediolanum debebant invadere, jussit; ut cum jam ipsi reverterentur, & Mediolanenses fortiter persequerentur, quòd ipsi redirent per illam viam, in qua ipse Imperator cum Theutonicis suis unà cum Laudensibus, atque Papiensibus esset absconditus. Papienses itaque centum milites, ut Imperator eis mandaverat, viriliter Mediolanum per unum ferè milliare propè invadentes, quamplures homines etiam interficientes maximam prædam levavere. Mediolanenses verò, ut hæc audierunt, statim equos ascendere, ac tam graviter persecuti sunt Papienses, quod ipsi per illam viam, per quam redire debebant, & in qua Imperator cum suis erat absconditus, reverti non potuerunt. Mediolanenses igitur Papienses persequentes, multos ex eis ceperunt, pluresque etiam vulneraverunt. At Imperator cum suis expectans redire Papienses, vidensque illos per illam viam non redire, quam eis indicaverat, putansque etiam, eis illud accidisse, quod acciderat; statim Papiensibus, qui cum eo erant, præcepit, ut ipsi per unam viam, quæ Mediolanum ibat, pergerent. Ipse verò cum suis, & etiam Laudensibus per aliam viam, quæ similiter versus Mediolanum tendebat, perrexit. Papienses itaque cum Mediolanum irent velociter, in Mediolanenses incidere, qui super ipsos Papienses fortiter irruentes, & cum eis pugnantes multos ex eis ceperunt, reliquos verò fugaverunt. Interea Imperator, cum ipsi Mediolanenses valdè læti à prælio jam redirent, eis obviam robustè veniens, ac in Theutonica lingua fortiter vociferans, statimque super eos irruens, mirabiliter invasit. Mediolanenses igitur Theutonicam linguam nescientes in nullo se defendere, sed statim terga vertere cœperunt. Imperator itaque ejusque Theutonici cum Laudensibus ipsos Mediolanenses acriter persequentes, plures tercentis militibus Mediolani de melioribus ceperunt. Equos etiam quadringentos habuerunt; cepit namque Dominus Imperator tunc Codemalum de Pusterla, Guidonem, & Henricum germanos de Landriano, Passaguadum de Setara, Abbaticum de Mediolano, Marcellinum Ugonem, Crustam, & Manfredum Bandum, Arderium Nasellum, Nigrum Grassum, & Paganum Borrum, & alios plures ducentis quinquaginta, quos omnes per Civitatem Laudæ egomet captos, & vinctos in carcerem vidi detrudi. Postea verò cum per aliquot dies Laudæ permansissent in carcere, ipsos omnes à Laude Papiam transduci fecit, ibique eos

Germanis. K. Mart. Isque. spolia. opima. retulit. Duce. Hostium. Virdomaro. ad. Clastidium. interfecto. Ut ut sit, recepto à Romanis Scriptoribus nomine Germanorum, antiquiùs Teutonorum diutissimè suppressum mansit, & fortè quoad jacuit Occidentis Imperium: quo restituto in Carolo M. divisoque sub Ludovico Pio Francico Regno à Germanico, hoc iterum Teutonicum veteri more fuit dictum: complectens, ut innuit Otho Frisingensis in *Chron. 6. 11. totam Orientalem Franciam, quæ modò Teutonicum Regnum vocatur, idest, Bajoariam, Sveviam, Saxoniam, Thuringiam, Frisiam, Lotharingiam*: & fusiùs infra c. 17. ubi præmisso dictæ divisionis modo, subdit: *Otto* (M.) *qui etiam Imperium à Longobardis usurpatum* (post Carolingos) *deduxit ad Teutonicos Orientales Francos, forsan dictus est primus post eos, qui à Carolo Carolingi, sicut à Meroveo Merovingi dicti sunt, ex alio, idest, Saxonum sanguine natus, Imperium ad Teutonicos Francos revocaverit*. Hac ratione potissimùm, & altera, quam suppeditat Leibnitius laud. *Collect. t. 1. p. 9.* dum à *Thaud*, hoc est, *Populo* nomen Teutonorum deducit, placuit Italis, & Historicis nostris, Germanos appellare Teutonicos.

(*) *Alter Cod. MS.* Vandum.

EX CODICE AMBROSIANO.

ctos in carcerem detrudere vidi. Postea verò cùm per aliquot dies Laude Papiam transducere faciens ibi eos item in carcerem ponere præcepit.

Imperator namque ad Cremæ obsessionem rediit; erat enim ad eam ibi obsessionem quædam magna societas solummodo pauperum & egenorum tunc insimul congregata, qui derisoriè filii Arnaldi (24) appellabantur, & qui quotidie die ac nocte Cremenses, omnesque etiam qui infra Cremæ castrum fuerant sic infestabant, quòd nullus infra ipsum castrum prope murum ipsius castri se movere poterat, quem ipsi cum ronsis (25) & lapidibus non sauciarent. Idcirco ipsi valde magis quàm aliqui alii ipsos Cremenses tunc perterrefecerant, quoniam ipsi quotidie maximam copiam interficiebant, quia ipsi tam parum vulnerare aliquem non interirent, ut ipsimet de Crema post ipsam copiam multisque aliis sæpe retulerunt.

Interea Cremonenses quoddam castellum ex optimis lignis fabricatum tam miræ magnitudinis construxerunt, quòd ex hac maris parte, nec par nec simile unquam visum fuit; præterea quoque tres manganos tam maximos ibi fecerunt, quòd nusquam ampliùs tales ab aliquo visi fuere. Insuper etiam & alios multos manganos, quamvis non tam magnos, ibi circa Cremæ castrum fabricavere. Imperator quoque & Dux Conradus frater ipsius Imperatoris, qui & Falzigravus de Reno dicitur, Dux quoque Federicus filius Regis Conradi, Comes etiam Otto, qui & Falzgravus dicitur, Comesque item Robertus de Baxavilla, multi quoque & alii Duces, & Principes innumerabiles magnos preteriasque & gatos ibi circumquaque fecerunt. Imperator verò à porta Serii ultra ipsum Serium, & ferè usque ad portam de Rivolta cum suis castrametatus fuerat. Cremonenses autem ante dictam portam de Rivolta hospitati fuerant. Jamdictus namque Dux Conradus frater Imperatoris cum suo exercitu, Comes quoque Otto Falzigravus, aliique etiam cum eo Principes ante portam de Umbriano sua castra posuerunt, Duxque Federicus Regis Conradi filius ultra Magolzum, intra portam de Umbriano, & portam de Planengo cum aliis Ducibus, & Principibus castrametatus fuerat.

Interea Domna Imperatrix Imperatoris uxor, quæ

EX EDITO AB OSIO.

eos iterum in carceribus poni præcepit.

His itaque sic peractis, Imperator ad obsidionem Cremæ rediit. Erat autem ibi ad illam obsidionem quædam magna societas solummodò pauperum, & egenorum tunc insimul congregata; qui derisione filii Arnaldi appellabantur; & qui quotidie die, ac nocte Cremenses, omnesque qui intra castrum Cremæ erant, sic infestabant, quod nullus intra ipsum Castrum propè murum Castri se movere poterat, quem ipsi cum romphis, & lapidibus non sauciarent. Idcirco ipsi magis, quam alii, multum timoraverunt ipsos Cremenses: interficiebant enim quotidie multos eorum, quia tum parum aliquem vulnerare non poterant, quin interiret, prout ipsimet Cremenses post ipsam Cremam captam sæpe mihi, multisque aliis retulerunt. Interea Cremonenses quoddam Castellum ex optimis lignis fabricatum, tam miræ magnitudinis construxerunt, quod citra mare unquam par nec simile visum fuit. Tres manganos etiam ita magnos ibi fecerunt, quod nunquam ab aliquo tales visi sunt. Insuper etiam & alios multos manganos, quamvis non tam magnos, multasque petrerias, duosque etiam magnos mirabiles gattos ibi circa Castrum Cremæ fabricaverunt. Imperator quoque, & Dux Conradus frater ipsius Federici, Dux quoque Federicus filius Regis Conradi, Comes etiam Otho, qui & Falcigranus dicitur, Comes quoque Rubertus de Bassavilla, multique alii Duces, & Principes, innumerabiles manganos, petreriasque, & gattos ibi circumquaque fecerunt. Imperator verò à Porta Serii ultra ipsum Serium, & ferè usque ad Portam de Rivolta cum suis castrametatus est. Cremonenses autem ante ipsam Portam de Rivolta hospitati fuerunt. Supradictus verò Dux Conradus frater Imperatoris cum suo Exercitu, Comesque Otho Falcigranus, aliique etiam cum eo Principes ante Portam de Ombriano, & Portam de Plavengo cum aliis Ducibus castrametatus fuit.

In diebus verò illis Domina Imperatrix uxor Im-

(24) Non quòd sectatores hujus essent, sed quia pauperes, & mendici. Nam inter cæteros errores, quos Arnaldus Brixiensis Clericus (perbellè pictus à Gunthero *in Ligurin. l. 3. à v. 261. ad 342.*) hauserat à Magistris suis P. de Buis, & P. Abaelardo, cunctis damnatis in Lateranensi II. A. 1139. ex Gunthero v. 271.

. . . . implebat vocibus aures,
Nil proprium Cleri: fundos, & prædia nullo
Jure sequi Monachos: nulli fiscalia jura
Pontificum . . . .

Nefarium Arnaldum, pulsum ab Italia persecutus est S. Bernardus ep. 195. ad Constantiensem Episcopum, ne suam Diœcesim inficeret: & ep. 196. ad Guidonem Cardinalem Legatum in Gallia, ut nec illuc moraretur. Cunctis demum invisus, captus in Tuscia, A. 1155. ex v. 337.

Judicio Cleri nostro sub Principe victus,
Adpensusque cruci: flammaque cremante solutus,
In cineres Tiberine tuas est sparsus in undas,
Ne stolidæ plebis, quam fecerat improbus error
Martyris ossa novo, cineresve foveret honore.

Videatur supra Otho Frising. l. 2. c. 20.

(25) De hac dictione Lexicographi in *Rombhæa*, & *Rhombphæa*. Vossius *etymol.* hoc verbo, cum Isidoro pro framea, vel altero hastilis genere romphæam capit. Recitat Dufrenius Glossar. *in Rompbus* hæc eadem verba Morenæ, & putat, Romphum *forte idem esse quod Rampino Italis: uncus: Gallis Croc*. Horum nihil ad rem. Arma erant romphi, sive tela, quibus in sensu Morenæ eminus vulnerabatur hostis. Is. in oppido, jaculatores extra stabant. Quomodo fossa, mœnibusque interpositis, unco, framea vel simili sauciari poterat hostis? Tela ergo missilia esse debebant, quæ unà simul cum lapidibus jaciebantur, ut ex contextu. Hinc rectè Gellius 10. 25. *Rompbea genus teli, est Thracæ notionis: positumque hoc vocabulum in Q. Ennii Annalium* 14. Cætera infra.

EX CODICE AMBROSIANO.

quæ Domna Beatrix (26) vocatur, cum suo exercitu, & vnà cum Duce Henrico de Saxonia, qui maximum exercitum secum duxerat ad eamdem obsessionem Cremæ in die Lunæ, quæ fuit duodecimo (27) Calendas Augusti venerat. Deinde sequenti quoque die Martis, in quo fuit tunc festivitas Sanctæ Praxedis jam dicta Domna Imperatrix, relicto ibi ad obsessionem, prædicto Duce Henrico, ejusque exercitu, primùm Laudem vênit; Laudenses namque omnes equites & pedites, masculi & fœminæ, parvulique etiam obviam euntes cum magno gaudio maximaque lætitia eam receperunt. Prædictus verò Dux Henricus ad obsessionem remanens ante portam de Planengo cum toto suo exercitu sua castra firmavit. Papienses verò & ipsi inter portam de Planengo, & portam Serii cum suis tentoriis se posuerant. Imperatrix itaque cùm per plures dies Laudæ stetisset, deinde, ipsa recedens Verugam perrexit; postea namque Dux quoque Guelfus (28) de Baiguerra (*) cum suo exercitu ad obsessionem Cremæ veniens, Imperator locum, in quo primùm ante portam Serii hospitatus fuerat, ipsi Duci Guelfo penitus dêreliquit, & ex hac parte Serii veniens intra portam de Rivolta, & portam de Umbriano per medium ligneum castellum, quem Cremonenses ædificaverant, sua castra composuit. Tunc etenim Cremenses undique sic obsessi fuerant, quòd nullus eorum extra castrum ultra Serratam unam ire, nec aliquis extraneus, nisi per medios hostes intus introire poterant. Ipsi tamen Cremenses cum Mediolanensibus, qui intus fuerant sæpe foràs ad prœlium exeuntes, maximum certamen quandoque cum Teutonicis, quandoque etiam cum Cremonensibus & Papiensibus, qui ibi fuerant, committebant. Inter cætera namque certamina, quæ ibi commisere, unum quidem maximum, eisque pernitiosum, cum Teutonicis commiscuerunt; quadam enim die summo mane, antequam homines de exercitu surge-

EX EDITO AB OSIO.

Imperatoris, quæ Beatrix vocabatur, cum suo Exercitu, & unà cum Duce Henrico de Saxonia, qui maximum Exercitum secum duxerat, ad eandem obsidionem Cremæ in die Lunæ, quæ fuit 12. Calen. Augusti venerat; deinde sequenti die, quæ fuit festum Sanctæ Praxedis, ipsa Domina Imperatrix relicto ibi ad obsidionem prædicto Duce Henrico de Saxonia, ejusque Exercitu, primò Laudam venit; cui omnes Laudenses tam equites, quam pedites, tam masculi, quam fœminæ parvulique obviam euntes, eam cum magno gaudio, maximaque lætitia receperunt. Prædictus verò Dux Henricus ad Obsidionem remanens, ante Portam de Plavengo cum toto Exercitu sua castra firmavit. Papienses autem intra Portam de Plavengo, & Portam Serii se cum suis tentoriis posuerunt. Imperatrix itaque cum per plures dies Laudæ stetisset, deinde recedens, Pergamum perrexit. Post hæc Dux Guelphus de Bavaria cum suo Exercitu ad dictam obsidionem Cremæ venit. Imperator verò locum, in quo prius ante portam Serii hospitatus fuerat, ipsi Duci Guelpho penitus dereliquit; & ex hac parte Serii veniens, inter Portam de Rivolta, & Portam de Umbriano per medium Castelli, quod Cremonenses ædificaverant, sua castra composuit. Tunc verò Cremenses sic undique obsessi erant, quod nullus extra castrum ultrà sagittam unam ire, nec aliquis extraneus nisi per medios hostes transire poterat. Ipsi tamen Cremenses cum Mediolanensibus, qui intus erant, sæpè foras ad prœlium exeuntes maximum certamen quandoque cum Theutonicis, quandoque cum Cremonensibus, & Papiensibus, qui ibi tunc erant, committebant. Inter cætera autem certamina, quæ ibi fecerunt, unum quidem maximum, eisque pernitiosum cum Theutonicis commiserunt. Quadam enim die summo mane antequam homines exercitus de lectis surgerent, Cremenses cum Mediolanensibus, qui intus erant, cum igne accenso foras per Portam de Umbriano armati prosilierunt, & ad manganum

(26) Hæc secunda Imperatoris, uxor qui primam nomine Adelheidem (al. Adilam) Theobaldi, (al. Diepoldi) Hocburgici Marchionis filiam dimiserat: *causa fornicationis sæpiùs infamatam expudiavit*, ut Otto de S. Blasio c. XI. supra dixit. Sed corrigendus cum Frisingensi 2. XI. teste de visu, scribente quòd *per Apostolicæ Sedis Legatos ab uxore sua ob vinculum consanguinitatis separatus fuerat*. Clarius, & evidentius id confirmat Urspergensis p.297. *Judicio Ecclesiæ in Synodo Constantiensi* (quæ abest adhùc à Labbeo) *inter ipsum, & Adilam filiam Marchionis Diepoldi de Hochburg, quam habuerat uxorem, divortium celebratum est, objectu consanguinitatis* (NB.) *quam postea Dietho de Ravensburch Ministralis ipsius habuit uxorem*. Is certè fornicariam non duxisset. Imperatorem pro Principe Græca in uxorem ducenda cum Emanuele Constantinopolis Imperatore tractasse relegimus ap. Fringens. *l. l.* sed re infecta hanc A. 1156. duxit Beatricem, Reinaldi Burgundiæ Comitis filiam, ob quam Imperatori jure hæreditario obvenit Burgundia. Frisingensis supra 2. 29. rem clarè exponit. De Beatrice præterit, quæ addit Albericus ad A. 1156. his verbis: „ Fredericus Imperator judicio, & „ consilio Archiepiscoporum, & Episcoporum, „ relicta uxore sua duxit filiam Comitis Bur„ gundiorum Rainald nomine, de Ultra S oa„ nam, quam Patruus suus Comes Guillelmus „ arcta turris custodia diu clausam tenuerat, ut „ eam perderet, & hæreditatem ejus fraudu„ lenter præriperet. Sed Deo miserante de ma„ nibus ejus liberata, Imperatori in conju„ gium liberata est. „ Ejus filios recenset supra Otho de S. Blasio *c.* 10. & quibus Principatibus singulos donaverit Fridericus Pater c. 21.

(27) Lege *decimo tertio*.

(28) „ VI. ejus nominis, Dux Bavariæ, & Comes „ Aldorfensis filius Hainrici Nigri Ducis Ba„ variæ, & frater Heinrici Senioris superbi „ Ducis Saxoniæ, & Bavariæ. Vultam (al. „ Utham) filiam Gotfridi Palatini de Calvo „ opulentissimi viri duxit uxorem, qui omnia „ bona soceri suo Gotfridi acquisierat, atque „ possedit. Tandem Albertus Comes de Calvo „ Gotfridi fratruelis, arce Calvvo VVelphonem „ dolo spoliavit. Cui Fridericus, & Conradus „ Sveviæ Duces fratres auxilio fuerunt: & „ Conradus Dux Zaringiæ arcem Stavenburg, „ quæ VVelphonis erat, obsedit. Verùm auxi„ liante Lothario Imperatore Duce Saxoniæ, „ infecto negotio, abiit. Tandem arcem Leo„ stain oppidum VVelphonis, oppugnat. Is „ VVelpho VI. pius dicebatur, & fuit Domi„ nus Spoleti in Italia, & Princeps Sardiniæ, „ rerum magnarum commendabilis: penultimus „ hujus nobilissimæ familiæ Princeps..... „ Bina vice Terram Sanctam visitavit. „ Verba sunt Ladislaii Sundheimii *de familia VVelphon.* apud Leibnit. *t.* 1. *p.* 804. ubi cætera ejus gloriosa gesta pro Rogerio Rege Siciliæ, & pro Ludovico Rege Francorum contra Saacenos. De eodem etiam Monachus VVeingratensis Chron. de *Guvelfis Princip.* apud eundem *t.* 1. *p.* 798.

(*) *Alter Codex MS.* Bajaguerra.

EX CODICE AMBROSIANO.

gerent, Cremenſes unà cum Mediolanenſibus, qui intus fuerant cum igne accenſo foràs per portam de Umbriano armati proſiluerunt, & ad manganum Imperatoris, qui ante hoſpitium Ducis Conradi fratris Imperatoris (29), qui & Falzuſgravus de Reno dictus fuerat, ut eum comburerent, venerunt. Hi verò, qui eum proſpiciebant, eos cum igne accenſo armatos venire videntes, obviam, ut ipſum manganum ab igne defenderent, valde vociferantes exierunt. Qui quamvis reſiſtere non valentes, quin ipſi Cremenſes jam dicto mangano ignem ſupponerent, ſecum tamen prœlium comiſerunt. Dux igitur Conradus Imperatoris germanus, & Comes Otto Falzuſgravus dictus, Comes quoque Rubertus de Baxavilla, aliique Duces, Comites, atque Principes, qui ex illa parte Cremæ fuerant, unà cum ſuis equitibus hoc audientes, & citiſſimè armati foràs de caſtris exeuntes, ſuper eos robuſtiſſimè proſiluerunt, & ex ipſis quatuor capientes, uni eorum caput ex toto abſciderunt, alteri verò utroſque pedes à corpore penitus projecerunt, tertio namque utraque brachia truncaverunt. Quartum autem multis plagis impoſitis interfecerunt; omnibuſque his in campo mortuis relictis, ex aliis pleroſque ceperunt, alioſque omnes ita graviter percuſſerunt, quòd maxima copia eorum per portam, quam exiverant, redire non valens, intra foſſatum ipſius caſtri Cremæ, quamvis maxima intus foret aqua ſe pro nimio mortis timore projecit. Qui quam inſenſium mortem (*) vitaverunt, tamen in ipſa aqua ferè omnes periclitaverunt.

Alii verò Teutonici ad prædictum manganum currentes ita viriliter ab igne defenderunt, quòd niſi tres vel quatuor crates, quæ ante ipſum manganum poſitæ fuerant ex ipſo mangano combuſtæ fuerunt; cætera verò omnia ipſius mangani ligna illæſa permanſerunt; Cremenſes etenim per foſſatum ipſius caſtri cum naviculis, & rampinis ferreis euntes, ſuos, qui in foſſatis necati fuerant, quos invenire potuerunt, lugendo ac maximè ſe contriſtantes foràs extraxerunt.

Præterea Imperator gatum maximum (30), cujus

EX EDITO AB OSIO.

num Imperatoris, qui ante hoſpitium Ducis Conradi fratris Imperatoris, & Othonis, qui Falcigranus dicitur, erat, ut eum comburerent, iverunt. Hi verò qui ipſum cuſtodiebant, ut eos cum accenſo igne venire viderunt, obviam eis, ut ipſum manganum ab igne defenderent, valdè vociferantes exierunt: qui quamvis non poſſent reſiſtere, quin ipſi Cremenſes mangano ignem ſupponerent, ſecum tamen prælium commiſerunt. Dux igitur Conradus Imperatoris germanus, & Comes Otho, Comeſque Robertus de Baſſavilla, aliique Duces, & Comites, atque Principes, qui erant in illa parte Cremæ, unà cum ſuis equitibus hoc audientes, & citiſſimè armati, foras de ſuis Caſtris exeuntes, ſuper eos irruerunt viriliter, & ex ipſis quatuor ceperunt. Quorum quatuor captivorum ſtatim uni abſciderunt caput, alteri verò utroſque pedes à corpore penitus projecerunt, tertio autem utrumque brachium truncaverunt, quartum verò multis plagis impoſitis interfecerunt. Relictis omnibus his in campo mortuis, ex aliis plures ceperunt, alioſque omnes tam graviter inſecuti ſunt, quod eorum plurimi per Portam, per quam exierant, redire non valentes, in foſſatum ipſius Cremæ, quamvis in eo maxima eſſet aqua, ſe præ nimio mortis timore projecerunt; qui quamvis gladiorum mortem vitaverint, tamen in aqua ferè omnes perierunt; alii verò Theutonici ad prædictum manganum currentes, ita viriliter ipſum ab igne defenderunt, quod niſi tres, vel quatuor crates, quæ ante ipſum manganum erant poſitæ, ex ipſo mangano combuſtæ ſunt, & cætera omnia ipſius mangani ligna ..... permanſerunt. Cremenſes verò per foſſatum ipſius Caſtri cum maniculis, & rampinis euntes, ſuos, qui in foſſato necati erant, quos invenire poterant lugendo, & maximè ſe contriſtando foras extraxerunt. Poſt hæc verò Imperator Gattum maximum cujus par, nec ſimilis unquam viſus fuit, uſque ſupra foſſatum ipſius Caſtri, unà cum alio minori gatto duci fecit; foſſatumque ipſius Caſtri de terra repleri præcepit. Sed cum nimis grave foſſatum ex ſola terra impleri videretur, venit ipſemet Imperator; petiitque; A Laudenſibus in concione publica, quatenus ipſi Lauden-

(29) Is Fridericus Dux Franconiæ à ſede ſua dictus Dux de Rotenburg. Is filius Conradi III. Imp. & Gertrudis ex Principibus Solisbacenſibus (Sultzbachii). Hæc VVolph. Lazius *in Gent. Com. de Sultzbac. l. 7.* De eo ſupra Otho Friſingenſ. 1. 62. dum meminit Henrici filii ejuſdem Conradi, qui electus Rex Romanorum obiit A. 1150. ſubdit: *habens adbuc alium fratrem parvulum nomine Fridericum*. Fuſiùs de eo poſtea Otho de S. Blaſio *cap.* 20. Recolatur, cùm pluries de ipſo Morena noſter loquatur. Peſte obiit cum aliis Principibus in Tuſcia A. 1166. ex eodem de S. Blaſio l. l.

(*) *Alter Codex MS.* Qui mortem ... vitaverunt &c.

(30) Gattos vix memoravit ſupra Auctor noſter. Huc notam diſtulimus, cùm ex eorum uſu, quid ſit Gattus hic innoteſcat: & ampliùs infra. Oſius enim *in notis* à p. 76. ad 88. de variis machinis obſidialibus nimio plus agit: de Gattis nihil. Dufrenius Gloſſar. *in Catus: Cattus Gatus, & Gattus* ex Vegetio 4. 15. Gattos antiquorum *Vineas* fuiſſe demonſtrat. Nam *Vineas dixerunt veteres, quas nunc militari, Barbaricoque uſu Cattos vocant*, ait Vegetius: & ita Valtrinus *de re militari Rom.* 5. 6. *p.* 329. in deſcriptione Vineæ. Conveniunt quotquot hic laudat Scriptores cum Mamotrecto ad Ezechiel. 35. fuiſſe *Vineas machinas bellicas, quibus itur ad murum ſuffodiendum, quas Bononienſes vocant Cattos*. At videtur, non unius ſpeciei fuiſſe hos Gattos. Nam hoc loco non ad ſuffodiendum murum in imo, ſed ad trajiciendam foſſam, ac ad murum deſuper adhærendum Gattus inſerviebat. Hoc loco Morenæ foſſa repletur terra, qua deficiente, etiam doliis (quæ *vegetes* vino vacuas vocat Morena) *& ita viam prædicto Gatto deſtinavit facere* (inquit) *per quam ipſe Gattus uſque ad murum ipſius caſtri deſtruendum facilè duci poſſet*. Non igitur ad ſuffodiendum murum, ſed potiùs ad ipſius pinnas, ſive loricas evertendas inſtitutus erat Gattus, ut clariùs infra Auctor noſter. Pluteum libentiùs, quàm vineam appellarem, & cum Gallis *Galerie*. Enimvero Vegetio *l. l. Plutei dicuntur, qui ad ſimilitudinem apſidis contexuntur è vimine, & ciliciis, vel coriis proteguntur: terniſque rotulis, quarum una in medio, duæ in capitibus apponuntur. In quamcunque partem volueris admoventur more carpenti, quos obſidentes applicant muris: eorumque munitione protecti, ſagittis ſive fundis, vel miſſilibus defenſores omnes de propugnaculis civitatis exturbant* &c. varios fuiſſe Gattos & iterum cenſeo. Recentiores quoque de Vinea, & Gatto fusè, ut Matth. Dogen *Architect. Militar. p.* 488. diſtinguens Vineam in *ſubdialem*, & *ſubterraneam*. Item Milliet Dechales *Curſ. Math. lib. 5. propoſ.* 10. & 11. *tom.* 2.

EX CODICE AMBROSIANO.

A

cujus par nec similis unquam visus fuit, usque
supra fossatum ipsius castri, & unà cum alio
minori gato ducere fecit, fossatumque ipsius
castri ex terra impleri præcepit; sed cùm ni-
mis grave ex sola terra fossatum impleri vide-
retur, vênit ipsemet Imperator Laudam, pe-
tiitque Laudensibus in concione publica, qua-
tenus ipsi Laudenses pro ejus amore vegetes,
si quas haberent vacuas, quas sibi sinè ipso-
rum incommodo dare possent, & tribuerent,
ipsasque etiam Cremæ deferre facerent.

Laudenses namque omnes læti magno gau-
dio se multa ei daturos statim spoponderunt;
alio namque die prædicti Laudenses plus de
ducentis vegetibus ad Imperatorem Cremo-
nam duxerunt. Imperator itaque omnes ex
terra impleri præcepit, posteaque in fossato
castri ita plenis projicere fecit, sicque supra
ipsas terram & lignamina, quæ Laudenses plus
de duobus millibus plaustris ei traxerant, ja-
ctare præcepit, & ita viam prædicto gato fa-
cere destinavit, per quam ipse gatus usque
ad murum ipsius castri destruendum facilè ire,
seu duci potuisset. Gatum igitur viâ sic per-
actâ sibi per medium fossatum ducere eum
Teutonici cœperunt. Item Imperator castel-
lum maximum, quod Cremonenses construxe-
rant versùs murum castri Cremæ duci per eam
partem, per quam gatus fossatum implendo
viam fecerat, præcepit. Cùm autem Teuto-
nici, & Cremouenses ipsum castellum firmiter
ducerent, & ad fossatum ipsius castri jam ap-
propinquassent, Cremenses unà cum Mediola-
nensibus, qui intus fuerant cum quinque ma-
gnis manganis, quos infra ipsum castrum
construxerant, cum pluribusque etiam prete-
riis super ipsum castellum, ut eum omnino
frangerent, maximos lapides, & miræ magni-
tudinis projicere cœperunt. Imperator itaque
hoc videns, timensque etiam ne frangeretur,
jussit obsides Cremæ, ac Mediolani, eosque
etiam, quos ex ipsis in bello ceperant ad ca-
stellum duci, ac super ipsum castellum, &
ante ipsum ex latere etiam ipsius castelli eos
poni præcepit, putans idem Imperator, ut
postquam ipsi, qui infra ipsum castrum fue-
rant, & lapides foràs projiciebant eorum filios,
ac parentes germanos, & consobrinos, supra
ipsum castellum positos esse cernerent, nec
in ipso castello leviter ferire possent, quin
ipsos, qui supra ipsum castellum fuerant, non
percuterent, deinde ipsos lapides trahere sta-
tim cessarent, obsidibus in ipso castello posi-
tis, tunc jussit Imperator ipsum castellum cum
obsidibus manu duci. Cremenses verò & Me-
diolanenses, ut obsides supra ipsum castellum
prospexerunt, ac ipsum castellum cum jam di-
ctis manganis quinque, & cum preteriis plu-
ribus supra ipsum castellum à tribus partibus,
lapides non parvos, sed miræ magnitudinis
grandes acriter projicere cœperunt, ac ipsos
supra ipsum castellum fortiter die noctuque
trahere non cessaverunt, donec ex illis, qui
supra ipsum castellum positi fuerant, novem
ex majoribus ac melioribus Mediolani ac Cre-
mæ non interfecerunt.

Illi namque de Mediolano, qui tunc inter-
fecti fuerant, sunt hi: Codemelius de Puster-
la, Anricus de Landriano, & alii duo, Cre-
mensium verò hi fuere: Presbyter de Calus-
co, Trucus de Bonade, Annus de Galliosso,
&

EX EDITO AB OSIO.

*denses pro ejus amore vegetes, si quas vacuas
haberent, quas sibi sine ipsorum incommodo da-
re possent, ei tribuerent; ipsasque etiam Cre-
mam deferri facerent. Laudenses verò læti,
omnes magno gaudio, se multas ei daturos, sta-
tim spoponderunt. Alio namque die ipsi Lau-
denses plures ducentis vegetis Imperatori Cre-
mam miserunt. Qui eas omnes de terra imple-
ri præcepit, posteaque in fossatum castri ple-
nas fecit projici; & super ipsas plura duobus
millibus plaustris terræ, & lignorum, quæ
Laudenses conduxerant, jactari præcepit; &
ita viam prædicto gatto destinavit facere, per*

B

*quam ipse gattus usque ad murum ipsius Ca-
stri destruendum facilè duci posset. Gattum
igitur via sic sibi præparata Theutonici per
medium fossatum ducere cœperunt. Præterea
Imperator castellum maximum, quod Cremo-
nenses construxerant, versus murum castri Cre-
mæ duci per eam partem, per quam Gatto fos-
satum implendo viam fecerat, præcepit: Cum
autem Theutonici, & Cremonenses ipsum ca-
stellum firmiter ducerent, & ad fossatum jam
appropinquassent; Cremenses unà cum Medio-
lanensibus, qui intus erant, cum quinque ma-
gnis manganis, quos intra dictum castrum
construxerant, cum pluribus etiam petreriis su-
per ipsum castellum, ut illud omninò frange-*

C

*rent, maximos lapides, & miræ magnitudinis
projicere cœperunt. Imperator itaque hoc vi-
dens; timens etiam, ne frangeretur castellum,
jussit Cremenses, atque Mediolanenses obsides,
eosque etiam, quos ex ipsis in bello ceperat,
ad ipsum castellum duci, & super eum, ac
etiam ex latere ipsius castelli eos poni præce-
pit. Putabat enim Imperator, ut postquam ipsi,
qui intus ipsum castrum erant, & lapides fo-
ras projiciebant, eorum filios, & parentes, ger-
manos, & consobrinos super ipsum castellum
positos esse cernerent, nec in ipso castello levi-
ter ferire possent, quin ipsos, qui super ipsum
castellum erant, percuterent, & sic in ipsos
lapides trahere cessarent. Quibus obsidibus in*

D

*ipso castello positis, tunc jussit Imperator,
ipsum castellum in antea duci, Cremenses,
verò, & Mediolanenses, ut obsides super ipsum
castellum prospexerunt; cum jam dictis quin-
que manganis, & cum petreriis pluribus super
ipsum castellum à tribus partibus lapides præ-
grandis, miræq; magnitudinis acriter projicere
cœperunt, ac super ipsum castellum fortiter diu,
noctuq; trahere non cessaverunt; donec ex his, qui
super dictum castellum erant, novem de melio-
ribus, & majoribus Mediolani, & Cremæ in-
terfecerunt. Illi de Mediolano, qui tunc inter-
fecti fuerunt, sunt hi Codemalus de Pusterla,
Henricus de Landriano, & alii duo; de Cre-
mensibus verò fuerunt presbyter de Calusio, Tin-*

E

*ctus de Bonate, Hymnus de Galioso, & alii
duo: Alberto autem Rubeo de Crema crura fre-
gerunt. Joanni verò Garensio brachium rupe-
runt. Cum autem nequitiam tam magnam Im-
perator cognosceret, videretque illos nec patri-
bus, nec filiis, nec parentibus, nec amicis par-
cere; nolens illos, qui adhuc super castellum
vivi remanserant, interfici dimittere; quia
Cremenses lapides maximos die noctuque super
ipsum castellum projiciebant, ut jam ipsum in
quadam parte paululum colliserant; Jussit
ipsos obsides, qui vivi erant, de castello depo-
ni; & ipsum, ut melius fortiusque quam erat,
apta-*

EX CODICE AMBROSIANO.

& alii duo; Alberto autem Rubeo da Crema crura fregere, Joanni quoque Gareffi brachium ruperunt. Cùmque Imperator nequitiam eorum tam validam esse cernens, videnſque etiam illos, neque patribus, neque filiis, neque parentibus, nec amicis parcere, tum quia illos interfecere, qui adhuc super castellum vivi fuerant, dimittere noluit, tum quia Cremenſes maximos lapides ultra modum, qui unquam crederetur, nisi oculata fide videretur, quotidie, die nóctuque super ipsum castellum projicientes, ipsum castellum in quadam parte paululum jam colliserant, jussit Imperator ipsos obsides, qui adhuc vivi fuerant de castello deponi, ac ipsum castellum, ut meliùs fortiùsque, quàm esset, aptaretur, & cooperiretur retroduci, & ut Imperator præcepit ita peractum est. Supra ipsum verò castellum erant adhuc vivi Niger Grassus filius, Squarzaparte de Businate, Ugo Crusta, aliique quamplures de Mediolano; de Crema verò fuerant, Johannes Garesi, Ardericus Blancus, Albertus Ruffus, Sozo Berondi, multique etiam alii, quorum nomen nunc ignoramus, scilicet postquam Mediolanenses qui in Crema fuerant, atque Cremenses, patres, ac filios, & parentes, & amicos eorum, quos supra castellum lapidibus interfecerant mortuos esse prospexerunt, tunc ipsi valde dolentes, atque maxima ira & dolore commoti, statim super Teutonicos & Cremonenses, atque Laudenses, quos captos ex carcere supra scrimalias (31) atque machinas muri ipsius castri deduxerant irruentes, plerosque ad Imperatoris dedecus, ipso etiam vidente, interfecerunt, inter quos Albrigonus Letabaffa de Laude, & Belletus Maltagius de Cremona fuerunt, præterea quia Imperator ut Cremenses sanos, ac salvos sibi ei se traderent magìs diligebat, quàm ipse maxima vi eos caperet, quia sciebat maximam eorum copiam gladio fore perituram, si eos virtute superaret, ac ipsum castrum pugnando vinceret, fecit duos ipsorum, quos captos habebat, in campo prope portam de Serio in Curiam adduci, & conquestus est omnibus Principibus ibi astantibus de illis duobus dicens: se velle Curiam judicare, si ipsi, tum quia in banno ipsi positi sunt, tum quia versùs eum pugnantes perjuri effecti fuerant, si idcirco mori deberent, an non. Itaque tota Curia hoc audiente consilium maximum super hoc ab eis habitum est. Postremò namque à Consilio ipsi Principes redeuntes, tandem judicaverunt eos jure scripto mori debere. Cremenses itaque quòd suos, quos habebant, suspendere, minabantur: quod Imperator videns, & non putans eos tam fore dementes, quòd licèt hoc facere verbis minarentur, facto tamen adimplere auderent, ex hoc solo, quòd suos suspendere minati fuerunt, eos, qui ex illorum parte fuerant utrosque suspendi præcepit.

Cremenses igitur, ut suos suspensos esse viderunt, Imperatore cernente, ad ipsius dedecus atque injuriam illos, quos ibi adduxerant, utrosſ-

(31) Osius legit *Sermialias*; Fortè à solo Auctore nostro vox hæc usitata. Nunquam apud alium Scriptorem eam legimus. Dufrenius *in Sermialia* tria recitat Morenæ loca, aliorum nullum. Machinæ bellicæ species, cujus formæ, frustra quæsivimus. Hinc suspicamur hanc machinam noviter inventam à Magistro Marchisio pro Cremensibus pugnante, qui post, ut infra, ab ipsis ad Fridericum defecerat.

EX EDITO AB OSIO.

aptaretur, & cooperiretur, retroduci; quod ut Imperator jussit, ita factum est. Super ipsum Castellum erant adhuc vivi Niger Grassus, Squarzaparte de Bisnate, Ugo Crusta, & plures alii de Mediolanensibus; de Cremensibus verò remanserunt Joannes Garesius, Ardericus Blancus, Albertus Ruffus, Sozzo Berunoli, & alii multi, quorum nomina ignoramus. Sed postquam Mediolanenses, qui erant in Crema, atque Cremenses patres, & filios, parentes, & amicos suos, quos super Castellum lapidibus interfecerunt, mortuos conspexerunt, valdè dolentes, & maxima ira commoti, statim Theutonicos, atque Cremonenses, & Laudenses, quos captos habebant, de carcere super sermialias, & machinas ipsius castri deduxerunt atque irruentes plures ad dedecus Imperatoris, ipso vidente, interfecerunt. Inter quos fuere Albrigonus Locabaffa de Laude, & Balertus Matagius de Cremona. Imperator autem magis cupiebat, ut Cremenses spontè se sibi sanos traderent, quam eos capere violenter. Sciebat enim ipsorum plurimos perituros, si eos insuperaret, & Castrum ipsum vinceret expugnando; & ideò duos eorum, quos in campo ceperat, fecit propè portam de Serio in Curiam adduci. Qui cum essent adducti, conquestus est coram omnibus Principibus ibi astantibus de illis duobus, dicens, se velle curiam consulere, si ipsi tum quia in banno positi sunt, tum quia contra eum pugnantes perjuri fuerant effecti, mori deberent, an non: itaque tota Curia hoc audiente, consilium maximum super hoc ab eis est habitum: tandem à consilio ipsi Principes redeuntes, judicaverunt, eos jure supradicto mori debere; quod cum audivissent Cremenses, minati sunt suspendere suos, quos habebant. Imperator verò hoc audiens, & non putans eos tam dementes esse, quod licèt verbis hoc facere minarentur, facto adimplerent; ex hoc solo, quod suos suspendere minati fuere, utrumque illorum, qui de sua parte erant, suspendi præcepit. Cremenses igitur, ut videre suos suspensos, statim Imperatore cernente ad ipsius dedecus, & injuriam ambos illos, quos illuc adduxerant, suspenderunt. Imperator autem ira commotus incontinenti jussit obsides atque alios, quos captos habebat, adduci; quibus deductis, alias multas furcas, supra quas suspenderentur, levari præcepit. Episcopi verò, & Abbates, aliique religiosi viri ad Imperatorem venientes eum valdè precati sunt, ne ipse, qui fons misericordiæ esse debebat, ad malitiam, & malignitatem eorum, qui destructionem suam procurabant, attenderet. Imperator autem eos audiens, nec ex toto eis credere volens, nec omne eorum consilium, atque preces refutare disponens, novem ex ipsis, videntibus Cremensibus, atque Mediolanensibus, qui ibi erant, suspendi fecit, reliquos autem omnes propter Deum, & religiosos viros vitæ donavit. Postea Imperator castellum suum, ut benè retroductum fuit, statim benè aptari, firmiterque ex duplicibus fastivis viminum cooperiri fecit; ex simplicibus enim in primis erat coopertum; deinde optimis feltris, coriisque, pannis etiam insuper laneis illud armari præ-

EX CODICE AMBROSIANO.

utrosque suspenderunt. Imperator itaque ira commotus, statim jussit obsides, atque alios, quos captos habebat adduci, quibus deductis multas alias in statim (*) furcas, super eas omnes suspenderentur, levari præcepit. Episcopi verò, & Abbates, aliique etiam religiosissimi viri ad Imperatorem venientes, ne ipse qui fons misericordiæ esse debebat, ad nequitiam, & malignitatem illorum, qui dextructiones Dei, & ipsi tunc disposuerant, attenderet, valde deprecabantur. Imperator namque eos audiens, nec ex toto eis credere volens, nec omnino eorum consilium atque preces refutare disponens, tandem novem ex ipsis, ut Cremenses ex hoc, quod fecerant, pro stultis & insipientibus se haberent, videntibus illis suspendere fecit. Reliquos autem vivos propter Deum, & ipsos religiosos viros vitæ donavit; Præterea Imperator castellum ut bene retro ductum fuit, statim eum bene aptare, firmiterque ex duplicibus faxinis viminum, cùm in primis ex simplicibus totum coopertum fuerat, cooperire fecit, deinde optimis filtris, coriisque, & etiam pannis insuper laneis illum armari præcepit. Cùm verò mirabiliter coopertum aptatumque fuit, præcepit Imperator ipsum castellum firmiter in antea duci; cùm ergo duceretur, Cremenses in super ipsum maximos lapides, quorum magnitudinis nusquam ampliùs trahi visi fuerunt, die noctuque non cessaverunt, sed nihilominus Cremonenses, & Teutonici ipsum castellum tunc bene firmiterque aptatum fore cognoscentes, in antea usque infra medietatem fossati ipsius castri per viam illam, quam gatus jam fecerat, magna virtute ipsum castellum duxerunt; Gatus quippe viam per medium fossatum faciens jam antea prope murum ipsius castri præcesserat; in ipso enim gato quædam trabs ferrata, quam Bercellum (32) appellabant, constabat, quam ipsi, qui infra ipsum gatum fuerant foràs plus de viginti brachiis projicientes, in murum ipsius castri mirabiliter feriebant, ac tandem tantum jam ferierant, quòd de ipso muro plus de viginti brachiis in terra projecerant. Cremenses verò se defendere non posse murum castri, cùm destrueretur, prospicientes, travatam magnam ex lignis & terra insimul composita, ibi intus, in ea videlicet parte, in qua ipsum murum destrui videbant juxta ipsum murum construxerunt.

Feceruntque etiam quemdam cuniculum sub terra, qui subtus de pede ipsius muri usque foris in fossato per medium gatum pergebat, per quem ipsi foràs exeuntes ignem prædicto gato, ut eum comburerent supponebant, sed hi, qui supra castellum ligneum de foris erant, supra caput eorum magnos trahentes lapides, & hi, qui in ipso gato fuerant viriliter se defendentes, nec cum igne, nec cum alia re ipsi gato aliquid nocere potuerunt, imò Teutonici & Longobardi, qui intus sub ipso castello, & hi similiter, qui fuerant in prædicto gato foris exeuntes, ac prœlium ipsi cum ipsis incipientes, vix potuerunt ipsi Cremenses se defendere, quod adversarii eorum infra

(*) *Alter Codex MS.* instituit.

(32) In Osii Codice legebatur *Barbizellum*. Observat hanc vocem in Auctore nostro Dufrenius *in Barbizellum*. Ubi juvat adhuc observare ex usu Gatti hoc loco, Gattum non ad suffodiendum murum fuisse aptatum, sed ad trajiciendam fossam, ipsumque desuper destruendum, ut supra diximus.

EX EDITO AB OSIO.

præcepit. Cum verò coopertum, aptatumque mirabiliter fuit, præcepit idem Imperator ipsum castellum in antea duci. Cum ergo duceretur, Cremenses super ipsum maximos lapides die ac nocte trahere non cessabant; sed nihilominus Cremonenses ac Theutonici cognoscentes, tunc castellum ipsum bene firmiterque aptatum, in antea usque ad medietatem fossati ipsius castri per viam illam, quam Gattus jam fecerat, virtute magna ipsum deduxerunt. Gattus quippe jam viam per medium fossatum faciens jam antea propè murum ipsius castri præcesserat. Erat autem in ipso Gatto quædam trabes ferrata, quam Barbizellum appellabant; quam trahentes hi, qui intra ipsum Gattum erant, foras plus viginti brachiis projicientes, in murum ipsius castri mirabiliter feriebant, ac tandem ea tantum ferierant, quod de ipso muro plus viginti brachiis in terram projecerant. Cremenses verò cognoscentes, se non posse defendere murum castri, quin destrueretur; travacham magnam ex lignis, & terra insimul compositam ibi intus in ea parte, in qua ipsum murum destrui videbant, juxta eum construxere. Fecerunt etiam quendam cuniculum sub terra, qui subtus pedem ipsius muri usque foras in fossatum per medium Gattum pergebat; per quem ipsi foras exeuntes ignem prædicto Gatto, ut eum comburerent, supponebant; sed his, qui super castellum ligneum de foris erant, super eorum capita magnos lapides trahentibus, & his, qui in Gatto erant, viriliter se defendentibus; ipsi Cremenses non potuerunt in aliquo nec cum igne, nec cum aliqua alia re nocere ipsi Gatto; immò Theutonici, & Lombardi, qui intus sub ipso castello, & hi similiter, qui erant in ipso Gatto, foras exeuntes, sic cum ipsis fortiter pugnabant, quod vix poterant ipsi Cremenses defendere, quin eorum adversarii intrà ipsum castrum foris per medium ipsum cuniculum intrarent. Quæ res ita Cremenses timoravit, quòd ipsum cuniculum citò de foris clauserunt. Interea Imperator castellum in antea propè ipsum Gattum duci fecit, multosque petrerios in eo composuit, per quos ballistariis suis foras trahentibus, ferè nullus ex Cremonensibus ibi ad Serimalios, seu machinas ipsius castri appropiare poterat, quem ballistarii, qui in ipso castello erant, non interficerent, vel ad mortem non sauciarent; nec etiam ibi intra castrum ultrà murum ipsius castri per terram planam ad ipsum murum aliquis appropinquare poterat, quem hi, qui supra castellum stabant, lapidibus, vel pilotis non vulnerarent. Erat enim ipsum castellum plus septuaginta brachiis altum, & plus triginta latum, & longum; unde in ipso castro Cremæ ferè nullus se movere poterat, quem hi, qui supra dictum castellum erant, videre non possent; per totum etiam castrum Cremæ lapides, atque pilotos projicere leviter poterant. Quæ res ipsos Cremenses nimis pavidos reddebat. Interea quadam die, in qua fuit Pascha Epiphaniæ, venere Cremenses supra quandam machinam, quam fecerant supra travacham, quam ipsi ex lignis, & terra intus juxta murum

EX CODICE AMBROSIANO.

infra ipsum castrum foris per medium ipsum cuniculum non intraverint. Quæ res ita Cremenses trepidavit, quòd ipsum cuniculum citò de foris clauserunt. Interea Imperator castellum in antea prope ipsum gatum duci fecit, multasque archerias, ex quibus balestrerii foris per ipsas trahentes, ferè nullus ex Cremensibus ibi ad scrimalias, seu machinas ipsius castri apparere poterat, quòd balestrerii, qui infra ipsum castrum fuerant, statim non interficerent illos, nec ad mortem sauciarent, nec ibi infra castrum ultra murum ipsius castri per terram planam aliquis ad ipsum murum appropinquare poterat, quin hi, qui supra castellum stabant lapidibus illis pilotis (33) eum non vulnerarent.

Erat enim ipsum castellum plus de septuaginta brachiis altum, & plus de triginta longum & latum, ita quòd, qui supra ipsum castellum fuerant, ferè per totum castrum Cremæ nullus se movere poterat, quem ipsi videre non possent, ac pro maxima parte ipsius castri lapides, ac pilotos projicere leviter poterant; quæ res prænimium pavidos ipsos Cremenses reddebat. Interea quadam die, in qua tunc fuit Pascha Epiphaniæ, venerunt Cremenses supra quamdam machinam, quam fecerant supra travatam illam, quam ipsi ex lignis & terra intus juxta murum castri composuerant. Adduxeruntque cararias multas plenas ex lignis siccis, sulphure & lardo, atque oleo, seu asungia, & pice liquida madefactis.

Cùmque super ipsam machinam habuerunt, cum manticis, quos ibi habebant, ignem in ipsis carariis accenderunt, postea, cùm bene accensæ fuerant, per quemdam pontem ligneum, quem super ipsam machinam fabricatum ita habebant, quòd foris de ipsa machina plus de decem brachiis jactabant ipsas cararias undique accensas, ac maximam flammam jactantes unam post alteram juxta gatum Imperatoris projecerunt. Imperator itaque, qui cum ipsis sub ipso gato fuerat, aliique etiam, qui cum ipso tunc aderant aquam atque terram supra ipsum ignem projicientes, & ab hora tertia usque ad vesperas ipsum ignem semper extinguentes, ita viriliter se defenderunt, quòd gato illæso manente nullum malum inde habuerunt. Inter hæc autem Dux Conradus frater Imperatoris, Comes Robertus de Biravila (34), Comes, qui Fallitusgra-

EX EDITO AB OSIO.

rum castri composuerant; & adduxerant carrarias multas plenas lignis siccis, sulphure, lardo, oleo, axungia, & pice liquida madefactis; quas cum haberent super ipsam machinam, ignem accenderunt in eis cum manticis, quos ibi habebant; & postea ipsas benè accensas super quendam pontem ligneum, quem super ipsam machinam ita fabricaverant, quod foras de ipsa machina plus decem brachiis jactabant, versus ipsum Gattum, ut eum comburerent, mittere intendebant. Quare ipsas carrarias sic undique accensas, & maximam flammam jactantes unam post aliam juxta Gattum Imperatoris projectabant. Imperator itaque, qui tunc sub ipso Gatto erat, & alii, qui tunc erant cum eo, projicientes aquam, & terram super ipsum ignem, & ab hora tertia usque ad vesperas ipsum ignem semper extinguentes, ita se viriliter defendere, quod, Gatto manente illæso, nullum malum inde habuere. Interea autem Dux Conradus frater Imperatoris, Comes Robertus de Bassavilla, Comes Otho, qui Falcigranus, aliique multi Principes à Castello Imperatoris, usque ad Portam de Umbriana multos Gattos, & crates fecerunt; ex quibus fossatum multis partibus implebant terra, & lignis. Theutonicos tamen sub ipsis cratibus cum arcubus, & balestris occultè morantes Cremenses intus juxtà murum ipsius castri sive de subtus euntes, sive super Serimalias, & machinas, ipsis ignorantibus, mirabiliter sauciabant. Interea quidam Magister valdè ingeniosus super omnes Magistros, qui tunc erant in Crema, qui Marchisius vocabatur, & qui ferè omnes manganos, & petrerias, Serimalios, seu machinas, cæteraque defensionis Cremæ instrumenta suo mirabili ingenio composuerat; Imperatorem, & partem ejus, magis quam partem Mediolanensium, & Cremensium, & de parte Imperatoris esse potius quam ipsorum, quibus serviebat, cupiens, tum Imperatoris, & Cremonensium amore, tum Mediolanensium, & Cremensium, qui ipsum invitum retinebant, odio, tum etiam per pecuniam sibi promissam; cum Imperatore, & Cremonensibus pepigit, & quadam nocte Crema exiens, desuper murum ipsius castri, & per medium aquæ, quæ erat in fossato ipsius castri, transiens, ad Imperatorem confugit. Imperator verò eum cum magno gaudio suscipiens statim optimè induit ipsum, bonumque dextrarium duodecim libris denariorum ve-

(33) Cujus nominis casus rectus *Pilotus*, vel *Pilota*: Explicat hanc vocem Auctor infra ubi: *Projicientes ignem cum ipsis petreriis, & pilotas, seu sagittas igne accensas*.

(34) Osius habet de *Bassavilla*. Jam tertiò, ni fallor, hujus Comitis meminit Auctor noster, unà simul cum aliis Imperatoris Ducibus, ut suspicari quis possit, & hunc fuisse Germanum. Non credo. Apulus ne, vel Navarrus, ut Robertus de Monte A. 1156. videtur innuere? Videamus. Inquit: *Robertus de Basevilla, qui erat Cognatus ejus* (VVilelmi I. Regis Apuliæ, & Siciliæ) *& Richardus de Ling Comes Andriæ, putantes Regem mortuum, cùm non esset* (*ægrotaverat enim, sed tamen postea convaluit*) *per Regnum Apuliæ graviter debacchati sunt*, & sub A. seq. 1157. *exhæreditavit etiam Comitem de Basevilla Cognatum suum, quia ab ipso desciverat*. NB. bis dici Cognatum, hoc est, fratrem uxoris VVilelmi I., & quæ? *Margarita Garziæ Ramirez Navarræ Regis filia: Sanciique junioris soror, ab A. 1150. ducta*. Verba sunt Rochi Pirri *Chronol. Regg. Siciliæ p.* 31. sumpta ex Surita, quem laudat. Sed hæc non parùm me implicant; dum V. doctus tres VVillelmi filios enumerans *Rogerium*, *VVillelmum* (II. qui hæres Regni) subdit: *Henricus verò tertio loco A.* 1159. *natus à Patre abeunte* (A. 1166.) *Princeps Capuæ institutus: Miles quidem strenuus Comitem Robertum de Bassavilla Cognatum suum ex Apulia occupata fugavit. Tot puer ætatis annorum* 13. *laboribus affectus, ibidem ægrotavit: & Panormum rediens A. sal.* 1171. *morte deletus est*. Ergo in sensu Pirri non Cognatus VVilelmi I. non frater Margaritæ, non Navarrus, sed Cognatus VVilelmi II. Regis, & fratris Henrici, contra Robertum Montensem, qui A. 1156. & 1157. quibus vivebat VVillelmus I. hujus Cognatum vocat Bassavillam, & iterum Robertus sub A. 1163. *Comes Robertus de Bassavilla adversùs VVillelmum Cognatum suum Regem Siciliæ* (I. nondum mortuum) *rebellat in Apulia, & multis coadjutoribus secum adunatis, majorem partem maritimarum civitatum sibi* con-

EX CODICE AMBROSIANO.

gravus dicitur, aliique multi Principes, à castello Imperatoris, usque ad portam de Umbriano, multos gatos ex cratibus fecerunt, ex quibus fossatum in multis partibus ex terra & lignis implebant. Teutonici tamen in ipsis gatis cum arcubus & balestris occultè morantes, Cremenses intus juxta murum ipsius castri, sive supra scrimaliam, seu machinas ipsius castri, sive de subtus euntes mirabiliter ipsos ignorantes sauciabant. Interea quidam magister valde ingeniosus aliorum omnium magistrorum, qui in Crema fuerant, qui Marchese vocabatur, & omnes ferè manganos, preteriasque, & scrimalias, seu machinas, cæteraque defensionis Cremæ instrumenta suo mirabili ingenio composuerat, Imperatorem, ejusque partem magìs quàm Mediolanenses diligens, & à parte Imperatoris potiùs esse & manere, quàm ipsis, quibus serviebat, servire cupiens, tum Imperatoris & Cremonensium amore, tum Mediolanensium & Cremensium, qui ipsum invitum retinebant odio, partim etiam pro pecunia sibi promissa cum Imperatore & Cremonensibus pepigit, forisque ex castro Cremæ quadam nocte de supra murum ipsius castri exiens, per mediamque aquam, quæ in fossato ipsius castri magna fuerat, transiens, ad Imperatorem confugit.

Imperator verò magno gaudio eum suscipiens, statim optimè eum induit, bonumque destrerium (35) duodecim libris denariorum veterorum comperatum, ipsi donavit. Ipse verò Marchesius cùm de Crema exivit statim quamdam suam mirabilem machinam ex lignis fabricavit, supraque eam quemdam pontem plus de quadraginta brachiis longum, & plus de sex latum constituit, quem foris de ipsa machina plus de viginti brachiis nullo homine sibi contradicere valente certè (*) poterat; Cùm autem ipse Marchesius suam machinam, suumque pontem optimè cratibus cooperuit, tunc fecit ea in antea produci, usque dum ferè fuit juxta castellum Imperatoris; Gatus etenim jam prope murum ipsius castri præcesserat, fossatumque ab una parte usque ad alteram ex lignis & terra impleverat, ac viam planam fecerat, atque latissimam, per quam castellum Imperatoris, & machina Marchesii debebat procedere, castellus quoque post gatum eundo, sic eum persecutus fuerat, quòd ipse gatus nec antea poterat ambulare, neque redire, ipso castello, ei obstare valebat. Quod Imperator considerans, tum quia machinas Cremensium ibi intus contra gatum factas comburere voluit, tum etiam quia prædictum castellum in antea ducere non poterat, nisi gatum combureret, in ipso gato ignem supponi præcepit, qui totam

EX EDITO AB OSIO.

veterum comparatum illi donavit. Ipse verò Marchisius quando de Crema exivit, statim quandam suam machinam mirabilem ex lignis fabricavit, super quam quendam Pontem plus quadraginta brachiis longum, & plus sex latum constituit, quem extra dictam machinam plus viginti brachiis nemine sibi contradicere valente, poterat ejicere. Cum verò ipse Marchisius suam machinam, suumque Pontem optimis cratibus cooperuisset, tunc fecit eam in antea perduci, usque dum ferè fuit juxta castellum Imperatoris. Gattus enim jam propè murum ipsius castri processerat, fossatum ab ea parte usque ad alteram lignis, & terra impleverat, & viam planam, atque latam fecerat, per quam castellum Imperatoris, & machina Marchisii procedere debebat. Castellum eundo post Gattum sic eum persecutum fuerat, quod ipse Gattus nec antea ambulare poterat, nec redire, castello prædicto sibi obstante; quod Imperator considerans, tum quia machinas Cremensium sibi intus contra Gattum factas comburere noluit, tum etiam quia prædictum castellum in antea ducere non poterat, nisi Gattum combureret, in ipso Gatto ignem apponi præcepit. Qui Gattus totus exarsit, machinis Cremensium ab ipsis defensis, & illæsis conservatis. Quo Gatto sic combusto, præcepit Imperator, castellum eo loco duci, in quo Gattus erat; quo illuc ducto, prædictus Marchisius fecit suam machinam duci ad latus ipsius castelli; deinde Imperator publicum prælium super Cremenses faciendum certa die indixit. Cumque ea die Imperator Principes suos, sicut voluit, ad bellum ordinasset; fecit Ducem Conradum fratrem suum, & qui Comes Palatinus erat de Rheno, cum suis militibus ascendere super prædictum castellum, aliosque Principes Theutonicos, & Lombardos super machinam Marchisii fecit ascendere. Jussit eis, ut quacunque hora pons machinæ super murum castri Cremæ jactatus esset, quod ipsi omnes Principes, & equites per pontes, extemplo currentes viriliter, robusteque hostes invaderent, & cum ipsis fortiter pugnarent. Qui si hoc totum benè peregissent, ut eos instruxerat Imperator, castrum tunc captum fuisse dicebatur. Bello itaque sic ordinato, & pontibus supra murum castri projectis, præfatus frater Imperatoris cum suis militibus per pontem castelli usque supra murum castri pergens, Cremenses viriliter invasit. Sed alii Principes, & equites, per Pontem, quem Marchisius super murum castri jactaverat, ita viriliter sicut debuerunt, non concurrerunt. Cremenses autem, qui subtus suas machinas stabant intus juxtà murum, prædicto Duci, ejusque militibus occurrentes se optimè defenderunt. Quidam verò vexillifer ipsius Ducis nobilissimus, atque fortissimus miles de muro

---

conciliat, & Pirrus quomodo Robertum vocat cognatum Henrici fratris VVillelmi II.? nullam horum sororem recitat: nullam VVillelmo patri filiam tribuit. Quòd si hanc etiam ex Margarita suscepisset, vix sexennis, vel septennis esse potuerit, ducta Margarita Navarra A. 1150. Res planè obscura. Adimenda ne fides Roberto Montensi, qui Normannus Normannorum res callebat, & Normanni erant VVillelmi I. II. III. ex Roberto, & Rogeriis Normannis descendentes? Montensis adhuc si non æqualis, suppar tamen, desinens suam Appendicem ad Sigibertum in A. 1210. esto erraverit in Chronologia Montensis, nondum sublata difficultas. Docti Neapolitani ipsi videant: nos satis vidimus.

(35) Osius *Dextrarium*; Apud Dufrenium *in Dextrarii* explicat hanc vocem Chronographus Colmariensis A. 1298. *Habebant Dextrarios, idest, equos magnos, qui inter equos communes, quasi Bucephalus Alexandri M. inter alios eminebant.* Præcipuus ideo eorum usus in bellis, & prœliis, ex VVillel. Neubrigensi *l.* 2. *c.* 11. scribente: *equo ejus militari, quem Dextrarium vocant, ablato &c.* Cætera l. l.

(*) *Alter Codex MS.* jacere.

EX CODICE AMBROSIANO.

tam exarsit machinam Cremensium, ab ipsis defensis illæsis conservatis.

Quo gato sic combusto præcepit Imperator castellum eo loco duci, quo gatus fuerat: quo illuc ducto, prædictus Marchesius fecit suam machinam duci ad latus ipsius castelli. Deinde Imperator publicum prœlium supra Cremenses faciendum certa die indixit, cùmque ea die Imperator Principes suos sicut voluit ad bellum ordinasset, fecit Ducem Conradum fratrem suum (36), qui & Comes Palatinus erat de Rheno, cum suis militibus supra castellum præfatum ascendere, aliosque Principes Teutonicos, & Longobardos supra Marchesii machinam ascendere fecit, jussitque eis, ut quacumque hora pons machinæ Marchesii supra murum castri Cremæ jactatus foret, quòd ipsi omnes Principes, & Equites, per pontes extemplo currentes, viriliter robustèque hostes invaderent, & cum ipsis fortiter pugnarent, quod totum si bene peregissent, ut eos instruxerat Imperator, castrum tunc captum fore dicebatur; bello itaque sic ordinato, signoque etiam dato, & pontibus supra murum castri projectis, præfatus frater Imperatoris cum suis Equitibus per pontem castelli usque supra murum castri progrediens viriliter Cremenses invasit.

Sed alii Principes, & Equites, qui per pontem, quem Marchesius supra murum castri jactaverat, ita viriliter, sicut debuerant, non cucurrerunt, Cremenses autem qui subtus suas machinas stabant, intus juxta murum, prædicto Duci, ejusque militibus occurrentes, optimè se defenderunt, sed quidam vexillifer ipsius Ducis nobilissimus, atque fortissimus miles de muro castri se in terram projiciens in medios Cremenses, putans omnes alios se subsequentes similiter facturos, magnum prœlium cum ipsis Cremensibus supra ipsum irruentibus fecit, ac ab eis prout solus fuerat mirabiliter ab eis se defendit diu, sed sicut veteri proverbio dici solet, quòd unus contra septem malè poterat tondere messem, hic licèt fortissimus tantæ multitudini non valens resistere, aliquibus Cremensibus ab ipso vulneratis, tandem ab eis captus, & in terram projectus, multis ei plagis impositis interfectus est.

Aliosque etiam tres ipsius Ducis milites cum rampinis (37) ferreis de ponte in terram trahentes ipsi Cremenses vivos retinuerunt. Pars verò Cremensium cum manganis, lapides non modicos supra pontem jactando, sic eum in quadam parte fregerunt, quòd alii Teutonici, qui post Ducem currere debuerant, ipsum postea sequi ausi non fuerunt, sed Cremenses, ut pontem ruptum præsenserunt, nec aliquos Teutonicos viderunt sequi Ducem, qui cum paucis præcesserat, super ipsum Ducem, ejusque milites fortiter irruentes, sic eos cum lapidibus & ensibus, atque lanceis, ac maximè cum contonibus urserunt, quòd

EX EDITO AB OSIO.

muro castri se in terram projiciens in medio Cremensium, putans, omnes alios se sequentes similiter facturos magnum prælium cum ipsis Cremensibus super eum irruentibus fecit; ac ab eis, prout solus erat, diu mirabiliter se defendit. Sed hic licèt fortissimus esset, tantæ multitudini non valens resistere, aliquibus Cremensibus ab eo vulneratis, tandem ab eis captus, & in terram projectus est, & multis ei plagis impositis interiit: alios etiam tres ipsius Duces milites cum rampinis ferreis de ponte in terram trahentes ipsi Cremenses vivos retinuerunt. Pars verò Cremensium cum manganis lapides non modicos super pontem jactando sic eum in quadam parte fregerant, quod alii Theutonici, qui post Ducem currere debuerant, ipsum postea sequi non sunt ausi. Sed Cremenses ut pontem ruptum præsenserunt, nec alios Theutonicos viderunt sequi Ducem, qui cum paucis præcesserat, super ipsum Ducem ejusque milites fortiter irruentes, sic eos lapidibus, & ensibus, atque lanceis eò maximè cum conatibus urgebant, quod ipse Dux aliquantulum sauciatus cum parte suorum equitum rediit in castellum; pars verò per pontem usque ad castellum redire non valens, de ipso Ponte extra castri murum in fossatum se projecit; cæteri quoque, qui Pontem Marchisii intraverant, Cremensibus eis robustè resistentibus, nihil proficientes; intra machinam, de qua exiverant se recuperarunt.

Licet

(36) „ Habebat autem dictus Imperator Fratrem „ Cunradum nomine, ex parte Patris. Nam „ Pater ipsius, mortua Juditta matre ipsius Imperatoris, duxit aliam uxorem de genere Comitum illorum, qui dicebantur de Zuvainbruck, & de Sarbruck, ex qua genuit præfatum Cunradum, & filiam quamdam, quam duxit in uxorem Langravius de Thuringia, „ & ex ea genuit illum Langravium, qui postmodum proximæ consanguinitatis immemor, „ Philippo Regi rebellavit. Imperator itaque „ prædictum Cunradum fratrem suum Palatinum Rheni effecit. „ Hæc Urspergensis *in Friderico* p. 296., ubi attexit genealogiam ipsius Friderici Imperatoris, cujus parentes Fridericus Senior Dux Sveviæ, & Agnes filia Henrici IV.

(37) Idest, uncis. Non ergo idem *Rompha*, & rampinus, sive uncus, ut putavit Dufrenius ex prædictis num. 25.

EX CODICE AMBROSIANO.

quòd ipse Dux aliquantulum sauciatus, cum parte suorum equitum in castellum rediit. Pars verò per pontem usque ad castellum redire non valens de ipso ponte extra castri murum in fossatum se projecit, cæteri quoque, qui per pontem intrant Marchesii, Cremensibus eis robustè resistentibus, nihil proficientes intra machinam, de qua exiverant, se receperunt.

Licèt autem Imperator, ejusque Principes quod statuerunt plenariè non perpetraverint, assiduè tamen die noctuque Cremenses cum lapidibus, & balistis, & arcubus oppugnaverunt, & tam boni balistrarii quotidie in castello Imperatoris latitabant, quòd ferè nemo Cremensis poterat contra castellum supra suas machinas se opponere, quin ab ipsis balistrariis non interficeretur: nihil profecere loricæ. Ipsemet quoque Imperator optimè noscens sagittare, ut extimo, multos de Cremensibus interfecit; Quo circa Cremenses maximè perterriti, intolerabilibusque vigiliis, quas assiduè faciebant fatigati, ex magna parte sauciati, ac iram & dolorem Ducis Conradi, qui milites suos amiserat, metuentes, etiam quoniam quamplurimi, qui ab initio castrum defensaverunt ex ipso clam exiverant, Imperatori & aliis Principibus se tradentes, & assiduè magna ipsorum copia clam exire properabat, paventes etiam ne per vim caperentur, quod si eis acciderit, sciebant majorem ipsorum partem à Teutonicis, & maximè à Cremonensibus, quos per longum tempus offenderant gladio fore perituram, consilium inierunt cum Imperatore fœdus faciendi, ac de manibus ipsius qualitercumque se eripiendi. Quod Imperator per Legatos ipsorum audiens, quoniam pius erat, atque misericors, nec ipsorum mortem cupiebat, Dei voluntatis imitator, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat; Legatis respondit, dicens: ut si Mediolanenses, atque Brixienses omnes, qui intra ipsum castrum fuerant absque omnibus armis, quæ infra castrum habebant, egredi vellent, & Cremenses omnes masculi & fœminæ cum tanto impetu vellent exire, quantum una vice foris castri portare possent, quia ipse eos omnes sic immunes permitteret exire, ac ipsis taliter vitam, qua privari digni fuerant, concederet, quod nisi facerent nullum pactum aliud, nullumque fœdus, nullamque treguam se ipsis aliter in toto tempore vitæ suæ facturum promisit. Legati verò verbum Imperatoris sic stabile audientes infra castrum statim reversi sic per ordinem, ut ab Imperatore audierant, Mediolanensibus, & Cremensibus, atque Brixiensibus simul convocatis recitaverunt. Consules verò Cremenses, & Mediolanenses cum Sapientioribus Mediolanensibus, (38) qui aderant ibi, & Cremensibus, ac Brixiensibus consilium inientes, & omnia, quæ à Legatis audierant inter se conferentes; scientes etiam Imperatorem adeò fore constantissimi animi, quòd ferè omnia, quæ jam incœperat, donec ad finem perduceret non destiterat, ut destructionem Terdonæ, atque in Me-

(38) *Veteres juris Magistri Sapientes appellati* sunt, ait Gellius 4. 1. In Italia infimo ævo erant primarii cives, quorum consilio publicæ res gerebantur. De Sapientibus Mediolani agit nostrum Statutum c. 57. ubi nunc Sapientes inclyti Judices, Equites, & Comites Collegii Jctorum, quod illustravit Cl. Jctus, & Advocatus Joh. Sitonus de Scotia.

EX EDITO AB OSIO.

Licet autem Imperator, ejusque Principes, quod statuerant plenariè non perpetraverint, assidue tamen diu noctuque Cremenses cum balistis, & arcubus oppugnabant; & tam boni ballistarii quotidie in castello Imperatoris latitabant, quod ferè nullus Cremensis poterat contra castellum super machinas se opponere, quin ab ipsis ballistariis interficeretur; nihil proficiente lorica. Ipsemet Imperator optimè sciens sagittare, prout extimo, multos de Cremensibus interfecit. Quo circa Cremenses maximè perterriti, & intolerabilibus vigiliis, quas faciebant, assidue fatigati, & ex magna parte sauciati, ac iram, & dolorem Ducis Conradi, qui suos milites amiserat, metuentes plurimum; videntes etiam, quod multi, qui ab initio Castrum Cremæ defenderant, clam de ipso exierant, Imperatori, & aliis Principibus se tradentes; ac assiduè magna ipsorum copia clam exire properabat; paventes etiam, ne per vim caperentur; quod si eis accideret, sciebant, ipsorum magnam partem, & à Theutonicis, & maximè à Cremonensibus, quos per longum tempus offenderant, gladio fore perituram; consilium inierunt cum Imperatore fœdus ineundi, ac de manibus ipsius, qualitercunque possent, se eripiendi. Quod Imperator per Legatos ipsorum audiens; quoniam pius, & misericors erat, Legatis respondit, dicens, ut si Mediolanenses, & Brixienses omnes, qui intra castrum erant, absque omnibus armis, quæ habebant in castro, egredi vellent, & Cremenses omnes masculi, & fœminæ cum tanto solummodò vellent exire, quantum una vice extra castrum portare possent, quod ipse eos omnes sic immunes exire permitteret, ac ipsis talem vitam, qua privari digni erant, concederet. Quod nisi facerent, nullum aliud pactum, nullumque fœdus, nullamque treguam se ipsis aliis in toto tempore vitæ suæ facturum promisit. Legati verò verbum Imperatoris sic firmum audientes, intra castrum statim reversi, sic per ordinem, ut ab Imperatore audierunt Mediolanensibus, & Cremensibus atque Brixiensibus simul convocatis recitaverunt. Consules verò Cremæ, & Mediolanenses cum sapientibus Mediolani, qui aderant ibi, & Cremensis, ac Brixiensis consilium inientes; & omnia, quæ à Legatis audiverant, inter se conferentes; scientes etiam Imperatorem esse tam constantis animi, quod ferè omnia, quæ incœpit, donec ad finem perduxit, nunquam desinit; sicut in destructione Terdonæ, & Mediolani obsessione, & in multis aliis cognoverunt; firmaverunt, pacem potius sic esse faciendam; seseque omnes cum castro Imperatori tradendos, & ipsos vivos exire de castro, quàm ipsum castrum per aliud tempus defendere; postremo verò in bello captos esse

EX CODICE AMBROSIANO.

Mediolani obsessione, & in multis aliis cognoverant, omnes unanimiter firmaverunt, pacem potiùs esse sic faciendam, se seque omnes & castrum Imperatori tradendum, ipsique satisfaciendum, ac ipsos vivos exire de castro, quàm ipsum castrum per aliquod tempus defendere, postremùm tamen in bello (*) captos esse debere, & ulteriùs tam ambiguam subire vitæ fortunam, cùm & capita, & omnem suam suppellectilem ipsum quoque castrum amitterent, si per vim caperentur. Consilio itaque sic ab omnibus firmato statim Legatos direxerunt ad Imperatorem, per quos omnia, quæ Imperator eis mandaverat se omnino facere nunciavere. Imperator verò quod optaverat audiens, ac Omnipotenti Deo magno cum gaudio gratias referens, statim per suos Legatos ad Cremenses missos fœdere inito pacem cum Cremensibus & Brixiensibus, sicut eis ante mandaverat stabilivit. Hoc autem factum fuit in MCLX. ab Incarnatione Domini anno, die Martis, quæ fuit sexto Calendas Februarii, Indictione octava, & fuit in octavo die post (**) festum Beati Bassiani Confessoris de Laude.

Sequenti verò die Mercurii Cremenses omnes masculi, & fœminæ, atque Mediolanenses, & Brixienses Imperatori se tradiderunt, ac exeuntes de castro, quia totam ipsorum suppellectilem amittebant, nisi quantam una vice poterant deferre, ingenti dolore fremebant, quia verò vita conservata eis fuerat in parte congaudebant, donavitque Imperator Laudensibus ultra trecentum loricas, & multimodas ghamberias, quas de hostibus suis prædictis habuerat, & clipeos, atque cassides. Hoc non prætermittendum fore opinor, quòd Imperator Christianissimus animi ferocitate deposita, & hostili odio abjecto, ipsos Cremenses per quemdam locum angustum, unde egrediebantur exire adjuvans, suis propriis manibus quemdam ipsorum languidum cum aliis militibus exportavit. Qui tantæ benignitatis, tantæque Imperialis mansuetudinis argumento, omnibus hominibus maximum debet præstare exemplum. Teutonici etenim ac Longobardi castrum introëuntes, prout quisque fortior erat, unus solus tantùm unam viciniam occupabat, nec de illis rebus, quæ in illis erant, quas occupaverant, alicui alii permittebant accipere, quod alii, & maximè scutiferi, qui postremùm intraverant castrum, considerantes, nec aliquid de rebus ab aliis præoccupatis accipere audentes, dolore insimul & invidia concitati in quampluribus castri partibus ignem apposuerunt, & totum castrum subitò combustum fuit cum his rebus tam victualibus, quàm aliis, quæ intus fuerant cùm non esset adhuc plenè expoliatum. Posteaque ferè omnibus domibus castri destructis à Cremonensibus partim à Laudensibus, fossatoque complanato, murum quoque castri totum in terra prostraverunt. Insuper etiam Cremonenses avidi Cremæ dissipationis, etiam quasdam Ecclesias ipsius castri destruxerunt. Imperator verùm per quinque dies ibi moram faciens, postea discessit, Laudæque cum omni ejus exercitu reversus est. Cremonenses verò & Teutonici in castello Imperatoris, & in omnibus

(*) *Alter Codex MS.* inbelles.

EX EDITO AB OSIO.

esse debere, & ulterius tam ambiguam subire fortunam vitæ, quod & capita, & omnem suam suppellectilem, ipsum quoque castrum amitterent, si per vim caperentur. Consilio itaque ab omnibus sic firmato, statim Legatos direxerunt ad Imperatorem, per quos omnia, quæ Imperator eis mandaverat, se omninò velle facere nuntiaverunt. Imperator verò quod optaverat audiens: ac Deo omnipotenti cum magno gaudio gratias referens, statim per suos Legatos ad Cremenses missos fœdere inito, cum Cremensibus pacem, & Mediolanensibus, atque Brixiensibus sicut eis ante mandaverat, stabilivit. Hoc autem factum fuit in anno MCLX. ab Incarnatione Domini, die Martis, sexto Calend. Februarii octavo die post festum Beati Bassiani Confessoris Laudensis Episcopi. Sequenti verò die Mercurii Cremenses masculi, & fœminæ, atque Mediolanenses, & Brixienses Imperatori se tradiderunt; qui exeuntes de castro, quia totam suam suppellectilem amittebant, nisi quantum una vice poterant deferre, ingenti dolore fremebant; quia vita verò eis confirmata, & conservata fuerat, in parte gaudebant. Donavit autem Imperator Laudensibus ultrà tercentas loricas, & multas gamberias, quas de prædictis suis hostibus habuerat. Nec esse prætermittendum opinor, quod Imperator Christianissimus omni ferocitate, & severitate deposita, hostilique odio abjecto, ipsos Cremenses per quendam locum angustum, unde egrediebantur, adjuvans exire, suis propriis manibus quendam ipsorum languidum cum aliis militibus exportavit. Quæ tantæ benignitatis, tantæque Imperialis mansuetudinis actio omnibus hominibus maximum præstare debet exemplum. Theutonici verò, & Lombardi castrum introeuntes prout quisque sortiti erant, unus solus tamen unam viciniam occupabat, & de rebus, quæ erant in illis domibus, quas occuparant, nulli alii permittebant accipere. Quod alii, & maximè scutiferi, qui postremo intraverant castrum, considerantes; nec aliquid de rebus ab aliis occupatis accipere audentes; dolore simul, & invidia concitati, in quamplurimis castri partibus ignem apposuerunt, & totum castrum subito combusserunt cum his rebus tam victualibus, quam aliis, quæ in eo erant, cum adhuc plenum esset nec expoliatum. Postea verò omnibus ferè domibus castri destructis à Cremonensibus, & partim à Laudensibus, & fossato complanato, murum castri totum in terram prostraverunt. Insuper etiam Cremonenses avidi nimis dissipationis Cremæ etiam quasdam Ecclesias ipsius castri destruxerunt. Imperator autem per quinque dies ibi moram faciens postea discessit, & Laudam cum omni exercitu suo reversus est. Cremonenses verò, & Theutonici in castello Imperatoris, & in omnibus manganis, & petreriis, seu Gattis, & machinis, quamvis per longum tempus fabricata essent, & in eis ultrà duo millia marcharum argenti esset erogatum, ignem apponentes, omnia velociter combusserunt. In sequenti autem die Mercurii, in quo fuit festum Sancti Blasii, & quæ fuit tertio die mensis Februarii, Cremonenses omnes sunt reversi Cremonam, Imperator cum omni exercitu Papiam perrexit.

In illo tempore erat magna discordia inter Pa-

(**) Non post, sed inclusa inter octo dies festo ipso, ut esset *dies Martis*.

EX CODICE AMBROSIANO.

bus ipsorum manganis, & preteriis, seu Gatis, ac machinis ignem apponentes, omnes exarserunt, quæ omnia quamvis per longum tempus fabricata fuerunt, & ultra duo millia marcharum argenti in eis erogatum fuerat, quia tamen est quòd omnis creatura revertitur ad suam naturam, in parvissimo tempore, utpote ex pulvere creata in pulverem redacta sunt. In sequenti verò die Mercurii in quo fuit festivitas Beati Blasii martyris, & quæ fuit tertio die mensis Februarii Cremonenses omnes reversi sunt Cremonam.

Imperator deinde cum omni suo exercitu Papiam perrexit. Sed ea tempestate magna discordia (39) erat inter Papam Victorem, qui priùs vocabatur Octavianus, & Raynaldum Cancellarium qui in electione sua vocatus fuerat Alexander tertius (40), qui similiter ad Papatus honorem levatus erat, ob quam dissensionem Imperator olim mandaverat suos Legatos, scilicet Comitem Ottonem Palatinum, & Comitem Guidonem de Blanderate (41) ac . . . . . ad Octavianum, atque Ale-

EX EDITO AB OSIO.

Papam Victorem, qui prius vocabatur Octavianus, & Raynaldum Cancellarium, qui in electione sua vocatus fuerat Alexander, qui similiter ad Papatus honorem levatus erat; ob quam dissensionem Imperator olim mandaverat suos Legatos, scilicet Comitem Palatinum, & Comitem Guidonem de Blandrate, & quendam alium ad præfatos electos; rogans eos, quod vellent usque ad proximum Caput Jejunii Papiam venire, suas rationes allegaturi coram Archiepiscopis, & Abbatibus, aliisque viris religiosis, & coram ipso Imperatore Romanæ Ecclesiæ advocato; ut ibi per Dei virtutem tam detestabilis dissensio sopiretur. Mandavit etiam ipse D. Imperator Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus de Alemania, de Burgundia, de Lombardia, de Tuscia, de Appulia, & de Romania, & de aliis partibus Imperii, Patriarchæ etiam Aquilensi; ut in prædicto capite Jejunii deberent esse Papiæ, audituri rationes utriusque prædictorum electorum; ut ipsis auditis, quis justus, & esse deberet Apostolicus judicarent. Octavianus verò Legatos Imperatoris

---

(39) Nemo copiosiùs Radevico Schismatis hujus historiam scripsit, ut videre est supra *l. 2. c.* 43. & 50. Hinc ab ejus narratione abstinemus.

(40) Collectionis hujus tom. 3. à p. 446. binas Alexandri III. vitas habemus. Ante Pontificatum solus Morena, quod sciam, *Raynaldum* eum vocat: *Rolandum* cæteri, & patria Senensem. Corrigendus ideo Abb. Stadensis qui sub A. 1159. Mediolanensem bis illum dicit, perperam addens, quòd *Mediolanensium de quibus ipse ortus fuit, contra eum* (Imperatorem) *invidiam suscitavit*: confundit Alexandrum III. cum II. qui verè Mediolanensis. Scriptores dicti tomi 3., & Baronius ortum dicunt *ex Patre Raynucio*. Nomen ne proprium, an Gentis? Foresto *filius Rolandi Raynucii*. Ergo gentilitium: sed Pagio *Rolandus Papato*. Dolet Spigelius *in Ligurin. l.* 10. *v.* 119. quod *gentilitii nominis neque Platina, neque Volaterranus meminere*. Reapse viciniores adhuc silent. *Rolandum Bandinellum* recentiores ferè omnes ipsum nominant. Extat apud B. Mont-faucon *Diar. Ital.* p. 342. inscriptio hæc: *Alexander III. Sen. ex Bandinella familia &c.* serò tamen posita à Jugurta Tomasio A. 1591. de qua, aliisque similibus canon Pagii sub A. 926. n. 6. observandus, dum inquit: *verum esse principium Chronologicum à nobis statutum, epitaphia scilicet, quæ non constat posita haud multo post mortem eorum, in quorum memoriam condita, fidem non facere*. Eidem sub A. 1159. n. 9. displicet Puricellus *Basil. Ambros. n.* 424. dum assentitur Chrysostomo Henriquez asserenti, Rolandum Monachum *in Monasterio Caravallis in Lombardia prope Mediolanum*: cùm certè constet eum ex Ecclesia Pisana, ubi Canonicus, ad Romanam ab Eugenio III. translatum. Cæterum Rolandus Vir sanè miræ sanctitatis, summæ fortitudinis de IV. Pseudopapis ttiumphator, & ingentis doctrinæ, ut ejus Decretales, ac biscentum & amplius Epistolæ à Sirmondo, & Duchesnio vulgatæ demonstrant.

(41) De Blandrate, ut alibi. Oppidum ad lævam Sessitis, 7. millia passuum supra Vercellas in Boream. Nunc in Agro Novariensi: an olim in Vercellensi, nil refert inquirere. *Barderate* Plinii 3. 5. esse autumant aliqui apud Osium *in notis p.* 62. *a.* At situs repugnat, cum Plinio *Dertona*, *Trira* (Iria nunc Viqueria) *Barderate*, *Industria* (Liguribus Bodincomagum) nunc Casale S. Evasii, vel circa. En Barderate cis Padum, non ad Sessitem. Celebris ævo Ænobarbi is Comes, ideo notatu dignus. Unde ortus, mox paulò dicam. A sæculo XI. auditum eorum nomen in Tabulis Ecclesiæ Novariensis, & S. Gaudentii, testatur à Basilicapetri *Novar. p.* 345. Alberto Episcopo ab his Comitibus perempto. Is Guido puer ille, de quo Calchus sub A. 1127. p. 157. *Inter Novarienses puer altæ indolis Baldrati Comes memoratur rudimenta militiæ fecisse, & qualis vir futurus foret, auspicia dedisse*. Hujus Pater *Albertus*, ut prodit Benven. Sangeorgius in *Mferrati Marchion. serie. p.* 4. *in Raynerio*, ex Historia Gottofredi Bolonii; cujus Raynerii unicam filiam duxerat idem Guido; qui & fratrem habuit *Luitprandum* ab Henrico V. Episcopum Vercellensem electum, ex Aurel. Corbellino *in Episcop. Vercellens.* p. 60. Albertus porrò ut *potentissimus Italorum* fuit comes Anselmi IV. Archiepiscopi Mediolanensis A. 1101. in expeditione Hierosolymitana ex Olderico Vitali synchrono *Hist. Eccl. l.* 10. *p.* 789. quanta auctoritate polleret apud Mediolanenses innuit Otho Frising. 2. 14. cujus verba præstat recitare, dum de Novaria loquitur hoc modo: *Comitem habens in sua Diœcesi Guidonem Blanderatensem, qui præter morem Italicum totum ipsius Civitatis territorium vix ipsa Civitate excepta Mediolanensium possidet auctoritate: inhiantibus adhuc Mediolanensibus, ut & hanc simul* (Novariam) *& Papiam, sicut alias absorbeant Civitates*. Nec minoris nominis erat apud Cæsarem, pro quo interfuerat concordiæ pacis inter Eugenium III. ipsumque Cæsarem, ut ex charta apud Baronium A. 1152. p. 378. edit. Rom. 1607. ibi enunciatis Guidone Guerra, *& Guidone Baldratensi Comitibus ex parte D. Regis*. Is ipse, ut habet hìc Morena, Romam missus; quare corrigendus Rubeus *H. Ravenn. l.* 6. post initium scribens sub A. 1160. quòd *Fridericus Guidonem Archiepiscopum Ravennatem, & Othonem Comitem Palatinum misit hac pro re*. Dixerat paulò ante Rubeus hunc Guidonem *Blanderatensis Comitis filium, quem Anselmo Fridericus Cæsar subrogavit*. Novisse debebat, fuisse intrusum, ideo ab Adriano rejectum, ut ipsum Romam mittere ad Alexandrum, cui gratus nec esse poterat, non expediret. Prodidit Baronius A. 1159. p. 419. & 20. Friderici binas epistolas ad Adrianum, hujusque aspera responsa, quibus confirmare unquam noluit electionem à Friderico factam; itaut apud eundem Baronium A. 1160. p. 455. sententiæ contra Alexandrum pro Octaviano prolatæ adhuc solùm se subscribat: *Guido electus Ravennas consensit*; fides sit ergo Morenæ. Sed horum Comitum patriam, quæ sub lite adhuc est, inquiramus. Rubeus *l. l.* dictum Guidonem Archiepiscopum dixit *natione Germanum*. Origine annuo: Itali tamen jam erant hoc ævo Ænobarbi, imò & sæculo ante, ex Saxonia profecti in Italiam, sicut Comites Guidones celebres in Romandiola per plura sæcula, de quibus fusè Leand. Albertus *Ital. p.* 304. qui eorum genealogiam novisse testatur. Viglevanensem Guidonem Morena

EX CODICE AMBROSIANO.

Alexandrum, rogans (42) eos, ut illi usque ad primum caput Jejunii (*) Papiam venirent suas rationes allegaturi coram Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, aliisque religiosis & coram ipso Imperatore Romanæ Ecclesiæ advocato, ibique per Dei virtutem tam detestabilis dissensio limitaretur. Mandaverat etiam Archiepiscopis, Episcopis, atque Abbatibus de Alamania, & de Burgondia, atque de Longobardia, de Tuscia quoque, & de Appulia, ac de Romania, ac de aliis partibus Imperii, Patriarchæ quoque & de Aquilea, ut in

EX EDITO AB OSIO.

ris audiens, eos magno gaudio suscepit, atque prædictæ dissensionis desiderans audire sententiam sanctorum virorum, promisit legatis, ad proximum terminum se venturum. Raynaldus autem eisdem legatis renuntiavit, se minimè venturum ad talem conflictum; dicens, se à nemine debere judicari, cum ipse potius omnes alios deberet judicare; & sic respondit, ac si esset in concordia, & sine aliqua dissensione ad Apostolicatus honorem sublimatus. Octavianus itaque ad terminum statutum veniens, & alii prædicti similiter, pro quibus miserat Imperator,

---

renæ dixerant Nubilonius, & Puteus MSS. apud Cæsarem Sacchettum *Viglevan. illustr. p.* 33. Verùm is ipse utrumque refellit. Adhuc patria Vercellensem prædictum Luitprandum affirmavit Corbellinus l. l. fortè quia in Agro eodem, Vercellisque Baldrate proximum. Infirma ratio. Amicissimus meus venerandæ memoriæ Jctus Laz. Aug. Cotta Novarienses fuisse hos Comites mecum acriter contendebat: & reapse quotquot viros illustres invenit cum ex Comitibus, tum Baldrate genitos in suo *Musæo Novariensi*, ut ex Indice Topographico in *V. Baldrate*, regessit, eique favere videbantur laud. Calchus, & Frisingensis. Nunquam viro docto consensi. Reponebam præcedentia verba Calchi *l. l.* scribentis: *à sociis civitatibus missa auxilia &c.* ut vix sequentia verba probarent ductos à puero Guidone Novarienses, non quòd ipse Novariensis esset: Frisingensem item solum dicere, esse Blandrate in Diœcesi, quod verum. Cur, urgebam, tot jurgia inter hos Comites, & Novarienses, ut narrat Radevicus 1. 40.? Nil refert, inquam, Blandrate in Diœcesi, esto, & in Agro Novariensi. Nonne 37. & ampliùs Oppida eorum erant juris in pluribus aliis Diœcesibus, & Agris, quæ ex quodam diplomate recitat laud. à Basilicap. p. 371.? Pari sanè ratione potuissent hi Comites cives dici omnium earum urbium, in quarum Diœcesibus, sive Agris oppida illa erant sita. Non par ratio, respondebat Cotta, quia à Blandrate, non ab alio Oppido Comites vocabantur. Cottæ his dictis reclamabam exemplis, & ego. Sæculo XV. Facinus Canis Blandrate donatus legitur per Joh. Mariam Vicecomitem àpud à Basilicap. p. 93. & Ghilinum *Annal. Alexand. A.* 1405. *n.* 5. ideo ne Canis Novariensis, non Casalensis? Sæculo XVI. Benvenutus Sangeorgius laudatus Comitem Blandrati in operibus suis se inscribit, quamvis eo tempore ejus loci dominium jam in alias manus transiisset, & is ne Novariensis? Plura addi possent, si publici juris esset *Historia Comitum de Blandrate*, quam etiam Italicè scripsisse *Benvenutum Sangeorgium* Equitem Hierosolymitanum, & Præsidem Senatus Casalensis testatur And. Rossottus in *syllabo Scripp. Pedemont. p.* 113. hæc tamen, quamvis non integra præsenti Collectioni fortè inseretur. Ut litem hanc dirimamus, quod Cottæ amico probabam, Guidonem, scilicet, hunc Mediolanensem fuisse, nunc confirmare non vereor. Nec auctoritate Sigonii innitor, non tamen contemnenda, etsi sinè teste, qui sub A. 1158. p. 491. concionem recitans ad Mediolanenses suos ab eo habitam, verba hæc expresse præmittit: *hujus autem auctor consilii erat Vido Comes Blanderati Civis Mediolanensis*. Id transeat. Synchronum adeamus Guntherum *in Ligurino l.* 8. *v.* 89. hæc canentem:

„ Utile consilium Guido Bladratensis agebat:
„ Hic Comes eximius *Ligurum Concivis* & idem
„ Carus erat Regi, nec ob hoc suspectus in urbe.
„ Talis fama Viri vulgaverat inclyta mores.
„ Hunc igitur medio trepidantis in agmine vulgi,
„ Cùm jam de summis ageretur quæstio rebus,
„ Inter Cæsareum pariter *Patriæque* favorem

septuagenis, & duobus sequentibus versibus Mediolanenses alloquitur. Sed in recitatis, dum *Ligurum Concivis* Guido dicitur, non Langobardorum universim (impropriè enim loqueretur Poeta) sed Mediolanensium tantùm Concivis innuitur, idest, *Civitatis Ligurinæ*, ut phrasi utar Poetæ, cui certissimè Mediolanum est, dum subdit in eadem concione v. 121.

Sed Latio servire Duci Ligurina necesse
Urbs habet . . . .

& alibi per *Ligurinam Urbem* Mediolanum semper intelligit. Ita *lib.* 2. *v.* 136.

Metropolim Ligurum dicunt, sedemque supremam
Quam Mediolanum Ligus incola nominat urbem.

& infra *v.* 170.

Omnibus Italiæ præcesserat altius una
Urbs Ligurum, titulisque potens, & nomine claro;

Itemque *v.* 233. dum de Mediolanensibus conquerebantur Laudenses.

„ Inter propositas, multasque gravesque querelas
„ Regia Lauda sui, Cuma, cum supplice Regis
„ Implorabat opem: missisque fidelibus ambæ
„ Consulibus, Patribusque suis, *crudelia facta*
„ Deflebant querulis *Ligurinæ* vocibus *Urbis*
. . . .
„ *Consulibus Ligurum* præsentibus atque paratis
„ *Excusare suam* phaleratis vocibus *Urbem*.

Quid plura? Audiatur Vossius *de HH. LL.* 2. 53. *p.* 404. *Guntherus in Poemate suo, quod superstite etiamnum Ænobarbo, de rebus ab eo gestis decem libris composuit, ac* Ligurinum *vocavit, quia Ænobarbo negotium imprimis fuerat cum Urbe Ligurina, hoc est Mediolano, cujus incolas Ligures semper appellat*. Dum postea Guntherus in primis recitatis versibus dixerat,

„ Inter Cæsareum pariter, *Patriæque* favorem

Mediolanum Guidonis Patriam, & suorum fuisse quis negare audebit? Quis perperam affirmabit horum Guntherum ignarum? Integra tandem laudata concio undique, & abundè sententiam hanc tuetur, & sustinet. Obliviscebar Radevici, qui supra 1. 40. habet: *Guido Comes Blanderatensis . . . . . Is cùm esset naturalis in Mediol. Civis &c.* Cùm porrò hæc ita sint alter est iste Guido, de quo Morena, ab illo, qui testis *Sententiæ* Episcopi Taurinensis ut Regii Vicarii A. 1219. apud à Basilicap. p. 388: ubi infra p. 393. *Comes Guido Banderatens.* Quomodo puer A. 1127. hìc idem testis post integrum sæculum? Is certè filius, vel nepos senioris, ad cujus supplicationem emanaverat diploma Friderici II. A. 1220. favore Viglevanensium, cujus fragmentum recitat laud. Sacchettus d. p. 33. Hinc de hoc juniori Guidone loqui non poterant Otho Frising. Morena, Radevicus, & alii ejusdem ævi, quos allegat non rectè Cotta in *Musæo statione III. p.* 281. *n.* 636. Verba plura habentur in notis Osii d. p. 62. & 63. sed pauca ad rem. Desideramus adhuc scire, an Comites hi sæculo XV. ineunte desierint, quando fuit Canis Baldrate donatus. Per sesquisæculum saltem Sangeorgios Baldrate Comites se inscripsisse cognoscimus, cùm Benvenutus initio sæculi XVI. floruerit. Hujus nepos fuit Guilielmus, ex quo A. 1545. ortus Joh. Franciscus Episcopus Aquensis, post Faventinus, & Cardinalis, cui Guido nepos ex fratre monumentum Faventiæ posuit A. 1605. ejus plura munera referens, quod extat apud Oldoinum *ad Ciaconium tom.* 4. *col.* 298. & Ughell. *t.* 4. *coll.* 470. & 533. primæ edit.

(42) Extat apud eundem Radevicum 2. 55. epistola Imperatoris ad Alexandrum Papiam vocatum.

(*) *Alter Codex MS.* Junii: *ita etiam infra*.

EX CODICE AMBROSIANO.

in prædicto capite Jejunii Papiæ forent audituri discordiam inter Octavianum nunc Papam Victorem vocatum, & Raynaldum Papam Alexandrum vocatum, & ut auditis utriusque rationibus, quis justiùs ac rationabiliùs debeat esse Apostolicus dijudicarent (43), dicens: esse potiùs in veritate cognoscere quis ipsorum magis foret Catholicus, atque jure in Apostolica dignitate dignior existeret, quàm sic prævaricantes, & quis eorum in veritate deberet esse Papa ignorantes, & cùm unus tantùm Apostolicus esse debeat in toto orbe, duos tenentes, animas suas propter talem discordiam amitterent. Octavianus verò Legatos audiens Imperatoris, eosque magno gaudio suscipiens, & prædictæ dissensionis desiderans audire sententiam sanctorum virorum ad præfixum terminum se venturum Legatis promisit. Raynaldus autem eisdem Legatis renuntiavit se minimè venturum ad talem conflictum, dicens: se à nemine debere judicari, (44) cùm ipse omnes alios judicare debeat, & sic respondit ac si jam esset in concordia, & sinè aliqua dissensione ad Apostolicatus honorem sublimatus. Octavianus verò ad terminum statutum veniens, & Patriarcha Aquilegiæ multique Archiepiscopi & Episcopi ac Abbates, aliique quamplures religiosi viri, pro quibus Imperator miserat, Papiæ omnes congregati sunt.

Cùm igitur Ortodoxorum Papiæ congregatorum universitas in nomine Domini consedisset causâ Sedis Apostolicæ per aliquot dies continuos, remoto omni seculari juditio, legitimè & canonicè agitatâ, & diligenter inspectâ, sufficienter & canonicè in conspectu Concilii per testes idoneos est probatum: Domnum Papam Victorem, & nullum alium in Baxilica Beati Petri, à saniori parte Cardinalium petitione populi Romani, & consensu, & desiderio Dei fuisse inmitriatum, & quòd præsente & non contradicente Rolando quondam Cancellario in Cathedra Beati Petri fuerit collocatus, & quòd ibi ei à Cardinalibus & Clero Romano, *Te Deum laudamus*, gloriosè est decantatum, & inde ad palatium cum Bandis (45) & aliis Papalibus insigniis est deductus. Probatum est & quòd eo tempore, quo electio Romæ celebrabatur, erant in Urbe tantummodo XXI. Cardinales. Cardinalis autem Sancti Petri ad vincula erat Anagniæ infirmus, qui consensum & voluntatem suam aperuit Domno Cardinali Sancti Martini, & Domno Guidoni Cremensi, ex quibus omnibus Cardinalibus cùm Domnus Victor tunc Octavianus & Rolandus segregati fuissent, remanserunt tantùm viginti Electores, quorum novem sanioris consilii, & nulla conjuratione fœdati, quorum prima vox erat in electione, Domnum Victorem unà cum Capitulo Beati Petri petitione populi, consensu, & desiderio Cleri annuente, ordine Senatorum, & Nobilium Romanorum Domnum Victorem elegerunt, & Clerus & populus secundùm consuetudinem in-

EX EDITO AB OSIO.

tor, Papiæ omnes congregati sunt, secundum quod ordinaverat D. Imperator.

Cum igitur Orthodoxorum Papiæ congregatorum universitas in nomine Domini sedisset, causa Sedis Apostolicæ per aliquos dies, remoto omni sæculari negotio, judicioque ipsa quæstione legitimè, & Canonicè agitata, & diligenter inspecta; sufficienter in conspectu Concilii per testes idoneos est probatum, Dominum Papam Victorem, & nullum alium in Basilica Beati Petri à saniori parte Cardinalium ad petitionem Populi Romani, cum consensu, & voluntate Cleri immantatum; & quòd præsente, & non contradicente Raynaldo quondam Cancellario in Cathedra Beati Petri fuit collocatus; & quòd ibi, & à Cardinalibus, & Clero Romano, Te Deum laudamus, gloriosè est decantatum; & quòd ipse ad Palatium cum blandis, & aliis insignibus papalibus est deductus. Probatum est etiam, quòd eo tempore, quo electio Romæ celebrabatur, erant in urbe tantummodò XXI. Cardinales. Cardinalis autem Sancti Petri ad Vincula erat Anagniæ infirmus, qui consensum, & voluntatem suam aperuit Domino Cardinali sancti Martini, & Domino Guidoni Comensi. Ex quibus omnibus Cardinalibus, cum Dominus Victor, tunc Octavianus, & Raynaldus segregati fuissent, remanserunt tantum XX. electores; quorum novem sanioris consilii, & nulla conjuratione fœdati prima vox erat in electione D. Victoris, & unà cum capitulo D. Petri petitione populi, consensu, & desiderio Cleri, annuente ordine Senatorum, & Nobilibus Romanis Dominum Victorem elegerunt; & electus, & secundum consuetudinem interrogatus per scribam, si placeret, tribus vicibus clara

---

(43) Hic fusè idem *l. 2. capp. 64. 65. 66.*

(44) Et rectè minimè suffragante Imperatoris protestatione, his verbis ab eo concepta: *Generalem Conventum Religiosorum Papiæ indiximus, ad quem ambos, qui se dixerunt Romanos Pontifices, non ad judicium seculare, sicut ora mendacium astruunt, sed ad examen Ecclesiæ per duos Venerabiles Episcopos Verdensem, videlicet, & Pragensem convocavimus.* Hæc extant apud Goldastum *l. l.* inter septem capita ad hanc latrocinalem Synodum spectantia p. 68. §. 4.

(45) Blandis Osio, sed *lege Bandis, i. lest, ut alii istius ævi scriptores vocant, Fanonibus*. Ita Leibnitius ad Morenam p. 827. qui MS. nostrum non vidit. De Fanone Dufrenius.

EX CODICE AMBROSIANO.

interrogatus per scriniarium, si placeret, tribus vicibus clara voce respondit: *Placet*. Probatum est etiam, quòd Rolandus, XII. die post Domni Victoris (46) promotionem ab Urbe egressus apud Cisternam prope terram Siculi in loco non celebri primò est inmantatus; probatum est quoque, quòd in secundo die post promotionem Domni Victoris Rolandus interrogatus à Rectoribus Cleri Romani, & à Clericis de sua Cardinalia, si Domno Victori esset obediendum, expresè confessus est se nunquam fuisse inmantatum, & expresè dixerit: *ite & obedite ei, quem inmantatum esse videtis*. Super his Capitulis fuerunt testes (*), & sub stola sacrosanctis tactis Evangeliis juraverunt. Dominus Petrus Ranus Decanus Basilicæ Beati Petri, cum duobus fratribus suis, & in persona sua & totius Capituli Beati Petri, cujus etiam literæ ad plenum testimonium ibi habitæ suprajuraverunt etiam honestissimi Rectores, & Prælati Cleri Romani, qui omnia viderunt, & tractaverunt, & fuerunt ultra octo intra Archipresbyteros, & alios Clericos. Præterea Petrus Illustris vir bis Præfectus, & alii quamplures Romani nobiles in conspectu Concilii super jam dictis Capitulis omnes similiter testimonium perhibuerunt, & jurare voluerunt; sed quia prædictorum testimonium sufficiens Concilio visum fuit, à sacramento excusati sunt; deinde venerabiles Episcopi Hermannus Verdensis, & Daniel Pragensis de Boëmia, & Otto Palatinus Comes, quos Dominus Imperator ex consilio XXII. Episcoporum, & multorum aliorum religiosorum tunc præsentium Romam delegaverat, ut partes ante Concilii præsentiam Papiam evocarent, in conspectu Concilii testimonium perhibuerunt, quòd Rolandum Cancellarium & ejus partem, trinis edictis per ipsa intervalla perhemptoriè & solemniter ad præsentiam Ecclesiæ tunc Papiæ congregandæ vocaverunt, quòd Rolandus & sui Cardinales viva voce & manifestè dixerunt juditium vel examen aliquod Ecclesiæ se nolle recipere. His igitur, & aliis quampluribus rationibus auditis, quas longum foret enarrare, communicato consilio prædicti Patriarchæ, & novem Archiepiscoporum, & XXXVIII. Episcoporum, & multitudine magna Abbatum, qui omnes aderant Concilio, Dominum Victorem laudaverunt, & electionem Rolandi cassaverunt, post quos omnes Christianissimus

EX EDITO AB OSIO.

ra voce respondit, placet. Probatum est etiam, quòd Raynaldus duodecim dies post Domini Victoris promotionem ab urbe egressus apud cisternam propè terram Siculi in loco non celebri est primo immantatus. Probatum etiam fuit, quòd in secundo die post promotionem D. Victoris Raynaldus interrogatus à Rectoribus D. Romani cleri, & à clericis de suo Cardinalatu, si Domino Victori esset obediendum, expresè confessus est, se nunquam fuisse immantatum, & expresè dixit. Ite, & obedite ei, quem immantatum esse videtis. Super his capitulis fuerant testes, & sub stola Sacrosanctis tactis Evangeliis juraverunt D. Petrus Christianus Decanus Basilicæ Beati Petri, cujus plenum testimonium ibi receptum est. Juraverunt etiam honestissimi Rectores, & Prælati Clerici Romani, quia omnia viderunt, & tractaverunt, & fuerunt ultrà inter Archiepiscopos, & alios Clericos. Præterea Petrus Illustris urbis Præfectus, & alii quam plures Romani nobiles in conspectu concilii super omnes similiter testimonium perhibuerunt, & jurare voluerunt. Sed quia prædictorum testimonium visum fuit concilio esse sufficiens, à Sacramento sunt excusati. Deinde Venerabiles Episcopi Hermannus Verdensis, Daniel Pragensis de Bohemia, & Otho Comes Palatinus, quos D. Imperator de consilio viginti duorum Episcoporum, & multorum aliorum Religiosorum tunc præsentium Romam destinaverat, ut primates ante Concilii præsentiam evocarent, testimonium perhibuerunt, quod Raynaldum Cancellarium, & ejus partem trinis edictis per temporum intervalla, & solemniter ad præsentiam Ecclesiæ tunc Papiæ congregandæ vocaverunt; & quod ipse Raynaldus, & sui Cardinales una voce, & manifestè dixerunt, judicium, vel examen Ecclesiæ se nolle aliundè recipere. His igitur, & aliis quampluribus rationibus auditis, quas longum esset enarrare, communicato Concilio prædicti Patriarchæ, & novem Archiepiscoporum, & triginta octo Episcoporum, & multitudinis magnæ Abbatum, qui omnes aderant Concilio; D. Victorem laudaverunt, & electionem Raynaldi cassaverunt; post quos omnes Christianissimus Imperator electionem D. Victoris comprobavit; & post eum omnes ejus Principes, videlicet Dux Henricus de Saxonia, Dux Bertaldus de Arugia, Dux Federicus de Rotemburgo, Comes Palatinus de Rheno frater Imperatoris, Comes Palatinus de Saxonia, Comes Palatinus de Bave-

---

(46) Quæ hic, supra, & infra, ut Romæ legitimè peracta refert Morena, à schismatis tantùm fautoribus audivit: accepit, & ut ejusdem sectæ libenter scripsit. Cunctis tamen reclamant cordatissimi, integerrimique scriptores, quos inter Guiliel. Neubrigensis synchronus (inter Scripp. Anglos VVechel.) *l. 2. c. 9.* hæc prodit: *& quidem pars major, saniorque in Rolandum ejusdem Ecclesiæ Cancellarium, Virum religiosum, & literatum concordans, eumdemque ritu canonico consecravit. Pars verò nonnulla, & ferè nulla in Octavianum nobilem Virum conveniens eundem (divinum non verita judicium) execrationis elogio maculavit ...... Ille Alexander dictus juxta causæ meritum Victor futurus. Iste nudo nomine, & fallaci omine Victor dictus est (IV.) victi dedecus habiturus*. Astipulatur Chronographus Reicherspergensis Monasterii Abbas Hermannus sub A. 1159. & ipse ingenuè scribens, quòd *Octavianus Presbyter Cardinalis S. Cæciliæ, qui à duobus tantùm Cardinalibus fuit electus, Johanne videlicet de S. Martino, & Guidone Cremensi: & in prima Dominica mensis Octobris est consecratus à Tusculano Episcopo Imaro Cardinale* (olim Monachus fuerat Cluniacensis) *non legitimo tamen, qui & dictus est Victor*. Italum addamus Anonymum Casinensem (alterum ab edito in Collectionis hujus tom. 3.) scribentem: *Omnes Cardinales elegerunt Cancellarium in Papam Alexandrum. Guido de Crema, & Raimundus, & Episcopus Tusculanus* (qui supra) *elegerunt Octavianum Cardinalem in Papam Victorium, & Sacratus est Pharphum*. (Farfæ) Trium horum Testium in ore, imò Contestium, stat omnis veritas, ab Occidente in Orientem adhuc prolata, ut ex Amalarici Patriarchæ *Synodica epist.* tom. 10. Concilior. col. 1404. inserta, dignoscitur, superioris omninò tenoris. Si institutum nostrum permitteret, singula verba verbis refellerem; verùm falsitas in hoc uno detecta, satis superque falsitatem arguit in reliquis, ut & in materia criminum Jcti decernunt.

(*) *Alter Codex MS. addit* examinati.

EX CODICE AMBROSIANO.

mus Imperator electionem Domini Victoris comprobarat, & post eum omnes ejus Principes, scilicet Dux Henricus de Saxonia, (47) Dux Bertaldus de Zaringia, Dux Federicus de Rottenburgo, Comes Palatinus de Rheno super (*) Imperatoris, Comes Palatinus de Saxonia, Comes Palatinus de Bavarea, & alii quamplures Marchiones, & Comites tam Longobardi, quàm Teutonici electionem Domini Victoris firmaverunt.

His ita perpetratis dedit licentiam dulcissimus Imperator, quo dulcior nullus fuit à longis retro temporibus, Duci Henrico de Saxonia, & Duci Bertaldo, (48) & etiam ferè omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, qui secum erant in exercitu, & cum militibus suis, ad suas patrias remeandi, cum omnibus suis equitibus, quibus omnibus recedentibus, remansit Imperator Papiæ, cum Duce Federico, Regis quondam Conradi filio, & cum Corrado Comite Palatino de Rheno fratre suo, & cum Ottone Palatino Comite, & aliis quibusdam Principibus. Postea verò pius Imperator, unà cum Domina Beatrice conjuge sua, & Principibus suis, ac exercitu, qui sibi remanserat ultra Padum in partes

EX EDITO AB OSIO.

veria, & alii quamplures Marchiones, & Comites tam Lombardi, quam Theutonici electionem Domini Victoris firmaverunt.

His itaque sic peractis, dedit licentiam dulcissimus Imperator Duci Henrico de Saxonia, & Duci Bertaldo, ac etiam omnibus ferè Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & aliis Prælatis, qui secum erant in Exercitu cum suis militibus, ad suam patriam remeandi. Quibus recedentibus, remansit Imperator Papiæ cum Duce Federico Regis quondam Corradi filio, & cum Corrado Comite Palatino de Rheno fratre suo, & cum Othone Palatino Comite, & cum aliis quibusdam Principibus. Postea verò Imperator cum Domina Beatrice conjuge sua, & Principibus suis, ac Exercitu, qui sibi remanserat, ultrà Padum in partibus Gamodii, & Marenghi, atque Terdonæ perrexit; & in illis partibus in quadragesima remansit. Medio-

(47) De quo sæpe Auctor noster, qui ideo gratiosus apud Leibnitium, dum is *Introduct. in Collectionem Scripp. RR. Brunsv.* n. LIX. fatetur, quòd Morena *nec tantùm Henrici Leonis, qui non exiguam copiarum partem adduxerat, crebra mentio fit, sed etiam vultus ejus, & statura describitur: &, ut verbo dicam, Gvvelfi Patrui ejus, & ipsius Imperatoris, aliorumque primariorum virorum, qui affuere. Ita Italo debemus Scriptori, quod nemo nostrorum annotavit*: & nos Itali gratias referimus Germanis Scriptoribus, quorum beneficio magìs, magìsque eum novimus: & primò Helmoldo Presbytero Vicano in Buzoen Agri Lubecensis, synchrono, & eidem subdito, dum scribit *Chron. Slavor. l.* 1. *c.* 78. „ Post hæc „ abiit *Dux noster* in Italiam cum Rege *pro corona Imperiali* „. Adeat, qui plura desiderat, Henr. Meibomium Jun. *Rer. Germanicar. tom.* 1. ubi p. 427. extat Gerhardi Præpositi Stederburgensis *Historica narratio* Henrici Leonis Bajoariæ, & Saxoniæ Ducis, cum notis ejusdem Meibomii; qui eidem p. 456. texit Panegyricum poeticum. Cur dictus Leo, differit idem Meibomius *in notis ad Bullam auream* Andronici Imperatoris, eodem *tom.* 1. p. 484. valdè dissentientibus inter se Scriptoribus. Certum tamen est, nulli ex prædecessoribus suis, sed ipsi soli Leonis nomen accessisse, testante Helmoldo *l. l. c.* 84. his verbis: *& creatum est ei nomen novum: Henricus Leo Dux Bavariæ, & Saxoniæ*. Ut Fridericum in Italiam tertiò comitaretur, induci non potuit; quo circa Imperator *Mediolano subjugato, VVerzeberg Curiam solemnem celebrans, abjudicat Duci Henrico omne feudum, quod ab Imperio, & Episcopis tenuerat*. Ipse verò in Angliam perrexit, ut habetur ex *Chronico Comitum Schavvenburg. d. tom.* 1. *Meibomii p.* 505. Ad calcem tandem *narrationis* laudati Gerhardi Stederburgensis, scribitur ejus epitaphium p. 436. Indignè de hoc Principe scribit Urspergensis p. 310. sub A. 1175., præsertim, quòd *perfide ab eo* (Imperatore) *recessit, sumpta occasione de excommunicatione, & fortè recepta pecunia*. Indigniùs adhuc cum eo egerunt duo Archiepiscopi Coloniensis, & Muguntinus, dum *ipsum de terra usque Brunsvig. expulerunt: de qua Civitate nec ipse, nec ejus progenies adhuc potuit expelli*. Ipse, ut prodit Abb. Stadensis sub A. 1166. *supra basim erexit Leonis effigiem in Brunsvvic, & urbem fossa, & vallo circumdedit*. Ex qua effigie, fortè Leo dictus, quod non observavit Meibomius l. l.

(*) *Alter Codex MS.* frater.

(48) Paulò supra habetur *de Arvigia*. Puto legendum: *Bertoldo de Zaringia*, ut ex Urspergensi, & Stadensi. Iste enim A. 1168. scribit: *Dux Henricus* (Leo) *repudiata sorore Ducis Zaringiæ Bertoldi, duxit filiam Regis Anglorum, relictam Regis Franciæ, & nuptias BrunsvvicK magnificè celebravit*. Et Urspergensis p. 306. A. 1162. *Factum est dissidium inter H.* (Henricum) *& uxorem suam Clementiam filiam C. Ducis Zaringiæ ...... Duxit quoque præfatus Dux uxorem filiam Regis Angliæ H.* (Henrici II.) *qui Thomam Cantuariensem Episcopum occidit*. Fortè ob hoc peccatum repudii Henrico Leoni iniqui Regis Genero adversa tot advenere. Diffident ambo in tempore. Unus *Clementiam* dicit sororem Bertoldi: alter filiam: & Urspergensis non Bertoldum, sed C. fortè Conradum vocat Ducem Zaringiæ. Stadensis filiam Regis Henrici dicit *relictam Regis Franciæ*, qui hoc tempore erat Ludovicus VII. sed falsò, nam hujus uxor prima *Eleonora* Aquitaniæ Dux, repudiata propter adulterium, & ducta ab Henrico II. ex Duce Normanniæ Rex. Secunda *Constantia* Alphonsi VIII. Hispaniæ Regis filia. Tertia Adelheida filia Theobaldi senis Comitis Blæsensis, & Campaniæ. Hinc non Henricus Leo, sed Henricus Rex duxit Eleonoram relictam Ludovici VII. & Henricus Leo filiam Henrici Regis, nomine Matildem A. 1169. juxta Robertum de Monte, scribentem: *Matildis filia Regis Henrici cum infinita pecunia, & apparatu maximo ducta est in Alamanniam ad sponsum suum Henricum Ducem Saxoniæ, & Bajoariæ, quorum Ducatum unum habebat ex Patre suo* (Henrico Nigro) *& alterum ex Matre* (Gertrude). Nullus sanè potentior eo in Germania, cùm ab Albi ad Rhenum, & à Baltico ad fines Italiæ usque dominaretur. Hinc si verè Bertaldus de Arvigia idem est ac Bertoldus de Zaringia, sequitur Bertaldum conjunctum fuisse alterutro modo magno Principi. Id tamen affirmare non ausim, cùm C. Urspergensis significare possit Conradum ejus Patrem Ducem. Nam Otho Frising. *in Chronico l.* 7. *c. ult.* habet: A. 1152. *Conradus Dux de Zeringen obiit*. Nomina adhuc Arvigiæ, & Zaringiæ absunt à Lexicis, cùm sint medii ævi. Christ. JuncKerus *Geograph. German. med. ævi p.* 407. in Brisgovia Castrum Zuringiæ locat prope Triburgum, quod Castrum conditum dicitur à Bertoldo Conradi filio. Ducatus verò dicitur parvus tractus adjacens ipsi Castro. Hæc ille idiomate Germanico. Ita sublata omnis difficultas.

EX CODICE AMBROSIANO.

tes Gabundi, & Marenghi, atque Tertonæ perrexit, & in illis partibus in Quadragesima permansit. Mediolanenses autem destructionem Laudensis civitatis desiderantes, in die Martis Sancti prædictæ Quadragesimæ milites & pedites cum magna copia vexillorum & plaustrorum Laudæ venerunt, summo diluculo Laudenses invadentes. Pars verò peditum Laudæ per portam Imperialem egrediens, cum Mediolanensibus prœlium incœperunt, qui per longum tempus bellantes, & ex Mediolanensibus plerosque interficientes, aliosque plurimos sauciantes, maximos impetus in eos faciebant, donec Mediolanenses equites simul & pedites unanimiter in Laudenses impetum magnum fecere, & Laudenses paucissimos ad comparationem hostium, & tanto robori obsistere non valentes, usque in fossatum recepti civitatis acriter impulerunt, ex eis quinque capientes, & insuper de Laudensibus tres interfecere. Reliqui verò intra civitatem se receperunt. Sed Mediolanenses suos interfectos, ac vulneratos recolligentes, quamvis eximiæ indolis, etiam quia civitatem, quam sinè gravi labore capere putaverant, illæsam relinquebant, ex suis multos vulneratos, plerosq; etiam interfectos reportabant, Mediolanum tamen reversi sunt. Laudenses itaque suos Legatos ad Imperatorem statim direxerunt, qui omnia ipsi narraverunt per ordinem, quæ eis acciderant, ex quo valde congratulans Imperator, quòd Laudenses qui perpauci erant à tanta multitudine se sic defenderant, & in campo durissimum prœlium fecerant, statim post paucos dies cum suis militibus Laudam profectus est, & ipsis Laudensibus multas grates in concione retulit de hoc, quòd viriliter cum hostibus Imperii pugnaverant; eos tamen ammonens, eisque præcipiens, ne ulteriùs Mediolanensibus in campo, nec extra civitatem ad pugnandum se opponerent, sed civitatem solummodo, non agros defenderent, dicens se metuere, ne nimia Laudensium audacia & præsumptio Laudenses perducat ad civitatis etiam amissionem. Deinde cum ipsis Laudensibus equitibus, atque peditibus profectus est ad pontem, quem Mediolanenses ad Pontirolum reædificaverant suis maximis sumptibus, castrumque Pontiroli cepit, & ipsum concremans dissipavit, ipsum quoque pontem de Pontirolo destruxit, & in Abduam projectus est, atque ad civitatem Laudæ rediit. Post paucos verò dies Imperator, qui multos poterat pati labores, cum Laudensibus equitibus atque peditibus, & cum parte equitum Cremonensium, qui ex mandato Imperatoris Laudæ venerant, & cum quadam preteria Laudensium ad capiendum Pontirolum reversus est, ubi quædam Ecclesia bene armata, & munita hominibus remanserat. Ipsamque partim bello, partim ipsius preteriæ pavore capiens, homines, qui ibi aderant, cepit, & ipsos bonis suis expoliatos Laudam duci præcepit; deinde Faram rediens, ipsumque Faræ castrum post diu factum ibi prœlium, capiens, & homines de Fara cum maxima præda bonorum, quæ in castro fuerant Laudæ referens, maximam copiam equitum Mediolani ex altera parte Abduæ supra ripam conspexit, qui venerant illuc, ut ipsum Imperatorem offenderent, si possent, putantes eum cum

EX EDITO AB OSIO.

diolanenses autem destructionem Laudensis Civitatis summe desiderantes, die Martis Sancti prædictæ Quadragesimæ tam milites, quam pedites cum multis Vexillis, & Plaustris Laudam venerunt, & summo diluculo ipsos aggressi fuerunt. Pars verò peditum Laudensium per Portam egrediens, cum Mediolanensibus prælium incœpit; qui per longum tempus bellantes, ex Mediolanensibus plures interficientes, & multos sauciantes, maximo impetu in eos unanimiter irruerunt; hi verò ipsos Laudenses paucissimos ad comparationem hostium, tanto robori resistere non valentes, usque in fossatum civitatis acriter impulerunt, & ex ipsis quinque ceperunt, tres verò interfecerunt; reliqui verò Laudenses intra civitatem se receperunt. Sed Mediolanenses suos interfectos, & vulneratos recolligentes, quamvis etiam nimis dolerent, quod civitatem, quam sine gravi labore putabant capere, illæsam relinquebant, & de suis multos vulneratos, & multos interfectos reportabant; Mediolanum tandem reversi sunt. Laudenses verò suos Legatos ad Imperatorem direxerunt; qui omnia, quæ eis acciderant, eidem Imperatori per ordinem narraverunt. Imperator verò congratulatus, quòd Laudenses quam pauci in tanta multitudine hostium sic se viriliter defenderant, & cum ipsis in campo prælium fecerant; Statim post paucos dies Laudam cum suis militibus est profectus. Quò cum pervenisset, ipsis Laudensibus multas gratias in concione retulit de hoc, quod ita viriliter pugnaverunt cum hostibus Imperii. Eos tamen admonuit, atque iis præcepit, ne ulterius contra Mediolanenses in campo extra civitatem ad pugnandum se opponerent, sed civitatem solummodò defenderent, non agros; dicens, se metuere, ne nimia Laudensium audacia, & præsumptio perducat eos ad civitatis amissionem Deinde cum Laudensibus equitibus, atque peditibus est profectus ad pontem, quem Mediolanenses ad Pontirolum reædificarunt suis maximis sumptibus; castrumque Pontiroli cepit, & ipsum concremans dissipavit; ipsumque pontem de Pontirolo destruxit, & in Abduam projici fecit, atque ad civitatem Laudæ rediit. Post paucos verò dies idem Imperator, qui multos poterat pati labores, cum Laudensibus equitibus, atque peditibus, & cum parte equitum Cremonensium, qui ex mandato Imperatoris Laudam venerant, & cum quadam petreria Laudensium ad diripiendum Pontirolum reversus est; ubi quædam Ecclesia bene armata, & munita hominibus remanserat; quam partim bello, partim ipsius petreriæ pavore capiens, homines, qui ibi aderant, cepit; & ipsos bonis suis spoliatos Laudam duci præcepit. Post hæc Faram venit, & castrum ipsum post diu factum prælium cepit. Qui cum homines de Fara captos, & magnam prædam bonorum, quæ in dicto castro erant, Laudam conduceret, multitudinem magnam equitum Mediolani ex alia parte Abduæ super Ripam conspexit. Qui milites illuc venerant, ut ipsum Imperatorem offenderent, si possent; putantes, eum cum solis Laudensibus Pontirolum venisse, sicut alia vice fecerat. Et tunc Mediolanenses ad quendam Abduæ guadum nimis altum venere, fingentes se velle transire, & Imperatorem invadere; ut Milites, qui cum Imperatore erant, allicerent ad flumen transeundum; ut in aqua, quæ nimis

EX CODICE AMBROSIANO.

cum solis Laudensibus Pontirolum ivisse, sicut alia vice fecerat, & tunc Mediolanenses ad quoddam vadum Abduæ nimis altum venerunt, simulantes se velle transire, & Imperatorem invadere, ut milites, qui cum Imperatore erant, allicerent ad flumen transeundum, ut in aqua, quæ nimis erat ibi discurrens, & alta, periclitarentur. Imperator verò peritissimus omnibus suis militibus præcipi fecit, ne aliquis ad Mediolanenses curreret, nec aquam transiret; quidam tamen bellorum avidi versùs Mediolanenses per medium vadum currere volentes in aquam se projecerunt, ex quibus evaserunt aliqui, & plerique in ipsa aqua periclitati sunt, inter quos fuit Ricchus Saccus de Laude, & Osbertus Vetulus de Cremona, & quidam alii.

Post paucos verò dies Imperator cum Cremonensibus, & Papiensibus, (49) aliisque Principibus Longobardiæ ad Comitatum Mediolanensium devastandum perrexit, & ibi multa devastavit, ac per Novariensium Episcopatum Papiam rediens, universis Italiæ militibus, qui secum iverant, domum redeundi licentiam præstitit. Deinde Mediolanenses milites quamplurimi, quadam die Jovis, quæ fuit nono die mensis Junii, Indictione octava, in qua fuit tunc festivitas Sanctorum Primi & Feliciani, Laudæ venientes, intra villam Corneliani, quæ per unum milliarium & medium distat à civitate Laudæ, se occultè posuerunt, mittentes plus de quadraginta militibus, ad civitatem invadendam, quo peracto Laudenses equites clamore audito, Mediolanenses ultra viginti ex eis cum equis & armis ceperrnt, Mediolanenses verò considerantes socios fugientes acriter urgeri, unanimiter Laudensibus occurrentes magnum prœlium cum eis incœperunt; sed Laudenses utpotè satis pauciores non valentes resistere, in fugam conversi sunt, ac usque prope civitatem partim se defendendo repulsi fuere. Quo circa Meciolanenses omnes vel multos ex suis, qui capti ducebantur, recuperaverunt, ac etiam de Laudensibus cepere octo milites, intra quos fuit Vitus filius Lafranchi de Trixino, (*) Bernardus de Bagnolo, Albricus Lomelinus, Ottobellus Cachamustus, Otto Mezoparentis, & quidam alii. Quatuordecim tamen de Mediolanensibus in carcerem ducti sunt, inter quos fuit Codeguerra Vicecomes, & Monachus de Palatino, & Brunus de Concorezo, & filius Burri de Burris, & Joannes Salarius, & Ambrosius Gatonus, & Joannes Saroldus, & Ugo Canerarius, & Otto (50) Bel-

(49) Ex his, & in his majus robur exercitus Imperatoris consistebat. Etenim scribit Ursperegensis *in Friderico* p. 298., quòd pro obsidione Mediolanensi ipsi Imperatori *adveniunt Cremonenses cum XXX. millibus armatorum, & Episcopo suo Oberto. Papienses quoque, & Novarienses cum copioso, & splendido exercitu junguntur*. Extat epistola apud Baronium sub A. 1164. p. 507. edit. Rom. 1607. quam quidam Nuntius Sancti Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis degens Romæ apud Alexandrum, scribit ad eundem Sanctum Thomam de morte Octaviani Antipapæ, in qua hæc etiam subdit: *Præterea urbes Italiæ minùs solito promptæ sunt in obsequium ejus* (Imperatoris) *adeò quòd Papienses, & Cremonenses, per quos Italiam domuit, & contrivit, ei in facie resistant, denunciaveruntque ei, quòd ab eo recedent omnino, nisi deponat tyrannidem, & civiles induat mores, ut liberi esse possint, sicuti in diebus aliorum Imperatorum*: quæ postrema verba ex abundanti, & ex desiderio à Nuntio sunt scripta.

(*) *Alter Codex MS.* Tresseno.

(50) Nomen familiare Germanis, & Italis, ut ex hac, & aliis historiis apparet. Miror, Osium, qui minima quæque adnotare susceperat, orthographiam hujus nominis, quo Auctor noster donatur, in exordio omisisse. Promiscuè scribitur *Otho*, *&* *Otto*. Præcellentissimo nostro Muratorio diplomatum auctoritate freto *Otto* placet, ut ejus ex scriptis; *quod non placet* (inquit Conr. Gesnerus Semigermanus Tigurinus in Biblioth. p. 531.) *nam ab Ausonio* (de Cæsaribus in Othone) *corripitur & à Græcis* Οθων *profertur*, & revera *Otho* Ciceroni *ep.* 1. *l.* 2. *Att.* in castigatis exemplaribus Juntæ, Aldi, Amstelædami &c. Ita & Sve-

EX EDITO AB OSIO.

nis erat ibi discurrens, & alta, periclitarentur. Imperator verò omnium suorum militum peritissimus præcepit, ne aliquis curreret ad Mediolanenses, neve aquam transiret. Quidam tamen bellorum nimis avidi versus Mediolanenses per medium vadum currere volentes, in aquam se projecerunt; ex quibus evaserunt aliqui, & multi in ipsa aqua perierunt, inter quos fuit Henricus Saccus de Laude, & Obsertus Vetulus de Cremona, & quidam alii.

Post paucos verò dies D. Imperator cum Cremonensibus, & Papiensibus, aliisque civitatibus Lombardiæ ad Comitatum Mediolanensem devastandum perrexit; & ibi multa devastavit; qui postmodum per Novariensem Episcopatum Papiam rediens Italiæ militibus, qui secum iverant, domum redeundi licentiam concessit. Post hæc verò quamplurimi milites Mediolanenses quodam die Jovis, quæ fuit nona dies mensis Junii Indictione octava, & in qua fuit festum sanctorum Primi & Feliciani, Laudam venerunt, & per unum, & dimidium miliare se occultè posuerunt; mittentes etiam intra Villam Corneliam, quæ parum distat à civitate Laudæ, plures XL. militibus ad civitatem Laudæ invadendam. Quo peracto, Laudenses equites audito clamore persecuti sunt Mediolanenses sic fortiter, quod antequam ad socios redire valuissent, ultrà viginti ex eis cum equis, & armis capti sunt. Mediolanenses autem cognoscentes, socios fugientes acriter urgeri, unanimiter Laudensibus occurrerunt; & cum eis magnum prælium incœperunt. Sed Laudenses utpotè multo pauciores non valentes resistere, in fugam sunt reversi, & usque propè civitatem partim se defendendo repulsi sunt. Quo circa Mediolanenses multos ex ipsis, qui capti ducebantur, recuperaverunt; ac etiam de Laudensibus ceperunt decem, & octo milites; inter quos fuit unus filius Lanfranchi de Trissino, Bernardus de Bagnolo, Arberius Lomellinus, Ottobellus Cagamustus, Otho Mezaperentus, & quidam alii quatuordecim. Plures autem de Mediolano in carcerem sunt ducti; inter quos fuit Codeguerra Vicecomes, & Manatus de Palatio, Brunus de Concoretio, & filius Burri de Burris, & Joannes Salerius, Ambrosius Paliarius, Joannes Feroldus, Ugo Ca-

EX CODICE AMBROSIANO.

Bellaboccha, atque Obizus Paganus, & quidam alii. Mediolanenses autem non multùm longè à civitate, cum militibus & peditibus, ac sagittariis aliquantulum fortiter dimicantes, quia viderunt se non posse Laudenses superare, cum pluribus ex suis vulneratis, atque cum his Laudensibus, quos ceperant, valde mœstissimi recesserunt, Mediolanum revertentes, quo dolore ipsi Mediolanenses commoti, ac se inde vindicare, & Laudenses cùm per vim non potuissent habere, saltim dolosè ipsos capere cupientes, statim alia sequenti die Veneris miserunt non multos equites, qui Laudenses invaderent ex illa parte Corneliani usque prope Portam Cremonensem, quibus præceperunt, ut, cùm Laudenses eos persequerentur, versùs Junicum fugerent in Laudesanam fingentes se non posse redire versùs Mediolanum, ut Laudensibus longè à civitate remotis, ex improviso Mediolanensium exercitus ipsos & civitatem comprehenderent, quibus, ut statuerant, egredientibus è civitate, cùm Laudenses eos persequerentur acriter hi, qui supra castellum Portæ Imperialis fuerant versùs Mediolanum apertæ, fossati, quod dicitur de Pane-perdito præcaventes, viderunt quamplurima vexilla equitum Mediolani venire festinantes, ortoque clamore maximo, cùm non Laudenses multùm adhuc à civitate distarent, & suorum clamorem audirent, ac pulvinum (51) maximum conspicientes post se venire, subitò revolutis ab eis (*), ad civitatem, antequam Mediolanenses possent ibi esse, reversi sunt usque ad portam Cremonensem, ibique cum peditibus, & arcatoribus, & balistrariis Mediolanenses expectavere; Mediolanenses verò cum robore magno ac fremitu venientes, perque campos ante civitatem currentes, non fuerunt ausi Laudenses aggredi circa propugnacula commorantes, nec Laudenses ipsos invadere in campo ausi sunt. Sicque Mediolanenses à mane usque ad horam tertiam prospicientes, quòd ipsos Laudenses possent in campo ad pugnam perducere, tandem quia hoc non potuerunt cum magno furore ab eis posito igne in quodam plaustro stopulæ, qui fuerat in campo relictus ad Mediolanum reversi sunt. Præterea in quodam die Lunæ (52) in quo fuit festivitas Sanctorum Mammæ & Filiastri (53), &

Svetonio, & Martiali; Quid hìc statuendum? Observo nomen *Otto* cum duplici t. verè esse Germanicum, & sic Germanica dialecto esse pronunciandum: *Otbo* non; extat *Catalogus nominum propriorum*, quibus Alamanni quondam appellati ex vetustissimo codice S. Galli, inter *Alamannicarum Rer. Scripp. tom. 2. p.* 122. Goldasti: ibi, sub lit. O. habentur *Oto*: *Oddo*: *Ootto*: *Otto*, nunquam *Otbo*. A Gunthero nihilominus *in Ligurino* scribitur decies, & ampliùs *Otbo*, o semper correpta. Quamquam Germanus Germanicè scribere renuit. Ne levis hæc quæstiuncula de puro nomine remaneat indefinita, censerem, quoties id nomen Germano Viro est inditum, scribendum esse Germanicè *Otto*, ut veteres membranæ, & diplomata produnt. Cùm verò idem fit nomen aliis non Germanis, *Otbo* scribendum, juxta Ciceronis, Svetonii, Martialis, & Ausonii laudata exemplaria. Hinc rectiùs *Otto* Imperator: *Otto* Frisingensis &c. sed *Otbo* Morena: *Otbo* Bella Busca &c. Concludo, unicuique ut libuerit.

(51) Idest, pulverem. Leibnitius ad Morenam p. 829.

(*) *Alter Codex MS.* equis.

EX EDITO AB OSIO.

Camarus, Otho Bella Busca, Obizzo Paganus, & quidam alii. Mediolanenses autem non multum longe à civitate cum militibus, & peditibus, ac sagittariis aliquantulum fortiter dimicantes; quia viderunt, se non posse superare Laudenses, cum pluribus ex suis vulneratis, & cum illis Laudensibus, quos ceperant, valdè mœsti recesserunt, Mediolanum revertentes. Quo dolore ipsi Mediolanenses commoti, cum se vindicare, nec etiam Laudenses per vim habere potuissent; saltem dolosè illos capere cupientes, statim alia sequenti die Veneris miserunt non multos milites, qui Laudenses invaderent, & alia parte Corneliani, usque ad portam Cremonensem; quibus militibus præceperunt Mediolanenses, ut cum Laudenses eos persequerentur, versus Invenicum fugerent in Lodesanam; fingentes, se non posse redire versus Mediolanum; ut Laudensibus longè à civitate remotis, ex improviso Exercitus Mediolanensium ipsos extra civitatem comprehenderet. Quibus, ut statuerant, civitatem aggredientibus, cum Laudenses eos acriter prosequerentur, hi, qui supra castellum erant, versus Mediolanum à parte fossati, quod dicitur de pane perdito, præcaventes, viderant plurima Vexilla equitum venire festinanter. Orto autem clamore maximo, cum Laudenses non multum adhuc à civitate distarent, & suorum clamorem audirent, & pulvinum maximum conspicerent; subito revoluti ab eis ad civitatem, antequam Mediolanenses possent ibi esse, reversi sunt usque ad Portam Cremonensem; ibique cum peditibus, & arcatoribus, & ballistariis Mediolanenses expectaverunt. Mediolanenses verò cum robore magno, ac fremitu venientes, & per campum ante civitatem currentes, non fuere ausi Laudenses aggredi circa propugnacula commorantes; nec etiam Laudenses ipsos invadere in campo sunt ausi; sicque Mediolanenses à mane usque ad horam tertiam prospicientes, quòd ipsos Laudenses non possent in campo ad pugnam perducere; tum quia hoc non potuerunt facere, cum magno furore ab eis posito igne in quodam plaustro stipulæ, quod erat in campo relictum, Mediolanum reversi sunt. Postea die Lunæ, in quo fuit festum Sanctorum Mariæ & Filiastri, & fuit XIV. Calend. Augusti anno MCLX. indictione octava, venerunt Mediolanenses tam milites, quam pedites cum arcatoribus, & balli-

(52) Veriùs *Martis*.

(53) Osio: in MS. nostro Mammæ. Ex his nominibus omnino corruptis vereor ne Boldonus, & Osius viderint nostros codd. Ambrosianos: cùm in utroque non *Mariæ*, sed *Mammæ* legatur. Certum est primò, esse legendum *Philastrii* Episcopi Brixiensis, cujus festum solemne Mediolani præsertim, quia hìc *adversùs Auxentium Episcopum, & alios Arianos disputans, eos confutavit, librosque scripsit adversùs hæreses*, ut ex ejus Actis prodit Ferrarius *Catal. SS. Ital.* 18. Julii: cui etiam diei ipsum assignant post veteres Galesinus & Baronius. Hinc non XIV. Calend. Augusti, ut hìc Morena, sed XV. *Mariæ* postea nulla mentio hac die. Utique *Mammæ*, & *Mamantis* Baronio (Mammas in recto) sed sub die 17. Aug. Ita & Usuardus, adnotante Molano variam lectionem *Mammetis*, & *Mammæ* ex S. Gregorii *homilia* 35. habita in Basilica *S. Mammæ*, Sancti Mammæ, ut mas, non fœmina fuerit. Probabiliùs ergo est legendum *S. Marinæ*, de qua solus Baronius, quod sciam, sub die 18. Julii simul cum S. Philastrio.

EX CODICE AMBROSIANO.

& fuit XIV. Calendas Augusti, anno ab Incarnatione Domini 1160. de Indictione octava, venerunt Mediolanenses tam milites, quàm pedites cum arcatoribus & balistrariis, & cum carozolo suo, atque cum pretheriis, & gatis ad civitatem Laudæ obsidendam, & à costa, quæ est super paludem portæ Imperialis, usque per mediam noctem portam Cremonensem temptoria ponentes non multùm longè à civitate summo mane castrametati sunt. Deinde multi ex eis tam pedites, quàm milites sinè equis & sagittariis prope fossatum venere causâ bellandi, euntes partim ad portam Imperialem, partim ad portam Papiensem, partim quoque ad Cremonensem: è contrario Laudensibus obviam illis occurrentibus aliquamdiu prœliati sunt, & aliquibus ab utraque parte vulneratis, ac duobus de Mediolanensibus captis, ad portam Papiensem directo prœlio ad prandendum utrique recesserunt. Cùmque Mediolanenses comedissent omnibus ad concionem per sonitum tubarum convocatis atque collectis prope carozolum ipsorum, præceperunt Consules Mediolani omnibus hominibus de porta .... & de porta .... ut ex illa parte Pusterlæ Sancti Vincentii Laudenses acriter expugnarent. Illis verò de porta .... & de porta ..... ut ante portam Imperialem, ac Papiensem, atque Cremonensem se ponerent, gatosque & preterias ante portam Papiensem, atque Cremonensem se ponerent, & adducerent, & ignem cum preteriis in civitatem traherent, & sic omnibus constitutis à concione discedentes cum ingenti clamore ad capienda arma cucurrerunt. Qui postquam fuerunt bene armati, omnes per ea loca, quibus fuerat eis præceptum cum vexillis & magno sonitu profecti sunt. Quod Laudenses considerantes, ac per portas Pusterlas aliaque loca, prout meliùs eis visum fuit, se armatos dividentes, & se obviam Mediolanensibus opponentes, magnum prœlium inter se commiscuerunt. Ipsi namque Laudenses, qui ad Pusterlam Sancti Vincentii cucurrerant cum lanceis, ensibus, atque lapidibus viriliter se defendentes, statim duos de Mediolanensibus interfecere, quorum unum dum quidam alius Mediolanensis ad se trahere conaretur, ripa Abduæ supra quam stabat ei deficiente in ipsam Abduam corruit, ibique vetatus (*) est, ac multi ex aliis sunt ad mortem vulnerati, sed & ex Laudensibus plerisque vulneratis nemo tamen tunc interfectus fuit. Illi autem qui per prædictas portas iverant magnum prœlium à Laudensibus receperunt, aliquibus ex eis cum sagittis & preteriis, quæ erant intra civitatem morti traditis, sed illi Mediolanenses qui ad portam Papiensem duxerant gatos, & petrerias ferè usque ad fossatum recepti projicientes ignem cum ipsis petreriis, & pilotos seu sagittas igne accensas intra civitatem, Laudensibus se robustè defendentibus, opitulante Deo, nihil eis nocere valuerunt. Illi quoque qui ad Pusterlam de Silva-græca (54), quæ & de Serravalle dici-

(*) *Alter Codex MS.* necatus.

(54) Et si retro mentio facta hujus silvæ, huc ejus declarationem transferimus, quoniam Auctor noster, quid fuerit, hic tantùm clarè significat. Palus erat, partem australem Civitatis, quæ Padum respicit, ambiens, mœniaque abluens. Sigonius ad A. 570. prodit, quòd *erant tum vasta inter Cremonam, Laudemque paludes ab Olio, Serio, & Abdua amnibus, facilè angusto tum alveo exundantibus editæ*. Ex his porrò alluvionibus amplæ paludes factæ in agro Laudensi, *Mare Gerundam* dictæ à Defendente Laudens. *Rer. Laudens. discur.* 8. Italico, ut p. 401. & p. 403. Navigabilis erat ergo ista sylva Græca, ut clarè dicit idem Auctor noster infra. *Cremonenses nam-*

EX EDITO AB OSIO.

listariis, & cum caraxolo suo, atque petreriis, & Gattis ad civitatem Laudæ obsidendam, à costa, quæ est supra paludem Portæ Imperialis, usque ad mediam Portam Cremensem tentoria ponentes, nec multum longè à civitate summo mane castrametati sunt. Deinde multi ex eis tam equites, quam pedites, sine equis, & sagittariis propè fossatum venerunt, causa bellandi. Pars quorum ivit ad Portam Imperialem, & pars ad Portam Papiensem, pars etiam ad Cremonensem. Ex contrario Laudensibus obviam illis occurrentibus, aliquandiu prœliati sunt, & multis ab utraque parte vulneratis, & duobus de Mediolanensibus captis ad Portam Papiensem, dirempto prœlio ad prandendum utrique recesserunt. Cumque Mediolanenses comedissent, omnibus ad concionem per sonitum tubarum convocatis, atque collectis propè Caroxolum ipsorum, præceperunt Consules Mediolani omnibus hominibus de Porta Vercellina, & Porta Ticinensi; ut ex illa parte Pusterlæ Sancti Vincentii Laudenses acriter expugnarent; illis verò de Porta Orientali, & de Porta Romana præceperunt, quòd invaderent ad Pusterlam de Sylva greca; & illis de Porta Cumana, & de Porta Nova præceperunt, ut ante Portam Imperialem, Papiensem, atque Cremonensem se ponerent, & Gattum, & petrerias illuc adducerent, & ignem cum petreriis in civitatem traherent; & sic omnibus constitutis, à concione discedentes, cum ingenti clamore ad accipienda arma concurrerunt. Qui postquam fuere benè armati, omnes per illa loca, quibus fuerat eis præceptum, cum vexillis, & magno sonitu sunt profecti. Quod Laudenses considerantes, & per Portas, & Pusterlas, & alia loca, prout melius visum est, se armatos dividentes, & se obviam Mediolanensibus opponentes, magnum prœlium inter se commiscuere. Ipsi namque Laudenses, qui ad Pusterlam Sancti Vincentii concurrerant, cum lanceis, & ensibus, atque lapidibus se viriliter defendentes, statim duos de Mediolanensibus interfecerunt; quorum unum dum quidam alius ad se trahere conaretur, ripa Abduæ, supra quam stabat, deficiente, in ipsam Abduam corruit, ibique necatus est; multi etiam ex illis sunt ad mortem vulnerati. Sed & Laudensium multis vulneratis, nemo tamen tunc interfectus fuit. Illi autem, qui ad prædictas portas iverant, magnum prælium à Laudensibus receperunt; à quibus multi ex eis cum sagittis, & petreriis, quæ erant intra civitatem, morti sunt traditi. Sed illi Mediolanenses, qui ad Portam Papiensem duxerant Gattos, & petrerias, ferè usque ad fossatum recepti, projicientes ignem cum ipsis petreriis, & pilotas seu sagittas igne accensas intrà civitatem, Laudensibus se robustè defendentibus, opitulante Deo nihil eis nocere valuerunt. Illi quoque, qui ad Pusterlam de Sylva grecia, quæ de Seravalle dicitur, adeò robustè Laudenses, quos ibi invenerunt, expugnaverunt; quod ipsi intrà portam ipsius Pusterlæ vi maxima impulsi vix

EX CODICE AMBROSIANO.

citur, iverant adeò robustè Laudenses, quos invenerunt ibi expugnaverunt, quòd ipsi intra portam ipsius Pusterlæ vi maxima impulsi vix potuerunt ipsam portam claudere, quæ clausa Mediolanenses foris supra fossatum juxta tolimen euntes in quibusdam partibus ipsum tolimen extirpaverunt. Ita etiam quòd aliqui ipsorum in Serravallem intraverunt, Laudensibus resistere non valentibus, quod Laudenses considerantes maximo timore perterriti plurimi ex eis usque ad alium fossatum de Serravalle fugierunt. Alii verò potiùs mori volentes, quàm civitatem sic amittere, Mediolanensibus acriter obviam occurrendo, illos, qui intus venerant summa vi ejecerunt, duobus ex eis occisis, ac duobus aliis exire properantibus, & in Abduam corruentibus ibi mortuis. Alii verò omnes præ timore nimio de fossato transeuntes vix de fossato exire valuerunt, & ibi fuit interfectus Tebaldus Bardonus à Mediolanensibus, & multi alii Laudenses fuerunt ibi vulnerati, Levaglesia quoque Ghambarus Mediolanensis ictu Petreriæ occisus fuit. Quidam verò alii de Mediolanensibus per mediam paludem de Silva-græca intrantes, & fossatum transeuntes supra costam civitatis ascenderunt, ex ea parte ubi est domus Ricchi, qui dicitur Ser-Bonzani filii Riccardi, ibique fuerunt pauci obviam eis, inter quos fuit Ligabos, qui dicitur Scarpigna, qui cum magno lapide sic unum de eis percussit, quòd ipsum semivivum usque in fundum fossati in aqua projecit, quem sic irruere socii conspicientes, statim omnes perterriti fugiendo redierunt, socium de fossato extrahentes, sed cùm maximum prœlium per magnam partem diei Mediolanenses cum Laudensibus nocere (*), tum propter fossata maxima, tum propter paludes de quibus civitas circundata fuerat, tum etiam propter copiam Laudensium bene armatorum, seque fortiter defendentium, à prœlio discesserunt, ad tentoria revertentes. Laudenses verò Cremonam atque Papiam suos nuntios misere, qui Cremonensibus & Papiensibus, ac Imperatori, qui tunc erat Papiæ, quæ acta fuerant intimarent, & auxilium ab eis peterent; sero autem facto Placentini in auxilium Mediolanensium venere per mediam portam Cremonensem ferè usque ad paludem castra ponentes. Laudenses autem civitatem per totam noctem undique cum multis armatis custodire faciebant. Interea unus de Placentinis ad portam Papiensem ea nocte veniens, multa injuriosa verba Laudensibus, qui portam custodiebant inferre non cessabat, ex quo Laudenses dolore commoti, & tamen quasi verba illius vilipenderent ostendentes, & tandem privatim per fossatum aliquantulum longè egredientes, & post terga ipsius Placentini ex improviso irruentes ipsum fugere non valentem multis plagis interfecerunt. Altera verò die quæ fuit dies Martis ipsi Mediolanenses & Placentini ad prœlium bene armati venientes summo mane viderunt Cremonensium partem ex altera parte in Laudensium venire occursum. Quamobrem Laudensibus lætis, & contra Mediolanenses & Placentinos maximè claman-

namque per totam sylvam Græcam cum navibus, & tentoriis hospitati sunt. Et item: *super costam paludis de sylva Græca*. Cur huic paludi inditum *sylvæ Græcæ* nomen, nullibi me docet Defendens Laudensis.

EX EDITO AB OSIO.

vix potuerunt ipsam portam claudere. Qua clausa, Mediolanenses foris supra fossatum juxta collinum euntes, in quibusdam partibus ipsum collinum extirpaverunt; ita etiam, quod aliqui ipsorum in Serravalle intraverunt, Laudensibus resistere non valentibus. Quod Laudenses considerantes, maximo timore perterriti plurimi eorum usque ad alium fossatum fugerant, alii verò potius mori volentes, quam civitatem sic amittere, Mediolanensibus acriter occurrendo, illos, qui intraverant, summa vi ejecerunt; duobus de his occisis, & duobus aliis foras exire properantibus, & in Abduam currentibus, ibi mortuis: alii verò omnes præ timore nimio de fossato transeuntes, vix de fossato exire valuerant. Ibi fuit interfectus Thebaldus Bardonus à Mediolanensibus, & multi alii Laudenses fuerunt ibi vulnerati; Levachesia quoque Gambarus Mediolanensis ictu petræ fuit occisus. Quidam verò alii de Mediolanensibus per mediam paludem de Sylva Græca intrantes, & fossatum transgredientes, supra costam civitatis ascenderunt ex ea parte, ubi est Domus Henrichi, quæ dicitur Sertozani filii Riccardi. Ibi fuerunt eis obviam pauci, inter quos fuit Ligabos, qui dicitur Scampigna; qui cum magno lapide sic unum de eis percussit, quod ipsum semivivum usque in fundum fossati in aquam projecit; quem vix tunc de fossato extraxerunt socii. Sed cum maximum prælium per magnam partem diei Mediolanenses cum Laudensibus commisissent, videntes, se parum posse Laudensibus nocere, tum propter fossata maxima, tum propter paludes, quibus civitas erat circundata, tum etiam propter multitudinem Laudensium benè armatorum, & se fortiter defendentium; à prælio recesserunt ad sua tentoria revertentes. Laudenses verò Cremonam, atque Papiam, quamprimum suos Nuntios miserunt; qui illis nuntiarent, atque Imperatori, qui tunc erat Papiæ, quæ fuerant acta; & intimarent, etiamque ab eis auxilium postularent. Sero autem facto venerunt Placentini in auxilium Mediolanensium, per medium Portæ Cremonæ ferè usque ad Paludem Castra ponentes. Laudenses autem per totam noctem civitatem undique cum multis armis custodiri fecerunt. Interea unus de Placentinis ad portam Papiensem ea nocte veniens, multa injuriosa verba Laudensibus, qui Portam custodiebant, inferre non cessabat: ex quo Laudenses dolore commoti, & tamen quasi verba illius vilipenderent ostendentes, tandem privatim per fossatum, & per aliquam tumbam egredientes, & post terga ipsius Placentini ex improviso irruentes, ipsum fugere nequeuntem multis plagis interfecerunt. Altera verò die, quæ fuit Martis, ipsi Mediolanenses, & Placentini ad prælium benè armati venientes, summo mane viderunt Cremonensium partem ex alia parte Abduæ venire in succursum Laudenses læti valdè, contra Mediolanenses, & Placentinos clamare cœperunt, ut ad prælium venirent. Sed ipsi perterriti statim signo dato tentoria cœperunt deponere; omnesque pedites cum plaustris, & carazolo, super quod maximum Vexillum album cum Cruce rubea deferebatur; abire cœperunt: deinde Placentini primo re-

(*) *Alter Codex MS.* iniissent.

EX CODICE AMBROSIANO.

mantibus ut venirent ad prœlium, Mediolanenses & Placentini terrefacti, statim signo dato tentoria cœperunt deponere, omnesque pedites cum plaustris, & carozolo (55), supra quem maximum vexillum album cum Cruce rubea in medio deferebatur, abire cœperunt. Deinde Placentini recessere maximè timentes, ne Imperator cum Papiensibus eos invenirent; Postremùm omnes equites Mediolanenses simul se congregantes post pedites suos ac plaustra abierunt, & cùm per octo dies ad obsessionem civitatis Laudæ stare dispofuissent, nec etiam per unum diem & dimidium timore Cremonensium ac etiam Imperatoris stare ausi fuerunt. Interea Laudenses nolentes, quòd Imperator & Papienses, qui se maximæ præparabant ad occursum ipsorum frustra Laudæ veniendi laborem paterentur, Legatos Papiam misere, qui omnia, qualiter acta fuerant, eis indicarent.

Postea verò in die Mercurii, quæ fuit tertia dies sequentis mensis Augusti, & in qua fuit festivitas Sancti Gaudentii, & Inventio Sancti Stephani Martyris, fuit incœptus murus civitatis de Laude à Tinto Musa de Gatta de Cremona in angulo civitatis supra paludem de Silvagræca prope portam Cremonensem, & Dominus Albericus Laudensis Episcopus, qui fuit de progenie procerum de Merlino, primum lapidem in fossato ipsius muri sua manu projecit. Octavo autem die prædicti mensis Augusti, in festivitate Sancti Ciriaci Martyris, iverunt Laudenses equites & pedites cum duabus eorum petreriis, & cum parte etiam Cremonensium equitum, qui aderant tunc Laudæ, ad pontem, quem Mediolanenses reædificaverant ad Cropellum supra flumen Abduæ, ut ipsum pontem destruerent, quem maxima vi ab eis captum partim combusserunt, partimque in aqua projiciendo totum dissipaverunt, capientes aliquos de his, qui pontem custodiebant, cæteris fugiendo evadentibus.

Sequenti verò die Martis, in quo fuit festivitas Sanctorum Firmi & Rustici, & vigilia Beati Laurentii, factum est prœlium inter Imperatorem & Mediolanenses apud Carcani castrum, atque etiam Brixiensium equites, qui in occursum Mediolanensium illuc iverant, ad cujus castri obsessionem Mediolanenses iverant in ultima hebdomada istius mensis Julii, ibique castellum magnum ligneum atque manganos construxerant ad castrum ipsum Carcani capiendum, quod ex parte erat Imperatoris. Quapropter Imperator Sanctissimus, & suis fidelissimis ad auxilium illorum de Carcano iverat cum paucis militibus Papiensibus, & cum equitibus, & peditibus Novariæ, atque cum Vercellensibus, & Cumensibus, & parte illorum de Seprio & Martesana, & cum Marchione de Monferrato, & Comite de Blandrate,

(55) Osio *Carazolo*, aliis Carrocium: Carrocerum. Quod si hoc satis hic ab Auctore nostro non describitur, videantur Corius noster *p.* 24. *sub A.* 1026, qui fusiùs illud describit, Portenarius *in Felicitate Paduæ l.* 4. *c.* 6. Sigon. R. I. *sub A.* 1038. Ant. Campus *hist. Cremonæ*, qui ut pictor idem delineavit *sub A.* 1081., qui tamen non rectè scribit inventum fuisse à Cremonensibus, & dictum *Bertacciola* à Berta Imperatrice Henrici IV. uxore. Inventum certissimè fuit Heriberti Archiepiscopi Mediolanensis, qui primus baculo arma conjunxit, & Pontificatum tenuit *sub A.* 1019. *ad* 1045. Hinc corrigendus error Typographi apud Dufrenium *in Carrocium*, ubi dicitur Heribertum vixisse circa A. 1124. Adeatur ipse Dufrenius, qui plura de Carrocio collegit, sed novam speciem Carrocii memorare omisit, quo utebatur Fridericus II. ex Sigonio R. I. sub A. 1236., ubi dicitur, quòd Fridericus „ super Elephantem castellum instar Carrocii constituerat, signis in angulis, „ ac vexillo exercitus in medio posito decoratum, elephantis magistro, ac Saracenis ad „ defensionem castelli positis,

EX EDITO AB OSIO.

recesserunt, timentes plurimum, ne Imperator cum Papiensibus eos inveniret. Postremum omnes equites Mediolanenses se simul congregantes, post pedites suos, & plaustra abierunt. Qui cum octo diebus ad obsessionem civitatis Laudæ stare dispofuissent; nec unum etiam diem, & dimidium timore Cremonensium, & etiam Imperatoris stare fuerunt ausi; qui se maxime præparabant ad succursum ipsorum. Sed ne frustra Laudam venirent, laboremque paterentur, legatos miserunt Papiam, qui omnia qualiter acta fuerunt eis indicarent.

Postea verò die Mercurii, quæ fuit tertia dies mensis Augusti, & in qua fuit festum Sancti Gaudentii, & inventio Sancti Stephani Protomartyris; fuit incœptus murus Civitatis Laudæ à Tinta Mussa de Gava de Cremona in angulo Civitatis supra paludem de Sylva græca propè Portam Cremonensem; & D. Albericus Laudensis Episcopus, qui fuit de progenie procerum de Merlino, primum lapidem in fossatum ipsius muri sua manu projecit. Octavo autem die prædicti mensis in festo Sancti Ciriaci Martyris iverunt Laudenses equites, & pedites cum duabus eorum petreriis, & cum parte Cremonensium equitum, qui aderant tunc Laudæ, ad pontem, quem Mediolanenses reædificaverant ad Cropellam super flumen Abduæ; ut ipsum pontem destruerent; quem maxima vi captum partim combusserunt, partim in aqua projiciendo totum dissipaverunt; capientes aliquos de his, qui pontem custodiebant, cæteris fugiendo evadentibus.

Sequenti verò die Martis, in quo fuit festum Sanctorum Firmi, & Rustici, & vigilia Beati Laurentii, factum est prælium inter Imperatorem, & Mediolanenses apud Castrum Carcani; quò etiam Brixienses equites in succursum Mediolanensium venerant in ultima hebdomada prædicti mensis; & castellum magnum, & manganos construxerunt ad castrum ipsum Carcani capiendum, quod erat de parte Imperatoris. Qua propter Imperator sanctissimus cum suis fidelissimis amicis ivit ad auxilium illorum de Carcano, cum paucis equitibus Papiensibus, & cum equitibus, & peditibus Novariæ, atque Vercellarum, & Cremensibus, & parte illorum de Seprio, & de Martesana, & cum Marchione de Monferrato, & Comite de Blandrate, & cum paucissimis Theutonicis, inter quos fuit Dux Bertaldus de Zarugo, qui cum paucis suis

EX CODICE AMBROSIANO.

te, atque etiam cum paucis suis militibus. Venerat ad Imperatorem de terra Teutonica cujusdam sui negotii causa Dux Boëmiæ (56), & Comes Conradus de Balamise .... atque Mediolanenses, & Brixienses (*) ita circundederat Imperator, quòd nullatenus eis victus ferri poterat, quo victu Mediolanenses maximè perterriti, quia Mediolanum reverti non poterant, nec ibi stando victum habere valebant, quid facere deberent ignorantes, tandem tamen, ut sæpe solet accidere, necessitas consilium reperit, & potiùs fortunam pugnæ temptare proposuerunt, quàm ibi morantes fame perire. Quo circa ipsi Mediolanenses in prædicto die Martis (**), in quo fuit vigilia Beati Laurentii prœlium cum Imperatore cœperunt.

Imperator verò cum suis Teutonicis, & aliquibus aliis robustè contra Mediolanenses irruens ferè usque ad Carozolum ipsorum, ubi erat multitudo peditum Mediolanensium eos impulit, magnamque ipsorum peditum copiam, & maximè ex Porta Romana, & porta Orientali, quæ vulgariter dicitur Porta Arienza interfecit, ac boves ipsius Carozoli occîdit, & ipsum Carozolum incîdit, crucemque deauratam, quæ supra perticam Carozoli fuerat, atque vexillum ibi positum abstulit. Ac multos ex ipsis tam equites, quàm pedites ad tentoria duxit. Ex alia verò parte prœlii ubi major pars equitum Mediolanensium ac Brixienses fuerant contra Novarienses & Cumenses, ac alios multos qui fuerant ex eo capite prœlii, unanimiter irruentes cohortes Brixiensium ac Mediolanensium maximam de eis stragem, & maximè de Novariensibus fecere, ac ipsos capientes, & multos interficientes plus de duobus milliaribus fugaverunt; Interea maximâ pluviâ ortâ ad castra redeunt. Paulò verò post iterum Mediolanenses, & Brixienses armis desumptis ad prœlium currunt: e contrario Imperator videns se cum paucis Teutonicis, & non multis aliis relictum, decrevit esse potius (***) bello cedere, quàm pugnando superari, sique versùs ...... cum illis, quos adhuc secum habebat, profectus est, multa tentoria, multosque, quos ceperat in bello ibi deserens. Mediolanenses & Brixienses, castris Imperatoris expoliatis, ac multis de suis recuperatis qui capti fuerant, desertoque eis campo cum ingenti gaudio, &, ut in tali re fieri solet, magno clamore ad castra redeunt, suorum cadavera colligunt, multa plaustra ex eis onerata Mediolanum mittentes, summaque lætitia, & maxima mœstitia, Mediolanensibus in illo prœlio exorta sunt, puto tamen gaudium superasse dolorem. In-

EX EDITO AB OSIO.

suis militibus venerat ad Imperatorem de terra Theutonica cujusdam sui negocii causa, & Dux Bohemiæ, & Comes Conradus de Balamixe, & quidam alii. At verò Mediolanenses, & Brixienses ita circumdederat Imperator, quod victus eis ferri nullatenus poterat. Quapropter Mediolanenses multum perterriti, qui Mediolanum reverti non poterant, nec ibi stando victum habere valebant; quid facere deberent ignorantes; tandem tamen, ut sæpe solet accidere, necessitas consilium reperit, & fortunam pugnæ potius tentare proposuerunt, quàm ibi morantes fame perire. Unde ipsi Mediolanenses in ipso die Martis prædicto prælium cum Imperatore cœperunt. Imperator verò cum suis Theutonicis, & aliquibus aliis robustè contra Mediolanenses irruens, ferè usque ad Carazolum ipsorum, ubi erat multitudo peditum Mediolanensium, eos impulit; & magnam ipsorum peditum copiam, maximè de Porta Romana, & Porta Orientali, quæ vulgariter dicitur Porta Rienxa, interfecit; & boves ipsius Carozoli occidit; ipsumque Carozolum incidit, & Crucem deauratam, quæ super perticam Carozoli erat, atque vexillum ibi positum abstulit; & multos ex ipsis tam equites, quam pedites ad tentoria duxit. Ex alia verò parte prælii, ubi major pars equitum Mediolanensium, & Brixiensium erant contra Novarienses, & Cumenses, & alios multos, qui erant ex eo capite prælii; unanimiter irruentes cohortes Brixienses, & Mediolanenses, maximam de eis stragem fecerunt, & maximè de Novariensibus, multos ex ipsis capientes, & multos interficientes, ut plures duobus millibus fugaverint. Interea orta magna pluvia redierunt ad castra. Paulò verò post Mediolanenses, & Brixienses armis reassumptis ad prælium currunt. Econtrario Imperator videns se cum paucis Theutonicis, & non multis aliis relictum, decrevit potius bello fore cedendum, quam pugnando superari: sicque versus Cumas cum illis, quos adhuc secum habebat, profectus est; multa tentoria, multosque, quos ceperat in bello, ibi relinquens. Mediolanenses verò, & Brixienses castris Imperatoris expoliatis, & multis de suis, qui capti fuerant, recuperatis, desertoque eis campo, cum ingenti gaudio, ut in talibus fieri solet, cum magno clamore ad castra redierunt; suorum cadavera colligunt, & multa plaustra ex eis onerata Mediolanum mittunt. In illo autem prælio Mediolanensibus orta est lætitia magna, atque magna tristitia, puto tamen, gaudium tunc superasse dolorem. Interea Cremonenses equites, & pedites erant Laudæ parati ad occursum Imperatoris, sicut eis ab ipso literis mandatum erat. Qui hæc, quæ gesta erant apud Carcanum

---

(56) Hucusque semper Rex: modò & inposterum tantùm Dux. Recolantur supradicta n. 3. Fuit Uladislaus vir pius, & Ecclesiæ addictus, ut ex Scriptoribus rerum Bohemicarum. Mediolanensibus favit, imò & Alexandro vero Pontifici. Hinc Imperator ei Regiam dignitatem ademit, Sobislao cum solo Ducis titulo ei suffecto A. 1173. vel 4. ex Æn. Sylvio *Hist. Bohem. c.* 25. qui etiam annis quinque *Ducatu* functus, à Provincialibus exactus, in exilio interiit. At si abrogatus fuit Regius titulus Uladislao solùm dicto A. 1173. quomodo nesciens vaticinatus est Acerbus Morena, qui vix ad A. 1168. suam historiam deduxit? Planè mihi res est apprimè obscura. Sed errorem detego in persona, non enim is Dux est Uladislaus Rex, sed ejus frater, numquam à Morena proditus. Ita Corius sub A. 1161. p. 48. b. inter Germanos Principes, qui Imperatori subsidio venere enumerat *filium Regis Bohemiæ, & Ducem Bohemiæ Regis fratrem cum* 300. *militibus optimè instructis*, & pag. 41. in fine: *Mediolanenses statim suos Oratores legarunt ad Lantigranum Ducem Bohemiæ*, cujus bis, & ter infra adhuc meminit. Fortè tunc dictis de causis Rex ab Italia discesserat. Quare corrigendus est index prosopographicus, ubi *Bohemiæ Dux: Rex idem dictus: ejus filius*.

(*) τὸ Brixienses *non legitur in alio Codice MS.*

(**) *Additur in margine ejusdem Cod. MS.* in festo S. Firmi.

(***) *Alter Cod. MS.* melius.

EX CODICE AMBROSIANO.

Interea Cremonenses equites & pedites erant Laudæ parati ad occursum Imperatoris, sicut eis ab ipso literis mandatum fuerat, hæc quæ gesta fuerant apud Carcanum omnimodo ignorantes, timentes etiam ipsi & Laudenses utrum securè, & sinè obstaculo, Mediolanenses ad Imperatorem possent accedere, & avidi honoris & victoriæ Imperii maximè dolebant, si Imperator sinè eis cum Mediolanensibus bellum incœperit, quo circa maximè desiderabant quàm citissimè ad eum proficisci; in hac tamen ambiguitate communi consilio Cremonensium, atque Laudensium decernunt, ut ducenti equites de Cremonensibus, & octuaginta de Laudensibus ad Imperatoris auxilium pergant; aliis omnibus tam militibus, quàm peditibus Laudæ remanentibus.

Igitur in die Mercurii, in quo fuit festivitas Sancti Laurentii, omnes prædicti equites circa vesperas iter arripiunt, copiam victualium Imperatori maximè necessariorum, sicut per literas Laudensium acceperant, secum ducentes, quod equidem & maximum eorum detrimentum (*) redundavit, propter asinos qui pane onustos, & pigrè incedere valentes, tantam in itinere moram fecerunt, quòd ipsa die & in nocte proxima tota ambulantes, non potuerunt ire nisi usque Marlianum, in quo loco quidam miles Mediolani videns eos ire ad Imperatorem, & belli peracti conscius per aliam viam subitò ad exercitum Mediolanensium currendo equitavit, eis aperiens qualiter Cremonenses, & Laudenses prœlii peracti nescii ad Imperatorem pergerent. Quo audito Mediolanenses, dato signo, impigrè ad eos equitant, & ipsos invenerunt inter locum Canturis, & castrum, quod dicitur Bathalellum (57) quasi circa horam tertiam diei Jovis supra quamdam aquam, & paludem, ubi dicitur ad Aquam-nigram, ibique magno clamore super eos ex improviso irruentes, aut (**) aliquibus Cremonensibus & Laudensibus subitò pervenientibus bellum incœptum est, & aliquibus utrinque mortuis, aliis verò captis, non valentibus Cremonensibus & Laudensibus resistere, in fugam prorupti, quorum aliqui fortuitò per quamdam fugientes viam bene evaserunt. Alia verò magna pars per mediam aquam paludis, quam parvam extimabant, transeuntes, præ magnitudine luti, quod erat in aqua vix transire poterant, equis & armis in luto relictis, ibique fuerunt capti de Laudensibus decem equites, & quatuordecim de Cremonensibus, ducentis equis ibi amissis.

Imperator verò, qui tunc erat in Bathalello subitò quæ gerebantur cognoscens, confestim in occursum Laudensium & Cremonensium vênit, quatuorque cepit de Mediolanensibus, qui paludem transiverant, reliquis in fugam conversis. Et quidam miles Laudensis, qui dicitur Carnevalis de Cuzigo inter frondes cum equo suo latitans præ timore, quemdam pro-

(*) *Alter Cod. MS.* In maximum damnum eorum &c.

(57) *Baradellum* Osio, & rectè. Arx in colle sita, passuum 5. millibus à Novocomo in Meridiem. Opus Ænobarbi, dum, ut scribit Urspergensis p. 300. edit. 1537. opera Ph. M. *supra civitatem quoque Cumanam castrum construxit, muris, & turribus munitum, quòd Patarellum Teutonici vocant, ubi Mediolanensium declinare possit incursus, & in præsidiis milites Teutonicos collocavit*. Celebris postea fuit hæc arx sæculo XVI. ineunte occasione bellorum Joh. Jacobi Medicei, ut ex *Hist. Cisalpina* Erycii Puteani. Suspicor deceptum Sigonium A. 718. scribentem, quòd Luitprandus *arcem ibi* (Comi) *munitissimam condidit, quam Barratelium vocavit*.

(**) *Alter Cod. MS. meliùs legit* cum.

EX EDITO ABIOSICO

num ignorantes; timentes etiam tam ipsi, quam Laudenses, utrum secure, & sine obstaculo Mediolanensium ad Imperatorem possent accedere; Et avidi nimis honoris, & victoriæ Imperii, multum dolebant, si Imperator sine eis cum Mediolanensibus bellum inciperet. Quo circa maxime desiderabant ad Imperatorem quam citissimè proficisci, in hac tamen ambiguitate de communi consilio decernunt, ut ducenti equites de Cremonensibus, & octoginta de Laudensibus in Imperatoris auxilium pergant, aliis omnibus tam peditibus, quam equitibus Laudæ remanentibus. Die igitur Mercurii, in quo fuit festum Beati Laurentii, omnes prædicti equites circa vesperas iter arripiunt; copiam victualium Imperatori maximè necessariorum, sicut per literas Laudenses acceperant, secum ducentes; quod quidem in maximum eorum detrimentum redundavit: propter enim asinos pane onustos, & pigriter incedentes tantum in itinere moram fecerunt, quod ipsa die, & in nocte proxima tota ambulantes non potuerunt ire nisi ad Marlianum, in quo loco quidam miles Mediolani videns eos ire ad Imperatorem, & peracti belli conscius, per aliam viam subito ad Exercitum Mediolanensem currendo equitavit, & eis aperuit, qualiter Cremonenses, & Laudenses belli peracti nescii ad Imperatorem pergerent. Quo audito, Mediolanenses dato signo statim ad eos equitant; ipsosque inter locum Canturii, & castrum, quod dicitur de Baradello, inveniunt quasi circa horam tertiam die Jovis super quandam aquam, & paludem, ubi dicitur ad aquam nigram. Ubi clamore magno super eis irruentes ex improviso cum aliquibus Cremonensibus, & Laudensibus subito revertentibus bellum incœptum est; & aliquibus utrinque mortuis, aliis verò captis Cremonenses, & Laudenses non valentes resistere in fugam sunt prorupti. Quorum aliqui fortuito per quandam viam fugientes bene evaserunt. Alii verò, magna pars, per medium aquæ paludis, quam parvam extimabant, transeuntes, præ magnitudine luti, quod erat in aqua, vix transire poterant, equis, & armis in luto relictis. Ibi fuerunt capti de Laudensibus decem equites, & 14. de Cremonensibus, ducentis equis ibi amissis. Imperator verò, qui tunc erat in Baradello, subito quæ gerebantur cognoscens, confestim in succursum Laudensium, & Cremonensium veniens, quatuor cepit de Mediolanensibus, qui paludem transierant, reliquis in fugam conversis. Quidam Laudensis, qui dicitur Carnevalis de Erzago, inter frondes cum equo suo præ timore latitans, quendam probum militem, qui dicitur Bugerius de Sancto Seprio de Mediolano cepit, & in terra eum suffocavit; ut à suis, qui erant intrà frondes, multùm quærentes, si quos possent capere, non posset habere auxilium clamando. Laudenses itaque, & Cremonenses, qui evaserant, cum Imperatore Cumas iverunt, Mediolanensibus ad sua Castra redeuntibus. Ibique prædicti Cremonenses, & Lau-

EX CODICE AMBROSIANO.

probum militem, qui vocatur Bogerius (*) de Sancto-Sceptrio de Mediolano, cepit, & in terra eum suffocavit, ubi à suis, qui erant ibi circa multa quærentes quos possent capere intra frontem non possunt auxilium proclamare. Laudenses itaque & Cremonenses qui evaserunt cum Imperatore Cumas iverant, Mediolanensibus ad castra redeuntibus, acceptâque ab Imperatore licentiâ, in die Veneris discedentes à Cumis per Novariensem Episcopatum, Papiam veniunt, Laudæque reversi sunt. Tertio decimo ante Calendas Septembris, qui fuit dies Veneris, (58) illi, qui obsidebantur in castro Carcani, (59) ex improviso castrum egredientes, ignemque supponentes in castello ligneo, quod Mediolanenses ibi construxerant Carcani capiendi causâ, totum combusserunt, Mediolanensibus, qui illud prospiciebant, desendere nequeuntibus; quo dolore Mediolanenses commoti, & ipsum castrum se nequaquam posse capere cernentes, ac etiam timentes ne iterum Imperator resumptis viribus cum Cremonensibus ibi eos comprehenderet, vel ad civitatem Mediolani devastandam se absentibus pergeret, sequenti die Sabbati Carcanum deserentes, Mediolanum revertuntur.

In sequenti die Mercurii, in quo fuit tunc festivitas Sancti Bartholomæi Apostoli, ivit Imperator cum maximo exercitu Cremonensium & Papiensium, atque Laudensium, & Marchionum atque Comitum, & cum Papiæ navigio, & cum petreriis Laudensium duabus ad pontem Placentinorum, quem ex navibus per mediam Placentiam construxerant, dextruendum; & in die Jovis summo diluculo pontem cœpit expugnare, quem Placentinis ab initio viriliter defendentibus, duæ petreriæ subitò eriguntur; quo circa Placentini pontem sic integrum se non posse tueri considerantes, ipso toto destructo, naves omnes integras ad suam ripam conduxerunt; petreriæ tamen ab una parte Padi usque ad aliam projicientes, duos de Placentinis interfecerunt, & eo die maximum detrimentum accidit Mediolanensibus, & maximè his de porta Romana, videlicet quòd bene tertia pars totius Mediolani combusta est, nec fuit aliqua porta in toto Mediolano, quòd (**) ex aliquo latere non combureretur, & magna tunc aura ventilante multæ domus optimæ, in quibus valde confidebant, & idcirco omnem ipsorum suppellectilem reponebant, exarsæ sunt, & multi nobiles equites deducti sunt idcirco ad inopiam, & summam necessitatem, amissis in igne omnibus victualibus, tam hominum, quàm equorum, & vestibus. In sequenti verò die Veneris reversus est Imperator Papiam, ibique fecit Imperator eo tempore jurare Episcopum Novariensem, & Vercellensem, atque Astensem, & Marchionem Gulielmum de Mon-

(*) *Alter Cod. MS.* Rogerius.
(58) Lege *quartodecimo*, ut esse posset dies *Veneris*.
(59) De hoc castro ita scribit Calchus noster *l.* 10. *p.* 203. „ In hac Regione (quam Lamber „ Superior alluit) Carcanum. Oppidum duas „ bicipiti in colle arces habuit, quas profunda „ vallis inaccessas facit. Idem refugium diu „ fuit his, qui adversùs Metropolitanam urbem, „ & communem patriam Mediolanum arma inferebant, & nunc quoque quotiens in Papiensem, vel Laudensem exercitus mittebantur tergo inhærentes procurrebant, agrosque „ vastando, aut commeatus avertendo, consilia perturbabant. Ergo familiarem hostem „ tollere nunc demum civitas decrevit: & Julio mense trium portarum armatam juventutem eò misit, statimque imperata fecerunt. „ Paravicinum, Herbam, Ursinicum petunt, „ quorum locorum opportunitate Carcanum medium circumsident; & quò arctiùs premerent, „ aliarum portarum militiam evocant; tum ligneum castellum, & varias machinas fabricant.

EX EDITO AB OSIO.

Laudenses accepta ab Imperatore licentia, die Veneris discedentes à Cumis per Novariensem Episcopatum Papiam venerunt, Laudamque reversi sunt. Tertia decima autem die Calend. Septembris, qui fuit dies Veneris; qui obsidebantur in castro Carcani, ex improviso castrum egredientes, & ignem supponentes in castello ligneo, quod ibi Mediolanenses construxerant, Carcani capiendi causa, totum combusserunt, Mediolanensibus, qui illud custodiebant, defendere nequeuntibus. Quo dolore Mediolanenses commoti, & ipsum castrum nequaquam posse capere cernentes; timentes etiam, ne Imperator reassumptis viribus cum Papiensibus, Cremonensibus, atque Laudensibus, aliisque Lombardiæ civitatibus, ibi eos comprehenderet, vel ad civitatem Mediolani devastandam ipsis absentibus pergeret; Sequenti die Sabbati Carcanum deserentes Mediolanum revertuntur.

Sequenti verò die Mercurii, in quo fuit festum Sancti Bartholomæi Apostoli, ivit Imperator cum maximo Exercitu Cremonensium, Papiensium, Laudensium, Marchionum, & Comitum, & cum Papiæ navigio, & cum petreriis duabus Laudensium ad pontem Placentinorum, quem ex navibus per mediam Placentiam construxerant, destruendum; & in die Jovis summo diluculo cœpit pontem expugnare. Quem Placentinis ab initio defendentibus, duæ petreriæ subito eriguntur. Quapropter Placentini pontem sic integrum se non posse defendere considerantes, ipso toto destructo ad suam ripam naves omnes integras conduxerunt. Ipso quoque die maximum detrimentum accidit Mediolanensibus, & maximè illis de Porta Romana, scilicet quod bene tertia pars Mediolani totius combusta est; nec fuit aliqua Porta in toto Mediolano, quæ ex aliquo latere non combureretur, & magna aura tunc ventilante, multæ domus optimæ, in quibus valdè confidebant, combustæ sunt; & idcircò ad inopiam, & summam necessitatem pervenerunt, amissis in igne omnibus victualibus tam hominum, quam jumentorum, & vestibus. In sequenti die Veneris reversus est Imperator Papiam; ubi fecit ipse Imperator eo tempore jurare Episcopos Novariensem, Vercellensem, & Astensem, & Marchionem Guilermum de Monte Ferrato, & Marchiones de Albusco, & Marchionem de Langusco, & Marchionem Obizonem Malaspinam, & Comitem de Blandrate, & Comites de Cavaliate, aliosque multos Lombardiæ Prælatos, & Principes, ad dandum sibi milites, &

(**) *Alter Codex MS.* quæ.

EX CODICE AMBROSIANO.

Monferrato, & Marchionem dal Guasto (60), & Marchionem dal Busco (61), & Marchionem Obizonem Malaspinam, atque Comitem de Blandrate, aliosque multos Longobardiæ Principes ád dandos sibi milites arcatores atque balistrarios, qui secum habitarent Papiæ à festo Sanctæ Mariæ de mense Septembris ad Pascha Majus.

Præterea quoque Imperator cum Cremonensibus, & Papiensibus, parteque Laudensium, & cum Papiæ navigio, ac duabus Laudensium petreriis iterum ivit ad pontem Placentinorum capiendum & destruendum in die Mercurii, quæ fuit tertio decimo Calendas Septembris, vel sequentis mensis Novembris, de Indictione octava. Quod Placentini præsentientes ipsum pontem statim destruxerunt, reducentes omnes naves integras usque ad ripam Padi, quæ est versùs Placentiam, sed Laudenses in quodam Mezano, qui Insula dicitur, prœlium cum Placentinis incipientes, unum ex ipsis Placentinis interfecerunt.

Et eodem die captus est Bagnagatta in itinere Papiæ, qui latitabat die noctuque in nemoribus cum multis aliis sociis suis ad capiendos Teutonicos, & omnes, qui fuerant ex parte Imperatoris, & qui audacissimus deprædator erat, multosque ceperat, ac etiam morti donaverat de his, qui fuerant amici Imperatoris, magisque timebatur, quàm aliquis alius Mediolanensis, & dum captus Laudæ duceretur, quidam Papiensis pedem sibi detruncavit. Imperator verò considerans, se tunc Placentinos non posse multùm lædere, Cremonam profectus est.

In die verò Veneris, quæ fuit quarta Calendas (62) istius mensis Novembris, Mediolanenses, qui pontem custodiebant de Pontirolo (63), qui tunc levabatur, cùm Comite Henrico de Crema, aliisque militibus Cremensibus à Dovaria versùs Laudam venientes ferè usque juxta portum publicum velociter cucurrere, maxima ipsorum parte infra villam Dovariæ relicta, ut ibi latitarent, & Laudenses ex improviso caperent. Laudenses autem ut clamorem audierunt cum magno fremitu ultra pontem Aduæ (*) subitò armati equitantes, & acriter Mediolanenses insequentes, antequam Dovariam redire possent eos ceperunt, & cùm de Laudensibus nondum essent ibi congregati plus de viginti, qui alios præcesserant, intra Me-

EX EDITO AB OSIO.

& arcatores, atque ballistarios; qui secum Papiæ habitarent à festo Sanctæ Mariæ de Septembri, usque ad Pascha Resurrectionis.

Post hæc autem Imperator cum Cremonensibus, Papiensibus, parteque Laudensium, & cum Papiæ navigio, & cum duabus petreriis iterum ivit ad pontem Placentinorum capiendum, & destruendum in die Mercurii, quæ fuit die 13. Calendis Novembris Indictione octava. Quod Placentini præsentientes, ipsum pontem destruxerunt, reducentes omnes naves usque ad Ripam Padi, quæ est versus Placentiam. Sed Laudenses ibi in quodam mexano, quæ insula dicitur, prœlium cum Placentinis incipientes, unum ex ipsis interfecerunt.

Eodem die captus est Bagna Gatta, qui in itinere Papiæ latitabat die, ac nocte in nemoribus cum multis aliis suis sociis, ad capiendum Theutonicos, & omnes qui erant de parte Imperatoris; & qui audacissimus deprædator erat, & multos ceperat, & etiam interfecerat de his, qui fuerant amici Imperatoris; & qui magis timebatur, quam aliquis alius Mediolanensis. Cumque Laudam duceretur, quidam Papiensis pedem sibi tunc truncavit. Imperator verò considerans se tunc Placentinos non posse multum lædere, Cremonam est profectus.

In die verò Veneris, quæ fuit quarta Calendis Novembris, Mediolanenses, qui pontem custodiebant de Ponterolo, qui tunc levabatur, cum Comite Henrico de Crema, aliisque militibus Cremensibus à Dovaria versus Laudam venientes, ferè usque ad portum publicum velociter concurrere; maxima ipsorum parte in Villa Dovariæ relicta, ut ibi latitarent, & Laudenses caperent. Laudenses autem, ut clamorem audierunt, cum magno fremitu ultrà pontem Abduæ subito armati equitantes, & acriter Mediolanenses insequentes, antequam Dovariam redire possent eos ceperunt; & cum de Laudensibus non essent ibi congregati plures viginti, qui alios præcesserunt, inter Mediolanenses ferientes, aliquos ex eis prostraverunt ab

(60) In margine Codicis ejusdem MS. legitur *de Langasco*; Osio de *Langusco*, & rectè: Hi Marchiones idem ac Comites Laumelli, quod oppidum in agro Ticinensi vetustissimum, & celebre apud Ammianum Marcellinum l. 15. p. 80. Hos Comites de Langusco præpositos à Carolo Magno Papiæ prodit Bernard. Saccus *de Papiensis Eccl. dignit. c.* 18., sed non probat. Semper hos Comites pro Friderico stetisse habetur ex Sigonio sub A. 1176., & Comiti Thaddæo de Langusco jurare debuisse notarios noviter electos prodit Corius noster *p.* 52. *b.* ex mandato Friderici sub A. 1162. Celebres etiam hi Comites sequiori ævo præsertim vigentibus factionibus inter Turrianos, & Vicecomites, ut ex nostris historiis apparet.

(61) Idest Boschi, institutos ab Othone III. si fides habenda est Sigonio sub A. 997. cum aliis Cevæ, Salutiarum, Ponzoni, Carecti &c. dicti Marchionis Montisferrati filiis, & quodam Malatesta Germano, (ex quo Malatestarum Familia) pluribus feudis ab eodem Cæsare in Romandiola donato. Boschum verò vetus oppidum 5. m. passuum ab Alexandria distans, Marchionum suorum olim sedes, & natalibus S. Pii V. illustre. Cætera de his Marchionibus, & pluribus aliis prodit Ghilin. *tract. n.* 24. ad calcem ejus *Annalium Alexandriæ*, sed cuncta incertæ originis, ut ingenuè fatetur Benvenutus Sangeorgius in principio seriei *Marchionum Montisferrati*.

(62) Intellige *ante Calendas*.

(63) A quo Bergomum sunt 13. passuum millia. Celebris olim is locus, qui Pons Aureoli dictus, ut prodit Aurel. Victor *de Cæsarib.* n. 33. Scotti, ita scribens: *Aureolus cùm per Rhætias legionibus præesset, excitus, ut mos est, socordia tam ignavi Ducis sumpto Imperio, Romam contendebat. Eum Gallienus apud Pontem, cui ex eo Aureoli nomen est, fusum acie Mediolanum coegit.* Similiter Trebellius in X. inter *XXX. Tyrannos. Hunc eundem Aureolum Claudius interfecto jam Gallieno, conflictu habito apud eum Pontem interemit, qui nunc Pons Aureoli nuncupatur.* Locus certus, res incerta; nam Victor Aureolum victum, non occisum eò loci dixerat: non à Claudio, sed à Gallieno. Id obiter.

(*) *Alter Codex MS.* adhuc.

EX CODICE AMBROSIANO.

Mediolanenses ferientes aliquos ex eis prosternaverunt de equis, atque Albertum de Arzago cepere, reliquis Mediolanensibus prorumpentibus in fugam, quia nolebant resistere, donec ad suos latitantes confugissent. Interea latitantes aspicientes quòd Laudenses jam appropinquaverant, repentè prosiluerunt super Laudenses unanimiter irruentes, quibus, utpote multitudini magnæ, Laudenses, qui adhuc ibi pauci fuerant resistere non confidentes terga subitò verterunt.

Ibique de Laudensibus quatuor fuerunt capti, videlicet Arialdus de Arziago, qui fuit Mediolanensis, sed post captionem Cremæ, Civis Laudæ fuerat effectus, & Bernardus de Bagnolo, qui de alia captione jam fuerat redemptus, & Otto Denarius, atque Manfredus Morena meus filius, quibus captis, Mediolanenses & Cremonenses reverti cœperunt. Interea Laudenses tam hi, qui processerant, quàm hi, qui persequebantur, insimul collecti usque prope castrum Ripaldæ post Mediolanenses equitaverunt, quos Mediolanenses conspicientes, revolutis habenis steterunt, Laudensibus quoque stantibus, & eos à longè prospicientibus, utraque enim acies alteram formidans, neutra alteram fuit ausa invadere; Laudenses verò cùm per aliquod tempus sic dubii stetissent, videntes quòd nihil possent lædere Mediolanenses, tum quia plures illis erant, tum etiam quia castrum Ripaltæ foret eis ad tutelam, cùm jam nox esset, domum revertuntur, & in ea tota hyeme stetit Imperator Papiæ cum militibus, quos Episcopi & alii Principes Longobardiæ sibi tribuerant, & paucis Teutonicis.

Præterea in prima Dominica Quadragesimæ, quæ fuit anno ab Incarnatione Domini 1161. duodecimo die mensis Martii, Indictione nona, & in qua fuit tunc festivitas Sancti Gregorii, venerat militia Placentinorum in Laudexanam, & se occultaverat in quodam nemore, quod dicitur in Bulchignano prope Margnanum, ut Laudenses caperet, si quos inveniret, è contrario verò Laudenses præcedenti nocte equitaverant versùs easdem partes, ut Placentinos offenderent, si quos invenirent in Laudexana, & cùm ipsi quoque in prædicto nemore se deberent occultare, in primo diei ortu viderunt Placentinos in nemore latitantes, Placentini quoque cernentes Laudenses inermes adhuc, utpote hujus latitationis ignaros, velociter bene armati supra eos currunt, quibus improvidis hujus rei, & sinè destrariis, & absque armis venientibus non valentibus Placentinorum multitudini resistere. in fugam sunt promoti, multique ex eis capiuntur, inter quos fuit Egerius de Villa, Oldratus Mondalmus, Petratius de Pusterla, Gualterius de Rico, Oliverius Jacobus, & Gerlus de Abonis, & Castellus de Cuzigo, & Maldottus de Vignate, Mussus Circa-Muolus, Otto Medius-parente, Vivianus de Vavri, Albertus Bardonus, Anselmus de Conello, Mussus Garbanus, Zanucallus de Guasco, & de servitoribus communis Laudæ fuerunt capti Gracianus Bonus, Joannes della Turre, Gofredus Atonitus, & quamplures alii; Albertus verò de Sesto fuit ibi occisus; ex Placentinis autem duo à Laudensibus capiuntur, Ubertus scilicet della Porta, & quidam alius, & quinque ipsorum equi. Deinde sequenti

EX EDITO AB OSIO.

ab equis, & Albertum de Enxago; reliquis Mediolanensibus in fugam conversis, quia nolebant resistere, donec ad suos latitantes confugissent. Interea latitantes, aspicientes quia Laudenses jam appropinquaverant; repente prosiliere super Laudenses; qui adhuc ibi pauci cum essent, resistere non confidentes, terga subito vertunt. Ubi de Laudensibus quatuor sunt capti, videlicet Arialdus de Arziago, qui fuit Mediolanensis, sed post captionem Cremæ Civis Laudæ fuerat effectus, & Bernardus de Bagnolo, qui de alia captione jam fuerat redemptus, & Otho Denarius, atque Manfredus Morena filius meus. Quibus captis Mediolanenses, & Cremenses reverti cœperunt. Interea Laudenses tam hi, qui præcesserant, quam qui sequebantur, insimul collecti, usque propè Castrum Ripaltæ post Mediolanenses equitaverunt. Quos Mediolanenses conspicientes revoluti ab eis steterunt; Laudensibus quoque stantibus, & eos à longè prospicientibus, & utraque acie alteram formidante, neutra fuit alteram invadere ausa. Laudenses denique cum per aliquod tempus sic dubii stetissent; videntes, quod nihil possent lædere Mediolanenses; tum quia plures illis erant; tum etiam quia Castrum Ripaltæ erat eis ad tutelam; cum jam nox esset, domum revertuntur. In tota autem illa hyeme stetit Imperator Papiæ cum militibus, quos Episcopi, & alii Principes Lombardiæ sibi tribuerant, & cum paucis Theutonicis.

Dominica autem prima Quadragesimæ, quæ fuit anno MCLXI. Mensis Martii autem duodecimo die Indictione nona, & in qua tunc fuit festum Sancti Gregorii; venerat militia Placentinorum in Lodesanam in quodam nemore, quod dicitur in Butegnano, & propè Meregnanum se occultaverunt, ut Laudenses caperent, si quos invenirent. Ex contrario verò Laudenses præcedenti nocte equitaverant versus easdem partes, ut Placentinos offenderent; si quos invenissent in Lodesana: & cum ipsi quoque in prædicto nemore se deberent occultare, in primo diei octo viderunt Placentinos in nemore latitantes. Tunc videntes Laudenses inermes ad hoc utpotè hujus latitationis ignaros, velociter benè armati super eos currunt; qui improvidi hujus rei, & sine dextreriis, & absque armis venientes, non valentes Placentinorum multitudini resistere, in fugam convertuntur, & ex eis multi capiuntur. Inter quos fuit Ugerius de Villa, Oldratus Mondalianus, Petrucius de Pusterla, Gualterius de Riccho, Oliverius, Jacobus, & Zerbus de Abonis, Castellus de Enzago, Maldotus de Vignate, Otho Medius-parens, Vivianus de Vaveri, Albertus Barbonus, Anselmus de Corello, Mussus Garbanus, Zamuillus de Guasco; & de servitoribus communis Laudæ fuerunt capti Gratianus Ponitannes, qui dicitur dela Turre, Guffredus Aramtus, & quamplures alii; Albertus verò de Sexto fuit ibi occisus: ex Placentinis autem duo capti sunt Ubertus dela Porta, & unus alius, & quinque ipsorum equi. Deinde sequenti die Veneris, quæ fuit die 17. prædicti mensis Martii, proficiscuntur Mediolanenses, ob-

EX CODICE AMBROSIANO.

quenti die Veneris, qui fuit septimo decimo die prædicti mensis Martii proficiscuntur Mediolanenses obsidere castrum de Castilione, quod est in Comitatu Sepriensi (64), cum manganis & petreriis, & gatis, ipsumque fortiter expugnant. E converso hi, qui fuerant in castro se pro posse muniunt, suos ædificantes manganos, & cum optimis balistis sæpe sagittantes, ac Mediolanenses multoties ex improviso aggredientes multos sauciant, plerosque occidunt, alios capiunt, & postremùm non valentes resistere intra castrum se reducunt. Denique Mediolanenses enim usque ad murum castri gatum deducentes adeò coartantur eos, quòd ipsi non poterant accedere ad aquam, quæ erat extra castrum, nec intra castrum quicquam aquæ habebant, quocirca oppidani ad maximam necessitatem in aqua deficiente deducti sunt. Gatum tamen Mediolanensium summa incendunt, multosque ex his, qui erant intus, capiunt, alios detruncant. Legatos deinde ad Imperatorem noctu mittunt, qui ea, quæ geruntur ad castrum sibi denuntient, auxilium subitum ab eo implorando. Igitur Imperator, ut hæc audivit, Laudæ vênit in die Martis Sancti, & ibi maximum colligens exercitum, & Parmensibus & his de Regio, ac Pergamensibus, ac Cremonensibus, ac his de Vercellis, & Novaria, & Papia, Ducum etiam, & Marchionum, atque Comitum, aliorumque Principum ad castri auxilium ut disposuit, & Mediolanenses intelligentes, quòd putabant quòd Imperator parvum exercitum congregasset, factum Imperatoris parvipendere cœperunt, palàm quoque dicentes in concione se ab obsidione castri non discessuros per Imperatorem, nec per illum exercitum quem posset de Longobardis colligere, donec ipsum caperent. In die verò Veneris Sancti cum prædicto exercitu supra Lambrum (65) castrametatus fuerat inclytus Imperator, etiam cum Comite de Barcollona, qui ad ipsum venerat cum quinquaginta militibus, ad præfati castri tendit auxilium. Cùm autem Mediolanenses hæc pro certo cognovissent, scientes Imperatorem tam fore animi robusti, quòd nullatenus dimitteret, quin prœlii fortunam cum ipsis experiretur, metu maximo compulsi, reversi sunt Mediolanum in die Sabbati Sancti, relictis apud castrum manganis, & petreriis atque gatis, aliisque eorum machinis, & igne combustis.

Et in die Paschæ majoris, Cremonensibus, aliis-

EX EDITO AB OSIO.

obsidere castrum de Castillione, quod est in Comitatu Sepriensi cum manganis, & petreriis, & Gattis: ipsumque graviter expugnare cœperunt. Ex converso hi, qui erant in castro, se pro posse muniunt, suos ædificantes manganos, & cum optimis ballistis sæpe sagittantes, ac Mediolanenses multoties ex improviso aggredientes multos sauciant, pluresque occidunt, & quosdam capiunt. Postremum autem non valentes usque ad murum castri gattum reducentes, adeo coarctant eos, quod ipsi non poterant accedere ad aquam, quæ erat extra castrum, nec intrà castrum quicquam aquæ habebant. Quo circa ipsi oppidani ad maximam necessitatem aqua deficiente deducti sunt. Gattum tamen Mediolanensium summa vi incendunt, multosque ex his, qui erant intus capiunt, & alios detruncant. Legatos deinde ad Imperatorem nocte mittunt, qui ea, quæ geruntur ad castrum, sibi denuntient, ab eo auxilium subitum implorando. Imperator igitur ut hæc audivit, Laudam venit die Martis Sancto, & ibi maximum colligens Exercitum ex Parmensibus, & illis de Regio, Cremonensibus quoque, ac Pergamensibus, & his de Vercellis, & de Novaria, & de Papia, & Ducibus etiam, & Marchionibus, atque Comitibus, aliisque Principibus, ad castri auxilium ire disposuit. Quod Mediolanenses intelligentes, quia putabant, quòd Imperator parvum Exercitum congregasset; factum Imperatoris parvipendere cœperunt, palam in concione dicentes, se ab obsidione castri non discessuros propter Imperatorem, nec ejus Exercitum, quem posset de Lombardis colligere, donec ipsum castrum caperent. Die verò Veneris Sancto cum dicto Exercitu, qui supra Lambrum castrametatus fuerat, inclytus Imperator, & cum Comite de Barollona, qui ad ipsum venerat cum 60. militibus ad præfati Castri tendit auxilium. Cum autem Mediolanenses pro certo cognovissent; scientes Imperatorem esse tam robusti animi, quod nullatenus dimitteret, quin prælii fortunam cum ipsis experiretur: metu maximo compulsi reversi sunt Mediolanum die Sabbati, relictis apud castrum manganis, & petreriis, atque Gattis, aliisque eorum machinis igne combustis. In die autem Paschæ majoris Cremonensibus, aliisque militibus, multis, qui cum Imperatore iverant, Laudam reversis, in sero magna pars Portæ Imperialis usque ad ipsam Portam combusta est per Scutiferum cujusdam militis Cremonensis, qui non sapienter in quadam

---

(64) Qui tractus, sive Regiuncula in Ducatu Mediolanensi, cujus fines docet Alienigenas Calchus noster p. 186. his verbis: „ Seprienses „ autem fines, uti illis temporibus descriptos „ legimus, èrant à Padregnano, Parabiago, „ Caronoque vicis, ac Seveso fluvio ad usque „ Ticinum, & Lacum Verbanum, & Trexiam „ fluvium, quem supra docuimus ex Lugani „ Lacu in Verbanum influere. Et ejus caput „ video fuisse Castrum Seprium ab antiquis In„ subribus fortasse nuncupatum, situm in mon„ ticulo vastis vallibus circumciso, vix uno „ aditu accessibili in ripa Olonæ amnis, qui „ medius intra suprascriptos labitur. Nam qua„ le in ea fuerit Oppidum, ruinæ docent, & „ ædes, quæ sola integra mansit, testatur. „ Nec longè ab eo sunt Castillionum jam supra à nobis celebratum, & Cariatum, utraque juxta eandem Olonam sita Oppida. Castrum Seprium, porrò *Sibrium* illud Anonymi (Guidonis) Ravennatis *l.* 4. *c.* 30. *p.* 201. cujus (ait Porcheron in notis) nullus Scriptor meminit. Nullus ex Latinis rectiùs scripsit ejus nomen *Sibrium* eo Guidone Ravennate. Nullusque ex Græcis Strabone, sed semel tantùm, ut in edit. cum Notis var. *l.* 5. *p.* 334. *num.* 4. ubi καὶ ἡ τῶν Συμβρῶν. Neo rectè vidit hìc Casaubonus, dum inquit, quod Symbri sibi sunt incogniti. Aliquando innotescent.

(65) Amnem notissimum, cujus nomen antiquum, à quo appellati Insubres Lambrani à Svetonio *in Cæsare c.* 9. ubi conjungit *Lambranos, & Transpadanos*, ut miremur hic hæsitare Casaubonum. Antiquitus tamen *Umbronem* fuisse dictum habemus *ex Blondo Reg.* 7. *pag.* 363., quem sequuntur Bonav. Castillionæus *Gallor. Insubr. sed. p.* 10., & Gaudent. Merula *de Gallor. antiq. l.* 2. *c.* 17. Umbro porrò in Tuscia, Umbro in Insubribus plura antiquitatis Insubrum argumenta suppeditat, ut Umbri, & Insubres ejusdem sint originis, Celtarum scilicet, sive Germanorum, ut aliquando apparebit.

EX CODICE AMBROSIANO.

aliisque multis militibus, qui cum Imperatore iverant Laudæ, reversis, in sero magna pars portæ Imperialis usque ad portam combusta est per quemdam scutiferum cujusdam militis Cremonæ, quæ (*) non sapienter in quadam domo ignem portabat.

Et in ipso eodem mense Madii fuit incœptum palatium Christianissimi Imperatoris Frederici in civitate Laudæ prope Monasterium Sancti Johannis supra costam fluminis Abduæ.

Post hæc verò in die Martis, quæ fuit quarto die sequentis mensis Aprilis in festivitate Sancti Ambrosii, Placentini equites, qui venerant usque ad Sanctam Mariam, quæ dicitur in strata prope Fossatellum deprædandi causâ, Laudensibus eis occurrentibus ceperunt Trichafoliam, qui (**) dicitur della Pusterla, & Johannem de Overgnacha, & tres alios Laudenses; quemdam verò nobilem militem de Placentia, qui vocabatur Jacobus Vicedominus, interfecerunt.

Interea gens Teutonica maximè fremens, quòd Imperator cum paucis Teutonicis in Longobardia relictus fuerat, quod plenariè non valebat expugnare Mediolanum, ad ejus auxilium abire se præparant, inter quos fuit Lantgravus cugnatus Imperatoris, & Conradus Comes Palatinus de Rheno frater Imperatoris, atque Federicus filius quondam Regis Conradi, qui fuit patruus Imperatoris, Dux de Rottemburgo, qui duxerat secum ultra sexcentos milites bene armatos. Raynaldus quoque Cancellarius, & tunc electus Archiepiscopus Coloniæ duxit secum ultra quingentos milites, filius quoque Regis Boëmiæ unà cum Duce Boëmiæ patruo suo ultra trecentos Equites (***) secum duxere. Aliique multi Episcopi, Marchiones, Comites, & alii Nobiles & Principes in Longobardiam ad Imperatoris auxilium veniunt.

Imperator itaque in die Lunæ, quæ fuit tertio Calendas (66) Septembris sequentis mensis Junii, in festivitate Sancti Maximiani, cum prædictis Principibus, & magna copia Longobardorum supra Mediolanum tendit, ob ipsorum segetes devastandas, devastaveruntque ipsas segetes usque ad Sanctum Caremalum, & ad Ecclesiam omnium Sanctorum, quæ est in capite Broili, & Ecclesiam Sancti Barnabæ, ac etiam Monasterium Sancti Dionysii, fixeruntque castra ea die à Casina Guazinæ de Aliate usque ad Morzengiam, ibique per biduum stantes, omnes segetes ex ea parte Mediolani devastavere. In sequenti verò die Mercurii castra mutantes apud Sanctum Dionysium hospitati sunt, & tunc Mediolanensibus ab illa parte armatis exeuntibus, magnoque prœlio cum Papiensibus aliisque Longobardis incœpto, captus est quidam nobilis Mediolanensis, qui vocabatur Adam de Palatino, eumque statim fecit Imperator videntibus Mediolanensibus suspendi, & aliquibus utrinque captis, & aliis vulneratis, quibusdam quoque mortuis prœlium dirumpitur.

Item sequenti die Jovis usque ad castra pergunt, quibus Papiensibus aliisque Longobardis acriter obstantibus post magnam inter eos pugnam commissam, tandem Mediolanenses utpote pauciores usque ad fossatum violenter ex-

(*) *Codex MS.* qui.
(**) *Alter Codex MS.* quæ.

EX EDITO AB OSIO.

dam domo portabat ignem. Eodem mense Martii fuit incœptum Palatium Christianissimi Friderici Imperatoris Laudæ propè Monasterium Sancti Joannis supra costam fluminis Abduæ. Post hæc verò die Martis, quæ fuit quarta die sequentis mensis Aprilis, in festo Sancti Ambrosii Placentini equites, qui venerant usque ad Sanctam Mariam, quæ dicitur in strata propè fossatum album causa deprædandi; ex Laudensibus eis occurrentibus ceperunt Trincafolium de Pusterla, qui tunc esset Potestas Laudensis, & Ugonem de Pusterla, & Joannem de Overgnate, & tres alios. Laudenses verò quendam nobilem militem de Placentia, qui vocabatur Jacobus Vicedominus interfecerunt.

Interim gens Theutonica maximè fremens, quod Imperator adeò cum paucis Theutonicis relictus erat in Lombardia, quod plenariè non valebat expugnare Mediolanum, ad ejus auxilium obnixè se præparavit. Inter quos fuit Lantgravius cognatus Imperatoris, & Conradus Comes Palatinus de Rheno frater Imperatoris atque Federicus frater Regis Conradi, qui fuit patruus Imperatoris, Dux de Rotemburgo, qui duxerat secum ultrà sexcentum milites benè armatos. Raynaldus quoque Cancellarius, & tunc electus Archiepiscopus Coloniæ duxit secum ultrà quingentos milites. Filius quoque Regis Bohemiæ unà cum Duce Bohemiæ patruo suo ultrà tercentos equites secum duxit. Alii etiam multi Episcopi, Marchiones, Comites, & alii nobiles in Lombardiam ad Imperatoris auxilium venerunt.

Imperator itaque in die Lunæ, quæ fuit tertio Calendis sequentis mensis Junii in festo Sancti Maximi, cum dictis Principibus, & maxima quantitate Lombardorum supra Mediolanum tendit, ad eorum segetes devastandas; & devastaverunt ipsas segetes usque ad Sanctum Caremolum, & ad Ecclesiam Omnium Sanctorum, quæ est in capite Broili, & Ecclesiam Sancti Barnabæ, & Monasterium Sancti Dionysii; fixeruntque Castra ea die à Cassina Guazinæ de Aliate usque Morsengiam; ibique per biduum stantes, omnes segetes, ac partem Mediolani devastaverunt. In sequenti verò die Mercurii castrametantes ad Sanctum Dionysium hospitati sunt; & tunc Mediolanenses ab alia parte armati exeuntes, magnum prœlium cum Papiensibus, aliisque Lombardis incœperunt; & captus est quidam nobilis Mediolanensis, qui vocabatur Adam de Palatio. Quem statim Imperator videntibus Mediolanensibus fecit suspendi ...... utrinque captis, & aliis vulneratis, quibusdam mortuis prœlium est diruptum.

Item sequenti die Jovis Mediolanenses usque ad Castra pergunt; quibus Papiensibus, aliisque Lombardis acriter obstantibus, post magnam inter eos pugnam, tandem ipsi Mediolanenses utpotè pauciores usque ad fossatum violen-

(***) *Alter Codex MS.* viros.
(66) Idest, *tertio* ante *Calendas*.

EX CODICE AMBROSIANO.

extincti sunt; Aliqui ex eis capiuntur, alii morti donantur, magnaque pars vulneratur, alii verò in fossatum corruentes necantur, cunctis intra propugnacula receptis; ex parte quoque Papiensium, aliorumque Longobardorum qui fuerant ad prœlium, alii capti plerique vulnerati, aliqui etiam mortui sunt. Teutonicis Imperatoris præceptum timentibus non accedentibus ad bellum, præceperat eis ne quis cum Mediolanensibus prœlium inciperet. Preterea Imperator inde discedens ad portam Cumacinam, & portam Vercellinam cum exercitu consedit: at Mediolanenses denuo belli fortunam temptantes cum exercitu Imperatoris prœlium incipiunt, multi utrinque sauciantur, gladiis res geritur, maxima vi certatur, alii confodiuntur, alii plerique de equis dejiciuntur, alii neci traduntur.

Postremò tamen non valentes Mediolanenses, qui civitatem exiverant tantæ multitudini resistere, intra portam repelluntur, alii in vallum præcipitantur, ut assolet in angustis locis, dum omnes præpararent invicem sibi officientes. Deinde Imperator circa Mediolanum usque ad portam Ticinensem proficiscens totas segetes devastavit, vites & arbores succidit, & circa Mediolanum ferè per decem dies se revolvens, omnia, quæ circa Mediolanum erant, devastavit. Denique à civitate secedens, blavas, & vites, ac arbores, locaque per decem, ac quindecim milliaria distantia à civitate dissipando, cum omni suo exercitu Comazum, & Cornelianum, qui dicitur Bertari, revertitur, ibique penè toto exercitu Teutonicorum relicto, Cremonensibus & Papiensibus, aliisque Longobardis licentiam domum redeundi concessit, cum paucis suis Principibus Laudæ veniens, ad Concilium à Domino Tertio Victore Papa ibi constitutum, vênitque Laudæ ipse Dominus Papa die Sabbati, quæ fuit septimodecimo die mensis Junii.

Sequenti verò die, in quo fuit tunc festivitas Sanctorum Gervasii & Protasii incœptum est sacrum Concilium, quod à principio Papiæ, deinde Cremonæ fieri dispositum fuerat. Postremùm tamen ad honorem Laudensium ex voluntate Imperatoris Laudæ celebratum est. In quo Dominus Imperator cum Principibus suis, & Dux Boëmiæ, ac Dominus Pelegrinus Aquilegiensis Patriarcha, & Dominus Guido Electus Ravennæ Archiepiscopus, ac Dominus Raynaldus Electus Archiepiscopus Coloniæ, & Dominus Archiepiscopus Treveneriensis, & Dominus Vianensis Archiepiscopus, & unà cum plus de . . . . . Episcopis, & magna copia Priorum, Abbatum, Præpositorum, aliorumque Clericorum, qui venerant ad Synodum seu Concilium, unanimiter confirmaverunt electionem, & illam confirmationem, quæ in præterito anno Papiæ jam facta fuerat de ipso Papa Victore.

Fueruntque in ipso Concilio recitatæ Literæ excusatoriæ Regis Daciæ (67), & Regis Nor-

EX EDITO AB OSIO.

lenter expulsi sunt; ex eis aliqui capiuntur, alii morti donantur, parsque magna vulneratur, alii verò in fossatum currentes necantur, cæteris inter propugnacula receptis. Ex parte dictorum quoque Papiensium, aliorumque Lombardorum, qui fuerunt ad prœlium, alii capti, plerique vulnerati, alii etiam mortui sunt. Theutonici verò timentes præceptum Imperatoris, qui præceperat, ne quis prælium cum Mediolanensibus inciperet, ad prælium non accesserunt. Imperator verò inde discedens ad Portam Vercellinam cum exercitu suo consedit. At Mediolanenses denuò belli fortunam tentantes, cum exercitu Imperatoris prælium incipiunt. Multi ibi utriusque partis sauciantur, gladiis res geritur, maxima vi certatur, alii confodiuntur. Postremò inde Mediolanenses, qui Civitatem exiverant, non valentes resistere tantæ multitudini, intra Portam repelluntur; alii in Vallum præcipitantur, ut solet in angustis locis fieri, dum omnes properant invicem sibi nocere.

Deinde Imperator circa Mediolanum usque ad Portam Ticinensem proficiscens, totas segetes devastavit; vites, & arbores succidit; & circa Mediolanum ferè per decem dies se revolvens, omnia, quæ circa Mediolanum erant, devastavit. Denique à Civitate recedens blada, vites, & arbores, ac loca per decem, ac etiam per quindecim milliaria à Civitate distantia dissipando, cum omni suo exercitu Comazum, & Cornelianum, quod dicitur Bertarii revertitur; ibique penè toto exercitu Theutonicorum relicto, Cremonensibus, & Papiensibus, aliisque Lombardis licentiam domum redeundi concessit; & cum paucis suis Principibus Laudam venit ad Concilium, à D. III. Victore Papa, die Sabbati, quæ fuit vigesima septima mensis Junii.

Sequenti verò die, in quo fuit festum Sanctorum Gervasii, & Protasii, incœptum est Sacrum Concilium, quod à principio Papiæ, deindè Cremonæ fieri dispositum fuerat. Postremum tamen ad honorem Laudensium ex voluntate Imperatoris Laudæ est celebratum. In quo Dominus Imperator cum suis Principibus, & Dux Bohemiæ, & D. Pellegrinus Aquilegiensis Patriarcha, & D. Guido electus Ravennæ Archiepiscopus, & D. Raynaldus electus Archiepiscopus Travariensis, & D. Viavensis Archiepiscopus, & multi Episcopi, & magna copia Priorum, Abbatum, Præpositorum, aliorumque Clericorum, qui venerunt ad Synodum, seu Concilium, unanimiter confirmationem approbaverunt, quæ in præterito anno Papiæ jam facta fuerat de ipso D. Papa Victore. Fuerunt autem in ipso Concilio recitatæ literæ excusatoriæ Regis Datiæ, Regis Norvegiæ, Regis Ungariæ, & Regis Bohemiæ, & sex Archiepiscoporum, & viginti Episcoporum, multorumque Abbatum tam Claræ-Vallensis, quam alia-

(67) Hoc est Regis Daniæ Vualdemari, ut ex Radevico *l.* 1. *c.* 24. Godefrido ad A. 1162. Saxone Grammatico *lib.* 14. *Histor. pagg.* 251. & 253. Kranezius, ut infra, & Abb. Stadensi A. 1157. ex quo Vualdemarus Svenoni à se occiso successit. Etsi plures hujus ævi cum Morena nostro Datiam scribant, non rectè tamen, tot aliis, præsertim Anglis, Daniam scribentibus, & rectè. Dania enim ea est, de qua Mela *l.* 3. *p.* 158. Vadiani scribit: *super Albim Codanus ingens sinus, ... in eo sunt Cymbri, & Teutoni*, Mariana victoria notissimi. Datia verò dissitissima trans Danubium, ubi quondam *Getæ*, *Daci Romanis dicti*, ut inquit Plinius 4. 12. nempe ex quo Trajanus eos domuit, ac in Provinciæ formam redegit, Decebalo eorum Rege devicto A. Chr. 106, juxta nummos apud Mediobarbum p. 154. Datia

EX CODICE AMBROSIANO.

Norguegiæ (68), ac Regis Ungariæ (69), Boëmiæ quoque Regis, ac sex Archiepiscoporum, & viginti Episcoporum, multorumque Abbatum tam Claravallensium, quàm aliarum Congregationum, atque Præpositorum, in quibus omnibus literis reponebant ipsos Reges cum universis eorum provinciis, ac prædictos Archiepiscopos, Abbates & Præpositos præfatum Dominum Victorem (70) velle se pro Papa & Domino tenere, & se velle ratum habere totum hoc, quod Dominus Victor statuerit in ipso Concilio cum aliis ibi præsentibus.

Fuerunt alii in ipso Concilio excommunicati, idest Dominus Ubertus Mediolanensis Archiepiscopus, unà cum Mediolani Consulibus, & omnes eorum Consiliarii, & Episcopus Placentinus, & Brixiensis, & Placentiæ, ac Brixiæ Consules, omnesque ipsorum Consiliarii, ac illi omnes, qui interfecerant Maguntinum Archiepiscopum (71), & qui in ejus morte consenserunt, & Episcopus Bononiensis . . . . depositi fuere irrecuperabiliter. Episcopus verò Paduanus, Episcopus . . . . . usque ad Calendas Augusti termino eis dato ab officio suspenduntur, & hæc acta sunt in die Jovis, cùm Concilium usque ad ipsam diem perdurasset, in quo fuit tunc festivitas Sancti Jacobi Alphæi.

Finito quoque Concilio, Dominus Vercellensis Episcopus, unà cum multis aliis Episcopis Papiam tendere volentes à Potestatibus Laudæ postulant, ut secum Laudenses mittant milites quo securiùs incedere valeant, quibus ad Episcoporum placitum à Potestatibus missis, cùm jam per decem milliaria equitassent versùs Papiam, apparuerunt eis viginti & quatuor milites Mediolanensium, & cœperunt post eos currere; Mediolanenses verò putantes, quòd Laudenses, qui non erant nisi viginti duo, satìs plures essent, terga subitò vertunt, ad nemora fugientes, & Laudensibus eos cum magno clamore persequentibus de equis se dejiciunt, ut in nemore se occultent, & ab oculis Laudensium, qui adhuc longè distabant penitus disparuerunt. Lau-

EX EDITO AB OSIO.

aliarum Congregationum, atque Præpositorum; in quibus omnibus literis continebatur, ipsos Reges cum universis eorum Provinciis, & prædictos Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & Præpositos velle se tenere præfatum D. Victorem pro Papa, & Domino, & se velle ratum habere hoc totum, quod D. Victor statuit in ipso Concilio cum aliis ibi præsentibus.

In ipso etiam Concilio fuerunt examinati Dominus Ubertus de Pirovano Archiepiscopus Mediolanensis unà cum Consulibus Mediolani, & Episcopus Placentinus, & Episcopus Brixiensis, & Placentiæ, & Brixiæ, Consules, omnesque ipsorum Consiliarii, ac etiam omnes illi, qui interfecerunt Moguntinum Archiepiscopum, & qui in ejus morte consenserunt, & Episcopus Boniensis & . . . . . . depositi fuerunt irrecuperabiliter. Episcopus verò Paduanus, & Episcopus . . . . . . usque ad Calendas Augusti termino eis dato ab officio suspenduntur, & hæc acta sunt in die Jovis, cum Concilium usque ad ipsam diem perdurasset, in qua die fuit tunc festum Sancti Jacobi Alphei.

Finito denique Concilio, D. Vercellensis Episcopus unà cum multis aliis Episcopis Papiam tendere volentes, à Potestatibus Laudæ postulant secum Laudenses milites, ut securius incedere valeant. Quibus ad Episcoporum placitum à Potestatibus missis, cum jam per decem milliaria equitassent versus Papiam, apparuerunt eis vigintiquatuor milites Mediolanenses; post quos currere cœperunt; Mediolanenses verò putantes, quod Laudenses, qui non erant, nisi vigintiduo, satìs plures essent, terga subito vertunt ad nemora fugientes; & Laudensibus eos cum magno clamore persequentibus, de equis se dejecerunt, ut in nemore se occultent; & ab oculis Laudensium, qui adhuc longè distabant, penitus disparuere. Lauden-

---

tia hodie Transilvaniam, Valachiam, & Moldaviam ferè totam complectitur ex Cluver. *Introd. in Geograph.* 4. 18.

(68) A sæculo XI. Norvegia Reges suos iterum habuit, ex quo *Knut* (Canutus) *in Anglia, Nordmannia, simul & Dania, quod nulli Regum prius contigit in Dania*, Rex fuit (ut observat Abb. Stadens. A. 1028.) & moriens A. 1035. apud Pagi hoc A. n. 7. filiis suis Svenoni Norvegiam, Canuto Daniam, & Haraldo Angliam reliquit A. 1058. ut sub hoc A. habet idem Stadens. *In Nordvvegia Rex Haroldus crudelitate sua omnes Tyrannorum furores excessit illo tempore*. Non ideo sublati Reges, cùm hoc A. 1161. regnaret *Erlingus* cum filio *Magno*, de quo Saxo Gramm. laud. *Hist. Danicæ l.* 14. *pagg.* 277. *&* 282. edit. Ff. 1576. Plura Kranczius *Norvagiæ lib.* 5. *capp.* 10. 11. *&* 12. ubi & de Vvaldemaro. *Erlingus* quoque occiso *Aquino* Regnum iniit Norvegiæ.

(69) Geysæ II. ne, vel Stephani III.? Latrocinale hoc Concilium celebratur die 19. Junii, Geysa verò ultima die Maji hoc anno obierat, ut notat Thvvroczius *in Chronic. Ungaror. c.* 65. scribens: *Migravit ad Dominum A. D.* 1161. *prid. Kal. Junii feria IV.* Nec audiendi qui protrahunt ejus mortem usque ad A. 1163. vel 1165. regnavit enim AA. 20. ab A. 1141. Nihilominus cùm invitatus præcesserit, habendaque sit ratio itineris, epistola Regis scripta fuerit ante Geysæ mortem, ut huic, sit tribuenda, non Stephano.

(70) Supradicta confirmat, & item Morenæ hoc mendacium demonstrat Geysæ epistola ad Ludovicum VII. Franciæ Regem apud Duchesn. tom. 4. p. 578. hæc scribentis: *Alexandrum, quem universalis Ecclesia, & vestræ Regiæ dignitatis auctoritas confirmavit, & confirmatum recepit, sicut per Nuncios meos mandastis, confirmavi, recepi, & ab hoc nullo modo dissentire proposui. . . . . . . Notum itaque vestræ fraternitatis amicitiæ firmiter facio, quatenus si prædictus Imperator vobis, aut Regno vestro aliquid mali machinari voluerit, ego Regnum ejus in manu forti devastando aggrediar. Hoc idem à vobis, tanquam ab amico confidenter expectans*. Mendacii item arguit Morenam synchronus Helmoldus *Chron. Slavor. l.* 1. *c.* 91. clarè testificans, quòd *Alexandrum recepit Hierosolymitana Ecclesia, & Antiochena: præterea omnis Francia, Anglia, Hispania, Dania, & omnia Regna, quæ sunt ubique terrarum*. Pergit Chronographus enumerando maximum numerum Monachorum, Episcoporum, *Abbatum plusquam DCC.* qui vero Pontifici Alexandro adhærebant: ut ideo quamplurimi pulsi è sedibus suis huc, illucque, in Franciam præsertim fugere sunt coacti.

(71) Moguntinum Osio Arnoldum nomine, & schismaticum, hinc occisum, uti refert Baronius sub A. 1160. à n. 32. ad 34. ex Roberto de Monte, & Conrado Episc. *in Chron. rerum Moguntiçarum*.

EX CODICE AMBROSIANO.

Laudenses verò ad nemus pervenientes de equis discendunt, & Mediolanenses per frondes quærunt, postremò quoque novem de equis ipsorum inveniunt, ex quorum Mediolanensium captos in carcerem Laudæ duxerunt, videlicet Flamengum de Erminulfis, & Sicardum de Concorezo, & Ottonem Faroldum, & . . . . . de Mulinaro.

In sequenti verò die Dominico, in quo fuit festivitas Sanctorum Prosperi, & Severæ Virginis, cepit Dominus Imperator Roccham, quæ dicitur de Corva cum plus de centum hominibus, qui erant intus, inter rusticos & cives Mediolani, unicuique eorum fecit truncare manus, decem septem aliorum reliquos, ita Rocchâ exarsâ & dissipatâ, in carcerem fecit detrudi. Sequenti etiam mense Julio cepit Comes Gozolinus Teutonicus, & quem Imperator proposuerat illis de Sepro, & de Martexana (72), castrum de Blandron, & omnibus, quos intus invênit, dimissis, totum exarsit & destruxit.

Præterea quoque die Lunæ, quæ fuit septimo die sequentis mensis Augusti ceperunt Placentini quatuordecim milites Laudenses in Runchalia, videlicet Maxigotum & Guilielmum de Abonis, & Guilielmum de Fixiraga, & Bregondium filium Oldrati Morenæ, ac decem alios.

Et ipso eodem die cùm Imperator Inclytus cum suo dumtaxat Teutonicorum exercitu, & Boëmicorum prope locum, qui dicitur Cirus, foret hospitatus, Mediolanenses ad Lantegravum & Ducem Boëmiæ, ac Palatinum Comitem fratrem Imperatoris Legatos mittunt, denuntiantes Mediolani Consules velle cum ipsis Principibus colloquium habere, & sic utrinque fide data invicem Consules Mediolanenses nihil molesti metuentes, dum ad præfatos Principes veniunt, milites Cancellarii colloquii statuti & fidei datæ ignari, Consules occurrentes prope Monasterium de Lugnolo eos ceperunt. Milites autem Mediolani putantes Consules suos perditos fore postea milites Cancellarii pro Consulibus suis recuperandis velociter currunt, prœliumque inter eos incœptum est, quibus sic dimicantibus prædicti Lantegravus (73), & Dux Boëmiæ, ac Palatinus Comes de Rheno, audientes Consules esse captos, quibus fidem tribuerant, non modicè indignati, Cancellarium hujus rei ignarum, qui adhuc erat in castris interficere proposuerunt, quod Cancellarius audiens ad Imperatorem subitò proficiscitur, quæ gesta fuerunt ipsi aperiens, & se inscio Consules à suis militibus captos fuisse asseverat.

Imperator itaque prædictis Principibus imperat, ne quid molesti contra Cancellarium præsumant, & cum suis & Ducis Federici de Rotemburgo, aliorumque Principum militibus ad prœlium currit, Duce Boëmiæ ac Lantegravvo propter iram & indignationem Imperatorem non sequentibus, cùm prope prœlium venisset, Imperator præcepit Duci de Rotembur-

EX EDITO AB OSIO.

denses verò ad nemus pervenientes de equis descendunt, & Mediolanenses interficiendos quærunt. Postremò novem de equis ipsorum invenerunt, & quatuor Mediolanenses captos in carcerem Laudam ducunt, videlicet Flamenghum de Hermenulphis, & Suardum de Corezo, & Othonem de Faroldis de Mulinaxo, &c.

In sequenti verò die, in quo fuit festum Sanctorum Prosperi, & Severæ Virginis, cepit D. Imperator Rocham, quæ dicitur de Cornu, cum pluribus centum hominibus, qui erant intus inter rusticos; quos tota Rocha exarsa, & dissipata, fecit in carcerem detrudi. Sequenti etiam mense Julii cepit Comes Gazolinus Theutonicus, & quem Imperator proposuerat illis de Seprio, & de Martesana, Castrum de Blandrone; & omnibus dimissis, quos intus invenit, totum ipsum Castrum combussit, & omninò destruxit.

Postea quoque die Lunæ, quæ fuit septimo die sequentis mensis Augusti, ceperunt Placentini 14. milites Laudenses, videlicet Margotum, & Gruelam de Abonis, & Guielmum de Fissiraga, & Vergondium filium Oldrati Morenæ, & decem alios. Ipso eodem die cum Imperator inclytus cum suo dumtaxat Theutonicorum exercitu, & Bohemensium propè locum, qui dicitur Cerrum, hospitatus esset; Mediolanenses ad Lantgravium, & Ducem Bohemiæ, & ad Palatinum Comitem fratrem Imperatoris Legatum mittunt, denunciantes, Mediolani Consules velle cum ipsis Principibus colloquium habere: & sic utrinque fide data invicem, Consules Mediolanenses nihil molesti timentes, dum ad præfatum colloquium veniunt, milites Cancellarii, colloquii statuti, & fidei datæ ignari, Consulibus occurrentes, propè Monasterium de Bagnolo eos ceperunt. Milites autem Mediolani, putantes Consules suos esse perditos, post milites Cancellarii pro suis Consulibus recuperandis velociter currunt, prœliumque inter eos incœptum est. Quibus sic dimicantibus, Lantgravius, & Dux Bohemiæ, atque Comes Palatinus de Rheno audientes, Consules esse captos, quibus fidem tribuerant; non modicè indignati, Cancellarium hujus rei ignarum, qui adhuc erat in Castris, proponunt interficere. Quod Cancellarius audiens, ad Imperatorem subito proficiscitur, & quomodo se inscio Consules Mediolani à suis militibus capti fuerant asseverat. Imperator prædictis Principibus . . . . . ., ne quid molesti contra Cancellarium præsumant. Postmodum ipse Imperator cum suis, & Ducis Federici de Rotemburgo, aliorumque Principum militibus ad prælium currit. Dux verò Bohemiæ, & Lantgravius propter iram, & indignationem ipsum Imperatorem secuti non sunt. Cum propè prælium venisset Imperator, præcepit Duci de Rotemburgo, ut à montis parte via per ipsos cum suis curreret, & quibusdam aliis Principibus ab alio

(72) Et ipsa sicut Comitatus Sepriensis, de quo supra, tractus, sive Regiuncula hujus Ducatus Mediolani, quæ pariter sic describitur à Calcho nostro l. 9. p. 186. „ Marthesanam verò „ dicimus planitiem, quæ Lambrum inter, & „ Aduam, ac montes à Briantia olim oppido „ nuncupatos interjacet, cujus caput est Vicus- „ Mercatus Moguntiæ finitimus. „ Martesanam dictam à quodam Martesio, ejus Regiunculæ Marchione conjicit Clariss. Muratorius *Antiq. Estens. p.* 34.

(73) Dux iste Boemiæ filius Regis erat. Lantgravius verò Hassiæ nomine Ludovicus, sive Lodevvicus, ut scribit Gobellin. *Cosmodrom. æt.* 6. *c.* 60.

EX CODICE AMBROSIANO.

[...]urgo, ut à monti parte viæ per campum cum suis curreret, ac hostes à latere invaderet, & quibusdam aliis Principibus præcepit, ut ab alio latere per campos cum vexillis currerent hostes aggressuri. Ipse verò per viam, in qua bellum fiebat fortissimum, prope locum ubi dicitur ad Cassinam Guazinæ de Alliate cum suis hostes invadere disposuit, quibus omnibus sic secutis, ut statuerat, Mediolanenses ex traverso ab utroque latere videntes properare Teutonicos, & se non posse ipsis resistere, cognoscentes, quia maxima pars militum ac peditum Mediolani detinebatur intra portas à Consulibus, & ab aliis sapientibus civitatis quòd exire non dimittebantur, versùs civitatem fugiunt.

Imperator autem cum aliis ipsos acriter insequitur usque ad pontem fossati, & ex eis octuaginta milites, & ducentos sexaginta sex pedites cepit, quos omnes postea in carcerem Laudæ detrusit, plerosque etiam milites ac pedites cum gladio tum inter fossata præcipitando interfecit, & supra pontem fossati dum acriter Imperator inter hostes prœliaretur, equus ejus ibi confoditur & ipse aliquantulum vulneratus est. Tandem tamen Mediolanenses intra portas se recipiunt, & magna pars ipsorum in Ecclesiam Sancti . . . . . . confugiunt non valentes accedere ad pontem, & in ipsa Ecclesia, tum quia ferè nox erat, tum etiam, quia non poterant expugnari nisi per Ostium Ecclesiæ viriliter se defendentes illæsi permanserunt. Imperator igitur cum suis militibus ad castra cum ingenti gaudio revertitur, & sequenti die Mercurii prope Sanctum Donatum castrametatus est, segetes Mediolanensium quotidie devastans. Deinde proximo die Sabbati prœlio commisso intra Teutonicos & Mediolanenses ante portam Mediolani, tres milites Mediolani interfecti sunt, scilicet Cazaguerra de Sorexina, & filius Guarnerii Grassi, & quidam alius. Sequenti verò die Lunæ Imperator in Broilo non multùm longè à fossato Mediolani, à porta Ticinensi, usque ad portam Arienzam castra collocari præcepit. Deinde in unoquoque die Mediolanensium segetes depopulans civitatem capere poterat, manum cuique ipsorum detruncari præcipiebat, ut eos terreret, tam pauperes, quàm divites, ne civitatem egrederentur, & sic quasi omnes Mediolanensium segetes, & vineas, arboresque devastavit, & ferè omnem vivendi spem eis abstulit, & Papiam reversus est. Peritissimus ibi Imperator considerans se plenariè non posse nocere Mediolanensibus, quin à Placentia, & Brixia mercatum victualium haberent si Papiæ moraretur, statuit Laudæ hyemare cum Beatrice conjuge sua, & cum filio Ducis Guelfi (74), & cum Duce Frederico de Rotembergo consobrino suo, & cum Comite Redulfo de Luido, & Episcopo Pavinbergi, & cum aliis paucis Principibus. Nam Lantergravo, qui duxerat secum quingentos mi-

(74) Scilicet VI. cognomento Pii, de quo diximus supra. Is ergo VII. licèt Patri præmortuus, juxta Ladisl. Sundheimium *de famil. VVelphonum* apud Leibnitium *t.* 1. *p.* 804. ubi: *VVelphus VII. ejus nominis, ejus filius, ante Patrem moriebatur annis quatuor*, & dum „ Fridericus I. Cæsar Dux Sveviæ VVelphoni „ Seniori, ut pio Avunculo suo, Marchiam „ Tusciæ, Ducatum Spoleti, Principatum Sar„ diniæ, & Dominium Mechtildis Comitissæ „ tradidit. „ (Qua de re differit idem Leibnitius *Introduc. in Collection. Scrip. Rer. Brunsv.* §. 41.) *prædictas terras VVelpho Senior commendavit VVelphoni Juniori* (VII.) *filio suo regendas . . . . qui ante eum obiit quatuor annis*, scilicet A. 1167. ut scribit Auctor noster intra.

EX EDITO AB OSIO[...]

alio latere. Similiter per campos cum Vexillis currerent hostes ex duabus partibus alacriter, & intrepidi aggressuri; ipse verò per viam, in qua bellum fiebat, fortissimum propè locum, ubi dicitur ad Cassinam Grazive de Aliate cum suis hostes invadere disposuit. Quibus omnibus sic secutis, ut statuerat, Mediolanenses ex transverso ab utroque latere videntes properare Theutonicos, & se non posse ipsis resistere cognoscentes, quia maxima pars equitum Mediolani detinebatur, versus civitatem fugiunt. Imperator autem cum aliis ipsos acriter insequitur usque ad Portam fossati, & ex ipsis triginta milites, & CCLVI. pedites cepit. Quos omnes postea Laudæ in carcerem detrusit. Plures verò milites, & pedites cum gladio in fossato præcipitando interfecit; & super Portam fossati dum acriter Imperator inter hostes prœliaretur, equus ejus ibi confoditur, & ipse aliquantulum vulneratur. Tandem Mediolanenses intrà Portam se recipiunt, & ipsorum quamplures in Ecclesiam Sancti Laurentii confugiunt, non audentes ad Portam accedere; & ipsa Ecclesia tum quia ferè nox erat, tum etiam quia non poterant expugnari, nisi per ostium Ecclesiæ, viriliter se defendentes, illæsi permanserunt. Imperator igitur, cum suis ad castra cum gaudio ingenti revertitur.

Sequenti verò die Mercurii propè Sanctum Donatum castrametatus est, segetes Mediolanensium quotidie devastans, deinde proximo die Sabbati prælio commisso inter Theutonicos, & Mediolanenses ante Portam Mediolani, tres milites Mediolani interfecti sunt, scilicet Cacciaguerra de Sorocina, & filius Guarverii Grassi, & quidam alius.

Sequenti verò die Lunæ Imperator in brolio non multum longè à fossato Mediolani à Porta Ticinensi usque ad Portam Rentiam castra collocari præcepit; deinde omni die Mediolanensium segetes depopulans, civitatem circum ibat; & si quos de Mediolanensibus, qui pro lignis accipiendis exibant, capiebant illi de Exercitu Imperatoris, manum cuique ipsorum detruncari præcipiebat; ut tam divites, quam pauperes timerent, nec civitatem egrederentur. Et sic quasi omnes Mediolanenses segetes, & vineas, atque arbores devastans, ferè omnem vivendi spem abstulit eis, & postea Papiam reversus est.

Peritissimus autem Imperator, considerans, se plenariè inhibere non posse Mediolanensibus, quin à Placentia, & Brixia mercatum victualium haberent, si Papiæ moraretur; statuit hyemare Laudæ cum Beatrice Serenissima conjuge sua, & cum filio Ducis Guelphi, & cum Friderico de Rotemburgo consobrino suo, & cum Comite Rodalpho de Lando, & cum Episcopo Parvi-lengi, & cum aliis paucis Principibus. Nam Lantgravio, qui conduxerat secum quingentos milites, & ferè omnibus militibus Cancellarii, qui fuerant similiter plures, quam quingenti, & militibus Ducis Bohemiæ li-

EX CODICE AMBROSIANO.

milites, & ferè omnibus militibus Cancellarii, qui fuerant similiter plures quàm quingenti, & militibus Ducis Boëmiæ licentiam domum redeundi concesserat. Conradum verò Comitem Palatinum de Rheno fratrem suum, & Gulielmum Marchionem de Monferrato, atque Guidonem Comitem de Blandrate, castrum de Mombrione munire, ipsumque custodire ipsorum militibus præcepit.

Circa Ecclesiam quoque de Ripalta-Siccha, magna propugnacula fossatorum, aliarumque machinarum ad defensionem utilium fecit fieri, relictis ibi quibusdam suis militibus, qui ea die noctuque custodirent, Comitem verò Maridardum de Grumbac posuit cum aliquibus militibus in castro de Sancto Gervasio, quod est prope Trezum, ut sic undique viis quasi obclusis non auderent Mediolanenses mercatum ducere à Brixia, vel Placentia, nec Brixienses, neque Placentini amicissimi Mediolanensium (75), & hostes Imperii quicquam victualium auderent ipsis Mediolanensibus afferre.

Proximo verò mense Decembris, dum Imperator foret Cremonæ vênit Serenissima Imperatrix Papia Laudæ, & infra proximas tres dies venerunt ultra quingentos milites Mediolani, ut Laudenses invaderent, & maxima parte ipsorum latitante in nemore qui dicitur Sancti Johannis, quasi centum de ipsis usque ad lavanderium de Puligrano, quod non est multùm longè à civitate Laudæ, currentes, magnam prædam levaverunt. Laudenses autem, & Dux de Rotemburgo cum suis militibus, & milites qui cum felicissima Augusta venerant, aliique milites Teutonici, qui fuerant tunc Laudæ velociter egredientes, eos persecuti sunt, ita quod ferè totam prædam recuperavere. Aliquibus de Mediolanensibus captis, eosque fugavere usque dum videre Mediolanenses, qui latitaverant in auxilium suorum occurrere, deinde verò Mediolanenses fugantes Teutonicos, atque Laudenses, ferè totam prædam, quam habuerant, iterum recuperaverunt, plerisque de Teutonicis ac Laudensibus captis, & uno bellicosissimo milite Imperatricis occiso, & prope Ecclesiam Sancti Martini de Cassetis utræque acies intra se diu dimicavere, & neutra parte super alteram plenariè currere audente, utpote se invicem timentibus, prœlium tandem diremptum est.

Imperator autem Laudæ hyemans noctu dieque tam Laudenses quàm Teutonicos stratas custodire facit, per quas à Brixia, & à Placentia solita fuerant victualia Mediolanensibus afferri, & si qui mercatum aliquod Mediolanum deferre inveniebantur, dextræ manus amputabantur eis, adeòque detenti sunt Mediolanenses, & Brixienses, ac Placentini, tum quia stratæ, per quas ire consueverant, à Papiensibus, & ab his, qui morabantur apud Mombrionem, ac à Laudensibus, & equitibus Im-

EX EDITO AB OSIO.

licentiam domum redeundi concesserat. Conradum verò Palatinum Comitem de Rheno fratrem suum, & Guilermum de Monteferrato, atque Guidonem Comitem de Blandrate castrum de Mombrione munire, ipsumque custodire cum ipsorum militibus præcepit. Circa Ecclesiam de Ripalta magna propugnacula fossatorum, aliarumque machinarum ad defensionem utilium fecit fieri; relictis ibi quibusdam suis militibus, qui ea die, noctuque custodirent. Comitem verò Marcoaldum de Gambarana posuit cum aliquibus militibus in castro de Sancto Gervasio, quod est propè Tricium; ut sic undique viis quasi occlusis non auderent Mediolanenses mercatum ducere à Brixia, vel à Placentia; nec Brixienses, vel Placentini amicissimi Mediolanensium, & hostes Imperii quicquam victualium auderent ipsis Mediolanensibus deferre.

Proximo verò mensis Decembris, dum Imperator esset Cremonæ, venit Imperatrix à Papia Laudam; & infrà proximos tres dies venerunt ultra quingenti milites Mediolani, ut Laudenses invaderent. Quorum parte plurima latitante in nemore, quod dicitur Sancti Joannis, quasi centum de ipsis usque ad Lavanderium de Pulegnano, quod est multum longè à civitate Laudæ currentes, magnam prædam levaverunt. Laudenses autem, & Dux de Rotemburgo cum militibus suis, & cum militibus, qui cum felicissima Augusta venerant, aliique milites Theutonici, qui tunc erant Laudæ, velociter egredientes, eos ita persecuti sunt, quod ferè totam prædam recuperaverunt; aliquibus de Mediolanensibus captis; & eos fugaverunt usque dum viderunt Mediolanenses, qui latitaverant, in auxilium suorum currere. Deinde Mediolanenses, fugientibus Theutonicis, atque Laudensibus ferè totam prædam recuperaverunt, pluresque de Theutonicis ac Laudensibus capientes, unum bellicosissimum militem Imperatoris occiderunt; propè verò Ecclesiam Sancti Martini de Cassatis utraque acies inter se diu dimicavit; sed neutra parte super alteram plenariè currere audente, utpotè se invicem timentibus, prælium tandem diremptum est.

Imperator verò Laudæ hyemans nocte dieque, tam Laudenses, quam Theutonicos strata custodire fecit; per quæ à Brixia, & Placentia consueverant victualia Mediolanensibus afferri. Et si qui mercatum aliquod Mediolanum deferre inveniebantur, dexteram manum amputabant eis; sicque protriti, & perterriti sunt Mediolanenses, Brixienses, & Placentini; tum quia strata, per quæ ire assueverant, à Papiensibus, & ab his, qui morabantur apud Munbrionem, & à Laudensibus, & equitibus Im-

---

(75) Recensentur inter hæc carmina à Gotfrido Viterbiensi *Chronic. part.* 17. *col.* 515. edit. Ff. 1584. sic ludente.

Urbs Melana potens, meritis dicenda leæna:
Viribus eximia, populis, & milite plena.
Sæva, superba, fera, tota rebellis erat.
Urbibus annexa fuit, hæc, quibus omnia vexat.
Quæ fuerint urbes exponere nomina restat
Brixia, Terdona, Crema, Placentia bona
. . . .
Signa sui Regis spernit Melana mereri,
Sed propria virtute sua vult rura tueri,
Nescia, quòd sibi mors Rex Fridericus erit.

Etiam Manuel, sive Emmanuel I. Comneni f. auxilia Mediolanensibus amicis præstare non sinebat, ut prodit Nicetas Choniates *Annal. lib.* 7. post initium. De aliis amicis urbibus, quæ Mediolanum instaurare curarunt, intra.

EX CODICE AMBROSIANO.

Imperatoris Laudæ habitantibus, & à Marchorado assiduè custodiebantur, tum etiam quia manus amputabantur his, qui mercatum inveniebantur Mediolanensibus afferre, quòd se invicem proficisci minimè audebant, & ad tantam inopiam devenerunt Mediolanenses victualium, quòd in stario salis dabant solidos duodecim denariorum (76) Mediolanensium novorum, in stario verò frumenti duos soldos ad starium Mediolanensem, quocirca Mediolanenses considerantes se minimè tot habere victualia quòd usque ad novas segetes vitam possent perducere, scientes etiam Imperatorem adeò fore constantis animi, quòd usque ad longæva tempora non cessaret & ipsos opprimere, donec Mediolanum haberet in sua potestate, consilium habuerunt inter se utilius fore cum Imperatore ad ipsius placitum pacem componere, sibique de offensis satisfacere, ac ab eo misericordiam implorare, quàm ulteriùs in tantis angustiis & necessitatibus consistere.

Legatos itaque Laudæ ad Imperatorem mittunt, quibus denuntiant ei se velle pro honore ipsius murum civitatis & foxatum à sex partibus demoliri, & Potestatem recipere per eum. Imperator autem habito consilio suorum Principum, & Cremonensium, ac Papiensium, Novariensium quoque, & Cumensium, atque Laudensium, & aliarum civitatum, ac Principum Longobardiæ, Legatis respondit se minimè recipere Mediolanenses, nisi sub eo se ponerent omnifariam finè aliquo tenore, & absque ulla conditione facturi quicquid eis præciperet. Legati verò Mediolanum reversi, quæ ab Imperatore audierant sapientibus Mediolani aperiunt, qui diu inter se hoc revolventes, & dentium stridore frementes, quid eis faciendum sit, titubabant, subversionem civitatis metuentes, si sic penitus Imperatoris jugo se submiserint, paventes quoque se taliter Imperatori submittere, denegaverunt, ne post magna detrimenta iterum velint nolint se ipsi supponere cogantur, & dum eorum animi sic invicem luctarent, postremò quasi omnes in eam declinant sententiam se velle potiùs voluntati parêre Imperatoris, & clementiæ ipsius expectare fortunam, quàm ulteriùs in guerra permanere; Remittuntur igitur ad Imperatorem Legati, qui Mediolanensium voluntatem sibi aperiunt.

Interea die Mercurii, quæ fuit pridie Calendas (77) Martii anno Dominicæ Incarnationis MCLXII. Indictione decima in prima hora noctis, aura plurimùm ventilante, ortus est ignis Laudæ in Vallexella, qui combussit quasi medietatem de Vallexella, & Ecclesiam Sanctæ Mariæ Magdalenæ, & Ecclesiam Monasterii Sancti Johannis cum aliquibus domibus ibi vicinis.

Sequenti verò die Jovis, in Calendis videlicet suprascripti Martii, venerunt Consules Me-

EX EDITO AB OSIO.

Imperatoris Laudæ habitantibus, & à Mercoaldo assiduè custodiebantur; tum etiam quia manus amputabantur his, qui mercatum inveniebantur deferre; Mediolanumque ad se invicem proficisci non audebant; & ad tantam inopiam victualium devenerunt Mediolanenses, quod in Sextario Salis dabantur duodecim denarii Mediolanenses, in Sextario verò frumenti dabantur duo solidi ad Sextarium Mediolanensem. Quo circà Mediolanenses, considerantes, se non habere tantum, quod usque ad novas segetes vitam perducere possent; scientes etiam, Imperatorem esse tam constantis animi, quod usque ad longa tempora non cessaret ipsos opprimere, donec Mediolanum haberet in sua potestate; Consilium inter se habuerunt, utilius esse, cum Imperatore ad ipsius placitum pacem componere, sibique de offensis satisfacere, & ab eo misericordiam implorare; quam ulterius in tantis angustiis, & necessitatibus consistere. Itaque ad Imperatorem incitant, per quos denuntiant, se pro honore ipsius velle murum civitatis, & fossatum à sex partibus destruere, & per eum potestatem recipere. Imperator autem habito consilio suorum Principum, & Cremonensium, Papiensium, Novariensium, Comensium, Laudensium, & aliarum civitatum, & Principum Lombardiæ; legatis respondit, se nolle Mediolanenses aliquatenus recipere, nisi sub eo se ponerent omnifariam sine aliquo tenore, & absque ulla conditione futuri, quicquid eis præciperet. Legati verò Mediolanum reversi, quæ ab Imperatore audierunt, sapientibus Mediolani aperiunt. Qui diu inter se revolventes, & dentium stridore frementes, quid faciendum sit, titubabant; subversionem civitatis metuentes, si sic Imperatoris jugo penitus se submittant; paventes etiam, si se taliter Imperatori submittere denegaverint, ne post magna detrimenta iterum velint, nolint se ipsi supponi cogantur; & dum eorum animi sic ab invicem luctantur, postremò quasi omnes in hanc declinant sententiam, se velle potius voluntati Imperatoris parere, & clementiæ ipsius expectare fortunam, quam ulterius in guerra permanere. Remittunt igitur ad Imperatorem Legatos, qui Mediolanensium voluntatem sibi aperiant.

Interea die Mercurii, quæ fuit primo die Kalendas Martii anno Dominicæ Incarnationis MCLXII. Indictione decima hora noctis vento plurimum ventilante, ortus est ignis Laudæ in Valle Sella, qui combussit quasi medietatem Valle Sellæ, & Ecclesiam Sanctæ Mariæ Magdalenæ, & Ecclesiam Monialium Sancti Joannis cum aliquibus domibus.

Sequenti verò die Jovis in Calendis Martii venerunt Consules Mediolani scilicet Otho Vice-

(76) Declarat hunc locum, & denarii valorem Galvaneus Flamma de hoc tempore loquens *in Chronic. major. c. 863.* his verbis: *vendebatur Mediolani unus sextarius bladi duobus solidis novæ monetæ, quæ erat ex argento purissimo, & valebat viginti solidi unum florenum auri.* Cùm porrò constet, denarium fuisse partem duodecimam solidi argentei, ex eodem Flamma supra c. 226. explicante monetas, quas Archiepiscopi nostri ex concessione Imperiali cudebant (excepto tamen solido dicto *Tertiolo* à tertia parte argenti, quam solùm continebat, & vix valoris denariorum 6. Imperialium) apparet, denarios 12. hoc loco fuisse solidum unum. Corius tamen sub fine A: 1161. p. m. 50. scribit solidos 29. puri argenti æquasse florenum aureum.

(77) Bene habetur in nostro MS. *Pridie Calendas*, cùm in Osiano textu malè legatur, *primo die Calendas &c.*

EX CODICE AMBROSIANO.

Mediolani, scilicet Otto Vicecomes, Amizo de Porta Romana, Anselmus de Mandello, Gottifredus Gattonus, Ardericus Cassina, Anselmus de Orto, Aliprandus Judex, Ardericus de Bonate, & octo alii milites Mediolani ante Dominum, & Serenissimum Imperatorem Federicum in palatio ipsius, quod est Laudæ cum spatis nudis (78) in manibus, reddentes se Imperatori invicem totius eorum, & juraverunt omnes, prout Imperatori placuit, quòd parêrent omnibus præceptis Imperatoris, & quòd facerent similiter jurare omnes cives Mediolani, proxima verò die Dominica venerunt trecenti milites Mediolani ad ipsum Imperatorem in præfato palatio, inter quos fuere triginta & sex vexilliferi, qui vexilla in manibus Imperatoris tradiderunt, osculantes ipsi pedem, ibique fuit Guintellinus Magister Mediolanensium ingeniosissimus, & in quo maximam spem habuerant Mediolanenses, & claves civitatis Imperatori tradidit, in signum totius civitatis, omnesque tam vexilliferi, quàm alii putaverunt quòd ulteriùs bona fide, & sinè fraude observabunt omnia mandata quæ fecerit eis Dominus Imperator, vel ejus certus missus tam de personis suis, quàm de civitate, ibique præcepit Imperator Consulibus Mediolani, quòd ipsi adhuc facerent venire omnes illos, qui fuerunt Consules Mediolani à tribus annis retro, & etiam partem peditum Mediolanensium.

Igitur in proximo die Martis venerunt quasi mille pedites Mediolani cum Carocio suo & vexillo maximo supra Carocium, atque cum nonaginta quatuor aliis vexillis, quæ omnia Imperatori tradiderunt, ac duas tubas, quas habebant in signum totius reipublicæ Mediolani, omnesque præfato modo juraverunt; Proxima verò die Mercurii abstraxit benignus Imperator Mediolanenses de banno, & præcepit Consulibus, quòd adhuc facerent ad eum venire centum quatuordecim milites, ut ipse haberet ex eis quadringentos obsides inter illos centum quatuordecim, & alios quos elegerat de his, qui jam venerant in die Dominica, & qui erant ducenti octuaginta & sex, & omnibus peditibus domum remeandi licentiam tribuit, præcepitque eis, ut tam de fossato ac muro Mediolani demoliantur per unamquamque portam Mediolani, quòd ipse cum exercitu suo civitatem possit largiter introire, elegitque ibi Imperator sex Longobardos, & sex Teutonicos, qui Mediolanum irent, universosque Mediolanenses præfato modo jurare facerent (79), & ego Acerbus Morena filius Ottonis Morenæ, qui hanc historiam deinceps dictavi, qui tunc eram Potestas Laudæ fuimus

EX EDITO AB OSIO.

cecomes, Amizo de Porta Romana, Anselmus de Mandello, Gutifredus Maynerius, Ardericus Cassimassa, Anselmus Orto, Aliprandus Judex, Ardericus de Bonate, & octo alii milites Mediolani ante Dominum, & Serenissimum Imperatorem in Palatio ipsius, quod est Laudæ, cum spathis nudis in manibus; reddentes se Imperatori nomine, & vice totius civitatis eorum; & juraverunt omnes, prout placuit Imperatori, quod parerent omnibus præceptis ejus, quod facerent similiter jurare omnes Cives Mediolani. Dominica verò proxima sequenti venerunt trecenti milites Mediolani ad ipsum Imperatorem in præfato Palatio; inter quos fuerunt triginta sex Vexilliferi, qui Vexilla in manibus Imperatoris tradiderunt, osculantes illi pedem; ibique fuit Quintelinus Magister Mediolanensis ingeniosissimus; & in quo maximam spem habuerant Mediolanenses; & Claves Mediolani Imperatori tradidit in signum totius civitatis. Omnes verò tam Vexilliferi, quam alii juraverunt, quod ulterius bona fide sine fraude observabunt omnia mandata, quæ fecerit eis Dominus Imperator, vel ejus certus missus, tam de personis suis, quam de civitate. Itaque præcepit Imperator Consulibus Mediolani, quod ipsi adhuc facerent venire omnes illos, qui fuerant Consules Mediolani à tribus annis retrò, & etiam partem peditum Mediolanensium. Igitur in proximo die Martis venerunt quasi mille pedites cum Carozolo suo, & Vexillo maximo super Carozolum, & cum nonagintaquatuor aliis Vexillis, quæ omnia in duas Tubas, quas habebant, Imperatori tradiderunt, in signum totius Reipublicæ Mediolani. Omnesque suprascripto modo juraverunt: Prima verò die Mercurii abstraxit benignus Imperator Mediolanenses de banno; & præcepit Mediolani militibus, quod adhuc facerent centum quatuordecim milites, ut haberet ex eis quadringentos obsides, inter hos centum quatuordecim, & alios, qui venerant jam in die Dominica, & qui erant ducentum octoginta sex. Omnibus autem peditibus tribuit licentiam redeundi domum; præcepitque eis ut tantum de fossato, & muro Mediolani demolirentur per unamquamque portam Mediolani, quod cum Exercitu suo possit largiter civitatem introire. Elegit quoque Imperator sex Lombardos, & sex Theutonicos, qui Mediolanum irent, & universos Mediolanenses præfato modo jurare facerent. Et ego Acerbus Morena filius Othonis Morenæ, qui deinceps hanc historiam dictavi, qui tunc eram Potestas Laudæ, fui unus de prædictis duodecim; & usque ad Sabbatum proximum fecimus jurare quasi omnes Mediolanenses, quos invenimus. Ego

---

(78) Spatha vox notissima & Græcis Σπαθα, τὸ ξίφος *in Gloss. Gr. Lat.* & Romanis posterioris ævi ap. Vegetium 2. 15. describentem *gladios majores, quos Spathas vocant, & alios minores, quos Semispathas nominant*: item 3. 14. Actio hic notata, ut forma se dedendi victori, & sacramentum dicendi, usitatissima in Germania, & Francia præsertim. Quod, nunc Moravi, a Juliano devicti A. 358. teste Ammiano 17. 13. p. 179. Valesii, *adepti veniam, jussa fecerunt: sobolemque suam obsidatus pignore, ut obsequuturi conditionibus impositis, tradiderunt: eductisque mucronibus, quos pro numinibus colunt, juravere se permansuros in fide*. De Francis Venantius Fortunatus *l. 6. Poem. 7.*

Utque fidelis ei sit gens armata per arma
Jurat, jure suo se quoque jure ligat.

Porrò cùm ritum hunc jurandi armata manu adhuc Langobardi observaverint, ut ex ipsorum pluribus legibus, præsertim *lib. 2. tit.* 55. §. 5. ubi decernitur *quòd si minor fuerit de 20. solidis usque ad 12.* sibi sextus juret ad arma sacrata . . . . *sibi tertius juret ad arma sacrata* &c. certissimè & nostrates à Langobardis formam hanc perceperunt.

(79) Fortè sub eadem juramenti formula, quam prodit Radevicus *l. 1. c. 19.*, qua formula jurarunt Mediolanenses ab obsidione soluti A. 1158. Extat etiam inter *Statuta, & Rescripta Impp.* apud Goldastum *p. 64.* formula sacramenti fidelium Imperii sub Friderico I. Imp. Aug.

EX CODICE AMBROSIANO.

mus de prædictis duodecim, & usque ad Sabbatum proximum fecimus jurare quasi universos Mediolanenses quos invenimus, ego quidem & Federicus de Asia Camerarius Imperatricis fecimus jurare habitantes in porta Nova (80), Comes verò Conradus de Ballanuce, ac Girardus de Cornazano fecerunt fieri sacramentum per portam Romanam, Guido de Sancto Nazario Papiensis, & Ugo Teutonicus de .. per portam Cumacinam, Monachus verò Otheria de Cremona & ... per portam .... Rodulfus verò Judex de Mantua, & quidam Teutonicus, nomine Tetricus per portam Arienzam, Oldricus de Novaria, & .... per portam ...... In proximo autem die Dominico venerunt centum quatuordecim milites Mediolani ad inchinationem, & Inclytum Imperatorem, sicut ipse præceperat, & etiam viginti sex plus, præfatoque modo coram eo juraverunt.

Sequenti autem die Martis recessit Clementissimus Imperator Federicus de Laude Papiam, unà cum benigna conjuge sua Beatrice, & cum omni quasi suppellectilia sua, & cum Duce Boëmiæ, & Federico Duce de Rotemburgo, qui fuit filius Regis Conradi patrui Imperatoris, & cum Marchione Federico de Saxonia, & ipsius Marchionis duobus fratribus, & cum Comite Olrico de Lanzburg, & cum Comite Redulfo de Lundo, atque cum Raynaldo Cancellario, qui electus erat Arciepiscopus Coloniæ, ac etiam cum aliis multis tam Episcopis, quàm Marchionibus, & Comitibus Teutonicis, qui omnes erant Laudæ cum Imperatore, & cum omnibus ferè militibus, quos Laudæ habebant, duxitque secum omnes prædictos Mediolanenses, quos pro obsidibus retinuerat.

Sequenti die Lunæ postea præcepit Imperator Consulibus Mediolani, ut usque ad octo dies facerent omnes personas tam masculos, quàm fœminas exire civitatem Mediolani, quod equidem, licèt luctuosè, plenariè adimplevere. Mediolanenses euntes Papiam, & Laudæ, Pergamum quoque, atque Cumas, & per alias civitates, ac loca Longobardiæ; maxima tamen ipsorum pars stetit circa civitatem extra fossatum Imperatoris, misericordiam expectantes, atque putantes, quòd Imperator civitatem intrare subitò eis concederet, & in ipsa solito more habitare; unde ipse Imperator die Lunæ, qui fuit sextus dies ante Calendas Aprilis Mediolanum venit cum Principibus suis, & Cremonensibus, Papiensibus quoque, & Novariensibus, atque Cumensibus & Laudensibus, & cum illis de Sepro, & de Martesana, præcepitque Laudensibus, ut portam Orientalem, quæ vulgò Arienza dicitur, totam destruerent, Cremonensibus verò portam Romanam demoliendam cõmisit, Papiensibus portam Ticinensem, Novariensibus

(80) Quamquam fabulosum sit Mediolanum quandoque Albam fuisse appellatum, ut affirmavit etiam Ughellus *tom. 2. col. 250. edit. 2.* deceptus à Sozomeno *H. l. 4. c. 8.* neutro distinguente Albanensem Episcopum à Mediolanensi: nihilominus Albæ longæ Latii, & Mediolani par exitus; quoniam ut inquit Livius *l. 1. c. 12. egressis urbem Albanis Romanus passim publica, privataque tecta adæquat solo, unaque hora quadrigentorum opus annorum* (in re nostra AA. 1750.) *quibus Alba steterat, excidio, ac ruinis dedit, Templis tantùm Deum (ita enim edictum ab Rege fuerat) temperatum est.* Verùm quia fabulosum non est, Mediolanum fuisse dictum novas Athenas, ut ex lapide Gruteriano, annuentibus Cluverio, Salmasio, & Cellario, in quodam opere meo propugnavi contra Meursium, & Tillemontium, his novis Athenis contigit idem, quod Atticis, sicut scribit Justinus *l. 5. c. 1. n. 5. quo facto omnia Græciæ Regna velut ad extinguendum commune incendium concurrunt, tantum odii Athenienses immoderati Imperii crudelitate contraxerant.*

EX EDITO AB OSIO.

Ego quidem, & Fridericus de Asia Camerarius Imperatoris fecimus jurare habitantes in Porta Nova; Comes Conradus de Balamite, & Girardus Carnazano fecerunt fieri Sacramenta per Portam Romanam; Guido de Sancto Nazario Papiensis, & Ugo Theutonicus per Portam Cumanam; Monachus Otteriti de Cremona, & quidam Theutonicus per Portam Ticinensem. In primo autem die Dominico venerunt centum quatuordecim milites de Mediolano ad inclytum Imperatorem sicut ipse præceperat, & etiam viginti sex plures, qui præfato modo juraverunt coram Imperatore. Sequenti autem die Martis recessit Clementissimus Imperator Fridericus de Laude, & ivit Papiam, unà cum benignissima conjuge sua Beatrice, & cum omni quasi suppellectili sua, & cum Duce Bohemiæ, & cum Friderico Duce de Rotemburgo, qui fuit filius Regis Conradi patrui Imperatoris, & cum Marchione Friderico de Saxonia, & cum duobus fratribus ipsius Marchionis, & cum Comite Oldrico de Lanziburgo, & cum Comite Rodulpho de Lando, & cum Raynaldo Cancellario, qui electus erat Archiepiscopus Coloniæ, & etiam cum multis aliis tam Episcopis; quàm Marchionibus, & Comitibus Theutonicis, qui omnes erant Laudæ cum Imperatore, & cum omnibus ferè militibus, quos Laudæ habebat; duxitque secum omnes prædictos Mediolanenses, quos pro obsidibus retinuerat.

Sequenti deinde die Lunæ præcepit Imperator Consulibus Medolani, ut usque ad octo dies facerent omnes personas, tam masculos, quàm fæminas exire Civitatem Mediolani. Quod equidem, licèt luctuosè, plenariè adimpleverunt Mediolanenses, euntes Papiam, Laudam, Bergomum, atque Cumas, & per alias Civitates, & loca Lombardiæ: maxima pars tamen ipsorum stetit circa Civitatem circa fossatum; Imperatoris misericordiam expectantes, atque putantes, quod Imperator Civitatem intrare subitò eis concederet, & in ipsa solito amore habitare. Verùm ipse Imperator die Lunæ, quæ fuit sexta die ante Calendas Aprilis, Mediolanum venit cum Principibus suis, & cum Cremonensibus, Papiensibus, Novariensibus, Comensibus, & Laudensibus, & cum illis de Seprio, & Martesana. Qui illuc cum pervenisset, præcepit Laudensibus, ut Portam Orientalem, quæ vulgò Rentia dicitur, totam destruerent; Cremonensibus verò Portam Romanam demoliendam commisit, Papiensibus Portam Ticinensem, Novariensibus Portam Vercellinam, Cu-

EX CODICE AMBROSIANO.

bus portam Vercellinam, Cumensibus portam Cumacinam, illis verò de Sepro ac de Martesana portam Novam, qui omnes in tantùm ad destructionem conati sunt, quòd usque ad proximam diem Dominicam Olivarum tot de mœnibus civitatis consternavere, quòd ab initio à nemine credebatur in duobus mensibus posse dissipari, &, ut verè opinor, quinquagesima pars Mediolani non remansit ad destruendum. Remansit tamen ferè totus murus civitatem circundans, qui adeò bonus, & de magnis lapidibus confectus fuerat, (81) & quasi centum turribus decoratus, quòd, ut extimo, nunquam tam bonus fuit visus in Italia, præter fortè Romanum, neque deinceps videbitur; remansit quoque Campanile Ecclesiæ majoris miræ pulschritudinis, maximæque altitudinis, & admirandæ latitudinis, quale nunquam fuisse dicitur in Italia. Deinde post paucos dies Imperator deponere fecit, quod super majorem Ecclesiam ruens magnam ipsius Ecclesiæ partem dissipavit, Laudenses namque præteritorum & innumerabilium dolorum memores, quos à Mediolanensibus olim sustinuerant, non solùm portam Orientalem sibi commissam ad destruendum plenariè demoliti sunt, verùm etiam de porta Romana magnam partem prosternunt, (82) & ipso die Dominico Olivarum reversus est Imperator Papiam, & quisque, qui cum Imperatore Mediolani fuerat, domum reversus est.

Proximo verò die Paschæ fuerunt Papiæ ferè omnes Longobardiæ Potestates, & quamplures Episcopi, & Marchiones, & Comites, aliique multi Nobiles Italiæ, fuitque Imperator ea die incoronatus (83) Papiæ ad Missam in

EX EDITO AB OSIO.

Cumanis Portam Cumanam, illis verò de Seprio, & Martesana Portam Novam. Qui omnes ad destructionem sic conati sunt, quod usque ad proximam diem Olivarum tantum de muro Civitatis consternaverunt, quod ab initio à nemine credebatur in duobus posse mensibus dissipari. Et verè; ut opinio est, quinquagesima pars Mediolani non remansit destruenda; remansit tamen totus murus Civitatem circundans. Qui adeò bonis, & magnis lapidibus confectus fuerat, & quasi centum turribus decoratus; quod, ut existimo, nunquam tam bonus fuit visus in Italia, nec deinceps videbitur, præter fortem murum Romanum. Remansit etiam campanile majoris Ecclesiæ miræ pulchritudinis, & magnæ latitudinis, atque mirandæ altitudinis, quale nunquam dicitur fuisse in Italia; quod post paucos dies Imperator in terra deponi fecit, quod tunc super majorem Ecclesiam ruens magnam ipsius Ecclesiæ partem dissipavit. Laudenses autem præteritorum, & innumerabilium dolorum memores, quos à Mediolanensibus olim sustinuerant; non solum Portam Orientalem eis commissam ad destruendum plenariè demoliti sunt, verum etiam de Porta Romana magnam partem ad terram prostraverunt. Ipso die Dominico olivarum reversus est Imperator Papiam, & quicumque cum Imperatore Mediolani fuerat, domum reversus est.

Proximo die verò Paschæ fuerunt Papiæ ferè omnes Lombardiæ Potestates, & quamplures Episcopi, & Marchiones, & Comites, aliique multi nobiles Italiæ; fuitque ea die Imperator incoronatus Papiæ ad Missam in Ecclesia ma-

---

(81) Auctore ne Diocletiano, à quo teste Aur. Victore *de Cæsarib. in Diocletiano*, ,, mirum in ,, modum novis adhuc, cultisque mœnibus Romana culmina, & cæteræ urbes ornatæ, ,, maximè Carthago, ,, *Mediolanum*, Nicomedia?

(82) Non tot buccinatores Trojanæ halosis, & ruinæ, quot Mediolanensis. Nullus enim Historicus synchronus, vel posterior rerum Langobardicarum hujus XII. sæculi Scriptor hanc obliviscitur. Perditor ipse noster urbis deditionem decantat in epistola sua, Dacherii *tom. 5. Spicilegii* inserta, quam licèt Comiti Svessionensi datam, encyclicam putat tamen Pagius hoc A. 1162. n. 26. utpote relatam in Chronico Reicherspergensi, paucis immutatis, & Eberhardo Satzburgensi Episcopo inscriptam. Cæterùm & Pagius, & ante ipsum Puricellus noster *Basilic. Ambr. n.* 441. pluribus laudatis, criticè expendunt, quæ fuerit molium, & ædificiorum eversio. Ingens quidem, sed fama crevit eundo ad aures posteriorum Scriptorum M. Chronici Belgici, & Auctarii Affligemensis, cum quibus ambo sentiunt, annuendo (quod non placet, nec est verum) scilicet, ut etiam repetit Albericus trium fontium ad d. A. 1162. quòd Imperator ,, jussit suos civitatem ingredi: muros, turres, alta, & superba fastigia, & ædificia destrui. *Tribus tamen pepercit Ecclesiis* ,, *S. Mariæ, S. Mauritii, & S. Ambrosii*, cum ,, officinis Clericorum, Officialibus, ipsorum ,, domibus, & indemnitate rerum concessa, ,, ærarium publicum sibi reservat. ,, Falsa, inquam, exceptio, cùm & hodie plures Basilicæ, ut S. Laurentii, SS. Nazarii, & Celsi, S. Protasii ad Monachos, aliæque Ænobarbo antiquiores, superstites aspiciantur. Rectè ideo Mariani Scoti continuator Dodechinus coævus ad hunc A. testatur, quòd quidem ,, populus expulsus, murus in ,, circuitu dejectus, ædes, *exceptis Sanctorum* ,, *Templis*, solo tenus destructæ: ,, Quod idem scripsit in hoc verax Galv. Flamma apud Puricellum *l. l.* Mendax è contra, ac contumeliosus in Imperatorem æquè, ac in nos vulgavit H. Meibomius Jun. in Vita VVitichindi *Rer. Germanic. t. 1. p. 625.* quòd urbs hæc *propter rebellionem perjura, tyrannidem, aliaque scelera à Germanici sanguinis Imperatore solo æquata, aratrisque in agri speciem proscissa, non frugis, sed ad ludibrium salis semen accepit.* Attamen adeò memorabilis fuit, & erit urbis hujus eversio, ut voluerit Fridericus in quodam suo diplomate . . . . *destructionis* nostræ: hanc sibi gloriosam decernere Epocham: *A. Dominicæ Incarnationis* 1162. *Indict. X. A. Regni X.* (Imperii 8. abest). *Datum apud Taurinum, post destructionem Mediolani XV. Kal. Septemb.* Ita penès Fran. Diago *Hist. de los Condes de Barcelona*.

(83) Verè ne coronatus solemniter, ut Rex Langobardorum: an tantùm ad pompam cum corona in capite, ut de more? Verè coronatum post excidium putarunt Calchus l. 10. p. 215. & Corius p. 52. Præcedentem veram coronationem Papiensem uterque ignoravit. Hinc vel etiam errat Morena æquè nescius, ac illi, vel tantùm innuere vult, Imperatorem astitisse cum corona in capite, non obstantibus, quæ subdit, *quod Imperator ipse annis retrò minimè fecerat*: cùm hæcverba significare adhuc possint, Imperatorem ab A. 1159. quo noviter Mediolanenses ab eo defecerant, coronatum incessisse non ampliùs. Septies coronatum apud varios eum legimus, sed ambiguè Ratisponæ, & falsò Mediolani ab Uberto. Hinc reapse vix quinquies. I. *Aquisgrani* ab Arnoldo Coloniensi Archiepiscopo, ut in Sede Regni Francorum A. 1152. ex Frisingensi 2. 3. & Gunthero *Ligur. 1. à v.* 435. II. eodem anno *Ratisponæ*, teste eodem 2. 6. & hic fortè cum corona in capite tantùm processit: etenim cur verè coronatus dici debeat, scriptores non produnt. Si tamen fuit vera

EX CODICE AMBROSIANO.

in Ecclesia majori, unà cum Sereniſſima Augusta cum magnis solemnitatibus, maximaque lætitia, quod ipſe Imperator à tribus annis retro minimè fecerat; propoſuerat enim, quòd nunquam coronam ſumeret in capite, donec Mediolanum ſuperaſſet; poſt Miſſam verò fecit Imperator dulciſſimus invitare ad prandium ſuum omnes Italiæ Epiſcopos, Marchiones, Comites, & civitatum Conſules, qui ibi aderant, inter quos ego Acerbus (84) filius prædicti Ottonis, qui hunc librum compoſui, qui tunc eram Poteſtas Laudæ, comeditque Imperator, & Imperatrix cum coronis in capite, & cum quibuſdam Epiſcopis, qui erant in menſa ſua à dextris, & à ſiniſtris, cum infulis, aliiſque ornamentis Epiſcopalibus, & fuit ipſum convivium in Curia Epiſcopi, ubi Papienſes concionem faciunt, fuitque ibi maxima lætitia, maximumque gaudium propter fortunam, quam Deus Imperatori proximè donaverat.

In proxima verò die Martis, fuit jurata obſeſſio Placentiæ coram Imperatore in Broilo Sancti Salvatoris de Papia ab Epiſcopis & Marchionibus, atque Comitibus, & Proceribus Longobardiæ aliquibus, & à Poteſtatibus Cremonæ, ac Novariæ, Cumarum quoque, ac Vercellarum, & Pergami, & Ego juravi pro civitate Laudenſi.

Brixienſes deinde non modicè Imperatoris iram metuentes, in die Dominica, quæ fuit tunc quintadecima dies poſt Paſcha, miſerunt Conſules ſuos, & pleroſque alios milites Brixiæ ad Imperatorem, qui ſe Imperatori reddide-

EX EDITO AB OSIO.

majori, unà cum Sereniſſima Auguſta cum magnis ſolemnitatibus, maximaque lætitia, quod Imperator ipſe annis retrò minimè fecerat. Propoſuerat enim, quod ipſe nunquam Coronam ſumeret in capite, donec Mediolanum ſuperaſſet. Poſt miſſam verò Imperator dulciſſimus fecit invitare ad prandium ſuum omnes Italiæ Epiſcopos, Marchiones, Comites, & civitatum Conſules, qui ibi aderant; inter quos fui ego Acerbus Morena filius prædicti Othonis, qui hunc librum compoſui, qui tunc eram Poteſtas Laudæ. Comederuntque Imperator, & Imperatrix cum Coronis in capite cum quibuſdam Epiſcopis, qui erant in menſa ſua à dextris, & à ſiniſtris cum mitris in Capite, & aliis ornamentis Epiſcopalibus; & fuit ipſum convivium in Curia Epiſcopi Papienſis, ubi Papienſes faciunt concionem; fuit autem ibi maxima lætitia, maximumque gaudium propter fortunam, quam Deus nuper donarat Imperatori.

Sequenti proxima die Martis fuit jurata obſeſſio Placentiæ coram Imperatore in brolio Sancti Salvatoris de Papia ab Epiſcopis, & Marchionibus, atque Comitibus, & proceribus Lombardiæ aliquibus, & à Poteſtatibus Cremonæ, Novariæ, Cumarum, Vercellarum, & Pergami, & ego juravi pro civitate Laudenſi. Quo audito Brixienſes, iram Imperatoris timentes quamplurimum, die Dominico poſt octavam Paſchæ miſerunt Conſules ſuos, & plures alios milites Brixiæ ad Imperatorem; qui ſe Imperatori addiderunt ipſa die, vice totius civitatis cum nudis ſpathis in manibus ſuis. Im-

---

vera coronatio, conjici poteſt, hanc factam, quia, cùm Henricus Auſtriacus Marchio Bavariam tunc occuparet, & hanc repeteret Henricus Leo, Imperator ut huic Bavariam faciliùs redderet, poteſtatem in Bavariam, ac dominium ſibi (ſumpta corona Ratiſponæ tunc Ducatus Norici Metropolis) vindicare voluerit. Rem in ambiguo relinquimus. III. *Mediolani* ne? Affirmat Sigonius ſub A. 1154. ex Mediolanenſibus annalibus. Et qui? Galvanei Flammæ, & Chronicon inſcriptum *Flos florum* apud Puricellum *Baſil. Ambroſ. n.* 410. Miramur, Sigonium, & Puricellum, quibus aliàs ſatis notæ illorum Chronicorum fabulæ, huic confictæ coronationi adhæſiſſe. Expendere poterant, quòd jam hoſtem Mediolanenſium tunc Imperator apertè ſe declaraverat, fatente Flamma, quòd Imperator *Civitatem intrare non potuit*. Porrò coronationis mendacio, pejus mendacium affingit pro cauſa, cùm ſubdit: *Ubertus de Pirovano dominandi ambitione ſuccenſus cogitavit privatim cum Imperatore tractare, quomodo poſſet dominium Comitum Engleriæ de Civitate Mediolani extirpare*. En fabulas Angleriæ Comitum ex *Chronico* Danielis putidiſſimo. Satis ubi adeò eruditè, & abundè locutus eſt Cl. Saxius *in Apologia SS. Gerv. & Prot.* fuſiùsque *in Append.* Falſum itaque prorſus eſt, quòd *extra Civitatem in Eccleſia S. Ambroſii fuit Imperator per Ubertum de Pirovano coronatus per manus Comitis Galvanei*, de Angleria certè. NB. Imperatorem coronat Comes, quem Archiepiſcopus extirpare intendebat: Pergamus. IV. *Papiæ*. Quia Morenæ, & Baronius Papiæ coronationem peractam A. 1155. prætererierunt. Calchus verò, & Corius anachroniſmo laborant: en teſtes coævi. Friſingenſis 2. 20. ſupra. Obiit Friſingenſis, ut ſentiunt VV. eruditi, A. 1159. ut ſcribere non potuerit acta A. 1162. Item Gunther. *Ligur. l.* 3. *v.* 225. ita canit

Comiter exceptum Sancti Michaelis ad ædem,
Qua veterum fulgent antiqua Palatia Regum
Producunt, nitidumque caput gemmante corona
Cingitur, & ſceptro decoratur dextera ſacro.

V. *Romæ* eodem anno, ut communiter omnes, cum eodem Friſingenſi 2. 22. VI. *Modoetiæ* A. 1158. circiter, quæ item pleriſque ignota, ſed & hanc innuit idem Friſingenſis 2. 44. his verbis: *Fridericus . . . . . à Mediolano* (cui pacem tunc dederat) *caſtra movens; Modoetiam, ſedem Regni Italici, coronatur: quam jamdudum à Mediolanenſibus ſubactam, ac ferè deſtructam, priſtinæ libertati reddidit: ſedemque propriis expenſis magnificè reparari præcepit*. Item Radevicus c. 43. Sed cur etiam ibi ſi jam Papiæ in Regem Longobardorum fuerat coronatus? Quia, ut ex laudatis, Modoetia quoque ſedes Regum interdum, ut Theodorici, & Theodelindæ, apud Paulum D. 4. 22. Addi poteſt, voluiſſe Fridericum more Prædeceſſorum cingi corona ferrea (ſacra, & ſancta, ſicut ſceptrum juxta Guntherum) quam Papiæ non ſumpſerat. VII. tandem, ne deficiamus in numero, *Arelate* A. 1178. ut ex binis documentis legitimis oſtendit Pagius h. A. n. 5. Cùm igitur nulla neceſſitas iterandæ coronationis Papiæ A. 1162. Morenam tantùm de uſu coronæ locutum reor.

(84) Oſius addit *Morena*. Per hæc verba audita ſolùm, non lecta, deceptus eſt Morigius *Nobil. Mediol. l.* 3. *c.* 6. referens, quòd ex Gente ſua *Azzerbus Morigius ſcripſit & ipſe hiſtoriam ſui temporis, vixitque ætate Friderici I. Imperatoris, cujus bella ſumma diligentia exaravit*. Nemo hujus Morigii unquam meminit, nec talis hiſtoria innotuit, ut illum meritò prætermiſerit Phil. Picinellus *in Athenæo Literat. Mediol.* ubi tot alii Literati Morigii recenſentur. Vereor ne adhuc lateat ſcriptum cujuſdam *Aicardi*, qui teſte Corio ſub A. 1176. p. m. 60. ſcribebat patrias res horum temporum, incipiendo à victoria dicti anni Mediolanenſium contra Ænobarbum, his verbis à Corio recitatis: *O rota fortunæ, quæ quondam humiliavit Mediolanenſes, & nunc exaltavit: imò Dominus, qui pauperes fecit Mediolanenſes, & modò ditavit, ſuperbum deponens de ſede!*

EX CODICE AMBROSIANO.

derunt ea die in vice totius civitatis suæ cum spatis nudis in manibus eoque pacto, quòd destruerent omnes turres Brixiæ, & totum murum civitatis, totumque fossatum, & per Imperatorem Potestatem reciperent, quemcumque vellet eis tribuere, & quòd universam pecuniam ei redderent, quam olim receperant à Mediolanensibus, ut Imperatori resisterent, ac insuper libras sex mille olim Mediolanensium veterum, & insuper quòd redderent Imperatori omnes arces, & fortia castra, quæ sunt in Episcopatu Brixiæ, & quòd jurarent omnes Brixienses obedire omnibus præceptis Imperatoris, tam pro faciendo exercitu Romæ vel in Apulia, aut ubicumque præceperit Imperator, quàm etiam pro omnibus aliis rebus.

Interea Placentini postquam hæc acta fore cognoverunt, non leviter terrefacti sunt; tum propter Mediolanenses ac Brixienses, qui substentaculum ipsorum fuerant, & Imperatoris jugo se supposuerant, tum etiam propter præfatam obsessionem, quæ supra eos jurata fuerat, partim quoque quia Cremonenses, & Papienses, atque Laudenses, aliæque Lombardiæ civitates, quæ cum Imperatore fuerant non parvæ, inimicos sibi fore cognoscebant; quocirca, ne per vim ab Imperatore, aliisque Longobardis caperetur civitas eorum trepidantes, exinde qualiter amorem Imperatoris, ejusque gratiam recuperare possent, assiduè temptare non cessaverunt, tandem verò multis ab Imperatore ipsis præbitis induttiis, interventu Domini Conradi fratris Imperatoris, ad quem Placentini declinaverant in quadam die Veneris, quæ fuit undecima (85) dies mensis Madii reddiderunt se Consules Placentiæ cum aliquibus suis militibus Imperatori Clarissimo apud Sanctum Salvatorem, qui est extra civitatem Ticinensem cum spatis evaginatis in manibus, & juraverunt dare Imperatori sex millia marchas argenti, & destruere omnia fossata civitatis suæ, ac muros civiles, & recipere Potestatem, quem Imperator eis donaret (86), atque restituere sibi omnia jura regalia, ac dare ipsi omnia castra Episcopatus Placentiæ, quæ vellet.

Quibus omnibus feliciter actis, dedit Imperator Nobilissimus Brixiensibus, ac etiam Pergamensibus in Potestatem (87) Marcoradum de

EX EDITO AB OSIO.

Imperator verò eos benignè suscepit, sub his pactis, videlicet, quod ipsi destruerent omnes turres Brixiæ, & totum murum civitatis, totumque fossatum; & quod per Imperatorem potestatem reciperent quemcunque vellet eis dare; & quod ei darent totam illam pecuniam, quam olim à Mediolanensibus receperunt, ut Imperatori resisterent, & ultrà hoc sex libras Mediolanensium denariorum veterum; Et insuper quod redderent Imperatori omnes arces, & omnia fortia castra, quæ sunt in Episcopatu Brixiæ; & quod jurent omnes Brixienses obedire omnibus præceptis Imperatoris, tam pro faciendo exercitum Romæ, vel in Apulia, & ubicunque præciperet Imperator, quam etiam pro omnibus aliis rebus.

Interea Placentini, postquam hæc audivere, non leviter terrefacti sunt; tum propter Mediolanenses, & Brixienses, qui ipsorum sustentaculum fuerant, & Imperatoris jugo se supposuerant; tum etiam propter præfatam obsidionem, quæ super eos jurata fuerat; partim quoque quia Cremonenses, & Papienses, atque Laudenses, aliasque Lombardiæ civitates, quæ cum Imperatore erant, inimicos suos esse cognoscebant. Quare ne per fortiam ab Imperatore, aliisque Lombardis caperetur eorum civitas formidantes, exindè qualiter amorem Imperatoris, ejusque gratiam recuperare possent, tentare assiduè non cessabant. Tandem verò ab Imperatore sibi multis datis inditiis, interventu Domini Corradi fratris Imperatoris quadam die Veneris duodecima mensis Maji se reddidere Consules Placentiæ cum aliquibus militibus Imperatori Clarissimo apud Sanctum Salvatorem, qui est extra civitatem Ticinensem, cum spathis evaginatis in manu; & juraverunt dare Imperatori sex millia marchas argenti; & destruere omnia fossata suæ civitatis, & muros Cirules; & recipere potestatem, qualem eis dare vellet Imperator; & refutare sibi omnia jura regalia; & dare sibi omnia castra Episcopatus Placentiæ, quæcunque vellet ipse Dominus Imperator.

Quibus omnibus feliciter actis, dedit Imperator nobilissimus Brixiensibus, & Pergamensibus in potestatem Marcoaltum de Gambara, Me-

(85) Malè Osius legit *duodecima*.

(86) Ita Langobardiæ urbes, sicut *Græciæ civitates* (ut inquit Justinus l. 8. in princ.) *dum imperare singulæ cupiunt, Imperium omnes perdiderunt*. Et revera qualis Græcia Philippi Macedonis ævo, & Thucydidis, talis Langobardia per tria, & ampliùs sæcula post Othonianum, quibus semper Gens contra Gentem.

(87) Dixit Auctor noster sub A. 1159. p. 41. Imperatorem jussisse etiam Mediolanensibus, *quatenus ibi de Civibus Mediolani, sicut in prædictis aliis Civitatibus jam fecerat, suos Potestates crearent*. Revera moderatum, nec grave præceptum. Re infecta, & hac adhuc de causa bellum denuo excitatum. Hoc loco non Cives, sed exteri Potestates, sive Prætores Civitatibus dantur. Primò ergo ab eo instituti, ut paucis refert Calchus noster p. 188. hoc modo: „ Fridericus Longobardis „ Civitatibus novos Magistratus dedit, qui à „ summo rerum imperio *Potestates* vocabantur: „ duratque in hodiernum diem appellatio: & „ ex longo usu ex fœmineo in masculinum „ articulum *Potestas pro Prætore* posita transi- „ vit. Præfuitque diu rebus publicis, & Prin- „ ceps exercitus in bella prodibat, donec in- „ valuere Tyranni, quorum metu à publicis „ negotiis ad jus dicendum relegati Potestates „ fuere. Merula (Georgius) noster, quem sæ- „ pediximus, rationem temporum non tenere, „ cum in aliis, tum in Friderico Ænobarbo „ infans est, credidit post pacem demum Con- „ stantiæ, & non ante eam Potestates Italis „ datos. Ut paucis agam, oppono *duos Mure-* „ *nas nostros*, Patrem, filiumque, quorum uter- „ que eo vocabulo abundans, ante pacem Con- „ stantiæ decessit. „ De institutione Potestatum Radevicus *l. 4. c. 6.* Guntherus *in Ligurin. l. 9. v. 68.*

. . . . stdtuantur in omni
Urbe Magistratus, & civica quæque Potestas.

ex literarum formula prodita à Rollandino *in summa notariæ* p. 131. quibus Consilium, & Commune Bononiæ electionem enunciabat Prætori electo *in Potestatem Rectorem, & Dominum*, innotescit, quòd Kalendis Februarii Magistratum capiebat ad ànnum. Quatuor Judices, duos Milites, duosque Notarios habebat socios. Constitutum ei salarium erat 2000. librarum. Diebus 15. ante d. Kalendas ad Urbem accedebat. Tertia die post literarum

EX CODICE AMBROSIANO.

de Grumbas, Mediolanensibus verò Dominum .... Episcopum de Legio; Placentinis autem ab initio Aginulfum, deinde Arnaldum Barbavairam, Comitem quoque Gavardum proposuit ...... Comitem Conradum de Ballanuce proposuit Ferrariæ, Parmæ Azonem qui dicitur ..... Cumensi Comitatui Magistrum Paganum, & sic in multis aliis civitatibus & castris aliis proposuit Lambertum, Cremonensibus verò, & Papiensibus, atque Laudensibus, & quibusdam aliis civitatibus permisit sub propriis de ipsis civitatibus regi Consulibus. Deinde sequenti mense Julii felicissimus Imperator cum Duce Austriæ (88) avunculo suo, & cum Comite Palatino fratre Imperatoris, & cum numerosa multitudine tam Ducum, quàm Marchionum, & Comitum atque Episcoporum, aliquibusque militum Teutonicorum, & Longobardorum versùs Bononiam, quæ nondum jugo Imperiali plenariè fuerat subdita, iter arripuit, ac, dum utramque ripam Rheni castra occupassent, Bononienses tremefacti, quoniam se non multum fideliter servisse Imperatori cognoscebant, & quid facerent ignorantes, & Bononiæ ruinam, si se Imperiali subderent culmini paventes, seque ad tantum exercitum cognoscentes non posse resistere, ne sicut Mediolanum, quod fuerat flos Italiæ, si rebelles Imperatoris existerent, funditus subverterentur, maximè timebant.

Magìs itaque colla submittere, quàm Imperatori resistere statuerunt, ac ad placitum Imperatoris, & de fossatis ac muro civitatis, & de magna pecunia ei tribuenda, & de Pote-

EX EDITO AB OSIO.

Mediolanensibus verò Dominum Episcopum de Legio; Placentinis autem primo dedit Anguinalfum, deindè Arnaldum Barbavariam; Comitem Conradum de Balamite præposuit Ferrariæ; Cumensi Comitatui magistrum Paganum; & sic in multis aliis civitatibus, & castris alios præposuit. Cremonensibus, & Parmensibus, atque Laudensibus, & quibusdam aliis præposuit se sub propriis de ipsis civitatibus regi consulibus. Deinde sequenti mense Julii felicissimus Imperator cum Duce Austriæ avunculo, & cum Comite Palatino fratre ipsius Imperatoris, & cum copiosa multitudine tam Ducum, quam Comitum, Marchionum, atque Episcoporum, aliorumque militum Theutonicorum, & Lombardorum versus Bononiam, quæ nondum Imperiali jugo plenariè fuerat subdita, iter arripuit. Qui dum utranque partem Rheni castris occupassent, Bononienses terrefacti sunt; quoniam non multum fideliter servivisse Imperatori cognoscebant; & ignorantes, quid facerent, & Bononiæ ruinam timentes, si se Imperiali culmini subderent. Denique cum se tanto Exercitui non posse resistere cernerent; timerentque plurimum, ne sicut Mediolanum, quod fuerat flos Italiæ, si rebelles Imperatori existerent, funditus subverterentur; colla magis Imperatori submittere, quam resistere, decreverunt; & ad placitum Imperatoris jurantes de fossato, & de muro civitatis explanando, de pecunia ei tribuenda, ac de potestate per eum recipiendo, sunt ipsi Domino Imperatori subjugati. Pollebat equidem tunc Bononia in literalibus studiis præ cunctis Italiæ civitatibus, quatuor legum Columnis inter cæteros magnificè ra-

---

rum præsentationem assentiri per publicum instrumentum, vel dissentiri tenebatur. Subjicit Rollandinus & formulas literarum quibus electus admittebat, vel rejiciebat electionem. De Prætorum accessu, Civium occursu, honoribus, cæterisque huc spectantibus fusè Sigonius *R. Ital. l.* 10. post initium, cujus verba vulgariter vertit Lud. Vedrianus in *Doctorib. Mutinens. p.* 31. Eadem & Fr. Sansovinus *de Famil. Ital. in Martinenga p.* 299. Etsi aliquibus Urbibus ut *Papiæ, Laudæ, Cremonæ ex merito* juxta Calchum p. 189. permissum fuerit ex Civibus suis Prætorem sibi creare, non diu hoc privilegio usæ sunt, ut ex Albis Prætorum novimus, & laudabiliter, *ne propinquus esset alicujus eorum, qui legerent, neque possessionem in Urbe, agrove baberet, aut minor* 36. *annis esset*, ut notat Sigonius l. l. licèt adhuc esset annuus, eidem poterat prorogari Prætura. Sic in serie Prætorum Paduæ ad calcem *Cbronici* Rollandini Patavini triennalis fuit *Gulielmus de Ossa* Mediolanensis ab A. 1189. cujus adhuc Pater *Albertus de Ossa de Mediol.* fuit primus Paduæ Prætor A. 1175. Ibique alii XII. Prætores Mediolanenses enumerantur usque ad A. 1288. & cùm in festo S. Petri eligeretur Prætor Paduæ, ut ex dicta serie n. 3. non ubique eodem tempore eligebantur Prætores. Duo alicubi inveniuntur *Urbanus*, & *Peregrinus* more Romano, ut rectè dixerit Conr. Lancellotus *de Off. Prætor.* in princip. n. 5. *Prætores municipales auctoritate, & potestate sicut olim in Urbe Romana, cognoscentes de Causis civilibus, & criminalibus, & exercentes merum, vel saltem mixtum imperium*. Legitur itaque apud Ubert. Foliettam *Hist. Genuens.* l. 3. col. 302. *Thesau. Grevii* sub A. 1211. *Renatus Cotta* Mediolanens. *Genuæ Prætor Peregrinus*. Aliter modò duos, modò tres legimus quoque Mediolani divisis Civibus, unum ex parte nobilium, alterum pro illis de Mota, & tertium pro societate Credentiæ, apud Corium sub A. 1201. cum Calcho p. 265. & ille supra sub A. 1199. & infra plura de Prætoribus prodit. Et sub A. 1225. formulam juramenti, quod præstare solebant. Calchus sub A. 1204. p. 266. VI. Prætores enumerat, IV. verò tantum A. 1213. p. 271. quoniam prædixerat Corius *part.* 2. ineunte A. 1199. *abrogatum imperium Consulare, & institutum Prætorium*. Ita & Romæ post Coss. Xviri: iterum Coss. post Tribuni militares IV. vel VI. Quandoque nulli Coss. sed Dictatores duo. De Prætoribus adhuc nostris statuta municipalia Carpani *part.* 2. *c.* 6. *& seq.*

(88) Henrico, qui primus ex Marchione Dux pronunciatus, ut narrat Andreas Presbyter *in Cbronico Bavariæ* apud Chr. Juncherum *Geograpb. med. ævi Germaniæ* p. 361. his verbis: „ Fridericus Imperator Henrico Duci Saxoniæ, „ filio illius Henrici Ducis Bavariæ, à Conrado „ antecessore suo ejecti ex Bavaria, consilio, „ & rogatu Principum, Ducatum paternum „ restituit Noricorum: & *Henricum Patruum* „ *suum Marcbionem Austriæ*, tunc Ducem Ba„ variæ ab eodem Ducatu removit. Et quòd „ *ejusdem* Marchionis magna nobilitas, & mul„ ta exigebat honestas, ut nomen Ducis non „ perderet: & ut Duces Bavariæ minùs dein„ de contra Imperium superbire valerent, Im„ perator de voluntate, & consensu Principum „ A. 1156. in Curia Ratisponæ in Nativitate „ S. Mariæ habita, Marchionatum Austriæ à „ jurisdictione Ducis Bavariæ exemit; & quos„ dam ei Comitatus de Bavaria adjungens, „ *convertit in Ducatum*: judiciariam potestatem „ Principi Austriæ ab Anaso usque ad sylvam „ prope Pataviam, quæ dicitur *Rotensal*, pro„ tendendo. Sic igitur ille *Henricus factus est* „ *primus Dux Austriæ*. Hucusque namque &c. „ Eadem, sed pressiùs Monachus VVeingartensis *in Cbronico de Gvvelfis Princip.* apud Leibnit. *t.* 1. *p.* 798. *Rer. Brunsv.* „ Fridericus Hen„ rico Duci Saxonum filio Henrici avunculi „ sui Ducatum Bavariæ: Patruo suo *Henrico* „ de Oesterich ablatum restituit; tali composi„ tione facta, ut quæ priùs Marchia, exhinc „ *Ducatus* per se consisteret.

EX CODICE AMBROSIANO.

testate per eum suscipiendo juraverunt. Pollebat equidem tunc Bononia in literalibus studiis præ cæteris Italiæ civitatibus, (89) quatuor Legum Columnis, inter ceteros magnificè tunc radiantibus, scilicet Martino Goxia, & Bulgaro, ac Jacobo, atque Ugone de porta Ravagnana.

Igitur subjugatâ plenariè Bononiâ, Imolas, deinde Faëncias profectus est Imperator, ipsis civitatibus ad placitum Imperii colla flectentibus, omnesque Longobardiæ, ac totius civitates Italiæ, & castra, ac arces ea æstate dominio Imperatoris subditæ fuerunt, præter arcem Gardam, quæ est prope Veronam, quam tenebat eo tempore procer quidam Turisendus nomine, qui se Imperatori parêre quasi dedignabatur; quocirca Comes Marcoradus cum Pergamensibus, & Brixiensibus, ac etiam cum Veronensibus, ac Mantuanis quasi per annum ipsam arcem obsidens, tamdem cum ipso Turisendo fœdere composito, ipsam arcem obtinuit.

Æstatis verò præfatæ mense Augusti maximum statutum est colloquium in Lombardia apud Besenzonum à Domino Papa Victore, & ab Illustrissimo Imperatore Frederico, ac etiam à Rege Franciæ, & Raynaldo quondam Cancellario, qui & ipse ab Apostolis nomen assumpserat, ut quis dignus in Apostolicatus honorem sublimandus foret, dilucidè discuteretur. Fuitque ad ipsum colloquium præfatus Papa Victor, ac Serenissimus Imperator cum copiosa multitudine Archiepiscorum, Abbatum, aliorumque Clericorum, & Principum, atque aliorum militum, ibique cùm statutum fuisset, ut per decem religiosos Episcopos, quorum quinque ex parte Papæ Victoris, & quinque ex parte Raynaldi præfati ac Regis Franciæ, qui Raynaldo favebat, electi essent, causa discuteretur, veritasque plenariè ex utraque parte indagaretur, prædictus Raynaldus ipsorum decem Episcoporum examini se subdere recusavit: ita dirupto colloquio, Domnus Papa Victor Cremonam ivit. Imperator verò cum Serenissima Augusta (90) con-

EX EDITO AB OSIO.

radiantibus. Subjugata est igitur plenariè ipsa civitas Bononiæ Domino Imperatori his quatuor Doctoribus tam excellentibus, scilicet Domino Martino Goria, & Bulgaro, Jacobo, atque Ugone de Porta Ravegnana. Post hæc Imperator profectus est Imolam, deindè Faventiam, civitatibus ipsis ad placitum ejus colla flectentibus. Similiter omnes civitates Lombardiæ, & totius Italiæ, & Castra, & arces in illa æstate Domino Imperatori subditæ sunt, præter Guardam, quæ est propè Veronam; quam tunc tenebat procer quidam Tirisendus nomine, qui se Imperatori parere quasi dedignabatur. Contra quem Comes Marcoaldus cum Pergamensibus, & Veronensibus, atque Mantuanis veniens; & quasi per annum ipsam arcem obsidens, tandem cum ipso Tirisendo fœdere composito obtinuit ipsam arcem. Æstatis verò prædictæ mense Augusto statutum est maximum colloquium in Lombardia apud Berenzonam à Domino Papa Victore, & ab Illustrissimo Imperatore Friderico, & à Rege Franciæ, & à Raynaldo quondam Cancellario, qui & ipse Apostolicum nomen assumpserat; ut quis dignus in Apostolicatus honorem sublimandus esset, dilucidè discuteretur. Fuitque ad ipsum colloquium præfatus Papa Victor, & Serenissimus Imperator cum immensa multitudine Archiepiscoporum, Abbatum, aliorumque Clericorum, & Principum, atque militum; ibique cum statutum fuisset per decem religiosos Episcopos, quorum quinque ex parte Papæ Victoris, & quinque ex parte Raynaldi præfati, ac Regis Franciæ, qui Raynaldo favebat, electi essent, ut discuteretur veritas, atque plenariè ex utraque parte indagaretur; prædictus Raynaldus ipsorum decem Episcoporum examini se subdere recusavit. Ita dirupto colloquio Dominus Papa Victor Cremonam ivit; Imperator verò cum Serenissima conjuge ejus Augusta, & aliis Principibus, ac immenso Exercitu proficiscitur in Theutonicam.

Post

(89) Utique, sed non ante sæculum hoc XII. quod Viri docti ad evidentiam demonstrant. Quare nedum me depudet id iterum ostendere, verùm & piget ad nauseam hoc etiam novissimo tempore videre hominem peregrinum Ant. *Orlandum* Theodosii jun. Imperatoris *Orientis* fabulosum Privilegium pro Gymnasio Bononiensi in *Occidente* propugnantem, aliasque centum ineptias: ut in discursu Italico præfixo libro: *Notizie degli Scrittori Bolognesi*. 1714.

(90) Quia fortè non ampliùs mentio Beatricis occurret, summam ab illa, & à nobis Mediolanensibus injuriam depellere hìc est necessarium, præsertim cùm Virorum eruditorum menti error adhuc insistat, quo falsa credulitate in exemplum proponunt, quod prorsus est fabulosum. Primus, quòd sciam, Albert. Krantzius *Saxon. l. 6. c. 36.* hæc prodidit: „ Ajunt, illam fœminea, ut putabat, securitate urbem (Mediolani) intrasse, quum illam conspicere plurimum amaret, nec potuit „ aut sævitiam, aut contumeliam ab eis, qui „ parerent Imperio formidare. Sed plebeii ci„ ves malè affecti Imperatori, quum iterum „ rebellionem meditarentur, insolentia singu„ lari petulantiam suam aperuerunt, obliti de„ coris sui, fœmineique, obliti armorum Cæ„ saris, quæ sæpiùs illis cum victoria intenta„ vit, *Regiam Dominam mulæ impositam, ca„ pite obverso in caudam bestiæ, tradidere in „ manus pro fræno ejusdem bestiæ caudam.* Ita „ *ludibrio habitam emisere per portam alteram.* „ Auxit iracundiam Cæsaris justa indignatio. „ Obsessos perurget, ut sæpè aliàs, ad deditio„ nem, neque bellum, neque pacem perferre „ potentes. Tum deditos ille lege accepit eos, „ qui vivere mallent, ficum „ . . . . Obscena prosequi modestia non finit. Eadem ex integro exscripsit Spigelius *in Ligurini l.* 10. *ad v.* 162. *p.* 434. Item Guilel. Paradinus *de Antiq. Statu Burgund. p.* 49. Fabulæ postea fidem adjunxere alii, ut Jac. Pontanus in Joh. Cantacuzeni *Hist. l. 3. c.* 29. dum is Cæsar Syralem familiarem suum hac simili ignominia affectum scribit: referente adhuc Pontano, idem evenisse Anastasio Patriarchæ CP. ex Zonara *in Copronymo*. Miror eundem pro fabula Beatricis laudare Sigonium *R. Ital. l.* 12. apud quem id unquam me legisse non memini. Magìs etiam miror, Virum emunctæ naris Fabrettum *Inscripp. antiq.* p. 111. Nepesinam unam ibi referentem, in qua societatem frangentibus eadem infamis pœna irrogatur, hoc Beatricis figmentum in exemplum sumpsisse, nullo teste synchrono, vel suppari adducto. *Fertur* vix habet, sicut & Krantzius *ajunt*. Et quinam? Nemo ex Scriptoribus in hoc tomo Collectis hoc dixit. Alios vidi non adeò ab Ænobarbo remotos hac de re nil loquentes. Esto, quòd Nostrates id dissimulaverint, ne nostram turpitudinem dete- ge-

EX CODICE AMBROSIANO.

conjuge sua, & aliis Principibus, ac universo exercitu in terram Teutonicam proficiscitur.

Post paucos verò dies remisit Dominus Imperator in Italiam Raynaldum Cancellarium, & electum Archiepiscopum Coloniæ, ut vice sua quæ forent in Italia ordinanda statueret.

Ipse verò Archicancellarius aliquantulum in Longobardia & Marchia, deinde in Tuscia & Romania, singulas civitates perambulans suâ solertiâ eximiâ, omnes civitates, & Principes Marchiæ, & Tusciæ, atque Romaniæ ad Imperatoris amorem & obsequium mirabiliter placavit, ac, ad honorem Domini Papæ Victoris, quosdam Episcopos, & rebelles deposuit, aliis in eorum locum subrogatis.

Deinde quoque misit in Italiam clarissimus Imperator quasi circa festum Sancti Andreæ Domnum Ermaninum Verdensem Episcopum de Saxonia (91), deditque ei potestatem, ut de omnibus causis Italiæ, tam de principalibus, quàm de litibus appellationum, sua vice cognosceret, easque legitimo tramite limitaret, qui & ipse partim Laudæ, partim in aliis tam Longobardiæ, quàm Marchiæ civitatibus sapienter, & moderatè mandatum Imperatoris adimplevit.

Nunc de qualitatibus tam Serenissimi Augusti, quàm aliorum Principum suorum aliquantisper prælibare lectores obsecro, ne absonum vel inutile reputent (92).

IMperator (93) igitur de nobilissima prosapia ortus fuit, & mediocriter longus erat, pulchræ staturæ, recta & bene composita membra habens, alba facie rubeo colore suffusa, capillis quasi flavis & crispis, hilari vultu, ut semper ridere velle putaretur, dentibus can-

EX EDITO AB OSIO.

Post paucos verò dies remisit Dominus Imperator in Italiam Raynaldum Archicancellarium, & electum Archiepiscopum Coloniæ; ut vice sua, quæ forent ordinanda in Italia, statueret ipse. Archicancellarius aliquantulum in Lombardia, & in Marchia, deinde Tuscia, & Romania singulas civitates perambulans, sua solertia eximia omnes civitates, & Principes Marchiæ, & Tusciæ, atque Romaniæ ad Imperatoris amorem, & obsequium mirabiliter provocavit, & ad honorem Domini Papæ Victoris quosdam Episcopos rebelles ei deposuit; aliis in locum eorum subrogatis. Deinde misit in Italiam clarissimus Imperator quasi circa festum Sancti Andreæ Hermannum Verdensem Episcopum de Saxonia; deditque ei potestatem, ut de omnibus causis Italiæ, tam de principalibus, quàm de litibus appellationum sua vice cognosceret, easque legitimo tramite definiret. Qui & ipse partim Laudæ, partimque in aliis, tam Marchiæ, quam Lombardiæ civitatibus sapienter, & moderatè mandatum Imperatoris adimplevit.

Nunc de qualitatibus tam Serenissimi Imperatoris Augusti, quam aliorum Principum aliquantisper discurram. Lectores verò obsecro, ne absonum, vel inutile reputent, quod invenient de eisdem.

De statura Imperatoris.

IMperator igitur de nobilissima prosapia ortus erat; mediocriter longus; pulchræ staturæ; recta, & bene composita membra habens, alta facie, rubeo colore suffusa. Capillis quasi flavis, & crispis; hilari vultu, ut semper velle ridere putares; dentibus candidis; pulcherrimis ma-

gerent: non siluisset saltem Morena, ut Laudensis, & ut eversionem Mediolani commeritam pro tanto flagitio demonstraret. Non siluisset certè Henr. Meibomius junior, qui in Vita VVitichindi *t. 2 Rer. German. p. 625.* adeò iniquè Magnum Alciatum, & urbem nostram objurgat his probris: *Verè tu Alciate inter Longobardos Bardus, meritò ejus urbis Civis, quæ propter rebellionem, perjura, tyrannidem, aliaque scelera à Germanici sanguinis Imperatore solo æquata, aratrisque in agri speciem proscissa, non frugis, sed ad ludibrium salis semen accepit.* Quid ampliùs? Hæc tamen falsa. Siluisset hic ne in Beatricem convitium nostrum, si testem habuisset? Noverit Krantzium, utpote tribus sæculis Ænobarbo posteriorem, haud fide dignum. Propiùs porrò re inspecta Beatrix in Italiam vix venerat mense Julio 1159. recta Cremam obsessam petens. Jam tunc urbs nostra reciderat, spretis Cæsaris Legatis: à Mediolanensibus item obsesso, capto, ac diruto Tricio, ubi Gaza Cæsarea. Iidem noviter in Laudenses irruperant, manusque cum ipsis, & aliis conseruerant, ut præter alia hostilia peracta novum bellum esset indictum, sævius adhuc priore. Hæc ex actis dicti anni apud Morenam col. 1024. Rebus ergo sic stantibus, nec factum in Beatricem causa instaurandi belli esse potuit, ut aliqui ex laudatis falsò conjiciunt: nec ipsa tot Principum comitatu annuente urbem inimicam intrare cogitaverit, nisi saltem valido præsidio stipata, quo omnis injuriæ periculum à se tutò depelleret. At urbem nostram prudenter tunc suspicacem numerosum agmen admittere potuisse, quis credet. Obliteretur hæc fabula.

(91) Is *ex Chronico* Episcoporum Verdensium apud Leibnitium *Rer. Brunsvic. t. 2. p. 217.* Episcopus ordine XXVII. „ Hic magnæ famæ, „ & fidelitatis habebatur ab Imperatore Frederico I. & à tota Curia . . . . . Ad preces „ istius Papa Eugenius III. confirmavit omnia „ privilegia data Ecclesiæ Verdensi à Romanis „ Pontificibus, Imperatoribus, & Regibus Catholicis super possessionibus, & libertatibus „ pacificè possidendis. Obiit 3. Kal. Aug. ex „ peste apud Helmoldum cap. 10.

(92) Hanc, & alias prosopographias Osius rejecerat ad calcem sui Codicis. Nos autem MS. inhærentes, easdem huc antevertimus.

(93) Aliam prosopographiam habet Urspergensis initio ejus rerum A. 1152. p. 295. ut supra, & prolixiùs Radevicus 2. 76. Friderici mors in sacra expeditione Asiatica (cujus Historia extat H. Canisii *lection. antiq. t. 5. p. 93.*) describitur supra ab Oth. de S. Blasio c. 31. scribente *in Cidno amne accidisse, in quo & Alexander M. simili quidem modo, sed non morte periclitatus.* Variant tamen Scriptores in nomine fluminis. Verùm Schatenius *Annal. Paderborn. l. 9. p.* 888. cuncta pro synonimis habens, dicit: *expugnatoque Iconio, liber per Armeniam transitus permissus, donec Cilicia ad fluvium Serram, quem alii Saleph, alii Farfarem, alii Cydnum appellant, perventum est.* Ita conciliata varietas. Obiit A. 1190. liceat, etsi omnino extra rem, hoc unum significare, scilicet, quotquot filios & filias Friderici recensent ex Beatrice susceptos Henricum, Fridericum, Othonem, Conradum, Philippum, Beatricem, & Sophiam, *Juliam* omittere, quæ Monialis fuit, & prima Abbatissa A. 1177. Monasterii S. Mariæ in Hierusalem, post *de Virginibus* conditi ab Alexandro III. & Friderico Patre reconciliatis, ut tradit Lubin. *Notit. Abbat. Ital. p.* 412. b.

EX CODICE AMBROSIANO.

candidis, pulcherrimis manibus, ore venusto, bellicosissimus, tardus ad iracundiam, audax & intrepidus, velox, facundus, largus non prodigus, in consiliis cautus & providus, velocis ingenii, in sapientia multùm abundans, amicis ac bonis dulcis & benignus, malis verò terribilis, & quasi inexorabilis, justitiæ cultor, legum amator, Deum timens, in eleemosynis pruntus, maximè fortunatus, ab omnibus ferè dilectus, & in quo rerum natura nihil deerraverat, præter quod eum mortalem finxerat, cuique à longevis retro nullus fuit Imperator æquiparandus.

Beatrix verò conjux ipsius Imperatoris, fuit & ipsa de nobili genere orta de provincia Burgundiæ, mediocris staturæ, capillis (*) facie pulcherrima, dentibus candidis, & bene compositis, erectam habens staturam, ore pusillo, vultu modesto, oculis claris, suavibus & blandis sermonibus pudica, pulcherrimis manibus, gracilis corpore, viro suo plenissimè subdita, eumque timens ut dominum & diligens omnifariam ut virum, literata, Dei cultrix (94), & cùm Beatrix nominaretur, revera summè beata erat.

Conradus frater Imperatoris, & qui est Comes Palatinus de Rheno, erat spissus corpore, mediocris staturæ, capillis ...... virtuosus multùm, modestus, non multùm loquax (**) (a).

Raynaldus electus Archiepiscopus Coloniæ, qui Cancellarius primùm vocabatur, sed postea fuit Archicancellarius Italiæ, erat mediocriter lunghus & spissus, venustam & coloratam faciem habens, membris bene compositis & extensis, capillis mollibus, & quasi flavis, disertus, & optimè literatus, facundus, providus, & sagacissimus, ad sublimandum Imperatoris honorem cupidissimus, adeò equidem, ut nullius magis consilio, quàm suo faveret Imperator; erat quoque largus, hilaris, affabilis, alti cordis, maximè patiens laboris, & cujus sagacitate & opere decus Imperii maximè sublimatum est (b).

Hermanus Verdensis Episcopus de Saxonia, erat non multùm longæ staturæ, benignus, misericors, & pius, sapientia imbutus, dulcis & affabilis, hilari corde, amator justitiæ, timens Deum, & mandata ejus observans, & in cujus prudentia & consilio maximè confidebat Imperator (c).

Henricus Dux Saxoniæ .... & erat mediocriter magnus, bene compositus, vi-

EX EDITO AB OSIO.

manibus; ore venusto; bellicosissimus; tardus ad iram; audax, & intrepidus; velox; facundus; largus, non prodigus; in consiliis cautus, & providus; velocis ingenii; in sapientia multum abundans; amicis, & bonis dulcis, & benignus; malis verò terribilis, & quasi inexorabilis; Justitiæ cultor; legum amator; Deum timens; in eleemosynis promptus; maximè fortunatus; ab omnibus ferè dilectus; & in omnibus sic perfectus, quod à longævis temporibus nullus fuit Imperator, qui sibi potuerit rationabiliter comparari.

De statura Beatricis Uxoris Imperatoris.

Beatrix verò conjux ipsius Imperatoris fuit & ipsa nobili genere orta de Provincia Burgundiæ; mediocris staturæ; capillis fulgentibus auro; facie pulcherrima; dentibus candidis, bene compositis, erectam habens staturam; ore pusillo; vultu modesto, oculis claris, suavibus, & blandis; sermonibus pudica; manibus gracilis; & consorti suo plenissimè subdita, eumque timens ut Dominum, & diligens omnifariam ut virum; litterata, & Dei cultrix.

De statura Conradi Fratris Imperatoris.

Conradus Frater Imperatoris, & Comes Palatinus de Rheno erat spissus corpore, mediocris statura; capillis blondis; virtuosus multum; modestus, non multum loquens.

De statura Raynaldi Archiepiscopi.

Raynaldus electus Archiepiscopus Coloniæ, qui Canonicus primus vocabatur, sed postea fuit Italiæ Archicancellarius, erat mediocris starura compositus, & spissus; venustam, & coloratam habens faciem; membris bene compositis; capillis quasi flavis: disertus, & optime litteratus; facundus; providus; & sagacissimus; & ad sublimandum Imperatoris honorem cupidissimus; adeò quidem, ut nullum magis, quam sui consilium faveret Imperatori; eratque largus, hilaris, affabilis, alti cordis maximè, patiens laboris; & cujus sagacitate, & opere decus Imperii plurimum sublimatum est.

De Hermando Verdensi Episcopo.

Hermandus Verdensis Episcopus de Sassonia erat non multum longæ staturæ; benignus; misericors, & pius; sapientia imbutus; dulcis, & affabilis; hilaris corde; amator justitiæ; timens Deum, & mandata ejus servans; & in cujus providentia, & consilio maximè confidebat Imperator.

De Henrico Duce Sassoniæ.

Henricus Dux Sassoniæ erat mediocriter magnus; bene compositus; viribus corporis

(*) *Recentiori manu impletur hæc lacuna* fulgentibus ut aurora.

(94) A. 1185. obiit, & apud urbem Spiram regalibus exequiis, præsente Henrico Rege filio suo offenso, sepelitur. Verba sunt Othonis de S. Blasio c. 17. Pro honore Adelheidis primæ Friderici uxoris corrigendus est is idem Scriptor, qui supra c. 11. perperam scripserat, quòd eam Fridericus *causa fornicationis sæpiùs infamatam repudiavit*. Sed satis Adelheidis honori consuluimus supra ex probatis Scripp. n. 46.

(**) *Recentiori manu corrigitur* loquens.

(a) De hoc supra n. 36.

(b) De quo sermo erit infra n. 114.

(c) De hoc disseruimus supra n. 91.

EX CODICE AMBROSIANO.

viribus corporeis valens, magna facie, oculis magnis, & nigris, capillis quoque quasi nigris (*), alti cordis, in divitiis & potentia pollens, genere nobilissimus, & filiæ quondam Lotharii Imperatoris filius (d).

FRedericus Dux de Rottemburgo, qui Regis Conradi patrui Imperatoris Federici fuit filius, erat magnus pro ætate fortis, virtutis cupidus, bene compositus, grossus, spissus, albus, pulcer, atque formosus, hilaris, jocundus, capillis quasi albis & mollibus (e).

OTto Comes Palatinus de Guitelenspac, qui & Pallizus-gravus dicebatur, erat magnæ staturæ, formosa & spissa membra habens, severus, sapiens, & in consiliis providus, & in bello fortissimus, longis capillis, quasi nigris, oculis magnis, facie longa & quasi rubicunda, Imperatori ac Imperio maximè fidus, & ab Imperatore non modicè dilectus, ejusque consanguineus erat.

COmes Redulfus de Lindo erat magnæ ac spissæ staturæ, formosissimis & rectis (**) membris, venustam & pulcherrimam, ac hilarem faciem habens, capillis candidis & longis, oculis magnis, & claris, sapiens ac bellicosus, & quo pulchrior in exercitu Imperatoris nullus inveniretur.

COmes Gabardus de ...... erat lunghus in membris, formosus quasi subrussus, capillis longis & quasi nigris, & quodammodo crispis, in bello fortissimus, honoris avidus, larghus, dapsilis, hilaris, atque jocundus.

COmes Marchoardus de Grumbac erat & ipse similiter longus, & bene formatus, nigris capillis & longis, & in prædictis omnibus probitatibus Comiti Gabardo similis.

MArchio verò Gulielmus de Monserrato (95) qui Longobardus erat, fuit mediocris staturæ benè compositus, & spissus, facie rotunda, & subrussa, capillis quasi albis, maximè loquax, virtuosus & sapiens, hilaris atque jocundus, munificus non prodigus.

COmes Guido de Blandrate erat parvæ staturæ, grossus in pectore, & membris, facie quasi subnigra, capillis nigris, calvus aliquantulum, miles optimus, providus in bello, mirabiliter loquax, audax vehementer, consilio pollens, magni laboris patiens, Imperatori fideliter serviens, ac ab eo quamplurimum dilectus (f).

Co-

EX EDITO AB OSIO.

ris valens; magnus facie; oculis magnis, & nigris; capillis quoque quasi nigris; albi coloris; in divitiis, & potentia pollens; genere nobilissimus, & filiæ quondam Lotharii Imperatoris filius.

De Friderico Duce de Rotomburgo.

FRridericus Dux de Rotomburgo, qui Regis Conradi patrui Imperatoris Friderici fuit filius; erat pro ætate fortis; justitiæ cupidus; bene compositus; grassus, & spissus, albus, pulcher, atque formosus, hilaris, jucundus; capillis quasi albis, & nigris.

De Comite Othone.

COmes Otho Marcoaldus de Grebar erat & ipse similiter longus, & bene formatus, nigris capillis, & longis, & in prædictis omnibus probitatibus erat Comiti Gabardo similis.

De Marchione Montisferrati.

MArchio verò Guilermus de Monteferrato, qui Lombardus erat, fuit mediocris staturæ bene compositus, & spissus, facie rotunda, & subrussa, capillis quasi albis, ore facundo, virtuosus, & sapiens, hilaris, atque jocundus, munificus, non prodigus.

De Comite Guidone de Blandrate.

COmes Guido de Blandrate erat parvæ staturæ, grossus in pectore, & membris, facie quasi subruga, capillis nigris, calvus aliquantulum, miles optimus, providens in bello, lingua facundus, audax vehementer, consilio pollens, magnos labores sustinens, Imperatori fideliter serviens, & ab eo plurimum dilectus.

De

(*) *In altero Codice MS. desiderantur hæc verba:* quoque quasi nigris.
(d) Abundè supra de ipso n. 47.
(e) Et de ipso locuti sumus supra n. 29.
(**) *Alter Codex MS.* fortissimus arrectis membris.
(95) Hujus nominis III. Raynerii filius, & Gulielmi IV. *Longaspata* dicti Genitor. Ille porrò III. *Senex* fuit cognominatus, ut scribit Benven. Sangeorgius *de Montisferr. Marchionibus* p. 4. subdens p. 8. b. non *ideo Senis nomen contraxisse* (ut existimarunt nonnulli) *quòd in juventute, & viridi ætate senilem, & rugosam faciem haberet, quemadmodum senio confectis contigit*. Et hic opponit, ac recitat præsentia prosopographica verba Morenæ, sed cognominis causam non refert.
(f) De eo, cum Historiola Comitum de Blandrate fusè discurrimus n. 41.

EX CODICE AMBROSIANO.

COmes Conradus de Ballanuce erat staturæ non magnæ, albus, facie formosa, capillis albis, literatus & sapiens, dulcis & affabilis, providus, & in bello strenuus, tam lingua Teutonica, quàm Italica doctus, & in consiliis Imperatoris maximè potens.

Erant insuper & alii multi in exercitu Imperatoris Domini Serenissimi Frederici tam Duces, quàm Marchiones, & Comites Teutonici, atque Lombardi, quorum qualitates enarrare nimiam difficultatem generaret, ac ab opere me deviaret proposito, idcirco ad materiam redeam.

Sequenti verò proxima æstate, quæ fuit in millesimo centesimo sexagesimo tertio (96) ab Incarnatione Domini anno incœpit Rodulfus Teutonicus, quam Imperator monetæ suæ præposuerat, quæ fiebat in Burgo Noxeta, maximam quamdam turrim in prædicto Burgo de Noxeta, ad honorem Domini Imperatoris, ad gubernandos intus denarios Imperatoris.

Et apud Mogociam incœptum est maximum palatium ad ejusdem honorem; Archiepiscopus verò Coloniæ electus fecit castrum de Montemalo, quod est in Episcopatu Laudæ, reædificari. Eodem anno redditum est castrum Gardæ Comiti Marcoardo à Turisendo, cujus ipsum fuerat, & qui usque tunc Imperatori resisterat, omnibus aliis tam civitatibus, quàm castris, & arcibus Italiæ Imperatori jam suppositis, & quam arcem Gardæ prædictus Marcoardus partim cum Brixiensibus, partim cum Pergamensibus, tum etiam cum Veronensibus, & aliis Lombardis quasi per annum obsederant.

Die verò Lunæ, quæ fuit quarta dies ante Calendas Novembris prædicti anni, reversus est de terra Teutonica Christianissimus Augustus in civitate Laudæ cum Beatrice Serenissima conjuge sua, & cum Cancellario electo Coloniæ Archiepiscopo, & cum Hermano Verdensi Episcopo, & Conrado electo Maguncíæ Archiepiscopo, qui superarat Ottonis Comitis Palatini, & cum ipso etiam Comite Palatino, & cum Comite Gabardo, Marcoardo, & Comite Conrado de Ballanuce, atque cum filio Ducis Guelfi, & cum multis aliis Principibus.

Deinde proxima die Sabbati, quæ fuit secunda dies mensis Novembris venit Laudæ Dominus Papa Victor cum suis Cardinalibus, & proximo die Lunæ fuit ductum à Laude veteri in novam civitatem de Laude corpus Beati Bassiani Confessoris, cum maximo honore, maximaque lætitia.

Ipse enim met Apostolicus, & Imperator inclytus, & Patriarcha Aquilegiæ, & Abbas Clunecensis cum aliis quibusdam Episcopis, & Archiepiscopis extra Ecclesiam majorem de Laude-veteri corpus ipsum pretiosum suis humeris portavere, & ab aliis, deinde tam Clericis (*), quàm Laicis ad novum Laudæ transvectum est, obtulitque ipsi Clementissimus Imperator ad fabricationem Ecclesiæ triginta

(96) Scribit Osius *MCLXVII*, Corrige *MCLXIII*, ex nostro MS.

EX EDITO AB OSIO.

De Comite Conrado de Belamite.

COmes Conradus de Belamite erat staturæ non magnæ, albus, formosa facie, capillis albis, litteratus, & sapiens, dulcis, & affabilis, providus, & in bello strenuus, lingua Theutonica, Gallica, & Italica doctus, & in Consilio Imperatoris maximè potens erat.

Sequenti verò proxima æstate, quæ fuit MCLXVII. ab Incarnatione, cœpit Rodulphus Theutonicus, quem Imperator monetæ suæ, quæ fiebat in Burgo Noxeta, præfecerat, quandam maximam Turrim in ipso burgo, ad gubernandum ibi intus monetam Domini Imperatoris; & apud Magantiam incœptum est maximum Palatium ad ejusdem honorem. Archiepiscopus verò electus Coloniæ fecit castrum de monte malo, quod est in Episcopatu Laudæ, reædificari. Eodem anno redditum est castrum Gardæ à Comite Marcoaldo Terisendo, cujus ipsum fuerat; & qui usque nunc Imperatori restiterat, omnibus aliis civitatibus, & castris, atque arcibus Italiæ Imperatori tum suppositis; & quam arcem Guardæ prædictus Marcoaldus partim cum Brixiensibus, partim cum Pergamensibus, tum etiam cum Veronensibus, & aliis Lombardis quasi per annum obsederat.

Die verò Lunæ, quæ fuit quarta dies ante Calendas Novembris prædicti anni, reversus est de terra Theutonica Christianissimus Augustus in civitatem Laudæ cum Serenissima Conjuge sua, & cum electo Coloniæ Archiepiscopo, & cum Hermanno Verdensi Episcopo, & Conrado electo Magontiæ Archiepiscopo, qui frater erat Othonis Comitis Palatini, & cum ipso Comite Gabardo, & Comite Marcoaldo, & Comite Conrado de Balamite, atque cum filio Ducis Guelphi, & cum multis aliis Principibus, & Baronibus Alemaniæ.

Deindè proxima die Sabbati, quæ fuit secunda dies mensis Novembris, venit Laudam Dominus Papa Victor cum suis Cardinalibus; & proximo die Lunæ fuit ductum à Laude veteri in novam civitatem Laudæ Corpus Beati Bassiani Confessoris, cum maximo honore, maximaque lætitia. Ipsemet enim Apostolicus, & Imperator inclytus, & Patriarca Aquilegiensis, & Abbas Cluniacensis cum aliis in quibusdam Episcopis, & Archiepiscopis extra majorem Ecclesiam Laudæ corpus ipsum pretiosum suis humeris portaverunt, & ab aliis deindè tam Clericis, quam laicis ad novam Laudam translatum est. Obtulit autem ipse clementissimus Imperator ad fabricationem Ecclesiæ triginta libras denariorum Imperialium, Serenissima

(*) Alter Codex MS. Ecclesiasticis.

EX CODICE AMBROSIANO.

ginta libras denariorum Imperialium; Serenissima verò jugalis ejus obtulit ipsi Beato Bassiano libras quinque. Deinde quadam die Sabbati, quæ fuit sexta decima dies prædicti mensis Novembris, ivit Imperator cum Imperatrice, ac universo exercitu suo Papiam, ibique per aliquot dies moratus est, &, Papiensibus ipsum maximè rogantibus, jussit murum civitatis Tertonæ totum destrui (97) ea occasione, quia Mediolanenses ipsum olim construxerant ad dedecus Imperatoris, & Papiensium. Papienses verò inde maximo repleti gaudio, non solùm murum civitatis, verumetiam domos universas intus ædificatas celeriter destruxerunt; hyemavit denique clarissimus Imperator in partibus.

Et die Mercurii, quæ fuit in Calendis Aprilis anno Dominicæ Incarnationis 1164. Indictione XII. reversus est Laudæ, ac proxima die Jovis Papiam profectus est, & præfata hyeme fuit incœptum reædificare castrum de Sancto Columbano ex præcepto Imperatoris, ac ad ejus utilitatem, magnumque Suburbium ibi fieri præcepit, & hisdem temporibus Veronenses, & Paduani, ac Vicentini, certique de illa Marchia (*) præter paucos Imperatoris fieri contra Imperatorem rebelles extiterunt, partim propter pecuniam Venetiæ acceptam, quæ jam ante Imperatori resistant, tum etiam, quia dicebant se à Comite Palatino, cui Imperator Gardam donaverat, ac ab aliis Nunciis Imperatoris, enormiter esse gravatos, quod ut Imperator cognovit, maximè cœpit dolere, ac Nuncios de Cremona, & de Papia, Novaria quoque, & Laude, ac de Cumis, Veronam misit, ut Veronenses, ac illos de Marchia commonefacerent, ut de stultitia, quam incœperant, resipiscerent, & si quid molestiæ à Nuntiis Imperatoris accepissent, plenariam inde justitiam ab Imperatore susciperent in laude sapientium Longobardiæ. Quibus Veronam profectis, convocatisque tam sapientibus Veronæ quàm de Marchia, sicut Imperator eis imposuerat ibi retulere, ibique multis vicissim factis orationibus, postremum diem veniendi Papiam ad Imperatorem inter se statuêre. Cùmque Papiam coram Imperatore venissent, de concordia inter se ac Imperatorem diu tractatu habito, tandem Imperatori justitiam facere sub nulla potestate volentes recesserunt.

Dominus verò Papa Victor die Lunæ (98), quæ fuit . . . . . dies mensis Aprilis in civitate Lu-

(97) Dertona primò destructa A. 1155. ut supra Auctor noster, & Otho Frising. *l. 2. c. 20.* qui c. 16. rem non eo dignam insubidè credidit, & scripsit, annuente etiam Osio in suis notis p. 75. a. de Turre, scilicet, illa *lateritia à Tarquinio Superbo olim facta, quæ (rubea nunc) ab indigenis dicebatur superba*. Quandonam in nostris Regionibus Reges Romæ, si vix VI. sæculo U. C. novere Padum, & circumpadana Romani? Id cœci vident. Statim post destructionem eam reædificarunt Mediolanenses. Nunc secundò destruitur, non A. 1167. ut hic Morena scribit, sed 1163. ut post Corium sub hoc anno Nic. Montemerlus *Hist. Dertonæ* p. 28. & iterum à Mediolanensibus restauratur, ex eodem, *ibidem*.

(*) *Alter Codex MS.* Marcha. *Ita & infra*.

(98) Supple vigesima: nam extat apud Baronium sub A. 1164. p. 507. edit. Rom. Epistola Nuncii S. Thomæ Cantuariensis Romæ apud Alexandrum morantis, & S. Archiepiscopo suo scribentis, Octavianum *quarta feria post Octavas Paschæ obiisse in urbe Lucensi*. Pagi h. A. n. 7. testatur id confirmare Gervasium in Chronico (is Cantuariensis Monachus, & suppar). Observat postea Vir doctissimus, Morenam ab Osio editum hic errare, *quia*, inquit, *hoc anno* (1164.) *prima dies Aprilis in diem Lunæ incidere non potuit: & Octavianus in hebdomada post Octavas Paschæ demortuus. Quare loco*, primo, *legendum*, vigesimo, *in quam diem feria secunda incidit*. Feria quarta postea fuit sepultus, hoc est die 22. Aprilis. *Cùm enim* (ex laudata epistola) *Canonici majoris Ecclesiæ, & Regulares Canonici S. Fridiani ei sepulturam negassent (præeligentes à suis migrare sedibus, quàm admittere corpus schismatici, quem credunt in inferno esse sepultum) à satellitibus Imperatoris, & familia propria ad miseros Monachos cadaver illud perlatum est*.

EX EDITO AB OSIO.

sima verò conjux ipsius obtulit ipsi beato Bassiano libras quinque.

Deinde quadam die Sabbati 16. prædicti mensis Novembris ivit Imperator cum Imperatrice, & universo Exercitu suo Papiam, ibique per aliquot dies moratus est. Papiensibus autem ipsum multum rogantibus, jussit murum civitatis Terdonæ totum destrui; eo quod Mediolanenses ipsum olim construxerant ad dedecus Imperatoris, & Papiensium. Papienses verò magno repleti gaudio non solum murum civitatis, verùm etiam domos universas intus ædificatas celeriter destruxerunt. Hyemavit denique clementissimus Imperator partibus illis. Die autem Mercurii, quæ fuit Calend. Aprilis anno Domini 1164. Indictione 12. reversus est Laudam, & proxima die Jovis Papiam profectus est. Præfata verò hyeme fuit incæptum reædificare castrum de Sancto Columbano ex præcepto Imperatoris ad ejus honorem, & utilitatem, magnumque Suburbium ibi fieri præcepit. Et eisdem temporibus Veronenses, & Paduani, ac Vicentini, cæterique de illa Marchia, præter paucos Imperatoris fideles, Imperatori se opposuerunt; partim etiam, quia dicebant se à Comite Palatino, cui Imperator Guardam donaverat, & etiam ab aliis missis Imperatoris enormiter gravatos esse. Quod ut Imperator cognovit, multum doluit, & nuncios de Cremona, de Papia, de Novaria, de Laude, atque de Cumis Veronam misit; qui Veronenses, & illos de Marchia commonerent, ut de stultitia, quam incæperant, resipiscerent; & si quod eis molestiæ Nuntii Imperatoris intulissent, plenam inde justitiam ab Imperatore reciperent in Laudæ. Sapientes Lombardiæ, qui Veronam sunt profecti, convocatis sapientibus Veronæ, & Marchiæ, ibi sicut eis Imperator mandaverat, omnia retulerunt; denique post multa verba hinc inde dicta ad Imperatorem cum Nuntiis ipsius venerunt. Coram quo Papiam cum venissent, & ad invicem de concordia diu tractassent; tandem, Imperatore justitiam facere sub nulla potestate volente recesserunt.

Dominus verò Papa Victor die Lunæ primo mensis Aprilis in civitate Lucæ fati munus im-

EX CODICE AMBROSIANO.

Lucæ fati munus impleverat, pro cujus sanctis meritis dicitur Deum multa miracula (99) ibi fecisse. Deinde in locum ipsius Dominus Guido Cremensis substituitur, & à Cardinalibus, qui ibi fuerant (100), & à Domino Raynaldo Archicancellario, ac ab Episcopo Laudensi, (101) & aliis quibusdam Episcopis in Apostolicæ Sedis honorem sublimatus est.

Proximo verò mense Junii profectus est Imperator cum militibus civitatum Longobardiæ, ac paucis Teutonicis usque prope Veronam, multa Veronensium castra & villas dissipans, è contra Veronenses cum majori satis militum ac peditum agmine se Imperatori opposuerunt. At Imperator considerans paucos Teutonicos secum fore, ac Lombardos tepidè ad ejus venisse auxilium, bellumque, si tunc fieret, damnosum sibi futurum existimans, cum toto agmine reversus est, quo dolore commotus in Alemaniam gratiâ congregandi maximum Teutonicorum exercitum ire disposuit.

Ea verò tempestate quidam Judex de Sardinia de civitate Herborea (102) maximè opulentus ad majorem dignitatem provehi desiderans, ut regio solio decoraretur, ab Imperatore cœpit implorare. Tandem Principum, ac non modicæ pecuniæ interventu, die Lunæ, quæ fuit tertia die mensis Augusti, in Ecclesia Sancti Syri de Papia ibique etiam fidelitatem Imperatori juravit, Pisanis pro posse resistentibus, & Imperatorem, ne illum Regem constitueret, maximè rogantibus. Sequenti verò mense Septembris Imperator cum Imperatrice causâ legendi exercitus in terram Teutonicam cum omnibus ferè, qui secum ex Teutonicis in Longobardia fuerant, perrexit, suosque missos & Procuratores per omnes ferè Longobardiæ civitates, qui sua jura, suasque rationes, quas in Longobardia habere debebat colligerent, dimisit; apud Cumas namque Magistrum Paganum relinquit, Comitatum Sepriensem Comiti Gozolino (*) donavit, Mediolanensibus autem Girardum præesse jussit; Laudæ verò Lambertum de Numace suum Procuratorem esse, qui etiam omnes Cremenses distringebat, constituit; apud castrum Tritii Ruinum Potestatem esse disposuit, qui suas rationes per totam Martesanam, ac per totum Pergamensem Episcopatum, & etiam usque ad Ripaltam-siccam exigeret. Placentiæ namque

EX EDITO AB OSIO.

implevit (pro hoc mendaci stylo dicit schismaticus auctor in gratiam schismaticorum, ut asserit Baronius annal. tom. 12.) *cujus sanctis meritis dicitur, Deum multa fecisse ibi miracula. Deinde in locum ipsius D. Guido Cremensis substituitur à Cardinalibus tunc ibi existentibus, & à Domino Raynaldo Archicancellario, ac Episcopo Laudensi, & aliis quibusdam Episcopis in Apostolicæ Sedis honorem sublimatus est.*

Proximo verò mense Junio profectus est Imperator cum militibus civitatum Lombardiæ, & cum paucis Theutonicis usque propè Veronam; & multa Veronensium Castra, & Villas dissipavit; econtra Veronenses cum multo majori peditum, & equitum agmine se Imperatori opposuerunt. At Imperator considerans, paucos Theutonicos secum fore, & Lombardos tepidè ad ejus auxilium venisse, bellumque si tunc committeretur, damnosum sibi futurum, pavescens, cum toto suo Exercitu reversus est. Quo dolore commotus in Alemaniam causa congregandi maximum Theutonicorum Exercitum ire disposuit.

Ea verò tempestate quidam Judex de Sardinia de civitate Ebonca; maximè opulentus, ad majorem dignitatem provehi desiderans, ab Imperatore cœpit implorare, ut regio solio decoraretur. Tandem Principum, ac non modicæ pecuniæ interventu, pro posse licèt resisterent, ac rogarent populi, ne illum Regem constitueret, die Lunæ tertia mensis Augusti ipsum Imperator Regem Sardiniæ instituit; promittentem, & jurantem Imperatori fidelitatem. Sequenti verò mense Septembri Imperator cum Imperatrice causa colligendi Exercitum, ut superius dictum est, in terram Theutonicam cum omnibus ferè, qui secum erant ex Theutonicis, perrexit; suosque Missos, & procuratores per omnes ferè Lombardiæ civitates, qui sua jura, suasque rationes, quas in Lombardia habere debebat, colligerent, dimisit.

Qui cum in Alemaniam profectus esset, ibique causa congregandi Exercitum plurimum moraretur; prædicti sui procuratores non solum jura, & rationes Imperatoris in Lombardia exigebant; sed in septuplo plus, quam sibi de jure deberetur, à Lombardis iniquè, & irrationabiliter extorquebant; & in tantum ipsos Lombardos omnes tam Clericos, quam laicos magnos, & parvos opprimebant; quod se quasi mortuos reputabant; & cum tam graviter ab ipsis Imperatoris Nuntiis comprimerentur; se ab

---

(99) Et quæ? Prodita à Dione Cassio l. 66. p. 749. de Vespasiano, *qui cæcum hominem, itemque alterum, cui imbecilla manus erat, qui per quietem ipsum adire jussi fuerant, sanavit: oculis alterius sputo conspersis, & manu alterius conculcata. Quæ opinio divinitatis eum celeberrimum fecit.* Sed Dioni, & Morenæ par fides. Miror quòd Morena non dixerit, se vidisse Victoris animam in Cœlum euntem: sicut cremato Augusto, non *defuit Vir Prætorius, qui se effigiem cremati euntem in Cœlum vidisse jurasset*, ut refert Svetonius in *Augusto c.* 100. Ridicula ideo hæc miracula à Morena jactata.

(100) X. Kal. Maji.

(101) Reponatur: *& ab Henrico Leodiensi Episcopo ordinatus est VI. Kal. Maji.* Ita Godefridus ad A. 1164.

(102) Ebonca Osio vox corruptissima. Plura suadent, legendum *Arborea*, rudibus Italis, ut Facio de Ubertis Ditamond. *lib.* 12, Arestan. *in descrip. Sardiniæ*: politioribus nunc *Eristagni*, de quo Bodrandus in *Arborea*, conjecturam adjuvans, scribendo, habuisse Dominos, seu Judices, uti dicebant, aliàs valde notos. Albericus sub A. 1164. de Rege dato prodit, quòd *Regem Sardiniæ Barasonam ab Imperatore coronatum idem Leodiensis Episcopus* (Henricus) *in Regem benedixit*. Et Sigonius sub A. eodem p. 519. *Quin etiam Barisonem à Genuensibus adductum, pecunia accepta, IV. Non. Augusti in Basilica S. Syri* (Genuæ) *Regem Sardiniæ appellavit: ac diademate, solemni cæremonia, redimivit: Pisanis injuriam in eo sibi fieri frustra expostulantibus*. Et infra: *Bariso Rex in Sardiniam vectus, cùm pecuniam solvere non posset, quam à Genuensibus ad Regium fastigium emendum mutuò accepisset, ab iisdem Genuam est revectus, atque in custodiam, donec penderet, traditus*. Plura de Barasone, & de divisione Sardiniæ in IV. Judicaturas disertè Calchus noster pagg. 223. 4. 5. & 242.

(*) *Alter Codex MS.* Gazolino.

EX CODICE AMBROSIANO.

que Aginulfum quandoque, Arnaldum Barbavariam, quandoque manere præcepit; apud Brixiam sanè Bertaldum præesse jussit, sicque etiam per alias Longobardiæ civitates, quas enumerare longum esset, suos Procuratores ordinavit atque reliquit. Sed cùm Imperator in Alemaniam profectus esset, ibique causâ legendi exercitus moraretur, Procuratores illi, quos Imperator in Longobardia, ut supra diximus, dimiserat, non solùm jus, rationesque Imperatoris de quibus solummodo exactis, nullum malum nec scandalum accidisset, neque Longobardi inde mœsti fuissent, exigebant, sed etiam plus de septem tamen, quàm Imperatori jure deberetur, ab omnibus injuste excutiebant, ac in tantum Episcopos, Marchiones, Comites, Civitatum etiam Consules, Capitaneos, omnesque ferè alios Longobardos tam magnos, quàm parvos opprimebant, quoniam ipsi tum pro amore tum etiam pro Imperatoris timore ab eis se defendere nolebant, quod ipsi Lombardi sinè maximo personarum, & rerum incommodo atque obbrobrio nullo modo sustinere poterant, & maximè Mediolanenses, quibus de omnium terrarum suarum fructibus, non nisi solummodo tertium de tertio relinquebant, atque item Cremenses, quibus omnium terrarum suarum tertium, acsi ipsi domini eorum fuissent penitus omnino auferebant Præterea per omnem focum tam bonorum ac Nobilium civium in villa seu castris manentium, quàm villanorum seu rusticorum. tres solidos veteris vel Imperialis monetæ (103) per unumquemque annum solvere ipsos nobiles ac rusticos compellebant. Insuper etiam pro unoquoque Molendino, qui in aquis navigalibus maxinabant à dominis ipsorum Molendinorum, quicunque forent, viginti & quatuor denarios veteres exigebant, à dominis autem Molendinorum in aliis aquis maxinantium tres solidos veteris monetæ accipiebant. Piscatoribus verò tertiam partem omnium piscium auferebant, & si aliquis præter eorum præceptum aliquam feram bestiam vel volucrem capiebat, & ipsi scire hoc poterant, & bestiam & volucrem captori auferebant, & insuper eum pœniteri ex suis propriis rebus, quandoque etiam ex ipsius persona faciebant; præterea omnia distracta, quæ Capitanei, vel aliqui alii domini alicujus castri soliti fuerant ipsi, & eorum antecessores per trecentos annos à retro temporibus habere & tenere in ipso castro aut in villa ipsius castri habitantes, Imperator ipsis Dominis omnimodo abstulerat, nec eos ipso districtu uti ut ipsum exercitium exer-

EX EDITO AB OSIO.

ab eis, licèt possent, defendere non volebant, Imperatoris magis amore, quam timore; dicentes intrà se mala, quæ sibi fiebant, Imperatori displicere; & cum ipse veniret, eos a tantis oneribus adjuvabit. Quare adventum suum quotidie expectantes, mala omnia, quæ sibi ingerebantur, pacificè sustinebant.

Imperator siquidem apud Cumas Magistrum Paganum reliquit, Comitatum Sepriensem Coniti Gazolino donavit; Mediolanensibus autem Girardum præesse jussit. Laudæ autem Lambertum de Vignate suum procuratorem esse constituit, qui etiam omnes Cremonenses distringebat, apud castrum Trecii Ruinum disposuit; Quique suas rationes per totam Martesanam, & per totum Bergomensem Episcopatum, & etiam usque ad Ripaltam rivam exigerent. Placentiæ Aginulphum, quandoque Arnaldum Barbavariam .... præcepit. Apud Brixiam Bertoldum præesse jussit, sicque etiam per alias Lombardiæ civitates, quas enumerare longum esset, suos procuratores ordinavit, atque reliquit. Sed cum Imperator in Alemaniam profectus est; ibique legendi Exercitus causa moraretur; procuratores illi, quos Imperator in Lombardia, ut supra diximus, reliquerat, non solum hujusmodi .... Imperatoris, de quibus solummodò exactis nullum malum, nec scandalum accidisset, neque Lombardi mœsti inde fuissent, exigebant; sed etiam plus de septem, quam Imperatori jure deberetur, ab omnibus injustè excutiebant. Ac in tantum Episcopos, Comites, Marchiones, civitatum etiam Consules, Capitaneos, omnesque ferè alios Lombardos, tam magnos, quam parvos opprimebant; quoniam ipsi, tum pro amore, tum etiam pro Imperatoris timore ab eis se defendere nolebant. Quod ipsi Lombardi sine maximo personarum, & rerum incommodo, atque opprobrio nullo modo sustinere poterant; & maximè Mediolanenses, quibus de omnium terrarum suarum fructibus non nisi solummodò tertium de tertio relinquebant. Atque item Cremonenses, quibus omnium terrarum suarum tertium, ac si ipsi Domini eorum fuissent, auferebant. Præterea per omnem focum, tam bonorum, ac nobilium civium in Villa seu potius castris manentium, quam villanorum, seu rusticorum tot solidos veteres, vel Imperialis monetæ per unumquemque anno solvere ipsos nobiles, ac rusticos compellebant. Insuper etiam pro unoquoque molendino, quod in aquis navigabilibus macinabat, à Dominis ipsorum molendinorum in aliis aquis macinantium tres solidos veteris monetæ accipiebant. Piscatoribus verò

(103) Aderat enim & nova moneta tempore Ænobarbi, ut prædiximus ad col. 1099. An hæc moneta vetus Langobardica fuerit, vel Imperialis, Auctor suo more non declarat. De solidis Langobardicis dixerit eruditè satis Cl. Muratorius in notis ad illas leges in II. Par. tom. I. ubi credo, observaverit, apud Langobardos, præter solidum argenteum, fuisse quoque solidum aureum, testante M. le Blanc *Traitè des Monnoyes de France p.* 102. se vidisse monetam Regis Desiderii, quæ tertia pars erat *solidi aurei*, cum inscriptione *Flavia Mediolano*. Ubi obiter notat, quòd sicut celebres Urbes Romani Imperii plerumque inscribebantur *Augustæ*, ita & Regum Langobardorum Urbes præcipuæ, ut Mediolanum, Ticinum, Luca, &c. dictæ sunt Flaviæ, ab hoc cognomine, quod Autharis Rex III. primò assumere voluit. Cæterum hi solidi fuerint Langobardici, vel ævi Carolini, certum est, majoris valoris intrinseci fuisse, quàm novæ monetæ, ut conijci potest, ex onere graviori, quod hic innuere Auctor intelligit. Præterquam quod ævo Langobardico, & Francico non tot bella exarsere sicut sublato in Carolo Crasso, vel in Arnulpho adhuc Francico Regno. Etenim ob post subsecuta bella, diversosque ob Principatus usque ad Othonem M. monetæ bonitas valde defecit, quod & observat laud. M. le Blanc. *in Prolegomen.* p. XXIV. qui his causis diminutam bonitatem attribuit. Solidos porrò Langobardicos magni valoris fuisse intelligi potest ex Sigeberto, scribente ad A. 619. quod *Lotharius Rex tributum 12. millium solidorum, quod Longobardi Francis solverant, relaxat Longobardis perpetuò sibi confæderatis.*

EX CODICE AMBROSIANO.

exercere permittebat, ſed ſibi totum vendicabat; ſi quid ad ultimum dicam niſi quòd inſuper etiam & aliis tantis malis eos quotidie opprimebant, quæ ſi per ordinem narrari deberent, nimis difficile videretur, ac in faſtidium præ nimia multitudine verteretur. Interea namque dum Langobardi (104), ſicut ſupra dictum eſt, & etiam multo magis opprimerentur, cùm ipſi bene & largè, & ſinè diſtricto alicujusvis in libertate vivere, ac manere ſoliti fuerant, & res ipſorum ſecundùm eorum libitum & voluntatem diſponere conſueverant, nec ſub imperio vel conditione alicujus retro temporibus ſic diſtrictè ſteterant, in magnum dedecus maximumque obbrobrium, & ultra etiam quàm dici vel cogitari poſſit acceperunt, dicentes inter eos meliùs eſſe eis penitus mori, quàm hanc talem turpitudinem, taleque dedecus eos pati, ſed tamen vitæ vindictam facere, vel aliquod malum agere vel excogitare ſemper differebant, ne aliquis Lombardus fuit, quod ego tanquam vidiſſem vel ab aliquo audiſſem, qui aliquam vindictam inde ſumeret, quoniam ſemper Imperatoris adventum quotidie expectabant, dicentes inſimul: non credimus hoc malum & dedecus, quod Miſſi Imperatoris nobis inferunt, ipſos ex voluntate Imperatoris facere, ſed bene credimus, quòd, cùm Imperator venerit, ſibi diſplicebit, & omnia mala, quæ nobis ingerunt, penitus removere faciet, nec unquam ſit aliquis iterum, qui ante Imperatoris adventum aliquod malum alicui ingerat, ſed totum pro Imperatoris amore, donec venerit, in pace ſuſtineamus. (105) Interea, cùm hæc in Longobardia ſic à Pro-

EX EDITO AB OSIO.

verò tertiam partem omnium piſcium auferebant; & ſi aliquis præter eorum præceptum aliquam feram beſtiam, vel volucrem capiebat, & ipſi ſcire hoc poterant, & beſtiam, & volucrem captori auferebant. Præterea omnia diſtricta, quæ Capitanei, vel aliqui alii Domini alicujus caſtri ſoliti fuerant ipſi, & eorum anteceſſores per trecentos annos à retro temporibus habere, & tenere in ipſo caſtro, aut in Villa ipſius caſtri habitantes; Imperator ipſis Dominis omni modo abſtulerat; nec eos ipſos diſtrictu uti, nec ipſum exercitum exercere permittebant; ſed ipſi totum judicabant. Sed quid ad ultimum dicam? niſi quod inſuper etiam aliis tantis malis eos quotidiè opprimebant, quæ ſi per ordinem narrari deberent, nimis difficile redderetur, ac in faſtidium præ nimia multitudine verteretur. Intereà namque, dum Lombardi, ſic, ut ſupra dictum eſt, & etiam multò magis opprimerentur; cum ipſi bene, ac largè, & ſine diſtrictu alicujus in ſui libertate vivere, ac manere ſoliti fuerant, & res ipſorum ſecundum eorum libitum, & voluntatem diſponere conſueverant, nec ſub imperio, vel conditione alicujus retrò temporibus ſic diſtrictè ſteterant, in magnum dedecus, maximumque opprobrium, & ultrà etiam quam dici, vel excogitari poſſit, acceperunt. Dicentes inter eos, melius eſſe eis penitus mori, quam hanc talem turpitudinem, taleque dedecus eos pati, ſed tamen vindictam facere, vel aliquod malum agere, vel excogitare ſemper differebant: nec aliquis Lombardus fuit (quod ego unquam vidiſſem, vel ab aliquo audiſſem) qui aliquam vindictam inde ſumeret. Quoniam ſemper Impe-

---

(104) Centies in hac Hiſtoria, & creberrimè in aliis *Lombardorum* appellatio, quòd corruptum ex *Langobardo*, ſed quandoque neceſſariò corruptum. Diſtinctionem inter *Lombardos*, & *Langobardos*, bis nactus, libenter diſcerem ab eruditis diverſitatis hujus rationem, quam diſſimularunt Dufrenius, Angelus à Nuce, Mabillonius, & alii omnes, quos rem hanc conſulimus, & nemo nos docuit. Bellum ſacrum Cruce-ſignatorum A. 1095. deſcribens Leo Oſtienſis 4. 11. narrat, quòd Dux Gotfridus, ejuſque frater Balduinus abiere Conſtantinopolim, *ubi jam illos Lonbardorum, & Langobardorum maxima multitudo prævenerat*. Nulla in hunc locum nota à Nuce, niſi quòd *alterum ſuſtulit editor noſter. An juſtè? Ipſe viderit*. Imò iniquè, quòd videre debebat V. doctus. Extat adhuc apud Mabillonium *Muſæi Ital. t. 1. p. 2.* p. 131. *Hiſtoria* ejuſdem *belli ſacri*, ubi p. 140. legitur, quòd Petrus Eremita Conſtantinopoli *invenit Lombardos, & Longobardos, & alios plures*. Et pag. ſeq. *Illic diviſi ſunt Lombardi, & Longobardi . . . . Elegerunt autem Lombardi & Longobardi dominum ſuper ſe, cui nomen Raynaldus*. Id obſervat V. doctiſs. *in admonitione* præfixa, ſed præterit, & ſilet. Vitioſa ergo ne hæc diviſio? minimè. Ineptias meas aperiam. Ex quo Neuſtriæ Langobardorum Langobardiæ nomen acceſſit, initio Regni Pippini junioris A. 781. etiam Italia Tranſtyberina, ubi præcipuè Ducatus exiſtit Beneventanus, qui juris Langobardorum, vocari cœpit *Langobardia* à Græcis, quos imitati ſunt Latini, Siculi, Saraceni, Arabes, & ſi qui alii. Hinc apud Leon. Oſtienſem 1. 49. legitur, quòd *Symbaticus Patricius veniens à Conſtantinopoli obſedit Beneventum*. Is erat *Imperialis Protoſpatarius, & Stratigo Macedoniæ, Traciæ, Cephaloniæ, atque Langobardiæ*. Et hæc ubi? In magna Græcia. Pariter 2. 2. in fine, præceptum impetrat Abbas S. Benedicti *à Mariano Imperiali Anthipato Patricio, & Stratigo Calabriæ, atque Langobardiæ*, quod præceptum recitat à Nuce ibi n. 4. A Græcis itaque id nomen inditum, ſcribente Imp. Conſtantino Porphyr. *de Admin. Imp. c. 27.* quòd *Langobardi è Benevento excurſione in omnem ditionem facta, ſubjecerunt eam Themati Langobardiæ, & Calabriæ*. Quare Præfecti à Græco Imperatore regimini Italiæ, ſive M. Græciæ, *Stratigi Langobardiæ* inſcribebantur, ut ex adductis, & item *in Chronico Vulturnenſi* p. 413. in præcepto A. 892. Georgius ſe inſcribit *Stratigos Cephaloniæ, atque Langobardiæ*. Quam appellationem receptam adhuc à Saracenis, & Arabibus novimus ex *Chronico Siculo*, ad A. 929. ubi *SaKlabius excurſionem fecit uſque ad Alancaberdam*, ubi Gloſſator n. 37. *Longobardia inferioris Italiæ, ſive Ducatus Beneventanus, & appendices*. Mittimus plura alia teſtimonia Cedreni, & Curopalatis. Igitur his retentis, ne fuſiores ſimus, *duæ* certiſſimè diſtinguebantur *Langobardiæ* in Italia: *Major* una, altera *Minor*. Cis Tiberim ſanè *Major*, & hæc Gallia Ciſalpina, poſt Neuſtria, tandem Lombardia. Ideo in *Miſcella lib. 23. p. m. 736.* habetur, quòd „ Eirena (Irene) miſit Johannem Sacellarium in Longobardiam, unà cum *Adelgiſo* dudum *Majoris Longobardiæ* Rege. „ Trans Tiberim *Minor*, & hæc Magna Græcia, ſive Ducatus Beneventanus, & Appendices. Igitur ex Cruce-ſignatis ad bellum ſacrum profectis alii *Lombardi*, alii Longobardi. Diſtinctio certiſſimè neceſſaria. *Lombardi* erant Noſtrates, ſive ex Gallia Ciſalpina. *Longobardi* verò ex Tranſtiberina Italia, ſive M. Græcia. Ideoque Græci ſemper *Longobardiam*, Noſtrates Lombardiam appellant. Gallis quoque *Lombardi Lombardia*, ut apud Dufrenium, qui tamen diſtinctionem non obſervavit. Hæc damus quoad meliora quis ſuggerat in re, nondum fortè, ut oportet, expenſa.

(105) Prodit hic Auctor noſter rationes, quæ Mediolanenſes, alioſque ad defectionem impellebant, ita ut perperam Mediolanenſes incuſet

EX CODICE AMBROSIANO.

Procuratoribus Imperatoris agitarentur, & hoc malum quasi pro gravissimo morbo ferè super omnes Lombardos jam adoleverat, tandem Imperator cum sua nobili conjuge in millesimo centesimo sexagesimo sexto anno in mense Novembri de Indictione quintadecima in Longobardia cum magno exercitu reversus, ipso exercitu in ..... relicto, Laudæ cum sua conjuge, multisque etiam suis Principibus tam Teutonicorum, quàm Longobardorum vênit, ibique maximum colloquium fecit, & ibi in ipso colloquio cum toto suo exercitu Romam ire disposuit, itaque Episcopi, Marchiones, Comites, Capitanei, aliique etiam Proceres, ac quamplures etiam alii Longobardiæ homines tam magni, quàm etiam parvi, alii cum Crucibus, alii sinè Crucibus ante Imperatorem venientes de prædictis Imperatoris Procuratoribus ac Missis valde conqueruntur, & mala ab illis ipsis illata, sicut eis facta fuerant, Imperatori, ejusque Curiæ per ordinem referunt.

Imperator namque hæc audiens multùm se inde condolere in principio demonstravit, sed tamen in fine querimonias Longobardorum quasi vilipendens ac pro nihilo habens, nihil inde fecit. Igitur Longobardi hoc videntes, ac maximum dolorem exinde reportantes, quasi pro mortuis se habuere, ac exinde maximum timorem mixtum cum dolore habere cœperunt, timentes etiam ac putantes Imperatoris Procuratores, consilio & voluntate Imperatoris hoc, quod super Lombardos egerant fecisse, insuper etiam magìs timentes, ne in posterum eis deterius contingeret, quàm retro adhuc contigisset. Colloquio itaque separato, Imperator, sua conjuge Laudæ relicta ad exercitum rediit, ac post paucum tempus Laudæ cum toto suo exercitu revertens, deinde Papiam perrexit, atque exinde in .... pergens, Sanctissimam Domini Nativitatis festivitatem celebravit. Igitur ipsa festivitate transacta Imperator Laudæ reversus est, ac postea in die Mercurii, quæ fuit undecima mensis Januarii (106) de millesimo centesimo sexagesimo septimo anno, de Indictione quintadecima à Laude cum sua conjuge, suoque exercitu omni versùs Romam profectus est. Cùm autem ad Bononiæ civitatem pervenisset, à Bononiensibus obsides petiit, ac illi libenter suo jussu obedientes de his, quos postulavit, plus de triginta ei cum magna etiam pecunia obtulerunt. Imperator namque apud civitatem Parmæ eos omnes in custodiam haberi jussit; deinde à Bononia discessit. Cùm verò apud Imolam pervenisset, & ibi ab Imolensibus, quia eos destruere minabatur, & à Faën-

EX EDITO AB OSIO.

peratoris adventum quotidie expectabant; dicentes insimul; non credimus, hoc malum & dedecus permissu Imperatoris fieri; sed benè credimus, quod, cum Imperator venerit, sibi hoc displicebit; & omnia mala, quæ nobis ingerunt, penitus removere faciet; nec unquam sit aliquis interim, qui ante Imperatoris adventum aliquod malum alteri ingerat, sed totum pro Imperatoris amore, donec venerit, in pace sustineamus.

Interea dum hæc in Lombardia agerentur, tandem Imperator cum sua nobili Conjuge in anno MCLXVI. mense Novembris Indictione quintadecima reversus est in Lombardiam; & Laudam veniens cum conjuge, multisque etiam suis Principibus tam Theutonicorum; quam Lombardorum; ibi maximum colloquium Lombardorum, & Alemanorum habuit, & in ipso colloquio cum toto Exercitu Romam ire disposuit. Tunc verò Episcopi, Marchiones, Comites, Capitanei, & alii proceres, & magnates Lombardiæ venientes ante Imperatorem, de prædictis suis procuratoribus, & nuntiis durissimè conqueruntur; & mala ab eis sibi illata Imperatori, ejusque Curiæ ordine retulerunt. Imperator verò, hoc audiens, in primis multùm se dolere monstravit; sed tamen in fine querimonias Lombardorum quasi vilipendens, & pro nihilo habens, nihil inde fecit. Hoc autem videntes Lombardi, plurimum doluerunt; & quasi existimantes, quod de Imperatoris voluntate, & consilio, qui de suis querelis parum curare videbatur, tantas injurias sibi fecissent Procuratores sui, timuerunt nimis, ne sibi majores fierent in posterum, deteriusque contingeret. Finito itaque colloquio, & transacta Sanctissimæ Dominicæ Nativitatis festivitate, Imperator cum conjuge sua, & cum toto Exercitu suo die Mercurii 16. mensis Januarii in anno 1167. indictione quintadecima, Romam versus profectus est; qui cum Bononiam pervenisset, à Bononiensibus obsides petiit. Bononienses verò petitioni suæ libenter obtemperantes, ei plures triginta obsides concesserunt; quos omnes Imperator Parmam misit, mandans, ibi eos omnes diligenter custodiri. A Bononia verò discedens cum apud Imolam pervenisset, ab Imolensibus, quia eos destruere minabatur, & à Faventibus, & ab illis de Forlini, & à Forlìpopulo multas pecunias exegit; & ibi circumquaque usque ad Quadragesimam, & usque ad festum Sancti Petri permansit; deindè ad civitatem Anconæ perrexit, & eam capere volens fortiter expugnavit; sed quia ipsa civitas fortis erat valdè, & etiam bene murata, cives ipsius eam viriliter defenderunt. Sed tamen quampluribus ex eis vulneratis, multisque mortuis, & etiam cap-

set Urspergensis *in Friderico* p. 297., ubi scribit quòd *Mediolanenses superbi, rebelles consueverunt esse Imperatoribus exortis de Svevia. Illis verò, qui de Saxonia erant, devotius assistebant; eo quod, ut supradictum est, Lotharius Imperator pro ipsis tulit sententiam contra Cremonenses. Cùm sint etenim superbissimi, solent occupare terminos vicinarum civitatum, & ipsas, quas possunt, suo subdere Imperio;* Sed qui Imperatores Svevi ante Fridericum, quibus Mediolanenses fuerint rebelles? Certè Fridericus primus Imperator fuit ex Svevis, ut Urspergensis malè dixerit, *consuevisse Mediolanenses fuisse rebelles Svevis Imperatoribus.* Hæc sunt, quæ prædixerat de Cremonensibus p. 291. *in Lothario Saxone; hoc modo Mediolanenses, & Cremonenses diuturnum bellum inter se habentes, causam Vverræ coram Imperatore exponunt. Cremonenses verò à Principibus Italiæ, tanquam habentes injustam causam hostes judicantur, proscriptique discedunt, quos ipse Imperator subsecutus, territoria eorum, ac Villas, seu Castella destruxit.* Quod postea etiam Mediolanenses sibi alios subdere curarent, mos fuit semper omnium, ut quod possent capere, caperent; Ita Principes, & Respublicæ sua ampliarunt dominia.

(106) Malè in Osii Codice legitur die Mercurii 16. Januarii, nam A. 1167. dies 16. Januarii non erat Mercurii, sed Lunæ. Dies autem Mercurii verè incidit in 11. Januarii.

EX CODICE AMBROSIANO.

Faentinis, & ab illis de Forlivio atque Forlipopolo multas pecunias exegit, ibique etiam circumquaque usque ad Quadragesimam, & postea etiam per totam Quadragesimam tempus protraxit, & in illis partibus ferè usque ad festivitatem Sancti Petri cum suo exercitu permansit. Deinde ad civitatem Anchonæ perveniens (107), ibique cum ipsis civibus, quia eam capere volebat prœlium commiscens, cives ipsi tamen, quia civitas ipsa naturâ fortis erat, tum etiam quia mœnibus bene munita fuerat, ipsam civitatem viriliter defenderunt. Sed tamen ut in prœliis sæpe accidere solet, quampluribus ex eis mortuis & vulneratis, multisque etiam captis, secum fœdus de magna pecunia ei tribuenda inierunt, atque obsides quindecim pro solvenda ipsa pecunia Imperatori tradiderunt. Sed cùm Imperator ferè per tres hebdomadas Anconam obsedisset, multaque etiam propugnacula ad ipsam civitatem capiendam necessaria ibi fabricari fecisset, tandem fœdere cum ipsis inito discessit, ac versùs Romam ire incœpit.

Interea namque dum ea, quæ supra diximus in partibus Tusciæ, & Romaniæ ab Imperatore sic agitabantur, Procuratores Imperatoris, quos in Longobardia relinquerat, nihilominus, immo etiam multo magìs ultra quàm soliti fuerant super Longobardos sæviebant, & multis ac diversis injuriis eos opprimebant. Longobardi igitur sic sibi fieri cernentes, ac nullus eorum nullaque etiam civitas per se vindictam inde sumere audens, cùm tanta mala sibi fieri, vita comite, nullo modo pati poterant, nec eis ne sibi fierent resistere audebant, tandem necessitas consilium inde reperit. Mediolanenses namque cùm multo magìs, quàm alii Longobardi ita opprimerentur, quòd nullo modo evadere aut vivere posse putarent, tandem cum Cremonensibus, & Pergamensibus, atque Brixiensibus, seu Mantuanis, ac Ferrariensibus colloquium fecerunt. Qui omnes cùm insimul coadunati fuissent, ac mala & incommoda à Procuratoribus Imperatoris & Missis sibi illata vicissim inter se retulissent, melius esse cum honore mori, si opporteret, & aliter fieri non posset, quàm turpiter & cum tanto dedecore vivere statuerunt; quapropter illi statim fœdus omnes inter se inierunt (108), & concordiam, atque pactum, hoc videlicet, quòd unaquæque civitas adjuvaret alteram, si Imperator, aut ejus Procuratores, vel Missi aliquam injuriam vel malum ampliùs sinè ratione eis inferre vellent, firmiter inter se firmaverunt ac jurejurando, salva ta-

EX EDITO AB OSIO.

captis, cum Imperatore fœdus inierunt; magnam sibi pecuniam promittentes, pro qua sibi solvenda ei quindecim obsides tradiderunt. Hoc verò fœdere inito Imperator inde recedens, versus Romam cœpit iter.

Dum hæc autem Thusciæ, & Romaniæ ab Imperatore agerentur, Procuratores ipsius, quos in Lombardia reliquerat, super ipsos Lombardos iniquius solito sævientes, ipsos tantis, & tam gravibus contumeliis, & injuriis affligebant, quod nullo modo sic gravatos se posse vivere existimabant. Quare Mediolanenses, qui durius aliis opprimebantur, cum Cremonensibus, Pergamensibus, Brixiensibus, Mantuanis, & Ferrariensibus colloquium statuerunt; in quo cum omnes insimul congregati mala sibi à Nuntiis Imperatoris illata ad invicem retulissent; magis mori cum honore, quam miserabiliter vivere eligentes, hoc pactum ibidem cum juramento inter se firmaverunt; videlicet, unaquæque civitas alteram adjuvaret, si Imperator, aut Procuratores ejus de cætero eis, vel alicui earum aliquam malitiam inferrent, vel eos contra rationem in aliquo molestarent; salva tamen Imperatoris omni fidelitate, quam per hoc pactum infringere nullatenus intendebant. In ipso etiam colloquio certum terminum statuerunt, in quo omnes Mediolanum pergerent, & ipsos Mediolanenses in sua civitate ponerent, & cum eis in ipsa tamdiu manerent, & eos ad fossata eorum relevanda adjuvarent, quamdiu ipsi Mediolanenses se solos ibi manere securiter posse minimè dubitarent. Quibus sic peractis, omnes ab ipso colloquio recedentes ad suas civitates cum ingenti gaudio redierunt. Appropinquante vero ipso termino, prædictæ civitates Mediolanum venientes cum Vexillis, & armis, ipsos

(107) Abbas Stadensis infelix in Chronologia hanc obsidionem consignat A. 1173., ubi describens Christianum Archiepiscopum, de quo nos supra, subdit, quòd *iste Christianus Anconam tunc obsessam fame sic affecerat, ut calceorum, & scutorum coria devorarent. Subjugavit etiam Ferrariam, & Ravennam.* Misso A. 1174. subdit *sub* 1175. *quòd idem Christianus Anconam destruxit, & naves piraticas* 300. *suo usui deputavit.* Sed hanc obsidionem Anconæ contigisse Anno 1172. satis liquet ex brevi notitia MS. obsidionis Anconæ Auctore quodam Boncompagno, scribente Anno eodem 1172. Quæ *Notitia* in hoc tomo exhibetur.

(108) Ut singuli optimè meriti de Patria nostra innotescant, ipsisque gratias agamus, quos non omnes recitant Codex noster, nec Osii, prodimus ex Actis S. Galdini apud Bollandistas 18. Apr. p. 594. n. 5. præsertim cùm læta repetere liceat. Ibi legimus, quòd ,, Lombardi. . . . . . . memores roboris, & fortitudinis memoratæ civitatis, clam inierunt ,, consilium, & eam in munimentum, ac aliarum civitatum defensionem instaurare statuerunt . . . . Plures Lombardorum memores pristinæ societatis, & amoris, ad ipsam armata manu accederent civitatem, ut Cives, qui in quatuor partes dispersi fuerant ad civitatis introitum hortarentur, & confirmarent. Primitusque *Bergamenses* milites decem cum decem vexillis venerunt: *Brixiensesque*, & *Cremonenses*: *Mantuani* quoque cum *Veronensibus*, cum iis, qui *Marchiam* incolunt *Tarvisanam*, Mediolanenses introduxerunt in civitatem A. D. 1167. V. K. Maji. Tunc fuit videre populum de Babylonica captivitate redeuntem.

EX CODICE AMBROSIANO.

tamen, ficut dicebatur palàm, Imperatoris fidelitate, corroboraverunt, ac certum terminum inter se ftatuerunt, in quo omnes Mediolanum pergentes ipfos Mediolanenfes in ipfa Mediolani civitate ponerent, & cum eis tamdiu in ipfa civitate manerent, & eos de foffata ipforum relevanda adjuvarent, quamdiu ipfi Mediolanenfes securè ftare per fe folos poffe in ipfa civitate confiderent, quo quidem fic peracto, omnes læto animo ab ipfo colloquio feparati funt.

Statuto verò termino propinquante, prædictæ civitates Mediolanum venientes cum vexillis & armis multis Mediolanenfes in ipfam Mediolani civitatem cum magno gaudio magnaque lætitia menfe Aprilis introduxere, & omnia, quæ eis promiferant bene ac læto animo ipfis adimpleverunt. Cùm autem Mediolanenfes fecurè fe ibi remanere poffe putaverunt, multas gratias civitatibus à cœlo ufque ad terram referentes domum reverti eos omnes concefferunt. Cùm verò Cremonenfes, & Brixienfes, atque Pergamenfes feu Mantuanos infimul conjuratos fore, ac ipfos Mediolanenfes in civitate Mediolani, quam Imperator deftruxerat, vi aut clam pofuiffe Imperatori nunciatum eft, quamvis in corde ultra etiam, quàm quifque ratus fit, graviter accepiffet, tamen vilipendere, ac pro nihil fe habere palàm demonftravit. Interea Cremonenfes Legatos Laudæ miferunt, qui cùm Laudæ veniffent, qui confilium ac totam Laudenfium credentiam (109) infimul convocaffent in principio ficut moris eft omnes Laudenfes à parte fuorum Confulum, deinde omnium Cremonenfium falutavere, ac poftea id totum, pro quo venerant per ordinem nuntiantes dixerunt, quatenus ipfi Laudenfes cum Cremonenfibus, aliifque civitatibus omnibus fecum conjuratis, fœdus, falva tamen Imperatoris fidelitate inirent, dicentes eis, quòd omnes prædictæ civitates, fi Imperator illis ejus Miffi, feu Procuratores aliquod malum ampliùs eis facere vellent, omnimodo & per omnia eos adjuvarent. Laudenfes verò id, quod audire nunquam volebant, nec putabant audientes, & in magnum dedecus maximumque dolorem ipfa verba tunc accipientes, infimul omnes una eademque voce multùm vociferantes, dicentes etiam fe magis velle mori, & omnia eorum bona amittere, quàm hoc tale fcelus perpetrare, nullo etiam bono verbo nec quieto à Laudenfibus tunc audito. Tandem confilio fic direpto Cremonenfes, qui bene putabant Laudenfes omnia, quæ vellent, aut eis fuggererent proculdubio facere, mœfti ac dolentes Cremonam rediere, qui cùm Cremonam veniffent, ac omnia, quæ à Laudenfibus audierant, Cremonenfibus per ordinem narraffent, valde omnes inde condoluerunt, ac poft parvum tempus iterum Legatos Lauden-

(109) De qua fusè fuo more Ofius *in notis* p. 27. & feqq. fed non omnia mihi probantur, ut nec illud *ex Longobardorum inſtituto* (ut obiter ait) *datos olim urbibus annuos Coſs. qui curam Reip. gererent, deque bello, ac pace decernerent*: nam illud *Longobardorum* connotat eorum Regnum. Breviùs, & rectiùs Credentiam faltem Mediolani intelligimus (nam non ubique eadem, ut ex laudatis ab Ofio) ex verbis Flammæ *in Chron. maj. c.* 82. apud Puricell. *Baſil. Ambr.* p. 1035. ubi dicitur: *Congeries Artiſtarum, dicta Credentia, ſibi ex* Nobilibus præfecerunt Tribunum, *quem Caput Populi appellaverunt*. Adftipulatur Sigonius fub A. 995. *Qui artes, opificiave tractarunt, novo ſe Credentiæ nomine appellarunt*. Locum ubi hoc Confilium celebrabatur, innuit Calchus p. 264. & 325. ubi NB. quòd Martinus Turrianus nomine IV. à Confilio Credentiæ ad Reipublicæ adminiftrationem promotus, is ipfe poft *Credentiam Populi in totam ſuſtulit, negotiaque publica pro arbitrio adminiſtravit*. Verba Calchi p. 331. fub A. 1259.

EX EDITO AB OSIO.

ipſos Mediolanenſes in civitate Mediolani cum magna lætitia menſe Aprilis introduxerunt; & eis omnia, quæ promiſerunt, impleverunt. Quando verò Mediolanenſes putaverunt, ſe ibi poſſe manere ſecurè, prædictas civitates, maximas gratias referentes, omnes redire domos ſuas conceſſerunt. Hæc autem omnia cum ad Imperatorem perveniſſent, palam ſe habere pro nihilo, & quaſi de hoc non curare monſtravit. Tamen hæc clam graviter accipiens, doluit vehementer. Poſthac verò Cremonenſes Ambaſciatores Laudam miſerunt; qui cum veniſſent Laudam, & totam inſimul Laudenſium credentiam habuiſſent; rogaverunt eos ex parte Cremonenſium; quod ipſi cum Cremonenſibus, & aliis civitatibus ſecum conjuratis fœdus inirent, ſalva tamen Imperatoris fidelitate; dicentes eis, quod ſi Imperator, vel ejus Nuntii vellent eis de cætero aliquod malum inferre, prædictæ civitates eos in omnibus adjuvarent. Laudenſes verò id, quod nunquam audire volebant, nec putabant, audientes; & in magnum dedecus, magnumque dolorem accipientes tunc ipſa verba, inde ſimul omnes vociferati ſunt; dicentes, ſe magis velle mori, & eorum bona omnia amittere, quam hoc tale ſcelus perpetrare. Et ſic nullo bono verbo à Laudenſibus ſuper hoc tunc audito, nec habito, Cremonenſes, qui putabant, Laudenſes omnia ſine dubio facere, quæcunque ſibi ſuggererent, diſceſſerunt. Qui cum perveniſſent Cremonam, & omnia, quæ à Laudenſibus audierant, per ordinem enarraſſent, omnes inde valdè condoluerunt. Poſt paucum tempus iterum Cremonenſes alios Ambaſciatores Laudam miſerunt; quibus hoc idem, quod primis, perſuadentibus; acrius, quam prius reſponderunt. Ambaſciatores verò talia audientes, quamvis mœſti, ſtatim domum ſunt reverſi. Poſtremò igitur Cremonenſes multum inde turbati, convocatis aliis civitatibus, & ſecum colloquium habentibus; ſicut cum Laudenſibus egerant, & qualiter eis reſponderant, narraverunt. Qui omnes tam gravem reſponſionem Laudenſium audientes, ſtatim communicato conſilio, ſtatuerunt Exercitum quam magnum poterant facere ſuper ipſos Laudenſes; antea tamen ex eis nobiles, & ſapientes Ambaſciatores miſerunt; qui ipſos Laudenſes ex parte eorum omnium intimè rogarent, quatenus pro totius Lombardiæ ſuſtentatione, & honore cum eis fœdus inirent, & pactum, & concordiam, ſicut etiam per alios Ambaſciatores rogati fuerant, ſecum firmam in perpetuum facerent; & hoc ſi facere renuerent; ſcirent, ipſas omnes civitates ſuper eos proculdubio venturas, & totum Epiſcopatum Laudenſium igne, præda, omnique alio damno, quo poterunt, vaſtaturos; & cives ipſius belli manganis, & omnibus aliis ad prælium faciendum, & civitatem capiendam neceſſariis, prout melius poterunt, oppreſſuros; & ſi civitatem violenter caperent, ſicut bene poſſe

EX CODICE AMBROSIANO.

densibus misêre, qui hoc idem similiter postulavere, quod primi postulaverant. Laudenses verò maximo dolore commoti acriùs etiam quàm in primis fecerant responderunt. Legati quidem hoc audientes quamvis mœsti citò rediere domum. Postremò igitur Cremonenses multùm irati ac dolentes, convocatis Mediolanensibus & Pergamensibus, atque Brixiensibus, seu Mantuanis insimul colloquium fecerunt, quibus insimul collectis, Cremonenses omnia, sicut cum Laudensibus egerant, qualiterque Laudenses eis responderant, per ordinem eis narravere; qui omnes tam acerrimam Laudensium responsionem audientes, ac quasi se nihil fecisse, si concordiam & amorem Laudensium non haberent opinantes, & maximè propter Mediolanenses, quos aliæ prædictæ civitates jam, ut supra dictum est, in civitatem crexerant, & quos in ipsa civitate Mediolani sinè Laudensium amore, & adjutorio, & maximè pro victualibus eis præstandis remanere non posse putabant, dicentes etiam, quòd oporteret Mediolanenses iterum de ipsa civitate exire, si Laudenses eis alimenta non præberent, ac alias civitates præbere eis non dimitterent, quod nullo modo facerent, si eorum discordiam haberent. Insuper etiam putantes, quòd si Imperator à Roma cum suo exercitu rediens in ipsa civitate tractaret, ampliùs Mediolanenses succurrere non possent, nec ipsos sinè eorum decursu, & maximè victualium manus Imperatoris effugere valerent, dicentes insimul: quòd si Imperator Laudæ civitatem intraret, quoniam naturâ civitas fortissima est, & bene munita mœnibus totam Longobardiam adhuc acquirere, suæque ditioni, sicut & antea fuit, penitus subjugare. His itaque & aliis multis verbis in colloquio habitis, ibi statim consilio exercitum tam peditum, quàm equitum, prout magnum colligere ac facere poterant, cum navibus etiam, aliisque machinis, quæ ad bellum peragendum civitatemque capiendam necessariæ fuerant, super Laudenses indixere. Postremò namque alios Legatos nobiles ac sapientes adhuc iterum Laudensibus miserunt qui eadem verba, quæ primi & secundi Legati dixerant à Laudensibus postularent, ac genuflexi eos rogarent, quatenus pro Dei amore, & eorum servitio, atque totius Langobardiæ honore, & sustentatione cum eis fœdus inirent, concordiamque ac pactum, sicut eis pluribus vicibus jam per alios etiam Legatos mandaverant, in perpetuum facerent, quòd si hoc facere renuerent, sciant omnes prædictas civitates citò cum omni exercitu quem unquam colligere aut habere poterunt proculdubio super eos esse venturas, & totum Laudensem Episcopatum, & igne & præda, alioque omni, quo poterunt, damno devastaturas, atque Laudæ civitatem undique obsessuras, ac cives ipsius bello manganisque & petreriis aliisque omnibus machinis ad bellum faciendum civitatemq; capiendam opportunis, prout potuerint tam per aquam, quàm per terram omnimodo oppressuras, & si civitatem per vim capere possent, quod facere posse bene putabant, totam expoliarent, deinde eam igne comburerent, ac ipsam civitatem totam terra prosternerent, atque penitus dissipabunt, homines insuper & fœminas in ipsa ci-

EX EDITO AB OSIO.

posse facere putabant, totam ipsam in primis expoliarent, deindè eam igne accenderent, & penitus dissiparent; homines insuper, & fœminas, quas in ipsa civitate invenirent, occiderent. Ambasciatores autem cum Laudem pervenissent, cum ipsis Laudensibus colloquium facientes, narraverunt sibi per ordinem omnia supradicta. Laudenses verò hoc audito, quamvis mæsti nimis indè forent, tamen propositum suum firmiter tenentes, his Ambasciatoribus hoc idem, quod aliis responderunt. Qui tali responsione habita, statim ad eos, à quibus missi fuerant, revertentes, eis voluntatem, & responsionem Laudensium narraverunt. Qui cum hoc audissent, adversus Laudenses multum irati, incontinenti super eos Exercitum facere decreverunt. Tempore verò inter eos statuto, Mediolanenses, Pergamenses, Brixienses, Mantuani, & Cremonenses maximum Exercitum insimul colligentes, cum navibus coopertis, & discoopertis, atque cum plaustris, & ballistariis, & cum arcatoribus, & manganis, & aliis ad prælium faciendum necessariis, die Veneris duodecimo mensis Maji ejusdem anni, Indictione decimaquinta, venerunt ad obsidendam civitatem Laudensem. Cremonenses namque per totam Sylvam Græcam cum navibus, & tentoriis hospitati sunt. Mediolanenses autem cum omnibus aliis, exceptis Pergamensibus peditibus, à Curte, quæ dicitur de Isola, usque ad hospitale Sancti Blasii, quod est situm supra costam Paludis de Sylva Græca ante portam Imperialem, & portam Papiensem, & portam Cremonensem castrametati sunt. Pergamenses verò pedites ex alia parte Abduæ postea post plures dies applicuere. Sequenti itaque die Veneris maximum prælium inter Cremonenses, & Laudenses ad Cantonem de Serra Valle juxtà flumen Abduæ, & etiam in ipsa commissum est. In quo multi ab utraque parte vulnerati sunt. Sed tamen Laudenses fortiter pugnantes viriliter se defenderunt. Ipso etiam die Veneris prædictæ civitates fabricare cœperunt quendam Pontem super ipsum flumen Abduæ propè portum publicum ex navibus insimul confixis. Sequentibus autem diebus Sabbati, & Dominicæ ipsos Laudenses ex improviso cum pillotis, & lapidibus, plerumque etiam cum ensibus, & lanceis plurimum die, noctuque infestabant. Denique Laudenses cum tantæ multitudini se nequaquam posse resistere cernerent; viderentque, sibi imminere periculum mortis; quam eis minabantur ipsorum inimici, si eos per vim vincere contingeret; post damna plurima eis in rebus, & personis illata, pactum, & concordiam cum prædictis civitatibus, salva semper Imperatoris fidelitate, proximo die Lunæ sequenti fecerunt, prout ab eis ipsæ civitates requirebant. Sequenti verò die Martis omnes ab obsidione civitatis Laudæ cum magno gaudio recesserunt. Sed aliis domum sic lætanter redeuntibus, Mediolanenses, & Pergamenses, cum manganis, & petreriis ad obsidendum Castrum Trecii; in quo Imperator dimiserat quendam suum militem Theutonicum, nomine Ruinum; & ipsum Castrum optimè muro grossissimo, & turre altissima muniri fecerat; multasque divitias, & pecunias ibi congregaverat; valdè læti perrexerunt. Ipsa etiam die Martis Lambertus in Lauda Procurator, & missus Imperatoris unà cum Comite Lantelmo de Crema, ejusque filiis, & Joanne del-

EX CODICE AMBROSIANO.

civitate inventas, omnes interficient. Legati igitur Laudam venientes colloquium cum Laudensibus habuere, ac omnia supradicta verba singillatim cum Laudensibus habuere, ac omnia supradicta verba singillatim Laudensibus per ordinem renuntiaverunt. Laudenses itaque hoc audito, quamvis inde mœstissimi forent, tamen propositum, quod prædixerant, quasi Legatorum dicta vilipendentes, ac pro nihilo habentes, nullo modo remutaverunt, nec aliter nisi sicut antea per ordinem aliis Nuntiis dixerant, his præsentibus Legatis respondere; dicentes insuper etiam se valde mirari, nec unquam donec viderint credere posse, quòd prædictæ civitates, & maximè Cremonenses, qui Imperatore antepositо ipsam civitatem Laudæ partim suis propriis impensis, partim etiam manuum suarum labore magìs ædificaverant, quàm ulla alia civitas, ut persona, quæ foret in toto orbe terrarum unquam ædificasset, ad destruendam vel obsedendam civitatem Laudæ, nec ad suos proprios homines, & amicos intimos interficiendos venirent, qui etiam à multis retro temporibus & veteri civitati Laudæ, donec destructa fuit, & post ipsam civitatem à Mediolanensibus captam dudum, & usque ad solum destructam burgis de Laude, & post destructionem ipsorum Suburbiorum huic novæ civitati Laudæ semper opitulaverunt; dicentes insuper etiam, quòd si totam civitatem comburere ac penitus destruere, & omnes homines in ipsa habitantes interficere deberent, nunquam hoc tale fœdus secum contra honorem Imperatoris, qui eos reædificaverat, inirent, nec aliquid contra illius dedecus, fidelitatemque se scientibus molirentur. Legati itaque hoc audientes, & voluntatem Laudensium sic firmam esse cernentes, nec verba eorum aliquid proficere posse videntes, mœsti, valdeque irati, lugentesque abierunt, atque his, qui eos miserant, sicut à Laudensibus audierant, per ordinem narraverunt; qui omnes valde graviter suscipientes, statim ubique per omnes eorum terras causâ legendi exercitus miserunt, ac tempore inter eos statuto exercitum maximum insimul collegere. Postremò namque Mediolanenses, & Pergamenses, Brixienses quoque, & Mantuani, nec non & Cremonenses cum navibus coopertis, & discoopertis, atque cum plaustris, & arcatoribus, & balestreriis, nec non & fronzatoribus, seu petreriis, & manganis, aliisque omnibus ad bellum faciendum instrumentis in die Veneris, quæ fuit duodecima dies mensis Madii ejusdem anni, & de Indictione quintadecima, ad Laudæ civitatem obsedendum venerunt.

Cremonenses namque ferè per totam Silvam-græcam cum navibus & tentoriis hospitati sunt, Mediolanenses cum omnibus aliis, exceptis Pergamensium peditibus, à Turre, quæ dicitur da Isella, usque ad hospitale Sancti Blasii, quod est situm supra costam paludis de Silva-græca ante portam Imperialem, & portam Papiensem, atque portam Cremonensem omnes castrametati sunt, ibique multos papiliones multaque tentoria fixere. Bergamensium quoque pedites ex alia parte Abduæ post plures dies postea venerunt. Sequenti itaque die Veneris maximum prœlium inter Cremonenses & Laudenses ad cantonem de Serra-valle

EX EDITO AB OSIO.

della Montagna, & Bellone Pius impulsi, qui dicitur de Curte tunc Consule Papiæ, qui omnes in occursum Laudensium tunc venerant unà; & cum Medi-opresbytero de' Summa ripa, & Manfredo Morena, & Petrutio Muntio, & Arialdo Pocaledo, & Malfaxado de Lixano Laudensibus equitibus tensa Cremonæ rituum iverunt ad civitatem Papiæ, qui tam parvo tempore cum ipso Lamberto Papiæ morati, domum reversi sunt. His itaque Laudæ sic peractis, Mediolanenses, & Pergamenses, qui ad Castrum Trecii obsidendum perrexerunt; Castello ligneo, & manganis, & petreriis quampluribus ibi ædificatis; quodam etiam ponte ligneo super flumen Abduæ, quæ ferè circumquaque deambulabat, post Castellum fabricato; ad obsidionem Castri ipsius usque ad festum Sancti Laurentii tunc proximè venientis steterunt, antequam ipsum capere possent. Sed cum prædictus Ruinus, & Theutonici, atque Lombardi, qui amore Imperatoris castrum ipsum causa defendendi intraverant; plures Imperatori misissent; quod nisi eis succurreretur, ipsum defendere nequaquam possent; & ab eo, nec ab eis amicis succursum aliquem haberent; scientes Mediolanenses, & Pergamenses firmiter ordinasse, eos omnes interficere, si per fortiam ipsos caperent; tandem ipsum castrum dolentes multum hoc modo reddiderunt, videlicet; quod omnes, qui in ipso erant, relicto castro, omnibusque etiam rebus, quæ intus erant dimissis, sani, & incolumes extrà castrum abirent; præter jam dictum Ruinum, & omnes Theutonicos, & paucos Lombardos, qui illud intraverant; quibus solummodò vitam concesserunt, & eos Mediolanum in vinculis ducentes in carceribus detruserunt. His itaque extrà castrum ire permissis, Mediolanenses, & Pergamenses, & alii, qui ad obsidionem ejus fuerant, ipsum intrantes, in primis totum expoliaverunt, deindè totum combusserunt. Postremò muros ipsius, & Turrem pulchriorem, quam in tota Lombardia tunc fuisset, in terram prostraverunt. Hæc autem omnia cum Imperatori fuissent relata, quamvis inde se multum dolere non monstrasset, tamen graviter nimis suscepit.

EX CODICE AMBROSIANO.

EX EDITO AB OSIO.

valle juxta flumen Abduæ, & in ipsa etiam aqua Abduæ commissum est, in quo multi ab utraque parte vulnerati fuere. Sed tamen Laudenses fortiter pugnantes viriliter se defenderunt. Ipsoque etiam die quemdam pontem supra ipsum flumen Abduæ prope portum publicum fabricare ex navibus insimul confixis incœperunt; sequentibus autem diebus Sabbati & Dominicæ semper cum pilotis & lapidibus, ac plerumque etiam cum lanceis, & ensibus die noctuque quotidie ipsos Laudenses infestabant. Interea namque Cremonenses, aliique Laudensium inimici circumstantes, ac vinum, & blavam, & vegetes, atque tinas, scrineosque etiam, & alias res omnes, quæ portari poterant, rapientes, domosque etiam villanorum, & res illas, quæ portari non poterant, comburentes, paleam quoque & fœnum, quod extra civitatem fuerat, auferentes, totamque terram expoliantes, tandem maxima pars Laudensium, & maximè villanorum ac pauperum, qui in ipsa civitate cum maxima copia bovum atque pecorum, seu etiam porcorum fugerant, nec habebant aliquid, quod eis ad manducandum præberent, & fame necabantur, tum etiam propter aliud maximum damnum atque guastum, quem quotidie in rebus eorum fieri videbant, tum etiam propter minas, quas eorum inimici quotidie faciebant, quoniam minabantur omnes ipsos occidere, nulla remissione eis habita, quia dicebant ipsos Laudenses totam Longobardiam cum Imperatore velle destruere, tum etiam, quia tantæ multitudini, cùm ipsi quantum ad ipsam paucissimi forent, nec adhuc bene aptati fuerant, circumquaque resistere se non posse putabant, & si per virtutem caperentur omnia ipsorum bona ammitterent, & adhuc deterius foret, omnes mori timebant; unà etiam bene ac firmiter credebant, & maximè quia bene sciebant Mediolanenses nullam pietatem de ipsis habere, quàm de rabiosis canibus haberent, & si manus aliorum inimicorum effugerent, ipsorum tamen Mediolanensium manus nequaquam evadere valerent. Postremò fœdus cum ipsis eorum inimicis in proximo die Lunæ veniente, mœsti ac præ nimium dolentes propter mortis timorem evadendum, salva Imperatoris fidelitate, sicut palàm tunc dicebatur, inierunt. Sequenti verò Martis die omnes ab obsidione civitatis cum magno gaudio, maximaque lætitia recessere, aliis autem omnibus domum revertentibus, Mediolanenses & Pergamenses cum manganis & petreriis ad obsidendum Tritii castrum, in quo Imperator quemdam suum equitem Teutonicum, Ruinus nomine, dimiserat, & ipsum castrum bene & optimè muro grossissimo ac turre altissima fecerat, ac in ipso castro multas pecunias aliasque etiam divitias congregaverat, valde læti perrexere. Ipsoque etiam Martis die Lambertus in Laude Procurator Imperatoris ac Missus, & unà cum Comite Lantelino de Crema ejusque filiis, & Johanne della Montagna, atque Bellone Piscenpulte, qui & de Curte etiam dicitur, tunc Consule de Papia, qui omnes in occursum Laudensium tunc venerant, & unà etiam cum Medio-Presbytero de Summarriva, & Manfredo Morena, & Petracio Moncio atque Airoldo Pocalodo, & Mal-

EX CODICE AMBROSIANO.

Malfaxado de Valarano Laudensium Equitibus Tensa Cremonensium ad Papiæ civitatem recesserunt. Sed prædicti Laudenses Equites, quamvis cum prædicto Lamberto amore Imperatoris ac ipsius Lamberti Papiam iverint, tamen parvo tempore cum ipso Lamberto Papiæ morantes domum reversi sunt. His itaque Laudæ sic peractis, Mediolanenses & Pergamenses, qui ad castrum Tricii obsidendum, sicut jam dictum est, perrexerant, castro ligneo, & manganis, & preteriis quampluribus ibi ædificatis, seu etiam ponte quodam ligneo super flumen Abduæ, quod ferè circumquaque deambulabat, post castellum fabricato, ferè usque ad festivitatem Sancti Laurentii proximam venientem, antequam ipsum capere possent ad ipsum obsidendum steterunt. Sed cùm ipse Ruinus Imperatoris Procurator ac Missus aliique Teutonici ac Longobardi, qui in ipso castro causâ defendendi ipsum amore Imperatoris intraverant, viderent se ab Imperatore, nec ab aliis ipsius amicis aliquem occursum habere, maximè cùm ipsi multoties Imperatori jam mandaverant, se non posse ad ultimum resistere, nisi in occursum eis veniret, tum etiam quia Mediolanenses, & Pergamenses firmiter statuerant omnes ipsos interficere, si per virtutem eos caperent: tandem multùm dolentes fœdus tale cum inimicis fecerunt, quatenus ipsi omnes, qui in castro fuerant, masculi & fœminæ, relicto ejus castro omnibusque etiam aliis rebus, quæ intus fuerant dimissis, sani & incolumes extra castrum abirent, præter jam dictum Ruinum, & omnes Teutonicos, ac paucos Longobardos, qui in ipso castro intraverant, quibus solummodo vitam concesserunt, ac eos in vinculis Mediolanum duxerunt, & in carcerem detruderunt. His itaque extra castrum sic ire permissis, Mediolanenses & Pergamenses, cæterique qui ibi ad obsidionem fuerant, infra ipsum castrum euntes in primis totum expoliaverunt, deinde illud combusserunt, postremò totum ipsum castrum destruxerunt, atque meliorem murum, ac pulchriorem & meliorem turrem quàm unquam in tota Longobardia tunc fuisset in terram prosternerunt.

Igitur cùm Imperator firmiter audivit Laudenses cum Mediolanensibus, aliisque Longobardis conjuratis convenisse, ac castrum Tritii, quod pro suo habebat, & tenebat, & quia suis propriis impensis, sicut supra diximus, reædificaverat, captum & destructum penitus fore, ac Missum & Procuratorem ipsius, aliosque Teutonicos captos & sic dehonestatos, atque in carcerem apud Mediolanum detrusos esse, atque suam mobiliam, suasque res, quas in castro habebat, sic amisisse, quamvis se inde tunc non multùm fore mœstum demonstravit, tamen multùm graviter suscepit, atque ultra quàm fari nec etiam cogitari possit, in pectus ipsius omniumque suorum fidelium ascendit.

Interea igitur, dum hæc in Longobardia à Longobardis sic agitabantur, Raynaldus Coloniæ Archiepiscopus electus, & qui etiam Imperatoris Archicancellarius (110) fuerat, atque Chri-

EX EDITO AB OSIO.

Interea dum hæc in Lombardia sic agerentur, Raynaldus Coloniæ Archiepiscopus electus, qui Imperatoris Archicancellarius fuerat, & Christianus Imperatoris tunc Cancellarius, Comes Ro-

(110) Et Archiepiscopus Moguntinus: *qui etiam ad finem vitæ suæ Langobardiam vastabat, subjiciens illam Imperatori.* (Verba sunt A. Krantzii Saxon. 6. 36.) *magis militans Imperatori terreno, quàm Cœlesti*: usus pro illo & gladio, & calamo. Hoc, nam *propter Epistolas, atque Orationes, reliquit Librum de vita, & gestis Imperatoris sui Barbarossæ*, ut ait Vossius

EX CODICE AMBROSIANO.

Christianus Imperatoris tunc Cancellarius, & Comes Rubertus de Braxavilla, atque Comes Macharius, & Braibenzones, qui erant fortissimi, aliique etiam Principes Tusciæ, & ipsi cum eorum exercitu in Romania apud Tuscolanum fuerant, videlicet sicut in veritate mihi ab his, qui in ipso exercitu fuerant, relatum fuit, inter omnes Teutonicos, atque Longobardos, seu etiam Tuscios, qui in ipso exercitu apud Tuscolanum tunc fuerant, non erant mille equites, Dux quoque Fredericus Regis quondam Conradi filius, homo pulcher, multum fortis & sapiens atque ingeniosus, & ipse cum suo exercitu in illis etiam partibus manebat, sed tamen tunc cum prædicto Archiepiscopo apud Tuscolanum non fuerat.

Igitur Romani, qui Imperatori, ejusque fidelibus tunc fuerant (*) adversi, audientes prædictum exercitum apud Tuscolanum fore, & eum invadere cupientes, ubique pro suis amicis & fidelibus mittunt, exercitum præparant, diem proficiscendi statuunt. Itaque statuta die omnibus tam equitibus, quàm peditibus præparatis, maximaque omnium copia & ferè innumerabili insimul coadunata, versùs Tuscolanum ire cœperunt, contra quos Coloniensis Episcopus, atque Christianus Cancellarius, Comesque Robertus, ac Comes Macharius, cæterique Principes, qui cum eis fuerant, cum eorum parvo exercitu tam Teutonicorum, quàm Tuscanorum, atque Longobardorum, quamvis paucissimi versùs illorum multitudinem fuerant, tamen obviam illis venerunt; nam sicut in veritate, qui tunc ab illis ibi in illo exercitu aderant mihi relatum est, Romani cum eorum exercitu inter equites & pedites plus de triginta millia computabantur. Cùm verò utraque acies in campis apertis fuit, atque bene una pars alteram se prospexit, vexillis levatis, signoq; dato, ac maximo clamore hinc indeque levato, acriter se invadunt, fortiterque pugnant, ab utraque parte ipsi vulnerantur, mortui corruunt, sed quia Romani ultra viginti tantùm fuerant quàm adversarii eorum essent, impetum magnum super Teutonicos fecere. Teutonici autem quia paucissimi fuerunt, versùs illos præ multitudine illorum vix sustinere potuerunt, sed tamen acriter se defendentes viriliter steterunt: Archiepiscopus namque, & Cancellarius, aliique etiam Principes, qui secum aderant hoc videntes, valde perterriti fuere, sed tamen ipsi scientes, & videntes se aliter evadere

EX EDITO AB OSIO.

Robertus de Bassavilla, Comes Macharius, & Braymerres, qui erat miles fortissimus, & alii primates Tusciæ tunc temporis cum eorum Exercitu in Romania apud Tusculanum erant: Qui omnes non erant ultrà mille equites. Dux verò Fridericus Regis quondam Conradi filius, homo pulcher, multum fortis, sapiens, & ingeniosus cum suo Exercitu in illis partibus tunc manebat. Sed tamen cum prædicto Archiepiscopo apud Tusculanum non erat. Romani verò, quia Imperatori, ejusque fidelibus tunc adversabantur, audientes prædictum Exercitum apud Tusculum fore, & ipsum invadere cupientes; ubique pro suis amicis, & fidelibus mittunt, ut delectum habeant, Exercitumque præparent, proficiscendi diem statuentes. Statuta verò die, omnes tam equites, quam pedites parati, qui ferè innumerabiles erant, versus Tusculum ire cœperunt. Contra quos Coloniensis Archiepiscopus, Christianus Cancellarius, Comes Robertus, & Comes Macharius, cæterique Principes, qui cum ipsis erant, cum eorum parvo Exercitu, tam Theutonicorum, quam Tuscorum, & Lumbardorum, quamvis essent paucissimi respectu Romanorum, qui plus triginta millibus extimabantur, audacter, & intrepidè, perrexerunt. Cum verò utraque pars in campo fuit, & una aliam diligenter inspexit, Vexillis levatis, signoque dato, & maximo clamore hinc inde levato, acriter se invadunt, fortiterque pugnant, & ab utraque parte multi vulnerantur, multique interficiuntur. Sed quia Romani erant pro uno XX. respectu adversariorum, impetum magnum super eos fecerunt; Theutonici autem, quia paucissimi erant versus illos, propter multitudinem ipsorum vix sustinere potuerunt; sed tamen viriliter se defendentes firmiter permanserunt. Archiepiscopus autem, & Cancellarius, aliique Principes, qui secum erant, hoc videntes valdè perterriti sunt; sed tamen ipsi videntes, se non posse evadere, nisi ferro iter aperiretur, ipsemet Archiepiscopus, & Cancellarius Vexillum in manibus afferentes acriter nimis irruerunt super ipsos Romanos. Quibus ...... equites Romanorum pedites suos in Campo deserentes fugere cœperunt. Pedites verò videntes, sic se deseri, terga verterunt similiter & ipsi, super quos Theutonici graviter irruentes, atque sequentes, plures duodecim millibus interfecerunt, pluresque tribus inter equites, & pedites ex ipsis ceperunt; quos omnes vinctos ducunt Viterbium, & in carcerem introducunt ibidem. His quidem sic peractis, Archiepiscopus, &

---

de HH. LL. 2. 53. sed fortè de solo auditu, cùm nec illum viderit Spigelius *in Ligurin. l.* 10. *v.* 117. *sic loquens*: ,, Si modò exstaret Historia, quam teste Tritemio (*Catal. Ill. Viror tom.* 1. *p. m.* 137.) Christianus Archiepiscopus Muguntinus de Ænobarbis gestis scripsit. ,, Hæc calamo: gladio verò, quando, ut narrat Abb. Stadensis sub A. 1172. cum Brabantinis per Lombardiam, & Thusciam omnia depopulans, Bononienses invasit: & in equo residens, indutus thorace, & desuper tunica hyacinthina, habens in capite galeam deauratam, & in manibus clavam Orinodem, ipse in eodem prœlio dicitur *stravisse novem homines propria manu*: Vidit Heinricus Scholasticus Bremensis, qui tunc 35. annorum Notarius fuerat ejusdem Christiani, eundem Archiepiscopum 38. melioribus terræ (hoc est viris fortissimis) dentes cum pertica manu propria excussisse. ,, Dilectus ideo Antipapæ Paschali, ut ei sic scribere soleret: ,, Paschalis Episcopus servus ,, servorum Dei: Christianissimo Christiano, ,, Sedis Apostolicæ Legato, Imperialis Aulæ ,, Cancellario, & Romanæ Ecclesiæ filio fidelissimo, Sal. ,, Pergit Stadensis, narrando, quæ nocentissimo exemplo, subacta Bononia, peregerat, ubi, etsi tot vinculis innodatus *celebravit solemniter divina*. Nihilominus maculas suas lavisse piè credimus, cùm, eodem teste A. 1179. & ipse, & Philippus Coloniensis *per manum Hyacinthi Cardinalis receperunt nova pallia, refutantes omnem hæresin, & schisma præcipuè Octaviani, VVidonis, & Johannis, sic dicente quolibet: Ego N. anathematizo* &c. Sufrectus is fuerat ab Ænobarbo A. 1163. Conrado ejecto, quia ad partes Alexandri legitimi Pontificis transierat: & is successerat Arnoldo à Civibus suis interfecto, ut prodit Godefridus Monachus Coloniensis sequentis sæculi *in Chron.* sub d. A. 1163.

(*) *Alter Codex MS.* ejusque fideles, qui tunc Imperatoris fuerant &c.

EX CODICE AMBROSIANO.

re non posse nisi iter ferro aperirent, ipsemet Archiepiscopus & Cancellarius vexillum in manu accipiens, signoque dato, maximis vocibus cantum Teutonicum, quem in bello Teutonici dicunt, videlicet : *Christus qui natus*, & cetera, omnes lætantes acriter super Romanos irruerunt. Romanorum igitur multitudine perterrita, quia ipsi Romani impetum eorum non poterant vel potuere sustinere, equites Romanorum pedites ipsorum in campo deserentes fugere cœperunt. Pedites namque cùm viderunt equites suos se in campo deserere, ac prout poterant longè ab eis fugere, tum quia fortè justitiam non habebant, tum etiam quia postquam in campo exeunt, non sicut sui majores fecere faciunt, immò vilissimi sunt, tum etiam quia Teutonicos magìs timebant, quàm timerent alios, Domino divinum miraculum ibi faciente, terga verterunt, supra quos Teutonici, atque Braibenzones, ceterique Principes viriliter irruentes, acriterque eos persequentes, sicut mihi ab ipsis Romanis postea in veritate relatum est, ultra duo millia ex ipsis Romanis interfecti sunt; majorem verò partem ipsorum Braibenzones interfecerunt, insuperque etiam plus de tribus mille ipsorum Romanorum inter equites & pedites capti fuerunt, quos omnes ad civitatem Viterbæ vinctos duxere, ibique omnes in carcerem detruderunt. Itaque Archiepiscopus & Cancellarius Legatos ad Imperatorem dirigunt, qui omnia, sicut eis acciderant, Imperatori ejusque exercitui nunciarent. Legati igitur ad Imperatorem venientes omnia, quæ acciderant, per ordinem narraverunt : Imperator namque alacri animo hoc audiens, multasque Deo gratias referens valde gavisus est. Interea Rex de Sicilia filius quondam Gulielmi, quem tunc castrum, quod ex parte Imperatoris fuerat, quia illud capere vellet, acriter cum suo exercitu expugnabat, quod Imperator audiens, relictis castris, relictoque etiam omnium peditum exercitu unà cum ipsius uxore solummodo equitibus assumptis privatim extra castra exivit, ac die noctuque equitans, in occursum prædicti castri ire festinavit pro posse; cùm autem per plures dies jam equitasset, ac prope exercitum Regis Siciliæ venisset, eidem Regi nunciatum est Imperatorem cum suo exercitu jam appropinquare, qui cùm audivit, statim castris defixis atque relictis, cum suo exercitu abire cœpit, tum quia putavit exercitum Imperatoris multo majorem esse quàm fuisset, tum etiam quia audiverat tam malam fortunam belli Romanis accidisse, unde perterritus fuerat valde ac mœstus. Imperator verò audiens Regem castrum deseruisse, ac cum suo exercitu fugiendo abire, ita eum persecutus est, quòd ad transitum cujusdam aquæ plures ex equitibus Regis, qui tam citò transire flumen non potuerunt, cepit; cùm autem ipsum flumen transire non potuisset, retrovertens prædictum castrum bene munivit, atque postea quoddam aliud castrum, quod prædictus Rex Comiti Roberto de Basavilla jam abstulerat, obsedit, & devicit, ac jam dicto Comiti Roberto lætanti restituit, deinde lætus ad castra remeavit. Igitur Imperator ad locum, qui dicitur Trondus, & ibi circumquaque permanens omnia ferè oppida villasque deprædavit,

EX EDITO AB OSIO.

& Cancellarius, quàm citius possunt ad Imperatorem Nuntios dirigunt, qui sibi per ordinem nuntient supradicta. Qui cum hoc audisset, Deo multas gratias agens valdè gavisus est. Tunc verò temporis Rex Siciliæ quoddam castrum Imperatoris volens capere, cum suo Exercitu fortiter expugnabat. Quod Imperator audiens, assumptis solummodò equitibus, privatim die, & nocte equitans in succursum prædicti velociter ire festinavit. Cum autem jam per plures dies equitasset, & propè Exercitum Regis venisset, nuntiatum est eis Imperatorem appropinquare cum Exercitu suo. Quod ut Rex audivit, statim castris desertis, atque relictis, cum suo Exercitu cœpit abire. Imperator autem hoc audiens ita eum persecutus est, quod apud transitum cujusdam aquæ, plures ex ejus equitibus, qui tam citò ipsum flumen transire non potuerunt, cepit. Cumque flumen idem Imperator transire non posset, revertens prædictum castrum bene munivit; & postea castrum quoddam aliud, quod prædictus Rex Comiti Roberto de Bassavilla jam abstulerat, obsedit, & devicit, ac jam dicto Comiti Roberto alacriter restituit. Deinde lætus ad castrum remeavit. Ad locum autem, qui dicitur . . . . . . permanens, & ibi circumquaque ferè omnia oppida, villasque deprædatus est, combussit, atque dissipavit, inde etiam multam pecuniam extorsit.

Interea Dominus Guido Cremensis, qui Viterbii morans ab Imperatore, & à multis Archiepiscopis, Abbatibus, Prioribus, aliisque quampluribus mundi hominibus tunc pro Papa habebatur, Imperatoris adventum diu expectans, & affectu nimio desiderans; ad eum quamvis sæpe alios misisset, novissimè Legatos suos quamplures destinavit; mandans, ut quàm citius posset, absque dilatione Romam veniret, hostes debellaret, & Raynaldum Cancellarium, qui tunc pro Papa in Roma, & in quibusdam aliis partibus multis tenebatur, qui tunc Romæ morabatur, de Roma expelleret, & ipsum Romæ in possessione Papatus poneret, & manteneret. Imperator verò voluntati, & consilio dicti Domini Guidonis, qui dicebatur Papa Paschalis, annuens; Romamque cum magno gaudio veniens, in anno 1167. die Lunæ, nono Calendis Augusti, Indictione decimaquinta; in monte propè Romam cum suo Exercitu castrametatus est. Deinde cum omnibus suis equitibus, sicut armati venerant, ad portam Romæ, quæ dicitur Porta Viridaria, quæ est ex parte Sancti Petri versus montem Gaudium veniens, ibique maximum prælium committens, tandem eos superavit, & devicit, atque fugavit; totumque locum, qui Cortina Sancti Petri dicitur, & etiam porticum Sancti Petri cepit; & domos expoliavit, atque combussit, pluribusque etiam hominibus interfectis, multos cepit. Romani igitur intrà civitatem ex illa parte Tiberis se recipientes, & multum pavidi stantes, ex hac Tyberis parte venire non sunt ausi. His autem, qui ex parte jam dicti Papæ Alexandri tunc tenebant, & ipsam Ecclesiam bene muniverant, se defendentibus viriliter; Imperator jam intrare nullo modo tunc potuit, sed per totam hebdomadam ipsam eos quotidie invadens, & prælio infestans, eos vincere nitebatur. Theutonici verò, cum se eos per fortiam capere non posse prospicerent, proximo die Sabbati infra Ecclesiam Sanctæ Mariæ Vir-

EX CODICE AMBROSIANO.

vit, combussitque & dissipavit. Indeque etiam multam pecuniam extorsit. Interea Dominus Guido Cremensis, qui tunc Papa fuerat levatus, & qui in locum Domini Octaviani, qui ex tunc Papa Victor vocabatur, successerat, & qui Guido Paschalis Papa vocabatur, & tunc in civitate Viterbii morabatur, & ab Imperatore & à multis Archiepiscopis, Abbatibus, Præpositis, aliisque quampluribus hominibus mundi tunc pro Papa tenebatur, (111) Imperatoris eventum diu expectans, cùm sæpe & sæpiùs jam Imperatori mandaverat, quatenus Romam cum suo exercitu veniens infra Ecclesiam Sancti Petri vi, vel pacto cum Romanis inito eum introduceret, sicut multoties ipse promiserat, ac ibi ipsum manuteneret, videns ipsum Imperatorem pernimiùm & satis etiam ultra quàm vellet iter morari, statim suos Nuntios quamplures ad Imperatorem dirigens, ut citiùs quàm posset nulla dilatione habita Romam pergeret, hostes debellaret, & Rolandum Cancellarium, qui tunc pro Papa in Roma, & in quibusdam aliis multis partibus tenebatur, & qui etiam Papa Alexander vocabatur, & qui etiam tunc in Roma morabatur, de Roma expelleret, ac ipsum in Roma poneret, victoriamque de inimicis suis acquireret, ac omnes inimicos ipsius suæ ditioni subjugaret; insuper etiam dicens .... messem jam nunc fore albam ad metendum, vineamque maturam esse ad vindemiandum. Quod cùm Imperator ejusque exercitus audisset, statim Romam cum magno gaudio perrexere, quamvis gaudium non multùm post in luctum atque mœrorem multum conversus est, & in 1167. anno in die Lunæ, quæ fuit nono die ante Calendas Augusti de Indictione XV. in Monte Gaudio prope Romam cum suo exercitu castrametatus est (112). Deinde cum omnibus suis equitibus, sicut armati venerant ad portam Romæ, quæ dicitur & ...... & quæ est à parte Sancti Petri versùs Montem Gaudium veniens, ibique prœlium maximum committens, tandem eos superavit, & devicit, atque fugavit, totumque locum, qui Cortina Sancti Petri dicitur, & etiam Porticum Sancti Petri cepit, totasque domos expoliavit, atque combus-

EX EDITO AB OSIO.

Virginis, quæ dicebatur de Laborerio, & quæ sita est supra Ecclesiam Sancti Petri ante atrium ipsius Ecclesiæ apponentes ignem, totam ipsam Ecclesiam Sancti Petri ...... Ipsa vero Ecclesia Beatissimæ Virginis tota est combusta, & penitus dissipata. Tunc etiam liquefacta est, & combusta quædam mirabilis Imago facta in muro ipsius Ecclesiæ versus Ecclesiam Sancti Petri, & auro purissimo, & splendidissimo decorata, cui similis in Italia nunquam fuerat visa, & quæ facta erat ad Imaginem Domini Nostri Jesu Christi; ante quam stabat quædam alia pulcherrima Imago facta ad Imaginem Sancti Petri, quæ similiter liquefacta est penitus, & combusta. Quod videntes illi, qui supra Ecclesiam Sancti Petri stabant, non ullum succursum à Romanis posse habere cernentes, maximo timore perterriti; statim Imperatori se, & ipsam Ecclesiam reddiderunt, jurantes etiam fidelitatem sibi; sicque eos Imperator abire permisit.

Sequenti igitur proximo die Dominico prædictus Papa Paschalis cum suis Cardinalibus in ipsa Ecclesia Sancti Petri Missam honorificè, & cum magno gaudio celebravit. Ipsoque die in capite Imperatori circulum aureum tantummodò imposuit. Sequenti verò die Martis, in quo fuit festum Sancti Petri ad Vincula, prædictus D. Papa Paschalis D. Federicum Imperatorem, & Serenissimam Augustam Beatricem conjugem suam ex coronis auro purissimo, & multis pretiosissimis gemmis decoratis coronavit in ipsa Ecclesia Sancti Petri. Romani itaque hoc cernentes, & cum Imperatore pugnare se minimè posse considerantes, nec etiam flumen Tyberis transire audentes; fœdus cum Imperatore magìs, quam bellum facere decreverunt. Ambasciatores igitur ad Imperatorem dirigunt, fœdusque cum eo faciunt, Papamque Paschalem in perpetuum se pro Papa habere, & tenere firmiter cum jurejurando promittunt; ac omnes, præter Fricapanes, & quamplures alios Romæ nobiles, qui maximas turres, & domos, & fortitudines habebant in Roma, nec leviter capi tàm cito poterant, fidelitatem Imperatori facere disposuerunt. Hoc itaque sic peracto, Imperator suos Nuntios ad fidelitates Romanorum suscipiendas in Roma ultrà Tyberim direxit. In-

(111) Nempe à Schismaticis. Tritemius *Chron. Mon. Hirsaugiens. p.* 194. hæc de hoc Pseudopapa; *Hoc ipso anno* (Manegoldi Abb. 7. Christi 1164.) *Victor Papa apud Lucam obiit, ibique sepultus est: cui VVido Cremensis Episcopus X. Kal. Maji, ab Henrico Leodiensi Episcopo ordinatus, Paschalis III. appellatus est*. Plura de hoc Guidone Baronius sub A. 1166. ex epistola Friderici. Cujusdam Metrographi recitat sub A. 1170. sequens tetrasticon p. 643.

Corruit insani Guidonis, & Octaviani
Impia Majestas, atque intoleranda potestas.
Surgit Alexander ratione prior, Petrus alter:
Stat nunc in petra: post hæc statuendus in æthra.

Ex morbo cancri in renibus obiit.

(112) Fuerat primò Romæ Fridericus A. 1155. ibique coronatus ab Adriano IV. ut Auctor noster dixerat col. 988. ad quam uberrimus Osius à p. 101. àd 112. sed inter tot verba, notabilius omisit; lepidum nempe Romanorum morem suscipiendi Imperatoris ad Coronationem, quem ex Helmoldo *Chron. Slavor. l.* 1. *c.* 79. hìc lubet subjicere, præsertim cùm Otho Frising. 2. 21. diversimodè eum prodat: Scribit Helmoldus: ,, Miserunt ergo Romani ,, Legatos ad Regem in castra (A. 1155.) qui dicerent ei, paratum esse Senatum, & universos ,, Cives Urbis ad excipiendum eum cum triumphalibus pompis: si quidem imperatorio more ,, se se exhibuisset. Quo præcunctante more, ,, quo se se exhibere deberet, illi ajunt: Regem propter Imperiale fastigium Romam venientem decet venire more suo, hoc est, in ,, curru aureo purpuratum, agentem præ curribus suis Tyrannos bello subactos, & divitias gentium. Præterea oportet eum honorare ,, Urbem, quæ Caput Orbis est, & mater Imperii, & dare Senatui, quæ edictis præfixa ,, sunt, videlicet quindecim millium libras argenti, ut per hoc suscitentur animi Senatus ,, ad benevolentiam, & exhibeant ei honorem ,, triumphalem: *& quem electio Principum Regni creavit Regem, auctoritas Senatus perficiat* ,, *Cæsarem*. Tunc Rex subridens, grata, inquit, promissio, sed cara emptio. Magna requiritis o Viri Romani de exinanita Camera ,, nostra. Puto autem, quia occasiones quæritis ,, adversùm nos, imponendo non imponenda. ,, Consultiùs verò agitis, si his omissis, amicitiæ potiùs nostræ, quàm armorum ceperitis ,, experimentum. At illi pertinaciùs instabant, ,, dicentes: jura civitatis nullatenus irritanda, ,, sed gerendum morem Senatui, alioquin adventanti, claustra urbis objicienda. ,, Reliqua apud Frisingens. 2. 22. Helmoldi verba transcripsit Abbas Stadensis sub A. 1155.

EX CODICE AMBROSIANO.

bussit, pluribusque etiam hominibus interfectis multos cepit. Romani igitur infra civitatem ex illa parte Tyberis se recipientes, ac multùm pavidi stantes, ex hac Tyberis parte postea venire ausi non fuere; illi autem, qui ex parte jam dicti Papæ Alexandri fuerant, & Ecclesiam Sancti Petri ab ipsius Alexandri parte tunc tenebant, & qui ipsam Ecclesiam causâ belli faciendi, ac se defendendi bene munierant, ipsam Ecclesiam Sancti Petri à parte ipsius Alexandri viriliter defendentes. Imperator in ipsa Ecclesia nullo modo intrare tunc potuit. Imperator namque per totam hebdomadam quotidie eos invadens, ac prœlio ipsos infestans, tandem Teutonici cùm eos per virtutem se capere non posse prospexerunt, in proximo die Sabbati infra Ecclesiam Beatissimæ Virginis Mariæ, quæ etiam de Laborerio dicebatur, & quæ sita fuerat supra scalas Sancti Petri ante atrium ipsius Ecclesiæ Sancti Petri, ignem supponentes, ipsam Ecclesiam combussere, ipsa verò Ecclesia Sanctæ Mariæ comburente, ex ipsa quidem prosiluit ignis in Ecclesiam Sancti Petri, & ex ea pars quia exarsa est tota jam dicta Ecclesia Sanctæ Mariæ penitus combusta, atque dissipata, exarsa est quoque ac destructa quædam mirabilis Imago, quæ fuerat facta in muro ipsius Ecclesiæ versùs Ecclesiam Sancti Petri supra atrium ipsius Ecclesiæ Sancti Petri ex auro purissimo, atque splendidissimo decorata, cujus similis in Italia nunquam fuit ampliùs visa, & quæ fuerat facta ad imaginem Domini nostri Jesu Christi, ante quam etiam quædam alia pulcherrima Imago facta ad imaginem Sancti Petri, & ex eodem auro deaurata stabat, quæ similiter exarsa atque liquefacta, ac penitus destructa est. Quod illi, qui supra ipsam Ecclesiam Sancti Petri fuerant, & acriter eam defendebant videntes, nec ullum occursum à Romanis habere posse cernentes, maximo timore perterriti, statim Imperatori se ac ipsam Ecclesiam tradiderunt, ac ipsi jurantes se nunquam ipsam Ecclesiam contra Imperatorem nec ejus partem ampliùs defensuros, statim Imperatori fidelitatem juraverunt, sicque Imperator eos abire dimisit. Igitur sequenti die Dominico proximo veniente prædictus Papa Paschalis cum suis Cardinalibus in ipsa Ecclesia Sancti Petri Missam honorificè, & cum magno gaudio celebravit, in ipsoque die in capite Imperatoris circulum aureum tantummodo imposuit, sequenti namque Martis die, in quo fuit tunc festivitas Sancti Petri ad Vincula, quæ fuit in Calendis Augusti, prædictus Papa Paschalis Domnum Fredericum Imperatorem, ac Serenissimam Augustam Beatricem ejus conjugem ex coronis auro purissimis, ac multis pretiosissimis gemmis decoratis in Ecclesia Sancti Petri coronavit (113). Romani itaque hoc cernentes, & se cum Imperatore pugnare non posse putantes, nec etiam flumen Tyberis transire audentes, fœdus cum Imperatore magìs facere, quàm bellum cum eo inire decreverunt. Igitur Romani Legatos ad Imperatorem dirigunt, fœdusque cum eo faciunt, Papamque Paschalem in perpetuum se pro Papa habere, &

(113) De sola Beatrice id factum scribere videtur Godefridus ad A. 1167. „ Tertio dehinc die „ in festo B. Petri Dominam Beatricem uxo„ rem Cæsaris in Imperatricem consecravit. „ Adstipulatur Otho de S. Blasio supra c. 20.

EX EDITO AB OSIO.

Inter quos fuit Acerbus Morena Laudensis Civis, & Imperialis Curiæ Dux; qui jussu Imperatoris in Roma ultrà Tyberim præsens, per plures dies innumerabiles fidelitates Imperatori factas suscepit. Hucusque pertinet historia Acerbi Morenæ, quam morte correptus, ulterius producere non potuit.

Interea dum hæc Romæ agerentur, quædam maxima, ac miserabilis, & mortalis pestilentia super Imperatorem, ejusque totum exercitum divinitus accidit. Sequenti namque die Mercurii proxima cum maxima Cæli serenitas esset, statim, quasi in ictu oculi mirabiliter pluere cœpit; deinde post aquam serenitas magna, & clara nimis facta est; statimque infirmitas super Imperatoris Exercitum talis excrevit, quod equites, & pedites, atque scutiferi corruebant, & moriebantur; ob quam rem Episcopi, Archiepiscopi, Comites, Marchiones, & Duces, aliique multi nobiles, & ignobiles, qui in ipso Exercitu erant, corruebant. Obiit namque Dux Fridericus in Rotemburgo Regis quondam Conradi filius, & Imperatoris germanus consobrinus, de quo immensus dolor ferè per totum inolevit; quoniam ipse homo erat magnæ virtutis. Decessit etiam tunc Dux Guelphus Ducis Guilermi filius, & Raynaldus Archicancellarius, & Coloniæ electus Archiepiscopus, homo maximi ingenii; & cujus scientia, & probitate Imperium multum fuerat sublimatum. Episcopus etiam de Lexe vita privatus est. Tunc etiam mortuus est hujus libelli hucusque auctor Acerbus Morena; qui cum febricitare cœpisset in Roma, domum redeundi ab Imperatore licentiam per plures vices petierat; eaque sibi concessa usque ad Senam lavagelam in quodam lectulo super duos equos facto à scutiferis suis se duci fecit, ibique plures duodecim hebdomadis infirmus jacens, postremo die Mercurii, quæ fuit 14. ante Calendas Novembris in anno 1167. Indictione prima, in festo Sancti Lucæ Evangelistæ ibi mortuus est, & apud Ecclesiam Sancti Petri sitam in suburbio Civitatis Senæ propè viam Romeam sepultus est.

EX CODICE AMBROSIANO.

& tenere firmiter cum jurejurando promittunt, ac omnes, præter Fricapanes, & illos de Leo, & quamplures alii Romæ Nobiles, qui maximas turres ac domos & fortitudines in Roma habebant, nec leviter capi tam citò poterant, fidelitatem Imperatori facere dispofuerunt. Hoc itaque fic peracto Imperator fuos Nuncios ad fidelitates Romanorum recipiendas in Romam ultra Tyberim direxit, inter quos fuit Acerbus Morena Laudenfis civis, ac Imperialis Curiæ Judex, homo nobilis, probus, difertus, ac etiam fapiens, Deum præ omnia, & in omnibus timens, & ejus mandata obfervans, verùm femper dicere defiderans, mendacium loqui maximam verecundiam habens, Imperatorem ac Imperii honorem multùm in Deo diligens, extra Deum verò eum obedire multum dolens ac trepidans; ab Imperatore namque & ejus Curia propter fuam probitatem, ac Dei dilectionem valde erat dilectus, quia & ipfe quafi Monachus regularis femper vivere difponebat, decimas & primitias omnium rerum, quas Deus fibi dabat, ipfi Deo retribuebat, qui etiam cùm in exercitu Imperatoris fuerat de rebus alienis vi alicui raptis, fe fciente, comedere vel expendere nolebat, ne fcutiferis fuis aliquid vi rapere vel auferre alicui pro poffe permitteret, imò ne ipfi hoc perpetrarent eos quotidie monebat., atque pro poffe caftigabat, cùm alii ferè omnes qui in ipfo exercitu fuerant, tam ipfi quàm Comites, & Marchiones, & alii Clerici, atque laici magìs ex rebus aliis raptis & vi ablatis, quàm ex fuis propriis quotidie vivebant. Igitur jam dictus Acerbus juffu Imperatoris in Roma ultra Tyberim pergens per plures dies innumerabiles fidelitates Imperatori factas fufcepit. Interea dum hæc Romæ agitabantur ecce quædam maxima & mirabilis, atque mortalis peftilentia fupra Imperatorem, ejufque totum exercitum divino miraculo accidit, videlicet quòd in fequenti die proxima Mercurii cùm in mane maxima Cœli ferenitas foret, ftatim quafi in ictu oculi mirabiliter pluere cœpit, deinde poft aquam ferenitas magna atque prænimium clara facta eft, ftatimque infirmitas fuper Imperatoris exercitum talis excrevit, quòd equites, & pedites, atque fcutiferi ita corruebant, atque moriebantur, quòd vix per totam diem fepeliri poterant; quia cùm in mane fani ac falvi per viam ambulabant, ftatim per viam eundo vel parùm jacendo moriebantur; ob quam rem multi Epifcopi, Archiepifcopi, Comites, Marchiones, ac Duces, aliique multi Nobiles, & ignobiles, qui in ipfo fuerant exercitu corruerant; obiit namque Dux Fredericus de Rottemburgo Regis quondam Conradi filius, & Imperatoris germanus confobrinus, de quo innumerabilis dolor atque triftitia per totam ferè Italiam exolevit, quoniam ipfe mirabilis, & homo magnæ virtutis atque decoris fuerat. Deceffit etiam & tunc Dux Guelfus Ducis Guelfi filius, interiit quidem Raynaldus (114) Archicancellarius & Coloniæ electus Archiepifcopus, homo maximi ingenii, & cujus fcien-

(114) Raynoldus aliis. Laudabilior, fi execrabile facrilegium non commififfet. Nam is *Archiepifcopus Raynoldus corpora trium SS. Magorum tranftulit Coloniam, quæ antiquitus Mediolanum delata ab Epifcopo Euftorgio*. Verba funt Alberici *in Chron.* fub A. 1163. mille

EX EDITO AB OSIO.

Im-

teftibus vallata. Amiffum ploramus thefaurum, & femper plorabimus. Huc delatum ab Euftorgio I. negat quidem Papebrochius, fed veterem traditionem fusè, & eruditè fuo more tuetur Cl. Saxius nofter, fcribens pro *Poffeffione SS. Gerv. & Prot. n. 110. & feqq.*

EX CODICE AMBROSIANO.

scientia ac probitate Imperium maximè sublimatum fuerat; Episcopus etiam de Leze vita privatus est. Jam dictus namque Acerbus cùm apud Romam febricitare cœpisset, licentiam domum redeundi cùm jam per multas vices petiisset, nec impetrare valuerat, ab Imperatore sibi tributa usque ad Senam Laveglam in quodam lectulo supra duos equos facto à scutiferis suis se duci fecit, ibique plus de duodecim hebdomadis jacens infirmus, postremò die Mercurii, quæ fuit quarta decima dies ante Calendas Novembris in 1167. anno, de Indictione prima, in festivitate Sancti Lucæ Evangelistæ ibi mortuus est, & apud Ecclesiam Sancti ...... sitæ in suburbio civitatis Senæ prope viam Romeam sepultus est, de quo cùm Imperator audivit, ipse & omnes, qui cum eo usi fuerant, aut qualitercunque eum viderant & cognoverant, valde condoluere, quoniam ab omnibus, qui eum cognoscebant prænimiùm propter suam benignitatem diligebatur.

Imperator igitur cùm suos Principes, Episcopos multos, ac Duces, seu Marchiones, atque Comites, Capitaneos, & Scutiferos sic nimia strage corruere vidit in castris multis infirmis relictis, quos etiam postea Romani horto tradiderunt, castris defixis Romam deseruit, ac versùs Tusciam remeare cœpit. Deinde jam dicto Papa Paschale civitate Viterbii cum obsidibus Romæ quos habebat relicto, quamcitiùs potuit Longobardiam intravit. Sed tamen antequam Longobardiam attingeret, plus de duobus millibus inter Episcopos, Comites, & Marchiones, seu Duces, aliosque Principes, atque Nobiles & Scutiferos in ipso itinere gladio solummodo Dei obierunt. Ex his namque, qui mortem vincere tunc potuerunt, omnibus ferè infirmis usque ad necem, tandem tonso capite vix evadere potuerunt. Sed tamen qui evaserunt, per totam hyemem omni colore deperdito passi sunt.

Imperator itaque cùm ad locum, qui Pontremolus vocatur, appropinquasset, ac per suburbium ipsius loci transire disposuisset, Pontremolenses eum nequaquam per suum locum transire permiserunt (115). Cùm verò Imperator se per virtutem ipsorum locum ipsis nolentibus transire non posse, quoniam pauci ac tonsi hac infirmi fuerant, cognovisset, cùm ex ac parte castri, quod Malmum (*) (116) vocatur, jam transitum fecisset, versùs marinam partem protendens, per terram Marchionis Obizonis Malaspinæ, ipso Marchione eum ducente, iter arripuit, ac deinde die Martis, (117) quæ fuit duodecima dies mensis Septembris, de eadem Indictione, idem Papiam intravit, postremòque eodem mense Septembris in quodam die Jovis, quæ fuit duodecima dies ante

EX EDITO AB OSIO.

Imperator verò videns, gentem suam strage corruere, relictis multis infirmis, Romam deseruit, & versus Tusciam ire cœpit. Deinde jam dicto Papa Paschali relicto, quam citius potuit Lombardiam intravit. Sed tamen antequam Lombardiam attingeret, plures duobus millibus ex his, qui secum fuerant, in ipso itinere gladio solummodò Dei perierunt. Hi autem, qui tunc mortem vincere potuerunt, omnes infirmati usque ad necem, tandem tonso capite vix evadere potuerunt, tamen qui evaserunt per totam hyemem omni colore perdito passi sunt. Ad locum autem Pontremolus cum appropinquasset, Pontremolenses eum nequaquam per locum suum transire permiserunt. Sciens verò Imperator, se per fortiam ipsis nolentibus inde transire non posse, cum suis, qui infirmi, & pauci erant, cum hac parte Castri, quod Malinium vocatur, jam transisset, versus Marinam partem tendens, per terram Marchionis Malaspinæ Obizonis, ipso Marchione eum ducente, iter arripuit; & inde die Martis 11. Septembris eadem Indictione Papiam intravit. Postea verò eodem mense Septembris eadem Indictione quadam die Jovis, quæ fuit decimo die ante Calendas Octobris, in festo S. Matthæi Apostoli, in anno 1168. Posuit dictus Imperator palam in concione omnes Civitates Lombardiæ, quæ sibi erant contrariæ, & adversus eum juraverant, in banno, projecto ibi coram omnibus guanto, exceptis Laude, & Cremona. Sequenti autem die Martis ibidem Imperator unà cum Papiensibus, Novariensibus, & Vercellensibus equitibus, & Marchione Guilelmo de Monte-Ferrato, & Marchione Obizone Malaspina, & Comite de Blandrate, qui omnes cum eo tunc apud Papiam erant; super terram Me-

(115) Non soli Pontremulenses, sed etiam Lombardi fœderati, inter horum montium angustias degentes, Imperatori obsistebant: sed ab eis felicissimè exemit Marchio Obizo Malaspina, Imperatore ducto cum suis ad castrum sui juris. Card. de Aragonia *in Alex. III.* p. 459. b. fusè hæc narrat.

(*) *Alter Codex MS.* Malum.

(116) In quibusdam chartis etiam *Malnidum* dicitur, ut mihi testatur Nob. ac doctiss. Marchio Joseph Malaspina S. Margaritæ. Nunc est *Villafranca* ad lævam Macræ infra Pontremulum, & Mulazium Gentis Malaspinæ. Ubi notabile, Obizonem à Macra Papiam usque (hoc est Ripam Nazani Agri Ticinensis saltem) per terras suas tutum semper Imperatorem duxisse. Nec mirum ob Malaspinæ amplissimas jurisdictiones, quas recitat Fridericus in Diplomate Obizoni dato Papiæ 3. K. Octob. 1164. quod vulgavit Cl. Muratorius noster *Antiqait. Estens. cap.* 18. *p.* 161. eidem à Laud. Equite communicato, ut fatetur. In hoc porrò Diplomate enunciantur ad rem hanc *Malindum cum tota Curia, & pedagio: Mulazanum cum tota Curia*, & infra: *quartam partem Nazani Castelli. & Curiæ*.

(117) Corrige *die Jovis*.

EX CODICE AMBROSIANO.

ante Calendas Octobris, in festivitate Sancti Mathiæ (118) Apostoli, quæ fuit de 1168. anno posuit jamdictus Imperator palàm & in concione omnes civitates Longobardiæ, quæ contrariæ sibi fuerant, & adversus eum juraverant, in banno, projecto ibi coram omnibus guanto, (119) exceptis Lauda, & Cremona. Sequenti verò die Martis, idem Imperator unà cum Papiensibus & Novariensibus, ac Vercellensibus Equitibus, & Marchione Gulielmo de Monferato, atque Marchione Obizone Malaspina, seu Comite de Blandrate, qui omnes tunc cum eo apud Papiam fuerant, super terras Mediolanensium equitavit, ac totum locum de Rosate, & de Abiagrasso, atque de Mazenta, seu etiam de Corbeta (120), aliaque etiam multa Mediolanensium loca prope Ticinum manentia devastavit, ac maximam suis prædam inde reportavit. Hoc autem à Laudensibus, & Pergamensibus, atque Brixiensibus equitibus, qui tunc pro custodia Laudæ fuerant audito & cognito, atque etiam à Cremonensibus, & Parmesanis, qui tunc etiam pro custodia Placentiæ fuerant, significato, statim Mediolanum cucurrerunt. Imperator igitur hoc audiens, quamcitiùs potuit ad Ticinensem civitatem rediit, ac eo non descendente de equo, sed supra ipsum equum apud Sanctum Petrum Cœlum-aureum, qui est situs parum extra portam Palacensem civitatis Papiæ, parum comedente, statim cum omnibus jamdictis militibus, qui secum tunc aderant, ultra Padum per pontem quemdam, quem jam Papienses supra ipsum Padi flumen ad locum, ubi dicitur portus Pioglosus, ex navibus jam construxerant, super Placentinorum oppida, atque loca devastavit & combussit, multamque etiam prædam inde extorsit. Hoc itaque Cremonenses, & Mediolanenses, atque Laudenses, Pergamenses, seu Brixienses, & Parmesani pro certo audientes, quod Imperator fecerat, & illud pro maxima re habentes, statim ad Placentiam in occursum Placentinorum remeaverunt, ac deinde Imperatori obviam venerunt, quod quidem cùm Imperator audisset, statim quamsubitò potuit ad Papiæ civitatem cum omni suo exercitu reversus est. Præterea post parvum tempus idem Imperator ad castrum Morbionis cum Papiensibus ac suis militibus Teutonicis, quos adhuc secum habebat, equitavit, totamque villam ipsius castri deprædavit, ac postea eam combussit, deindeque Papiam rediit. Papienses quoque & ipsi multoties super Laudenses equitantes, maximam Laudensium prædam reportaverunt. Laudenses namque & tunc Papiensibus Legatos mittunt, mandantque eis, quatenus prædam, quam eis abstulerant, redde-

(118) Hoc festum A. 1168. incidit in diem Sabbati, non Jovis.

(119) Guantus VVantus, Vantus vox Gallica Bedæ in V. S. Columbani c. 14. *Tegumenta manuum, quæ Galli VVantos, idest, Chirothecas vocant*: quorum usum priscis ignotum putat Casaubonus *in Athenæum l. 12. c. 2.* Horum projectu jurandi ritum nullibi legi, quod memini. Vix aliquam lucem mihi affert Matth. Paris sub A. 1245. scribens. „ Quòd licèt „ Comes instanter inficiaretur, statim Miles „ supradictus more Francorum *chirothecam suam* „ *ei porrexit*, se offerens in propatulo coram „ Curia id corporaliter secundùm consideratio- „ nem Curiæ Regalis probaturum . . . . . „ quam chirothecam *quasi duelli vadium* osten- „ sam Comes recepit, *spondens se defendendo* „ *dimicaturum contra ipsum*.

EX EDITO AB OSIO.

Mediolanensium equitavit; & totum locum de Rosate, & de Abbiate Grasso, & de Maxenta, & de Corbetta, aliaque etiam multa Mediolanensium loca propè Ticinum manentia devastavit, & maximam cum suis prædam reportavit. Hoc autem Laudenses, & Pergamenses, atque Brixienses equites, qui tunc pro custodia Laudæ erant, & Cremonenses, & Parmenses, qui tunc etiam pro custodia Placentiæ erant, cognoscentes; Mediolanum in succursum eorum concurrerunt. Quod Imperator ut audivit, quam citius potuit ad Ticinensem civitatem rediit; & non descendens de equo, sed stans super eo ad Sanctum Petrum Cœlum Aureum, qui situs est parum contra Portam Palacensem civitatis Papiæ, parum comedens, statim cum omnibus suis jam dictis militibus, qui secum tunc erant, ultrà Padum per pontem quendam, quem Papienses super ipsum flumen Padi ad locum ubi dicitur Portus Pioclosus ex navibus jam anteà construxerant, super Placentinorum territorium equitans, ipsorum Oppida, & loca plurima devastavit, combussit, multamque etiam prædam inde extorsit. Hæc autem Cremonenses, Mediolanenses, Laudenses, Pergamenses, Brixienses, atque Parmenses audientes, statim iverunt versus Placentiam in succursum eorum. Quod ut Imperator audivit, quam citò potuit Papiam cum suo Exercitu est reversus. Interim Papienses super Laudem multoties equitantes maximam inde prædam extorquent. Laudenses sibi Ambasciatores mittunt; mandantque eis, quatenus prædam, quam abstulerant, reddant, & eos amplius non offendant: Dicentes etiam, ipsos Papienses secum in perpetuum fore conjunctos, nec ipsos per se unquam offendisse, nec offendere velle; sed Papienses nullum bonum verbum Ambasciatoribus responderunt. Quod cum audissent Laudenses, magno furore commoti super Papienses statim equitant, & magnam prædam sæpe extorquent. Imperator post parvum tempus ad castrum Marbionis cum Papiensibus, ac suis militibus Theutonicis equitavit; totam villam ipsius castri deprædavit, posteaque combussit. Imperator itaque in Lombardia quandoque in partibus Papiæ, quandoque Novariæ, & Vercellarum, aut Montis-Ferrati, vel Astensibus ferè per totam hyemem stetit. Sequenti verò mense Martii privatim, ita quod nec ipsi Lombardi, qui cum eo fuerant, nisi fortè paucissimi sciverunt; per terram Comitis Uberti de Saxonia filii quondam Comitis Amodei, qui dicitur Comes de Moriena, iter arripiens in Alemaniam est profectus. Post cujus recessum supradictæ civitates, quæ insimul juraverant in primis cum Novariensibus, & Vercellensibus, postea cum Cremonensibus, & illis de Belforte, & cum Se-

(120) De hoc loco olim celebri, nunc adhuc nobili, Bonavent. Castillionæus *Gallor. Insubr. ant. Sed.* p. 30. scribit quòd veteres *Pictam Curiam, Corbetam nostrates appellant: Oppidum dubio procul vetustissimum, Longobardorum symmetria constructum habens Templum. Cujus ruina, quæ facta est annis superioribus multas SS. Reliquias, quæ ignorabantur, & cum eis memoriolam, in qua mentio habetur, & qui eas Reliquias illuc locorum portari curarit, & nominis ejus Oppidi, quod in hanc usque diem desiderabatur, aperuit.* Sic sibi testatum esse Merulam, qui cuncta viderat, Castillionæus refert.

EX CODICE AMBROSIANO.

derent, & amplius non offenderent dicentes, & ipsos Papienses secum in perpetuum conjuratos fore, nec ipsos per se unquam eos offendisse, nec offendere velle. Papienses verò nec ullum verbum bonum Legatis respondere. Legati nunquam nihil boni operare valentes domum reversi sunt. Laudenses igitur Legatorum verba tam aspera tamque crudelia, atque inopinata audientes, quia Papienses nullo modo per se offendere cupiebant, multùm condoluere, sed tanto dolore moti, sicut in proverbio antiquo sæpe dici assolet, quia feritus bene alium ferit, & mala etiam pro malis sæpe redduntur, statim super Papienses equitavere, ac maximam prædam per multas vices ab eis extorsere. Imperator itaque in Longobardia, videlicet quandoque in partibus Papiæ, quandoque Novariæ, seu Vercellensis, aut Monferrati, vel Astensibus, ferè per totam hyemem stetit, sed tamen sequenti mense Martio privatim, ita quòd etiam nec ipsi Longobardi, qui cum eo fuerant, nisi fortè paucissimi sciverunt, in Alamaniam per terram Comitis Uberti de Savogna filii quondam Comitis Amadei, qui & Comes dicitur de Morienna iter arripuit. Deinde namque post Imperatoris recessum jam dictæ civitates, quæ insimul jam conjuratæ fuerant in primis cum Novariensibus, & Vercellensibus, posteaque cum Cumensibus, & illis de Belforte, ac etiam cum Sepriensibus se convenere, ac inter se pacem fecere, atque insimul unum corpus omnes effecti sunt.

Interea igitur Dominus Galdinus della Sala (121) nobilis Mediolanensis civis, & Clericus, & qui quondam Cancellarius Domini Ribaldi, & Domini Uberti de Pirovallo Mediolani Archiepiscoporum per multos fuerat annos (122), qui in locum jam dicti Uberti (123) ad Archiepiscopatus Mediolanensis honorem à Domino Alexandro Papa tunc fuerat sublimatus, ac in Longobardiæ ipsius Papæ tunc Legatus constitutus suos Nuncios, videlicet Abbatem Sancti Ambrosii, nec non Abbatem Sancti Vincentii de Mediolano, Domno Uberto de Cazano majoris Laudensis Ecclesiæ tunc Præposito, cæterisque Præpositis, Abbatibus, Presbyteris, & Clericis, atque etiam Consulibus de Laude misit, qui dicerent, atque eos omnes monerent Clericos, quòd ipsi partem Papæ Paschalis, ac Domni Frederici Imperatoris omnimodo derelinquerent, & parti Papæ Alexandri faverent, ac Deo & ipsi Papæ de injuria sibi illata satisfacerent, atque Episcopum Catholicum omnimodo eligerent, alioquin nisi rescipiscerent, ab offitio, ac beneficio se abstinerent, Consulibus etiam Laudensibus ex parte ipsius Archiepiscopi ac Mediolanensium Consulum, valde eos rogando retulerunt, qua-

(121) De quo Bollandistæ 18. Apr. t. 2. à p. 593 è stirpe Nobilium Valvasorum de Sala civitatis Mediolani Portæ Orientalis.

(122) Ribaldi A. 1134. & Uberti 1145. Adhærens Præsuli suo Uberto, schismatis rabiem fugiens coactus est exulare per quadriennium in Gallia, exeunte A. 1164. vel sequenti ineunte. „ Exilium igitur B. Galdinus, & non modicos „ labores cum Pontifice suo (Uberto) prædi- „ ctoque Alexandro Papa, & aliis quibusdam „ perpessus est. „ Inter hos ex Mediolanensibus erant Milo Archipresbyter, dein Episcopus Taurinensis, & Algisius Cimiliarcha, ex Calcho *p.* 211. *l.* 10. Presbyter Cardinalis S. Sabinæ ordinatur A. 1165. mense Decembris, non in Gallia A. 1163. ut scribit Ciaconius.

(123) Qui obiit 28. Martii 1166. Exinde civitatis suæ restitutionem audiens, jam consecratus post obitum Uberti Archiepiscopus noster, Venetias perrexit, deinde Mediolanum venit, 5. Sept. 1167. Palatium, quod inimici funditus diruerunt, longè excellentiùs, miroque decore, & ornatu reparavit. Obiit 18. Apr. 1176. Extant ejus epistolæ apud Puricellum *Basil. Ambros. capp.* 512. *&* 533. Missionem verò ipsius Galdini ad Laudenses, ut resipiscerent, & ab Antipapa recederent produnt ex Auctore nostro Ughellus de Episcopis Laudensibus; & Bollandistæ laudatis actis p. 597.

EX EDITO AB OSIO.

Sepriensibus convenerunt, & pacem omnes inter se facientes unum corpus sunt effecti.

Interea Dominus Galdinus de la Sala, Mediolanensis Civis, & Clericus; & qui quondam Cancellarius Domini Ribaldi, & Domini Uberti de Pirovano Mediolanensium Archiepiscoporum per annos multos fuerat, & in locum jam dicti Uberti ad Archiepiscopatum Mediolani fuerat sublimatus à Domino Alexandro Papa; in Lombardia ipsius Papæ tunc legatus constitutus, suos Nuntios, scilicet Abbatem Sancti Ambrosii, & Abbatem Sancti Vincentii de Mediolano, misit Domino Alberto de Cazano majoris Ecclesiæ Laudensis tunc Præposito, cæterisque Præpositis, Abbatibus, Præsbyteris, & Clericis, & etiam Consulibus de Laude; dicendo, atque monendo, quod ipsi partem Papæ Paschalis, & Domini Friderici Imperatoris omninò relinquerent, & parti Papæ Alexandri faverent; & ipsi Papæ de injuria sibi facta satisfacerent, atque Episcopum Catholicum eligerent; & nisi hoc facerent, ab Officio, & beneficio Ecclesiastico abstinerent. Dictus verò Præpositus, cæterique Clerici hoc audientes mæsti valdè fuerunt; tum quia magna pars eorum mandato Imperatoris juraverant, se Papam Paschalem pro Papa in perpetuum tenere, tum etiam quia omnes ferè fidelitatem juraverant Domino Alberto Merlino, tunc

EX CODICE AMBROSIANO.

quatenus Laudensibus Cleris omnibus suaderent, ut secundùm quod Archiepiscopus, & idem Romæ Legatus eis mandaverat, remota omni occasione, facerent. Jamdictus itaque Præpositus, cæterique etiam Clerici hoc audientes valde mœsti fuere, tum quia magna pars eorum ob districtum Imperatori juraverant se Papam Paschalem pro Papa in perpetuum tenere, tum etiam, quia omnes ferè juraverant fidelitatem Domino Alberico de Merlino tunc temporis, ut eis videbatur, adhuc Catholico Laudensi Episcopo, nec adhuc jure, & canonicè deposito, hoc facere renuentes, ac si facerent maximum dedecus, & obbrobrium sibi fore putantes, timentes etiam sententiam, & præceptum Archiepiscopi, sive justum, sive injustum foret, revolventes etiam ac dicentes inter eos, quòd si hoc facerent, & Papa atque Imperator quoquo tempore adhuc victores existerent, quia ipsi in perpetuum, & sinè ulla spe recuperationis damnarentur, ac de omni ipsorum virtute penitùs ejicerentur; si verò hoc facere supersederint, quòd tunc Papa Alexander in his partibus quasi victor extiterat, & Mediolanensis Archiepiscopus tum propter ipsum Papam Alexandrum, tum etiam propter civitates Longobardiæ ferè omnes insimul conjuratas, quoniam sciebant, quòd si à Laude expellerentur in Longobardiam (124) nullum ulteriùs habitaculum aut lo-

EX EDITO AB OSIO.

tunc temporis, ut eis videbatur, Laudensi Episcopo Catholico, nec adhuc Canonice jure deposito; & ideò hoc facere timebant valdè, & sibi in maximum dedecus reputabant: Inter se etiam conferentes, quod si etiam dicti Papa Paschalis, & Imperator victores adhuc existerent, ipsi in perpetuum se damnarent, & quilibet eorum dignitate, & gratia privarentur. Formidabant nimis mandatis suprascripti Galdini obedire; hoc etiam recusare, quod eis mandaverat dictus Dominus Galdinus. Stupebant plures; tum propter Papam Alexandrum, & secundum Dominum Galdinum Archiepiscopum, qui quasi tum illis partibus victores existerent, tum propter Civitates Lombardiæ ferè omnes insimul conjurantes; quia sciebant, quod si de Laude expellerentur in Lombardia habitaculum, aut locum, in quo se possent reducere, non haberent. Tandem dubii angustiis hinc inde satis diu revolutis; cum nullam misericordiam à dicto Archiepiscopo invenire possent, nisi quod eis mandaverat, adimplerent; eligentes potius vivere, quam mori, magisque etiam stare in sua patria, quam in aliena vagari, in Papam Alexandrum credere, ejusque parti favere, & Episcopum novum secundum voluntatem Archiepiscopi eligere disposuerunt. Igitur die Jovis Sancti, quæ fuit tunc quarto Calendas Aprilis, Indictione prima, in anno 1168. *Suprascriptus Dominus Albertus Laudensis Ecclesiæ*

(124) Nunc demum nostris notis ad exitum productis, Morenarum Langobardicæ historiæ coronidem lubet imponere, explicando quod Osius in notis suis p. 45. b. obscurum reliquit, quando, scilicet, Circumpadanus hic tractus Langobardiæ, corruptè Lombardiæ, nomine vocari cœpit: dum ipse sobriè nimis hac in re se refert ad Merulam. Is æquè ac ille illiberalis *Antiq. Vicecom. lib. 2. ineunte* vix prodit: quod *placuit Pontifici* (Leoni III.) *& novo Imperatori* (Carolo) *quidquid Longobardi nominis relictum erat in eas demigrare Regiones, ubi diutiùs imperassent, & Sedes Regia fuisset: ex hoc pars illa Italiæ, quæ inter Apenninum & Alpes à cæteris Athesi, Pado, & Rheno Bononiensi amne discluditur Longobardia primùm appellari cœpit*. Hæc ex Blondo *Hist. dec. 2. l. 1. p.* 163. Merula sumpsit, sed & ipse, & Osius anachronismum committunt. Neque enim sub Leone, neque sub Carolo Imperatore creato id factum, sed sub Adriano I. ut idem Blondus *Ital. ill.* bis sub initio *Region. 6. & 7.* dixit. Quinimo Regiones, & Urbes Italicas S. Petro largitus est Carolus, antequam Imperium iniret. Quot urbes postea, & quo jure non huc spectat inquirere. Ut res proposita exclarescat, expedit priùs innuere, quo nomine Regio Circumpadana, Regno Langobardico manente, vocabatur. Cùm duæ tunc essent in Italia jurisdictiones, una *Græci Imperii*, cujus juris erant cis Tiberim *Exarchatus*, nunc Romandiola, & *Pentapolis*, post Marca Anconitana, altera *Regum* Langobardorum, hæc in *Austriam*, hoc est, partem Orientalem, Venetiam complectentem: in *Neustriam*, hoc est Occidentalem, in qua Liguria, Insubres, pars Æmiliæ usque ad territorium Bononiæ, & Cenomani, & in *Tusciam* partiebatur. Nullum planè Scriptorem, qui ante Regnum Italico-carolinum, nullum Diploma Langobardicum, aut documentum publicum, vel privatum, quòd Langobardiam dixerit, & expresserit, vidi. Certissimè Paulus Diaconus *in Gestis Langobard.* hanc nuspiam memorat. Vidisse memini Miscellæ Codicem apud Egr. D. Martinum de Colla, Principis à secretis, virum literarum cultu, & eximia eruditione laudandum, in quo *Longobardia* nominatur, non tamen in ea parte, quam Eutropio Paulus adjecit: quamquam id scribere potuerit, cùm eam appendicem exaraverit suorum, & Domini sui everso jam Regno. Hanc appendicem possideo VIII. libris contextam, editionis vetustioris ea Eliæ Vineti editam Parisiis apud Simonem Colinæum 1531. in 8. Hujus luce multos ab hinc annos (absit jactantia) adverti, *à libris, quos Eutropio Paulus addidit, nimiùm discedere vulgatos Miscellæ libros*, ut doctè Cl. Muratorius in *Præfatione* præmonet; præmittens adhuc mirari, *cur nondum* id *eruditi animadverterint*. Utique libri Pauli in *Miscella* non sunt germani, & in multis scitu dignis deficiunt. Diu, fateor dissensi à Canisio in titulo *Miscellæ* adnotante, quòd Paulus Historiam Augustam solùm *à Valentiniani Imperio* (A. 364.) *usque ad tempora Justiniani perduxit*. Aliter cogitabam, animadvertens primò, quòd Paulus in fine libri XVII. pergere velle promittit: de Justiniano enim inquit: *in sequenti* (hoc lib. XVIII.) *Deo præsule, libello promenda sunt*. Er sanè cur tam citò desinere ipsum cogebat? Desinit Historiam Langobardicam in Luitprando, ne successorum Regum infortunia narraret, & in Luitprando desinit Appendix ad Eutropium, quam perducit usque ad Ravennam captam A. 726. Ubi notatu dignum, Regem Luitprandum nepotem habuisse homonymum à Venetis captum. Scribit: *cùm Ravennam Liutprandus Regis nepos, & Perideo Vicentinus Dux obtinerent, irruentibus subitò Venetis Liutprandus ab eis captus est*. Paulus solus prodere id potuit. Si conferatur postea caput 49. l. 6. Historiæ Langobardicæ cum §. ultimo libri 18. Appendicis, idem Scriptor mihi, ni fallor, videtur, quamvis hìc diligentior, quàm illuc. Continuasse adhuc putabam Paulum suam hanc Appendicem ad Eutropium usque ad A. 730. cùm eam absolvat exilio S. Germani Patriarchæ CP. XLVIII. quem dicto A. 730. ejecit Leo III. Iconomachus, Copronymi Pater, ex Zonara *in Leone*. Et demum lego in calce Appendicis, & libri XVIII. *Pauli VVarnefrid Langbardi, qui fuit filius Diaconi Forojuliensis, librorum, quos ad Eutropii compendium addidit, ultimi finis*. Quæ verba ad fidem alicujus veteris MS. denotant, adhuc librum XVIII. antiquitus fuisse Paulo attributum, ut præfata argumenta suadent. Hæsitet qui vult, me in cunctis doctissimo Muratorio, ut Magistro, sub-

EX CODICE AMBROSIANO.

locum, in quo se reducere valerent, habere possent dubiis angustiis utrinque diu, & satis hinc inde revolutis, tandem cùm nullā misericordiam nisi hæc agerentur dicto Archiepiscopo invenire per se, nec per alios multos ab eis admissos invenire potuerunt, licèt hoc cum magno dolore egissent, tamen quia turpiter vivere dedecus est, ac malè mori deterius est; magìs bene vivere, & in patria ac domibus eorum morari elegerunt, atque in Papa Alexandro credere, ejusque parti favere, ac Episcopum novum, secundùm Archiepiscopi voluntatem eligere disposuerunt, quàm mundum nudi circumeundo fame & siti perire, atque obbrobrium, & dedecus ab omnibus sustinere, præponentes etiam sibi imminens ac præsens bonum, ac dubiam vitam penitus relinquentes. Igitur in die Jovis Sancti, quæ fuit tunc quarto (125) Calendas Aprilis de Indictione prima de 1168. anno, jam dictus Domnus Albertus Laudensis Ecclesiæ Præpositus concionato insimul consilio tam cum Laudensis Civitatis Abbatibus, Præpositis, Presbyteris, aliisque Clericis, quàm etiam cum illis, qui extra civitatem in Laudensi fuerant Episcopatu, ad honorem Dei, & Beatissimæ Virginis Mariæ, atque Beatissimi, & pretiosi Confessoris Sancti Bassiani, cujus Sanctissimum Corpus in ipsa eadem Ecclesia jacet, seu etiam cum omnibus Laudensibus, tam Clericis, quàm Laicis, Domnum Albertum Presbyterum, ac tunc Ecclesiæ Ripaltæ-Siccæ Præpositum virum honestum & sapientem, atque religiosum, & bonis moribus valde imbutum, ac Deum multùm diligentem, & in omnibus timentem, tam Clericis, quàm Laicis in ipsa Ecclesia palàm astantibus, in Domnum & Laudensem Episcopum ac Pastorem elegit. In proximo itaque die Mercurii post Pascha veniente, Laudenses Abbates, Præpositi, Presbyteri, honestique Clerici multi, Consules Laudenses, multique etiam Judices, & alii sapientes de Laude, Pergamum, ubi jam dictus Electus tunc aderat, communiter ivere, atque in sequenti proximo die Jovis Episcopum electum conduxere, qui cum tanto gaudio & alacritate à Clericis & Laicis tam majoribus, quàm minoribus honorificè susceptus est, quòd nunquam vidi, nec etiam audivi aliquem Electum in sua civitate majori tanto gaudio nunquam susceptum fuisse; Deo gratias. Amen.

EX EDITO AB OSIO.

siæ majoris Præpositus communicato insimul consilio, tam Laudensis civitatis Abbatum, Præpositorum, Presbyterorum, aliorumque Clericorum, quam etiam illorum, qui extra Civitatem in Episcopatu Laudensi fuerant, ad honorem Dei, & Beatissimæ Virginis Mariæ, atque Beati Pretiosi Confessoris Bassiani, Dominum Albertum, & tunc temporis Ecclesiæ de Ripalta Præpositum virum honestum, & religiosum elegit in Laudensem Episcopum, & Pastorem. Proximo verò die Mercurii, post Pascha Laudenses, Abbates, Præpositi, Presbyteri, aliique Clerici multi, Consules etiam Laudenses, multique Judices, & Sapientes de Laude Pergamum, ubi tunc dominus electus aderat, iverunt; & ipsum in sequenti die Jovis proximo Laudem cum ineffabili gaudio conduxerunt. Qui ibi honorificè nimis ab omnibus tam Clericis, quam laicis est susceptus.

---

subscribo. De cætero ad rem meam sum certus, Paulum nusquam Langobardiæ meminisse. E contra Regno Carolino instituto, & ante restitutum Imperium Occidentale Langobardiæ nomen emersit. Ita Eginhartus Annal. Francor. ad A. 786. de Carolo habet: „ Rex pace undique parta statuit Romam proficisci, & partem Italiæ in qua Beneventum situm est, aggredi: conveniens esse arbitratus, ut illius Regni residuam portionem suæ potestati subjiceret, cujus caput, capto desiderio Rege, majoremque partem *in Longobardia* jam subacta tenebat. „ Extat quoque apud M. Velsoram Rer. Bricar. lib. 5. p. 310. exemplum membranæ Tassilonis Ducis 2. Id. Octob. A. 772. ubi plures leges ipsius. Cùm verò Rex Carolus A. 778. quasdam alias ipse addidisset, inter eas legitur p. 336. *Similiter direximus Missos in Aquitaniam, & Longobardiam*. Plura non addimus præsertim de divisione Italiæ ævo Langobardorum: neque Regni Italici limites hic statuimus (de quibus non satis exactè Merula & Osius) qnoniam fusiùs, & ab ovo, Palatini Socii in Præfatione præfixa Tabulæ Langobardico Francicæ, ubi duplex Langobardia, sive Langobordia, & Lombardia, atque harum discrimen, ut & supra num. 104.

(125) Lege *ante Calendas*, seu *V. Calendas*.

F I N I S.

SIRE RAUL,
SIVE
RADULPHI
MEDIOLANENSIS
AUCTORIS SYNCHRONI
DE REBUS GESTIS
FRIDERICI PRIMI
IN ITALIA
COMMENTARIUS

Nunc primùm editus ex MSto Codice

BIBLIOTHECÆ BRAYDENSIS
PP. SOCIETATIS JESU.

IN COMMENTARIUM SIRE RAUL, SIVE RADULPHI MEDIOLANENSIS DE REBUS GESTIS FRIDERICI PRIMI

PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

PLures inter instructissimas Bibliothecas, quae Mediolani literarum cultui dedicatae sunt, Braydensis librorum copia, & ornamentorum elegantia pretiosissima spectandam se praebet in Collegio Patrum Societatis Jesu, cui Bredae, sive Brerae vetus vocabulum. Latebat in ea *Commentarius de gestis Friderici Primi in Italia*, quem nunc profero, a tenebris in publicam lucem elatus, cura *Philippi Argelati* nostri, atque Doctissimorum Patrum beneficio, qui consilium hujus Operis probantes, librorum omnium usum Palatinis Sociis humanissime communem fecerunt, data etiam exscribendi Codicis facultate per P. Joannem Baptistam Muscam, Virum cum doctrina, tum suavitate morum praestantissimum eidem Bibliothecae Praefectum. En ergo Opusculum, cujus Auctor nulla dubitatio est, quin eodem tempore vixerit, quo Fridericus Primus Imperator, id testante narrationis ordine, atque ipso Historiolae exordio, ubi is statuit *ea quae vidit, & veraciter audivit, ad utilitatem posterorum scribere*. Ipsum quoque Mediolanensem Civem fuisse nemo non intelligat, haec legens. Sed quis ille Auctor fuerit, utique fateor ego incompertum adhuc mihi. In fronte Codicis inscriptum erat nomen *Sire Raul*. Tum in calce versiculus iste legebatur.

Qui fecit hoc Opus, Sire Raul nomine dictus.

Haec certe Auctorem indicare omnino videntur. Attamen si quis contra contenderet, Librarium his verbis tantummodo designari (neque enim antiquus est Codex) reponerem quidem, vocabulo *fecit*, non consuevisse uti, qui alienos Libros transcribunt; sed ille regerere posset, nihil mirum futurum fuisse, si Scriptori Librario minus proprium vocabulum excidisset, quando versiculus ipse hominem prodit, qui ne suum quidem nomen Latine reddere novit, & Poëtam quidem agere volentem, sed in Prosodiae ratione oppido imperitum. In Libri textu tantam inscitiam minime deprehendas.

Quid? quod etiamsi hunc revera statuamus germanum Opusculi Auctorem, me adhuc suspicio vexat, ne in ipsum ejus nomen mendum aliquod irrepserit. *Raul* proculdubio Francicae Linguae nomen est, quod *Radulfus* a Latine loquentibus redditur; & nulla mihi dubitatio, quin Mediolani quoque Scriptor hic *Raul* appellari potuerit. *Raulem* subsequutis etiam temporibus vidi nuncupatum non unum ex Italicis Viris. Sed quid sibi vult illud *Sire?* Francis quidem vox ista *Dominum* significat, & in alloquendo Rege potissimum adhibetur. At istam vereor, ut Mediolanenses umquam usurparint. Et quamvis Tuscis Scriptoribus in more fuerit aliquem interdum potentem virum *Sire* appellare, id tamen ea ratione fiebat, qua Comitem & Marchionem nominare solemus, addita nempe ditionis appellatione *il Sire di Varlonga*, *di Narbona*, &c. Dubitare quisquam posset pro *Sire* legendum

IN

F

F

I

F

luce
qui
hum
P. J
prae
Auc
Imp
stat
que
Au
scri

Ha
der
dex
tra
Lil
pro
age
tar

ad
pro
rec
pe
ex
sig
di
al
qu
ti

IN COMMENTARIUM SIRE RAUL, SIVE RADULPHI MEDIOLANENSIS DE REBUS GESTIS FRIDERICI PRIMI

PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

PLures inter instructissimas Bibliothecas, quae Mediolani literarum cultui dedicatae sunt, Braydensis librorum copia, & ornamentorum elegantia pretiosissima spectandam se praebet in Collegio Patrum Societatis Jesu, cui Bredae, sive Brerae vetus vocabulum. Latebat in ea *Commentarius de gestis Friderici Primi in Italia*, quem nunc profero, a tenebris in publicam lucem elatus, cura *Philippi Argelati* nostri, atque Doctissimorum Patrum beneficio, qui consilium hujus Operis probantes, librorum omnium usum Palatinis Sociis humanissime communem fecerunt, data etiam exscribendi Codicis facultate per P. Joannem Baptistam Muscam, Virum cum doctrina, tum suavitate morum praestantissimum eidem Bibliothecae Praefectum. En ergo Opusculum, cujus Auctor nulla dubitatio est, quin eodem tempore vixerit, quo Fridericus Primus Imperator, id testante narrationis ordine, atque ipso Historiolae exordio, ubi is statuit *ea quae vidit, & veraciter audivit, ad utilitatem posterorum scribere*. Ipsum quoque Mediolanensem Civem fuisse nemo non intelligat, haec legens. Sed quis ille Auctor fuerit, utique fateor ego incompertum adhuc mihi. In fronte Codicis inscriptum erat nomen *Sire Raul*. Tum in calce versiculus iste legebatur.

Qui fecit hoc Opus, Sire Raul nomine dictus.

Haec certe Auctorem indicare omnino videntur. Attamen si quis contra contenderet, Librarium his verbis tantummodo designari (neque enim antiquus est Codex) reponerem quidem, vocabulo *fecit*, non consuevisse uti, qui alienos Libros transcribunt; sed ille regerere posset, nihil mirum futurum fuisse, si Scriptori Librario minus proprium vocabulum excidisset, quando versiculus ipse hominem prodit, qui ne suum quidem nomen Latine reddere novit, & Poëtam quidem agere volentem, sed in Prosodiae ratione oppido imperitum. In Libri textu tantam inscitiam minime deprehendas.

Quid? quod etiamsi hunc revera statuamus germanum Opusculi Auctorem, me adhuc suspicio vexat, ne in ipsum ejus nomen mendum aliquod irrepserit. *Raul* proculdubio Francicae Linguae nomen est, quod *Radulfus* a Latine loquentibus redditur; & nulla mihi dubitatio, quin Mediolani quoque Scriptor hic *Raul* appellari potuerit. *Raulem* subsequutis etiam temporibus vidi nuncupatum non unum ex Italicis Viris. Sed quid sibi vult illud *Sire?* Francis quidem vox ista *Dominum* significat, & in alloquendo Rege potissimum adhibetur. At istam vereor, ut Mediolanenses umquam usurparint. Et quamvis Tuscis Scriptoribus in more fuerit aliquem interdum potentem virum *Sire* appellare, id tamen ea ratione fiebat, qua Comitem & Marchionem nominare solemus, addita nempe ditionis appellatione *il Sire di Varlonga, di Narbona*, &c. Dubitare quisquam posset pro *Sire* legen-

dum *Siro Raul*, ita ut ejus nomen à Sancto Episcopo deductum fuerit, qui Ticinensibus summo in honore est. Ita *Glaber Radulphus*, seu *Rodulphus* Historicus olim est appellatus, aut duplici nomine, aut nomine in cognomen converso. In hoc ipso Opusculo commemoratur locus prope Mediolanum *Sanctus Sirus ad Vedram*. Quod si de Tusco Scriptore ageretur, veri etiam videretur similius, hunc *Sere* & *Ser* appellatum fuisse, quo titulo in Tuscia olim donabantur, praecipue Notarii, & sic in versiculo aptius legeretur;

Qui fecit hoc Opus, Ser Raul nomine dictus.

Verum apud Insubres titulum hunc in usu umquam fuisse non legi. Quamobrem nihil mihi de nomine Auctoris hujus succurrit, quod a me suspicione omni depulsa pacato prorsus animo excipi possit. Sed ultra his immorari ineptum foret. Ego fidentissime *Raul* nomine retento, Scriptorem hunc *Radulphum Mediolanensem* inscripsi atque inscribam. Liceat & aliis pro suo arbitrio *Syre* vel *Sire Raul* eum perpetuo appellare.

Quaerebam autem, an Scriptor hic antiquis rerum Mediolanensium Historicis notus fuerit. Sed neque diligentissimus omnium in hisce conquirendis Gualvaneus de la Flamma, qui circiter Annum 1325. Patriae suae Historiam ex praecedentibus Chronologis consarcinabat, neque Corius, Scriptor alioqui studiosissimus, Radulphi nostri usquam meminerunt. Quot vero antiquorum Chronica Gualvaneo ad manus forent, in Praefatione ad Tomum I. hujus Operis indicavi. Non invisa fortasse iis fuit Historiola haec; sed neque illam, neque Auctoris nomen commemorarunt. Unus ergo, quem norim, Tristanus Calchus, nobilissimus Historicorum Mediolanensium, sub finem Seculi a Christo nato Decimi quinti, Radulphi opellam se sub oculis habuisse prodit, quem & ipse *Syre Raul* appellat. Narrat ille ad Annum 1161. Lib. X. Histor. Mediolan. ex obsidione per Fridericum Aenobarbum continuata laborasse jam Mediolanensem urbem commeatuum inopia. Quamobrem Consules advocatis ex singulis Parochiis binis viris, rerumque necessitate exposita, *decem & octo elegerunt, videlicet ternos ex singulis Portis, quibus ea cura demandata est. E quibus unum se fuisse nominatum inter Auctores nostros Syre Raul scribit. Cujus cognominis raritate excitatus, observavi in aede Portiana tabulam marmoream ad hunc modum inscriptam.*

IOANNES RAVLE DE BVSTI ARSI-
CIO OBIIT M.CCC.XI. IANVARII.

Ita Calchus, qui raritatem cognominis sensit, quum fortasse rariorem nominis occursum acrius sentire debuisset; & fortasse *Raul* non cognomen Auctori huic fuit, sed nomen. Hinc tamen videas, non nunc primum emergere Radulphum, utpote quem supra ducentos ante annos laudavit Calchus; sed quidem gratulandum esse nobis, quod e tenebris ereptus vivere tamdem totus incipiat. Ejus autem Historiola tamdiu abdita, & incolumis usque ad nos felici sorte servata, nemo neget quin egregium exhibeat contineatque antiquitatis monumentum, maximi in hac nostra Collectione faciendum. Similia multa mihi optassem, atque utinam plura producere mihi fas esset. Nam quum Seculo Christianae Aerae XII. Friderici Primi gesta, & inclytae Mediolanensis urbis teterrima eversio, totum, ut ita dicam, terrarum orbem fama impleverint, illudque excidium, ac varia tamdem Friderici fortuna alte sonet, haec certe illustrem in Historia sibi locum poscunt. Et ea quidem luculentis Commentariis in bono lumine collocavit in hoc eodem Opere editus Otto Morena Laudensis. Verum is Friderico Augusto militans, & Mediolanensi Populo ejusque foederatis adversus, non ita rem confecisse dicendus est, ut ad ejus narrationem, quamquam magno in honore habendam, conquiescere penitus mens nostra velit. Mediolanensis quoque Scriptor audiendus heic erat; nam quod in privatorum litibus usuvenit, eo magis in Principum ac Populorum contentionibus accidit. Ad rectum judicium de iis ferendum raro sis aptus, si alterius tantum partis orationem, argumentaque auscultes. Bene ergo habet, quod Radulphus noster (ita enim compellare mihi placet) in forum & ipse prosilit, Mediolanensium verbis grandia illa & funesta facta nobis enarraturus. Mole profecto exigua ejus narratio, sed sua brevitate multa complectitur, & veritatis amorem undique spirat. Quare mihi nulla dubitatio est, quin Eruditorum omnium consensu probetur simul atque laudetur.

Suam vero Historiolam deducit Radulphus ab Anno 1154. saltem usque ad Annum 1177. Tum sequitur in MSto Codice narratio de postrema Friderici Aenobarbi

barbi Augusti expeditione in Orientem pietatis causa. An tribuenda sit lacinia haec eidem Scriptori, stilo quippe aliquantulum diversa, judicandum aliis relinquo. Tum pauca quaedam fragmenta succedunt, quae desinunt in Annum 1203. Denique attexebatur Epistola Alexandri III. Summi Pontificis, qua Principibus Christianis ordinem suae electionis significat. Eam vero quum fateatur consarcinator se accepisse a *Genuensium Annalibus*, omittendam idcirco duxi, tum quod iidem Annales supra in hoc tomo sint editi, tum etiam quod eadem Epistola habeatur edita a Radevico Lib. 2. Cap. 52. Codex, unde haec sumta sunt, chartaceus, & recens est, & mendis quampluribus scatet, ex quibus tamen nonnulla evidentiora sustuli, reliqua vero, uti & lacunas quasdam, Lectoris judicio emendanda dimisi.



SIRE RAUL, SIVE RADULPHI MEDIOLANENSIS DE REBUS GESTIS FRIDERICI PRIMI IN ITALIA.



Icèt impar operi, & non sufficere posse videar, pro facultate tamen ingenii ea, quę vidi, & veraciter audivi, ad utilitatem posterorum scribere tentabo. Maxima enim succedentium versatur utilitas, cùm ex præcedentibus didicerint futura cavere. Siquidem diligens Lector, dum ea, quæ scripta invenerit attentè prospexerit, ne quando in similem incidat jacturam, vitare curabit. Miseræ itaque Longobardiæ, quæ sævitiam & immanitatem Romanorum primùm, Vandalorum, Gothorum, Winulorum, Francorum, Ungarorum, Teotonicorum experta est, nunc oppressionem & insolitam subjectionem, maximè Mediolanensium obsessionem, proditionem, atque destructionem breviter narrare studebo.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo quarto mense Octobris intravit Rex Fedricus, homo industrius, sagacissimus, fortissimus, Longobardiam cum magno exercitu. Et tunc Mediolanenses cum Papiensibus erant in guerra, quæ cœpta erat in mense Julii ante. Venit ergo consilio accepto, ut Longobardos miro modo subjugaret. Et cùm sibi videretur necessarium alteram partem eligere, utilius duxit parti Papiensium adhærere, ne si Mediolanensium partem amplexus esset, altera parte Longobardiæ subjugata, Mediolanenses, qui fortiores erant, rebelles existerent. Fictè ergo, ut ex subsequentibus apparuit, apud Ronchalias inter eos pacem teneri præcepit, & captivos ab utraque parte sibi reddi jussit. Et cùm venisset apud Landrianum, redditos sibi captivos Papiensium dimisit; Mediolanenses verò ligatos ad equorum caudam trahens per lutum duxit, quorum alii fuga, alii pecunia redempti, liberati sunt. Et ibi pistores, & alii negotiatores, qui portaverant exercitui necessaria, expoliati nudi dimissi sunt. Deinde venit Roxate, quorum bona abstulit, & postea villam & castrum succendit. Et inde recedens transivit Ticinum, & pontes, quos Mediolanenses ædificaverant, destruxit, & circa castrum de Galiate, quod erat Archiepiscopi, & quod erat quatuor turribus, & muro, ab imo fossato vallatum, tentoria fixit, & obsedit, do-

donec funditus extirpavit: & destruxit etiam castra & villas de Monti & Trecate. Et inde discedens transpadavit.

Quartodecimo die mensis Februarii, qui erat millesimo centesimo quinquagesimo quinto cœpit obsidere Terdonam. Mediolanensium verò quidem milites circa centum, & sagittarii ducenti intraverunt in eam ad defendendum, & ex eis fuerunt mortui Hugo Vicecomes, & Jannus Mainerius, & Albertinus de Carate, & Rugerius de Sancta Maria, & multi alii fuerunt mortui, & vulnerati. Deficiente autem aqua & vino, reddiderunt se octavodecimo mensis Aprilis, interveniente Abbate Pruno de Caravalle de Pagnolo, cui promiserat, quòd civitatem in suo statu stare permitteret. Datâ autem fiduciâ civibus, & extraneis, exeundi cum iis, quæ portare poterant, alii egressi sunt, alii remanserunt in majori Ecclesia. Rex verò cum exercitu suo intravit in eam, & eam usque ad solùm destruxit. Quoniam pecuniâ acceptâ à Papiensibus, ut id, si facere posset, ad effectum perduceret, pacto tenebatur. Præfatus verò Abbas nimio dolore, atque tristitiâ tentus infra triduum mortuus esse fertur.

Eodem quoque tempore Mediolanenses miserant ducentos milites, & totidem pedites, ut exercitum offenderent, & morabantur in Horasco, & in Sarrano; & in Garlimiâ, & in certis locis Terdonensium, & Marchionum de Malaspina. Destructâ Terdonâ, castrametatus est in prato, quod dicitur Ducis, juxta Placentiam. Mediolanenses autem miserunt milites & pedites duarum Portarum, videlicet Portæ Cumanæ, & Portæ Novæ ad succurrendum & defendendum eam sexto Kalendas Maji prædicto anno Incarnationis. Rex verò cùm non posset facere quod optabat, discedens inde abiit Romam, & ibi ab Hadriano Papa coronatus, & Imperator factus est. Postea reversus est ultra montes. Cùm autem Rex à Placentia discessisset, ducenti milites & ducenti pedites, quorum mentionem supra habuimus, qui missi fuerant, ut exercitum, qui obsidebat Terdonam quoquomodo offenderent & impedirent, primo die Maji ascenderunt montes Terdonæ cum aliquibus Terdonensium, minus tamen quinquaginta; & cùm ibi morarentur, Papienses gravissimo dolore perterriti cum omni sua fortia equitaverunt, & juxta pontem, qui dicitur Petri, tentoria sua posuerunt. Sed cùm ibi ad pugnam vellent ascendere, Guilielmus Marchio Montisferrati publicè, ne ad bellum descenderent, dedit eis consilium, dicens: *Quid inconsulti & insensati cogitatis? Et non putatis, quòd in Longobardia non sunt meliores & fortiores illis, cùm quidem de melioribus, quos Mediolanenses habebant, electi sint?* Sed hæc ideo dicebat, quia de voluntate ejus erat, ut civitas reædificaretur. Et hoc modo suasit eis, & reversi sunt unusquisque in domum suam.

Cùm autem milites & pedites duarum Portarum, qui erant ad Placentiam, hæc audivissent, timuerunt de fratribus suis, & duplamante usi venerunt Terdonam, & milites & pedites, qui occupaverant montes, remiserunt domum. Et ipsi baldaciter steterunt ibi per XV. dies, & oppugnaverunt Sallam, & ferè obtinuerunt eam. Postea miserunt duæ aliæ Portæ, Porta Romana & Porta Orientalis per terram Placentinorum, & Marchionum de Malaspina, quos Mediolanenses infinitâ pecuniâ quæsierant, & aliæ duæ reversæ sunt. Morantibus autem ibi Porta Romana, & Porta Orientali, Papienses iterum collegerunt infinitam multitudinem gentium, qualem nec antea nec postea habuerunt, & in pratis, quæ dicuntur in Fabrica, juxta montem Terdonæ tentoria sua posuerunt. Custodibus verò istarum Portarum revertentibus de Frasceda causa ducendi mercatum, atque dissensione orta inter Consules Margaliam & Hugonem de Pasciluco, velociùs cœpit Margalia cum vexillo suo contra Papienses equitare. Cœpto autem ingenti prœlio in capite burgi Terdonæ, qui est juxta montem, Mediolanensibus terga dantibus, Papienses utpote fortiores persecuti sunt eos usque in civitatem, & ferè unà cum illis intraverunt, & multos ex eis occiderunt, & multos ceperunt, plures verò vulneraverunt; & papiliones, & alia tentoria, quæ extra civitatem in monte & in burgo erant, habuerunt. In quibus tentoriis & multos roncinos, & multos palafrenos, & multas loricas, & ocreas, & galeas, quas non potuerunt Mediolanenses propter repentinum prœlium induere, & etiam argentea vasa, & pecuniam numeratam, & multam suppellectilem comprehenderunt, & habuerunt. Cùm autem serò factum esset, Papienses descenderunt, & venerunt ad tentoria sua, & refecerunt se. Mediolanenses verò non potuerunt corpora sua reficere, aqua, & vino, & aliis victualiis eis deficientibus; tota tamen nocte vigilaverunt, & laboraverunt, ædificantes cæmentum, murum, & alia oppugnacula construentes. Mane autem facto Papienses bellum induxerunt, & maximam pecuniam ei, qui primus civitatem ingrederetur, se daturos publicè promiserunt. Et cùm fortiter pugnassent resistentes eis, Dei misericordiâ, quæ Mediolanensibus ipsa & præcedenti die affuit, obtinere non valuerunt. De melioribus tamen multi in Ecclesiam fugerunt, quorum nomina ad eorum ignominiam scripta fuerunt. Et sic cum gaudio & cum tristitia Papienses recesserunt.

Cùm verò Mediolanenses, qui erant in civitate, hoc audivissent, die Sabbati ad vesperas Consules militibus Portæ Ticinensis, & Portæ Vercellinæ præceperunt, ut citò fratribus suis vulneratis & obsessis auxiliarentur. Qui alacriter iter capientes die Lunæ circa vesperas fuerunt apud Placentiam. Die Martis castremetati sunt in pratis de Cruce. Die Mercurii, qui erat Kal. Junii, in pratis, qui sunt juxta Sarzanum & Horascum, hospitati sunt, ubi nec aquam, nec vinum habuerunt, nisi aliqui secum in vasculis portaverant. Die Jovis ad horam tertiam intraverunt destructam civitatem, & invenerunt fratres suos imbecilles & languidos, alios ex vulnere, alios ex alia corporis infirmitate; quoniam vestibus expoliati & frigore capti febricitabant. Et illi videntes eos, gavisi sunt gaudio magno valde.

Infra paucos dies Papienses tertiò collegerunt gentes, quas habere potuerunt, & tentoria sua in Villa, quæ dicitur Oria, posuerunt, & armati cœperunt messes Terdonensium depopulari. Militibus autem & peditibus Portæ Ticinensis & Vercellinæ ad conflictum descendere volentibus, ceteri aliarum Portarum dissuaserunt eis, dicentes: *Nolite ad bellum proficisci, quasi de nobis fiduciam & spem aliquam habentes; nullum enim patrocinium*

nium vobis præstabimus, quia plures & fortiores sunt, quàm vobis appareant. Sed hæc dicebant timentes vulnera & cædes, quas de manibus eorum fuerant perpessi. Hoc audito non fuerunt ausi descendere; qui si descendissent, pro certo finem guerræ imposuissent. Reversi sunt itaque pedites domum. Et consilio inito Papienses miserunt milites & pedites eodem mense in nocte festivitatis Sanctorum Gervasii & Protasii, ut Septorianum oppugnarent & caperent; sed pauci milites Mediolani præsenserunt, & ante lucem ibi fuerunt, & invenerunt eos jam castrum circumdedisse, & ingenti clamore sunt eos aggressi: at illi terga dantes fugerunt. Mediolanenses persecuti sunt eos usque ad Pontem longum & ultra, & ex eis centum pedites occiderunt, & ducentos ceperunt. Milites verò eorum relictis peditibus fugerunt.

Reversis Porta Romana & Porta Orientali à Terdona Mediolanum, aliæ duæ steterunt ibi usque post Festum Sancti Johannis Baptistæ & cœperunt reædificare civitatem, & circumdederunt eam muro, qui manet usque in hodiernam diem; siquidem milites cum equis suis duxerunt sabulum de ripa Scriviæ; pedites verò calcem à Sancta Maria in Scultabis inde portabant. Illis autem domum remeatis, Consules Mediolani duxerunt illuc octingentos milites, quibus pro unoquoque soldos quadraginta dederunt in mense usque ad quatuor menses. Interim Consules Papiensium submiserunt, qui dicerent, se daturos illis castrum de Pozolo pecuniæ interventu. Cùm autem diem & horam statuissent, Mediolanenses, & Obizo Marchio Malaspina ad recipiendum castrum fiducialiter equitaverunt, & ante Solis ortum ibi fuerunt. Sed Papienses ante eorum adventum non longè à castello insidias posuerunt, & ingenti clamore in eos insurrexerunt, atque ipsos in fugam conversos Papienses persecuti sunt usque in pratis de Fabrica, & ducentos ferè milites ceperunt; & plures cepissent, nisi quædam nebula eis obstitisset. Nullus tamen ibi fuit mortuus, nec Marchio tentus, quia privatiori itinere & inusitato cum aliquibus descendit. Cùm verò certi milites, qui remanserant Terdonæ, suos persequi vidissent, citissimè de monte descenderunt, & occurrerunt obviam illis; & cùm Papienses vidissent illos, cœperunt fugere, & ipsi persecuti sunt eos, usque dum recuperaverunt de suis multos, & de fugientibus ceperunt ultra ducentos, & captos miserunt Mediolanum. Et ipsi remanserunt ad guardam, secundùm quod eis fuerat injunctum; & post terminum eorum alia bona guarda subrogata est per totam hyemem, & per totam ferè æstatem. Et reædificaverunt civitatem Terdonæ propriis & communibus Mediolanensium expensis pulchriorem & fortiorem, quam umquam fuerit.

Eodem Anno sexto die Novembris missa fuit Porta Romana ad ædificandum pontem supra Ticinum ad Brinate. Et aliæ Portæ per ordinem subrogatæ sunt, & levaverunt pontem. Sequenti verò æstate mense Maji Porta Orientalis, & Porta Romana, & Porta Ticinensis directæ sunt ad Stabulium, & cum prederiis, quas Magister Guilielmus fecerat, castellum illud, quod erat fortissimum, & quod ex nulla ferè parte expugnari poterat, summa vi ceperunt, & destruxerunt, quasi Portis aliis tribus invidentes, quæ paulò ante castellum de Civassio & turres violenter, & quasi disperatè ceperunt.

Eodem tempore Consules Mediolani miserunt Legatos Brixiam, & ab eis consilium postulaverunt, & ipsi dederunt eis ducentos milites, & pedites quosdam, expensis Mediolanensium. Congregato itaque exercitu sub medio * anen. Idus Junii, qui est tertiodecimo mensis Incarnationis MCLVI. cœperunt ire Ceredanum, & secunda die circa castellum illud castra sua posuerunt, & ita circumdederunt, quòd nullus poterat intrare vel exire castellum illud, ab imo fossati muro & turribus vallatum. Et cum testeris & prederis expugnaverunt illud; & in castello illo erant milites & pedites Novariæ & Papiæ; & tamen tertia die ceperunt illud ita violenter, quòd * multi ipsos suos mortem saluti. Et tunc erant Papienses & Novarienses cum omni eorum fortia supra Tardubium prope Sozagum; & præmiserunt quosdam milites exploratores, quorum unus à quodam cliente vocatus castra intravit, & ad papilionem Consulum mirabili vino scypho argenteo potatus est, & rediens fidem, ac sapientiam, atque curialitatem Mediolanensium cùm vidisset, quòd nemo eorum erat ausus contra inimicos castra exire, mirabiliter laudavit. Cùm verò Papienses & Novarienses vidissent castellum succussum, relictis plaustris, quæ portaverant cibos & arma, fugerunt. Mediolanenses tamen hoc ignoraverunt. Et inde discedentes, destructo Ceredano, & capto Sozago, castrametati sunt juxta Morgengum, & multi volentes intrare castellum necati sunt in fossato: & tamen violenter ceperunt illud. Et tunc reddita fuit eis turris de Mommo, & Mosezum, & Faroa; & alia loca sunt eis reddita, & reversi sunt domum novem diebus cum magno triumpho.

Eadem æstate mense Julio tres Portæ, videlicet Porta Vercellina, Porta Cumana, & Porta Nova ascenderunt, & intraverunt Vallem de Lugano, & ceperunt ibi & circa partes illas viginti ferè castella. Et tunc Portæ tres, quæ domi steterant, fecerunt in campis de Videgulfi cum Papiensibus mirabile prœlium; & Papienses primò recesserunt. Mense Novembris primò ceperunt tres prædictæ Portæ ædificare pontem supra Ticinum intra Abiate, & Cassiolium; & steterunt ibi per tres hebdomadas. Aliæ tres postea subrogatæ sunt. Et tunc erat frigus mirabile, & nix maxima; & sic steterunt ibi per totam hyemem & per totam Quadragesimam, & ædificaverunt, præsidente operi Magistro Guilielmo, pontem pulchriorem latiorem, & fortiorem, quàm umquam aliquis vidisset eo tempore.

Millesimo centesimo quinquagesimo septimo mense Junii iterum congregaverunt Mediolanenses exercitum mirabilem, & habuerunt de militibus Brixiensium ducentos & ultra, expensis Mediolanensium. Prima die intellexerunt, quòd Papienses milites & pedites, & Marchio Guilielmus Montis-ferrati, & Obizo Marchio Malaspina, & alii inter Comites & Marchiones usque septem intraverunt castellum de Vigevani, ut illud defenderent. Secunda die castra sua posuerunt juxta Tardubium, relinquentes post se castellum de Vigevani, atque timorem simulantes. Tertia die castrametati sunt ad Gambolate, & castellum illud combusserunt, atque destruxerunt. Et cùm redirent, præposuerunt Guidonem Comitem

tem de Biandrate exercitui, qui præmisit omnia plaustra cum carrozeris, & pedites, & milites, qui iverant societate * tralesio, similiter pedestres sagittarios. De residuis duas constituit acies, unam de militibus Brixiensium, qui erant in societate, in qua ipse erat; aliam de militibus Mediolanensium; & planissimè per campaniam incedebant cum vexillis, & aliis innumerabilibus signis, & suos à longe sequebantur. Papienses verò, & qui cum illis erant, egressi sunt de castello obviantes eis, ut eos ad bellum provocarent; sed cùm milites & pedites, qui præibant, vidissent, quòd honestè prœlium vitare non possent, quasi furore accensi insurrexerunt in eos, & prostraverunt eos, conculcantes in fossato villas. Et tamen nullus de flore militum Mediolani interfuit prœlio. Et ipsa die castris suis circumdederunt locum de Vigevani, ita quòd nemo poterat ingredi vel exire. Et cùm per aliquot dies eos obsedissent, & intus clausos tenuissent, deficientibus eis victualibus, reddiderunt castellum, & juraverunt stare præcepto Magistri Guintellini, & dederunt obsides ducentos, quos eligere voluerunt, extra Comites & Marchiones. Et tunc potuissent Mediolanenses destruisse Papiam; sed eorum miserti sunt. Destructo itaque castello regressi sunt Mediolanum maximo triumpho, restaurantes damna, quæ Brixienses sustinuerant.

Postea verò cùm Papienses perjurassent, atque præcepta Magistri Guintellini adimplere recusassent, mense Augusto in proximo quinque Portæ iterum equitaverunt ultra Ticinum tam privatissimè, quòd publicè nesciebatur quò ire vellent, sola Porta Ticinense causa custodiendi domi remanente. Et castrametati sunt ad Lomellum, & reædificaverunt illud castellum, & steterunt ibi per mensem. Et mense illo ceperunt, & destruxerunt omnia ferè castella & loca Papiensium usque ad Gravedonam. Nuntiatum autem fuit tunc Lixiæ Consuli, quòd Cremonenses volebant transire Adduam, & expugnare Mareum. Et ipse cum militibus Portæ Ticinensis perrexit Laude, & misit pro militibus Cremæ, qui fuerunt ibi ipsa die. Cùm essent ibi, altera die prima feria ad horam Tertiæ nuntiatum est iterum eis, quòd Papienses veniebant Landrianum. At illi cum festinatione venerunt illuc, & invenerunt eos prope locum; & illi visis hostibus recesserunt, & cum eis contendere ausi non fuerunt. Eodem die Cremonenses cùm transissent Adduam, viderunt quemdam pulverem ex grege belluarum levatum, & cogitantes quòd Mediolanenses advenirent, inhonestè fugerunt. Et post hæc quinque Portæ regressæ sunt domum, relinquentes ibi bonam custodiam; & reædificaverunt, & custodierunt castellum illud de Lomello per totam hyemem, & per totum ver. Et sic Mediolanenses reædificando turres, & castellorum muros, Galiate, & Trecate, & montem Marum cum monte Oldradi, & Mareum, & Cavacurtam, & Cornu; & reædificantes Terdonam, & Lomellum; & constituentes pontes supra Ticinum, & Adduam, & custodiendo omnia supradicta; insuper in montanis partibus custodiendo Rocham de Leucho, & tres Ardenos, Orognium, & Coperram, & Ripam Sancti Vitalis, & Oronam, & alia multa loca: expenderunt & consumserunt ultra quinquaginta millia marchas argenti purissimi, & faciendo densas expeditiones, & fossata levando circa civitatem: quod postea in perniciem, & eorum destructionem versum est.

Post hæc verò Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo octavo sexto die mensis Julii devênit Imperator Federicus Veronam, & inde transiens per loca vênit Blancanugam. Et habebat in suo exercitu Regem Bohemitarum, & Ducem, & Episcopum, & alios Duces, & Marchiones, & Comites, & Episcopos, & Abbates de partibus ultramontaneis innumerabiles. Mediolanenses verò putabant, quòd per pontem deberet transire Adduam; sed spe sua frustrati sunt. Invento ergo vado ad Cornalianum * & ex eis in ea ducenti necati sunt; & castra sua circa Tritium posuerunt. Mediolanenses verò dum ignorarent exercitum transiisse, miserunt quosdam milites, ut morarentur in ripa Adduæ. Sed cùm fuerunt ad Grogonzollam invenerunt Bohemitas, & Teutonicos currentes ad prædam, & ab eis fugati sunt. Et captus fuit ibi Asterius de Vicomercato, & Robacastellus, & multi alii capti & vulnerati. Sed cùm Mediolanenses ad clamorem istum concurrerent, quidam paratus fuit eis jurare, quòd Imperator transivit Adduam. Reversi sunt itaque cum tristitia & timore maximo. Sed tunc non esset oculus, qui potuisset lacrymas continere, qui vidisset infirmos, claudos, debiles, fœminas de partu cum parvulis suis, & alios multos mares & fœminas cum mobilibus suis fugere.

Capto itaque Tritio castrametatus est ad Melegnanum Imperator. Et ipsa die circa vesperas prœlium maximum factum fuit in partibus Congredæ, in quo mortuus fuit Comes Aldepretus, & de melioribus Mediolani multi, plures tamen de Teutonicis ibi mortui fuerunt. Post hæc verò quinto die mensis Augusti congregatis militibus & peditibus Parmæ, Cremonæ, Papiæ, Novariæ, Astensium, Vercellarum, Cumarum, Pergamensium, Biandrate, Bergolii, Gamondi, Marenghi, & aliorum locorum trans Padum; item congregatis Capitaneis, Comitibus, & Marchionibus totius Longobardiæ; item omnibus aliis militibus aliarum omnium civitatum, & burgorum, & oppidorum Longobardiæ coadunatis. Prӕterea Lucarenghi, Burgundienses, Vicentini, Trivisii, Paduæ, Veronæ, Ferrariæ, Ravennæ, Bononiæ, Regii, Mutinæ, Brixiæ, & multarum civitatum Tusciæ, milites, & sagittarii, & balistarii, interfuerunt. Prædictis omnibus, & aliis multis congregatis, sexto die mensis Augusti castra sua in Brolio Mediolani fixit. Et quidem milites fuerunt appretiati quindecim millia; peditum, & aliorum hominum non erat numerus. Archiepiscopus Coloniensis tentoria sua prope Sanctum Celsum posuerat. Imperator in Solario Templi de Brolio morabatur; & alii Principes, & civitates circa eum versùs Sanctum Dionysium. Rex Bohemitarum, cum Duce, & Episcopo, in Monasterio Sancti Dionysii, & circa, tentoria sua posuerunt.

Cogitaverunt autem Mediolanenses ea die, quòd possent Bohemitas superare, quia castra sua, à castris aliorum modicum erant separata. Et egressi post vesperas mirabiliter sunt eos aggressi, & maximum prœlium tunc factum fuit, in quo multi ab utraque parte interciderunt. Imperatore autem cum alio exer-

exercitu adveniente, regressi sunt in civitatem. Sed Turris quædam lapidea mirabilis opere posita erat in via, quæ vadit Melegnanum ante Portam Romanam juxta Domos Malsanorum, & vocabatur Arcus Romanus, quoniam quatuor Arcus inferius habebat. Et dicebatur quòd Romani, quando Mediolanum subjugaverunt, in signum victoriæ eam ædificaverunt. Mediolanenses verò proposuerunt eam defendere, & custodiam in ea posuerunt. Sed bello publicè ab Imperatore indicto, dum oppugnaretur Porta Romana, & Porta Tonsa, qui missi fuerant custodire illam, timore perterriti reliquerunt eam. Et hoc maximum timorem Mediolanensibus incussit; quoniam Imperator super eam prederiam fieri fecit, & eos, qui erant in castello ligneo, quod erat super pontem fossati fugabat. Sed Mediolanenses postea fecerunt onagrum, & fregerunt perticam illius prederiæ, & Teutonicos de turri descendere coëgerunt. Interea milites Mediolani egrediebantur de civitate, & auferebant scutiferis exercitus roncinos; & tantos abstulerunt, quòd roncinus quatuor soldis terciolorum in civitate vendebatur. Post hæc prœlium maximum factum fuit ad Portam Novam, & accenderunt pontem, qui erat super fossatum, & Mediolanenses omnes intus clauserunt; & quosdam ex eis in fossato necaverunt, & quidam à turba oppressi, cùm intrarent portam, mortui sunt. Sed postea cùm clamor civitatem intrasset, viriliter restiterunt, & ignem, qui pontem accenderat, restinxerunt.

Interea fuerunt, qui loquerentur ea quæ pacis erant; & facta est concordia inter Imperatorem & Mediolanenses. Talis est concordia: quòd civitas, & fossata in suo statu perseverare debebant. Et Imperator debebat habere super personis & rebus eorum, quæ consueverat habere à centum annis retro. Et de hoc dati sunt trecenti obsides de melioribus & nobilioribus urbis à duodecim annis supra, & viginti infra. Et non debebat morari in terra Mediolanensium ultra tres dies. Septima ergo die mensis Septembris hæc concordia facta fuit. Et altera die in Festivitate Beatæ Mariæ egressi sunt Mediolanenses de civitate discalciati cum nudis ensibus in manu, & cum Archiepiscopo Oberto, cum Crucibus & alio Clero; & reddiderunt seipsos & civitatem. Et ipse recepit eos, & osculatus est eos, atque de banno extraxit, & captivos Papiensium, qui erant mille & ultra, reddi fecit. Et ut firma inter omnes Longobardos pax exinde teneretur, præcepit. Et ipsi posuerunt vexillum Imperatoris in Turri majoris Ecclesiæ, quæ altior erat omnibus ædificiis Longobardiæ.

Imperator verò, dato exercitui commeato, secessit Bolzanum cum familia, & ibi stetit octo dies; & postea ascendit Modoëtiam, & ibi moratus est plus octo diebus; & ibi fecit concordiam cum Martensibus, & Seprienſibus, datâ eis maximâ pecuniâ; & sic dereliquerunt Mediolanenses, quibus juraverant, & quibus erant innumerabilibus parentelis conjuncti. Et dedit eis Comitem Gozionum, quem de illis Comitatibus investivit. Postea decedens inde, perrexit Tritium, & in eo posuit milites centum, quibus præposuit Chumradum de Maze, & Rodegerium. Et inde discedens ivit Cremonam. Postea stetit in partibus Montisferrati, & Ciriate, & hyemavit ibi. Et cùm esset apud Octimamem, præcepit ut castellum Cremæ destrueretur, recepturus propterea quindecim millia marcas argenti à Cremonensibus. Quo audito Mediolanenses valde turbati sunt. Dum hæc fierent, prædicti Chunradus, & Rodegerius, & qui cum illis erant, cœperunt possessiones Mediolanensium, quas habebant in partibus Adduæ, perturbare, atque depopulari, & fodrum tollere, & alias impressiones in personis & rebus rusticorum & civium facere usque ad Plebem de Segrate.

Interea mense Januario misit Imperator Rainaldum Cancellarium, & Ottonem Comitem Palatinum Mediolanum, dicentes, ut Potestatem acciperent: quod facere non debebant, secundùm quod in Privilegio concordiæ, quam cum eis fecerant, continebatur. Quod audientes cives, furore accensi clamaverunt super eos; & ipsi valde timuerunt; & in nocte Comes recessit. Eo modo manè mirabilis multitudo militum fuit in Broleto Monachorum Sancti Ambrosii ante prædictum Cancellarium, pollicentes & volentes stare præcepto Domini Imperatoris, qui illis bona verba dedit. Sed ficte loquebatur. Hujus autem tumultus occasionem præstiterunt Martinus Malaopera, Azo Bultraffus, & Castellinus de Lemenulfis. Ab illa autem die prædictus Cancellarius animosiùs summoque posse operam dedit Mediolanum delere.

Post hæc Imperator abiit Bononiam, & solemnia Paschæ celebravit ibi. Die autem Jovis feriarum Paschæ Mediolanenses bannivit, & eos hostes coronæ judicavit, licèt eos non requisierit. Et cùm audisset obsideri Tritium, tribus diebus vênit ad Montem-Gezonis, qui dicitur Lauda, & cùm audisset captum Tritium, ad mortem usque doluit. Mense autem Julio proximo, tertio aut quarto die, cœpit obsidere Cremam; & Mediolanenses miserunt in eam quatuor centum pedites, & milites quosdam, quibus dabant expensas; & miserunt Consulem unum cum eis Maifredum de Dugniano. Et cum eo erant de militibus Obizo de Madregniano, & Squarzaparte de Bucinate, & Oldratus de Basilicapetri, & Gasparus Menclotius, & alii. Sed Imperator non audebat assiduè ibi esse, sed morabatur Laudæ.

Eodem autem mense, decimo die mensis, posuit insidias ad Cavaginaram. Et Dux Bertoldus de Azarengo erat cum eo; & pedites Papiensium posuit in Settetiano, & de militibus misit quosdam usque ad Grattasoliam. Alii steterunt in Gaziano, alii ad Vicum Majorem. Interea quidam perversus de Grattasolia sub dolo missus est à Papiensibus Mediolanum, & ejus clamore, & vociferatione egressi sunt milites de Mediolano, & persecuti sunt eos usque ad Pontem longum, & ceperunt milites & pedites Papiensium ferè omnes. Sed cùm redibant, Imperator egressus est de insidiis, ubi latebat, & apud Settetianum fuit eis obviam, Papienses recuperavit, & de Mediolanensibus cepit milites trecentos, & duxit eos Laudæ. Postea misit eos Papiam.

Ab illa die cœpit confidenter morari apud Cremam, & fecit fieri testudinem mirabilem, qua implebatur fossatum. Insuper fecit turrem ligneam altiorem, & fortiorem quàm um-

umquam aliquis vidisset. Et fecit venire obsides, quos habebat Cremonæ, & captivos, quos habebat Papiæ, & de melioribus & nobilioribus circa viginti in die suspendebat extra turrim, funibus ligatis humeris; & in quodam ligno sedebant, ut lapidibus, qui jaciebantur ab onagris, qui erant in Crema, obruerentur, aut eorum timore vel amore castellum redderetur. Et cùm per aliquot dies ictus lapidum sustinuissent, ita ut hostes appropinquarent castello, dimissis de captivis & de obsidibus in nocte in turri, timuerunt ne altera die caperentur. Tota ergo nocte onagris suis laboraverunt, & lapidaverunt, & occiderunt ex illis, qui erant in turri, septem, hos videlicet; Caputdemalio de Pusterla, Pagnierum de Lampugnano, filium Azonis Azeronis, filium Buzo de Sancto Blatore, Presbyterum Carusa, Turricum de Lonate, Anricum de Landriano. Et isti marturiati sunt ea morte, qua aliquos periisse nusquam legimus. Post aliquot verò dies cùm præparasset pontem, quem projecit à turri supra munimina fossati, cœpit oppugnare castellum; & multi Teutonicorum ascenderunt munimina. Sed tunc Mediolanenses, & Cremenses viriliter restiterunt, & eos violenter expulerunt; & interim pons fractus est. Altera tamen die, sexto die mensis Januarii reddiderunt castellum, & egressi sunt, relinquentes ibi loricas, & ocreas, & galeas, Henrico Duce Austriæ eis ducatum præbente. Et stetit ibi octo dies, & destruxit eam usque ad solum.

Sed interim dum obsideretur Crema, Mediolanenses juraverunt cum Brixiensibus, & Placentinis, & miserunt Legatos ad Adrianum Papam, qui erat in Anagnio, & concordiam fecerunt istæ tres civitates cum eo, quòd exinde non pacifcerentur, vel aliquam concordiam facerent cum Fedrico Imperatore absque licentia Adriani Papæ, vel ejus Catholici Successoris. Et ita juraverunt Cremenses. Papa quoque è converso idem convênit cum eis. Et convênit, quòd ab illa die usque ad XI. dies excommunicaret Imperatorem, qui tamen non curavit.

Accidit autem, ut infra statutam diem Papa moreretur. Electus est autem à Cardinalibus concorditer Magister Rolandus, qui propter religionem suam cœpit se excusare, secundùm quod Canones & leges præcipiunt. Interea quidam alius Cardinalis, nomine Octavianus, consilio aliorum duorum Cardinalium, atque, ut ferebatur, consilio Ottonis Palatini Comitis, & Guidonis Comitis de Blandrate, qui tunc erant Legati Imperatoris missi ad Apostolicum, ex industria fecerat vetustissimum mantum quemdam suum Clericum ibi portare. Et dum Rolandus decentissimè & religiosissimè se excusaret, Octavianus iste accepit pallium, & sibi ipsi imposuit, versatum tamen ita, ut pars illa, quæ debebat esse circa humeros, esset juxta pedes. Et ita faciendo duxit eum ad Sedem. Senatores autem ceperunt electum Alexandrum, & alios Cardinales, & tenuerunt eos captos in quadam turri novem dies. Postea autem Octavianus vênit ad Imperatorem, qui erat Papiæ. Et undecimo die Februarii ab Imperatore in Apostolicum receptus est. Sed postea tertio Kalendas Martii Johannes de Anagnio Cardinalis Apostolicæ Sedis & Legatus ab Alexandro Papa, in civitate Mediolani in majori Ecclesia excommunicavit unà cum Oberto Archiepiscopo, Octavianum, & Fedricum Imperatorem. Et postea duodecimo die Martii excommunicavit Episcopum Mantuæ, & Laudæ, & Marchionem de Monte-ferrato, & Comitem de Blandrate, Rectores & Consules Cremonæ, & Papiæ, Novariæ, Vercellæ, Laudæ, Seprii, Martesanæ. Item postea quinto Kalendas Aprilis excommunicavit Lodoycum, qui erat in Baradello. Et statuit, ut omnia data, quæ facta erant, vel exinde fierent à Federico Imperatore, donec non haberet pacem cum Ecclesia, vacua essent & irrita.

Postea autem medio mense Maji Imperator cum exercitu suo iterum devastavit blavas, & legumina, & linum Mediolanensium à Midillio usque Vertemate ab illa parte Lambri. Et inde rediens per alia loca devastavit Vairanum, & Brioscum, & Legnianum, & Nervianum, & Pollianum; & vênit usque ad Venzagum, & Raude primo die Kalendas Junii. Mediolanenses milites & pedites, acceptâ pœnitentiâ, egressi sunt cum ducentis militibus Placentinorum, qui venerant in occursum Mediolanensibus ad Sanctum Romanum ad Quintum, valde baldaciter cum Carroceno, & aliis plaustrellis centum, quæ Quintellinus fecerat, quæ quasi ad modum securis facta fuerunt in fronte; in gyro erant circumdata præcidentibus ferris factis de talcibus predariis, eo animo & ea intentione, ut cum Imperatore, & cum ejus exercitu dimicarent. In prima acie posuerunt plaustrella; in secunda Carrocenum cum peditibus & sagittariis; in tertia cohorte milites cum vexillis & aliis signis; quarto loco Placentinos. Sed cùm Imperator hæc audisset, nocte surrexit, & ivit ad Baraegium, Mediolanensium timens vires. Mediolanenses verò cùm stetissent ibi usque ad medium diem, reversi sunt in domum suam. Et Imperator postea abiit ad Morimundum, & combussit domos eorum de Saraclavi, & inde abiit Papiam.

Mense autem Julio proximo tres Portæ, scilicet Porta Vercellina, & Porta Cumana, & Porta Nova ascenderunt in Martesanam, & ceperunt Sezanam, & Cornate, & Herbam, & Paravisinum, & alia loca; & postea castra sua posuerunt circa castellum de Carcano, existimantes, quòd possent capere illud. Et cùm stetissent ibi per octo dies, miserunt Mediolanum Nuntios, ut aliæ tres Portæ subrogarentur. Et cùm substitutæ essent, & ibi paucos dies stetissent, Imperator cœpit congregare exercitum suum. Quo audito Mediolanenses timuerunt, & alias tres portas, quæ descenderant, ascendere fecerunt. Sexto itaque die mensis Augusti Imperator castrametatus est ad Spigizollum. Altera die primâ feriâ ducenti milites Brixiensium intraverunt castra Mediolanensium, ut eis suffragarentur, unde valde confortati sunt. Et miserunt statim pedites Portæ Vercellinæ burgi in castello de Orsanigo. Secundâ feriâ castrametatus est Imperator juxta Orsanigum, & Taxariam, & usque ad latum, & viam hostibus astruxit tantùm, ut etiam arbores præcisas in via sterneret. Eodem die Mediolanenses castra, quæ dispersa erant circa castellum de Carcano, fecerunt congregari, & poni intra Taxariam, & Carcanum.

Item eodem die Obertus Archiepiscopus, & Milo

Milo Archipresbyter, & Galdinus Diaconus, & Alghisius Cimiliarcha suaserunt Populo, & ex parte Dei Omnipotentis & Beati Ambrosii præceperunt eis, ut confidenter ad bellum procederent, scientes, quòd Dominus esset cum illis. Summo itaque mane octavo die Augusti, deficientibus eis victualibus, viam ferro aperiendam proposuerunt. Pedites verò burgorum Portæ Ticinensis, & Pusterlæ Sanctæ Euphemiæ reliquerunt, ut castra à Carcanensibus custodirent. Pedites Portæ Cumanæ posuerunt ad Taxariam, quia castra Imperatoris à castris Mediolanensibus non distabant ibi, nisi quantum est jactum balistæ.

Celebrato itaque divino officio, & confessione facta, & pœnitentia accepta, processerunt ad bellum cum Carrozeno, quod in nocte fecerant. Pedites verò, quia inter erat parum, statim sex quidam intraverunt castra Imperatoris, & cœperunt spoliare ea. Imperator cùm vidisset eos oneratos spoliis, progressus est contra eos, & de militibus & peditibus illis alios occîdit, alios vulneravit, alios cepit, alios usque ad castra eorum fugavit. Carrozenum quoque in fossato projecit, & boves ejus habuit. Sed alii milites Mediolanensium, qui cum Brixiensibus ascenderant montem post castra Imperatoris, aliam partem exercitus ejus fugaverunt, & ex eis multos ceperunt, & persecuti sunt eos, usque Montorfanum, & Marchionem Montisferrati usque ad Angleriam; & reversi stabant contra castra Imperatoris. Cùmque Imperator ad castra rediisset; & dixit, *obtinui*: alius respondit: *imò victus es. Nonne vides, quomodo Mediolanenses te circumdederunt?* Remanserat enim cum ducentis solummodo militibus. Et Mediolanenses non potuerant facilè descendere ad eum, tum propter naturam loci, tum propter rupes & valles, quæ impedimentum præstabant, tum propter fortissimam pluviam. Et cùm diu ibi stetissent, propter nimium algorem ad castra reversi sunt. Imperator autem cum exercitu suo statim iter arripuit. Sed cùm Mediolanenses viderunt, cogitaverunt eum insidias posuisse, & fugam simulasse: & propterea non tam citò insecuti sunt eos. Sed postea paulatim insecuti sunt eos, & multos ceperunt, & multa spolia habuerunt. Sequenti quoque die milites Cremonæ ducentos, ceperunt, & Cumanos, & Papienses, & alios: unde bene recuperaverunt omnes captivos, & obsides suos, quos Imperator alicubi habebat. Cùmque stetissent ibi post bellum plus octo diebus, reversi sunt domum, & castellum capere non potuerunt.

Sed infra octo dies postea ortus est ignis ventoso die in domo Lanfranchi Canis de Porta Cumana, & combussit exinde totam civitatem & Portam Romanam usque ad fossatum, & medietatem Portæ Ticinensis, partem de Porta Vercellina, & omnes domos ferè usque ad Domonsolum; & eo modo amiserunt victualia. Post paucos dies Consules Mediolani posuerunt milites centum in Crema, & in Aplano; milites & pedites in Mozate jam ante posuerant. Postea Archiepiscopus intravit Varixium cum centum militibus; & tenuerunt Arsizate, & Indunum, & Blandonum, & hyemaverunt ibi, & multùm Seprienses oppresserunt.

Mense verò Martii cœperunt obsidere Castellionum, & per totam Quadragesimam usque ad diem Veneris Sancti obsederunt illud. Capere non potuerunt; & multa ibi expendiderunt, quibus cibaria quæsisse debuerant. Mense itaque Majo congregavit Imperator iterum exercitum magnum, & devastavit blavas Mediolanensium circa civitatem usque in fossata. Et tunc cepit Adam de Paradino, & suspendit eum; & unum de Moris jam ante suspenderat. Eodem quoque mense electi sunt de unaquaque Parochia civitatis duo homines, & de eisdem tres de unaquaque Porta, quorum unus Ego fui, qui cæteris præessent, ut eorum arbitrio annona, & vinum, & merces venderentur, & pecunia mutuò daretur: quod in perniciem civitatis versum est.

Postea quoque octavo die Augusti cùm esset juxta Melegnanum cum exercitu suo, præmisit quosdam milites, & inchoaverunt prœlium ad Casinum Thomæ circa vesperas. Egressus est autem * sinè armis. Quidam de militibus, & peditibus cum armis exierunt; & dum pugnarent ibi in via, Imperator cum exercitu suo prœlio appropinquavit ex extraverso, & milites quosdam cepit cum vexillo uno: quod cùm vidissent Mediolanenses, cœperunt fugere. Et Dux Federicus de Rothurgo, qui tunc vexillum Imperatoris portabat, persecutus est eos usque in fossata. Et Imperator tunc fuit juxta Arcum Romanum de equo prostratus. Et tamen multos occiderunt, & plus trecentis ceperunt, & eos Laudæ incarceravit.

Post paucos dies iterum congregato exercitu vênit devastare blavas Mediolanensium. Et tunc factum fuit maximum prœlium ad Portam Cumanam: Postea per duos dies ad Portam Vercellinam. Et tunc negatus est Ambrosius de Bollate in fossato. Eodem quoque tempore venatores Imperatoris, qui erant apud Morimondum, & quibus à Consulibus fiducia data erat, captum cervum Imperatori portabant. Et cùm fuerunt ante lucem ad pontem Credarium, quidam de Mediolanensibus abstulerunt eis carnem, & cætera, quæ habebant cum eis, & eos dimiserunt. Consules verò Mediolani carnem reddi non fecerunt, omnibus aliis restitutis. Sed cùm Imperator usque in fossata circa civitatem blavas eorum conculcasset, Laudæ versùs est regressus; & ut de captivis, quos habebat, sex oculos eruerent præcepit, videlicet duobus de Capitaneis de Malxate Arnolfo, & Ubertino, Waderico Verto, Jordano filio Arialdi Crivelli, Lanzacurtæ de Rancate. Suzoni de Auzano autem nares præcîdit, & unum oculum dimisit, ut alios Mediolanum duceret. Interea qui portabant à Placentia, vel ab aliqua parte mercatum Mediolanum, si capiebantur, manus dextræ amputabantur; & una die XXV. amputatæ fuerunt. Postea verò mense Octobrio proximo Pragmaita, & Johannes de Sancto Blatore reddiderunt se Imperatori in civitate Laudæ. Interea dissensio maxima orta est inter Cives, videlicet inter patrem & filium, & virum & uxorem, & inter fratrem & fratrem; jam enim per plateas rixabantur, dicentes se velle Imperatori reddere, tum propter conspirationem, quam quidam de majoribus jam fecerant, ut de civitate egrederentur, tum propter carissimam annonam. Viginti enim denarios sextarius blavæ & leguminum vendebatur; & sextarius salis XXX. soldis vendebatur; & pro libra quartæ partis bo-

bovis mortui ego dedi XX. soldos & unum.

Data est interea publicè potestas Osæ, & filio ejus Alberto, & Anselmo de Orto, ut de pace loquerentur. Et qui pecuniam ab eo petitam dare non poterat, à mane usque ad sero in lecto jacebat, & postea semivivus efferebatur; & multi propterea perierunt. Ventum est denique post multas contentiones, multis etiam minantibus dare mortem Consulibus, & aliis, qui se reddere nolebant, & asseverantibus, Imperatorem civitatem in suo statu dimittere, & possessiones omnibus civibus relinquere velle (& verum est, quòd hanc concordiam facere poterant) ut se Deo & Imperatori redderent, misericordiam ab eo sperantes, quam omnes Principes firmiter promittebant. Reddiderunt se & civitatem in civitate Laudæ. Et infra octo dies postea miserunt quingentos milites, & totidem pedites cum Carrocero, & vexillis, & aliis signis equestribus & pedestribus cum tubis ad Imperatorem ad Montem-Gezonis, ut omne decus & omnem honorem in eum conferrent. Idem autem milites, Carrocerum, & omnia signa, & tubas retinuit; pedites remisit, & milites misit Papiam, ut ibi custodirentur. Postea præcepit, ut civitas evacuaretur, & octo dierum spatium attribuit.

Septima itaque die Kal. Aprilis exierunt de civitate cum rebus suis, & dereliquerunt eam. Obertus Archiepiscopus die Dominico de Cœco XV. Kal. Aprilis cum Milone Archipresbytero, & Galdino Archidiacono, & Alchisio Cimiliarcha, & aliis quibusdam, recesserant, & abierant Genuam, ubi erat Apostolicus Alexander. Et quis esset, qui posset lacrymas retinere, qui viderent planctum & luctum, atque mœrorem marium & mulierum, & maximè infirmorum, & fœminarum de partu, & puerorum egredientium, & proprios lares relinquentium? Egressi itaque castrametati sunt. Porta Ticinensis inter Monasterium Sancti Vincentii circa. Porta Romana apud Sanctum Celsum. Porta Orientalis, & Porta Nova ad Sanctum Dionysium. Porta Cumana ad Sanctum Simplicianum. Porta Vercellina ad Sanctum Victorem ad Corpus. Postea verò Imperator, congregatis Cremonensibus, Laudensibus, Papiensibus, Novariensibus, Cumanis, Seprienfibus, & Martyanis, & multis aliis, vênit Mediolanum. Primò succendit universas domos. Postea destruxit & domos, & turres, & murum civitatis; & pulpura subversa sunt. Altaria omnia violata sunt. Sanctorum multorum Reliquiæ exportatæ sunt. Et steterunt ibi usque in Ramis Olivarum, qui erat in Kal. Aprilis; & in Ecclesia Sancti Ambrosii olivas accepit. Et propter destructionem Mediolani prædicti omnes dederunt Imperatori præstò copiosam & immensam pecuniam. Et eo anno tribus venerunt destruere civitatem, & explanare fossata. Et tota Lombardia ferè laboravit ad explananda fossata.

Postea verò circa Kal. Maji datus est eis Henricus Leodiensis Episcopus, ut eis præesset, & ut quatuor loca ad habitandum eis designaret. Designavit ergo Portæ Romanæ inter Cassinam Plasmondi, & Noxetam. Portæ Ticinensi ibi prope in territorio de Vigiantino. Portæ Orientali & Portæ Novæ ad Lambrate. Portæ Cumanæ ad Carrariam. Portæ Vercellinæ ad Sanctum Sirum ad Vedram. Et sic cœperunt ædificare burgos secunda die mensis Maji. Postea mense Augusti proximo Episcopus recessit, & dedit Petrum de Cunin, ut Mediolanensibus præesset. Imperator verò cùm præcepisset de obsidibus Mediolani, qui erant Papiæ, centum solummodo retineri, & singulis mensibus permutari, recessit, & abiit ad Soram, & fuit ibi in Festo Sancti Johannis Decollati, ut ibi colloquium cum Rege Franciæ & Apostolico Alexandro, & Octaviano de eorum electione haberet. Sed Alexander non adfuit, Imperatoris collusionem, quam præsenserat, timens. Et sic Imperator & Rex discordes discesserunt. Et inde Imperator abiit in Alamanniam.

Prædictus verò Petrus de Cunin innumerabiles modos oppressionis invênit, & miris modis pecuniam extorquere cœpit. Nam obsides permutari * pecuniam à debitore exigi non in pecunia data permittebat; privatim à rusticis, & à Civibus pecuniam extorquebat. Morienti finè filio succedebat, & ea æstate milium & vinum à militibus & rusticis pro arbitrio suo accepit; & multam pecuniam à rusticis occasione porcorum circa Sanctum Martinum extorsit. Item occasione tributi à Palatino Modoëtiæ agnellorum in Pascha infinitam pecuniam exegit. Sequenti verò æstate jussit omnibus Mediolanensibus ex constitutione Imperatoris, qui erant de jurisdictione Leodiensis Episcopi, idest à Busti Carulfi, & à Legnano, & Seviso, infra duas partes tertii & ficti, & quartam partem fructuum * promovere quæstionem castanearum & nucum, & fœni tertiam partem. Henricus verò Suevus, qui ex præcepto Imperatoris in monte Ghezonis morabatur, omnes fructus terrarum Mediolanensium, quas habebant in Episcopatu Laudense, colligebat. Marquardus de VVenibac, qui Tricium morabatur, usque ad Morgoram idem faciebat. Comes Gozonus in Sperio, & Martesana, secundùm prædictum modum colligebat, & pecunias creditas Seprienfibus & Martesanis exigi prohibebat; & multa Mediolanensium instrumenta reddere, & debito finem facere captos coëgit. Magister Paganus, qui habitabat in Baradello, per totum Episcopatum Cumanorum omnes possessiones Mediolanensium possidebat, & habebat, & Ducatus quoque Hostiensis lucrum, & omnes possessiones Capitaneorum de Mandello, quas habebant in partes Seprienfium, tenebat.

Et ea æstate ædificata est Turris, quæ dicta est Triumphalis in burgo Norenti. Et boves rusticorum jurisdictionis Episcopi Leodiensis traxerunt omnes lapides & sabulum à civitate. Eadem quoque æstate Modoëtiæ Palatium cœptum fuit; & boves undecim Plebium terræ Mediolani lapides à civitate ibi bis in mense vehebant. Item tunc Palatium ad Vigiantinum, & Castellum de Landriano ædificabatur; & boves Mediolanensium similiter à civitate ibi vehere cogebantur. Postea verò circa Kal. Septembris vênit Fedricus Clericus, Magister Scholarum dictus, qui missus est ab Episcopo Leodiensi, Mediolanum, & omnem potestatem Petro de Cunin abstulit; quoniam audierat Episcopus, quòd Petrus ille malè Mediolanenses tractaverat. Sed iste Federicus avarior & tenacior Petro fuit: Nam totum, quod Petrus de quarto & ficto tertio alicui remiserat, in solidum exegit.

Im-

Imperator verò mense Octobrio proximo tertio Lombardiam intravit, & vênit Laudæ, deinde abiit Papiam. Octavo itaque Kal. Decembris, congregatis omnibus Papiensibus, præcepit eis, ut civitatem Derthonæ pro arbitrio suo destruerent. Quod quidem sinè mora fecerunt. Proinde Imperatori pecuniam copiosam dederunt. Postea abiit Modoëtiam. Et cùm transiret juxta Veglentinum tertio die Decembris, mares & mulieres illius burgi nocte fuerunt ei obviam in via; & cùm bene plueret, prostraverunt se in luto, misericordiam postulantes. Et ipse discessit, relicto Cancellario ibi, qui dixit, ut pauci ex eis sequenti die Modoëtiæ essent, & fuerunt. In festo Beati Ambrosii præcepit, ut obsides Mediolanensium, quos adhuc habebat, redderentur. Petrus quoque Dessus lignorum plaustra mille ad Palatium congregaverat, & ibi coquinam fieri fecerat occasione adventus Imperatoris: expensæ cujus fuerunt librarum centum Imperialium. Redditis itaque obsidibus, recessit Imperator, & dimisit Modoëtiæ Cancellarium, & Comitem de Blandrate dicens: *Isti duo quid de re Mediolanensium fieri debeat ordinabunt*. Misit itaque Cancellarius ad burgum, ut duodecim de unoquoque burgo irent ad eum. At illi gratanter possessionum suarum misericordiam expectantes, processerunt. Cùmque plorantes ante eum stetissent, dixit eis, ut quid Imperatori offerre vellent, sponte dicerent. Illi autem paupertates & miserias suas flebiliter exponentes nihil se offerre omnino posse rationabiliter excusaverunt. Tunc ille indignans cum interminatione præcepit eis sub juramento, quo eos adstrinxerat, ut octingentas octuaginta libras Imperialium octavo ante festum Sanctæ Mariæ de Februario solverent, & solverunt.

Eadem hyeme die Veneris decimoseptimo die mensis Martii cœpta est ædificari civitas Imperialis apud Sanctum Colombanum. Eadem quoque hyeme Veronenses cum omnibus de Marcha illa juraverunt cum Venetibus, & facti sunt Imperatori rebelles. Imperator verò mense Junio proximo congregato exercitu ad partes illas Longobardorum perrexit; sed cum opprobrio rediit. Eodem etiam mense sexto die mensis Luna passa est eclypsim, cùm esset duodecima, & visa est rubea; & eo anno fuit Bissextus. Sequenti die sacramenta tributaria per terram Mediolani, quam tenebat Lodiensis Episcopus, inchoata sunt. Idest ut unusquisque in anno solveret pro manso soldos tres Imperialium; pro jugo boum Imperiales XXII. pro focolari denarios CXII. Decimo verò die ejusdem mensis Raynaldus Cancellarius, ac Coloniensis Archiepiscopus tulit corpora Sanctorum Martyrum Naboris atque Felicis, & Sancti Confessoris, * prout dicebatur; & tria alia corpora, quæ erant condita in archa, quæ erat in Ecclesia Beati Eustorgii, & quæ dicebantur esse Magorum trium & exportavit Coloniam.

Mense Augusto proximo mortuus est Episcopus Leodiensis Papiæ, & datus Marquardus de Carumbac ab Imperatore Mediolanensibus, ut eis præesset. Qui circa duos menses proximos venit Noxedam ad Palatium; & burgenses omnes venerunt, & obtulerunt argenteam obbam, pretium cujus erat librarum XIV. Imperialium; & adeò fuit ei gratum ac si dedissent ei * sed omnes suo præcepto stare jurare fecit; & præposuit eis Abbatem Sancti Petri Cœli aurei, & Henricum de Arbeliis, Nordanum proditorem, & Scacabarozium, & Anselmum de Orto, & Aliprandum Judicem, qui ejusdem anni tributum exegerunt, & collegerunt; & addiderunt, ut terrarum, quæ fuerant laboratæ à XX. annis infra, & pratorum sectorum, & nemorum incisorum tributum solverent. Et librum, qui intitulatur Tristium, sive Doloris, fieri fecerunt, in quo scripta erant omnia mansa, & focularia, & juga boum Mediolanensium.

Imperator verò mense Novembri proximo ivit ultra montes, & Marquardum omnibus Longobardis præposuit, qui omnibus Mediolanensibus, tam civibus, quamque & rusticis, venationem inturbavit: idest ut nemo venaretur cum cane, aut neque pedaicam, vel canceulos poneret, neque fossam facerent. Et prædicti quinque hyemarunt ibi ad Palatium expensis Imperatoris cum equis & clientibus multis usque ad Pascha. Et collegerunt medietatem decimæ omnium terrarum, & totam ovium decimam. Præterea porcos pretio soldorum sex quingentos, & lignorum plaustra mille, ac fœnum, & pullos, & ova immoderatè congregaverunt. Et quia ea ligna defecerunt, iterum coëgerunt rusticos, ut plaustrum lignorum pro jugo, aut Imperiales duodecim darent ei, & multam propterea pecuniam extorserunt. Tunc nix maxima erat; cœpit enim ningere decimo die mensis Decembris, operuit faciem terræ; & stetit per totum Januarium & Februarium. Ultimo autem die mensis Februarii iterum cecidit nix, cùm duodecies cecidisset, cujus altitudo fuit unius spanæ. Et ante medium Martium nemo umquam arare potuit, & immoderatè segetes corrupit, maximè in Episcopatu Papiæ. Frumenta verò non sunt adeò corrupta. Martiaticum tamen bonum fuit.

Mense autem Julio proximo millesimo centesimo sexagesimo quinto Marquardus præcepit, ut duodecim homines de unoquoque burgo irent Modoëtiam ad eum; & præcepit illis, ut burgenses usque ad decemocto dies quadringentas libras Imperialium solverent: quod factum est. Item qui propter paupertatem tributum solvere non potuerunt, duplum postea solverunt; aut eorum possessiones publicatæ fuerunt. Rusticorum verò oppressio talis erat. Fœni plaustra mille, & lignorum totidem, annualiter dabant; frumentum, & siliginem, & porcos ut supra; vinum, agnos, pullos, & ova, & trabes, & assides ad domos ædificandas, & sudes, & vimina ad sepes faciendas, circulos ad vegetes stringendas, & omnia alia que necessaria erant. Ministrabant carrigia infinita, trabes quamplures ad quorumdam Papiensium domos ædificandas dare, ac lapides à civitate Papiam vehere cogebantur.

Post hæc verò Marquardus reversus Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo sexagesimo sexto obiit mense Majo. Post datus est eis in Potestatem Comes Anricus de Disce, qui mense Julio proximo imposuit eis fodrum (burgensibus scilicet, & his, qui in circuitu burgorum erant) mille libras Imperialium, & quingentas plus: quod bene fuit solutum. Mense verò Novembrio quarto Imperator Longobardiam intravit, & vênit juxta Brixiam, & devastavit castella & villas usque in fossata, & sexaginta obsides de majoribus &

& melioribus Brixienſium Papiam miſit. Pergamenſium quoque Epiſcopatum uſque ad montem devaſtavit.

Idem verò tranſiens milleſimo centeſimo ſexageſimo ſeptimo menſe Februario ivit Bononiam, & uſque ad civitatem eam undique devaſtavit; & centum obſides eis abſtulit, & ſex millia Lucenſium libras. Eodem menſe nix cecidit magna: altitudo ejus fuit juxta brachia duo. Menſe Martio proximo centum obſides Mediolanenſibus, videlicet quinquaginta de burgenſibus, & quinquaginta de forenſibus Henricus de Diſce decimo Kal. Aprilis Papiam miſit. Eodem item menſe à quibuſdam burgenſibus, quos elegit, quingentas libras Imperialium & plus petiit; ſed eos calliditate quorundam habere non potuit. Poſt hæc verò cùm jam audiviſſet, quòd illi de Marchia cum quibuſdam civitatibus Longobardiæ juraſſent, ducentos obſides de burgenſibus tulit, & eos Papiæ incarceravit. Item paulò poſt centum de militibus petiit, qui ſi altera die dati non fuiſſent, burgos ſe deſtructurum adjutorio Papienſium & Seprienſium dixit. Sed divina opitulante miſericordia quadam induſtria & ſagacitate (burgenſium maximè) tamdiu verbis irretitus eſt, quòd Deus adjutorium ſuum dedit. Interea Papienſes conſilio habito Modoëtiæ ad quoſdam de burgenſibus quaſi ad privatos amicos nuntios dirigebant, ut pretioſa quæque Papiam mitterent, fiduciâ publicè datâ, ut res & perſonæ ſalvæ eſſent. Sed poſtea coëgerunt homines habitaculum ibi jurare, & res non permiſerunt reduci. O quantus clamor, & quantus timor, quantus fletus per quatuor hebdomadas in burgis fuit, maximè in burgo Noxedæ, & Vegentini! Nemo erat, qui auderet lectum intrare. Quotidie enim dicebatur: *Ecce Papienſes burgos comburere*.

Interea cùm jam multi exportaſſent res ſuas, alii juxta civitatem, alii juxta Cumas, alii Novariam, alii Papiam, alii Laudæ, alii ad Villas: venerunt Pergamenſes primùm, & Brixienſes, & Cremonenſes, milleſimo centeſimo ſexageſimo ſeptimo quintâ feriâ quinto Kalendas Maji, & introduxerunt eos in civitatem. Poſt hæc verò Galdinus Archiepiſcopus, qui erat cum Papa Alexandro, vênit quinto die Decembris. Imperator verò duodecimo ejuſdem menſis Roma rediit, & Papiam vênit. Et ſeptimo Kalendas ejuſdem menſis combuſſit Roxate, & alia loca uſque ad Caſternum, & locum Sancti Viti, & Cornaleti.

Poſtea verò milleſimo centeſimo ſexageſimo octavo nono die Martii ſuſpendit Imperator Zillium de Prando obſidem de Brixia juxta Sauricam, dolore & furore repletus, quòd Mediolanenſes, Brixienſes, Laudenſes, Novarienſes, & Vercellenſes obſederant Blandrate; & inde abiit in Alamanniam. Eodem menſe duodecimo die menſis Placentini, Parmenſes, & Obizo Marchio Malaſpina, iterum introduxerunt Terdonenſes in civitatem. Eodem menſe vigeſimo die menſis Seprienſes juraverunt ſtare præcepto Galdini Archiepiſcopi, & Conſulum Mediolani. Poſt multas quoque expeditiones ultra Padum factas * cum civitatibus, quæ cum Mediolanenſibus juraverant, ſcilicet Marcha, Verona, Brixia, Mantua, Pergamum, Laude, Novaria, Vercellæ, Placentia, Parma, Regium, Mutina, Bononia, Ferraria,

Imperator Federicus quinta vice Lombardiam intravit milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quarto Kalendas Octobris, & vênit Sacxiam, & combuſſit eam. Venit deinde Aſte, & ferè octo diebus reddiderunt ſe. Deinde vênit Alexandriam quarto Kal. Novembris, & obſedit eam cum Papienſibus, & Marchione Montis-ferrati uſque in quartodecimo die menſis Aprilis. Ea verò die cùm eſſet Sabbatum Sanctum Paſchæ, datâ etiam fiduciâ Alexandrinis, quòd non oppugnaret eos, niſi tranſacto Feſto, accenſus ira & dolore Longobardorum, qui erant in loco Caſteggio, clam fecit ſuos armari, & nocte intromiſit de melioribus, quos habebat circa ducentos in quodam foramine, quod fecerat, & quod exitum habebat ferè in mediam civitatem; & mane cœpit pugnare. Sed Deus pugnavit pro civibus; & omnes, qui erant in foramine, & in turri lignea, quam fecerat, mortui ſunt, & turris combuſta eſt, & ſic liberati ſunt.

Mediolanenſes cum Carrozero ſuo moverunt undecimo die Martii milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quinto, & venerunt in exercitu iſto, Marcha videlicet, Triviſium, Padua, Vicentia, Verona, Brixia, Mantua, Pergamum, Parma, Regium, Mutina, Placentia, & Ferraria, pedites & milites, & trecenti milites Novariæ, & Vercellarum, & ibi quædam pax fictè facta fuit.

Poſtea verò milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſexto, quarto Kal. Junii die Sabbati, cùm eſſent Mediolanenſes juxta Legnanum, & cum eis eſſent milites Laudæ quinquaginta, & milites Novariæ, & Vercellarum circa ducentos; Placentiæ verò circa ducentos; militia Brixiæ, & Veronæ, & totius Marchæ. Pedites verò Veronæ, & Brixiæ erant in civitate. Alii juxta in itinere, & proficiſcebantur ad exercitum Mediolanenſium: Federicus Imperator erat cum Cumanis omnibus caſtrametatus juxta Cairate cum Teutonicis militibus ferè mille, & dicebatur, quòd erant duo millia, quos venire fecerat per deſertam viam, & tam privatiſsimè, quòd à nemine Longobardorum potuit ſciri. Imò cùm dicebatur, quòd eſſet apud Bilinzonam, fabuloſum videbatur. Et cùm vellet tranſire, & Papiam ire, credens, quòd Papienſes deberent ei obviare, Mediolanenſes obviaverunt ei cum iſtis militibus inter Borſanum, & Buſti Arſitiam, & ingens prœlium inchoatum eſt. Imperator verò milites, qui erant ex una parte juxta Carrocerum, fugavit, ita quòd ferè omnes Brixienſes, & de ceteris pars magna fugerunt uſque Mediolanum, & pars magna de melioribus Mediolanenſibus fugerunt. Sed ceteri ſteterunt juxta Carrocerum Mediolani, & viriliter pugnaverunt, ita quòd poſtremò Imperator versùs Cumas fugit, & ferè omnes capti fuerunt Teutonicorum, & multi interfecti, & multi in Ticino necati ſunt.

Eodem verò anno Imperator direxit Nuncios ad Papam Alexandrum, & clam pactus eſt cum eo. Et ſtatuerunt colloquium apud Venetiam, publicè ſimulantes ſe velle componere inter Longobardos, & Imperatorem. Et fuerunt ibi ambo per medium annum cum Archiepiſcopis, & Epiſcopis, Patriarchis, Abbatibus, & aliis Clericis multis, & cum Communitatibus, & Marchionibus.

Poſtremò nono Kal. Auguſti Incarnationis mil-

millesimo centesimo septuagesimo septimo Alexander Papa recepit Federicum in Christianissimum Imperatorem, & uxorem ejus Beatricem, & filium ejus Henricum in Regem, cùm adhuc non esset pubes. Inter Longobardos, & eorum societatem, & Imperatorem à Kalendis Augusti proximi in antea usque ad sex annos treguam, sacramento ab utraque parte præstito, firmaverunt, & eis in perpetuum * fecit, deserendo fidem, quam Longobardis promiserat. Nam ex quo fuit Venetiæ, direxit literas Mediolanensibus facere se * Longobardos deposuit. Mense verò Septembrio proximo fuit diluvium, quo majus non fuit à diebus Noë. Nam Ticinum operuit ab una costa ad aliam terram, ita quòd multæ arbores non apparebant. Lacus, qui dicitur Maior, crevit usque ad decem & octo brachia in altum, & operuit domos Lixiæ. A Scrivia ibant navigia usque Placentiam.

Tempore quo Dei Templum fœdaverat Saladinus, Hierosolimitanam verò invaserant civitatem Turci, & Christianam cum magno exercitu dissipavere plebem, displicuisse Deo videbatur, tyrannum scelus tale fecisse, ut quidem Ecclesiam conculcaret Catholicam, & eam qui coluere auribus insonuit Christianorum vocibus orbe diffusis terrarum, quibus in locis Christianus quisque in locis fidelis degisset. Quo Turcorum gens, in qua fidelis Surianus sibi omnes usurpaverat partes. Et idem tempus Romanorum præclarus nomine Federicus Imperator ac semper Augustus in partibus Hierosolimæ decrevit dirigere iter. Assumensque Crucem, nutu favente divino, cum magna Teutonicornm millium acie armatorum pugnantium aditum Hungariæ in primo magno cum favore habuisse fertur. Rex verò tunc Hungariæ magna cum gente triumphali eum recepit amore sereno. Imperator ille nobilis Hungariam transisse testatur sinè tumultu. Igitur Romanus Augustus ad Constantinopolitanum versùs nuntios direxit Episcopum Monasterii, & Comitem Robertum de Vascha, ut ei transitum regionis præberet sinè timore. Ipse verò eos detinuit, & præparavit tres magnos exercitus, & misit contra eum ad introitum Bulgariæ, ut dissiparet viam ante eum. Erat enim maximum nemus itinere dierum IV. & via arctissima. Præses verò Bulgariæ cùm videret se non posse Imperatori resistere cum exercitibus suis, totam viam dissipavit, & nemora contra eum stravit. In exitu verò nemoris magnam munitionem fecit, & cum exercitibus illis ad pugnam cum Cæsare se præparavit. Imperator verò per nemus maximo labore viam fecit. Dux verò de Suevia filius Imperatoris præcedebat cum suo exercitu; & cùm invenisset munitionem, & exercitus, cum eis pugnavit, & maximam multitudinem illorum interfecit, & munitionem destruxit. Transivit autem magnus Imperator, & vênit ad civitatem, quæ dicitur Philippensis, & oppugnavit, & cepit, & ibi duodecim hebdomadas permansit.

Postquam Constantinopolitanus Imperator audivit, quòd Philippensis capta erat, Nuntios Cæsareos dimisit, & verba in hunc modum mandat. Tibi Romane Imperator tursacius se bene sanum. Qui misit ei Nuntios, qui debeant eum ducere per totam suam terram. Dimisit autem ibi Cæsar partem exercitus sui, & post dies decem occupavit Andrinopolim. Turci verò, & Græci fugerunt ante faciem ejus, & reliquerunt civitatem. Jussit verò Cæsar, ut pars exercitus, Philippense relicta, secum veniret Dominicæ festum Nativitatis celebratura. Ergo ibi eo morante, Græcus Imperator præparavit magnum Turcorum & Græcorum exercitum, & misit eum de montana contra Imperatorem.

Federicus verò Imperator misit filium suum Ducem cum militibus, & quibusdam sagittariis, qui prœliatus est cum eis, & eos superavit. Qui fugerunt, & clauserunt se intra mœnia. Descendit autem Imperator de equo, & cum omni exercitu mœnia aggressus intravit, & omnes obtruncavit. Sed Turci quamdam munitionem ceperunt, & ibi mirabiliter restiterunt, ita quòd eos capere non potuerunt, quoad usque igne cremaverunt. Deinde Græcus Imperator post septem dies misit Nuntios XVI. de melioribus, quos habebat, ad magnum Imperatorem, dicens se velle dare transitum. Et quòd iret securus per totam suam terram. Federicus Imperator cùm libenter vellet ad expugnandum Constantinopolim ire, tamen habito consilio Principum viam rectam obtinuit, ut quàm citius posset venire in auxilium Christianorum.

Tunc Cæsar petiit à Græco obsides, & ille misit duodecim, qui perduxerunt eum Galipolim, & ibi transitum habuerunt. Constantinopolitanus Rex ampliùs dedit eis naves, quas promiserat, ita quòd per quinque dies transierunt. Dux verò cum omni exercitu primus transivit. Imperator verò in quadam galêa cum sagittariis, & balistariis, balistis extensis rectè transivit. Post transitum verò venerunt Philadelphiam; & quia Dux ille nolebat dare forum, Teutonici præparaverunt se ad prœlium cum eo, & maximum prœlium fecerunt. Dux verò Philadelphiæ præparavit se ad prœliandum cum Imperatore. Videns autem multitudinem exercitus Imperatoris, & quòd non posset resistere, vênit ad Imperatorem, & promisit ei dare forum, & si vellet intrare in civitatem, intraret cum paucis.

Intravit Imperator cum quibusdam. Exercitus remansit, sed quia Græci perjuri non dabant eis forum, crevit magna lis inter eos per duos dies & duas noctes absque voluntate Imperatoris. Videntes autem Græci se vinci, fugerunt in civitatem, & munitiones civitatis defendere cœperunt.

Postea inierunt pactum, & dederunt eis bonum forum. Sed porrigebant cum funibus in canistris & paneariis; & ipsi eodem modo portabant eis nummos. Exivit autem Imperator de civitate Philadelphiæ. Postea Dux dedit ei nuntium, qui debebat eum ducere, & duxit eum per montana & nemora, ubi invenerunt quosdam Græcos & Armenos, qui dederunt eis illud forum, quod potuerunt. Post hæc invenerunt Turcomannos de Berza: sunt enim agrestes Turchi, qui nullo detinentur imperio, & nulla loca possident; sed morantur in agris. Ii maximum exercitum infinitum congregaverant, ita quòd sperabant se posse superare Imperatorem, & habere omnia sua. Et pugnaverunt cum eo quatuor hebdomadas die noctuque, ita quòd exercitus Imperatoris semper incedebat armatus. Exercitus verò Imperatoris magnam multitudinem ex eis interfecit. Interfecerunt etiam quemdam Ammiratum, Magistrum militiæ eorum. Restagus verò

verò dominus illorum in quadam stricta montium cum infinito exercitu fuit ante Imperatorem, & non sinebat eum transire. Sed misit ad eum, quòd non transiret, nisi daret ei centum summarios auri & argenti onustos. Imperator verò respondit se libenter velle dare ei aurum & argentum, sed nisi immelenatum unum. Interea itaque gens ista non valuerunt eis ampliùs nocere. Tunc quidam Ammirandus nomine Tactus vênit ad Imperatorem, & dixit ei, se ostendere bonam viam; & si hoc non esset, amputaret caput ei. Et duxit per montaneam, cùm deberet ire per planitiem. Tunc acceperunt pœnitentiam, quia in mane erant prœliaturi. Inde ceperunt montanea, & balistrarios permiserunt, & pugnaverunt cum eis, & multos interfecerunt. Sed ipsi desuper multos de nostris impedierunt. Et cùm pervenissent ad descensum montis, non potuerunt descendere, nisi relictis sarcinis & alimentis. Sed Dux descendit, & ipsi ita infestabant Imperatori, quòd non poterat descendere.

Tertia verò die vidit Imperator ultra flumen quædam amœna & virentia loca. Transivit causâ comedendi, & spatiandi, & post prandium dixit se velle natare, æstus quippe magnus erat. Descendit autem Imperator in flumen cum duobus militibus, & cœpit natare. Et tunc unda vênit, & eum demersit. Et quidam alius miles cucurrit equo, & eum extraxit de flumine. Eodem die mortuus est, & ibi planctum magnum fecerunt super eum. Postea deportaverunt in civitate Saleph, & ploraverunt eum per quatuor dies, & condiderunt aromatibus.

Et in ipso anno, qui erat MCCI. die Martis XI. die ante Kal. Junii Indictione quarta, Mediolanenses trium Portarum, scilicet Portæ Ticinensis, Portæ Romanæ, & Portæ Orientalis cum omni Comitatu, & cum Cumanis, & Novariensibus, & Vercellensibus, & Alexandrinis, perrexerunt in obsidione Viglevani, & cum Carrocero & vexillis, & cum magnis predariis septem. Et per sex hebdomadas ibi steterunt. Quod castrum fortissimum erat cum fossato magno & murato à ripa de foris usque ad summum, & cum altissimo muro merlato juxta terragium, & cum uno alio muro intus: qui duo muri interrati erant à medio usque ad summum. Ibi castra fixerunt, & fortiter expugnaverunt. Eo die Sabbati, qui est septimus dies mensis Julii, antequam Oppidum esset captum, iverunt aliæ tres Portæ, scilicet Porta Vercellina, Porta Cumana, Porta Nova, ad ipsum castrum, & cum aliis portis fortiter illud expugnaverunt, & illud ceperunt, & destruxerunt, & captivos Mediolanum duxerunt, & in carcerem eos miserunt.

Millesimo ducentesimo primo quarto die ante Kal. Augusti in Vigilia Sanctorum Nazarii & Celsi, fuit prœlium de Vigrino, in quo capti & denudati fuerunt Papienses omnes, & multi fuerunt interfecti.

Sequenti verò Anno, qui erat millesimo ducentesimo secundo, in mense Junio collegerunt Mediolanenses exercitum cum omni comitatu, & cum Papiensibus perrexerunt super terram Pergamensium cum Carrozero, & magnum guastum fecerunt in arbores eorum, & blavas devastaverunt, & alia multa mala fecerunt. Et per dies undecim super terris Pergamensium steterunt faciendo guastum cum Papiensibus insimul cum Carrozero suo.

Millesimo ducentesimo tertio XVII. die mensis Octobris incœpit magna pluvia, & pluit per hebdomadas .... Et tunc ambo pontes Ticini fracti sunt, & multa loca submersa fuerunt; & Ticinus totam vallem implevit usque ad fundamentum costarum ejus.

Qui fecit hoc Opus, Sire Raul nomine dictus.

FINIS.

INDEX GENERALIS
RERUM, ET NOMINUM,
Quæ continentur in hoc Tomo VI.
RERUM ITALICARUM.

A

Exau-

B

C

Cairæ

Dai-

In

Tum

Pa-

Ejus

H

I

M

Treu-

Ober-

R

S

T

V

FINIS.

F I N I S.